UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvtvs Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

urn:nbn:de:hbz:466:1-79561

Visual Library



Th. 779a.

S VIII
1

RAYNAUD

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3

THEOPHILI

RAYNAVDI

SOCIETATIS IESV

THEOLOGI,

OPERA OMNIA.

In novemdecim Tomos digesta.

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3



P. THEOPHILVS RAYNAVDVS SOC. IESV THEOLOGVS.
Ætatis Anno LXXIX.

Qui stylus artifices conatur fingere vultus,
Nil agit ille; stylo pingeris ipse tuo.

1663.

Ger. Audran Sculp.

THEOPHILI

RAYNAVDI

SOCIETATIS IESV

THEOLOGI,

OPERA OMNIA.

Tam hactenus inedita, quàm aliàs excusa, longo Authoris labore aucta & emendata.

ACCESSIT TOMVS INTEGER

COMPLECTENS INDICES SEPTEMDECIM

in vniuersum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos,

QVIBVS ABSOLVTVS DIVINÆ AC HVMANÆ Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur.

TOMVS PRIMVS.

THEOLOGIA PATRVM, AD TEMPLORVM ET SCHOLARVM VSVM,

CHRISTVS DEVS HOMO,

Adiectus est singulis ad calcem Voluminibus, proprius Index copiosissimus.



Collegii Soc^tis LVGDVNI, Jesu Paderborn.

Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXV.

Cum Approbatione, & Permissu Superiorum.

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3





CAROLO EMANVELI II.

ALLOBROGVM DVCI MAXIMO,

Subalpinorum Principi Potentissimo, Cypriorum Regi Serenissimo, &c.

ELVCVBRATA mihi iam propè octogenario vndeviginti volumina in lucem emissuro, quo nomine clarissimo, velut à sole collucerent, inquirendum diu minimè fuit. Quidni enim, Tuum SERENISSIME PRINCEPS, ipsi operis fronti, omni abiecta cunctatione, inscribendum putarem, quamplurimis R. A. T. devinctus nominibus,

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
T V

bus,& quàm maximis ? Nec ſtudio duntaxat incenſus & officio, id expetij: ſed in eam quoque ſpem veni, fore vt ne Te quidem invito, aditus operis inclito hocce titulo ſplendeſceret. Etenim venit in mentem graviſſimi, Oratoris illius Provinciati, (cuius ad NICOCLEM CYPRI REGEM, extat etiamnum Oratio planè Regia) cùm præclarè diceret, [æquitati in primis eſſe conſentaneum, vt non paternarum modò facultatum, ſed paternæ etiam amicitiæ hæreditatem adirent liberi.] Optimo itaque iure ſperavi, non ingratum ei CYPRIORVM REGI hoc fore opus, ad quem non Maiorum modò ditionis, ſed & virtutis hæreditatem veniſſe perſpiciam. Si eum igitur audiam Oratorem, ac nî audire ingratus velim ; in certiſſimam Tuæ in me benignitatis ſpem aſſurgam oportet. Quippe qui non ſine ſingulari animi ſenſu, apud me reputem identidem, Avum Tuum glorioſæ ac felicis memoriæ CAROLVM-EMANVELEM, Parentémque invictiſſimum VICTOREM-AMEDEVM ſingulari me humanitate eſſe complexos. Vnde qui Pacis belíque artibus inclytis Principibus non inviſus acciderim, eorum apud hæredem clariſſimum, me aliquam conſecuturum gratiam, haudquaquam dubitavi, quem Avitas ſimul & Paternas Regias dotes videam conſecutum. Nimirum Illuſtriſſimi Principes, facere ſoliti ſunt, quod Oratorum Princeps, quondam dicere. [Nihil habere

habere Principis fortunam maius quàm vt possit, nihil naturam melius quàm vt velit conservare quam plurimos:] addo Ego, omnibus benefacere. Ad eam Patris in me Tui, nec non Avi, singularem bevolentiæ significationem, non vulgaris vtriusque Patrui humanitas accessit. MAVRITIVS PRINCEPS, in augustissimum purpuratorum Patrum Collegium, iure meritò cooptatus, me sibi Parisios proficiscenti adiungi voluit. Eam in me subsecutus benignitatem est inclytus PRINCEPS THOMAS, qui Marte inprimis clarus, haud ingratam sibi accidere Palladem nostram sæpè sæpiùs, sed tum maximè declaravit, cùm lucubrationes meas vt prælo subiicerem est adhortatus, suam mihi beneficentiam pollicitus non defuturam. Ex quibus facilè intelligis, SERENISS. PRINCEPS, quàm magnis rationibus adducar vt mea Tibi addicam Opera, cui etiam Societas nostra est addictissima. Ibunt illa, citra metum invidiæ, in omnium nationum manus, eius Principis inscripta maiestati, quem tota latè suspicit Europa, & Europæ politissima Gallia; quæ non ita pridem, cum præclara quæ de Te audierat, nihil haberet optatius, quàm vt videret; se maiora tamen vidisse fassa est, quàm audisse; & vbi concitatam famâ summam de Te expectationem, adventu longè superari perspexit, ei se Principi eam dedisse Matrem, maximo maximam gavisa est. Studio nihilo tamen

minùs

minùs in Te, SERENISS. PRINCEPS, quanto quanto tenear; haud minore ad id obſervantiæ officio devincior, A. T. ſubditus, Tuam ad Nicæam natus, in Vrbe Ceſpitello, ex qua eundem ac Maiores mei, in Te animum hauſi, eundem pariter & cultum & amorem. Quem non aliàs opportuniùs Tibi ſignificare potui, quàm ſub tempus fœliciſſimi matrimonij ſubditorum felicitati mox conſulturi: nec aliàs commodiùs vota, Tuæ felicitatis causâ nuncupare, quàm in publicis populorum acclamationibus ardentiſſimè id expetentium, vt quàm primùm Maioribus Tuis, ſuſcepto filio, non æqualem Te modo præſtes, ſed maiorem: quibus eò duntaxat minor videri hactenus potuiſti, quòd nullum VICTORIS-AMEDEI, ac CAROLI-EMANVELIS hæredem Heroïbus illis haud abſimilem repræſentaveris. Quibus votis vt damnentur ſubditi, votis expetit omnibus, & cumulatiorem Tibi in dies virtutis ac gloriæ ſegetem comprecatur

S. R. A. T.

Servus Humillimus ac Deditiſſimus ſubditus
THEOPHILVS RAYNAVDVS
è Societate IESV.

IVDICIVM AVTHORVM aliquot haud ignobilium, de THEOPHILO RAYNAVDO.

NON poterit Scriptoris cuius lucubrationes damus doctrina ingeniumque innotescere clariùs, quàm ex iis quæ de ipso Viri huius æui grauissimi pronunciarunt. Ex omnino multis, paucos repræsento.

PETRVS A S. IOSEPH Fulensis, cuius singularem scientiam ac crystallinam in scribendo pelluciditatem omnes merito suspiciunt, in Opere, cui titulus est, *Defensio S. Thomæ aduersus recentiores qui prædeterminationem ei falsò affingunt* (prodiit Lugduni apud Vincentium de Cœursillys 1633.) sic scribit de Theophilo, disput. 2. pag. 397. aliò ablegans discussionem Nouæ Libertatis Gibieufianæ. [Circa hoc non hæreo, cum id abundè & efficaciter præstiterit Theophilus Raynaudus, Theologus doctissimus è Societate IESV, cuius propè stupendam tùm in humanis, tùm in diuinis eruditionem non pauca nec mole exigua varij generis opera hactenùs in lucem edita, cumulatissimè testantur.]

PETRVS SAVLNERIVS Ordinis S. Spiritus, in dissertatione de capite sui Ordinis p. 1. cap. 7. §. 6. pag. 64. agens de S. Ioanne Benedicto. [In eius vita quam diligenter inuestigauit, & varia quâ supra modum abundat eruditione, ad criticam lancem expendit, discussit, illustrauit R.P. Theophilus Raynaudus de Societate IESV, &c.]

ANDREAS DE SAVSSAY Episcopus Tullensis, in Apparatu ad Martyrologium Gallicanum cap. 20. [Aureo Indiculo Lugdunensium Sanctorum memoriam feliciter abstersit à puluere, obliuionisque è specu eruit Theophilus Raynaudus Societatis IESV præstantissimus Theologus, quem eo nitore Eloquij & solertis indaginis peritiâ ac consummatæ eruditionis qua plenus est copia, non illius vnicæ Diœcæsis sed vniuersæ Galliæ Sanctos optarim illustrasse, elogiisque quibus Lugdunenses suos decorauit perornasse. Sane, vt multo nos sud ore exemisset, sic tutelarium Galliæ decora longè elegantiori penicillo expressisset, & Galliæ, ipso splendore opificij, longè ampliora reddidisset auitæ gloriæ insignia. Gemmas sanè illas innumerabiles quas non segni manu collegimus, ac rudi opere stanneis vel cupreis veluti laminis indidimus, eleganti sanè quo pollet artificio, aureis vti coronis elegantissimè inseruisset. At tractatibus Theologicis, insignis ille Scriptor sublimem mentem apposuit.]

Idem in Panoplia Clericali pag. 496. Exciderat hîc ferè mihi Ioannis ab

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII

originis loco cognominati Ioannis de Gerſon, illuſtre nomen, non eius recordationis deſpectu,ſed propriæ meæ memoriæ lapſu,ſiquidem in huius ſæculi limine,hoc Eccleſiæ præcipuum ſua ætate ſydus collocandum fuerat; cuius ſole fulgentiora ſcripta vt non recenſione noua,ſic nec commendatione noſtra opus habent. Inuenit tantus vir in Theophilo Raynaudo, Societatis Ieſu Theologo perilluſtre,dignum ſui laudatorem; felix vel hoc nomine, cui laudari contigit, à viro tot nominibus laudabili, totque eruditorum,ac piorum virorum oribus, calamiſque laudatiſſimo,ſed neutiquam indigo illorum præconiis, quæ meritorum gloria in exaratis à ſe eximiæ doctrinæ monimentis plurimùm ſuperauit.]

Illuſtriſſ. D. IOSEPH. MARIA Suareſius Ep. Vaſion. vocat eum virum inexhauſtæ lectionis,alium Calchenterum, ob laborem ſtudiorum.

NICOLAVS LANCICIVS Opuſc. 4. quod eſt de Paſſione Domini cap.28. [Ita P.Theophilus, in nunquam ſatis laudato opere de Virtutibus & Vitiis.] & ibid.cap.12. [Theophilus Raynaudus inſignis author in omnibus quos ab eo editos video libris.]

IOANNES RHO in depulſione ineptiarum Conſtantini Caietani pag. 34. vocat Theophilum [Teſtem clariſſimum, cuius omni exceptione maius ſit teſtimonium, quòd & incredibili quadam eruditione celebre ſæculo nomen ſit, & in Societate ab adoleſcentia in diem hanc,clariſſimâ ſemper fama verſatus.]

IOANNES GRILLOTIVS Lib. cui titulus, eſt *Lugdunum lue affectum* cap. 10. agens de Martyribus charitatis [eos egregiè laudibus exornauit, & perennibus ſcriptorum ſuorum monumentis perſecutus eſt R. P. Theophilus Raynaudus. Itaque ſyncerum parietem non incruſtabo;cum pro ea qua plurimùm valet,vigétque robuſta eloquentia, omnibus abſoluta ſuis numeris præconia poſuerit.]

ILLEFONSVS DE FLORES. In præfatione operis de Inclyto martyrij agone. [Theophilus Raynaudus ſpectatæ eruditionis author, in ſuo aureo gemmeóque libello de martyrio, & num. 44. [Theophilus Raynaudus vir omnigenæ eruditionis,in libello aureo de Martyrio] quæ repetit num. 1267. & ſæpè eodem volumine, quo paſſim librum Theophili prædictum denominat, *Librum planè aureum & gemmeum.*

BONIFACIVS CONSTANTINVS. In Euchariſtia coronata, tract. 3. cap. 1. [Theophilus Raynaudus ſcripſit de affectibus methodo exquiſita cum vbertate florum (vt ſic dicam cum Baſilio Seleuciæ) luminoſorum ſolidæ doctrinæ, & obſeruationibus decerptis ex antiquis authoribus;adeò aptè ad negotium quod verſat facientibus,vt videantur ad illud inoculandum factæ. Lubens volens profiteor me eius laboribus obnoxium, quippe qui ex eis inſigniter profecerim.

PETRVS MIRAILLETVS in diſſertatione Polemica, ſubiuncta *Amœnitatibus ſacris pag.* 248. adeò ſplendidè exornat Theophilum vt nihil addi poſſit. Vocat facem excellentium ingeniorum,gloriam Oratorum,Muſarum delicias, anchoram inter ſonoras tempeſtates, factum ad monſtra quæque in Eccleſiam inſurgentia potenti ſtylo debellanda *ſcriptorem æternaturum*, legeſis apud eum cœtera.

PETRVS IOFFREDVS in opere cui titulus eſt *Nicæa Ciuitas*, in proemio cap. 18. [Theophilus Raynaudus ex Societate IESV, teſte de cuius omnimoda eruditione plura dicenda ſuppeterent, niſi maximo numero

edita

edita doctissima volumina, edendaque ipsius nomen, iamdiu venturis sæculi immortalitate donassent.] Sæpè sæpiùs reliquo Opere eiusdem meminit cum elogio.

IOANNES BONA Abbas generalis Ordinis Sancti Bernardi, in notitia authorum præfixa operi *de Harmoniâ psallentis Ecclesiæ* [Theophilus Raynaudus omni doctrina & eruditione refertus, multitudine librorum quos scripsit omnibus notus.]

PETRVS COVRSIER in opere cui titulus est *Maria negotium omnium sæculorum* anno 1639. [Theophilus Raynaudus vir præstanti ingenio, acri iudicio, promptâ facundiâ, & omni scientiarum genere excellens.]

GABRIEL DE ENHAO disputatione 13. de Eucharistia sect. 3. num. 57. cùm retulisset inconstantes laudes Theophili per Thomam Hurtadum buccaferreum ait. [Grauiter lædit absolutissimum Theologum Raynaudum, cuius quotquot hactenus prodierunt in lucem Opera (& sunt quidem complura) imò quot paginæ in eis continentur, tot testimonia & monumenta habent summæ diligentiæ adhibitæ legendis S. Theologiæ Doctoribus, & fœliciſſimi magnique cuiusdam captûs in eis intelligendis. Vnum *Theologiæ Naturalis* Opus, vel de *Disciplina Morali*, vel de *Virtutibus & vitiis* sufficeret (me iudice) vt Raynaudus scriberetur in albo Theologorum, qui nostra ætate præcelluerunt ingenij acumine, iudicij maturitate, antiquitatis sacræ & profanæ notitiâ. Taceo de aliis eius lucubrationibus, quæ omnium teruntur manibus, eximia cum Authoris commendatione.]

IOANNES ANTONIVS VELASQVES lib. 1. de Conceptione disser. 1. annot. 1. [Oportet ponere quod de homine peccato originali obnoxio dicunt nobiles Autores, signatè verò Pater Theophilus Raynaudus, quem ego sapientiæ compendium appellare soleo. Rursus ibidem lib. 4. disser. 9. annot. 3. num. 8. [Theophilus Raynaudus præstantissimus Theologus omni scientiarum genere excellens, & nitore eloquij ac consummatæ eruditionis plenus, in aureo & numquam satis laudato *Nomenclatore Mariano.*]

BERNARDVS STVBROCHIVS in notas *Vuilelmi Vuendrochij* notâ 1. ad Epistolam 9. cùm retulisset quamdam Theophili sugillationem per illum mendaciloquum atque effrontem nugonem, subdit [Dum Theophilum carpis, leonem dormientem excitas. Nihil vobis hactenus formidabilius fuit, quàm ne hic Autor omni literaturæ genere præditus, in Theologicis acutus, profundus, solidus, in doctrina Patrum versatissimus, vtraque eruditione sacra & profana ad stuporem instructissimus, vno verbo, qui maiore facilitate libros scribat, quàm alter exscribat; ne hic, inquam, stylum aduersum vos exereret. Egregiè præluserat contra Gibium Iansenij prodromum; fœliciter cœperat contra errorem de duplici Capite: exin aliis, vt sors tulit, dissertationibus omnino distractus, vobis pepercit; sed nondum receptui cecinit; sat citò, si sat benè. Tibi saltem imputa, si fortè aliquando illius manu vapules; ne dubita, probè tibi furfures excutiet, ac te solida strigili defricabit.] Non pepercit sanè Iansenistis Theophilus. Testes aliæ lucubrationes eius, vt ΑΥΤΟΣΕΦΑ, *Theologica Paulina inedita*, & *Arnaldus Virbius*, quem librum sub pluteo delitescere, voluntas meticulosioris hominis tulit.



IVDICIVM

IOANNES COLVMBI in nuncupatione tomi 1. in Scripturam ad Archiepiscopos & Episcopos Gallicanæ Ecclesiæ. [Theophilus Raynaudus non minor Antiquis Theologis, & recentioribus scriptorum multitudine librorum ac eruditionis vbertate superior, charissimum mihi caput, meum animum penitus inflexit, vna cum *Honorato Fabry*, ingenij vi doctrinæque copiâ inclyto.

HIPPOLYTVS MARACCIVS in Bibliotheca Mariana, [Theophilus Raynaudus, Vir (Philippi Alegambe in sua Bibliotheca elogio) præstanti ingenio, acri iudicio, promptâ facundiâ, & in omni scientiarum genere excellens; quem Andreas Saussayus, præstantissimum Theologum, nitore eloquij & consummatæ eruditionis copiâ plenum non inaniter appellauit, inter multa & præclara opera edidit, *&c.* Viuit Reipublicæ litterariæ admodum vtilis.

AVBERTVS MIRÆVS eadem ferè de Theophilo Raynaudo habet cap. 233. lib. de Scriptoribus sæculi nostri.

IACOBVS LOBETIVS lib. 1. de Christ. Fortit. cap. 2. §. 6. agens de Martyrio Charitatis, sic habet [Hoc argumentum, vt alia pleraque, doctè, fusè, piè tractauit Theophilus Raynaudus Societatis nostræ Theologus, Vir variæ eruditionis.]

IOSEPHVS GIBALINVS in Tractatione de vsura l. 6. c. 6. sect. 3. præfatus se consuluisse tunc Romæ agentem Theophilum Raynaudum, & per eum Romanos Theologos de iustitia triplicis contractûs, cuius est vsus in emporio Lugdunensi, ab improuidis Concionatoribus fœdè lacerati tanquam vsura sordentis, ait de eo. [Ad R. P. Theophilum Raynaudum, cuius insignem eruditionem vulgati supra Septuaginta Tractatus de variis implicatis & non vulgaribus materiis, celebrem toti orbi reddidere, Romæ tunc agentem scripsi; rogauique vt Romanorum Theologorum sensum hac in causa exploraret, num à veterum, quorum consultationes Valentia retulerat, mente, discederent; suamque ipsemet sententiam quæ mihi instar omnium futura foret, explicaret; & numquid in immensa illa & stupenda autorum omnium cuiusque generis, quam in eo eruditi omnes demirantur, lectione quicquam ipsi occurrisset, quod aduersariis fauere posset, *&c.* Præstitit pro sua humanitate quod rogabatur amantissimus Pater. Placet verò eruditam tanti Viri Epistolam qua & suam mentem aperit, & paucis, quæ nos fusiùs digessimus, nostram, communémque sententiam demonstrat, pluribus testimoniis, rationibus, atque varia eruditione suo more addensatis, hoc loco describere, vt hac saltem parte, nostram inopiam tam diuite Thesauro locupletemus.] Laudat eundem infinitis locis, nunquam sine elogio.

CHRISTOPHORVS PLANCHETTE author Auctarij ad Chronologiam Iacobi Gaulterij, sæculo 17. in serie Scriptorum illustrium [Theophilus Raynaudus scripsit quantum satis ad complendam modicam Bibliothecam, eius libri sunt eruditione referti.]

FRATER MATTHÆVS A S. IOANNE, Ord. Carmelitarum, lib. de Scapulari cap. 5. [Theophilus Raynaudus, author clarus & illustris operum multitudine copiosa, qui & soliditate & diuersitate doctrinæ in tot eius scriptis micante, inter huius æui Doctiores & illustriores scriptores est annumerandus. Eum ordo noster benè de se meritum perpetuò profitebitur: quòd solius studio pietatis ac veritatis adductus, in eam curam incubuerit.

D. PE

AVTHORVM.

D. PETRVS TONDVTVS A S. LODEGARIO, vulgò S. LEGER, tract. de Præuentione iudiciali, parte 2. cap. 40. num. 27. [Quæcunque autem de Citatione diximus, eodem modo procedunt in Monitorio. (Non loquor de illo Monitorio quod iudex Ecclesiasticus concedit ad obtinendam depositionem contra testes, aut alios, pro rebus occultis; de cuius materia eruditissimum nuper Tractatum ediditadmodum R. P. Theophilus Raynaudus Societatis IESV Theologus, Vir multiscius & irreprehensibilis vitæ, amicus meus singularis,) sed de eo per quod iudex monet reum vt aliquid soluat, faciat, vel à faciendo desistat, de quo Mandos &c.]

IOANNES BAPTISTA GVESNAYVS in Annalibus Massiliensibus ad annum Christi 21. [Theophilus Raynaudus Scriptorum gemma, in pererudita (vt solet) lucubratione de B. Ambrosij natali in Gallia solo, diserte, copioseque hoc dicit.] Et parte altera Auctarij historici scholio 9. [Theophilus Raynaudus Reipublicæ literariæ singulare decus & ornamentum, Princeps eruditionis, Vir vniuersè non domesticis tantum sed etiam externis à quibus passim inuisitur, aut per literas consulitur, & ob virtutem, & ob eximiam litterarum peritiam omnibus notus, ac in pretio habitus. Omne disciplinarum genus diligentissimè excoluit. Ad Philosophicas ac Theologicas disciplinas, quas per plures annos Lugduni, Auenione, Romæ professus est, eâ doctrinæ fama, vt nullus omnium crederetur esse qui eum exæquaret, raram liberalium artium & historiæ tam Ecclesiasticæ quàm Prophanæ cognitionem adiunxit. Est enim illi par ingenium, iudicium peracutum ac prudens, memoria ad admirationem: vt in argumentis excogitandis siue de nouo cudendis, aut expoliendis & exornandis, ad omnem rem, de qua vel etiam ex tempore loquitur, semper aptas sententias, semper concinnas, atque cum illo natas habere videatur. Innocentius X. conspectu priùs habito totac tantorum numero librorum quos iam ediderat, præsentem aliquando, scientiæ nomine, cohonestauit Elogio laudis plenissimo. Miraculo autem proximum est, cum alios scriptores in pangendis suis Sophoclæis, tanquam in pingenda, fingendáve sensim ac pedetentim imagine, moram aliquam temporis ac studiorum sustentationem habere, tardéque progredi necesse sit: ipsum vna breuique velut ingenij parturitione, fœtus miræ pulchritudinis numerosamque Voluminum sobolem dare hactenus potuisse in publicum.] &c. quæ de eius decoribus latè ibidem proferuntur.

IOANNES FERRANDVS lib. 1. Disp. Reliq. cap. 12. §. 1. [Theophilus Raynaudus plurimæ lectionis ac reconditæ litteraturæ vir.] Similia sæpè iterat reliquo opere.

PHILIPPVS ALEGAMBE in Bibliotheca Societatis IESV. [Theophilus Raynaudus Vir præstanti ingenio, acri iudicio, prompta facundia, & omni scientiarum genere excellens. Andreas Saussayus cap. 20. apparatus ad Martyrologium Gallicanum, eum vocat præstantissimum Theologum, nitore eloquij, & consummatæ eruditionis copia plenum.] Nondum huic authori Opera omnia Theophili innotuerant.

IOANNES BALSETVS in defensione Missæ, lib. 2. cap. 11. sic habet [R. P. Theophilus Raynaudus vnus è maioribus, & doctioribus Theologis, qui nunc in Ecclesia fulgent laude sapientiæ. &c.

DANIEL A VIRGINE MARIA in Dissertatione Apologetica de Reuelatione facta S. Petro Thomasio [Theophilus Raynaudus Author, si quis



alius, terſus, eruditus, nec minùs varius, atque elegantiarum huius ævi flos, Ordinem Carmeliticum totum ſic ſibi obſtrinxit, vt in Capitulo Generali, anno 1654. Romæ celebrato, ſingulariter omnibus Prouincialibus, cæteriſque Patribus Ordinis fuerit commendatus, & ad ſpecialem, participationem bonorum ſpiritualium totius Ordinis ſolemni illo confeſſu receptus. Inſignis enim eius ingenij amœnitas defenſionem & illuſtrationem ſacri Partheno-Carmelitici Scapularis magnoperè redundauit.]

ILLVSTRISSIMVS FRANCISCVS AVGVSTINVS DELLA CHIESA, Epiſcopus Salutienſis, in Catalogo ſcriptorum Nicienſium. [Theophilus Raynaudus Ceſpitellenſis, Ieſuita ſummus Theologus edidit Lugduni Opera Sancti Leonis Papæ, Sancti Maximi Epiſcopi Taurinenſis, Valeriani Epiſcopi Cemelienſis, & Amedei Lauſanenſis cum variis eruditis annotationibus, pluráque opera in lucem edidit.] *Tum eorum texit Catalogum.*

P. ANTONIVS DE MACEDO Soc. IESV, Pœnitentiarius Apoſtolicus in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe. In Vita S. Damaſi. [Theophilus Raynaudus, nobilis hac ætate Societatis noſtræ ſcriptor.]

D. PETRVS DE MARCA Archiepiſcopus Pariſienſis. In Tractatu de Primatu Lugdunenſi &c. Primatibus agens de Martyrio S. Irenæi. [Qua de re luculenter ſcripſit vir eruditus Theophilus Raynaudus in Indiculo Martyrum Lugdunenſium.]

P. PHILIPPVS DE MARINIS Libro cui Titulus *Metodo della Dottrina che i P. P. della Compagnia di Giesù inſegnano nelle Miſſioni della Cina*, agens contra Thom. Hurtado, & Ioann. Sinnich. [Chi diſidera più, legga l'Eruditiſſimo Apologetico del noſtro Padre Teofilo Raynaudo, il quale ſpinto da vn ſanto zelo di difendere l'innocenza della vita, e ſantità della Dottrina de noſtri Padri Miſſionanti, da tanti auuerſarij combatuta, pigliò per ſpada la penna, e con le parole che ſcriſſe di eterna verità, la ſoſtenne in piedi come la trouò, a confuſione di chi la credeua vinta i caduta à terra.

DIANA Tractatu de Conſecratione Epiſcoporum pag. 80. reſolut. 72. Sed quam ſit illicita multiplicatio beneficiorum in eadem perſona cognoſcat LECTOR, ex amiciſſimo, & nunquam ſatis laudato Patre Theophilo Raynaudo in ſua eruditiſſima lucubratione de bonis Eccleſiæ, malè, ſiue captatis, ſiue diſpenſatis l. 2. ſ. 2. c. 7. per totum: vbi doctè, vt ſemper ſolet, firmat multiplicationem beneficiorum quorumnam in eadem perſona, &c.

In eiuſdem Epitome concinnata ab ANTONIO COTTONIO, aliàs AVSONIO NOCTINOCTIO, verbo *Beneficium*, ſic habetur [nominatim in Theologos noſtri ſæculi lumen R. P. Theophilus Raynaudus.]

IOANNES BAPTISTA DE LEZANA, iteratis vicibus, ſic eum laudat. [Præ cæteris autem R. P. Theophilus Raynaudus, adeò inſignis Autor, vt eruditione & doctrina vix parem hoc ſæculum nouerit, integro Opere, cui titulus eſt, SCAPVLARE STOCHIANVM, enucleatè & luculenter corroborat (nempe S. Scapulare à Beatiſſ. VIRG. MARIA traditum S. Simoni, eiuſque Priuilegia) & calamo, vt ſolet, politiſſimo, nouum hunc ſcriptorem (Ioannem Launoyum) redarguit. Ita tom. 4. Annal. ad annum Chriſti 1251. num. 12. & num. 21. atque ad annum 1322. num. 13. & 14. & alibi.

CLAVDIVS CLEMENS libro 2. Muſæi cap. 12 [Ethicam Philoſophiam, diligentiſſimè (vt ſolet) ornauit luculentis duobus Tomis Magiſter in Theo-

logia

logia meus *P. Theoph. Raynaudus*, cuius commentarij, si vel soli sint in hoc armario, abundè refertum erit & instructum; eruntque tibi paratissimum promptuarium, vbi miro iudicio digesta reperies quæcunque vel sacri vel profani Scriptores intra cognationis naturalis limites, de virtut. & vit. subtiliùs & sententiosiùs disputarunt, *P. I. de Pineda* maximi iudicij virum, atque Scriptorem hac ætate insignem, vtrumque illum *Raynaudi* Tomum audiui laudare magnificis verbis; ac nominatim de secundo qui est de Virtutibus & Vitiis, ob eximiam eruditionem qua refertus est, dicere, esse *pulmentum orizæ, puluisculis ex saccharo, & cinnamomo perspersum.*]

R. P. LEO CARMEL. RHEDON. in Epist. select. Epistolam ad ipsum Theophilum sic claudit. [Siue *naturalem Theologiam* apparas, siue *Morum Disciplinam* exornas, siue eiusmodi tractatus plures elucubras; id facis semper κατὰ τὸ καὶ πρέπον σεμνότατον, vt omnia nimirum digna sint Deo quem colimus, Religione quam profitemur, Pietate demum cui omnis eruditio debet ancillari. Hoc vt orbi præstes diù, etiam atque etiam oro. *Vale.* Lutet. 1648.]

IOAN. BOLLANDVS, ET GODEFRID. HENSCHENIVS in Actis SS. quo vix maius opus habitura est Ecclesia. [*Theophilus Raynaudus* Indiculo SS. Lugd. inserüit; sed stylo passim comptiore, nonnullisque, ex SS. PP. adjunctis, quibus Acta illustrat, & lectorem sacris monitis instituit.] Vide etiam quid de illo passim, tomis aliis, quæ non vidimus, inserüerint. Nec omittendus *Honorat. Niquet.* cuius *liber. Marian.* nusquam laude Theophili vacat.

ANTON. DE LA POTERIE, PETRO GASSENDO à Commentariis Accurator Editionis Hagiologij Lugdunensis, in Præfatione. [Debes plurimum Typographiæ nostræ, BENIGNE LECTOR, quòd viri summi *Theophili Raynaudi* Opera, literatorum votis hactenus expetita, vt ab interitu vindicaret, in vnum corpus colligendi, vulgandique consilium, & curam suscepit. Non est, quòd Autorem orbe toto Πολυθρύλλιτον, ante supremam diem tibi pluribus commendem, quem *Innocentius Decimus*, multis audientibus pronunciauit, peculiari numinis instinctu, ad scribendum appulisse animum, *Alexander* verò *Septimus* sibi à studiis allegere aliquando voluisse professus est. Eruditionis certè non vulgaris aut protritæ, sed reconditioris vim infinitam miraberis in homine, qui in Musis seuerioribus totus fuit; Doctrinæ soliditatem vbique spectabis, & constantem, erga fauentes Religioni, & receptas à sapientioribus opiniones propensionem. Aduersarios nullos expertus est, nisi quorum sensus abhorruit à Pietate, aut ab iis placitis, quæ Societati, cui nomen admodum adolescens dedit, probantur maximè. Sacras Religiosorum familias ita scriptis suis demeruit, vt à Cassinensibus, Cistercienſibus, Cartusianis, Antonianis, Carmelitis vtrisque Fontebraldensibus, Franciscanis, Minimis, P. P. Doctrinæ Christianæ, literas elogiorum & amoris plenas acceperit, in pignus ac monumentum grati animi, quibus in partem bonorum operum Ordinis totius veniret. Habent etiam quô illum ament. PP. *Prædicatores*, de iis quæ passim ad cœtus illius gloriam, pro *SS. Dominico, Thoma Aquinate, Catharina Senensi Virgine*, &c. sincero erga cœlites illos studio & affectu deduxit. Opusculorum magnam partem, tametsi Πολυμαθίας παντοδαπῆς γέμοντα, è re nata ac ferè ex tempore profudit. Quoties quæsitis per Epistolam, responsi loco librum reposuit? Sanè *Tractatum de Monitoriis Ecclesiasticis*, elicuit αὐτοσχεδίως *Francisci de Ponat*, sapientissimi in Gratianopolitano Senatu Patris conscripti, mota de istiusmodi argumento, quod tum in curia agitabatur, dubitatio. Fuit

cùm



RAYNAUDI

Tomus I. De Christo et Tomus II. De Attributis Christi

X VII

3

cùm aliquando nonneminem, Sacerdotis neſcio cuius, inter Faciendum, breuitatem minùs probantem, exciperet alius litis longitudinem, moráſque aduocatorum incuſans. Atqui ego, inquit, *longitudinis & breuitatis* commoda in rebus, ſic inter ſe contendere inſtituam, vt æſtimare liceat, vtra ſit iuſtior querelarum an laudis materies: ita, breui *De Breuitate* Librum emiſit. *Clementis Scoti*, qui in Societatem IESV ſuam olim parentem, ſtylum acuerat, monitus à Patre Generali, nam Romæ per id tempus habebat, vt hominis petulantiam caſtigaret; ante abſolutam hebdomadam, iuſto ac vehementi ſcripto, ita rationibus autoritatibúſque fregit ac retudit, vt mirari ſatis non poſſet Vincentius Caraffa confectum ac deſcriptum opus, cui per ſumma capita digerendo vix ſpatium fuiſſet; atque ex eo tempore ceſſauit nunquam, tanti nominis ac virtutum Præpoſitus, vbique ſe Theophili Doctrinæ præconem, ingenui candoris amantem profiteri. Fermè par aliis operibus ſcribendi occaſio fuit. Quare quòd Argumento aliquo illuſtri ac maioris, vt aiunt, abollæ, non quæſito, obſcura quædam ac minutiora ſectatus aliquando ſit, non eſt quòd iure quis ſuccenſeat, quando in tenui efflorescit tenuis non gloria; (quamquam *Moralis Diſciplina, Chriſtus, & eius Attributa, aut Heteroclitorum Volumen geminum*, ἐξαμερὲς annumeranda nemo putet;) quæ verò in vniuerſam Philoſophiam, ac Theologiam non ieiunè, ſed cum amæna eruditione commentatus erat, adduci nunquam potuit vt euulgaret, quòd cramben recoctam ſaperet materies tot ſcriptorum ſtylo vexata.

In Præfatione tertiæ Editionis Heptadis Patrum cùm notis Theophili Raynaudi, hæc habentur. [Cæterùm ne te fugiat cui acceptum referre debeas inſigne hocce beneficium. Collegerat eam primùm ante annos fermè triginta, atque etiam apologiis ac notis poſtmodum illuſtrauerat R. P. THEOPHILVS RAYNAVDVS vir ſanè publicæ felicitati natus. Quantus Theologus! quam rerum omnium ac librorum cognitione præclarus! quot doctiſſimorum operum parens, quæ ſi corpus in vnum (quod commune eſt eruditorum omnium votum) redacta prodeant in lucem, plurium maioris formæ voluminum molem facilè ſint ſuperatura. Quoniam verò haud promptum eſt definire quid in tanto Viro potiſſimum emineat, an candor animi cum ſingulari morum ſuauitate coniunctus, an inaudita prodigióque ſimilis doctrina, quæ fuit eius ſingularis in me humanitas, cùm inaudiiſſet typis noſtris recudendum quod modò abſoluimus Patrum volumen, vltrò ea quæ operi noſtro deerant ſuo labore ſuffecit: ſpoponderatque de iis quæ huic editioni acceſſerunt, Lectorem in huius libri veſtibulo certiorem facturum. Atenim cum adhuc ſudante prælo vix Româ reducem eò reuocarint grauiſſima totius Societatis ſuæ negotia; quod ille præſtiturus erat luculentius, pro meo modulo hîc te monitum volui.]

Etiam ab hoſte fas eſſe ſubſidium petere firmandæ veritati, admonuit ſapienter Nouatius. Itaque non refugiam apponere teſtimonium hominis Hæretici, cui nomen Chappuzoto. Is vernacula ſcriptione, quam inſcripſit *Lyon en ſon Luſtre* p 2. c. 1. §. 5. ſic loquitur; quod, ne quid immutaſſe videar, vernaculè exhibeo. [*Le plus fameux Ecriuain de la docte Societé, le R. P. Theophile Raynaud, qui a diſcouru dans ſes Liures depuis le Cedre, iuſqu'à l'Hyſſope, & ſemble auoir herité de ce premier genie de Salomon, à qui rien n'eſtoit caché de ce qui peut tomber ſous le ſens humain, & dont les œuures, ſoit de Sçauoir, ſoit de Pieté, ſont & ſi nombreuſes & ſi*

fidiuiſes, qu'il s'en pourroit faire vne Bibliotheque raiſonnable, & tres-aſſortie.] Hactenus ille; de quo dixerit quiſpiam quod de Porphyrio verum ſemel prolocuto Theodoretus lib. 3. contra Græcos. *De comedente exiuit cibus.*

LE SIEVR PIERRE LOVVET de Beauuais Docteur en Medecine, dans ſon *Hiſtoire de Montpelier.* [C'eſt-ce que dit de S. Roch le R. P. THEOPHILE RAYNAVD de la Compagnie de IESVS, à qui la Theologie doit beaucoup, par les Tomes de IESVS-CHRIST, *& de ſes Attributs*, qui s'impriment à preſent: la Philoſophie à raiſon des Volumes *de la Morale, des Vertus, & de la Theologie Naturelle*: la Philologie par les lumieres qu'il donne à l'Antiquité, dans preſque tous ſes Eſcrits: Mais ſur tout, la partie de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique qui traitte des Saints. Il faut aduouër que ie n'ay pû aſſez admirer la ſolidité de cét Eſprit, dont l'Erudition eſt ſi vaſte, qu'ayant, ce ſemble, conſommé ſon aage dans les Sciences Speculatiues, il a fait paroître vn genie ſingulier pour débroüiller les difficultés Chronologiques & Hiſtoriques, dans les deux Volumes des Saints, dont l'vn eſt intitulé *Hagiologium Lugdunenſe*, & l'autre *Hagiologium Exoticum.* Ie tiens à vne faueur ſinguliere d'auoir eſté honoré de ſon amitié, & d'auoir eu ſoin de l'Edition d'vn de ſes Tomes, durant mon ſéjour à Lyon.

Meſſire CLAVDE LE LABOVREVR ancien Preuôt de l'Iſle Barbe, en ſon *Recueil Hiſtorique des choſes plus memorables de l'Iſle Barbe.* [Ie tiens cette Epiſtre du R. P. Theophile Ieſuiſte, qui eſt mort plein d'ans & de merites, le dernier d'Octobre 1663.]

Hæc Elogia à Viris toto orbe celeberrimis Theophilo tributa, eò maioris ſunt authoritatis, quò ipſo adhuc viuente, ac neſciente conſcripta ſunt, paſſimque extant in Libris editis à variis Authoribus, quibus vna Theophili merita laudes illas expreſſerunt, haud ſcio an maiores quam quæ vlli vnquam Scriptori datæ ſint. Literas Eruditorum ad ipſum, ac Teſtimonia manuſcripta, quæ probant quanto in pretio fuerit apud Societatis IESV *Sapientiſſimos homines, & Magnates externos, conſultò omiſimus, ne in immenſum hæc Prolegomena excreſcerent.*

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3

IN EFFIGIEM R. P. THEOPHILI RAYNAVDI Soc. Iesv Theologi, multorum Voluminum Scriptoris.

EPIGRAMMATA

Extemporanea intra duas horas fusa à quibusdam Societatis Iesv Patribus Collegij Lugdunensis.

PRoh quantum decus oris, & verendæ
Frontis Gloria, nobilésque rugæ,
Et spirant animos senecta grandes
Toto pingitur erudita vultu!
Nunquam de tabula manum reduces
Senex impiger & laborioſe?
Tandem desine. Cerne qualis extat
Mentis Effigies tuæ. Quid vltrà
Tendis? Nullius est imago, tanto
Ducta tempore, totque linearum.

CLAVDIVS FRANCISCVS MENESTRIER.

In eandem, fronti Librorum præfixam.

O Dignum caput orbis eruditi,
Et centum caput artifex librorum,
Sedes hospite glorioſa tanto,
Vertex, delicia nouem Sororum,
Reginaque Palatium *Minerua,*
Quamuis ambitioſiùs vidêris
Grandi plurima fronte *polliceri;*
Plus condis tamen intùs, in recessu.

CLAVDIVS FRANCISCVS MENESTRIER, & IOANNES BERTET.

THEOPHILO RAYNAVDO Scriptori indefesso.

RAynaudi senium, quæ scripserat antè, fatentur;
Sed modò quæ scribit, consenuisse negant.

AD

Ad R. P. THEOPHILVM RAYNAVDVM Polygraphum & Macrobium.

PLura bis octonis numerare volumina lustris,
Cui licet, extremam cur vereare diem?
Fata tibi longùm sedenim vixisse dederunt,
Scripta dabunt nullo tempore posse mori.

Senis studio consumpti Imago.

SCriptoris tanti tam nullum existere corpus
Miraris! molem non habet; ingenium est.

IOANNES BERTET.

In eandem AD LECTOREM.

CVr ille prodit vultus in lucem, petis?
Vt iure dici nemini inuisus *queat.*

In eandem AD PICTOREM.

QVid frustra ingentes moliris reddere vultus?
An capiet tantum tantula charta virum?
Munus in hoc melior, telam dabit vna capacem
Posteritas, magnum quæ sibi poscit opus:
Vt cui pingebat, dum scriberet ille, vicissim
Dum scribet, tanto pingat & illa Viro.

In eandem AD AVCTOREM.

QVis tua descripsit Pictor temerarius ora?
Te, præter te vnum, pingere nemo potest.

In eandem Effigiem in Ære ductam, ad eundem.

TOt libri locuples, alieno viuis in Ære,
Hocque tibi gaudet credere *quisque magis.*
Nempe tuis, hoc Ære grauis, noua pondera dictis
Concilias, & in hoc omnibus Ære places.
Sic etenim scriptis soluentem *plurima libris*
Omnes soluentem *plura videre volunt.*
His faueas votis, dum te nostro Ære teneri
Inscriptum meritò, nomina *multa probant.*

LVDOVICVS DE CELLIERES.

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII

In eandem quòd in chartâ excusa sit.

SVperba nimiùm pagina, & vanùm tumes,
Ferre una tanti sustines vultus viri!
Quos vel modestæ tollere Sorores satis
Se posse iunctâ fronte, nec falsò negant;
Arcana sensa grandium animarum integris
Defossa sæclis, pectus hoc vastum capit;
Illæ aggeratis diuites opibus, tamen
Onus refugiunt: Te sed haud tantus suo
Scriptor fatigat pondere, & tantâ premit
Non opprimit imagine: sape, & reuoca gradũ
In limine ipso; marmor implebit vices,
Pondúsque melius æra pretiosum ferent.

IOSEPH DE S. ESTIENNE.

In idem Argumentum.

QVi sua tam multis impressit lumina chartis,
Debet ei lucis reddere charta vicem.

In eandem P. T. RAYN. Imaginem.

QVem Phocæa tulit, diues scriptoribus, ora;
Quem sapiens stupuit Roma, videre cupis?
Totus adest; viuos ori dat sculptor honores,
Ingenium scriptis exprimit ille suis.

In eandem.

RAynaudi sine voce putas hîc cernere vultus?
Erras; tot nullus dicta quot ille dabit.

LVDOVICVS BONIEL.

In eandem T. RAYNAVDI Imaginem ære inciſam.

COnsuluit seris post fata nepotibus ille
Qui tua victuro reddidit ora typo:
Quippe Libros liceat, tantùm & non cernere vultus,
Te, Raynaude, hominem nemo fuisse putet.

GASPAR IOSEPH. CHARONNIER.

Authori Celeberrimo P. T. RAYNAVDO.

APtet Fama suas aliis Scriptoribus alas:
Penna feret nomen longiùs una tuum.

In eandem Effigiem R.P. Theophili, cum suis libris adpictis.

SI quid amat fragiles dum spiritus occupat artus,
Huc migrat extincti corporis vmbra fugax.
Crediderint alij; de te nil fabula finget:
In libris viues post tua fata tuis.

HENRICVS RAYNAVD Authoris ex Fratre Nepos.

QVi stylus artifices conatur fingere vultus,
Nil agit ille: stylo pingeris ipse tuo.

CONSPE

CONSPECTVS OPERVM THEOPHILI RAYNAVDI Societatis IESV Theologi.

Partim hactenus variis formis seorsim editorum, partim ineditorum, quæ multis accessionibus locupletata, nunc in nouemdecim Tomos maiores ita digesta in lucem prodeunt.

Tomus I. DE CHRISTO.
Tomus II. DE ATTRIBVTIS CHRISTI.
Tomus III. MORALIS DISCIPLINA.
Tomus IV. DE VIRTVTIBVS ET VITIIS.
Tomus V. THEOLOGIA NATVRALIS. *in quo.* Scalæ à Visibili Creatura ad Deum.
Tomus VI. EVCHARISTICA. *in quo.* 1. Candelabrum Sanctum septiluſtre. 2. De Apparitionibus Sacramentalibus. 3. Exuviæ Panis & Vini: De veris Accidentibus, non Corpuſculis, in Euchariſtia remanentibus. 4. Sacrum Chriſtianum Acathiſtum. 5. De Prima Miſſa, & Chriſtiana Pentecoſte. 6. De Communione pro Mortuis.
Tomus VII. MARIALIA. *in quo.* 1. Dipycha Mariana. 2. Scapulare Marianum illuſtratum, & defenſum. 3. De retinendo Titulo Immaculatæ Conceptionis. 4. Nomenclator Marianus, è Titulis B. Virginis contextus, cum Gloſſario. 5. O Paraſcevaſticum ſeptiduanis Antiphonis præfixum.
Tomus VIII. HAGIOLOGIVM LVGDVNENSE. *in quo.* 1. Diſſertatio de Primatu Lugdunenſi. 2. Indiculus Sanctorum Lugdunenſium. 3. De S. Ambroſij natali ſolo. 4. S. Ioan. Benedictus Paſtor & Pontifex Auen. 5. S. Ioan. Evangeliſta. 6. Pietas Lugdunenſis erga B. Virginem Immaculatè conceptam. 7. S. Georgius Perſonalis & Symbolicus. 8. Symbola Antoniana. 9. Dictio triplex de S. Ignatio Loyola. 10. Tituli Pietatis ſpecialis erga vnum aliquem Sanctum. 11. EPIMETRA DVO, de Martyribus, & Officio Eccleſiaſtico Lugdunenſi.
Tomus IX. HAGIOLOGIVM EXOTICVM. *in quo.* 1. TRINITAS PATRIARCHARVM. S. Bruno; S. Franciſcus de Paula; S. Ignatius de Loyola. 2. TRIAS FORTIVM DAVID. B. Robertus de Arbriſſello; S. Bernardus; Ven. P. Cæſar de Bus. 3. S. Maria Ægyptiaca, cum Epimetro de SS. Pœnitentibus. 4. De S. Latrone. 5. De Iuda Proditore. 6. De Angelo Cuſtode, eique Antiſtropho Malo Genio.
Tomus X. PONTIFICIA. *in quo.* 1. Corona Aurea ſuper Mithram Romani Pontificis. 2. De Bicipiti Eccleſia, ſub SS. Petro & Paulo. 3. Agnus Cereus Pontificia Benedictione conſecratus. 4. Roſa Mediana à Pontifice Principibus dono miſſa: Ritus Sacer Dominicæ 4. Quadrageſimæ. 5. De Gladio & Pileo à Pontifice benedicto, in nocte Natalis Domini.
Tomus XI. CRITICA SACRA. *in quo.* 1. Minutalia Sacra. 2. Cogitationes Priores & Poſteriores, cum Faculis ad Raymundum Iordani, vulgò *Idiotam.* 3. Syntaxis Operum Sancti Anſelmi. 4. Valerianus Cemelienſis Epiſcopus, integer doctrinæ, labiſque purus. 5. Cenſura inofficioſæ Cenſuræ Libri de Prædeſtinatione & Gratia. 6. Confiteor Reformatum: de Paternitatis titulo Religioſis non abrogando. 7. De Iuſta & Iniuſta confixione Librorum: ſeu Erotemata de Bonis & Malis Libris. 8. Threnodia Rei Literariæ. 9. Breviarij Chriſtianæ Chronologiæ Partes Duæ, Sacra & Humana.
Tomus XII. MISCELLA SACRA. *in quo.* 1. Mala è bonis Eccleſiæ, malè

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
31

siue captatis siue dispensatis. 2. De Sobria alterius sexûs frequentatione per Sacros Homines. 3. Hoplotheca contra ictum Calumniæ.

Tomus XIII. PHILOLOGICA. *in quo* 1. De Incorruptione Cadaverum. 2. De Stigmatismo Sacro & Prophano. 3. Vitæ ac Mortis humanæ terminalia. 4. De bono Regimine S. Cœtuum. 5. Laus Brevitatis. 6. Anagnostes ad Ecclesiasticam Mensam. 7. Bibliotheca nova Homiliarum. 8. De Pileo, cæterisque Capitis tegminibus.

Tomus XIV. OPVSCVLA MORALIA. *in quo.* 1. De Honore Iudicis : An eum eximat ab obligatione retractandi. 2. Gemitus Columbæ de Iudiciis seculi : seu damnatione Inauditi. 3. De Æquivocatione, & mentali Restrictione. 4. De Ortu Infantium contra Naturam, per sectionem Cæsaream. 5. De Monitoriis Ecclesiasticis, & timore Excommunicationis. 6. De Triplici Eunuchismo : An ob Musicam exsectio puerorum licita.

Tomus XV. HETEROCLITA SPIRITVALIA, ET ANOMALA PIETATIS ; COELESTIVM, ET INFERNORVM. *in quo.* 1. Quæ circa Deum Christum, ac Sanctos eius. 2. Quæ circa vitâ functos fideles, iure, non facto Cœlites.

Tomus XVI. HETEROCLITA SPIRITVALIA, ET ANOMALA PIETATIS TERRESTRIVM. *in quo.* 1. Quæ circa Media salutis nostræ, Sacramenta, & Sacramentalia. 2. Quæ circa Verbum Dei, & Virtutes nostrates.

Tomus XVII. ASCETICA. *in quo.* 1. Iudæ Posteri, Apostatæ à Religiosis Ordinibus. 2. Religiosus Loricatus : Quatenus liceat viris Sacris Arma tractare. 3. Malevoli erga Religiosos, Maledicti : Benevoli, Benedicti. 4. De Amore nationis & cognationis temperando. 5. Pratum spirituale : De varia Christiana Historia huius ætatis, Centuria vnica. 6. De Excellentia & pretiositate voti.

Tomus XVIII. POLEMICA. *in quo.* 1. Nova Libertas Gibieufiana, discussa. 2. Non Causa vt Causa, contra Gulielmum Camerarium. 3. Clemens Scotus, Virbius, Apostata Soc. Iesv, exagitatus. 4. Arnaldus de Brixia, redivivus in Arnaldo de Lutetia. 5. Vulpes parvula capta, & corio nudata : de Sensu Composito & Diviso. 6. Missi Evangelici ad Sinas, defensi, contra Thomam Hurtado. 7. De Exsolutione à Votis Religiosis : Apologia pro S. Ignatio. 8. Ioannes Launoyus, Hercules Commodianus, repulsus. 9. De Martyrio per Pestem ; à Sacra Congregatione Indicis recudi permissus.

Tomus XIX. INDICES IN HÆC OPERA SEPTEMDECIM. I. BIBLICVS, locorum Scripturæ explicatorum. II. THEOLOGICVS, Quæstionum Scholasticarum. III. POLEMICVS, Controversiarum Fidei. IV. CASVISTICVS, Quæstionum Moralium. V. PHILOSOPHICVS, Quæstionum Philosophicarum. VI. CONCIONATORIVS, omnium amplissimus : in quo ad singula Festa, Dominicas Anni, Ferias Quadragesimæ, Octavas Corporis Christi, & Defunctorum, ac cæteras occasiones, Concionum Argumenta paulò vberiùs traduntur, & loca indicantur quæ in singulis Tomis consulenda sunt, ad Orationem illustrandam. VII. HISTORICVS, Exemplorum ad Catecheses. VIII. CATECHISTICVS, ad Doctrinam Christianam. IX. PHILOLOGICVS Antiquitatum, Rituũ, Critices, & vniversæ Polymathiæ. X. ASCETICVS Totius vitæ spiritualis, & Christianæ Perfectionis. XI. MEDICVS. XII. BIBLIOGRAPHICVS Auctorum singularium & rariorum à Theophilo adductorum. XIII. ONOMASTICVS, vocum obscuriorum & Peregrinarum. XIV. CANONICVS. XV. IVRIDICVS. XVI. ORATORIVS continens Flores Patrum. XVII. VNIVERSALIS, seu Sylva Omnium Materiarum.

TOMVM *vigesimum apparauerat Theophilus quem vocabat* APOPOMPÆVM, *contextum ex Operibus, quæ in hoc Corpus referre noluerat, aut quæ fuerant ipsi ab aliis tributa ; sed Mors Authoris inopina, Editionem interturbauit.*

OPERVM

OPERVM ALITER, QVAM IN FOLIO SEORSIM EXCVSORVM, quæ vix hodiè reperire est, Editionis locus, Tempus, & forma.

THEOLOGIA Naturalis. Lugd. apud Claudium Landry, 1622.4.
Candelabrum S. Septilustre de Eucharistia Auenione apud Ioan. Piot, 1645.4.
De Apparitionibus Sacramentalibus. Gratianopoli apud Eduard. Rabanum, 1640.4.
De prima Missa & Christ. Pentec. Lugd. apud Philip. Borde, & soc. 1658.8.
Sacrum Christianum Acathistum. Lugduni apud Anton. Valançot, 1661.8.
De Communione pro Mortuis. Lugduni apud Gabriel. Boissat, cuius filius Hæres paternæ in Theophilum obseruantiæ operum istorum Editionem suscepit. 1630.8.
Dyptica Mariana. Gratianopoli apud Claudium Bureau. 1643.4.
Nomenclator Marianus Lugduni apud Philip. Borde, & Romæ apud Manelfum Manelfium, 1647.12.
De Titulo Immaculatæ Conceptionis retinendo. Coloniæ apud Cornelium ab Egmont, 1651.12.
Scapulare Stochianum. Parisiis apud Antonium Padelou, 1654.8.
Pietas Lugdunensis erga Immaculat. Concept. B. V. Lugduni apud Guilielmum Barbier Typogr. Reg. 1657.4.
Indiculus SS. Lugdunensium. Lugduni apud Claudium Landry 1629.12.
Natale S. Ambrosij solum. Lugduni apud Iacob. Cardon. 1633.12.
S. Benedictus Pastor & Pontifex Auenionensis. Auen. apud I. Piot, 164[illegible].8.
S. Ioannes Euangelista. Parisiis apud Franciscum Muguet 1661.12.
S. Georgius. Lugduni apud Guilielmum Barbier, 1661.4.
Symbola Antoniana. Romæ apud Ioannem Petrum Bonum, 1648.12. & Gandaui apud Viduam I. Kerchouij, 1658.4.
Pietas specialis erga vnum aliquem Sanctum, seu Tituli colendi SS. purgati & illustr. Venetiis apud..... & Lugduni apud Anton. Molin. 1653.12.
Trinitas Patriarcharum. S. Bruno, S. Franc. de Paula, S. Ignatius. Lugduni apud Hæredes Petri Prost, 1647.8.
Trias Fortium Dauid. B. Robertus de Arbruscello. S. Bernardus, & V. P. Cæsar de Bus. Lugduni apud Iacobum Canier 1657.4. *Cæcitas oculata*, B. M. P. de Bus Arausione Typ. Moner. 1652.8.
S. Maria Ægyptiaca, &c. Gandaui apud viduam I. Kerchouij, 1658.4.
De S. Latrone. Lugduni apud Ioan. Iuillard 1634.8. Cum antistropha Tractatione de Iuda. Lugd. apud Franc. la Bottiere, 1634.8.
Corona aurea super Mithram R. Pont. Romæ apud hæred. Corbelleti 1647.4.
De Bicipiti Ecclesia. Ibidem, eâdem formâ.
Αὐτὸς ἔφα in Ianseniano. Lugduni apud Guilielmum Barbier, 1657.4.
Rosa Mediana. Lugduni apud Eundem, 1661.4.
Syntaxis Operum S. Anselmi. Lugd. apud Laur. Durand. cum oper. S. Ans.
Censura inofficiosæ censuræ. Libri de Prædestinatione & Gratia. Lugduni apud Claud. Landry, 1632.8. & *in fol.* Lugd. & Paris. cum op S. Leon. &c.
Valerianus Cemeliensis labis purus. Lugduni apud Claud. Landry, 1632.12. Iterùm Lugd.

RAYNAUDI
Tomus I. De Christo et Tomus II. De Attributis Christi
X VII
3

Lugd Parisiisque *fol.* cum S. Leone sæpiùs.

Faculæ ad Raymund. Iordani Idiotam. Lugd. apud Vinc. de Cœursillys.1633 apud Gab.Boiſ.& Laur.Aniſ.1638.12 & Par. apud Iac.Queſnel 1654.4.

De Iuſta & iniuſta confixione Librorum, ſeu de bonis & malis libris. Lugd.apud Ioannem Anton. Huguetan, & Marc. Ant. Rauaud.1650.4.

De Calumnia. Lugd. apud Philip.Borde,Laur.Arnaud,& Cl.Rigaud,1650.4.

De ſobria frequentatione alterius ſexûs. Lugd. apud Mich. Du Han.1653.8.

De Martyrio per Peſtem. Lugduni apud Claud. Landry 1630.8.

Confiteor reformatum. Lugduni apud Antonium Iuilleron.1654.12.

De Stigmatiſmo. Gratianopoli apud Claudium Bureau.1647.8.

Terminalia Vitæ & Mortis Arauſione Typis Monerianis,1646.8.

De Bono regimine ſacrorum Cœtuum. Romæ apud hæredes Corbelleti 1648.8.

Laus Breuitatis. Gratianopoli apud Petrum Fremon, 1649.8.

De Incorruptione Cadauerum. Auenione apud Iacob.Bramereau 1645.& Arauſione apud Eduardum Rabanum,1654.8.

Bibliotheca Homil.ad menſam, &c. Lugd.apud Guilliel. Barbier, 1655.12.

De Pileo, &c. Capitis integumentis. Lugd.apud Chriſt.Fourmy,1656.4.

Breuiarium Chriſtianæ Chronologiæ. Sæpiùs Lugduni apud Franc.la Bottiere ab anno 1616.

De Æquiuocatione & reſtrictione mentali. Lugd.apud Ant.Bertier,1627.8.& *in fol.* poſt, Leſſ. *De Iuſtit. & Iur.* Lugd.apud Claud. Larjot.1636.& apud Philip. Borde,&c. 1653.

De Monitoriis Eccleſiaſt. & Excommunicat. Lugd. apud Gabr. Boiſſat, eius patrem cuius ſumptibus noua Editio in fólio prodit. 1636.8.

De Sectione Cæſarea. Lugduni apud Gabr. Boiſſat,1630.8.

De Eunuchiſmo. Diuione apud Philib.Chauance,1655.4.

De Abſolutione moribundi. Lugd. apud Phil. Borde & ſoc. ſubiunctus Suari *De Gratia*, in fol. 1653.

Mala è bonis Eccleſiæ. Lugd. apud Claudium Proſt.1654.4.

Gemitus columbæ de Iudicijs ſæculi. Lugd.apud Ioan.Ant.Huguetan & M.A.Rauaud, 1653.4.

Heteroclitorum ſpiritualium ſpecimen. Gratian apud Claud. Bureau, 1647.4.

Noua Libertas Gibieufiana diſcuſſa. Pariſ. apud Sebaſt. Chappellet, 1632.4.

Thomas Hurtado depilatus circa Communionem pro Mortuis. Lugduni apud Antonium Iuilleron,& Ant.Baret.1656.8.

Eiuſdem depilatio altera circa Martyrium. Lugd.apud eoſdem 1656.

Eiuſdem depilatio tertia circa Reſtrict. & Miſſos Euangelic. Londini, apud.....

Hercules Commodianus in I. Launoyum. Arauſione Typis Monerianis, 1646.8.

Non Cauſa vt cauſa contra Guilelmum Camerarium. Faſtemburgi apud Petrum Baretium, & Ioan.Abſtemium.1635.4.

Iudæ poſteri, Apoſtatæ à Religioſis ordinibus. Romæ apud Bern.Tani,1648.4.

Scalæ à viſibili creatura ad Deum. Lugd.apud Claudium Landry,1624.12.

O Paraſceuaſticum. Lugduni apud Chriſtophorum Fourmy,1661.4.

Hipparchus de Religioſo negotiatore. Francopoli apud Petr.Saluianum,1642.8.

Dubia ex perſona ſectarij de Libertate expedita. Lugduni apud Claud. Landry,1630.12. & bis Pariſiis.

Minutalia Sacra. Lugd.apud Chriſtoph.Fourmy, 1661.4.

LETTRE

LETTRE DE S. A. R. CHARLES EMANVEL SECOND à presẽt regnant, au R.P. Theophile Raynaud.

TRES-cher, Reuerend, & Deuot Orateur,

Nous auons receu auec joye les témoignages que vous nous donnés de voſtre affection en voulant nous rendre participant, de vos trauaux, pour leſquels nous auons toûjours eu beaucoup d'eſtime, auſſi-bien que nos Sereniſſimes Pere & Ayeul, qui les ont conſiderés au temps de leur premiere production, & qui auroient ſuiet de nous envier maintenant la ſatisfaction de les voir renaiſtre au iour tous à la fois, & en leur perfection. Nous ſerons bien-aiſes de pouuoir contribuer à l'auancement d'vn Ouurage qui regarde également le bien public, & la gloire de ce pays, auquel l'Autheur doit ſa naiſſance, & nous les marques de noſtre eſtime & gratitude; priant Dieu ſur ce de vous auoir en ſa ſainte & digne garde. De Chambery ce 13. Auril 1663.

Le Duc Sauoye, Roy de Chypre &c.

C. EMANVEL.

BVTTILLIERE.

Epiſtola Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis CAROLI EMANVELIS II. ad P. Theophilum Raynaudum.

CHariſſime & Rœligioſiſſime Orator,

Quàm gratiſſima nobis accidit, tuæ in Nos obſeruantiæ, ſtudiique ſignificatio; dum nobis occaſionem offers veniendi in partem gloriæ, quam tuo dudùm nomini, toi elucubrationibus collegiſti, quas nos plurimi ſemper fecimus inuitati exemplo Sereniſſimorum Patris & Aui noſtri. Eas certè, ſi recens, primúmque editas complexi illi ſunt humaniſſimè, auctoritatéque fouerunt excepta; quid nos facere conuenit, cùm eædem nunc numeris omnibus abſolutæ, omníque ex parte perfectæ, maiori cum pompa & plauſu prodeunt itervm in lucem? Pergratum quidem nobis fuerit, conferre pro virili operam, opémque noſtram, quo tam præclari Editio promoueatur Operis, ex quo nimirum tot in publicum vtilitates profecturæ ſint, tantúmque gloriæ in hoc Regnum noſtrum, ac Patriam Tuam, redundaturum: Tibíque perſuadeas velim, nihil nos eorum prætermiſſuros, quæ Tui ſpectabunt honoris incrementum & cumulum; & pro noſtra in Te propenſione beneuola, Opus illud tuum immortale, téque pariter eius Auctorem, ſtudio proſecuturos immortali.

Dux Sabaudiæ, Rex Cypri, &c.

C. EMANVEL.

BVTTILIERE.

RAYNAUD
Tomus I.
De Chriſto
Et
Tomus II.
De Attributis
Chriſti

EPISTOLA EVCHARISTICA
THEOPHILI RAYNAVDI
AD SERENISSIMAM
CHRISTINAM A FRANCIA
CAROLI EMANVELIS II.
Matrem, cùm ipsa Editionem Operum Theophili sibi cordi fore testata esset.

QVOD opus CAROLO EMANVELI DVCI *inuictissimo in fidei & obseruantiæ meæ authoramentum iam anteà consecraueram, idem hodie tibi nuncupare mintmè vereor* (PRINCEPS AVGVSTISSIMA.) *Neque tamen munus istud qualecumque meum, quod ne vestrum quidem vni par esse possit, auarâ quadam sordidáque parcimoniâ ambobus diuido; quippe quos regiarum Virtutum societas, maternus amor vnum ita semper effecerint, vt nullatenus dici queat alteri tribui, quod alterutri voueatur. Accedit quòd Liber iste rediturus in diem meliori profectò in lumine collocari non poterat quàm sub eruditis oculorum tuorum radiis; nec altiùs ad conspectum extare, quàm si Tuæ se Celsitudini propiùs sisteret, quæ sic eminet omnibus, vt non immineat; ita tegit singulos vt opprimat neminem, & secùs quàm res arduæ soleant, sic in edito sita fastigio extra apicem omnem assurgit, vt facilem tamen mollemque ad se præstet accessum. Ea enimvero singularis tua laus est* (PRINCEPS HVMANISSIMA) *in excelsa illâ, quâ circumambiris Maiestate, liberam tui adeundæ copiam omnibus facere; quos diuina frontis dignitas reuerenter arcere posset ac retardare, eosdem blandè renidenti comitate, suauique verborum indulgentiâ confidenter allicere, ornare officiis, fouere gratiâ, ditare donis, complecti sinu, authoritate tueri literarum amantes viros, planè vt dum, Carolus filius semper Maximus, semper Inuictus, maximum & immortale Augusti nomen meritis implet, auream tu Mæcenatis munificentiam superasse videaris. Quamquam quid mirer ego, clarissimos huiusce temporis Scriptores tantis à se studiis impensè diligi, quæ scribenda venturis saculis non modò facis, sed scribis etiam posteris omnibus perlegenda? Hoc scilicet vnum deerat ad gloriæ tuæ magnitudinem; vt quæ Palladem heroicâ fortitudine iam expresseras, eandem politiorum artium scientiâ propiùs adæquares; nec cæteros iam Europæ Principes prouidam ac sapientem in consiliis, in rebus gerendis acrem, in regendis populis moderatam docères administrationem, sed palmares etiam ac laureatos ipsius Parnassi vates instrueres, quid ingeniosè fingere, quid acutè loqui, quid eleganter scribere oporteret. Sentis, credo, hîc me tuos versus loqui* (PRINCEPS ILLVSTRISSIMA) *cultos illos, concinnosque, & omni vernantium leporũ amœnitate florentes versus, quos à Te sæpius mirati sunt præstantis ingenij nominisque Poëtæ, & inuidissent profectò, nisi pulchrum esset à Principe vinci, cuius vel ingenio vel liberalitati vectigales sese omnes disciplinæ profitentur. Vt enim scientias alias scriptoresque fileam, quibus aureũ tu semper splendorem, pretiúmque fecisti, quantæ fuit illud erga me humanitatis ac munificentiæ, quòd rogata nuper, meos vt libros ne dicam an liberos, certè ingenij fœtus prolixâ, quâ soles, benignitate susciperes, Ego verò, dixisti, non suscipiam modò tegamque amplitudine nominis, sed quibuscunque etiam potero impensis ac sumptibus liberaliter alam & promouebo: In quo quidem geminum agnosco beneficium, & quod non verbis solùm honorificentissimis, verùm etiam factis, opibúsque liberalem te præbueris, & quòd spoponderis homini beneficentiam, qui siue suo, siue inuidentis fortunæ vitio, non is semper apud te fuerat, quem alij vllis beneuolentiæ signis, nedum regiâ huiusmodi largitate cohonestandum iudicarent. Fecisti tamen præter spem omnem ac meritum; atque vtinam quemadmodum expectationem nostram meritáque tot exquisitis gratiis superasti, ita & vota aliquando vincas, quibus non iam prosperam tibi sortem in omnibus, non potentiam, virtutem, sapientiam, fortitudinem. (Quid enim ea pro te rogemus superos, quæ in te iam vbertim congesta suspicimus) sed post adeptam, quantam maximam consecuta es immortalitatem famæ, perennem denum vitæ felicitatem exoptamus. Hanc tibi vouet publicis precibus tuæ vnicè Celsitudini deuota Societas. Eandem ego priuatus voueo, neque subditi tantùm nomine me tuæ totum potestati æterno sacramento mancipatum addictumque profiteor, sed mentis etiam ingeniique partus, quò nulla pertingit vis & imperium, tibi lubens subiicio dedicóque, vtpotè immortali Principi, dignæque, quæ non corporibus tantùm imperet, sed in ipsos etiam animos diuino iure dominetur. Vale & Faue. Lugduni 1. Octobr. 1663.*

EPISTOLA



EPISTOLA THEOPHILI RAYNAVDI
AD SERENISSIMVM
VICTOREM AMEDEVM
Cum ipsi notas in aliquot Patres dedicaret.

VICTORI AMEDEO,
SERENISSIMO REGI
CYPRIORVM, ET ALLOBROGVM,
CHALABASII, AVGVSTÆ, GEBENENSII, MONTISFERRATI,
DVCI MAXIMO,
SVBALPINORVM PRINCIPI POTENTISSIMO, &c.

ALEXANDROS, Constantinos, Carolos Magnos, eximios vtique tres Heroas bellicis, politicísque nogotiis occupatissimos: tamen cum libris, etiam diuerso ab militia, politiáque argumento scriptis, haud mediocre commercium interposuisse, nouimus ex veterum historiâ. Ingenij scilicet ea erant amplitudine, vt vel de maximè reconditis nihil non perciperent: ea de omnibus doctrinis opinione, vt earum nullam ab se alienam putarent: ea indolis humanitate, vt tenuissimi cuiusque hominis de hoc genere munusculum minimè aspernarentur. Tu verò, REX SERENISSIME, vt istorum, sic cuiusque aliorum Monarcharum gerendis bellis animi magnitudinem; comprehendendis artium arcanis intelligentiæ præstantiam; conestandis Litteratis, & literis naturæ insignem comitatem sic exæquas, vt benè multos eorum superes. Enimverò tametsi præcellentem excelsæ mentis generositatem ad vniuersa Regij fastigij munia, & decora, gentilis stirpis multa claritas illis infuderat: tibi tamen longè benigniore manu, & copiosiore modo Regij sanguinis tantò vetustius, & augustius stemma cœlestis cuiusdam originis has omnes naturæ dotes munificentiùs impertiit. Itaque votiuo cum volumine mihi ad REGIÆ TVÆ CELSITVDINIS conspectum, & pedes adspiranti, ope invsitatæ machinæ nequaquam moliendus fuerit aditus; vt celeberrimo illi architecto ad Alexandrum Macedonem ex Satellitum inuidia olim aperiendus fuit.

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
K VI

EPISTOLA.

QVÆ EST enim tuæ indulgentiæ magnitudo, præfers ad omnium clientum istiusmodi vota sitientis quemdam habitum, & affectum: atque vt ille Persarum Rex cauis manibus in via offerenti aquam agricolæ, hilarem exporrigis frontem, & lubenti animo, ac cupienti etiam munus excipis. Nec ingenuæ, nec ingenitæ majestatis, sed affectatæ, cuiusmodi est quorumdam obscuri ortus Satraparum, certissima est nota, austerior omnia dedignantium fastus: ab vetusti contrà satus Regiis natalibus altiùs insitæ dignitatis indicium germanissimum est, multa oris, animi, sermonis, humanitas, & suauitas. Hunc Lydium lapidem perpetuò adhibuêre cordati homines, diiudicandis certiore inter ipsos experientia, magnorum Principum familiis: atque hac interposita exploratoria cote deprehenderunt Sabaudiensium Ducum gentem, Regiarum multarum totius Europæ gentium facilè se prodere antiquissimam & nobilissimam. Quam periclitandæ, indiciis haudquaquam fallentibus, Regiæ Nobilitatis artem, qui multo vsu, & sagacitate sibi pararunt; vt nesciant Sabaudiensi Familiæ, ab initio ad hunc diem, quæsitas esse tota Europa, cum omnibus Principibus, Regibus, Cæsaribus perpetuas affinitates, & cognationes: in ea tamen perseuerarint sententia, quam indicauimus. Vbi autem compererint, purissimo sincerissimæ claritudinis Sabaudiensi sanguini affusum & admixtum tot cognationibus Regiarum stirpium, sanguineum item succum, & magis, ac magis insitum meræ nobilitatis germen: suum sibi tantò magis gratulabuntur iudicium, ac priori suffragio recentius adiicient, tantò etiam luculentius. Deo equidem bonorum omnium maximo bono, quin & bonorum omnium Auctore magnificentissimo nihil nec esse, nec fingi potest munificentius, humanius, sui communicandi, immò & profundendi studiosius: adeoque germana hæc est diuinæ bonitatis nota, vt si quando possit Deum deficere, Deus tum mox esse desinat. Nihil porrò tota in rerum creatarum vniuersitate Deo est similius, quàm boni Principes: in quibus vti vicariam suam potestatem consignauit Deus, ita suæ dignitatis insculpsit imaginem. Quorum autem Principum in animis diuinus ille character firmiùs hæserit, & ad frugem vberiùs coaluerit, ex hisce Principibus seligit propagines, quas Catholici orbis toto agro ad posteritatem conserat.

IAM VERO ex multiplici, ac planè celebri propagatione augustioris cuiuspiam gentis, in Regias variarum nationum familias, si quid decoris, ac splendoris potest efflorescere in commendationem fœliciùs disseminatæ stirpis hanc sanè laudem Sabaudiensis Reginæ Domus peculiarem esse, ac præcipuam, necessariò nos oportet asserere. Enimverò quinquagenas minimùm affinitates, cum Regibus, aut Reginis iniit hæc Domus: ac inde prognatis vtrimque liberis, totidem fermè cognationes extitêre, quoad genus affinium, hinc inde perduraret. Quindecies item contractis matrimoniis cum Orientis & Occidentis Cæsaribus, ac interdum vtrimque datis & acceptis nuribus, Cæsareum & Sabaudiensem sanguinem ac stirpem, aliis in alios transfuderunt, magna huiusce Familiæ gloria. Verumtamen id singulare accidit, iungenda cum Regibus & Reginis affinitate, vt collocatis apud Reges vxoribus de sua gente, quæ liberos ederent, vel Gallis,

lis, vel Hispanis, vel Siculis, vel Britannis, vel Lusitanis, Reges sui satus per fœminas dederint, quindecies, ac semel per viros Cypriis. Peculiare item illud contigit Familiæ Sabaudiorum Principum in Galliæ Regibus: vt & Ludouicus eius nominis septimus, & qui ab eo ad hunc diem regnauêre, seu rectæ, seu latera riæ stirpis Francorum Reges, ij omnes oriundi sint ex Adela Sabaudica Humberti secundi filia, Ludouici septimi matre, Ludouici sexti coniuge. Et dubitabimus forsitan, quin Augustissima Sabaudiensium Principum natio, tota ex Cæsarum, ac Regum summis fastigiis contexta, & conflata, verissimè sit, & nomine, & satu, & dignatione, & meritis Regia? Et nunquid ego quoque ambigam, ne Regiæ Familiæ tam excelsa majestas, & mihi, & meo volumini, tenuioris notæ aduenis, occludat Taurinensis Palatij fores? Haudquaquam pœnitet pronunciatæ paulo antè sententiæ, de hominum toto genere, modestiores & comiores nullos esse penitus, quam qui sanguine, & animo sint planè Regio. Cuius pronunciati veritas, vt forsitan dubia esse possit in aliquot aliis Principum stirpibus: tamen asseuerare non verear, in Sabaudiensi gente semper ad hunc diem fuisse certissimam.

HAC IGITVR veritate fretus, REX SERENISSIME, ausim confidere, huic nostro codici ad te non laboriosum fore aditum: vt enim nec mei, nec lucubrationum in eo mearum, vlla sit habenda ratio, certè conflatus est ex aliquot scriptis clarorum suo in genere hominum; & eorum quidem, qui tua in ditione floruerint, ac dignatione profectò non vulgari; MAXIMVS TAVRINENSIS, VALERIANVS CEMELIENSIS, AMEDEVS LAVSANENSIS: qui homines apud te, quo loco habendi sint, tu ipse vides, vt nemo te admoneat. Huiusce autem gradus ac meriti viros perquàm idoneos ratus sum, & meritò futuros mei apud te alieni æris obsides ac prædes: quo ære necesse est funditus obruar, nisi eorum me insignis apud te subleuet gratia. Tantò autem faciliùs subleuabit, ac efficaciùs, cùm illi asserent, te tua, te auorum potentia & æquitate, nihil solere congruentius facere, quàm vt monstrosis ac malignis vexatos machinationibus tuo patrocinio foueas, & omni eximas periculo. Idem quoque tibi confirmabunt, vt tuum erga me beneficium sit eiusmodi, quo maius esse nequeat: Ita omninò futurum, vt nec tuorum clientum, nec mortalium alius quispiam, promore ac ardentiore animo, TVÆ CELSITVDINI REGIÆ suam obsequentiam vel deuoueat, vel exhibeat

REGIÆ CELSITVDINI TVÆ,

Deuotissimus

THEOPHILVS RAYNAVDVS
ex Societate IESV.

SVPPLI

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
VII

SVPPLICATIO THEOPHILI RAYNAVDI, ad S. D. N. de Editione Trium suorum Operum, quæ à S. Congr. Indicis emendata prodeunt cum Facultate Superiorum.

BEATISSIME PATER

P. THEOPHILVS RAYNAVDVS Societ. IESV deuotissimus Orator S.tis V.tæ humillimè exponit, quod cùm omnia opera à se olim variis diuersæ formæ tomis iparsim composita, atque edita, typis denuò mandari curet, & infra sex circiter menses sub forma nouendecim grandium Voluminum in lucem prodire debeant, nollet inter cætera desiderari, tres singulares Tractatus, scilicet *de Martyrio per Pestem*, *de Communione pro Mortuis*, & *de Confixione Librorum*, à S. Congreg. Indicis prohibitos. Quare S.ti V.tæ Grandæuus author octogenario proximus humillimè supplicat, pro tot, ac tantis, laboribus, in obsequium Ecclesiæ exantlatis, sibi deputari aliquem Virum doctum, peritum, pium, ac minimè suspectum ex consultoribus Sacræ Congregationis, qui postquam dictorum Librorum censuras, ex regesto eiusdem Congregationis, S.tis V.tæ iussu eductas, & sibi traditas diligenter, & accuratè discusserit, ac ponderarit, illa omnia fideliter adnotet, quæ ipsi expungenda esse videbuntur, vt hæc eadem in hac secunda editione ab authore omittantur. *Quam Deus, &c.*

Feria 3. Die 16. Septembris 1659.

IN Sacra, & Generali Congregatione Indicis Romæ habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Em.mis ac R.mis DD. S. R. E. Cardinalibus ad Indicem Librorum, eorumdémque permissionem, prohibitionem, expurgationem, & impressionem in Vniuersa Republica Christiana à Sanct.mo D. N. specialiter deputatis.

Cùm nuper Sacræ huic Indicis Congr. à P. THEOPHILO RAYNAVDO Soc. IESV Presbytero supplicatũ humiliter fuerit pro facultate corrigendi tres Libros à se pridem editos, atque ab eadem S. Congreg. prohibitos, vel suspensos, quorum Tituli. *De Martyrio per Pestem*, *ad Martyrium improprium & proprium vulgare comparato Disquisitio Theologica. Error Popularis de Communione pro Mortuis, & Erotemata de Bonis, & Malis Libris*, simúlque idem institerit, vt sibi ratio traderetur ad cuius præscriptum correctionem huiusmodi rectè instituere, ac exequi oporteret, nec vllam à se moram, quominus omnibus quæ Em.mis ac R.mis DD. visa fuerint suum obsequium accommodet, futuram ostenderit: Eadem; Sacra Congreg. collaudatâ prius pietate viri, referente Em.mo ac R.mo D. D. Cardinali Brancaccio, auditísque votis Consultorum ad id specialiter deputatorum prædictam facultatem corrigendi dictos Libros à Patre Theophilo petitam, omninò ei concedendam iudicauit, provt vigore præsentis decreti benignè concedit, & impartitur. Libros autem prædictos ita correctos atque emendatos S. Congregatio decernit ab omnibus retineri, ac legi atque iterum seruatis seruandis imprimi posse. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die, & Anno supradictis.

Locus Sigilli

FR. HYACINTHVS LIBELLVS
S. Congreg. Secretarius.

Publicatum fuit hoc Decretum. Die 20. Martij 1664.

Omnia emendata sunt & Autographum seruatur in Archiuio Romano Soc. IESV.

APPROBATIO

Approbatio Theologorum Societatis IESV.

LEgimus collectionem Operum omnium R.P. THEOPHILI RAYNAVDI Societatis noſtræ Theologi; quæ quamvis ſingula, à tribus eiuſdem Societatis noſtræ Theologis, PP. I. BAPT. ROSSI Italo, SEBASTIANO D'ABREV Luſitano, & HONORATO NIQVET Gallo, Romæ fuerint approbata; iuſſi tamen noſtram de iis ſententiam expromere, Teſtamur nihil quod Sacræ Fidei Dogmatibus, aut bonis Moribus aduerſetur reperiri in iis Voluminibus, quorum Author, Chriſtianæ Virtutis, ac Religioſæ Diſciplinæ exemplar diù in hoc SS. Trinitatis Collegio nobis præluxit; in Doctrinæ verò delectu, eam partem, quæ plus Pietati, ac Catholicæ Religioni faueret, ſemper amplexus eſt. Sed luculentius Elogium erunt ipſa ſibi grandia *Nouemdecim Volumina*, quæ votis Eruditorum diù expetita nunc prodeunt in lucem, ad Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem, Societatis noſtræ decus, Vrbis & Collegij Lugdunenſis ornamentum. Lugduni 25. Ianu. 1665.

IOSEPH GIBALINVS. CAROLVS DV LIEV. IOANNES GAVTHEROT.

Priuilegium R. P. Prouincialis.

GVILLELMVS DE LANGE Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta facultates eidem Societati à Chriſtianiſſimis Regibus, HENRICO III. 10. Martij 1583. HENRICO IV. 20. Nouembris 1608. LVDOVICO XIII. 14. Febr. 1611. & LVDOVICO XIV. 23. Decembris 1650. conceſſas, ne quis libros à Societatis Hominibus compoſitos imprimere poſſit, abſque facultate Superiorum eiuſdem Societatis, permittit HORATIO BOISSAT, & GEORGIO REMEVS Bibliopolis Lugdunenſibus, vt Opera P. THEOPHILI RAYNAVDI Societatis IESV Theologi, typis mandare ac diuendere poſſint, in decem annos proximos. Datum Lugduni 27. Ianuarij 1665.

GVILLELMVS DE LANGE.

Facultas Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis, Galliarum Primatis, ac trium Prouinciarum Pro-regis.

VIsâ trium Societatis IESV Theologorum Cenſurâ; libentiſſimè concedimus, vt Opera P. THEOPHILI RAYNAVDI Typis mandata publico bono vulgentur, quorum Editionem omni ſtudio & curâ promouere ſategimus: vt extet immortale noſtræ in tantum Authorem exiſtimationis monumentum, quem dum viueret, ſemper coluimus veluti maximum huius ætatis Theologum, de tota Eccleſia, déque Sede Lugdunenſi optimè meritum. Datum Lugduni in Palatio Gubernatoris, pridie Calendas Martij 1665.

CAMILLVS Archiepiſcopus Lugdunenſis.

Approba

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
Tomus II.
De Attributis
Christi
Tomus III.

Approbationes Doctorum.

EGo BESIANVS ARROY Doctor Sorbonicus, & Eccleſiæ Lugdunenſis Theologus, fidem facio me in Operibus R. P. THEOPHILI RAYNAVDI Societatis IESV Theologi nihil inueniſſe quod fidei Diuinæ, boniſque Chriſtianis moribus aduerſetur, ipſáque mereri, vt in lucem edantur integra. Sic ſentiebam, Lugduni die 23. Martij 1665.

ARROY.

EGo infrà ſcriptus Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, legi R.di P. THEOPHILI RAYNAVDI Opera, in quibus nihil reperi Fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium. Actum Lugduni die 23. Martij 1665.

F. CYRILLVS MOREL Carmelit. Lugd. Prior.

EGo infraſcriptus LVDOVICVS DE VILLE V. I. & Sacræ Theologiæ Doctor, Officialis & Provicarius Generalis Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini CAMILLI DE NEVF-VILLE Archiepiſcopi & Comitis Lugdunenſis, &c. Teſtor Opera R. P. THEOPHILI RAYNAVDI Soc. IESV Theologi & Doctoris, inoffenſo poſſe pede liberè decurri à quouis Romanæ & Catholicæ Fidei profeſſore, in quorum fidem præſentibus ſubſcripſi. Lugduni 24. Martij 1665.

DE VILLE.

PERMISSIO.

VIſis Approbationibus Doctorum Sorbonicorum, necnon Licentiâ Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi D. CAMILLI DE NEVF-VILLE Archiepiſcopi & Comitis Lugdunenſis; Non intercedo Regis causâ, ne liber cuius titulus eſt, R. P. THEOPHILI RAYNAVDI Societatis IESV Theologi *Opera omnia Nouemdecim Voluminibus comprehenſa* imprimatur, & in lucem edatur ab HORATIO BOISSAT, & GEORGIO REMEVS huiuſce Ciuitatis Bibliopolis, cum prohibitionibus aliis omnibus Bibliopolis in hoc caſu fieri ſolitis. Lugduni, die 24. Martij 1665.

VIDAVD.

LICENTIA.

FIat iuxta conſenſum Procuratoris Regij. Die vigeſima quarta Martij Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto.

DE SEVE.

DE DEO



THEOPHILI

RAYNAVDI

SOCIETATIS IESV

THEOLOGI,

PROLOQVIVM PRIMVM.

DE CHRISTO DEO HOMINE, THEOLOGIA Patrum ad Templorum & Scholarum vsum accommodata.

Inuitamenta ad scriptionem de Christo, & auocamentorum depulsio.

CHRISTI consideratio ad quam aggredimur, quantum ex vna parte scribentis animum atque affectum pellicit, tãtum ex altera auocat, & scriptione absterret. Pellicit quidem, cùm ob necessitatem summam huius cognitionis, tum etiam ob suauitatem & sapiditatem plusquàm nucleam, palato cuicumque benè dispositò testatissimam; ac denique ob vberrimam vtilitatem. Quibus ex capitibus, hæc tractatio in qua necessarium & vtile mixta dulci visuntur, omne tulisse punctum censeri debet.

Illices scriptionis de Christo necessitas, suauitas, vtilitas.

1. Et necessitatem quidem, expressit pulchrè S. Gregorius 23 moral. cap. 1. verbis illis. [Nullus superne adoptionis gratiã habuit, nisi qui hanc per cognitionem Vnigeniti accepit. Dignum itaque est vt ipse in eorum vita & lingua resplendeat, qui eos vt resplendere meeantur, illustrat. Nam cùm in tenebris lucernæ lumen accenditur, priùs lucerna eadem, quæ videri cetera efficit, videtur. Vnde necesse est vt si verè intẽdimus illuminata cernere, studeamus mentis oculos ad ipsum illuminans lumẽ aperire.] Ex quo infert S. Gregorius, quanta sit necessitas vestigandi Christum indagatione accurata in omnibus antiquis Scripturis, siue Propheticis, siue historicis: quod nominatim tradit de Iobi historia; sed vniuersaliter idem significasse Apostolum 1. Corinth. 10. animaduertit.

2. Dulcedinem ac suauitatem tractationis de Christo, benè prosequitur Richardus Victorinus lib. 2. de Emman. cap. 21. eamque S. Gregorius 15. moral. c. 9. expressam putat nominibus mellis ac butyri, quibus Christus apud Iobum descriptus est, in ea aduersùs hypocritã interminatione, *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis ac butyri*; hoc est Christum iuxta sancti Pontificis interpretationem. [Mel enim desuper cadit, butyrum verò ex carne est. Summi autem Patris vnigenitus, cùm sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia. Quia cùm nos dulcedine diuinitatis suæ, de mysterio Incarnationis repleuit, melle nos pariter, & butyro satiauit.] Illustrat has Christi cum melle & butyro comparationes Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. tractans illud Isaiæ 7. *Butyrum & mel comedet.* Quidni igitur sapiat mentis palato probè affecto, qui mel animæ est atque butyrum, quæ sunt inter res corporeas suauitatis eximiæ ac exquisitæ dulcedinis symbola? [Quid verò mirũ (exclamat Guerricus, homil. 2. de Annunc.) si me delectat, quod Beatos spiritus lætificat?] Agit de Verbo in carne. Et quamquam Verbi nudè sumpti dulcedo exuperet omnem sensum; tamen S. Anselmus lib. 10 Meditat. inoctaua, num. 2 dulciùs cognosci Christum in carne Deum, quàm Verbum sinu Patris abditum, non dubitauit profiteri, compellans his verbis Christum. [IESV bone, quàm dulcis es in corde cogitantis de te, & diligentis te! Et certè nescio, quia nec planè comprehendere valeo, vnde hoc est quod longè dulcior es in corde diligentis te, in eo quod caro es, quam in eo quod Verbum: dulcior in eo quod humilis, quàm in eo quod sublimis. Siquidem longè dulcius est memoriæ diligentis te, videre te ex matre Virgine in tempore natũ, quàm in splendoribus Sanctorũ ante luciferum à Patre genitum, temetipsum exinaniuisse, seruiq; formam accepisse, quàm in forma Dei æqualem te Deo esse. Dulcius, te videre coram Iudæis mori in ligno, quàm dominari super Angelos in cœlo: intueri te inter omnia subiectum, quàm super omnia prælatum; hominem humana pertulisse quàm diuina Deum gessisse; redemptorem esse pereuntium, quàm conditorem esse non existentium.] Hæc ad gustum aliquem dulcedinis hanc tractationem assectantis, possunt sufficere. Alia dato inferiùs componens

Christum cum manna, cuius gustus erat velut similæ cum melle, quod ad huius tractationis suauitatem, bellè aptat Rupertus lib. 1. in Matth. tractans illud, *Vocabitur nomen eius Emmanuel.*

3. Vtilitatem denique tractationis de Christo, aperiunt illa S Ambrosij epist. ad Irenæum. [Nos quantum possumus intendamus illò animum, & in illo simus. Illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, vt fiat illuminatione eius & fulgore speciosa anima nostra, & mens dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate; & specie nemoris vel collis herbosi omnem inæqualitatem ægrescentis obtutus repellunt, & quadam salubri specie pupillæ ipsæ atque orbes colorari videntur, quanto magis hic mentis oculus cùm illud summum intuetur bonum & in eo versatur, atque eo pascitur, splendescit atque enitet, vt fiat illud quod scriptum est: *Tanquã adipe & pinguedine repleatur anima mea.*] Ac ne summum illud bonum iam multiplicis commodi & vtilitatis ferax, diuersum à Christo putes, subdit paulò post S. Ambrosius, hoc bonũ esse ip ummet Christũ. Insigniter planè de summa vtilitate tractationis huius mysterij, differit Guerricus Abbas serm. 2. de Annunt. adducendus ad huius Proloquij finem.

Quæ abducere à consilio nouæ de Christo scriptionis, videantur.

4. At quantum proposita capita, pelliciunt Christi disquisitionem, tantum auocant ab ea pleraque alia. Inprimis verò difficultas summa, de qua infrà copiosè, Accedit tam multiplex tam multorum de hoc argumento, omnibus retrò Christianis seculis, sed his præsertim temporibus nouissimis, luculenta & accurata tractatio, quæ dum hæc ipsa pridem perfecta tenebras ægrè eluctantur, prodiit multiplex, & exquisitè elaborata. Quid verò siue ad disquisitionis subtilitatem & accurationem, siue ad sedulitatem in Sanctorum & Doctorum floribus ad hanc rem decerpendis, siue ad ornamenta omnis generis hactenus in huius argumenti tractationem collata, accedere velut cumulus aut superpõdium queat, vt denuò contriburæ in hanc rem operæ impensa benè collocata, nec frustra effusa, apud æquos æstimatores habeatur. Hæc & huiusmodi alia circumspectans Rupertus lib. 10. de victor. Verbi Dei cap. 12. post propositum masculi Apocalyptici ex muliere partum, hoc est, vt ille interpratatur, temporariam Christi ex Virgine natinitatem. negat intendendum esse in scrutationem Christi, ac disquisitionem mysterij quo benedictum illud totum compactum est; sed sepositis superfluis scrutationibus, auctor potius est, laxari habenas lætitiæ & exultationi de Christo nobis nato & indulto diuinitùs. [Quo se impendet (inquit) quam in partem sermo noster sese aptabit; in demonstrationem aut in narrationem? Si in demonstrationé se verterit, si partum illum, si filium vel masculum illum demonstrare voluerit, hoc tale est hodie, ac si meridiano tempore, cœlo sereno, Sole clarissimo fulgente, in ascensu sui summo, digitum quis intendat oculos habenti & videnti, dicatque illi: Vide, ecce Sol. Scripti enim est, *In Sole posuit tabernaculum suum.* Si autem vertat se in narrationem, veremur esse superflui, quoniam noui nihil dicturi sumus; quoniam apud ignotos hæc dicta vel scripta deponimus; non ad ignaros. vel cum ignaris ista conferimus. Vertat igitur se tota intentio sermonis, ad iocunditatem: & aliquantulam cum iocunditate nitatur habere dignitatem. quatenus & ipse sermo plena fide, pleno fundatur ore, cum gratia humilitatis necessariæ, vt quisquis illa legere dignabitur, delectetur atque iocundetur propter laudem talis filij, propter honorem tanti masculi, & propter gloriam Dei Patris, & honorem Spiritus sancti, de quo beata illa mulier concepit hunc & peperit. Ista sermonis iocunditas risum habeat illum, quem nomine suo Isaac significaui, beatæ senectutis, & emeritæ fidei filius, qui typus filij vel masculi huius extiti: quẽ decrepita mater, scilicet antiqua Ecclesia, pariens per vterum Mariæ Virginis, veraciter dicere potest, sẽperque dicit, ac dicet: *Risum mihi fecit Deus*, quia talis filius, vere matri suæ risus est æternus.] Ad risum itaque siue ad gaudium & exultationem de tãto bono quod in genus nostrum contulit diuina benignitas, non ad boni illius disquisitionem, Ruperti exemplo vrgeri ac impelli videmur.

Dispelluntur. Ac primùm quòd de argumenti huius inaccessa maiestate, & fructuosiore circa illud voluntatis quã intellectus negotiatione, est propositum,

5. Nihilominus qui scribendi cogitationem iniecit, audendum esse nec cedendum confirmat. Nam difficultatem quidem huius argumenti, & maiestatem eius, humani ingenij viribus superiorẽ supra omnem modum, nemo non videt cum omnibus argumentis quibus diuinæ perfectiones complicantur, communem esse: neque tamen à diuinæ essentiæ, vel eius attributorum aut augustissimæ Trinitatis disquisitione toties etiam proximè superioribus annis tentata, absterriti sunt posteriores, hodiéve absterrentur: sed deficere in Dei consideratione, necessarium; id verò agnoscere, & palã celebrare, glorioſum putant, vsurpantes & verissimum profitentes illud S. Gregorij 9. moral. cap. 9. & 10. de diuinis operibus vniuersè prolatum. [Opera summæ magnitudinis, quando explicet lingua carnis; Vnde & aptè mox S. Iob hæc eadem opera meliùs deficiendo comprehendit, dicens, *Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorũ non est numerus.* Diuinæ fortitudinis facta, tunc veriùs explemus, cùm hæc nos non posse explere cognoscimus: tũc facundiùs loquimur, cùm ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera habet defectus noster, quàm sufficienter exerat linguam suam, vt quæ comprehendere idoneè non valet, hæc idoneè mutus laudet. vnde benè per Psalmistã dicitur: *Laudate eum in potentibus eius, laudate eũ secũdum multitudinẽ magnitudinis eius*; laudat qui se succumbere in eius laudis expletione cõsiderat. Dicat ergo: *Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia quorũ nõ est numerus*: videlicet magna virtute, inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate. Diuina ergo opera quæ explere dicendo nõ potuit, facundiùs deficiendo definiuit.] Hoc de omnibus Dei operibus verè, sed præcipuo iure de primario & subli. missimo Dei opere dictum esto. Inter hoc igitur primarium Dei opificium considerãdum, deficiamus; non quod prorsus de eo silere inducamus in animum, sed quod à tam illustri argumento vnici, sicque in sobria eius scrutatione deficere, glorioſum ducamus.

Hæc cùm dicimus, nequaquam proh. bemus exultare & omnibus incedere lætitiis, ex tanta Dei in genus nostrum benignitate, quo veri studium omne humanum malebat Rupertus. Quinimò eo solidior & vberior existet piorum de tanto bono affectuum seges, quo disquisitio & cognitio diligentior præuerit. Is quippe est voluntaris genius, vt pro lucis affulgẽtis copia, calorem commensum concipiat. Et malè sanè alioqui ageretur cum iis qui in diuina prudenter ac temperatè scrutanda incumbunt, si auctiorem notitiæ splendorem, decessio piorum ignium ac Sanctorum affectuum restinctio, consequeretur. Quàm porò diligens, accuratus, subtilis, in huius mysterij scrutatione conuenienti, S. Cyrillus: Non dubitauit sanè Anastasius Sinaita c. 7. ὁδηγ. eum apellare *omnium Patrum signaculum*, eò quod nulli Sanctorum Patrũ in hoc myste-

rio

rio excitiendo secundus fuerit, plerosque longo post se interuallo reliquerit. Idem tamen quantis circa tantum mysterium, piorum affectuum scatebris abundet cum ex aliis propè omnibus eius lucubrationibus, tum nominatim ex insigni opere glaphyrorum, & altero de adoratione in spiritu & veritate, licet agnoscere. Quare fe sanè nobis hoc mysterium, cœlestis lætitiæ, & affectuum piorum ignitabulum, sed vt hoc melius ac facilius præstet, sit inus circa illud scrutationi & disquisitioni, sobriæ quidem, sed non indiligenti locus.

Item quid dictum est, innumeros iam versasse eandem molam.

6. Nec quæ Ruperto considerandi fastidium ingenerabat, huius materiæ per innumeros anteriores pro-ratio, idoneum reuera est à noua scriptione auocamentum, nisi æquè deserta velimus sacra argumenta omnia. Nam quid de quocumque tandem Christiano mysterio, imò & de alio propè omni argumento dici nunc possit, quod non dictum fuerit prius? De pulis plenè hoc nonullorum de æui nostri Scriptoribus fastidium, in Opere de iusta confixione librorum, prolat. 6 Augustino, Fulgentio, Anastasio, Anselmo, Seneca. Nunc ipsum Rupertum de huius auocamenti inanitate pronunciantem, aduoco ex prologo in Apocalypsim, vbi excusat quod nouum commentarium in librum tot scriptorum vigiliis subactum, molitus esset. [Sanctarum (inquit) Scripturarū spaciosus ager, omnibus Christi confessoribus communis est, & tractandi illis nulli inre negari potest licentia, dummodò salua fide, quod sentit, dicat, aut scribat. Quis namque rectè indigneturr, eò quod in eadem possessione post vnum aut duos puteos quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio fodiant labore filij succedentes? Denique Isaac & alios puteos fodit præter illos quos foderant serui patris sui Abraham, quos illo mortuo olim obstruxerant Philistiim. Nam postquam & illos rursum fodit, appellauitque eos eisdem nominibus quibus antè pater vocauerat, sequitur Scriptura, & dicit: *Foderunt in torrente, & repererunt aquæ viuæ* Item *foderunt & alium.* Ac deinceps: *Profectus inde fodit aliū puteum.* Itaque iuxta hanc regulam, nobis quoque concedant, post illos puteos quos foderunt, id est, post, illos tractatus quos tractauerunt patres & priores nostri, & alios fodere puteos proprij vomere ingenij, dummodò viuum & nos aquam reperire possimus, quæ nulli nocat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti.] S. Bernardus in calce homiliarum super *Missus est* modestissimè simul ac optimè, nouitatem lucubrationis de materia toties pertractata, excusat. Iungamus his PP. Richardum tract. 1. de tabernac. fœderis in prologo, cuius hæc ex parte est oratio. [Qui assiduè producit nouos fructus ad recreationem hominis exterioris, nunquam credendus est nullos de cætero scientiæ profectus imperiri, ad innouandos sensus hominis interioris. Vbi ergo est illud quæso, *pertransibūt plurimi & abundabit scientia?* Nemo itaque mihi obsecro indigneturr, si de messe Domini remanentes spicas, & quæ messorum manus effugere potuerunt collegero.] Profiteur ibidem Richardus, hæc à se dici aduersus illos qui ad quascumque nouas de argumento iam discusso scriptiones nauseant, nec nisi antiquorum laboribus delectantur. Ipse è contrario, vt abiiciendos negat antecedentium ingeniorum partus, sic posterioribus quoque, contendit saluam esse oportere laudem suam.

7. Hæc si de aliis sacris argumentis verè prudenterque affirmantur, quantò iustius de mysterio ad quod aggredimur sunt pronuncianda; cùm & dignitate ampliissimum, & difficultate sit maximum; vt propterea nullus circa illud labor vanus, nulla noua diligentia superflua videri meritò possit? præsertim cùm constiterit nullam anteriorem tractationem exhausisse argumenti vbertatem. De quo non potest esse ambiguum. Vt rectè sanè in quamcunque de hoc mysterio scriptionem cadant illa à S. Chrysostomo prolata de sua quadam disputatione de Christo, & eius regno. [Omnes dicendi neruos intendimus, & his qui auscultant, iusta sufficiensque obtigit enarratio, iusta, inquam, non si dignitas rei prædicandæ, sed si meæ prædicantis vires spectentur. Neque enim vel in cœlis vel in terris aliquid tale quod laudatissimam Vnigeniti dignitatem meritis laudibus efferre possit. Multa sanè de Domini theophania prædixerunt Prophetæ, multa decrenit lex, multa prædicauerunt Apostoli, multa promulgarunt Euangelistæ, & adhuc dignitatem illam, ne vllus quidem assequi potuit. Quòd si tanta Spiritus sancti flumina perpetuis limpidisque amnibus manantia, omnes humanas vires insumpserunt, & nihil quod par sit, ac dignum virtute diuina eructarunt; vbinam tenuissima sermonis gutta comparebit, quum talis ac tanta sermonis eminentia proponitur? Qui posset mortalis lingua immortalem naturam dignis præconiis celebrare? Profectò non capit humana ratio, vt sermo ille per quem mundus est factus, quantum addecet, prædicetur. Quid igitur? Prædicamus quantum possumus, quandoquidem non possumus quantum debemus. Quippe in aliis quidem certaminibus laureas referunt qui victores, redeunt: at in disputationibus de rebus diuinis, solis illis debetur corona, qui se rei magnitudine victos ingenuè fatentur. Itaque vincamur dicentes, ne condemnemur silentes.]

Vnde fastidium repetitæ tractationis, leuandum.

8. Et non est quidem apud iustos æstimatores propositorum huius tractationis decorum, fastidio Lectorum timendum ab eius inculcatione, aut prosecutione diffusiore. Quinimò Richardus Victorinus l. 2. de Eman. cap. 20. Hugonem cum quo colloquitur, inducit valdè improbantem quod Richardus præmiserat, metuere se tractationis de Christo fastidium. E contrario enim reponit Hugo. [O quàm frustra timemus circa illam materiam studiorum nostrorum moras impendere, quam semper oporteret, si fieri posset, præ oculis habere, & in eius admirationem iugi occupatione animos suspendere.] Tamen vt multò magis fastidij periculum amoliar, simulque vt venerabilior sit disputatio Patrum in hanc rem præclarè dicta, veluti gemmas studiosè legam inseramque, secutus prudēs consilium quod his verbis suggerit Petrus Cellensis lib. 1. de tabernac. in fine expositionis mysticæ. [Hæc summatim de dictis Sanctorū recolligo, vt si opusculum nostrum propter se displiceat, vel propter Sanctorum sanctas reliquias non vsquequaque abiiciatur. Etsi enim ligneam pixidem, propter se, non suscipio: tamen, quia continet Sanctorum corpora & ossa, debita veneratione illam excipiens, summis digitis lotisque manibus tenens lignum, aliter quàm lignum honoro.] Eadem fācto Bernardo mens fuit, quod testantur illa eius verba hom. 3. super *Missus est*, initio. [Libenter vbi mihi congruere video, verba Sanctorum assumo, quo vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæcumque in eis Lectori apposuerim.] Perbellè huc quoque cadunt quæ sui Hexaëmeri initio disputat Gregorius Nyssenus. causam reddens cur S. Basil j sententiis ac verbis suam de eodem argumento commentationem esset exornaturus. Anastasius denique in vestibulo Anagogicarum contemplationum in Hexaëmerom, legulam

se apem, & formicam, sanctorum Patrum & sensa,& verba sublegentem , in eo opere futurum non modò non dissimulat,sed etiam prædicat. Nostrum denique esto signaculum quo Gillebertus in Alterc. Synag. & Eccles.c.13.obsignat. [De messe maiorum spicas colligimus,qui de horreo nostro nihil habemus.]Idque ad fastidij euitationem , plurimum conferre , tradit idem autor ibidem c.18.*sub finem.*

Commodabit etiam lenando fastidio non parum, quod non vni Scholasticæ spinositati insistere in hac tractatione est animus, vt ferè hactenus factum ab iis qui hoc argumentum versarunt : sed consilium est,alia præterea quæcumque huius materiæ ornamenta consectari : & nominatim vsum doctrinæ qui hinc ad mores extat vberrimus atque lectissimus, vt sapienter tradidit Guerricus serm.2. de Annunc. his præter cetera. [Nescio si vlla esse possit efficacior ac suauior morum ædificatio,quàm huius mysterij, id est.verbi Incarnati fidelis & pia consideratio. Quid enim ita hominem excitare potest ad amorẽ Dei,quàm præueniens amor Dei tam vehemens ad hominem,vt homo propter hominem velit fieri?Quid autem ita nutrit amorem proximi, quàm similitudo & natura proximi in humanitate Dei ? Nam humilitatis exemplum , nec cogitari posse maius aliquod existimo , quàm exinanitionem Dei in formam serui , & seruitutem plusquàm serui. Castitatem porrò quid æquè commendat , sicut quod ipsa castitas Saluatorem germinat? Aut fidei virtutem ac meritum,quid euidentius ostendit,quàm quod virgo Deum fide concepit fide omnia sibi promissa diuinitus impleri promeruit ? *Beata* (inquit) *quæ credidit, quoniam perficientur quæ dicta sunt ei a Domino.* Et vt plenius noueris conceptum Virginis non solùm esse mysticum , sed & moralem; quod sacramentum est ad redemptionem , exemplum quoque tibi est ad imitationem,vt manifestè in te euacues gratiam sacramenti, si non imiteris virtutem exempli.]

PROLOQVIVM II.

Præsuppositio fundamentaria de Christi existentia.

QVandoquidem vniuersus labor noster in hoc Opere ad Christum dirigitur , præsupponendum necessariò hîc nobis est fundamentum cui tota consequens substructio inædificetur solidè; alioqui vacillabunt omnio , nisi Christum , hominem simul ac Deum, aliquid esse verè existens,& non rẽ merè imaginariam , statuamus. Hanc voco præsuppositionem fundamentariam , quia probatio existentiæ Christi, non potest spectare ad tractationem de Christo , quæ Christi existentia planè nititur. Sicut scientiæ naturales nequeunt sibi fundamentum primum iacere,& obiectum suum stabilire ; sed illud supponunt , atque præmittunt.Et quamuis tractator supremæ scientiæ;sin minus qua tali scientia præditus , at saltem qua homo ratione & discursu pollens , suum sibi subiectum stabilire cogitur contra negantes , vt in Metaphysica & Naturali Theologia est ostensum , ideoque Theologus qui nulli alteri disciplinæ subest, possit ac debeat , prædicto modo partialis huius Theologiæ obiectum aduersus negantes firmare : Tamen quod Christi existentia nunc sit explorata , non placet in ea astruenda multam operam ponere. Reclamant enim dumtaxat , vel recutiti Apellæ qui Christum venisse pertinaciter diffitentur , vel Ethnici quibus diuina œconomia risus & stultitia videtur. Vtrique autem turpissimè hallucinantur , vixque confutatione egent.

2. Ac Iudæorum quidem peruicacia,tanta vi ac fortitudine ab egregiis plerisque tractatoribus contusa est , vt miserationem potiùs aut indignationem moueat , quàm nouam exagitationem deposcat. Ipsum certè vetus instrumentum , frequentia loca submini-strat quibus Christi veri Dei & hominis existentia,tali tempore quale Christiani assignamus,manifestè euincitur.Eiusmodi est,locus ex cap.49.Genes. quo asseritur, regnum Iudæorum stabilitis aliquando toti Israeli certis sedibus mox inchoandum , non defecturum de domo Iuda, nisi sub Messiæ Dei simul ac hominis tempora.At defecisse ante annos mille sexcentos, hoc est quo tempore Christum venisse affirmamus Christiani, egregiè demonstrat Cyrillus Hierosol. catech. 12.*sub medium*.Nam quamuis iam à temporibus Iechoniæ visum esset defecisse sceptrum in domo Iuda , tamen reuera in ea perstitit: partim in Sedecia , partim mox in Zorobabele eiusque successorib⁹de Tribu Iuda,vsque ad Assamonæos, penes quos fuit summa rerum vsque ad Herodem.Erant verò Assamonæi ex tribu Iuda per lineam fœmininam, quod satis est ad veritatem prophetiæ à Iacobo editæ. Nam etiam nunc vetus prosapia Regum Hispanorum , dici verè potest dominari Hispaniæ per Austriacos , qui per lineam dumtaxat fœmininam ab illis ducunt originem.Perinde autem erit,si dicas cum Andrea Cydonio lib.1.pro Baronio c.10. Assamonæos non nisi interreges fuisse: quia ea conditione acceperant Ducatum,vt illum Regiæ stirpi restituerent,cùm primùm constitisset, cui ex ea stirpe vellet Deus restitui:qua conditione non accepit regnum Herodes, quem Romani absolutè Regem dixerunt : ideoque concidit tunc regnum Iuda, defecitque dux de femore eius : Ac proinde fuit id rempus aduentus Domini,iuxta Iacobi vaticinium.

Alius locus sanè illustrissimus,cuius etiam tunc veritas innotuit, habetur Danielis 9. vbi Propheta prænunciat,expleris septuaginta hebdomadibus annorum, venturum Messiam. Versarunt diligenter eum locum ad hanc veritatem confirmandam , Tertullianus lib. contra Iudæos cap.8.Chrysostomus orat.2.contra Iudæos , Basilius Seleuciæ in demonstratione aduersus eosdem ; breuiter sed optimè Isidorus Pelusiota lib.3. epist.89. Patrata item tũc sunt mira illa opera curationum,quę adueniente Messia fore patranda,toties prænunciarant Prophetæ,quod rectè expendit S.Cyprianus lib.de Idolo vanit.num.72.Sub idem tempus contigit antiqui templi destructio , vnaque sacrificiorum carnalium que extra templum fieri vetabantur, euersio:vnde optimè in hanc rem argumentatur S. Chrysostomus hom.7.in 2.Cor.ad illud,*Vsque in hodiernam diem*,& benè etiam Nyssenus in orat.magna catechet. cap.18.Contigit item prædicta in Scripturis malorum in Hebræos ob vim Christo illatam eluuio , de qua plenissimè Mendoça 1.Reg.2.annot.24.

His ergo,variisque præterea aliis argumentis è vetere instrumento petitis, redarguuntur manifestæ cæcitatis Iudæi,qui Christum venisse nolunt admittere; & cùm reipsa venit,oculos ad tantum splendorem occluserunt , diligentes magis tenebras quàm lucem. Causas velaminis super Iudæorũ oculos tunc oppassi, perpulchrè profert S. Cyprianus lib. de vanit. Idolo. *sub finem*.In hanc rem vniuersam,videndi qui diligenter ac ex instituto in eam incubuerũt, Petrus Alphonsus, Hieronymus à S.Fide, Iacobus à Valentia, Paulus Burgensis , Samuel Marrochianus , omnes è Iudæis Christiani. Itemque ex aliis, Clemens Rom.5.constit. c.19. Tertullianus lib. contra Iudæos. S.Cyprianus in opere testimoniorũ aduersus eosdem. Iustinus in colloquio cum Tryphone. Eusebius lib.2.de demonstrat.

Leon

Leontius lib. de sectis actio. 2. Iulianus Pomerius libris suis contra Iudæos, & contra eosdem Anastasius Abbas qui habetur tom. 8. bibl. Colon. & ibid. tom. 12. Andronicus Constantinopolitanus. Petrus Damiani Opusc. 2. Petrus Cluniac. tract. contra inueter. Iudæorum duritiam, Ebrardus in opere contra Valdenses c. 27. Armacanus de qq. Armeno. lib. 1. 2. 3. & 4. Finus in flagello, Porchetus in victoria Hebræorum, Galatinus in opere de arcanis, Bouerius in demonstrationibus rerum fidei, aliique absque numero.

3. Iam verò Ethnicos existentiam Christi inficiantes, tametsi non possumus sicut Iudæos directè vrgere ex Scripturis, quas non agnoscunt diuinas, idque S. Cyprianо Lactantius haud absre vitio verterit l. 5. instit. cap. 4. indirectè tamen eos quoque ex Scripturis vrgere possumus, quatenus in eis pleraque de Messia Deo simul & homine sunt prophetata, quæ omnia conspicimus impleta. Prophetas enim de Christo pleraque prænunciasse de fide est ex Rom. 1. & Lucæ 24. vt ferè sine non possit error Theodoro Mopsuesteno adscripsisse, negans vllas esse de Christo prophetias. Quamquam Facundus lib. 3. pro tribus capitu. cap. 6. absurdissimo illo errore liberare Theodorum nititur: Verùm ne frustra. Nam in S. Synodo actio. 4. loca quædam ex ipso Theodoro proferuntur, quæ ægrè mollinntur. Ibidemque actio. 5. adducitur testimonium ex Hesychij Hierosolymitani Ecclesiastica historia, quo ipsum Theodoro tribuitur. Sed de vero sensu erroris Theodori, pluribus Franc. Turrianus in defensione secundi Const. Clem. ad cap. 5. & Pineda lib. 5. de Salom. c. 19. ac nos infrà, agentes de *Christo Amen*. Præter cætera autem de Christo prophetata, impletam videmus Ethnicismi per Christum euersionem, & conuersionem infidelium tanto antè prænunciatam, quod rectè vrget. Tertull. lib. 3. contra Marcio. à cap. 20. addens cap 23. argumentum ex Iudæorum item exitio, tanto ante prædicto, & reipsa impleto ob iniuriam Christo irrogatam. Nec possunt Ethnici causari, Scripturas illas esse à nobis confictas. Iudæi siquidem iurati hostes nostri, qui nihil in fidei Christianæ gratiã dissimularent; locupletes testes sunt, veritatis talium Scripturarum tot antè seculis apud ipsum diligentissimè asseruatarum. Obseruantque hac in parte SS. Patres, singularem Dei prouidentiam, quæ ad hunc finem nõ prorsus exoiit Iudæos, sed seruatas eorum reliquias per vniuersum orbem dispersit, vt essent librarij & capsarij nostri. Ita Iustinus in præn. ad Gentes *sub medium*, Chrysost. in psal. 8. & 44. ac optimè hom. de cruce quam descripsit Gretserus tom. 2. de Cruce (pag. 281.) August. serm. 32. de tempo. & serm. 67. de diuers. & lib. 1. de consen. Euang. c. 14. & lib. 18. Ciuit. cap. 46. & ep. 59. ad quæstionem secundam, ac sæpè alibi. Igitur quandoquidem tam multa de Christo Deo & homine ad certum tempus venturo sunt prophetata, eaque signa impleta deprehendimus; fatendum est venisse Christum. Vrget optimè hoc aduersus Ethnicos argumentum, Iustinus Apolog 2. *sub medium*, Eucherius hom. 2. de Pasch. *initio*, & illud omnibus aliis argumentis anteponens Cyrillus Hierosolim. catech. 12.

4. Ago porrò de propheriis indubitatò diuinis, & contentis intra sacros codices. Neque enim placet vrgere propheticas quasdam Christi venturi prænunciationes à nonnullis prolatas. Eiusmodi est illa quam recitat S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Item alia quam narrat Rodericus Sanctius parte 3. histor. Hispan. scribens Iudæum Toleti anno 1231. intra saxum solidum quod diffindere aggressus erat, reperisse ligneum libr̃ũ, quo exaratũ habebatur, tali tempore quale nos Christiani profitemur, Christũ ex Maria Virgine nasciturum, & pro mundi salute passurum; quam fuisse Iudæo accessionis ad Christianismum occasionem, prodit Roderici. Recitat illa ipsa Martinus Polonus in Chronico c. 187. Similiterque sui Ordinis Hispanis Patribus, cum eo anno ad Generale Capitulũ venissent narrata, asserit Dorlandus in Chronico Cartusiensi. l. 4. c. 16. Affinis denique est narratio alia, quam Metaphrastes in vita S. Procopij Martyris exhibet de priscis Argonautis qui post Cyzicum Iasone duce captum, ædificarunt templũ insigne, de cuius dedicatione sciscitati Apollinem, accepère responsum quo docebantur, huiusmodi templum consecrari oportere [Virgini simplici nominis Mariæ, in qua Verbum Dei ab interitu alienum, concipiendum esset.] Proditur posteros Argonautarum tanti feciss hoc oraculum, vt passim marmoribus incisis illud ad fores insculperent. His vt fidem prorsus non abrogo, ita nec ea vrgere in rem præsentem, est animus, cùm habeamus firmiorem & indubitatum propheticum sermonem. Multò plus quàm prædictis narrationibus, tribuerim argumento ducto ex Sibyllarum de Christo prænunciationibus, quod constat primis Christianis aduersus Ethnicos adeò fuisse frequẽs, vt inde ab Ethnicis dicerentur *Sibyllistæ*. Et quanquam fuerintne Sibyllæ, prophetides Dei, an Diaboli, anceps causa est, de qua plenè actum in Natur. Theol. distinct. 5. à num. 294. Tamen argumenta pro Christianis mysteriis ex earum prænunciationibus petita visa semper sunt Christianis valdè commoda, aduersus Ethnicos qui Sibyllis tribuebãt plurimùm. Et nominatim Constantinus Magnus orat. ad SS. cœtum, pro corporatione Verbi Dei, eiusque in mundum aduentu, egregiè vrget Ethnicos, ex Sibyllarum tam luculentis tamque expressis de Christo pronunciatis, quorum pleraque legere est apud Bellarminum lib. 1. de Christo cap. 11. Nihilominus quod præ prophetiis Canonicis, prænunciationes Sibyllarum non sint tanti, illis nunc vrgendis non instiri, sed eas tantùm prophetias ad firmandam Christi existentiam adhibui, quas indubitatò diuinas agnoscimus.

5. Argumento sanè valido, ex testimoniis Prophetarum de Christo, adiungi potest probatio ex multiplici testimonio, quod datum Christo esse obseruat Petrus Damiani serm. 1. verbis illis. [Immobile profecto, & immutabile est Christi mysterium, quia multiplex habuit testimonium. Habuit enim testimonium hominum, testimonium Angelorũ, testimonium mulierum, testimonium virorũ, testimonium senum, testimonium parvulorum, testimonium terrenorum, testimonium cælorum, testimonium Gentilium, testimonium Iudæorum, testimonium antiquorum, testimonium modernorum, testimonium lucis, testimonium tenebrarum testimonium legis, testimonium Prophetarum, testimonium Regum, testimoniũ turbarum, testimonium viuorum, testimonium mortuorum, testimonium brutorum, testimonium Solis, testimonium Elementorũ.] Prosequitur sigillatim eo loco Damiani, omnia prædicta testimonia Christo axhibita, proferens eorũ exempla: tandemque concludit, euerti inde omnes veritatis hostes, & omnem linguam vel inuitam adigi vt confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Huc denique spectare possunt omnia illa argumenta, quibus euidens Christianorum mysteriorum credibilitas suaderi solet. Omnia enim per se primò cadunt in Christi existentiã. Persecutus est ea quàm diligenter Valentia in Analysi fidei parte 1. & breuiùs sed luculenter 2. 2. disp. 1. q. 1. p. 4. §. 3. possuntque reduci ad tria capita: nempe 1. ad ea quæ se tenent ex parte doctrinæ reuelatæ. 2. ad ea quæ se tenent ex parte Doctorum vel professorum eius. Tertio denique ad ea quæ sunt ex parte Dei, aliquo sibi proprio effectu, aut testimonio, obstigantis istiusmodi fidem. Verùm in re omnibus mysteriis nostris cõmuni, non est hærendũ hoc loco. Peculiarem verò quoad hoc mysterium, nec minùs prolixam quàm planè insignem & omnibus eloquentiæ

quentiæ nexus firmata m disputationem illius generis, suppeditabit S. Chrysostomus libro cui titulum fecit, *Demonstratio quod Christus sit Deus*, vbi non Scripturæ testimoniis, sed argumentis quibus Ethnici quoque vrgeantur, existentiam Christi confirmat, disertissimè ac fortissimè. Videsis insuper D. Augustinum cum Volusiano Ethnico agentem, epist 3. *sub finem*, & S. Anastasium lib. de Incarnat. Verbi & eius corporali ad nos aduentu; rursusque ex S. Antonij persona cap. 64. vitæ eius; Abucaram opusc. 21. Lactantium 4. instit. per multa capita; & Gennadium Constantinopolitanum in respons. ad qq. Saltani à cap. 14.

6. Existere itaque Christum, & existentia potitum à tempore quod signauimus, ratum ac fixum esto: ac proinde fortiùs stabilienda, siue contra Iudæos, siue contra Ethnicos, existentiæ Christi veritate, ne simus vltra solliciti, sed potiùs ex Iudæorum & Ethnicorum infidelitate, legamus fructum suspiciendi diuinam bonitatem, in quam aptè hac in parte cadat illud de quodam à D. Augustino pronunciatum serm. 50. de diuersis. [Beatus qui tantum bonum fecit, vt non crederetur. [Tantum inquam bonum per Verbi sui incarnationem nobis contulit Deus, vt infidelibus prædictis; incredibile sit visum. Scitè S. Chrysostomus hom. 4. in 1. ad Timoth. *initio*. [Adeò magna sunt beneficia Dei, atque in tantum humanam omnem expectationem ac spem transcendunt, vt ea sæpiùs vix credantur. Quæ enim nunquam humanus animus aut cogitare, aut sperare potuit, ea nobis cuncta largitus est: vt fermè Apostoli plurimùm laborauerint, vt nobis persuaderent, credere dona à Deo nobis indulta. Quemadmodum enim in excellentibus quibusque donis hoc patimur, vt dicamus; putásne hoc somnium est? Propterea quod non credamus, ita & in diuinis profectò muneribus.] Sed in hoc de quo agimus, omnium maximè. Pulchrè item Theodoretus ad finem libri sexti contra Græcos, alloquens Ethnicos. [Tanto vsus est Deus noster lenitatis excessu, vt incredibile hoc & vobis & vestris similibus factu obiiciatur, vnigenitum videlicet Dei Filium qui est ante sæcula Deus verbum, quique opifex est rerum omnium, humanitate nostra assumpta hominem factum esse, nostramque hoc pacto salutem peregisse. Atqui eos Medicos maximè laudare soletis, non qui vos quidem suis ministris curãdos ægros committunt, sed qui pallium deponunt, interulamque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vlcusque si sit opus, incidunt, neque fœtorem vlceris auertantur, imò autè profluentem saniem excipiunt, spongiaque inspergunt, & vnguenta compingunt, aliaque remedia multa conficiunt, quæ adhiberi medicinæ lex iubet. Neque verò illos etiam Reges admirari, laud. busque ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis molliter enutriti, omni genere deliciarum perfrui solent, sed quibus graue non est, pro subditis hominibus, caput periculis obiectare, quique armis obrecti, in prima acie cum hoste fortiter pugnant.] Quare est quod æquè Dei nostri erga nos dignationem ac pietatem suspiciamus, ac nostram detestemur superbiam & ingratitudinem, quæ per bonum operata malum, sumpsit ex magnitudine boni diuini, occasionem incredulitatis, in qua diuina prouidentia, inflatos ac typho suo turgentes seculi sapientes & fortes terræ dimisit, vt confunderet fortia aduersata veritati tanti mysterij, quod celauit magnos, detexit paruulis, inde meritò valdè excitandis ad confitendum Domino, & tantæ cùm dignationi, tum sapientiæ, sacrificandam de fermento nostro laudem.

7. Vnde ego quoque, (vtar enim S. Paulini verbis epist. 21.) minimus omnium minimorum Domini, exiguorumque tenuissimus, & infantium infantissimus, audeo in vocem laudis erumpere; gratias agens Domino altissimo, quoniã mysterium pietatis excelsæ, quod in thesauris sapientiæ suæ habebat repositum, paruulis suis prompserit, & sapientibus mundi absconderit; ne gloriaretur hic mundus in suorum vanitate sapientium, per quam offusa sibi caligine non agnouerat sapientiam Dei. Pax autem nostra Iesus, qui venit vt vtraque vnum faceret, & omnia æqualitate componeret, destruxit fortia, & elegit infirma: spreuit sapientia, & assumpsit stulta, vt fieret æqualitas, nemine sibi quidquã proprium vindicante, cùm omnem non nisi diuino munere salutis ac sapientiæ compotem, necesse esset in Domino gloriati.] Hunc mihi, hunc Lectori sensum apprecatus, ad rem aggredior. [Adsit tantum disputationi ac sermoni de se habito, ipsa veritas, & pietate illa qua Deus ad homines venire dignatus est humanis erroribus opituletur, qui ad hoc se vel maximè in terris, atque in homine nasci voluit, vt falsitati amplius locus esse non posset.] Votum est Cassiani lib. 1. de Incarn. c. 6. quod meum esse, medullitùs volo.

LIBER I.

LIBER PRIMVS.

Christus, Ænigma diuinum, quàm malè à Sectarijs veteribus iuxta ac nouis enodatum.

VT in veteri argumento, noua saltem ratione versemur, aliam inibimus viam, quam cui siue Scholastici siue alij qui de Christo scripserunt, hactenus institère. Neque enim vel nuda disquisitione scholarum minutiloquio & contentionibus accommodata, vel superficiaria aliorum qui sacris suggestis seruiunt, de Christo commentatione, contenti erimus. Nimirum prior, ieiuna nimiùm & arida, penè dixi horrida est: posterior, plerumque euanida, & vulgò moralium quàm eruditis conuenientior. Quare quod in vtraque optimum videbitur sublegentes, & interuiscentes, Christum considerabimus vt ænigma sacrum à Deo propositum, quod primùm exhibebimus cum omni ea tenebricositate & caligine, quam illi summam offundi, Scripturarum oraculis & SS. Patrum testificatione docemur. Tam variis illegitimis eius enodationibus referendis, solideque refellendis operam nauabimus; subijcientes ad extremum, & Scholastica accuratione pertractantes eam enodationem quæ eum fidei scitis & reuelationis amussi consentit. Qua in tractatione, internas Christi causas ad eius essentiam pertinentes constituemus, & exponemus: eamque expositionem, subiunctis plerisque sacris emblematis veluti sertis è Scripturarum horto decerptis, amœnabimus. Inde ad externas existentiæ Christi causas, diuinum scilicet in eius productione consilium, & moralem ac physicam eiusdem productionis efficientem causam progrediemur, variis sacris emblematis eodem pertinentibus non prætermissis. Subiungemus postea, naturæ & gratiæ concursum, ad compositum sic productum, quantum per diuinæ sapientiæ regulas decuit, honestandum. Tandem concludemus tractationem vniuersam, enumeratione & expensione Christi attributorum, siue numerum, ac titulorum Christo conuenientium vi vnionis naturarum & consequentiù ad eam perfectionum. Si cui hæc tractationis de Christo ratio admissis ænigmatis, vilior aut spinosior appareat; audiat respondentem Guericum serm. 5. de Natiu. Dom. *sub finem.* [Sicut mater Maria, quibusdam assumentis pannorum inuoluit infantem, sic mater gratia dispensatoriis speciebus, rerum eiusdem sacri corporis nobis obtegit veritatem; sic etiam mater sapientia ænigmatibus & figuris arcanam diuini Verbi contegit maiestatem, quatenus & ibi simplicitas fidei, & hic exercitium studij, meritum sibi cumulet ad salutem. Nam & ego, cùm vobis veritatem quæ Christus est, verbis meis enuntio, quid aliud quàm Christum pannis satis vilibus involuo. Beatus tamen, cui nec in pannis istis Christus est vilior; sicut nec merces pretiosæ prudenti vilescunt propter veteres quibus amiciuntur sacculos. Christus planè est quē vobis tradere cupio qualibuscumque sermonibus nostris, vt iuxta sermonē Petri Apostoli sanctificetis eū in cordibus vestris. Suscipite in mansuetudine insitum verbū quod potest saluare animas vestras, & verbū Christi abundanter habitet in vobis, amor scilicet & memoria Verbi Incarnati, quatenus tā feliciter quàm fideliter decantetis, *Verbum caro factum est & habitauit in nobis.*] Hic nobis quoque scopus in huius de Christo ænigmatis, tanquā vilium pannorum & obsoletorum tegumentorum propositione.

SECTIO I.

Expressio Christi ænigmatica.

2. EST ænigma iuxta D. Augustinum 15. Trinit. c. 9. [Quæuis similitudo, dummodò obscura, & ad perspiciendum difficilis.] Nam vt mox addit, [nomen alicubi non sonaret ænigmatis, si esset facilicas visionis.] Concinit ænigmatis descriptio tradita à Cassiodoro libro de schematis & tropis, ex Sacerdote, quem non Bedam, vt mentitur titulus sed alium esse, necesse est fateri, cùm fuerit Cassiodorus, non exiguo interuallo, Beda antiquior. Ex proposita porrò ænigmatis notione patet, quid de Christo exhibendum proponam; nempe imaginem aut similitudinem quamdam eius, non tamen qualēcumque, sed caligine offusam, nec ita facilè perspiciendam. Imaginem porrò cum dico, olim picturam quampiam, aut expressionem adhibito penicillo factam concipias: sed quod de prophetia, quæ & ipsa ænigmatis annumeratur, dictū sapienter est à S. Gregorio l. 22. moral. c. 21. illam non semper verbis sed aliquando etiam rebus exhiberi: hoc de imagine & similitudine proposita intelligas velim: esse scilicet realem imaginem, ex substantiarum diuersissimarum adunatione coagmentatam, tantisque obsepta tenebris, vt quid sit, luscioſis oculis nostris innotescere satis non possit.

CAPVT I.

Ænigma diuinitùs propositum, VERBVM CARO, *seu* DEVS HOMO.

IN vsu olim sapientum fuisse si dixero, ænigmatis struendis ac dissoluendis ingenium exercere, rem peruulgatam protulero. Salo non iuxta Siracidem cap. 47. *Impletus est quasi flumen sapientia; retexit terram anima eius, & repleuit in comparationibus ænigmatum.* Æmulatos hoc studium, non modò Hiramum Tyriū Salomonis æqualem, & in ænigmatis antagonisten auctore Iosepho lib. 1. contra Appionem: itemque Reginam Sabæ quæ 3. Reg. 10. *venit tentare Salomonem in ænigmatibus*, sed etiam vulgò & passim Hebræos ab ineunte ætate, Eusebius auctor est 11. præpar. c. 3. Inter Græcos quoque, Pythagoram referente in eius vita Iamblico ac Porphyrio lib. 1. historiæ philosophicæ, nec non Cleobulum Lyndium è septem Græciæ sapientibus vnum, ipsumque Platonem auctore Synesio initio libri de insomniis, concinnatione ænigmatum delectatos constat. [Aristotelem, diligentissimè Pythagoræ ænigmata in suis libris esse persecutum,] notauit S. Hieronymus lib. 3. apolog. aduersus Ruffinum cap. 10. Apud antiquos Philosophos, plena ænigmatum fuisse omnia, monstrauit adductis aliis in Morali Distinct. 1. c. 4. artic. 5 *initio*. Sed omnium maximè Ægyptij id in studium incubuere, vt Plutarchus prodidit lib. de Iside, & S. Cyrillus lib. 9. in Iulian. ad text. 2. ac Clemens Alexandrinus lib. 5. strom. quo propè toto, de ænigmatibus antiquis aceruat quàmplurima.

Deus ænigmatistes, in naturæ & gratiæ ordine.

4. Illud expensione dignius: Deum ipsum, & quatenus

tenus naturæ & quatenus gratiæ auctorem, ænigmatũ opificem iam olim audisse. Mundus sanè, ænigma quoddam est diuinum. Est enim *Dei poëma*, vt scitè de more dixit Philo l. quod deterius potiori insidietur, *Dei poëticam* potentiam vniuersi fabricatricem describens. At ænigma, priscis idipsum fuisse quod poëma, & poëtam eundem cum ænigmatiste,, mox dicam. Quid quod disertè Paulus, nos nunc per mundum & mundanam supellectilem cõtuentes Deum, ait videre in ænigmate? Est itaque mundus, ænigma Dei. Transcendendo verò naturæ ordinem, & doctrinæ reuelatæ seriem considerando, comperiemus vniuersam propè scripturam diuinitùs inspiratam, ænigmatis constare, quod his verbis prodidit Clem. Alexandr. præfatus idcirco Ægyptios in sacris sphyngas ponere, quod omnis de Deo oratio sit ænigmatica. [Longum fuerit omnia persequi prophetica & legalia, ea afferendo quæ dicta sunt per ænigmata. Ferè enim vniuersa hoc modo loquitur diuina scriptura.] Origenes homil. 13. in num. sic scribit in eandem sententiam. [Ænigma dicitur sermo figuratus. Ænigmatistæ ergo dicuntur, qui figuraliter loquuntur. Et quis est alius, qui in figuris locutus sit, nisi lex & Prophetæ? Audi enim quomodò Dauid dicit; *aperiam in parabolis os meũ, loquar propositiones ab initio sæculi.* Sed & Esaias, quod ænigmata sint quæ scripsit, hoc modo declarat: *& erunt*, inquit, *verba libri huius sicut verba libri signati, quẽsi dederint in manus hominis nescientis literas, & dixerint ei; lege; dicet nõ noui literas. Si autem dederint scienti literas, dicet non possum legere, signatus est enim.* Signatus autem dicitur liber, pro eo quod figuris perplexus est & ænigmatibus inuolutus.

5. Præiuerat & Clementi & Origeni, S. Irenæus l. 4. c. 43. quo loco [omnem prophetiam priusquàm habeat effectum, ænigma hominibus esse,] confirmat: eaque ratione, Christum Dominum, sub nomine regni cœlorum quo non infrequenter donatur, censet appellatum, *thesaurum absconditũ in agro.* Thesaurum quidem, ob pretiositatem & excellentiam. Absconditum verò, quia in tota veteri scriptura per typos & ænigmata est præsignificatus. In quam rem plurima disputat Rupertus l. 3. de victor. verbi Dei c. 26. & 27. Eodem præterea refert S. Irenæus, locum ex Danielis 12. quem ex veteri interpretatione sic allegat. *Muni sermones, & signa librum, vsque ad tempus consummationis, quoadusque discant multi, & impleatur agnitio.* Nostra editio eum locum sic expressit. *Claude sermones & signa librum, vsque ad tempus statutum; Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Sensus eòdẽ recidit, tametsi extima verborũ facies, multiplex videtur. Significat igitur Propheta, sermones diuinitùs inspiratos quos promebat, obsignatos & clausos fore, vsque dum plenitudo tẽporis per Christum aduenisset. Interim verò, sermonum illorum quippe perdifficilium valdeque implexorum, multiplicem omnino interpretationem fore proferendã: Multos enim multa dicturos, donec illucescente per Christum die, & inundante scientia, sicut exundat Tigris in diebus nouorum, ignoratio illa & obscuritas ænigmatum Christum præsignantium, depelleretur: quod Christi aduentu factum, infra gratulabimur cum auctore libri de oper. Christi Card. serm. de Natiu. Christi admonente, non amplius in manibus Prophetarum inuolni similitudines & ænigmata; missо in mundum Christo qui illis ambiguitatibus præsignabatur. Et non erant quidem omnia Prophetarum dicta, propriè & simpliciter ænigmata, quod Tertullianus pulchrè demonstrat lib. de resurr. carnis c. 20. quia nonnulla concipiebantur absque figuris & imaginibus implexis. Eatenus tamen omnia haberi tunc poterant ænigmatica, quatenus non patebant; & magnam partem erant etiam simpliciter ænigmata, & obscuræ imagines præsignificantes Christum: ita vt non sola cantica canticorum dici possint ænigmata, cum S. Augustino lib. de pastor. c. 15. sed. & propè vniuersa vetus scriptura, ob eam Christi per implexas imagines & obsuras similitudines præsignificationem.

Christus, ænigma diuinum.

6. Erro qui Christũ ænigmatibus priscis præsignatum duntaxat dicam, cum fuisse Christum ænigma diuinum, inter ænigmata varia à Deo proposita præstantissimum, dicere oportuisset. Sanè priscis poëma idipsum fuisse quod ænigma, & Poëtas idipsum quod ænigmatistas, S. Augustinus auctor q. 45. in Num. vbi exponens illud ex cap. 21. iuxta 70. *Propterea dicent ænigmatistæ, venite in Hesebon*, sic scribit. [Qui sint ænigmatistæ ideò non apparet, quia non sunt in cõsuetudine literaturæ nostræ, neque in ipsis diuinis scripturis ferè alio loco reperitur hoc nomen, sed quia videtur quasi canticum dicere quo cecinerunt bellum inter Amorræos & Moabitas gestũ, in quo Seon Rex Amorræorum Moabitas superauit, non incredibiliter putantur isti ænigmatistæ, sic tunc apellati, quos Poëtas nos apellamus, eò quod Poëtarum sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur. Non enim aliter essent ænigmata, nisi illic esset tropica locutio, qua discussa peruenireturad intellectum qui in ænigmate latitarat.] En igitur Poëtam ænigmatistem, & carnem ænigma. At Christus, interprete Eusebio l. 1. de demonstr. c. 10. est canticum nouum & carmen diuinum, immissum in os sublatorum de lacu miseriæ & de luto fœcis, ac statutorum supra petram. Quare dicendus verissimè est, *ænigma nouum:* & hoc ipso nomine eum appellanit S. Cyrillus illis passim iactatis de Christo verbis. [Sacratissimum ænigma, summa potiùs veneratione suscipiendum, quàm humani iudicij trutinæ subijciendum.] Quæ tamen verba apud S. Cyrillum adhuc quæro.

7. Ipsemet Christus apud Psaltem psal. 68. factum se dicit *parabolam.* Hoc quid sit scrutantibus, nihil occurret aptius, quàm Christum factum esse ænigma: Differit plenè de notione parabolæ in scripturis & parabolam sonare obscurum ænigma docet Antonius Gueuara in c. 2. Abacuc ad illud, *parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius;* Et latè ante eum D. Augustinus ad illud psal. 48. *Inclinabo in parabolã aurem meã.* Vbi etiam S. Chrysostomus, præter alias complures notiones quas voci *parabolæ* subijcit, hanc quoque profert. [Est (inquit) etiam parabola, oratio ænigmatica, quam multi dicunt quæstionem, quæ aliud quidem significat, sed id non est apertum statim ex ipsis verbis, sed habet sensum intùs latentem, cuiusmodi erat ea quam dicebat Sanson: *Egressus est à comedente cibus, & à forti dulce.* Dicitur etiam Salomon intellexisse parabolam, & obscurum sermonem.] Eadem ac multo fusius habet S. Ambrosius ad illud psal. 43. *Posuisti nos similitudinem gentibus*, aut vt ipse legit, *parabolã.* Optimeque confirmatur ea vsurpatio parabolæ pro ænigmate, ex eo quod Hebr. 11. Isaac dicitur accepto à patre Abrahamo in parabolam, hoc est in ænigma. Fuit enim verè ænigma, quod è filio vnico ante suscepta prolem mactato, & Deo in sacrificium oblato, succreturа esset progenies æquans numero arenam maris, & stellas cœli. Sic igitur Christus, profitetur factum se esse in parabolam, hoc est in ænigma.

Nec obstat huic interpretationi, quod S. Ambrosius loco allegato ait; [Quid est, *factus sum illis in parabolam*, nisi quia finis legis est Christus, & mors ei⁹ soluit ænigmata Prophetarũ, eáque quæ ante Iudæis erant incognita cum prophetarentur, postea manifestata sunt Dominicæ passionis effectu?] Hoc inquam

non

non obstat, quominus Christus verè dicatur factus in parabolam & ænigma. Quamuis enim claue crucis, (vt S. Irenæus loquitur l. 4. c. 43.) reserata sint absconsa, & veteribus ænigmatibus lux sit affusa; tamen si naturæ vires spectemus, ænigma ænigmate dissolutum est, & caligo intra caliginem mersa. Præterquàm quòd etiamsi non nullis singulari Dei benignitate lux affulsit supra naturæ vniuersæ facultatem, vt benè expendit S. Hilarius ad illud psal. 138. *Non est occultatum os meum a te*, alijs tamen innumeris qui in hoc obiectum absque fidei ocularibus defigunt oculos, tenebricosissimum obijcitur, verèque vt ænigma: vnde ijs spectatis quæ de huiusmodi obiecto concipiunt, ac prout cognoscens iuxta phrasim Philosophi, fit res percepta, eundunt ænigmata. Quo respexit Celsus apud Origenem in ipsa meta libri quinti, cum ait quosdam apud Christianos dici *enigmata*. Iis ipsis denique, quib⁹ hoc mysterium non à se, sed ab ænigmatiste innotuit, non debet non videri verè ænigma, si obiecti implexitatem ad vires intellectus sui admetiantur.

8. In hunc sensum S. Chrysostomus hom. 11. in 1. ad Timoth. interpretatur quod ibi ab Apostolo c. 3. dicitur de manifestè magno pietatis mysterio; Deo scilicet in carne manifestato. Sic enim ipse legit, & astipulatur S. Cyrillus lib. de recta fide ad Theodosium *sub initium*, qui *magnæ pietatis mysterium* apud Apostolum loco annotato, ait esse Christum in carne manifestatum. Hoc ergo mysterium, venerationis horrore monere animaduertentes, affirmat ibi S. Chrysostomus, subdique post multa, hoc verè adytum, verè magnum mysterium, nunc quidem singularis gratiæ beneficio, innotuisse quibusdam: ex se tamen & seclusa diuina manifestatione, esse abstrusissimum, nec homines tantùm, sed & Angelos supergredi, eorumque perspicacissimos obtutus longè transcendere. Fusius etiam in hanc sententiam disputat idem Chrysostomus homil. 7. in 1. ad Corinth. exponens illud capitis secundi. *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius seculi, neq; principũ huius seculi qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiã in mysterio quæ abscondita est; quã prædestinauit Deus ante seculi in gloriã nostrã, quã nemo principum huius seculi cognouit.* Notat hîc Chrysost. *mysterium* appellari. [Quoniam non id quod credimus intuemur, sed alia videmus, alia credimus.] Quæ ipsissima est ænigmatis notio apud Gyraldum, Scaligerum, & alios tractantes Poëticen in actu signato. Christus ergo carne contectus, iuxta Paulum, Dei sapientia est *in mysterio*, siue *in ænigmate*, ad cuius enodationem nemo peruenit è principibus huius seculi, hoc est iuxta eundem Chrysostomum, nemo è potentibus omnis generis, etiam Oratoribus claris, atque Philosophis, quorum principatus metas seculi non transgreditur. Verſans eundem Apostoli locum Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. c. 5. hos esse ait panes ἐγκρυφίας, id est *subcinericios & occultos*, quos lex esse azymos præcipiebat. Est enim Christus Dominus, lectissimũ animorum pabulum, & panis qui de cœlo descendit. Verè azymus, vt cum S. Anselmo dicemus tractantes Christi impeccantiam, id est nullo fermẽto veteris malitiæ, & nequitiæ aceſcentis, commixtus. Sed hic ipse panis, est abscondicus & occultus, adeoque cineribus quibus se contexit vndecunque opertus, vt nulla ex parte pateat eius species. Addit verò consequenter eo loco Apostolus, hoc esse quod Isaiæ c. 64. scriptum est, oculum non vidisse, auditum non audiisse & in cor hominis non ascendisse absque Deo, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum. Hæc suis amatoribus à Deo præparata, & à Deo abdita, plerique de æterna gloria intelligunt. Vides tamen, ab Apostolo eum Isaiæ locum allegante, accipi de aduentu Christi in carne: quod firmant varij Patres apud Cornelium circa eum Apostoli locum, & apud Sancium in c. 64. Isaiæ.

9. Est ergo Christus iuxta Apostolum, ænigma. Quod si ænigma difficile explicatu redditur, quia copiosa intus abdita eruditione fartum est, idem Apostolus supra omnem mensuram, difficultatem huius ænigmatis extulit Coloss. 2. cum dixit, has esse diuitias omnes plenitudinis intellectus, & hoc esse mysterium Dei in Christo, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei lateant absconditi. Vbi etiam si conuulsam nolimus expositionem plurimorum Patrum, quibus visum est, affirmare Apostolum condi in Christo omne genus scientiæ, & sanctissimum eius intellectum esse veluti penum omni notitiæ genere (quod quidem Dei filium deceat) copiosè differtum. Tamen non incommodè, & ad Pauli mentem literæque planum sensum non incongruè, dicturi videmur, significari verbis illis ab Apostolo, intra hoc mysterium, siue intra Christum obiectiuè sumptum, absconditas diuitias sapientiæ Dei: atque adeò scibile quodcunque, conclusum fuisse à Deo intra hoc mysterium: quod Hilarius Diaconus, (malè creditus Ambrosius,) egregiè tradit hunc Apostoli locum librans. Quare meritò aiebat Apostolus, tantam sapientiam in Christo absconditam, esse tantummodò perfectorum, quod præclarè expendit Cassianus lib. 5. de Incarn. c. 10.

Ænigmatica Christi expressio Gigantis specie cum priscis ænigmatibus composita.

10. Nihil verò accommodatius proferri potest, vt agnoscatur Christum esse ænigma abditissimum, & mysterium omnibus diuinæ scientiæ thesauris differtum, quàm si eius delineationem è scripturis hausta̅m, & à Patribus iuxta scripturas, exhibitam, subijciamus Gigas, cogitatione pingendus, est, atque adeò natura biformis, & tamen vnus: altitudine simul ac virtute immensa, & tamen depressissimus, ac infirmissimus, supra quàm nostra æstimatio ferre possit. Idem minimus quoque ac maximus, longissimus & brevissimus; latissimus simulque arctissimus; visibilis & inuisibilis; splendentissimus ac tenebricosissimus, bis genitus, bisque natus: genitis per genitam suam; senex ac iuuenis. Quid plura produco dissymbola? Vno omnia verbo complecti licet, dicendo, eundem esse creatorem ac creaturam, Deum & hominem. Hæc est ænigmatis diuinitus propositi delineatio aliqualis, ad quã meritò inclamare voce contentissima liceat illud mystarum Ægyptiorum, cum in Deum intendebant mentis oculos. *Tenebræ, Tenebræ, Tenebræ.* Appositè hic quoque ad tantam diuini ænigmatis caliginem, idem inclamare liceat. Nam hanc ipsam ob causam, præter cæteras infra suo loco attingendas, magnus Ignatius, scribens ad Ephesios, approbante Damasceno orat. 3. de Virg. Natiu. incarnati verbi mysterium quod Christus est, dixit esse *mysterium clamoris*.

11. Mihi quidem quo plus ænigma hoc diuinũ recogito, eo abstrusius & implexius, apparet, ac præ quo alia quæcunque tenebricositatis nomine clara ab omni æuo ænigmata, non tenui perfusa luce, nec parcè micantia videri possint. Gigantes. fatos simul & editos, prodidêre prisci, referente Nazianzeno orat. 20. num. 49. eaque ipsa die qua ex perempti draconis dentibus editi sunt prælium ad Thebas iniuisse sunt commenti. Signabant eo ænigmate, viriles ac bellicos Gigantum iam à pueritia spiritus. Cleobules seu Cleobulinæ, Cleobuli Lyndij vnius de septem sapientibus filiæ, ænigma refertur vnus genitor cuius essent bis senæ filiæ, quarum singulis natæ triginta, sed dispare forma. Aspectu hinc niueæ, nigræ sed vnitibus inde. Immortales omnes, & omnes itidem morientes, Annum designabat, cui menses duodecim, diebus noctibusque triginta constantes. Aliud legere memini Alexidis Thurij ænigma, in fabula cui titulus ὁ ἄνθρωπος, de quodam neque mortali neque immortali, sed quoddam

dam vtriusque illius affectionis temperamentum sortito; vt neque hominis parte viueret, neque Dei, sed semper nasceretur. Erat ea expressio dormientis hominis ac somno sopiti. Theodectem Phaselitē in Oedipo fabula, diem ac noctem hoc adumbrasse ferunt ænigmate. Duæ sunt sorores, quarum vna parit alteram, & ipsa quæ genita est, rursus ab altera gignitur. Ænigma de Gige, qui ad libitum visibilis & inuisibilis erat, S. Ambrosius l. 3. de offic. c. 5. exponit de sapiente: qui vel si latens peccare possit & regnum parare, malit tamen scelere abstinere. Magorum hoc ænigma, referunt Platonici. Est res vndiqne lucida, est res vndique obscura, est partim lucida, partim obscura. Quod in ordine corporum, de stella qualibet supra lunam, deque ipsa Luna & aëre, interpretātur. Nam aër ex se tenebricosissimus est: stellæ luna superiores, lucidissimæ: media luna, caliginis & lucis est particeps in ordine spirituum, hoc ipsum ita distinguunt ijdem Platonici. Deus lucidissimus est, spiritus iumentorum tenebricosissimus, spiritus hominis medius, luce ac tenebris participat. Oedipi est illud ænigma act. 1 Thebaid. quo incestas nuptias, errores que suos describit. [Aui gener patrisque fratalis sui.] Frater suorum liberūm, & fratrum parens. [Vno auia partu liberos peperit viro, ac sibi nepotes.] In Alexidis Phœdro sic describitur amor ænigmaticè referente Athenæo l. 13. [Nec mas ille est, nec fœmina; Nec Deus, nec homo: nec fatuus, nec prudens sed coagmētatus ex omnibus: in vno exemplari multas ostēdens species. Nam eius virilis est audacia, muliebris verò timiditas: amentia furiosa: ratio cordata; & circumspecta; ferina vehementia: labor indomitus: ambitio prodigiosa & admiratione digna. Hæc per Iouem ac Mineruam, qualia sint nescio.] Heraclitus qui ab ænigmatum vbertate αἰνικτὴς dictus est hoc præter cœtera refertur ænigma à Luciano, dialogo cui titulus, *vitarum auctio*. [Eadem res, delectatio & tristitia: cognitio & ignorantia: magnum & paruum: sursum & deorsum: Homo, Deus mortalis: Deus, homo immortalis.] Cui plura ænigmata audire cordi fuerit, adeat Cœlium Symphosium in syntagmate priscorum poëmatum, qui centum huiusmodi ænigmata vno fascē collecta exhibet. Verùm quid omnes hæ ambages ad mæandros ænigmatis profiti de Christo Gigante? Concurrunt in illud profectò omnes hæ implexitates & multo inexpedibiliores, quod sigillatim monstrandum recipio, si primùm vocis inuidiam absterserō.

Christus haud absurdè Gigas dictus.

12. Nimirum indigna Christo videri potest Gigantis denominatio, iuxta illud S. Bernardi serm. 53. in Cant. [De propheta occurrit mihi, euidenter in spiritu præuidente & exprimente Saluatoris aduentum. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquā sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendā viam: à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Cursus & recursus is, notissimus est à quo; & ad quid initus consummatusque notissimum. Quid igitur? Pingemus nobis siue in psalmis ista legentes, siue in præsenti cantico, virum gigantem, proceræ staturæ, absentis cuiuspiam mulierculæ amore captum, & dum properat ad cupitos amplexus transilientem montes collesque hos, quos vidimus mole corporea super plana terræ tanta altitudine eminentes, vt & supra nubes aliqui illorū vertice extulisse cernantur? Verùm non decet istiusmodi corporeas phantasias imaginari, præsertim tractantes hoc canticum spirituale, sed nec licet omnino nobis.] Benè, non licet nobis, in corporeo illo & crasso sensu. At licebit, id nominis vsurpando spiritualiter ac purè. Qua ratione præibit nobis in hac Christi nomenclatione ipse S. Bernardus serm. de S. Ioanne Baptista *initio*, vbi sic de Christo loquitur. [Gigas est iste filius hominis, cœlum ei sedes est, terra scabellum pedum eius. & elenata est magnificentia eius super cœlos.] Sonet sanè interdum Gigantis nomen, pessimè ac peruersissimè, quādoquidem si Origenem audimus homil. 7. in Numer. idipsum est Gigas, quod [aduersarius Deo, & contrarius veritati.] Alias tamen nihil ei voci subest tetrum, quod notauit S. Basilius in c. 3 Esaiæ ad illud, *auferet fortem*, ipse legit, *auferet gigantem*; additque. [Gigantis appellationem deprehendimus hîc in bonam partem & ordinem cooptari: & sicubi inueniatur, in raro est vsu, vt illud est: *exultauit vt Gigas ad currēdam viam.* Auferet igitur gigantem. Arbitramur eos gigantes dici, qui naturæ beneficio vnam aliquam obtinent prærogatiuam carnalis staturæ procerioris, aut certe antecellunt multos ad excipiendam scientiam, siue exercitium virtutis: hoc quoquam, gigantas dici putamus. Præclaram illam Solis descriptionem Gigantis specie, quam psal. 18. exhibuit Dauid, ipsi S. Basilio aptauit Nazianzenus orat. 20. num 97. eum describens vt Gigantem, [cuius pulchritudo, virtus fuerit, magnitudo Theologia, cursus perpetua virtutis agitatis per quotidianos ascensus ad Deum ferens: potentia, doctrinæ semen ac distributio.] Scripserat ad Chosroën Persam Iustinianus, apposita de mote titulorum Chiliade, qua suam potentiam ostētaret. At Chosroës, vt eum factum comprimeret, & suas ipse quoque vires iactaret, multa paucis complexurus, *Gigātem* se, *Gigantum* dixit, vt memorat Menander Protector. Ipsi Deo ob magnitudinem, fortitudinem, & æternitatem: Syri, nomen indidere *Gigantis seculorū*. Vnde Ecclesiastici 51. vbi vulgata editio habet, *inuocaui Dominū patrē Domini mei*, Syrus interpres sic habet. *Oraui & inuocaui Patrē meū de excelso. Domine Gigas, & saluator, ne derelinquas me in die angustia.* Non igitur Gigantis appellatio semper accipitur in malam partem, nec quia aliquando malè audit ea vox, existimandum est nulla ratione purgari posse, vt ritè valeat in Christum cadere. Sic absterso vocis inuidia, Christum & Gigantis nomine iure donatum, & omnibus illis quæ superius propositæ sunt pugnantium attributorum implexissimis coniugationibus præditum, atque adeò verè ænigma fuisse, demonstro.

Prior ratio denominandi Christum Gigantem, fortitudo.

13. Gigas sanè Christus, de multorum Patrum sententia à Dauide dictus est psal. 18. vbi ad literam de sole corporeo, mystice autem de sole spirituali qui Christus est, asseritur exultasse vt Gigantem ad currendam viam. Respexit Psaltes iuxta nonnullos, ad Christi fortitudinem verè Gigantæam, indeque Gigantis appellatione Christum donauit. Est in ea sententia Iustinus agens cum Tryphone, monstransque ex Scripturarum veterum deprauatione, ortas esse pleraque Græcorum fabulas. [Cum Herculem (inquit), illum validum per omnes terras circunducunt, hunc quoque è Ioue, Alcumenaque genitum, & mortuum, in cœlum ascendisse aiunt; nonne similiter intelligo imitamentum Scripturæ canentis de Christo, quod robustus vt gigas currat per viam suam.] Rursusque in Apolog. ad Anton. [Quia prophetam Esaiam audierunt promittentem partum Virginis, & sic editum ascensurum esse per seipsum in cœlum, traxerūt hoc ad suum Persea. Sic illud in eisdem prophetijs prædictum, robustus vt gigas ad currendum in via, de Hercule acceperunt, qui prævalidus totam terram perambulauerit.] Vides iuxta Iustinum, dici Christum à Psalte, Gigantem, ob robur ac fortitudinem. Annuit S. Augustinus ad psal. illum 18. Nam in prima expositione, sic glossat ea verba, *exultauit vt gigas ad currendā viam* [exultauit sicut fortissimus, & cœteros homines incomparabili

bili virtute præcedens.]Nec dissimiliter in secunda expositione.Gigantem dictum Christum opinatur, quia fortis est maiestate super omnes.]Sed optimè in psal. 57. vbi cum præmisisset, Gigantis nomen quandoque ad superbiam infirmandam adhiberi,subdit: aliàs nomen Gigantis [accipi in bono, quia & de ipso Dominus dictum est,*exultauit vt gigas ad currendã viã*: quod ita sit gigantum,magnorum scilicet & fortissimorum, qui in eius Ecclesia spiritali robore excellunt,sicuti est mous montium,quia de illo scriptũ est: *Erit in nouissimis temporibus manifestus mons Domini paratus in cacumine montium*, sicut etiã sanctus sanctorũ.] Scite Beda in psal.18.distinctius exhibens sensum à D. Augustino ibidem in secunda expositione pressius propositum. [Procedens (inquit)exultauit id est exultanter in hunc mundum venit, non ad immorandum,sed ad currendam viam: id est ad peragendum cursum huius vitæ. Natus enim est, creuit, docuit, & reliqua. Et in exultando,fuit vt gigas.Gigas enim est velox & fortis.Ipse quoque & velox fuit, quia nulla illecebra eum detinuit: & fortis fuit,quia mors eum superare non potuit, sed ab ipso victa fuit. Item gigantes serpentinos habuisse pedes describuntur, in quo terræ adhærentes & humiles licet sint,fortes notantur.Christus quoque fuit humilis misericordia infra omnes, maiestate verò fortis supra omnes.Rursum gigas altus corpore est,& Christus verè altus fuit dignitate : quia egressus eius est à summo cœlo, id est egressus è sinu Patris. Pater enim est summum cœlum,quia est primum cœlum: non dignitate, vel potentia, sed ordine : quia non est ab alio, sed lux per se est.]

Posterior eiusdem denominationis ratio, compactio ex duabus naturis.

14. Iunxit (vt vidisti,) Beda, primæ illi rationi denominandi Christum Gigantem ob fortitudinem ac robur, rationem aliam quam plerisque Patribus placuisse video,ductam ex Christi compactione è duabus naturis. Quod enim apud Macrobium legimus lib.1. Satur. cap.20.& apud Nazianzenum orat.3. num.99. passimque apud Alythologos, Gigantes supernè seu pube tenus, homines; infernè verò angues habebantur: & quidem ita vt cuique giganti geminus pro pedum numero serpens inesset, vnde ternæ vnius Gigantis animæ; iuxta illud Claudiani de Peloro Gigante à Marte confosso.

Atque vno ternas animas interficit ictu.

Apud Sidonium quoque carm. 12. alias quod est exculatorium ad Felicem, Gigantes sic describuntur triplicis formæ homines,

Non hic terrigenam loquar cohortem.
Ad mixto magè viuidam veneno,
Cui præter speciem modo carentem,
Angues corporibus volumino sis,
Alæ squamea crura porrigentes.
In vestigia fauce desinebant.
Sic formæ triplicis procax iuuentus,
Tellurem pede proterens voraci,
Currebat capitum stupenda gressu:
Et cum classica numinum sonabant,
Mox contra tonitrus resibilante
Audebat superos tiere planta.]

En triplicis formæ Gigantæam inuentutem. Habita tamen ratione humanæ tantùm & anguinæ naturæ, sæpe legimus Gigantes dictos bicorpores, vt à Næuio quem describit Priscianus, & ab Attio in Eriphyla apud eundem Grammaticum,nec non ab Ouidio 5. Fasio. Eaque ipsa ratione Prudentius, vt Goliam Gigantem fuisse significaret,vocauit *semiferũ*: hoc est superiore corporis parte semihominem, inferiore anguipedem. Eiusmodi portentosam humanæ & belluinæ naturæ mixturam apud Ægyptios celebratam, discimus ex Nysseno orat. 11. verius 13. in Eutom. Hanc ergo rationem denominandi Christum Gigantem,ob compactionem è duplici natura, expressit Beda eo loco quem protulimus.

15. Non dubium quin huc respexerint, quotquot Christum geminæ substantiæ Gigantem dixêre, quod fecere Patrum plerique, post S. Ambrosium lib. de Incarn.Dom.Sacram.c.5.verbis illis.[Christus est Dei filius; & sempiternus ex Patre, & natus ex Virgine. Quem quasi gigantem sanctus Dauid Propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ,vnus sit consors diuinitatis & corporis, qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit tanquam gigas ad currendam viam. Sponsus animæ secundùm verbum, gigas terræ,quia vsus nostri officia percurrens, cum Deus semper esset æternus, incarnationis Sacramenta suscepit, non diuiduus, sed vnus, quia vtrumque vnus, & vnus in vtroque, hoc est, vel diuinitate, vel corpore.Non enim aliter ex Patre,aliter ex Virgine,] sed aliter ex Patre, aliter ex virgine. Generatio generationi non præiudicat, nec caro diuinitati, quia nec pignus patri, nec voluntas passioni, nec passio voluntati. Idé enim patiebatur & non patiebatur, moriebatur & non moriebatur, sepeliebatur & non sepeliebatur,resurgebat,& non resurgebat.] S.Augustinus tract.59.in Ioan.expendés illud Christi,*qui me recipit, recipit eũ qui me misit*, in secunda dicti illius interpretatione, sic habet.[Posset quidem non inconuenienter & hoc intelligi,quoniã geminæ est ille gigas substantiæ, qui exultauit ad cutrendamviam. Verbum enim caro factũ est; hoc est, Deus, homo factus est. Proinde ita dixisse posset videri, qui accipit si quem misero, me accipit secundùm hominem; qui autem me secundùm Deum accipit,accipit eum qui me misit.] Leporius in suæ satisfactionis libello cui B.Augustinus subscripsit, eodem modo de Christo loquitur. [Vna (inquit) persona accipienda est carnis & verbi. Vt fideliter sine aliqua dubitatione credamus, vnum eundemque Dei Filium, inseparabilé semper, geminæ substantiæ etiam gigantem nominatum,in diebus carnis suæ,& verè semper gessisse omnia quæ sunt hominis,& verè semper possedisse quæ Dei sunt.] Hanc partem libelli Leporij & approbat Cassianus lib.1. de Incarn.cap.5.*in fine*. Æquè à Ferrando in quarta innocentiæ regula Christus nominatur, [Duarum substantiarum Gigas vnius personæ.] Legitur quoque ea Christi nuncupatio apud Philippum Abbatem lib.4. in Cantica cap.9.& apud Amedeum Lausan.Tom.4. de Deip. initio, & in hymno perantiquo de Natiu. Dom. qui apud Clyctouæum legitur p.1.Elucid. Eccles. Allegat in hanc rẽ,& D.Ambrosio tribuit hymnum illum,Synodus Francoford. epistol. ad Episcopos Hispaniæ verbis illis. [B. Ambrosius in hymno quodam de Natali Domini ita dicit.

Geminæ Gigas substantiæ,
Alacris vt currat viam.]

Æquè S.Augustinus serm.54.de diuers. hymnum illum B.Ambrosio tribuit,& in hanc rem commendat. Similiter Facundus Hermian.lib.1.pro tribus capitulis c.3.in fine. [Vnum (inquit) de Trinitate credidi Dominum Iesum Christum,qui Deus ex Deo natus ante sæcula, idem in plenitudine temporum,homo sit natus ex Virgine:& qui patris existens vnigenitus,factus sit vnigenitus matris:vt geminæ gigas substãtiæ,sicut intellexit & cantauit Ambrosius, vtriusque vetæ natiuitatis proprietate credatur.] Tandem Faustus Rhegiensis epist. ad Græcum vel Gregorium Diaconum contra Nestorij errorem, sic scribit. [Accipe etiam in hymno S.Antistitis & confessoris Ambrosij quem in Natali Dominico Catholica per omnes Italiæ & Galliæ regiones persultat Ecclesia.

Pro

Procede de thalamo tuo,
Geminæ Gigas substantiæ.]

Valdè commendat hymnum illum à S. Ambrosio editum Cœlestinus Papa in Concilio Romano contra Nestorium, cuius fragmentum recitat Arnobius l. 2. Conflictus cum Seraphione, *ante medium.*

Ad quas duas Gigantum naturas, proportionem ferunt Christi compactio.

16. Hanc geminam substantiam, ratione cuius Christum à Psalte dictum Gigantem censet, non humanam & anguinam, qualem iuxta Mythologos retulimus, sed diuinam & humanam ex quibus Gigantes de vulgi olim sententia cõpacti haberentur, proponit S. Bruno l. de nouis Ecclesiæ c. 2. *Sub finem.* Vnde quia Gigantes, existimabantur fuisse simul dij & homines; arbitratur, Christum qui Deus simul ac homo est, Gigantis nomine à Psalte & alijs esse apellatum. Videri potest suffragari Venantius Fortunatus l. de partu virginis. Sic enim scribit de Deipara.

Hic tanquam sponsus thalamo procedit ab alto,
Exultatque Gigas Christus, eundo viam
Quod Deus amplexus carnemest, caro iuncta cohæsit;
Sit Deus, an que homo sit, Christus virumque gen⁹.

En Christum *virumque genus*, diuinum & humanum, & ideo Gigantem. Idem inferiùs.

Et tamen est geminus, De⁹ atque homo, verus & vnus,
Spiritus atque caro, Christus vtrumque genus.

His dixi, Venantium videri posse suffragatum sententiæ illi de gemina Christi gigantis substantia, quæ ex S. Brunone fuit proposita: Nimirum quod ea Gigantum substantia duplex, non humana & anguina esset, sed humana & diuina, qualis verè fuit duplex solius Christi natura, ita vt quod vulgus errore deceptum, fabulosè adscripsit Gigantibus, verè in Christo locum habuerit: scriptura autem quæ ad captum nostrum sese demittens, ne fabulas quidem Ethnicas memorare aliquando est dedignata, vt notauit Grego. Nyssenus homil. 9. in Cant. consentaneè ad eam vulgi Ethnicorum persuasionem, & ad eam alludens, Christum, qua Deus simul & homo est, Gigantem dixerit.

17. Nihilominus huc respexisse Danidem, cùm Christo Gigantis appellationem tribuit, difficile suasu est. Primùm quia Gigantes, habitos simul Deos & homines, nemo antiquorum notauit. Gigantes enim, vel qui fabulosissimi esse voluerunt, monstrosos homines effinxerunt, pube tenus ferinos, quia tanquam muta pecora aut feræ, libidini & crudelitati mancipabantur: Nemo in eis aliquid supra homines, atque diuinum agnouit. Videtis copiosè de Gigantibus multa complexos, Hieronymum Magium lib. 1. Miscell. c. 4. Natalem Comitem lib. 6. Mythol. cap. 21. Pinedam in c. 26. Iobi ad vers. 5. digressione de Gigantibus. Deinde si ea nũcupatione Christo tribuenda, velimus à Psalte allusum ad Ethnicam fabulositatem de Gigantibus semideis & semi hominibus, videbimur Danidem Monophysitam facere. Nam Monophysitæ, vt testatur Anastasius c. 18. ὁδηγὸς *initio*, Christum exhibebant vt semideum & semihominem: sicut Nestoriani apud S. Cyrillum epist. ad Monachos Ægyptinum. 7. Christũ [mediæ cuiusdam inter Deum & hominem naturæ stauerunt.] Si igitur Psaltes, Gigantis nomen Christo tribuens, geminam Christi substantiam notare voluit, vt eam reuera notarunt D. Ambrosius & alij supra allucti, non est censendus allusisse ad Ethnicam persuasionem de Gigantibus semideis & semihominibus, quam aliquando viguisse non constat; sed potiùs ad communem etiam si fabulosum de Gigantibus loquendi morem, tanquam de compactis ex humana & anguina natura. His quippe symbolis commodè adumbrari potuit Christi compactio ex natura diuina & humanitate: Nam diuina natura, optimè exhiberi potest per symbolum naturæ rationalis, quia Deus, vt benè ait S. Gregorius 30. moral. c. 8. [est ratio rationabilium creaturarum.] Humanam autem naturam serpente adumbrari posse, vulgatissimum est apud Patres; siue serpentem æneum num. 21. & Ioan. 3. propositum, siue virgam Mosis, deiectione in terram, in serpentem mutatam interpretentur. Videndus S. Irenæus libr. 3. c. 29. S. Augustinus sermo. 101. de tempo. Eucher. homil. 3. de Pasch. Cyrillus libr. de Incarn. vnig. c. 14 & libr. 2. de adorat. & libr. 4. pentabibli, *initio*, alijque multi quos appendit Feüardentius ad citatum caput S. Irenæi.

Christus, Gigas biformis, ad medendum.

18. Satis de Christo Gigante, atque adeò natura biformi, persona vno. An huc respexit Philo ille Philosophus Iudæus, qui Mnasonem Apostolorum discipulum impugnans, vocauit eum διφυῆτα, id est biformem, à cultu vtique biformis Christi? Ita refert Anastasius Sinaita c. 14. ὁδηγὸς *initio*, ex Ammonio Alexandrino. Planè tali Gigante, hoc est biformi medico qui nostris malis medelam faceret, opus habebat genus nostrum. Gigantem enim ad medendum malis, & releuandos calamitate oppressos prouideri, consentaneum est scripturis sacris, in quibus Septuaginta diuino planè instinctu ex similitudine Hebræaũ vocum Medicum & Gigantem signantium, adducti sunt, vt pro Gigante Medicum verterent, vt obseruauit D. Augustinus in psal. 87. ad illud *& medici suscitabunt.* Græcè *Gigantes*, quasi qui fortes & validi sint ad medendum malis, ac eripiendum ab incommodis: vel etiam ad propugnandum, & præueniendum ne in ea incurratur. Quo sensu antiquus hymnus apud Clyctouæum l. p Elucidarij, cuius initium est, *Sit porta*, sic de Christo canit.

Genus superni luminis,
Processit aula virginis,
Sponsus, redemptor, conditor,
Suæ Gigas Ecclesiæ.

Gigantem ibi, Clyctouæus exponit propugnatorem & Saluatorem, quem scripturæ aliquando medicum nominant: Vt sensus sit, quemadmodum symbolicæ picturæ SS. Christophori & Georgij; illum vt Gigantem, hunc vt equitem alacrem ad opitulandum exhibent; sic Christum Ecclesiæ suæ alacrem & impigrum opitulatorem factum, exultasse ad currendam redemptionis nostræ ærumnosam viam. In quam rem summa simul & fortitudine & infirmitate eguit, eoque omnium antitheorum concursu qui supra propositus est, vt infirmitas materiam medicinæ suppeditaret: fortitudo autem efficacitatem conferret. De inauditis illis attributorum diuersissimorum in Christo pro duplici natura coniugationibus, dicendum sequitur.

Inde in eo, attributorum pugnantium syzygiæ.

19. Est Gigas Christus, *altissimus idẽ ac potẽtissimus*, simulque *depressissimus & infirmissimus.* Altitudinẽ ac vim exhibeo ex Ruperto l. 3. de victor. verbi Dei c. 15. [*Omnipotẽs* (inquit) *sermo tuus Domine exilẽs de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terrã prosiluit, gladius acutus, insimulatũ imperitũ tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cœlũ attingebat stans in terra.* Nonne magnũ & fortem in his verbis gigantem agnoscis? gigantem illum, de quo Psalmista canit: *exultauit vt gigas ad currendã viam, à sũmo cœlo egressio eius?* quis enim alius gigas per incarnationem de cœlo descendit, & superato mortis imperio, cum victoria in cœlum ascendit, quod Psalmista prophetico spiritu cecinit, nisi omnipotens sermo tuus Domine, qui tunc de cœlo à regalibus sedibus, dictus debellator prosiluit in terram, & vsque ad cœlum

lum pertingebat. Quod Psalmista dixit de futuro prophetans: *à summo cœlo egressio eius, & occursus eius, usque ad summum eius*: Et quod sapiens ille dixit de præterito memorans: exiliens de cœlo à regalibus sedibus in terrâ prosiluit, & vsque ad cœlum attingebat stans in terra, eandem vnius eiusdemque, qui & incarnatus venturus erat in mundum, & nondum incarnatus veneratur super Ægyptum, velocitatem pariter & magnitudinem gigantæam, magnificè prædicant.]

Altissimus hic & potentissimus Gigas, idem *depressissimus est ac infirmissimus.* Spectauit depressionem altitudini iunctam Origenes homil. 2. in Esaiam, declarans quomodo Christus sit signum illud ab ipso Domino datum in profundum inferni, & in excelsum supra. Signum cœlo, terraque, & omnibus creatis præcellentius, vt Richardus Victor. l. 1. de Emman. c. 9. optimè ponderat. [Signum in profundum (ait S. Irenæus l. 3. c. 21.) in altitudinem sursum, quod non ponitur homo, quia nec sperauit Virginem prægnantem fieri posse quæ erat virgo, & parere filiũ, & hunc pactum. Deum esse nobiscum, & descendere in ea quæ sunt deorsum terræ, quærentem ouem quæ perierat.] In eandem sententiam S. Epiphanius in Ancorato ita disputat, vt Christum esse simul signum in excelsum & in profundum, demonstret. [Dictum est ad Achas, *pete tibi ipsi signum in profundum aut in altum.* Ille verò humiliter se gerens, *non petam, neque tentabo Dominum Deum meum*, (inquit,) recusans petere signum. Statim autem eò quod non petierat ipse signum, duo largitur Deus, qui magna munera hominibus donat. Ab alto, Verbum propria voluntate, & ipsius verbi propria voluntate mittens: à profundo verò, carnem propria bona voluntate cum ipso Verbo dispensans.] Hesychius item ait. 1. de Deip. agnoscit Christum esse simul sursum & deorsum excelsum & imum. Hoc ipsum est, quod Galfridus in cap. 2. Esaiæ, adducendus cum de Christi humilitate, affirmat Christum esse vallem simul ac montem: Vallem immensè depressam, montem altissimum, & sublimissimum.

20. Iam infirmitatem Giganteæ fortitudini adiunctam, intelligere licet ex infantil teneritudine, cui in hoc paruulo recens nato Isaias c. 9. adiungit eximiam fortitudinem, vocans natum & paruulum, eundemque Deum fortem. Vox Hebræa fert *Gigantem*, vt ibi notat Arias. Sed & ad fortitudinem insignem imbellis ac teneri infantis pertinet, quod ibidem futuri seculi pater dicitur, cuius principatus sit super eius humerum. Videndus Cassianus eum locum excutiens l. 2. de Incar. c. 3. Alius eiusdem Prophetæ locus ex cap. 2. ad sociatam in Christo summæ fortitudini summam infirmitatem pertinens, egregie ab eodem Cassiano excutitur l. 5. operis citati cap. item 5. *Quiescite* (inquit Isaias,) *ab homine cuius spiritus in naribus eius, quoniam excelsus reputatus est ipse.* Censet Cassianus, Prophetam his verbis affari præcognitos sibi in spiritu Christi Domini persecutores, eosque vrgere, vt desistant negotium facessere illi qui simul infirmissimus sit ac fortissimus. Nam infirmitatem, satis superque prodit vita pendens à spiritu per nares efflato, quam facillimum sit euentere intercluso spiritu. Fortitudinẽ verò perspicuè ferunt verba illa, *quoniam excelsus reputatus est ipse.* Variis locis à Cassiano notatis, idem verbum primigenium, latinè redditur *altissimus*, quod aptissimum est significandæ excelsitati illi immensæ, (fortitudinem veriùs dixerim, cum non sit corporea excelsitas, sed exaggeratio & altitudo virtutis,) quantam Isaias c. 42. à versu 13. magnificentissimè exhibet, describens egressum huius fortis, siue vt sonat vox Hebræa, Gigantis. Idẽ ergo excelsissimus & depressissimus, idem fortissimus & infirmissimus. [Inuenimus virtutem IESVM (ait S. August. tract. 15. in Ioan.) & inuenimus infirmum Iesum, fortem & infirmum. Fortem quia *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: *hoc erat in principio apud Deum.* Vis videre quàm iste filius Dei fortis sit? *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: & sine labore facta sunt. Sed quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Fortitudo Christi te creauit, infirmitas Christi te recreauit. Fortitudo Christi fecit, vt quod non erat esset: infirmitas Christi fecit, vt quod erat non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsiuit nos infirmitate sua.]

21. *Magnus idem ac paruus*, & quidem *magnus nimis, ac paruus nimis.* Egregiè id tradit S. Augustinus in psal. 95. ad illud, *quoniam magnus Dominus.* Sic enim scribit. [Quis Dominus, nisi Iesus Christus, magnus & laudabilis nimis? Nostris certi quia homo apparuit, nostis certe quia in vtero Virginis cõceptus est, nostis quia ex vtero natus est, nostis quia lactatus est, quia in manibus portatus est, quia circumcisus est, quia hostia pro illo oblata est, quia cruenit: postremò nostis quia expalmatus est, consputus est, spinis coronatus, crucifixus, mortuus est, lancea percussus est: nostis quia hæc omnia passus est, magnus est & laudabilis nimis. Nolite cõtemnere paruum, intelligite magnum. Paruus factus est, quia parui eratis. Intelligatur magnus, & in illo magni eritis. Sic enim ædificatur domus, sic eriguntur moles in ipsa domo, crescunt lapides qui ducuntur ad ædificium. Crescite ergo, intelligite Christum magnum, & paruus, magnus est, magnus nimis.] Ibi, (ait de Christo S. Bernardus serm. 2. super missus est,) agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbũ infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem; Vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinẽ infirmari. Sed quod nõ minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor cõfortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans.]

Rythmicam expressionem huius loci S. Bernardi, iuuat attexere ex Richardo à S. Laurentio lib. 4. de laud. Deipa. qui aliunde eam deprompsit. Sic habet.

Mira rebus conuersio.
Longitudo breuis efficitur,
Latitudo constricta cernitur,
Complanatur profunditas,
Altitudo demissa subditur,
Virtus iacet, potestas regitur,
Infirma nutat firmitas,
Languet salus, pauet fiducia,
Sordet nitor, plorat lætitia,
Tristatur consolatio,
Disciplinam subit prudentia,
Vilitati se subdit gloria,
Eget pastu refectio,
Inuenitur panis esuriens,
Aret siti, fons indeficiens,
Libertas ingo premitur,
Esse subit nunquam incipiens,
Loco manet, locari nesciens,
Et vita mortem patitur.
Quis hoc vidit, quis istud didicit,
Quis hoc satis mirari sufficit,
Et quid est hoc miraculi?
Quid hoc? Ipse profectus deficit,
Imo suo defectu reficit,
Deus defectum saculi.]

22. *Visibilis idem & inuisibilis*, ac quod S. Augustinus 15. Trinit. c. 9. animaduertit, [grandius ænigma, vt non videamus, quod non videre nõ possumus.] Nec

mirum, cum duo in illo nectantur quorum alterum per se incurrit in oculos, alterum quantumuis perspicacem aciem effugit. Notauit id perpulchrè S. Epiphanius in Ancorato, recolens quæ præmiserat circa illud Christi dictum, *Patrē meū & Patrē vestrū, Deum meum & Deū vestrū.* [Rusus (inquit) dicemus multa de hoc, *Deus meus & Deꝰ vester*: quum dixerimus iā, vt quisque mente præditus cognoscat ex ipsa consequentia rectè dictum esse. *Et, homo est, & quis cognoscet ipsum?* In eodem duo ostendit diuina scriptura, visibile & inuisibile. Et propter visibile quidem, merito *Deus meus*, dictum esse; propter inuisibile verò, *Pater meus* dictum esse; ita vt neutra locutio aduersetur Verbo. Quomodo enim, si erat homo, non cognoscebatur; Si verò non erat homo, quomodo homo dicitur? Quisquis enim ex hominibus nascitur, omnino ab hominibus cognoscitur, à genitrice, à cognatis, à familiaribus, à vicinis, à contubernalibus, aut conciuibus, & impossibile est, hoc impleri, in nudo homine. Impletur autem in Deo Verbo ac filio Dei, in eo quod dicit, *homo est*, in veritate. *Quis verò cognoscet ipsum*, quoniam Deus est; eò quòd vtramque naturam participat, ac homo simul & Deus est: ignotus hominibus propter incomprehensibilitatem: Homo verò notus hominibus, quia ex Virgine genitus.]

Est itaque Christus visibilis simul & inuisibilis, quia lucidus simul & tenebrosus: & quod in columna Hebræos ductante pro miraculo à rudibus est habitum, idemmet est nubes obumbrans & ignis illuminans, sed hoc vt Aguilonius rectè statuit l. 5. optic. propos. 56. disp. vnica naturaliter contingit in illa columna pro præsentia vel absentia Solis, ignem maiore sic splendore præstinguentis, aut non præstinguentis. In Christo omnia supra naturæ vim contigerunt. En quo pacto S. Chrysostomus in psal. 96. eam columnam, splendentem simul ac tenebricosam in Christo recognoscat; ad illud, *Nubes & caligo in circuitu eius*, quod sic exponit. [Nubes olim Hebræos ex Ægypto egredientes tegebat radiosque solis feruescentes obscurabat, illos autem suis splendoribus illustrabat. At si clariorem nube videre vis, ascende in montem cum Petro, Ioanne, & Iacobo, videbisque illic nubem lucidam & vocem è nube venientem: *hic est filus meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quid autem, est, *nubes & caligo in circuitu eius*? Aliud est nubes, aliud caligo. Nubes est tenuissimus aëris lucidi contextus, lucem aliquam de se emittens. Caligo verò, crassior est & nebulosa obtenebratio. Quomodo igitur nubes & caligo in circuitu eius: Priùs ponitur nubes, postea caligo: ita in Christo primùm est diuinitas postea humanitas. Nubem dicendo diuinam eius & Luculentam deitatis pulchritudinem insinuat: caliginis autem nomine humanum significatur integumentum. Hac enim caligine, Deus sermo viam suam occultauit. Audi & alio loco Prophetam dicentem: *Carbones succensi sunt abeo: & inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Pedes Dei dixit, vt viam eius super terram significaret. *Carbones succensi sunt ab eo, & inclinauit cœlos, & descendit, caligoque sub pedibus eius.* Occultauit enim viam suam tegumento carnis, vt ignota esset aduersarijs virtutibus multifaria suæ sapientiæ via.] Et inferius, quærens quales tenebras posuerit Deus latibulum suum, respondet. [Planè corpus, quia tabernaculum corporis sui dicit tenebras. Id te sequens psalmi versus doceat: nam postquam dixit, *& posuit tenebras latibulum suum*, adiecit dicens, *in circuitu eius tabernaculum eius.* Vidisti eius nubem, cognouisti eius caligine & quid sit caligo. Nunc solue celebrem, & difficilis solutionis interpretationem, quæ à multis quidem affertur, à pancis autem rectè docetur. *Dies diei eructat verbū, & nox nocti indicat scientiam. Et posuit tenebras latibulum suū. Tenebras*, dicit scriptura, *vocauit Deus noctem.* Nox eramus nos gentes, noctem induit Dominus. Nostrum etiam tabernaculum portauit. Dies diei eructat verbum, pater filio, secundum quod lux est, & dies, Dominus.] Tandemque post nonnulla. [Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Nubes enim & caligo in circuitu eius. Dies ipse & nox: ipse enim Deus & homo. Dies secundùm deitatem, & nox secundùm humanitatem. Nam in cōparatione deitatis, nox est humanitas. Et hoc est quod ait, *posuit tenebras Latibulum suum.* Tenebras enim vocauit noctem. *Nox nocti indicat scientiam.* Christus secundū humanitatem, nocti, omni terræ, hoc est omni humanitati, annunciat scientiam de Patre, & seipso, & Spiritu sancto.] Quod Christum, diem & noctem dixit Chrysostomus, affine est ei & quod tradit Anastasius Sinaita in Hexaëmero, Christum ex tenebrosa humanitate & diuinitatis luce compactum, esse vespere & mane cuius meminit Moses initio Cosmopœiæ. Ad Christum quoque eadem ex causa Richardus Victorinus l. de Incarn. Verbi ad S. Bernardum, refert *Onus Duma* apud Esaiam; vbi refertur vox de Seir, *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Vox erat generis humani ad custodem hominum clamantis, pro densissima tamque diuturna caligine dispellenda cui responsum datur: *Venit mane & nox*, id est Christus. Itaque subiungit Propheta, *si quæritis quærite, conuertimini & venite.*

23. *Bis genitus, & natus.* Hoc est quod Sophronius in 6. Synodo actio 11. eundem Christum vocat *δίγονα*, bis genitum & natum, ratione nimirum duplicis naturæ è qua coalescit, tametsi non ita, ratione personæ. Audi S. Maximum homil. 1. de natali Dom. [Duas in Christo generationes legimus, fratres charissimi: sed in vtraque incomprehensæ diuinitatis est virtus. Ibi enim ex semetipso genuit Deus: hic eum Virgo Deo cooperante concepit. Ibi sine intio, hic sine exemplo. Ibi natus vt conderet vitā, hic factus vt tolleret mortem. Ibi patri natus, hic hominibus procreatus. Illa natiuitate hominem fecit, hac generatione hominem liberauit. Vtramque, fratres generationem eius, non posse enarrari, sententia hæc vna complectitur. Illa enim est ante hominem, hæc supra hominē. Illa incogitabilis, ista mirabilis. Cum autē duas Christi docemur natiuitates, non bis asseritur Dei filius natus sed gemina in vna Dei filio confirmatur esse substantia. Ibi quod erat natus est, hic quod non erat, factus est. Ait de his beatus Euangelista Ioannes: *In principio erat verbū, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* Et iterum. *Et verbum caro factū est.* Igitur Deus qui apud Deum erat, prodijt à Deo: & caro Dei, quæ in Deo non erat, processit ex fœmina. Ita verbū caro factū est: non vt Deus vacuaretur in hominem, sed vt, homo glorificaretur in Deum. Itaque nobis natus est Deus, sed ex duabus natiuitatibus id est, Dei & hominis, seipsū vnigenitus patris, atque in sese hominem vnum voluit esse Deum.]

24. *Genitus per genitam suam*, pater per filiam: quia factus ex muliere, quæ factorem agnoscit illum, cui ipsa esse dedit. [Creator, (ait Euchetius hom. 2. de natali Dom.) ex creatura sua nascitur, & fructum ventris sui mater incorrupta miratur, ac fœmina autoris sui autor efficitur.] Petrus Damiani sermo. de Epipha. [Sol de stella enituit, & factor Virginis, factus est in Virgine factura sua. Homo enim, qui factus est in ea, ipse fundauit eam Altissimus. Ortus est itaque sol de stella, sanitas ex ægritudine, ex morticinio vita, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, ex spina rosa, pater ex filia, Dominus ex ancilla, & de exiguo riuulo fons aquæ salientis in vitam æternam.] Chrysologus serm. 156. suspicit quod Christo ex Maria ortū sumente, orta sit origo rerum, generatus largitor generis, natus autor naturæ, & quidem ex illa ipsa natura creata cui principium dederat, & genus ac originem largitus erat. Gaufridus Vindocinensis serm. 8. [Nemo

nietur, quod sponsum Mariæ, eius filium diximus. Nam pater & sponsus huius Virginis, est filius eius. Patet planè, quia ab ipso creata est: filius, quia natus est ex ea: sponsus, quia ei charitate coniuncta.] Basilius Seleuc. orat. 39. agens de executione mysterij incarnationis. [Tunc vidit creatura, quod ante viderat nunquam; filium, genitricis esse Patrem; infantem, ætate matrem superare.]

23. *Senex, infans.* Origenes id in Christum cadere demonstrat homil. 1. in Ierem. exponens quid sit quod Propheta in persona Christi ait, se nescire loqui. Sic ergo scribit. [Saluator in magnificentia gloriæ Dei, & in patre consistens, non loquitur humana, nescit affari eos qui deorsum sunt. Quando autem venit in corpus humanum, dicit in exordio, nescio loqui, quia iuuenis ergo sum. Iuuenis propter dispensationem: senex iuxta hoc quod primogenitus omnis creaturæ. Iuuenis quia in consummatione iam sæculorum, & in extremum huius vitæ tempus aduenit: dicit itaque nescio loqui, scio enim quædam maiora loqui, scio quædam ito sermone mortali vix eloquenda terrestribus. Necdum assumpsi humanam fragilitatem, habeo eloquium tuum, verbum sum, tibi scio loqui, hominibus nescio loqui, iuuenis sum.] Huc pertinet, quod à Pisida sub finem Cosmopœiæ, Christus nuncupatur,

Puer vetusti temporis, natus modò.

Basilius Seleuciæ orat. 39. eundem appellat, [infantem æternitate antiquiorem.] Venantius Fortunatus lib. 1. de partu Virg. agens de Deipara Christum gestante, ita habet.

Aunculâ portans agnum, antiquumque Gigantem.

Concinnissimè in hanc rem disserit Guerricus serm. 1. de Natiu. Dom. in ipso initio.

25. *Mortalis & immortalis:* vel etiam *mors & vita*, vt insinuat Clemens Alexandr. l. 5. Strom. cap. 5. Nam descripto mundo, tanquam paradiso illo in cuius medio sit lignum vitæ, id est prouidentia, vegetans & fouens omnia quaquauersum, subdit. [Qui quidem paradisus potest etiam esse mundus, in quo orat sunt omnia quæ processere ex creatione. In eo & Verbum floruit, & fructum tulit caro factum, & eos qui eius benignitatem gustarant vinificauit, quoniam nec absque ligno nobis venit in cognitionem. Suspensa enim est vita nostra ad fidem nostram. Porro autem Salomon quoque rursus dicit. *Arbor est immortalitatis ijs qui ipsâ apprehendunt.* Et ideo dicit. *Ecce do ante faciē tuam, vitam & mortē*] Non obscurè his verbis Clemens, Christum vitæ simul ac mortis nomine, designatum præfert. Et vitam quidem ipsemet Christus se profitetur. Mortis autem nomen haud absurdè accommodatur homini, ob ingens eius defluuium in continuam mortem, de qua latè in Morali distinct. 1. num. 260. Intrepidè sanè Epictetus, parentes dixit generare mortes, (hoc est prolem non diu post morituram,) malè æmulos æternitatis. Eandem mortis ac vitæ in Christo consociationem, tradidit egregiè D. Augustinus tract. 26. in Ioan. ad illud, *qui credit in me, habet vitam æternam,*

Resumitur radix sizygiarum propositarum, & quanta earum admirabilitas.

26. Cætera antitheta superius tacta, eiusdem cum istis sunt farinæ. & omnia in illa vix cogitabili, hominis ac Dei consociatione ad nobis medendum necessaria, radicantur. Quem enim hominem simul ac Deum dixeris, eundem paupertimum simul ac ditissimum, lucidissimum ac tenebricosissimum, maximum & minimum, carnem ac spiritum, creatorem ac creaturam, necessariò admiseris. Hominis sanè nomine, iuxta Aristotelem apud Stobæum sermo. 98. intelligendus est confluxus indigentiæ ac miseriæ cuiuscunque. Vt propterea ad interrogationem illam, *quid est homo?* Respondisse perhibeatur, paucis illis sed significantissimis, & quibus nihil ad summam calamitatem addere liceat; [Homo est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina; reliquum verò pituita & bilis.] Insignem planè expressionem miseriæ nomine *homines* insinuatæ. legere licet apud D. Chrysostomum in illud psami 38. *Sed & frustra conturbatur.* At è contrario, *Deus* nomen est totius beatitatis, à quocunque defectu & egestate semotissimæ. Consectaria item diuinitatis communicatæ sunt diuitiæ gratiæ, & naturales prærogatiuæ ac dotes eximiæ. Nam cuius erunt optima quæque, nisi eius cui tanta vnitate coniunctum fuerit Dei Verbum? Itaque omnis illa attributorum pugnantium congeries quam supra vidimus in Christum gigantem cadere, in gemina eius substantia diuina & humana radicatur. Nec aliter statuendum est, de permultis alijs contradictoriorum sizygijs, quas Christo tribuunt S. Bonau. collat. 1. & Abulens. parad. 2. 3. & 4.

Mirati sunt hæc in Christo antitheta sancti antiqui omnes, Regem seculorum, immortalem, & inuisibilem solum Deum, sponte sua ad tantam abiectionem diuino statui oppositam deijciendum, prænoscentes afflante diuino spiritu. Mirata supra cæteros est, ipsa Deipara, quam conferentem in corde suo æternum Christi ex suis visceribus recens fusi, statum, cum temporali quem per nouam generationem sortiebatur, sancto stupore defixam exhibet Euangelista. Nec aliter eam considerauit autor perantiquus sermonis de Natiu. Dom. apud Cyprianum, & autor sermonis de Purificat. apud Ambrosium tomo 5. qui sic illam affatur. [Quis putas nobis possit indicare huiuscemodi obsequia, anima tui sensum, ô beatissima Virgo, cum hinc cerneres ex te natum tantillum infantem; illinc attenderes Dominum immensum! Hinc Creatum, illinc Creatorem? Hinc infirmum, illinc fortissimum? Hinc alendum, illinc alentem! Hinc non loquentem, illinc Angelos docentem! Quis, inquam, tui pectoris arcana nobis referare valeat! Quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas: cum vnum, eundemque Dei, atque hominis filium, manibus tenens, hinc adorares vt Dominum, illinc osculareris vt paruulum! Quis ad tam mirabile miraculum non obstupescat! Quis non penè elinguis fiat! Generat suum puella, & omnium Creatorem: nutrit suum & omnium nutritorem: portat ad templum, suum & omnium rectorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solùm humana, verùmetiam & Angelica stupescit natura. Ad hoc Fratres, fidei oculos erigite: Ad hoc pietatis affectu conuenite. Ibi Christum suscipite pro vobis in carne humiliatum, sed Adorate in sua diuinitate Dominum excelsum. Amplectimini paruulum, sed cogitate immensum. Amate humiliatum, sed timete excelsum.]

Concluditur, Christum esse ænigma diuinum.

27. Verè ergo constitutum est, Christum esse ænigma: & iure S. Epiphanius hæresi 29. *initio*, dixit, [Christum omnia impleuisse per ænigmata.] Necrefragatur S. Athanasius orat. 2. contra Arrianos cum ait, quod in principio fuerit Verbum, & deinde caro sit factum, [non esse ænigma, sed mysterium diuinum.] Aliter quippe vsurpauit eo loco *ænigmatis* nomen S. Athanasius, quàm hoc loco vsurpemus. Alludit enim ad fabulamenta variorum hæreticorum, præsertimque Valentinianorum ac Gnosticorum, qui vt est apud S. Irenæum ac Tertullianum, ænigmatibus implexorum fabulamentorum inuoluebant omnia ad Deum & Christum attinentia, eaque obtrudebant per obscura commenta, quibus nihil solidi ac vere suberat. Non ita se habere Sacramentum Christi, sed omnia quæ de eo produntur in sacris literis, quamuis ardua & luscio-

sis nostris intellectibus imperuia, esse mysteria, difficilia quidem & abdita, sed tamen vera, affirmat S. Athanasius: & hoc est quod negat Sacramentũ Verbi incarnati esse ænigma; nempe eiusmodi, vt ænigmatibus Gnosticorum ac similium annumerari debeat. Dici etiam possit, alludum ab eo ad ænigmata Pythagoræorum & aliorum Ethnicorum, qui res perspicuas consultò tenebrabant, ita vt quamuis ex se essent faciles, tamen spectatis ambagibus quibus obducebantur, essent ænigmata. Non est autem tale ænigma, Christus Dominus.

Vsus doctrinæ, toto capite propositæ.

28. Vsum doctrinæ de Christo ænigmate, quatenus ea voce significatur obscuritas huius mysterij, exhibebo in calce sequẽtis capitis. Interim insuper considerandum, quanto nos Deus honore affecerit, cum hoc suum arcanum non alijs ante nos, sed primùm nobis commisit [Nam nos quoque (inquit S. Chrysostomus homil. 7. in 1. ad Corinth.) eis quos fecerimus amicos, hoc dicimus esse indicium nostræ erga eos amicitiæ, quod nemini priusquàm ipsis dicamus arcana.] Infert indidem continenter S. Chrysostomus, quando cum delectu & temperatione agendum sit de hoc mysterio, quàmque hallucinentur qui traducentes prædicationem, omnibus temerè & indiscriminatim enunciant tale arcanum, vereque diuinum ænigma, sanctas Margaritas proijcientes canibus, & superfluis circa hoc mysterium rationibus vtentes, cum mysterium non egeat confirmatione, sed duntaxat opus sit annunciare quòd est. Nam non est mysterium diuinum & integrum quando à teipso aliquid addideris.] Hactenus Chrysostomi ratiocinatio, cius ferè verbis expressa, qua non auersatur illustrationes quales cunque nostras, per Theologicam intellectus negotiationem circa hoc mysterium: sed duntaxat superfluas verborum profusiones, è mero naturali lumine, quales nonnulli recente memoria frustra contulerunt, vt hoc mysterium humanis tatiunculis comprobarent. Quod item studium, circa hoc & alia Christiana mysteria, minùs feliciter cessit Raymundo Sebundio, in opere cæteroqui subtili, de naturali Theologia.

CAPVT II.

Ænigmatis propositi, inexpedibilitas & tenebricositas summa.

IN præmissa ænigmatis nostri expressione, vel potiùs aliquali delineatione, gryphos vides & nodos inexpedibiles ac caliginem, quam nullus orationum & ratiocinationum humanarum splendor peruincat. Hanc caliginem, quippe ænigmatis internam, subire primùm & considerare placet: Tum eius discussionem tentare. In primis ergo Patres, summam huius mysterij caliginẽ passim agnoscunt. Signo nonnullos è præcipuis, cùm Græcorum, tum Latinorum, præter pleroſque ex quibus latè in hanc rem disserit Paulinus Aquileiensis, initio libri tertij contra Felicem Vrselitanum. Auspicor à Græcis.

Iudicium Græcorum Patrum, de caligine summa ænigmatis propositi.

29. S. Dionysius epist. 3. hoc mysterium & priusquàm executioni mandaretur, & postquàm mandatum est, maxima semper obscuritate obseptum pronunciat. Itaque cum præmisisset, Deum esse ex se abditissimum: addidisseque per Incarnationem videri posse factum perspicuum; subdit, nequaquam ita esse. Mysterium enim Incarnationis semper esse mysterium, semper adytum & imperuium nobis, etiam postquam factum est. Glossa Pachymeræ in eam epistolam, insignis est ad hoc institutum. Idem sãctus Pater lib. de diu. nom. cap. 2. parte 1. *ad finem*, multa præfatus de diuina caligine, hæc subdit de Christo. [Imo quod Theologiæ totius vel euidentissimum est, ipsa Iesu in carne apparitio & ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentiæ: ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primati non cognita.] Scitè hanc tenebricositatem summam, ait esse euidentissimam.

Et inferius parte 2. agens de hoc mysterio. [Propitia sint igitur, quæ sensum omnem & sermonem superantia, laudantur à nobis. In his quoque illius excellens ac supersubstantiale eminet, non modo qua parte immutabiliter nobis atque inconfusè communicauit, nihil in exuberanti sua plenitudine & ineffabili exinanitione perpessus: verum quia quod est nouitatum omnium supereminens nouitas, in naturalibus nostris supra naturam erat, in his quæ sunt nostræ substantiæ supersubstantialis, nostra omnia ex nobis & supra nos excellenter habens.] Hæc, quanta obscuritas? Si quod S. Dionysio tribuit Richardus Victorinus l. de Incarn. ad S. Bernardum c. 13. tractans illud, *venit mane*, constaret verè esse Dionysij, haberet hîc locum suum. Affirmat ergo Richardus, scisciranti Apostolo quis esset ignotus Deus quem Athenienses colebant, respõdisse Dionysium. [Verus Deus & verus homo, & ipse renouaturus est mundum.] Quod enim verus ille homo simul & Deus, cognominatus esset *ignotus*, non parum ad rem præsentem faceret. Verùm vnde narrationem illam habuerit Richardus, me latet, suntque aliæ illius cognominationis causæ complures, memoratæ ab Isidoro Pelusiota l. 4. epist. 69. & ab alijs adductis in Natur. Theol. d. 5. n. 171.

30. Iustinus Martyr in expositione fidei de Trinitate, cum deuenit ad vnionem humanitatis & Verbi, perspicuè aperit sensũ suum de summa caligine huius mysterij, his præter cætera. [Nec est cur quisquam ex me huius vnitionis modum scitetur. Non pudebit enim fateri ignorantiam: Imò gloriabor potiùs, quod credam arcana quibus initiatus sum, quæ nec ratio nec mens valet percipere. Quare caue nequid manifestum de his, vel ex me, vel ex alio discere cupias. Quòd si libet ea cognoscere quæ ipsi percipimus, non celabo filios Ecclesiæ: hoc tantùm admonitos, quod tractantibus hanc expositionem, opus sit superno fauore ac auxilio, vt aliquatenus fiant sui voti compotes.] Et inferius. [Iam ante fassus sum, me huius veritatis manifestam cognitionem non posse mente comprehendere: ac ne nunc quidem pœnitet huius modestiæ, contentos dato nobis modulo.]

Origenes optimè in eandem sententiam disserit l. 2 Periar. cap. 6. [Verum (inquit) ex omnibus de eo miraculis & magnificentijs illud penitus admirationem humanæ mentis excedit, nec inuenit mortalis intelligentiæ fragilitas quomodo sentire vel intelligere possit, quod tanta illa potentia diuinæ maiestatis, ipsum illud verbum patris, atque ipsa sapientia Dei, in qua creata sunt omnia visibilia & inuisibilia, intra circunscriptionem eius hominis qui apparuit in Iudæa, fuisse credẽda sit; sed & ingressa esse Dei sapientia vuluam fœminæ & nasci paruulus, & vagitum emittere ad similitudinem plorantium paruulorum. Eum deinde quod in morte conturbatus refertur, & ipse etiam profitetur dicens. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: Et ad vltimũ, quod vsque ad eam quæ inter homines indignissima habebatur, adductus est mortem, licet tertia die resurrexit. Cum ergo in eo quædam ita videamus humana, vt nihil à communi, id est mortalium fragilitate distare videantur; quædam ita diuina, vt nulli alij nisi illi primo & ineffabili in se conueniat deitati habere, humani intellectus angustia tantæ demiratio-

mitationis stupore percussa, quò declinet, & quò se conuertat, ignorat. Si Deum sentiat, mortalem videt: si hominem putet, deuicto mortis imperio cum spoliis redeuntem à mortuis cernet: Propter quod cum omni metu & reuerentia contemplandum est, vt in vno eodemque ita vtriusque naturæ veritas demonstretur, vt neque aliquid indignum & indecens in diuina illa & ineffabili substantia sentiatur; neque turpium quæ gesta sunt, falsis illusa imaginibus existimentur. Quæ quidem in aures humanas proferre, & sermonibus explicare, longè vires vel meriti nostri, vel ingenij, ac sermonis excedit. Arbitror autem quia etiam sanctorum Apostolorum supergrediatur mensuram. Quinimò etiam fortassis totius creaturæ cœlestium virtutum, eminentior est Sacramenti istius explanatio.]

31. S. Macarius Episcopus Hierosolymitanus in Magno Concilio Nicæno disputans cum Phœdone Philosopho, quærente quomodo Deus carnè induisset, postquam illum dedocuit errorem, monstrauitque [in diuinis mysterijs non esse dicendum quomodo, eo quod sint ineffabilia & incomprehensibilia,] subdit, se de tanto mysterio dicturum, [quantum oratio consequi poterit. Omnimodam enim mysterij illius cognitionem, quomodo dispensatio in carne Domini facta sit, nullus neque hominum, neque Angelorum, nec ipse Gabriel, qui eidem mysterio ministrauit, neque omninò sancta, pura, & casta Virgo Maria consequi poterit, totam huius Dei Verbi incarnationis intelligentiam. Ipse etenim solus vnigenitus Dei filius, exactè nouit suam propter nos inhumanationè. Sed quæ nobis tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, vt ait Lucas, de illius in carne dispensatione; quod scilicet *ex semine Dauid & Abraham* secundùm carnem: & *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*, hoc est ex Virgine. Et quod *non Angelos apprehendit, sed semè Abrahæ apprehendit*: Et quòd *per omnia nobis assimilatus est, excepto peccato*, hæc scimus. Modus autem quo hæc gesta sunt, omnis creaturæ rationalis cogitationem transcendit. Ait autem & de hoc Hieremias Propheta; *Homo est, & quis cognoscet illum.*]

S. Chrysostomus homil. 11. in 1. ad Timoth. ad illud, *apparuit Angelis*, cum retulisset Apostolum, nomine *mysterij* significantem, carnis assumptionem à Verbo, subdit: [Intuere quomodò omnibus in locis, dispensationem assumptæ pro nobis carnis, mysterium vocat. Neque enim est omnibus hominibus cognitum, imò ne Angelis quidem ipsis manifestum fuit. Quo enim pacto cùm ipsis per Ecclesiam manifestatum sit? Idcirco ait, *reuera magnum est*. Nam profectò, verissimè magnum prædicatur. Homo enim factus est Deus, & Deus homo; homo apparuit absque peccato, homo assumptus est, prædicatus est in mundo, viderunt eum Angeli nobiscum; mysterium igitur est.] Et mox. [Et quomodò, inquies, mysterium dicitur, quod est omnibus notum? Sed id antea erat incognitum, nunc autem singularis gratiæ merito, manifestatum est.] Sic tamen vt superstites sint densissimæ tenebræ. Pulchrè hom. de S. Ioanne Baptista *post medium*. [Verbum caro factum est, & quomodò factum sit nescio. Miratis quia ego nesciebam? Omnis creatura ignorat. Mysterium enim quod absconditum fuit in omnibus sæculis, in nostro sæculo reuelatum est: dicat aliquis, si reuelatum est, quomodo te nescire dicis? Reuelatum est quod factum est, cælatur autem quomodò factum sit. Denique dicit Esaias, *Generationem eius quis enarrabit*? Et quomodo ipse dixerat, *Ecce Virgo in vtero concipiet & pariet*? Dicit quid factum sit, quando autem dicit, *Generationem eius quis enarrabit*? Hoc nobis ostendit quoniam natus quidem sit, sed quomodò natus sit, ignoramus.]

Theoph. Rayn. Christus.

32. S. Epiphanius initio orationis de laud. Deipa [Miser ego sum, qui effulgentes splendores Deiparæ radios, terribiles & incomprehensas facultates, cœli & terræ inhabitatæ mysterium, admirandumque propitiatorium, verbis consequi tentaui. Gestiebat quidem interioris animi cogitatio ad exactiorem intelligentiam, quæ exprimere conabatur profundæ memoriæ, & altissimæ speculationis miraculum. Veruntamen, charissimi, & timor multus, & grauis continuit me. Nam memoria contemplationis horrendæ exagitans tremebundam animam meam, & cor exhorrescens, non mediocriter afflixit, sed & grauiter vexauit. Concutit enim mentem meam maximæ contemplationis, ac velut incõprehensi mysterij memoria, nempe quæ illud eloqui minimè possit. Quis enim huiusmodi mysterio exprimendo queat sufficere? Quale verò os pronuntiare, quæve lingua proferre? Nequaquam potest dicere quod latet.]

Basilius Seleuciæ orat. 39. [Quæ oratio imperuium conceptionis, quæ sine viro contigit, pelagus ingredi valeat? Quæ mens tam pura, tam perspicax, quæ inuisibilia ista contempletur? Et hæc humana voce maiora sunt: ac reuera diuini cuiusdam afflatus, vltrò aperientis harum quæstionum exitum. Quomodo natura verbi, quæ nullius opera facta est, nec mente capi potest, quæque cum nulla creatura communicari potest; in quam Cherubini, etsi reliquos ordines superemineant, oculos defigere non audent, quomodo hæc cum infirma & terrestri humanitatis natura lubens in communionem venit? Et fuit mysterium, quod in hodiernum vsque diem mysterium permanet, nec vnquam mysterium non erit. Tunc vidit creatura quod anteà viderat nunquam.] Et superiùs. [Ipse est qui à principio hominem efformauit, qui nouissimis diebus per se reformauit, qui capto luto Adamum de terra conglutinauit, & suo afflatu animauit. Verùm non illi modum suæ fictionis ostendit, occupans curiosam eius audaciam compescere, quò ignorans luti animæque compositionem, neque scrutetur, vt Deus, & caro in vnum coïuerint, tantùm non sic affatus: Ne in cœlum sustolli audeas, cum de solo petitus sis. Nosce te ipsum, vt fictus sis, vt formatus, vt animatus; vt in corpore tuo, quod incorporale est, inhabitet. Age verò, simulne cum omnibus corporis membris porrigitur anima, an vnum duntaxat membrum ambit; atque perficit? Si porrigitur, multum inde absurdi: Corporum enim proprium est porrigi; animam autem corporis expertem omnes nouimus: si verò contrahitur, hoc altero absurdius: neque enim duntaxat id, quod sine corpore est, corpus esse comperietur, siquidem in aliquam partem corporis contrahitur: sed & reliqua membra mortua videre erit, vinifico destituta spiritu. Vides vt comprehendi nequeat horum comprehensio? Quomodo igitur assequeris, quæ supra te? si namque tui ortus rationem caperes, æquius meam scrutareris incarnationem: vel potiùs temerè tunc à te id quoque fiat: interminata siquidem distantia Deum inter, & homines. Quod si tua tibi incognita, quid ea facies, quæ supra te?]

33. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 192. [Magnum reuera pietatis Sacramentum est, quemadmodum etiam sacrorum Antistes Paulus scripto prodidit: non quòd omnino incognitum sit, sed quòd à nemine comprehendi queat. Omnem quippè, & sermonis & mentis vim excedit. Nam si puerulus matrimonij fructus est, quonam pacto Virgo matrimonij fructum edidit? Quonam pacto id quod interitui obnoxium est, cum eo quod interitum nescit, copulatum est? Quonam pacto in eo quod circumscriptum est, id quod à circumscriptione alienum est, intelligitur? sic inquam, vt nec diuina, nec labis omnis expers natura, decrementi quidquam patiatur; & quod mortale est,

modo quodam qui nullis verbis exprimi potest, omnemque interpretationis vim superat, honorē accipiat.

Theodoretus in c.5. Cantic. gratias de Christo capite fluentes, elatas palmarum interpretatus, ait eas dici nigras quasi corvum, [vt per profundum & obscurum colorem, abdita & inaccessa Incarnationis ratio declaretur.]

34. S. Maximus centur. 1. ex varijs cap. 11. [Ingens diuinæ Incarnationis mysterium perpetuò manet mysterium, non ob id solum quòd pro modo & facultate eorum qui per illud saluantur, explicatum, habet quippiam nondum conspectum, maius eo quod enarratum est: sed ob id quoque, quòd vel illud ipsum quod videri putatur, manet adhuc prorsus abstrusum: vtpote quod nullo sermone, sicuti est, cognosci queat. Neque cuiquam, quod dicitur, videatur paradoxum. Nam Deus cum sit supersubstantialis, & omnem supersubstantialitatem transcendens, quando voluit ad substantiam deuenire, modo supersubstantiali substantiam induit. Et hanc ob causam, pro hominibus, vt amans hominum, ex humana substantia, verè factus est homo. Porrò modum quo factus est homo, semper habet inexplicabilem; pro hominibus enim factus est homo.] Quare capite sequenti, negat vllam hic quærendam euidentiam, [Perpendamus, (inquit,) fideline mente Incarnationis diuinæ mysterium, ac sine vlla curiositate glorificemus duntaxat eum cui nostro gratia complacuit illud fieri. Nam quis dicendi demonstrandiue facultate consequi potest, qua ratione Dei conceptio fiat? Quo pacto gignatur caro sine semine? Qui generatio sit absque corruptione? Quomodo mater, quæ vel post partū virgo permāsit? Quo pacto qui pluscquam perfectus erat, ætate succedēte proficiebat? Quo pacto baptizabatur, qui mundus erat? Quomodo nutriebatur, qui esurit? Quo pacto robur conferebat, qui fatigatur? Quomodo ægrotans sanitatē donabat? quomodo moriens, viuificabat? Et vt primum postremo loco dicā, qui Deus homo factus est? Ac sanè maius mysterium est, quo pacto subsistentialitio & secūdùm Hypostasin Verbum erat in carne, qui secundùm substantiā & Hypostasin totus est apud Patrem: quomodo idem natura totus est Deus; & secundùm naturam totus factus est homo, neutra prorsus abnegata natura: diuina minimè, secundum quam est Deus: nequa nostra, secundùm quā factus est homo. Huiusmodi mysteria, sola capit fides, quæ est Hypostasis eorum, quæ mentem superant & rationem.]

S. Damascenus l. 3. fid. cap. 5. appellat Incarnationē, [dispensationem verbi diuinam & ineloquibilem, & mentem omnem, comprehensionemque omnem, excedentem.]

Patres Latini, quid statuerint de tenebricositate eiusdem ænigmatis

35. Græcis Patribus subnecto Latinos. S. Hilarius sub finem libri 10. de Trinit. [Illos nunc arcanorum cælestium scrutatores consulo, vt secundùm naturam suam nati ex Virgine Christi sacramentum loquantur. Vnde dicent Virgini conceptum? vnde Virgini partum? quam hanc esse genitalium originum causam disputabunt? Et quid intra secessus maternorū sinuum coaluisse? corpus vnde? homo vnde? Iam verò post hæc, quid sit descendisse de cœlo Filium hominis, in cœlo manentem? Non enim eiusdem est, secundùm corporales causas, descendere & manere, quorum alterum descensionis transmutatio est, alterum manendi imperturbatio est. Vagit infans, sed in cœlo est: puer crescit, sed plenitudinis deus permanet. Iam verò cùm ascendit vbi antea fuit, & descendit qui manet; quo intelligentiæ humanæ sensu continebitur? dominus enim ait: *Quid si videritis Filiū hominis ascendentem vbi antea fuit?* Ascendit Filius hominis vbi antea fuit, & quis hoc sensus concipiet? descendit de cœlo Filius hominis, qui in cælis est, & quæ hoc ratio præstabit? Verbum caro factum est, quæ hoc verba loquentur? fit caro Verbum, id est, homo deus. Et qui homo est, in cælis est: & qui deus de cælis est. Ascendit descendens, sed descendit non descendens. Est qui erat, & quod est, non erat. Currimus per causas, & ratione deficimur: rationem cernimus, & causas non intelligimus. Sed Christum Iesum ita intelligentes, scimus; & magis putantes nos intelligere, nescimus.]

S. Ambrosius lib. de Salomone cap. 2. *in fine*, vestigia aquilæ in cælo, nobis inuestigabilia, sic accommodat ad rem præsentem. [Cuius hominis tam altus sensus & tantus est, vt explicare possit, quomodo illa tanta maiestas de cælo aut venire dignata fuerit, aut redire? Cùm hoc solùm nobis scire liceat, quod aut venit, aut rediit. Quis enim cognoscere potest quemadmodum Verbum in Virginem venerit, vt repentè conciperet, vt tam fœlicem fœtum partus virginalis effunderet, vt hominem deus indueret, quem totus mundus non potest nec sufferre nec capere? Id est quod ait, Vestigia volantis aquilæ, (id est Christi Domini aduenientis ad terram, ac redeuntis ad cælos, vestigia,) comprehendi enarrarique non posse.]

36. S. Augustinus epist. 49. ad quæstionem 5. & deum & Christum, cuicumque homini licet sapientissimo imperium esse, docet ex loco Prouerb. 30. [*Deus docuit me sapientiam, & scientiam Sanctorum cognoui. Quis ascendit in cælum, & descendit? Quis collegit ventos in sinum? Quis conuertit aquam in vestimento? Quis tenuit fines terræ? Quod nomen est ei aut quod nomen est filij eius?* horum duorum quæ in extremo cōmemorauit, vnum retulit ad Patrem id est, *quod nomen est ei*, propter quod dixerat, *Deus docuit me sapientiam.* Et alterum euidenter ad Filium, cùm ait, *aut quod nomē est filij eius?* propter cetera quæ de filio magis intelliguntur, hoc est, *qui ascendit in cælum & descendit.* quod Paulus ita commemorat: *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cælos. Quis collegit ventos in sinum*, id est, animas credentium in occultum atque secretum, quibus dicitur: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quis conuertit aquam in vestimento?* vt dici posset: *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quis tenuit fines terræ*, qui dixit discipulis suis: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in fines terræ.*] Vides locum Prouerbiorum quo filius humanis intellectibus incognoscibilis dicitur accipi à diuo Augustino de Filio in carne, siue de Christo ratione huius mysterij, non autem nudè de Verbo æterno. Eiusdem B. Augustini vniuersa epistola 3. in hoc negotio consumitur.

S. Gregorius homil. 2. in Ezech. electorum quod ibi Ezechiel nube magna, & igne inuoluente implicitum, aque adeò inaspectabile refert, interpretatur Christum. [Electrum quippe ex auro & argento est. In electro dum aurum argentúmque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit. Illud ad claritatem proficit, hoc à claritate tēperatur. Quia igitur in vnigenito Dei Filio, naturæ diuinitatis vnita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in maiestatis gloriā excreuit, diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit; per hoc quod humana natura clatior facta est, quasi per aurum creuit argentum. Et quia diuinitas à fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in se manens innouat omnia, si ita vt est, nobis apparere voluisset, fulgore suo nos accenderet potiùs quàm renouaret: sed claritatem suæ magnitudinis temperauit nostris oculis deus, vt dum nobis eius claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per eius simi-

litu

litudinem in eius luce clarescerer,& per acceptam gratiam, vt ita dicam, suæ habitudinis colorem mutaret. Quasi electrum ergo in igne est, Deus factus homo in ipsa perfectione.]

37. S. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo c. 16. [Qua ratione sapientia Dei hoc fecit, si non possumus intelligere, non debemus mirari: sed cum veneratione tolerare, aliquid esse in secretis tantæ rei, quod ignoremus. Quippe mirabilis Deus restaurauit humanã naturam, quã instaurauit; æqualiter enim vtrumque Deo facile est, sed homo antequã esset, non peccauit, vt fieri non deberet. Postquam verò factus est, peccando meruit, vt quod ei ad quod factus erat, perderet: quamuis non perdiderit omnino quod factus erat, vt esset quod puniretur, aut cui Deus misereretur. Neutrum enim horum fieri posset, si in nihilum redactus esset. Tantò ergo mirabiliùs Deus illũ restituit, quàm instituit; quando hoc de peccatore contra meritum; Illud non de peccatore, nec contra meritum fecit. Quantum etiam est, Deum & hominem, sic in vnum conuenire, vt seruata integritate vtriusque naturæ, idem sit homo qui Deus. Quis ergo præsumat vel cogitare, quod humanus intellectus valeat penetrare, quam sapienter, quàm mirabiliter iam inscrutabile opus factum sit?] Eiusdem operis libro 1. c. 2. inde profitetur S. Anselmus, retrahi se ab Incarnationis tractatione [quod ea materia non solùm pretiosa est; sed sicut est de speciosa forma præ filiis hominũ, sic etiam est de speciosa ratione super intellectus hominum.]

Amedeus Lausanensis hom. 3. de laud. Deip. tractans mysterium Incarnationis [Quis erit nobis progressus ad hæc sancta Dei? quo ordine iter aggressum consequemur? Ecce condensa nebula, nubesque lucidissima, itinera nostra præpediunt. Aqua illa quam vidit egredientem de templo sancto Ezechiel, non solùm talos & genua, verùm renes & collum operiẽs, diffunditur super nos, ne transuadare possimus.] Et mox. [quod si voluerimus accedere ad caliginem, in qua ipse est, ingressi medium nebulæ, & permoti gloria tantæ maiestatis, perterriti etiam magnitudine illius infinitatis, non subsistemus, & erimus quasi nihil. Deus enim lucem inhabitat inaccessibilẽ; cuius ignis, sicut stipulam carnes deuorat, cuius faciem nemo videre potest, & viuere; ad cuius abyssum indagandam Angeli non sufficiunt; ad quem nulla potestas aspirat, præter illam quæ in vnitate personæ copulata est. Demus itaque gloriam deo, & cadentes in facies nostras; adoremus à longè vestigia Trinitatis.]

38. Petrus Cellensis lib. 1. de tabernac. [Non immeritò Christus arca nuncupatur; quia sicut arca in domo valdè necessaria est, vt non solùm panis ibi ponatur, sed vestis & pecunia, & quælibet alia sub claue signanda & conseruanda; sic in Christo reponitur opus nostræ saluationis, quasi panis refectionis: reponitur vestimentum dealbationis, vt ibi legitur, *quotquot baptizati estis, Christũ induistis*; reponitur nihilominus de pecunia redemptionis; vt ibi; *redemptionem misit Dominus populo*; reponitur & thesaurus totius diuinitatis, quia *in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Arca igitur est, nec semper aperta, ne studium quærendi tollatur; nec inclementer clausa, nec instantia requirentium frustretur. In manus Patris, clauis resignatur, propter mysterium à sæculis absconditum; ne fures effodiant consilium Dei, & furentur intentionem Incarnationis Christi. Pater claudit & nemo aperit; quia natiuitatem diuinam in secreto suo abscondit: Ipse aperit & nemo claudit, quia generationem humanam Mundo innotuit. *Nemo* (inquit) *nouit filium nisi Pater.*]

In solubilitas corrigiæ per Baptistam, & libri Apocalyptici obsignatio, eodem à Patribus aptantur.

39. Hæc quæ de inenodabili implexitate mysterij Incarnationis hactenus protulimus ex variis Patribus aliter paucis his verbis à Baptista Christi antecursore sunt tradita. *Non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Interprete namque S. Gregorio homil. 7. in Euang. intendebat [in ligaturam mysterij, quod Verbi diuinitas veluti calceata morticiniis nostræ corruptionis apparuit.] Pulchrè item in eamdem sentẽtiam Nazianzenus orat. 39. sub finem. [quid calceamenti corrigia, quam non soluis, qui Iesum baptizas, tu, inquam, solitudinis alumne, ac nullius cibi homo, tu noue Helia, plusquàm Propheta, vtpote qui eum etiã, qui prædicebatur, vidisti; tu inter vetus & nouum testamentum interiecte? An fortasse aduentus & carnis ratione, cuius ne extrema quidem facilè solui atque explicari, possunt, non dicam ab iis, qui adhuc crassi & carnales sunt, atque in Christo paruuli, sed ne ab iis quidem, qui spiritu Ioannem referũt.] *Extrema* huius mysterij. appellat quascumque eius fibras, & quidquid ad illud aliquo tandem modo pertinet S. Ambrosius, eodem modo indissolubilitatem corrigiæ calceamenti per Baptistam interpretatus est l. de instit. Virg. c. 14. tractans illud Cant. 7. *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Sic enim scribit.] Speciosè procedit anima, quæ corpore velut calceamẽto vtitur, vt quo velit, suũ possit sine impedimento vllo circumferre vestigium. In hoc calceamento speciosè processit Maria, quæ sine vlla commixtione corporæ consuetudinis, autorem salutis Virgo generauit. Vnde egregiè Ioannes ait, *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti*; id est, non sum dignus, Incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absoluere. Vnde & Isaias dixit, *Generationem eius quis enarrabit?* Eadem est secunda interpretatio loci de quo agimus, adhibita à Clemente Alexandrino l. 3. Strom. Nec dissimiliter Glossa Ioan. 1. indissolubilitatem corrigiæ calceamenti, ait esse mysterij Incarnationis inexplicabilitatem. Subscribunt Magister in 3. dist. 2. Argẽt. ibid. d. 1. q. 1. artic. 1. & Gabr. in 1. d. 30. q. 4. *litera L.* qui varias tantæ in hoc mysterio difficultatis causas vestigat *litera M.* & seqq.

40. Huic insolubilitati corrigiæ per purum hominem, S. Bernardus serm. 1. de Pasch. iungit quod Apocal. 5. traditur de impossibilitate aperiendi librũ signatum. Sic enim de Christo loquitur. [Idem etiam liber est, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inueniretur aperire hunc librum? Indignum se profitetur & ipse Baptista Ioannes, quo inter natos mulierum maior nemo surrexit. *Non sũ*, inquit, *dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Venerat enim ad nos calceata maiestas, diuinitas incarnata, venerat Dei sapientia, sed in libro clauso vtiq; & signato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebant signacula libri. Sed quid dicimus super his septem? An fortè triplex anima virtus, ratio, memoria, voluntas, & quadrifaria corporis compositio, ex elementis videlicet quatuor, in his septem est intelligẽda, vt nihil de veritate humanitatis defuisse nouerimus Saluatori? An magis humanitas eius ipse est liber; & quærenda sunt signacula septem? Septem enim quædam arbitror inueniri quibus maximè celabatur in carne præsentia maiestatis, vt non posset aperiri liber, & sapientia quæ latebat agnosci.] Exponit sigillatim ea septem sigilla, siue septẽ latentis in humanitate Dei causas. quæ apud eum videri poterunt. Auctoritate satis superque monstratum videtur, quanta & quàm densa sit propositi ænigmatis caligo.

Suffragium rationis.

41. Nec minus astipulatur ratio. Omnes enim contradictiones superiori capite propositæ, inexpedibiles videntur reddere huius ænigmatis scrupos. Quomodò siquidem potest idem Deus & homo, idem creatura & creator, idem mortalis ac immortalis, æternus ac temporalis, immensus & loco conclusus agnosci? Quomodò autem Deus, eo in hominem transitu mutationem non subierit, quæ tamen tantum à Deo abesse debet, quantum non esse ac deficere? Sanè quomodocumque explicetur, quo pacto Deus qui antè homo non erat, factus deinde sit homo, afficanda videtur Deo fuligo nostra: quia vel Deus dicetur vniri humanitati vt forma; vel humanitas dicetur vniri Deo, vt subiecto; vel ex humanitate & Deitate refractis, existet tertium: quæ omnia impossibilia sunt, & pugnantia cum diuina actualitate purissima, ac vel obumbrationm vicissitudinis excludente. Quomodocumque item explicetur fundamentum nouæ illius denominationis, non appareret quomodò veritas naturæ humanæ retineatur, in tanto eius ad Deum accessu; aut quomodò natura humana sit vera substãtia, tam pendens à Patre & Spiritu sancto quàm à Verbo, vt tanè æque pendet ab omnibus personis diuinis, cùm ab omnibus per communem essentiam atque potentiam producatur. Aut denique quomodò sit completa, si vel aliquod sibi substantiali destituitur, vel in alterius compositionem venit. Hæc omnia, quanta sit obscuritas mysterij ænigmate proposito contenti, testatum faciunt.

Accedit potentissima eiusdem caliginis probatio, quæ cõuincit, in hoc negotio à nullo creato intellectu responderi posse nisi admodum imperfectè, ad quæsitum quod de vnaquaque re primum institui potest, nec rei notitiam plenam infert, sed pertenuem & in vestibulo ipso hærentem. Prima enim quæstio de re quapiam, est, an sit tantùm possibilis, an existẽs actu. Qui porrò subiectam huic primæ quæstioni responsionem percepit, perparũ promouit in rei perfectione de qua instituitur ea quæstio: adhuc enim hæret in extimo atrio rei, nec ad essentiæ adyta admittitur. Ac ratio valida conuincit tantam esse caliginem mysterij quod proposito ænigmate continetur, vt ne ad illam quidem primã & veluti initialem cognitionem eius, aspirare intellectui vlli creato, siue Angelico, siue humano liceat: sed ex triplici modo cognoscendi diuina quem assignat S. Bernardus lib. 5. de consid. c. 3. nempe per fidem obscuram, intelligentiã claram, opinionem sola verisimilia apprehendentem, adigimur fateri, solum primum modum, intellectui cuicunque creato esse concedendum, quoad mysterium ænigmate proposito contentum: Ac proinde si intellectus, hoc quod inter signata fidei (vt S. Bernardus loquitur) numerandum est, tentet irrumpere, non modò reputandus erit effractor, quod idem mellitissimus Doctor tradit, sed etiam casso nisu & irrita fatigatione nihil proficiet. Quod verò multo plus est, ne opinio quidem reperit vbi secura hîc pedem figat in tanta caligine. Hoc quia non videtur satis exploratum, nec ab omnibus Theologis æquè admittitur, demonstrandum breuiter est, tam quoad possibilitatem, quàm quoad actualem existentiam mysterij in quo versamur, initio ducto à possibilitate nuda, quam patet esse anteriorem, cum existentia supperaddat possibilitati diuinum decretum actuale quod magnas tenebras offundit, vltra eas quæ possibilitatem affectantur.

42. Vt autem perspicuè solidéque procedamus, præmittendus est duplex modus cognoscendi vel ostendendi rei cuiuscunque possibilitatem. Primus est, quo directè & ostensiuè probatur, atque adeò clarè & euidenter deregitur ea possibilitas: Qua ratione eam rem agnoscimus euidẽter possibilem, quæ nobis obiicitur contuenda penetrando intimè connexionem terminorum illam compingentium, aut quam discursu manifesto agnoscimus connecti necessariò cum ea re cuius existentiam intuitiuè percepimus. Secundus modus rei possibilitatem cognoscendi, est indirectus, quo scilicet tametsi non cognoscimus euidenter, abesse repugnantiam; tamen omnia quæ in contrarium opponi possunt, enodamus: non quidem euidenter conuincendo, in huiusmodi argumentis quæ in contrarium opponi possunt, assumi falsum; (sic enim euidenter cognosceremus oppositum esse verum, quod est contra suppositionẽ, quæ fert illud non cognosci euidẽter:) sed negando principia in contraria assumpta, quæ aduersarij nunquã ineluctabiliter astruent. Distinxit hos duos cognoscendi vel ostendẽdi modos, Argẽtina in 3. d. 1. q. 1. art. 1. priorem vocans directũ & positiuum, posteriorem verò indirectum & negatiuum.

Ne possibilitas quidem huius mysterij, demonstrari directè potest ab intellectu vllo creato, etiam Angelico.

43. Prior modus cognoscendi possibilitatem huius mysterij, est apertè impossibilis cuius intellectui creato per natiuas vires suas operanti. Nam ens essentialiter supernaturale, non potest viribus intellectus vllius creati agnosci possibile, penetrata connexione quidditatis & existentiæ talis entis. Certum quippe est, quod cognoscibilitas affectatur entitatem, estque naturalis eius passio: & iuxta probabilem sententiam, eadem est cum veritate transcendentali. quod si cognoscibilitas non corresponderet entitati, conuelleretur principium apud omnes ratum ac certum; nempe quod modus operandi sequatur modum essendi. Igitur si res cognoscenda, est essentialiter supernaturalis, impossibile est eam esse euidenter cognoscibilem viribus naturæ totius creatæ. Atqui mysterium ænigmate proposito comprehensum, est secundùm substãtiam & essentiam suam supernaturale: Inuoluit enim personalitatẽ Verbi, & terminationem naturæ creatæ per vnum ex illis personalitatibus quibus diuinitas ipsa terminatur; atque adeò continet modum essendi reciprocum ac proprium Deo, quod est totum fundamentum supernaturalitatis secundùm substantiam. Quare impossibile est, nudas vires naturales cuiuscunque intellectus creati, isthuc vsque peruadere, ferrique distincte & perspicuè in contuitionem possibilitatis mysterij propositi.

44. Non distinxi de intellectibus creatis; quia intellectus quoque Angelicus, non eos modò qui sunt reipsa, sed qui etiam esse possunt, eodem loco habeo quoad rem presentem: displicentque Mayro in 3. de. 1. q. 8 (quamuis nonnihil ambiguus,) & Rubion. in 3. d. 1. q. 3. art. 2. qui existimantes intellectum à sensu independentem, æquè potrigi ad omnia entia limitata percipienda, affirmant intellectum Angelicum sibi relictum, (id est non impeditum à Deo natiuam eius perspicaciam obstruente) posse naturaliter cognoscere hoc mysterium. Id quod etiam asseruisse non ita pridem nonnullos, refert Vasquez 1. p. d. 214. n. 14. sed ex alio fundamento: nẽpe quod extrema huius vnionis, Deus scilicet & humanitas, sint naturaliter cognoscibilia: proindeque cùm non implicet contradictionẽ ea extrema coniungi: intulerunt, notam euidenter esse Angelo, possibilitatem huiusmodi vnionis. Sed hæc fundamenta, sunt planè ruinosa. De priore res est perspicua. Cuius enim intellectui, certa mensura obiectorum connaturaliter cognoscibilium est assignanda, correspondens modo essendi, vt latè prosequor in Natur. Theolog. dist. 4. à num. 2. At vnio de qua disputamus, longè transcendit modum essendi cuiuscunque creaturæ, cùm includat modum essendi diuinum, & trahat

rahit ad esse Dei. Ruit ergo vniuersus Rubionij discursus. Recentiorum verò argumentum, est prorsus imbelle. Iuprimis quia falsum est, personam Verbi quæ est alterum huius vnionis extremum esse naturaliter euidentem Angelo, etiam quoad *an est*. Deinde inanis est illa consecutio. Hæc extrema cognoscuntur naturaliter: ergo vnio quoque eorum, cognoscitur naturaliter vt possibilis. Potest enim subesse latens contradictio in tali vnione: & quamuis nulla subesset contradictio, tamen propter supernaturalitatem vnionis, nobilitia eius transcendet vim cognoscitiuam naturalem quantumcunque perspicacem, nec impediram quominus pro naturali sua efficacia exeratur. Itaque statuendum omnino est, quamuis Angelicus intellectus intra naturæ fines sit perspicacior nostro intellectu, & sphæram obiectiuam intelligibilem longè protensiorem sortiatur, tamen connaturaliter cognoscendo, non posse altiùs assurgere, quàm ferant vires eius naturales cognoscitiuæ, quæ porrigi nequeunt vltra gradum essendi Angelo cognoscenti proprium. Ex quo sequitur, nō posse Angelum connaturaliter pertingere ad notitiam entium secundùm subsistantiam supernaturalium, inter quæ recenseretur hoc mysteriū. Quod si Angelus nequit connaturaliter cognoscere possibilitatē huius mysterij, sequitur non posse eam cognoscere euidenter, quia quamuis cognitio euidēs latiùs pateat quàm connaturalis, tamen omnis notitia euidens viribus naturæ parabilis, est connaturalis. Vnde enim inesset naturali notitiæ tanta perfectio, vt idona esset ad exhibendam rem euidenter, nisi esset commensa & debita naturæ intelligenti? At hoc ipsum est, esse connaturalem notitiam.

Patrum iudicium de negata Angelis euidenti notitia possibilitatis huius mysterij, per naturæ vires.

45. Negant disertè Angelis notitiam claram huius mysterij, (vtique ex naturalibus ipsorum viribus) nonnulli Patres. Petrus Damiani serm. 11. [Hanc generationem de matre, omni humanæ creaturæ reor inextricabilem. Nescio, vtrùm ab illa excellentiore natura valeat comprehendi. Quia enim comprehendat coniunctionem carnis, & Verbi, qualiter Deus, & homo in vnam personā conueniant, saluis imperturbatisque proprietatibus naturarum? Vnusquisque in suo sensu abundet. Ego hanc, omnem sensum supergredi credo, veterum vitorum vestigiis inhærens, qui super hoc sanas, & inconcussas sententias reliquerunt.] Benè *veteres viros*, ita sensisse affirmat; non modò cùm vniuersè docent hoc mysterium exsuperare omnem sensum, sed etiam nominatim tradendo, transcendere naturalem subtilitatem intellectus Angelorum.

Ita planè S. Chrysostomus in psal. 96. ad illa verba, *nubes & caligo*, tractans per occasionem illud psalmi 17. *Inclinauit cælos & descendit, caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin & volauit, volauit super pennas ventorum*; subdit enim. [Non quod pennas habeat Dominus, & volet, dixit Propheta: *Volauit super alas ventorum*. Alæ ergo ventorum quæ sunt? vtique Angelorum & alibi dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem ardentem*. Porrò quod dixi, caliginem crassiores tenebras, ne quis me fabulari putet, & non rem dicere, vt est, testatur etiam hoc Prophera ipse. *Et ascendit super Cherubin & volauit; volauit super alas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum*. Quæris quales tenebras posuit Deus latibulum suum? Planè corpus, quia tabernaculum corporis sui dicit tenebras.] En quomodò ipsis Angelis, iisque qui inter Angelos perspicacissimi habentur, mysterium corporationis Domini, caligo est ac tenebræ, iudice Chrysostomo, qui idem quoque docet homil. 11. in 1. ad Timoth. vt in huius capitis calce referam.

Petrus Chrysologus serm. 41. hoc mysterium ipsis Angelis inuisibile esse, disertè contestatur, & vniuerse de Angelis loquitur.

Gregorius Næocæsariensis perpulchrè orat. 3. de Annunc. inducit Gabrielem, sic apud se ratiocinantem super concredita sibi legatione.] Noua & inaudita hæc res est. Intelligentiam superant, quæ dicuntur. Quem reformidant Cherubim; Quem Seraphim intueri nequeunt; Quem cunctæ Virtutes cælestes comprehendere intellectu non valent, is suum promittit puellæ congressum: suæque ipsius personæ aduentum denunciat; immò verò ingressum per auditum pollicetur: Et qui Euam condemnauit, eius filiam tantoperè glorificare contendit? Ait enim: Paret mihi auditus ingressum. Sed nunquid poterit Virginis vterus illum capere, qui comprehendi nequit? Mysterium reuera tremendum ac venerandum est istud.] Angelus est, quem sic loquentem inducit Gregorius Thaumaturgus. Neque verò esse ex infimo quopiam beatorum spirituum ordine, sed ex eminentissimis, tradit apertè S. Gregor. hom. 34. in Euang. & satis significat S. Bernard. hom. 1. super *Missus est*. Et idem à fortiori, dixisset Thaumaturgus, de minoribus Angelis. Deniq; in hymnis Græcanicis ad Deiparam quos Buteo ex Horologio Græcorum Latinè fecit, non modò eloquentes Rhetores dicuntur ad hoc mysterium esse muti vt pisces, sed etiam Angeli omnes, hærentes ad illud & obstupentes inducuntur.

46. Agnoscunt igitur Patres, hoc mysterium esse supra naturalem captum Angelorum, atque adeò cuiusuis intellectus creati, ita vt vi eius nequeat euidenter percipi possibile. Neque verò euidens tantùm notitia possibilitatis huius mysterij, neganda est viribus naturæ sibi relictis, sed etiam notitia verisimilis atque probabilis. Homo enim & Angelus sibi relicti, vel nullo modo in eam cogitationem venirent, vt iudicarent Deum posse esse hominem: Vel si fortuitò ea imaginatione pulsarentur, nec eam reiicerent tanquam otiosam, potiùs existimarent, eum vnionis modum latente aliqua contradictione implicari: quamuis ipsis quidem nulla occurrere posset cōtradictio, quam re benè considerata dissoluere non possent, eo modo quo iam dicam. Egregiè sanè Gulielmus Parisiensis lib. de virtut. cap. 11. longissimo, *sub medium* (pag. mihi 137.) affirmat, si propositio huius mysterij facta fuisset Angelis naturæ suæ relictis, & non facta eis reuelatione diuini de hoc negotio consilij, non dubitaturos Angelos, damnare stultitiæ talem cogitationem: quod planè est dicere, fore vt impossibilē iudicarent huiusmodi vnionem, quia cum sapientia Dei non potest cohærere stultitia. [Audemus (inquit Gulielmus) & ampliùs dicere, quia si proposuisset in conuentu omnium Angelorum, quia quædā fornicaria & in terris, omni libidini prostituta, omni turpitudine coinquinata, cui vilitate, vel fœditate, nulla meretrix comparabilis, hanc volo ducere in vxorem, & constituere reginam cælorum, & omnino coæquare, & insuper eousque amare eam, vt pro latrociniis, ac turpitudinibus eius crucis affigat patibulo? si inquam ista eis proponeret, & huiusmodi, (vt ita dicamus) stultitiæ profundissimam, & inuestigabilem sapientiam eisdem non reuelaret, & ipsum insanissimum reputarent, & quod Petrus similia audiens dixit eidem Matth. 16. ipsi procul dubiò respondissent, videlicet, *absit à te Domine, non erit tibi hoc.*] Quod Gulielmus dixit de Angelis, rectè Henricus quodlib. 8. q. 14. *in corpore* de quacunque naturali virtute cognoscitiua pronunciauit, affirmans rationi naturali, si reuelatione destituatur, probabilius visum iri, mysteria Christiana (inter quæ mysteriū de quo agimus, est ex primariis) impossibilia esse, quam possibilia.

Quid de probabili notitia naturali possibilitatis huius mysterij, supposita reuelatione statuendum.

47. An verò supposita reuelatione possibilitatis huius mysterij, vires naturales intellectûs, eo possint assurgere, vt illud esse possibile probabiliter cõfirment, lis potest esse de nomine. Certum quidem est, reuelationem diuinitùs interpositã, non posse efficere, vt naturale lumen intellectûs, vltra sphæram suã obiectiuam progrediatur: Nec item posse, efficere, vt naturalia principia quæ sumi possunt per intellectum reuelatione præuia roboratum, contineant virtualiter conclusionem, quam suaptè natura non continent; Quod vnum volunt Ruis disp. 43. de Trinit. sect. 2. & alij, qui negant, etiã suppositã fide aut reuelatione, posse ab intellectu creato sibi relicto excogitari rationes quibus mysterij substantialiter supernaturalis, veritas aut possibilitas, vel probabiliter innotescat. Nihil tamen vetat, suppositã fide & reuelatione mysterij, intellectum suis viribus aliquas sibi verisimiles ratiocinationes tanquam manuductiones efformare, quibus probabiliter suadeatur, mysterij possibilitatẽ & veritatem, & quasi cicuretur ac condocefiat, ne præfractè ab obiecto adeò auerso, tamque à connaturalibus sibi obiectis dissentiente, resiliat: quod vnum volunt Suarez l. 1. de Trinit. c. 11. & 12. & alij, qui docent, suppositã fide, dari posse naturæ viribus probabilem mysteriorum confirmationem. Hoc enim non est asserere, naturale lumen transcendere sphæram suam; aut principia naturalia continere conclusionem quam non continent: sed tantùm est asserere, intellectum intra sphæram suam naturalem, repetire posse aliqua vtcunque proportionalia mysterio, è quibus per analogiam naturaliter cognoscibilem, colligat non improbabiliter possibilitatem mysterii. Possibilitas enim mysterij analogicè tantùm deducta, continetur in huiusmodi principiis naturaliter peruiis. Multas tales huius mysterij manuductiones, adducam infrà lib. 2. sect. 1. c. 1. Quam verò tenuis aut potiùs nulla lux, ex ea possibilitatis verisimilitudine obscuritatem fidei supponente, nec nisi alicui analogiæ nixa, accedat mysterio, non est quod exponam; cùm per se liqueat, mysterium nihilominus densa semper caligine obuolui. Non est tamen idcirco dicendum, mysterium esse contra lumen naturale: neque enim lumen fidei, naturali lumini aduersatur, sicut neque veritas veritati; sed tantùm dicendum est, mysterium esse supra naturale lumen; nec eius collustratione patere posse possibile. Nec plura, de naturaliter directè indemonstrabili possibilitate mysterij de quo agimus. Vnde quanta sit ænigmatis propositi caligo, æstimare licet.

Eiusdem possibilitatis demonstratio indirecta. parabilis naturæ viribus.

48. Venio ad alterum supra propositum modum demonstrandi possibilitatem huius mysterij, quem aiebam vocari indirectum, aut negatiuum, quia procedit diluendo & negando principia quæ assumuntur in argumentis, formatis contra mysterium. Cuiusmodi sunt benè multa argumenta, quæ contra possibilitatem mysterij de quo agimus, referuntur à S. Thoma lib. 4. contra gen. cap. 40. Et hic modus probandi possibilitatem, potest quidem naturali intellectûs perspicaciæ aliquatenus concedi respectu mysterij de quo agimus; inde tamen caligo & tenebricositas summa mysterij, nequaquam discutitur.

Posse hunc modũ probandi possibilitatẽ aliquatenus tribui intellectui creato sibi relicto, videtur debere esse extra controuersiam: qui vt optimè philosophatur D. Thomas opusc. 6. c. 2. quod à summa veritate profertur, cuiusmodi est quodcunque fidei mysterium, non potest falsum esse: quod autem falsum non est, nequit ratione necessaria impugnari. Igitur rationes quibus contigerit illius mysterij possibilitatem impeti, vitiosæ sunt, & negari possunt, quod est probare indirectè possibilitatem mysterij illis rationibus impeti. Idque vnum, Christiano Doctori cum infidelibus agenti præstandum esse circa fidei mysteria, monet ibidem S. Tomas. Aduertit enim, non esse Doctori Christiano laborandum, in fidei mysterijs contra infideles necessariò aut euidenter probandis, sed in eam duntaxat curam incumbendum esse, vt fidei mysteria defendantur, quod præstatur simplici negatione propositionum ab infideli assumptarum contra mysterium de quo agitur. Aiebam verò hunc modum probandi possibilitatem mysterij, aliquatenus concedi naturæ viribus, quia hic modus probandi, simpliciter loquendo, non est euidens. Caietanus quidem 1. p. q. 1. art. 8. admittit, posse à Christiano Doctore naturæ viribus monstrari euidenter falsitatem argumentorum quibus mysterium aliquod nostrum impetitur. Estque id planè admittendùm, si vitium argumentorum illorum sit duntaxat in forma syllogistica, aut si in illorum argumentorum materia admisceatur naturalis aliqua propositio, euidenter pugnans cum naturæ lumine. Falsum tamen est, posse euidenter ostendi defectum argumentorum contra mysterij possibilitatem, si argumenta illa non peccent in forma, nec vllam contineant propositionem pugnantem cum naturali lumine. Nam his seclusis, si argumentorum contrariorum defectus probaretur euidenter, fatendum esset, possibilitatem mysterij posse euidenter probari. Nam quod euidenter ostenditur non esse impossibile, (omnibus nimirum quæ aduersus possibilitatem pugnabant euidenter reiectis,) eo ipso euidenter ostenditur esse possibile: quod vidimus nequaquam posse de mysterijs secundum substantiam supernaturalibus affirmari. Itaque Caietanus, admittens euidentem depulsionem argumentorum contra mysteria, vel reijciendus est cum Gillio l. 1. tract. 4. c. 11. concl. 1 vel certè cum Suare disp. 4. de fide sect. 2. num. 9. accipiendus est de illis paulo ante tactis euentibus, in quibus argumenti vitium potest euidenter detegi naturæ viribus. Aliter Caietanum intellexit Valentia 1. p. d. 1. q. 1. p. 5. §. 4. & 3. p. d. 1 q. 1. p. 2, nempe quasi tantùm voluerit Caietanus, posse Christianum Doctorem reddere euidentem rationem, cur sibi prudenter persuadeat, rationes fidei mysterium impugnantes laborare falsitate, tametsi nequeat ex ipsa rei natura euidenter ostendere propositionem aliquam in argumenti fidem oppugnantibus assumptam, falsitate sordere. Hoc quidem quod Valentia affirmat, verum est nec rectè ab Aluare 3. p. disp. 1. detortum est in extraneum sensum atque reiectum. Ad rem tamen præsentem non facit: quia inde tantùm habetur mysterium esse euidenter credibile de quo nemo ambigit. Non habetur autem quod quæritur, nempe quod mysterium sit euidenter non impossibile: Sic enim esset euidenter possibile. At non quicquid est euidenter credibile, est possibile euidenter. Imo multa falsa possunt verisimiliora & credibiliora apparere plerisque veris. Liquet ergo quatenus indirecta probatio possibilitatis huius mysterij possit intellectui creato suis viribus relicto concedi.

Salua tamen mysterij tenebricositate.

49. Nihil porrò per prædicta discuti caliginem mysterij. (vt addebam,) perspicuum est. Nam euidens credibilitas non tollit obscuritatem fidei, quia non peruadit ad intimum obiectorum fidei, sed sistit in eorum veluti superficie, ostendendo competere eis

commu

communem rationem veri credibilis, non tamen peruadendo propriam illorum veritatem; ad quod exigeretur, vt propositiones de eis formatæ, vel per seipsas & ex terminis notæ essent, vel in bona forma deducerentur ex antecedentibus quæ essent ex terminis notæ, quorum vtrunque deest obiectis fidei, quatenus fidei subsunt: qua de re plenius 2.2. Indirecta item probatio possibilitatis, non tollit mysterij caliginem: cum tota illa probatio versetur citra argumenta contenta, eorumque vim sola negatione infringat. Imo etiam si cum Suare disp.4.de fide sect.2. nu.9.concederemus, eam indirectam probationem possibilitatis mysterij fieri per euidentem argumentorum dilutionem, nulla tamen lux affunderetur mysterio. Nam quamuis per eam dilutionem, euidenter constaret argumenta contrarijs non probari quod intendunt, non tamen per eam constaret euidenter, falsum esse quod argumenta illa assumunt: vnde eadem semper caligo affunderetur mysterio. Mihi tamen consultius videtur, negare eam indirectam probationem possibilitatis, esse euidentem: quia non videtur dicendum, euidens esse quod argumenta contra mysterium formata non conuincant, nisi simul fateamur, euidens esse quod peccent in materia, & falsum assumant: quod vtique fatendum non esse per se loquendo; seu quoties seruatur syllogistica forma, & nulla propositio cum naturali lumine euidenter pugnans, assumitur aduersus mysterium. Quare duntaxat admitto, dari posse solutionem argumentorum contra mysterium adeò idoneam, vt argumenta illa non appareant conuincentia, proindeque sufficienter retundantur: etiamsi non liceat dicere, solutionem facere, vt argumentum euidenter appareat non conuincens: quod longè diuersum est, nec includit euidentiam solutionis, & euidentem detectionem falsitatis argumenti.

Cum igitur nulla ex parte affulgeat liquida lux, qua possibilitas mysterij in ænigmate proposito contenti, liberetur summa caligine qua obuoluitur, apparet, recte à nobis constitutum esse cum S. Bernardo l.5.de consider. c.3. ne ad primam quidem & omnium imperfectissimam de re notitiam, quæ est circa eius possibilitatem assurgere per naturæ vires posse circa hoc mysterium, siue intelligentiam, siue opinionem, sed id concedi soli fidei, aut non nisi fide præmissa subrepere opinionem. Quia verò fides ex sua ratione est non apparentium, concluditur nostram omnem notitiam de huius mysterij possibilitate, in summa obscuritate versari. Et quamuis notitia de huius mysterij possibilitate esset eximiè splendida, tamen intellectus per eam lucem non transcenderet minimum quod de re cognosci potest. Quantum enim est, cognoscere de re quapiam quod sit possibilis, si non peruadatur vlterius.

Euidentia existentiæ huius mysterij, viribus creati cuiusuis intellectus neganda.

50. Pergo ad existentiam mysterij in quo versamur. Hanc siue prout exercitam, siue prout aliquando de facto exercendam, negandum est posse euidenter patere facultati vllius intellectus creati: quod perspicuum est ex dictis circa possibilitatem. Nam hoc mysterium prout actuale & exercitum, vel in aliqua differentia temporis exercendum, longè minùs potest naturaliter innotescere, quàm prout possibile tantùm: Actualitas enim superaddit nouum obiectum naturaliter imperuium creato cuicunque intellectui, nempe liberum Dei decretum, quod ad rei cuiuscunque creatæ existentiam præsupponi oportet. Vnde Christus ipse, hoc mysterium confitente S.Petro; pronunciauit, carnem & sanguinem, id est naturales vires humanas, non detexisse ipsi quæ de tanto mysterio prolatus erat, sed id fuisse Patris cœlestis beneficium. At notitia obiecti quod necesse est à Patre cœlesti reuelari, non est germen virtutis naturalis intellectiuæ, siue humanæ, siue Angelicæ. Quare & Angelos, & homines sibi relictos, arceo ab intuitione huius mysterij, siue extituri aliquando, siue etiam iam existentis. Nec tantùm eos arceo à contuitu pleno & liquido, sed etiam à iudicio quocunque euidenti de huius mysterij existentia, etiamsi abstractiuo, & quoad species terminorum obscuro ac improprio, clato autem ac euidente quoad solum iudicium. Qua ratione, pleraque nostra iudicia scientifica sunt euidentia quoad solum nexum extremorum, quorum notiones obscuræ sunt & adulterinæ, eo quod per effectus perspicuos reptemus ad affirmandum de subiecto, hoc aut illud, quod cuiusmodi sit, non satis dignoscimus. Hanc quoque euidentiam existentiæ huius mysterij, notitiæ cuiuis naturali negandam dico, quia reuera nullus fuit effectus naturaliter peruius humano aut Angelico intellectui, ex quo inferre euidenter licuerit, existentiam mysterij in quo versamur, siue futuram, siue iam præsentem.

51. Tantùm in contrarium esse videtur, quod Christus edebat miracula, quæ patrari non poterant vi humana, vel Angelica: idque Angelis saltem perspicuum erat, ac proinde eos non latebat quod huiusmodi opera efficerentur vi diuina. Id quod etiam, homines benè attentos latere non potuit: quia ea opera patrabantur à Christo in confirmationem existentiæ huius mysterij, siue ad probandum quod ipse esset verè Deus & homo. Atqui Deus ne falsitati patrocinaretur, debuisset mira illa opera impedire, si edita fuissent ad falsitatis confirmationem. Igitur existentia huius mysterij quam Christus miris illis operibus obsignabat, erat hominibus, & multo magis Angelis naturaliter euidens. Accedit quod vtrique, sed Angeli maximè, omnia olim diuinitùs prænunciata de Messia Deo simul & homine, compleri in Christo aduertere poterant quæ sunt planè innumera, & latè cum ab alijs passim, tum à Godestido Vitertiensi tota parte 13. Chronic. colliguntur. Testimonium item Patris, disertè contestantis hunc esse suum filiũ, ac Deum verum, perspexerant naturali facultate. Præterea verò Angeli cognoscebant Christi humanitatem destitui sua propria subsistentia, quæ cum sit ens naturale & ordinis Angelico inferioris, non potuit naturalem Angelorum perspicacitatem effugere. Itaque cum eam deesse Christi humanitati perspicerent, poterant euidenter iudicare, humanitatem illam fuisse diuinitùs suppositatam, quæ est totius huius mysterij quasi medulla. Quod si dæmones, vt habetur Marci. 1. & Lucæ 4. multique Patres apud Toletum eo cap. 4. annot. 75. confirmant; nec minusculi tantùm dæmones, vt aliqui apud S. Hieronimum Matthæi 8. ineptiunt, sed maiores quoque, & ipse etiam Dæmoniarcha, sciebant ipsum esse Christum, (vtique vi naturali ex illis miris effectibus ratiocinante; nam reuelationem supernaturalem ad id perducentem dæmones, nemo concesserit,) æquissimum est, sanctis Angelis, etiam quoad vim suam naturalem spectatis, idem concedi, nec vllus vt puto de hoc dubitarit.

Discussa nonnulla in contrarium, ex miraculis, prophetijs &c.

52. Non erit tamen difficile demonstrare, nullam ex omnibus propositis euidentiam & liquidam lucem, fuisse affusam existentiæ huius mysterij. Nam quod ad miracula attinet, certum est potestatem ea patrandi posse impijs ac infidelibus concedi, vt docet S. Augustinus q.79. ex 83. & Anastasius q.23. in scriptu. Idem ex Hieronymo, Chrysostomo, Euthymio, Theophilacto, alijsque Patribus confirmant Toletus Ioan.9. annot.9

not.9.& Maldonatus Matth.7.ad illud, *virtutes multas fecimus*, qui latè suffragante Petro Halloix in notis ad c.2.vitæ S.Iustini (pag.297.) infert inde, ex veris miraculis singularibus non posse sumi necessarium argumentum ad probandam veritatem doctrinæ. Neque id tantùm valere videtur de miraculis homini inutilibus, vt sunt volatus montium, locutio lapidum ac brutorum, sed etiam de vtilibus homini, quæ negari dæmonibus atque adeò etiam impijs eorum administris, negatur lib. 3. recognitionum Clementis. Sed perperam. Tradunt enim scripturæ, impios homines verè edidisse miracula hominibus vtilia. Et vt ait Durandus q.1. prolo. n.47. quid vetat, Deum impio alicui revelare miraculum quod faciendum est: impium verò ea prænotione abuti, ad firmandam illo miraculo falsam doctrinam: denunciando scilicet, tale miraculum edendum esse, indeque errorem aliquem confirmando? Tunc certè Deus non mentiretur, neque mendacium confirmaret ipse, sed tantùm permitteret abusum gratiæ gratis homini datæ, quod Deus sine labe præstare posset. Itaque sublata videtur omnis evidentia existentiæ huius mysterij, quæ miraculis per Christum editis affulgere censebatur.

Evidentia item quæ ex Prophetijs petebatur, non videtur satis solidè fundata. Quid si enim cogitatio obrepat. Prophetas aliquid de his rebus effutiisse, casu potiùs quàm diuino afflatu? Et vt certo consilio ac ex diuino spiritu prænunciasse concedantur, tantis amen obscuritatibus semper inuoluitur quicquid Prophetæ enunciant, vt locus semper sit ineuidentiæ, præsertim si affectus vehemens, obtenebret intellectum, vt ferè accidit circa prænunciationes, quas quisque pront lubet inflectit. Similiterque euerti potest, quod addebatur de euidentia existentiæ huius mysterij, ex Patris testimonio de Christo. Hoc quippe testimonium non erat euidens. Quid si enim Angelus quispiam eas voces formauit, non autem Deus? Vel quid si Deus, eas voces non nisi materialiter ac sensu vacuas protulit? Id certè non videtur repugnare. Esto verò, possit Angelus habere euidentiam attestantis de quo 2.2. non suppetit tamen vnde constet habuisse eam de facto. Quicquid verò sit de Angelis beatis, dæmones à Deo prohiberi, & alio auerti potuerunt, ne ad huiusmodi euidentiæ argumenta aduerterent.

Postremò defectus subsistentiæ creatæ in humanitate Christi, non potuit ingenerare Angelo notitiam naturaliter euidentem de illius humanitatis suppositatione per subsistentiam Verbi: posset enim natura substantialis creata, conseruari absque vlla prorsus subsistentia, tum creata, tum increata. Quid quod Vasques 1.p.d.214.à num.27. negat Angelo notitiâ privationis personalitatis creatæ, eo quod tametsi subsistentia creata Angelo pateat, priuatio autem sit eiusdem ordinis cum subsistentia quam tollit, tamen idcirco non pateat Angelo ista priuatio, quia pendet essentialiter ex aliquo positiuo ordinis supernaturalis: nempe ex diuina personalitate humanam subsistentiam trudente, quam peruadere non potest naturalis obtutus Angeli. Ego tamen hoc argumento non vtor, quia in eo falsò assumitur, priuationem personalitatis creatæ non posse induci nisi per subsistentiam increatam: cum tamen non videatur dubitandum, quin creata subsistentia tolli possit per solam conseruationis suspensionem: in quo euentu, humanitas terminaretur tantùm negatiuè, nec subsistentia diuina subrogaretur creatæ. Iuxta sententiam item probabilem, subsistentia creata externa, posset alienam naturam propria subsistentia spoliatam terminare: & ita latè Coconus apud Argentinam in 3.d.1.q.1.art.1. Tandem nihil est necesse, vt qui priuationem cognoscit, causam quoque penetret per quam priuatio inducitur. Nam rusticus cognoscit Eclypsim, neque tamen agnoscit quodnam sit corpus obiectum ex cuius interpositione Eclypsis oritur. Idem ergo, proportione seruata, statui posset in re præsenti. Sistamus ergo in argumentis anterioribus & caliginem existentiæ huius mysterij, non obstantibus argumentis propositis, naturaliter ratam & certam habeamus.

Aliqualis euidentia inde manans, non est naturæ tribuenda.

53. Fateor tamen, ea argumenta confirmare, concedendam esse & Angelis & hominibus euidentiam aliquam existentiæ mysterij de quo agimus. Eiusmodi tamen est ea euidentia, vt cum naturali cuiuscunque intellectus creati caligine circa hoc mysterium, probè cohæreat: quia oritur ex diuina reuelatione, non autem ex naturali perspicacia intellectus, vt manifestum erit discurrendo per singula difficultatis propositæ capita.

In primis enim neque Angeli, neque homines, ex nudis effectibus mirabiliter à Christo prodeuntibus iudicare euidenter poterant, IESVM esse Christum siue Deum simul & hominem. Purus quippe homo, illa ipsa, aut etiam maiora opera edere potuisset, vt supra præmisi & constat ex Ioan.14. affirmatque Ammonius Alexandrinus contra Monophysitas ex persona Philonis Philosophi, apud Anastasium cap.14. *ὁδηγοῦ ferè initio*. Quod ergo siue homines siue Angeli, ex illis miris effectibus quos Christus edebat, agnoscere potuerint autorem eorum esse Christum Domini, non aliunde ortum habuit, quàm ex eo quod talia opera coniungerentur assertioni Christi, profitentis se ita operari, vt mortales astantes scirent quia filius hominis habebat potestatem in terra dimittendi peccata, atque adeò erat naturalis Dei filius. Ex operibus inquam illis sic spectatis, poterant naturali sua vi euidenter colligere & Angeli & homines, Iesum sic operantem, esse Christum Domini; sic enim ratiocinari poterant. Omne quod Deus suo testimonio confirmat, verum est. Atqui Deus, miraculis quæ diuino testimonio quasi grauidantur (sunt enim miracula pignus quoddam omnipotentiæ Dei ex Chrysostomo homil. 14. in Matth. & sicut humana consuetudo verbis, ita Deus miraculis loquitur, iuxta Augustinum epist.49. q.6. & similia habet l.de vtil. cred.c.16. ac S.Gregorius 27.moral.c.8.) Deus inquam, miraculis confirmat hanc propositionē, *iste est Christus, filius Dei*; Ergo verè iste, est Christus. Maior est omnibus naturaliter euidens. Minorem indubitatam habebant Angeli cùm boni tum mali, quibus euidens erat pleraque Christi opera, præsertim spectato modo quo fiebant, excedere vires humanas, nec fieri de facto, aut etiam fieri posse à dæmonibus. Perspectum ergo habere potebant, ea fieri à Deo, vel à bonis Angelis; quarum causarum neutra posset mendacio suffragari. Atque adeò cum viderent, huiusmodi opera quæ ritè expensa, vera esse cognoscebant, à Christo, vel ad Christi nutum perfici in suæ diuinitatis confirmationem, nec tale ac tantum errandi incentiuum impediri per diuinam prouidentiam, cuius est prospicere ne tentemur supra id quod possumus: meritò subsumere poterant, Deum talia miracula in assertionem diuinitatis Christi patrata non impedientem, habere ratam eiusmodi assertionem, eamque adscriptione sua firmare, & sigillo munire. Qua ratione spectatum miraculum, esse argumentum necessarium veritatis doctrinæ, benè tradit Toletus in c.3.Ioan.annot.2.& Suares t.2.3.p.d.31.s.2. & 3. consequenterque negandum est, posse Dei prouidentiam sinere, vt impius Propheta miraculi faciendi prænotionem habeat, qua præuideatur abusurus ad falsi confirmationem, nisi alicunde prospiciat Deus, vt fides eius nutet, deprehendaturque planus esse. Quare con-

conclusio ex duabus hisce propositionibus illata, qua autor miraculorum, salremque is ad cuius nutum fiebant, Christus esse, & Deus ac homo affirmabatur, in quem finem ipsemet contestabatur illa opera edi: illa inquam conclusio, certa erat & naturaliter euidens hominibus & Angelis, ac etiam dæmonibus, vt diserte tradit D. Thomas q. 14. de verit. attic. 9. ad 4. Existimare autem, dæmones per vniuersam Christi vitam fuisse diuinitùs impeditos speciali prouidentia, ne vim intellectus sibi connaturalem hac in parte exercerent, friuolum est, videturque dissonare Scripturis, affirmantibus dæmones sciuisse ipsum esse Christum. Et *scisse*, quod euidentem notitiam fert, non autem vel *suspicionem* duntaxat, vt affirmat S. Hieron. Matth. 8. & Cassa. 7. de Incarn. c. 11. & seqq. vel opinionem absque certitudine & firmitate, vt ait Toletus in c. 4. Lucæ annot. 75. præeunte vt videtur S. Bernardo, serm. 1. de resurr. vel denique timorem & formidinem ne ipse esset Christus, vt loquitur S. Gregorius l. 3. moral. c. 12. At verbum *sciebant*, quo Euangelista vtitur, planè fert euidentem notitiam, quam dæmonibus de Christi existentia concessi cum Ma donato Matth. 29. v. 8. & Suarez 2. 3. p. d. 31. sect. 3. Verùm ea naturalis euidentia non deriuabatur ex nudis effectibus mirabiliter à Christo editis, quod vnum inficiatus sum. Deriuabatur ergo ex coniunctione attestationis Christi. Nihil autem est incommodi, asserere quod præsupposita huiusmodi contestatione & reuelatione, homines, multoq; magis Angeli, prudenter ratiocinando deuenire possent in euidentem & merè naturalem notitiam abstractiuam, diuinitatis huic humanitati copulatæ.

54. Non dissimiliter philosophandum est, de euidentia existentiæ huius mysterij ex prophetiis. Quamuis enim ad euidenter colligendum, prænunciationem obscuram & verborum ambagibus fere inuolutam, cadere in istum hominē, magna attentione & circumspectione sit opus, nec exigua ab inordinatis affectibus intellectū plerumque exoculantibus liberatio exigatur; (affectuum quippe obnubilantium interpositio, non raro hominibus impedimento fuit quominùs per prophetias conuincerētur euidēter, vt in Iudæis olim circa Christum notatū est, ac nunc quoque deprehenditur:) Tamen potest homo tam syncerè & tam attētè ac prudenter se gerere, vt ex prophetiis cum implētur euidentiam hauriat veritatis prenū. iatæ. Id quod multò magis de Angelis, cum bonis tum malis, admittendū est. Idem dico de euidentia existentiæ huius mysterij ex testimonio Patris, quod non fuisse tantùm materialiter prolatum, nec fuisse ab alio quopiam Angelo, sed immediatè à Deo editum; vel quod idem est ab alio Angelo ex commissione Dei & eius nomine, potuit Angelo innotescere, attento fine ob quem illud testimonium miraculosè ferebatur, quo posito, ne homines implanarentur, Dei erat curare vt syncerè ederetur, essetque sœtum significatione quam præfert extima verborum facies. Sed omnis hæc euidentia (vt liquet,) supponebat reuelationem: vnde non erat partus nudæ naturalis virtutis intellectiuæ, cui soli adscribimus tenebras quoad huius mysterij existentiam.

Summa huius mysterij caligo, concluditur.

55. Sistendo igitur in nudo naturæ lumine, & solam sine hominis siue Angeli vim naturalem intellectiuam attendendo, fatendum est, implexitatem ænigmatis propositi, esse omnino summam: quandoquidem ne ipsam quidem mysterij in eo contenti possibilitatem, agnoscere euidenter potest intellectus vllus creatus, nec conuincere euidenter falsitatis argumenta aduersus eam possibilitatem intorta. Quantò enim magis cæcutiet circa vlteriora & intimiora quibus essentiæ constitutio continetur? Tantæ sanè sunt hæ tenebræ, vt ex illis omnes exitiosæ hæreses dicat S. Fulgentius lib. 1. ad Trasim. cap. 4. Magno enim propè dixerim miraculo, inde manauit caligo, vnde lux orbi affulgebat. Inde obcæcatio, vnde illustratio. [In vno eodémve (ait S. Fulgentius) Christo, vero Dei, veroque hominis Filio, minus perspicientium tenebratur hactenus lippitudo in quo illuminatis, veri luminis claret manifesta cognitio.]

Concludere igitur appositè possumus cum S. Cyrillo. 3. pentabibli in Nestorium *initio*. [Magnum est proculdubio istud pietatis mysterium, & ipsis etiam sanctis Angelis admirandum. In eoque confirmat nos Apostolus Paulus cùm dicit, *Vt notum fiat nunc principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiā, multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Domino nostro Iesu Christo, in quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem.* Sapientia est namque re vera & minimè humana, sed sanè diuina & abdita in quadam ineffabili profunditate, & incomprehensibilitate, Christi mysteriū. Itaque psallit beatus Dauid: *Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris.* In quo tenebras, nihil aliud, vt opinor, intelligit, nisi obscurā intelligētiæ perceptionē in oculos animi caliginis instar incurrentem.] Addamus etiam, Alani Doctoris vniuersalis in hanc rem versiculos, quos recitat Argentina in 3. d. 1. q. 1. art. 1. huius mysterij caliginem præferentes:

Hic natura silet, Logicæ vis exulat omnis;
Rhetoricæ perit arbitrium, ratioque vacillat.

Vsus doctrinæ toto capite traditæ.

56. Insignem planè fructum quem ex doctrina de huius mysterij caligine, collegit S. Chrysost. hom 11. in 1. ad Timo. verbis eius repræsento. [Intuere quomodò omnibus in locis, dispensationem assumpræ pro nobis carnis, mysterium vocat. Neque enim est omnibus hominibus cognitum, imo ne Angelis quidem ipsis, manifestū sit. Idcirco ait, *vera magnum est.* Nam profectò verissimè magnum prædicatur. Homo enim factus est DEVS, & DEVS homo: homo apparuit absque peccato, homo assumptus est, prædicatus est in mundo, viderunt eum Angeli nobiscum Mysterium, igitur est. Caueamus propalare mysterium, neque ipsum vbique proferamus. Digni tanto mysterio viuere studeamus. Hi nempe, quibus mysteria creduntur, magni vtique sunt. Nam si res nobis temporalis mysterium crederet, nonne id singularis amicitiæ ac familiaritatis indicium, certumque argumentum haberemus? At nunc Deus nobis mysteriū credidit. Et quomodo, (inquies) mysterium dicitur, quod est omnibus notum? Sed id antea erat incognitum, nunc autem singularis gratiæ meritò manifestatum est. Studeamus igitur digni fieri, quibus creditur tanti custodia sacramenti. Ipse enim nobis mysterium tantæ excellentiæ credidit, nos illi neque pecunias credimus.] Est & ille fructus huius doctrinæ sanè eximius, quem idē S. Chrysostomus collegit hom. 7. in 1. ad. Corinth. ad illud, *nobis autem reuelauit* DEVS; nimirum agnoscere quàm sublimis sit Christiana sapientia, quæ nos erudierit in iis ad quæ ipsi Angeli per naturæ suæ vires non pertingunt. Quid ad eam sapientiam, quæcunque humana doctrina, quantumuis se ob eam extulerint Ethnici, vt S. Chrysostomus optimè vrget?

CAPVT III.

Cautiones ad legitimam ænigmatis propositi enodationem.

57. Vt opportunè monet S. Fulgentius lib. 1. ad Trasim. c. 3. [Magnum bonum confert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus annitatur.]

Eas ergò lineas vt signemus, & præpositi ænigmatis adyta per tantam caliginem subire liceat, nonnullas cautiones præmittere operæ pretium est, quibus pro veteri vsu astringantur, qui ad expositionem aggredientur. Quædam ipsosmet expositores spectabunt, & quomodò ad hoc negotium aptandi sint, admonebunt. Postrema docebit, quomodò obiectum de quo est ænigma, siue Christum, spectari ab illis oporteat.

I. Cùm tam densa caligo offusa sit huic mysterio, eamque vires naturales peruincere nullo pacto queant, cœlestis lux deuocanda est supplicibus votis; indeque expectanda illustratio quam per huius vitæ tempus sperare licet.

Ponunt hoc veluti primum principium, Patres, quoties ad huius mysterij inquisitionem adhibent animum. Concinnè verò Cyrillus Alexandr. l. 3. pentab. c. item 3. aptat ad hoc negotium, quod Iacob, in illa perillustri & hoc mysterium planè spectante visione, vt Cassianus bellè prosequitur lib. 7. de Incarn. c. 9. luctatus incassum est cum Angelo, donec lux de cœlo affulgeret. Sic enim iuxta S. Cyrillum, quilibet intellectus, quamdiu lux cælestis abest nec oboritur Sol de cælo, luctatur cum Angelo, apparente corporali specie ad Christum aptiùs exhibendum. Cessat autem colluctatio & succedit benedictio, appetente die, & illabente cælesti luce. Hic est spiritus veritatis qui exorandus est ante omnia tam profundam veritatem scrutantibus. [Nam & qui splendidos, (inquit Anastasius cap. 3. ὁδηγῶ) atque pretiosos vniones ex inaspectibilibus porfundis, hominibus venari ac proferre volunt, vestitu omni se despoliantes, & oleo os implentes, auræque quod satis, naribus ex aëre trahentes, ita se in terribile illud ac tenebricosum profundum demittunt. Quod, vt arbitror, exemplum ostendit, qui spiritualium aquarum atque dogmatum profunda vestigare, ex iisque diuinos atque puros vniones venari velit, opottere eum ab omni affectu cõcitato, quasi quodã tegumento nudum esse, sanctumque Spiritum animi tanquam naribus trahere, & continere, secundum dicentem sanctum, *Spiritus diuinus qui mihi ineſt in naribus, & Omnipotentis aura quæ me erudit*; &, *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*, quod oleum lætificum est.] Hanc fuisse Sanctorum antiquorum praxim circa hoc mysterium, docet perpulchrè Rupertus exponens titulum cantici Abacuc, qui est, *oratio pro ignorantiis*. Putat enim Rupertus, canticum illud esse paradigma orationis ad Deum fusæ, pro depellendis tenebris mentis circa hoc mysterium.

Quia verò accedere per nos ipsos ad Deum, ac lucem discutiendæ tantæ caligini necessariam exorare, indignitate nostra prohibemur, opportunissima ad id est peruentorum opera: eorum inquam cælitum qui huic mysterio fuere magis addicti, & vberiore circa illud luce perfusi, sed Deiparæ maximè. Consultissimè itaque Basilius Seleuciæ orat. 19. multa præfatus de sublimitate huius mysterij, & quàm alte subuehi oporteat eum qui illud est penetraturus, eo tandem reuoluitur vt B. Virginem tanti operis administram atque sequestam, interpellet ad præeundum verbis, numenque exorandum, vt cæcutientem intellectum iuuare non dedignetur. [Age verò (inquit) ecqua sublimior materia esse potest, quàm hæc est. Nihil certè inter diuina, & humana medium proferet quis, aut cogitabit. Vtenim non in facili est Deum nosse, aut eloqui, imò ex eorum numero, quæ fieri minimè possunt: sic magnum Deiparæ sacramentũ, omni ratione excellens est, & oratione. Quando igitur Deum incarnatum enixa Deipara dicitur, ad Deum peccatione & ope dirigar, & verba mihi præeat: Domine omnipotens, totius vniuersi rex, qui inexplicabili quadam ratione mentes incorporales spirituali luce profundis, mentem meam illumina, quo proposita res absque errore cognoscatur; cognita, piè dicatur, dicta, sine periculo, animo capiatur.] Planè hoc sibi perfugium in tractatione de Christo esse captandum, habebit perfuasissimum, quisquis animum non perfunctoriè adhibuerit ad illud pronunciatum ab Etherio & Beato in opere contra Elipandum (pag. mihi 505.) NŌ POTEST VERVM DICERE DE CHRISTO, DE CVIVS ORE NON LOQVITVR SPIRITVS SANCTVS.

II. Vt hæc lux cælestis affulgeat, & Spiritus erudiens subeat animum quem alioqui refugeret, summus vitæ nitor, & actionum puritas, ac elongatio à vitiis est necessaria

58. Et hoc quoque, veluti effatum est apud Patres. Nec mirum poni ab illis hanc legem, aspirantibus ad tanti mysterij introspectionem; cum Magistri Cabalæ, magnum studium circa virtutes, & accuratam à vitijs senecationem præmitti ab iis velint, qui Cabalæ daturi sint operam, vt Reuclinus libr. 1. de arte Cabalistica, *sub initium*, disertè prodidit. Indicunt igitur Patres meritissimò, vt quisquis ad Christianum aliquod mysterium, nominatimque ad istud quod est in mysteriorũ vertice, accingitur, studium accuratum adhibeat erga virtutum adeptionem, & recessum à peccatis. Vniuersè ita tradit S. Ambrosius l. 4. exam. c. 1. [Qui vindemiam (inquit) colligit, vasa priùs quibus vinum infunditur, mundare consueuit, ne sordes aliqua, vini gratiam decoloret. Quid enim prodest ponere vitam ordine, fodere quotannis, aut aratris sulcos ducere, putare, subrigere, adiungere vlmis, & quodam connubio copulare, si tanto labore vina quæsita, in vase coacescant? Matutinos quoque Solis ortus, si quis spectare desiderat, emundat oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius insideat, quo intuentis haberetur obtutus, neue aliqua caligo nebulosa corporeos visus spectantis obducat. Nobis in lectione exoriendus est Sol, qui antè non fuerat. Primum iam diem sine Sole transiuimus: secundum sine Sole transegimus: tertium sine Sole confecimus: quarto die iubet Deus fieri luminaria, Solem, & Lunam, & Stellas. Sol incipit. Emunda oculos mentis ô homo animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui perstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum. Emunda aurem, vt vasa syncero, Scripturæ diuinæ, nitida fluenta suscipias, ne qua ingrediatur contagio.]

Vniuersè quoque Nazianzenus orat. 33. n. 10. grauiter indicit id esse seruandum in omni de Deo disputatione & inquisitione. Sic enim præcipit. [Non cuiuis est, ô viri, de Deo disserere; Non, inquam, cuiuis. (Non adeò vilis ac protrita hæc res est, & eorum, qui humi adhuc reptant.) Addam etiam non cuiuis temporis, nec apud quosuis, nec de quibusuis: sed certo tempore, & apud certos homines, & aliquousque hoc faciendum est. Non cuiuslibet quidem, quoniam his duntaxat hoc muneris incumbit, qui exactissimè explorati sunt, ac contemplando longè processerunt, priusque etiam, & corpus, & animum à vitiorum sordibus purgarunt: aut, vt parcissimè loquar, iam hoc agunt, vt se à vitiorum labe purgent. Impuro enim, rem puram attingere, ne periculo quidem fortasse careri quemadomdum nec ægris oculis Solis radios intueri. Quando autem? Tunc videlicet, cùm ab externo luto ac tumultu quietem agimus, nec principes nostri pares, improbis vagisque simulachris confunditur; dum

velut,

velut, deformibus literis elegantes literas, cænoque vnguentum admiscemus.]

59. Specialiter autem, idem nitentissimæ vitæ studium ei adhibendum esse, qui agreditur ad considerandum Deum hominem, docet idem Nazianzenus orat. 39. [Se quemque priùs (inquit) purgare oportet, atque ita demum cum puero consuetudinem habere: ne alioqui nobis idem, quod Israeli, accidat, vultus, Mosaici gloriam non ferenti, ac propterea velamine opus habenti. Aut eodem, quo Manue, modo afficiamur, ac dicamus, *Peribimus, mulier, Deũ vidimus*; cùm videlicet Dei species ipsi obiecta esset. Aut Petri instar, Iesum à naucula submoueamus, vtpote tali aduentu indigni. (Petrum autem cum dico, quem virum dico? eum, qui aduersus fluctus iter pedibus fecit.) Aut oculorum sensu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cùm, priusquàm à persecutionibus expiatus esset, colloquium cum eo, quem persequebatur, miscuisset, vel potiùs exiguo magis illius luminis splendore perstrictus fuisset. Aut denique vt Centurio ille, medicinam ita requiramus, vt tamen laudabili timore perterriti, medicum in ædes nostras non admittamus. Proinde dicat quoque ex nobis quispiam, quamdiu nondum purgatur, verum Centurio adhuc est, in multis vitiis principatum tenens, ac Cæsari, hoc est, mundi principi, eorumque qui humi volutantur, domino militat, *Non sum dignus vt intres sub tectum meum.*]

Alij Patres, in eodem monito sunt frequentes. S. Athanasius sub finem libri de Incarnat. Verbi Dei. [Cæterum (inquit) ad Scripturarum indaginem, verumque intellectum, opus est vita proba, animo puro, & virtute quæ secundùm Christum est, vt mens per eius tramitem decurrens, ea quæ expetit, adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam diuina intelligere. Nam sine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit Solis iubar, oculos planè detergit, & in splendorem redigit; quantum potest ad eius similitudinem cuius conspiciendi desiderio tenetur, sese purificet: vt ita oculus, iam lumen redditus, lumen Solis contempletur. Aut quemadmodum, si quis ciuitatem aut prouinciam perlustrare velit, planè ad ipsum locum spectandi causa procedit. Ita quoque qui vult mentem virorũ cœlestia loquentium intelligere, priùs detergere & abluere viuendi disciplina animam debet, & ad sanctos accedere cum studiorum factorumque similitudine, vt illis, consuetudine paris vitæ, familiaris reddatur, quæ ipsis à Deo reuelata sunt, cognoscat, & vnà cum illis inflammatur, peccatorum quidem pericula, eorumque ignem in die iudicij effugiat: ea verò percipiat, quæ Sanctis sunt reposita in regno cælorũ.]

60. S. Basilius ad titulum psalmi 44. explanans cur is psalmus inscribatur, *canticum pro dilecto*, ita disserit. [Quoniam Propheta noster, in hoc psalmo nuntiaturus erat ea quæ de dilecto sunt, qui dispensationem Incarnationis pro nobis hic videlicet suscepit, pro his qui se dignos tanto hoc beneficio reddiderint, dicit se edidisse filiis Core hoc Canticum. Canticum enim est, non psalmus, quoniam nuda voce, sine assonantis musici instrumenti harmonia, cum vocis alioqui consona modulatione emittitur. Sanè *Canticum pro dilecto*. Tibi ne nunc ego enarrem, quem hîc dicat Scriptura dilectum? An verùs ipse sermoni meo anteuertis, probè conscius; nempe eius ex Euangelio vocis memor *Hic est filius meus dilectus: ipsũ audite.* Dilectus enim Patri quasi vnigenitus, creaturæ autem omni quasi pater humanus, & bonus præfert. Idem autem natura est, & dilectum bonum. Ideò rectè quidam bonum esse definierunt, quod omnia expetunt. Non enim cuiusuis est, ad charitatis vsque progredi posse ac prouehi perfectionem, & eum quiuisse agnoscere, qui verè est dilectus, sed eius qui veterem hominem contaminatum concupiscentiis fallacibus & subdolis exutus, nouum fuerit indutus, renouatum ad agnitionem secundùm creatoris imaginem. Quoniam qui pecuniam amat, & circa corruptiuam ac deciduam corporis pulchritudinem stupore corripitur, & præsentem gloriam tanti adeò æstimat. Simul & potentiam diligendi ad ea quæ nihil minus conueniebat, insumpsit, is planè cæcutit ad istius verissimè dilecti contemplationem.]

Ad eandem mentem S. Augustinus 4. Trinit. c. vlt: [Si quæritur ipsa Incarnatio quomodo facta sit, ipsum Verbum Dei, dico carnem factum, id est, hominem factum, non tamen in hoc quod factum est conuersum atque mutatum; ita sanè factum, vt ibi sit non tantum Verbum Dei & hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum & homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur, mea fide purgetur, magis magisque abstinendo à peccatis, & benè operando & orando cum gemitu desiderio rum Sanctorum, vt per diuinum adiutorium proficiendo, & intelligat & amet.]

Anastasius Sinaita c. 1. ὁδηγῶ, Christianum de Verbo incarnato disputare aggredientem, admonet [vt ante omnia, vitam honestam grauemque ducat, & Spiritum sanctum incolam in animo habet.] quod scilicet non assequetur, si vita sit lutulenta atque cœnosa. Spiritus enim inconquinatus, sedem quærit mundã, & ab inquinatione liberam. Idque confirmans idem Athanasius cap. 3. ait, in hoc comprobari diuinum oraculum. [Bonus ex bono animi thesauro bona profert, vt sanè vitiosus è vitioso animi thesauro vitiosa profert, neque enim tantum periculi est profunda aquarum tentantibus, quantum vitio obstrictis, & sacrarum litterarum profunda rimari aggredientibus. Solus namque Spiritus sanctus, ceu Deus, rimari potest profunda Dei. Quare & Sapiens quidem ait. *Inprimis purganda mens, ac tum puro consuescendum.*]

61. Idipsum ferebat vetus formula sacri mystagogi, inclamantis [Sancta, sanctis] Responsio enim illis verbis concipiebatur, vt legere est apud Cyrillum catech. 5 mystag. [Vnus sanctus, vnus Dominus IESVS Christus.] Nec sanctus tantùm, verùm etiam [ter sanctus, & millies sanctus,] vt ait Catholicus Armeniorum apud Theorianum in legatione. Itaque purgari omnino par est, eos qui ad tam purum tamque sanctum scrutandum sunt accessuri, vt seruetur ea proportio quam his verbis deposcebat Plato apud Theodoretum, lib. 1. apud Græcos. [Nefas est ab eo purum contrectari; qui purus ipse non sit.] Scitè Chrysologus serm. 4. argumentum in hanc rem petit, ex puritate & munditia quam sæculi Principes ab iis exigunt quos ad se admittunt. [Quantum (inquit) secretum cubiculi sit regalis; quali reuerentia, quo tremore locus habeatur, vbi ipsa Principis requiescit potestas; quàm nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc, & permittatur accessus; quàm munda, quàm casta, quàm fidelia ibidem præstolentur obsequi, imperialis aulæ manifestis docetur insignibus: Quis ad ipsas palatij fores vilis propinquat indignus? Certè ad thalamum sponsi, nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ nullus admittitur. Intra thalamum verò ipsum, virginem Deus capit solam: susciputur sola viginitas illibata. Vnde, ô homo, his admonitus exemplis, æstima quis sis, quantus sis, qualis sis, & tunc demùm cogita, vtrùm possis Dominicæ Natiuitatis penetrare secretum: vtrùm merearis ad illius pectoris cubiculum peruenire, vbi tota superni Regis, tota diuinitatis requiescit maiestas: vtrùm debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum virginis temeratius discursor attẽdere: vtrùm possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra aluum genitricis, audax & curiosus arbiter intueri: conspectibus tuis, absconditum sæculis

nudare mysterium revelare tibi, ipsis Angelis invisibile Sacramentum.]

62. Præsignificandæ huic puritati, spectatoribus huius mysterij perneceſſariæ, dictum est Mosi ad rubum accedēti, *Solue calceamenta de pedibus tuis*. Erat rubus ille Incarnationis symbolum, quo Deus repræsentabatur descendens in nostras spinas, nostrasque miserias, nec tamen eas consumens, vt notauit S. Gregor. 28. mor. c. 5. & attigerunt Greg. Nyssenus l. de vita Mosis, Theodorus Ancyranus hom. de Natali Dom. quæ extat t. 6. Conc. Ephes. edit. Peltani cap. 10. ac Lyranus Exodi 3. sed benè Cantacusenus apolog. 1. qui addit. [Verba autem hæc, *Solue calceamenta pedum tuorum*, hoc innuunt, quod quicunque de Diuæ Virginis mysterio & Christi Incarnatione erudiri volunt, eos nequaquam habere oportet partem aliquam in se mortuam, quæ illos à Deo separaret, nec mentem corruptàm, & à cognitione veritatis mortuam, sed viuentem & sanam, qualis ipsius Mosis erat. Huius autem calceamenta ex mortui animalis tergore erant consuta: & propterea dictum est, *solue istud*.] An non verò hanc ipsam calceamentorum depositionem, & cuiusuis morticinij ad hoc mysterium suspiciendum abiectionem, deposcebat à Christianis Apostolus Ephes. 3. professus huius se rei gratia flectere genua coram Deo Patre, vt daret virtute roboratis, & per fidem in charitate radicatis & fundatis, agnoscere supereminentem scientiæ nostræ, nostrisque omnibus inquisitionibus, charitatem Christi? Ad hanc notitiam charitatis supereminentis scientiæ, vides quantam subiecti aptationem, per consertionem virtutum & abactionem vitiorum, exigat Apostolus. Non esse autem eam charitatem, aliam à substantiali quæ Christus est, insinuat ibi Hilarius Diaconus; & verè Christus vt suo loco infrà dicam, est ipsamet dilectio supereminens cuiuis nostræ scientiæ.

63. Liquet ex prædictis, puritatem animi quæ omnium vitiorum abiectione & omnium virtutum adeptione cōtinetur, optimam esse dispositionem ad comparandam huius mysterij cognitionem. Sed si Patres audimus, nulla est ad hanc notitiam parandam dispositio congruentior humilitate; nullus huius doctrinæ obex fortior, tumore atque superbia. Insigniter id tradit S. Augustinus l. 10. de Ciuit. c. 28. & rursus c. 29. impugnans tunc superstites Platonicos. Limbus capitis est. [Ideò viluit superbis Deus ille magister, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; vt parum sit miseris quod ægrotant, nisi se in ipsa ægritudine etiam extollant, & de medicina qua sanari poterant, erubescant. Non enim hoc faciunt vt erigantur, sed vt cadendo grauiùs affligantur. Prodidisse se Christum in hoc mysterio lilium convallium, id est humilium, notat ad eandem mentem Philippus Abbas lib. 1. in Cant. cap. 19.

Qui propositæ regulæ non conformantur, id est qui vitæ puritate ad huius Solis contuitum non aptantur, periclitantur de subductione lucis hac in parte: quod filiis Iacob accidisse ob eorum improbitatem, notat Isido. Pelus. l. epist. 365. verbis illis. [Cùm Iacob qui futura se dicturum promiserat, præterita tantùm filiis suis narraret, contra ea quæ pollicitus fuerat, haudquaquam incedebat: verum Dei digito sensus ipsius tactus est, eique vtile silentium indictum est. Nam cùm futuram ex ipsis diuinæ dispensationis Incarnationem eis exponere constituisset, eorum quæ proposuerat, obliuione captus est; commutatis videlicet iis, quæ nondum facta fuerunt, cum ijs, quæ iam præterierant. Nam tu quidem, (inquit Deus,) cùm mentem tanto mysterio dignam consecutus sis, haud abs te ne tibi quoque ipsius cognitio credita est: at isti haud patri parem pietatem habituri sunt.] Confirmat sequenti epistola 366. S. Isidorus, eam Iacobi hæsitationem, & immemoriam diuinitùs iniectam, testimonio Isaiæ ex cap. 40. [Esaias (inquit) Prophetarum omnium apertissimus, cum ipsius Iacobi hæsitantiam animique perplexitatem exponeret, eamque, in quam inciderat, instituti sermonis interruptionem (dum alia, quam quæ veller, loqui iussus est,) his verbis vtitur: *Ne dicas Iacob; & quid locutus Israel? abscondita est à Domino via mea, & Deus meus abstulit iudicium, & abcessit à me.* Nihil enim Deus Iacobo, quem charum habuerat, eripuit, præter eam, de qua locutus sum, ipsius ad filios pollicitationem, ob pietatis reiectionem, quam in ipsis prospiciebat.]

Tales erant ij, quorum occasione monebat in hunc modum S. Augustinus, exponens psalmum 62. [Ergo in sancto appareamus Deo, vt appareat nobis. Appareamus illi in sancto desiderio, vt appareat nobis in potentia & gloria filij Dei. Multis enim non apparuit, sint sancto, vt appareat & illis. Nam multi putanti illum tantummodò homine fuisse, quia prædicatur natus ex homine, crucifixus, & mortuus, ambulasse in terra, manducasse, & bibisse, & cætera egisse quæ sunt humana: & putant illum talem fuisse, quales sunt cæteri homines. Audistis autem modò cùm Euangelium legeretur, quomodò commendauit maiestatem suam. *Ego & Pater vnum sumus.* Ecce quanta maiestas, & quanta æqualitas Patris. Descendit ad carnem propter infirmitatem nostram; Ecce quantum dilecti sumus antequàm Deum diligeremus. Si antequàm Deum diligeremus, tantum ab illo dilecti sumus, vt æqualem sibi Filium suum, hominem faceret propter nos, quid nobis seruauit iam diligentibus se? Ergo multi, nescio quid minimum putant, apparuisse in terra Filium Dei. Quia non sunt in sancto, non eis apparet potentia ipsius & gloria ipsius: id est, quia nondum sanctificatum habent cor, vnde intelligant eminentiam virtutis illius, & gratias agant Deo, quia propter ipsos tantus quò venit? ad quam natiuitatem, ad quam passionem? non possunt videre gloriam ipsius, & potentiam ipsius.] Nihil autem procliuius, quam vt ab hac cæcitate circa potentiam & gloriam Dei, progressio fiat ad cæcitatē omnimodam supernaturalem, quæ continetur amissione fidei, & deiectione in statum illum, quem in plerisque specie externa Christianis, deflere cogimur.

64. Periculum istud labandi & ruendi circa fidem, si vita nitens & pura, fidei non comitetur, rectè in hoc mysterio attigit Petrus Cellensis lib. 1. de tabernac. cum de arca. [Totum (inquit) Incarnationis Christi mysterium, ab æterno in mente diuina dispensatum: totum mutans ab oculis Sapientiæ Dei, opportunis figurationibus in Patriarchis & Prophetis alligatum: totum, in ipso, nouissimis temporibus humiliter adimpletum: tam firmiter credimus, quàm fideliter viuimus.] Astipulatum video Richardum Victorinum tract. de superexcellenti baptismo Christi, *sub medium*. Monet enim, circa hoc nominatim mysterium cauendum esse, ne quis licentiùs agens nec insistens Sanctorum vestigiis, lepram morum commutet lepra doctrinæ, eaque sentiat & loquatur quæ corruptissima sint? [Non est mirum (ait de quibusdam circa hoc mysterium hallucinatis & peruersè locutis) si linguas habent leprosas, quorum manus sunt leprosæ. Quædam enim lepra volatilis est, quæ transit de membro ad membrum. Quid ergo mirum si prauè intelligunt, qui malè viuunt?]

Obsignet hanc cautionem, insigne S. Anselmi in hanc ipsam rem monitum lib. de Incarn. Verbi cap. 2. [Priùs ergo (inquit) fide mundandum est cor, sicut dicitur de Deo, *fide mundans corda eorū*; & priùs præceptorum Domini custodia, illuminandi sunt oculi: quia *præceptum Domini lucidū illuminans oculos*; & priùs perhumilem obedientiam testimonium Dei debemus fieri paruuli, vt discamus sapientiam, quam dat testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Vnde

Vnde Dominus: *Confiteor tibi Domine Pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis.* Priùs, inquam, ea quæ carnis sunt postponentes, secundùm spiritum viuamus, quàm profunda fidei diiudicando discutiamus. Nam qui secundùm carnem viuit, carnalis siue animalis est, de quo dicitur: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Qui verò spiritu facta carnis mortificat, spiritualis efficitur: de quo legitur, *quia spiritualis anima omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur.* Verum enim est, quia quanto opulentius nutrimur in sacra Scriptura, ex his quæ per obedientiam pascunt: tanto subtiliùs prouehimur ad ea, quæ per intellectum satiant. Frustra quippe conatur dicere: *super omnes docentes me intellexi*, qui proferre non audet: *quia testimonia tua, meditatio mea est.* Et mendaciter pronuntiat, *super senes intellexi*, cui non est familiare quod sequitur; *mandata tua quæsiui.* Nimirum hoc ipsum quod dico, qui non crediderit, non intelliget. Nam qui non crediderit, non experietur: & qui expertus non fuerit, non intelliget. Nam quantum rei auditum superat experientia, tantum vincit audientis cognitionem, experientis scientia & non-solum ad intelligendum altiora prohibetur mens ascendere, sine vitæ & mandatorum Dei obedientia, sed etiam aliquando datus intellectus subtrahitur, & fides ipsa subuertitur, neglecta bona conscientia.] Confirmat hoc ex Apostolo ad Romanos, & ad Timotheum; tum concludit. [Nemo ergo se temerè mergat in condensa difficillimarum quæstionum, nisi priùs firmetur in soliditate fidei, conquisita morum & sapientiæ grauitate: ne præ multiplicia sophismatum diuerticula in tanta leuitate discurrens, aliqua tenaci illaqueetur falsitate.] Legesis disputantem vniuersè in hanc rem, Iulium Rugerium, Opusc. de Auditore Theologiæ c. 9.

III. Sic aptatos, & colluſtrante Spiritu ſancto, ad aliquam myſterij ſcientiæ noſtræ ſupereminentis notitiam deductos, ea notitiæ tenuitate quam Spiritus ſanctus diſtribuerit, contentos eſſe oportebit: quod imperuium ſupererit, (& infinitum ſupererit;) Deo permittente.

65. Figit hunc Canonem, ſcrutantibus ænigma Verbi Incarnati, Anaſtaſius Sinaita c. ὁδηγ. Monens, in comeſtione agni, hoc eſt, vt ipſe interpretatur in huius myſterij inquiſitione, carnes, id eſt quæ adulia ſunt, & apta per nos comedi & glutiri ac in cibum mentis cedere, dentibus ſubigendas eſſe, & traijciendas in animæ ſtomachum: Os tamen ex agno, non comminuendum, hoc eſt nihil ex ijs quæ Deus voluit res in hoc myſterio effagere, eſſe pertinaciter inquirendum; Itaque ſobriam ſapientiam, cum alibi vbiuis circa Deum, tum hic maximè exigi. Profecit Anaſtaſius ex Gregorio Nyſſeno l. de vita Moſis, cuius hæc eſt oratio de ritu illo ſeruando in eſu agni. [Oſſeum ac durum nobis, igni tradimus, quod quale ſit, inſpiciatur. Illud teneamus, duo eſſe diuinorum præceptorum genera. Nam alia huiuſmodi ſunt vt poſſibile nobis ſit ea planè intelligere, probabilemque de ipſis reddere rationem. Hæc non ignauiter, nec quaſi coactè pertractare debemus, ſed vt fameſcentes comedunt, cum deſiderio ſcilicet & bibentes, vt ad bonam nobis hic cibus, valetudinem animæ, poſſit prodeſſe. Alia ſic latent, vt duriora ſint, quàm vt vel plenè intelligere, vel reddere eorum rationem queamus: vt ſi quis quæreret, quænam ſit ſubſtantia Dei, quæ ſit neceſſitas eorum quæ fiunt, aliàque quam plurima, quæ curioſe multi quærũt, hæc omnia Spiritui ſancto relinquemus, qui Dei profunda inueſtigat & ſcit, vt Apoſtolus ait. Nam ignem pro Spiritu capi plerumque in ſacris literis, nemo lacte ipſarum nutritus negabit. Hoc eſt etiam quod ſapientia monet. *Altiora tu non quæras:* id eſt, noli oſſa Chriſti conterere, non enim egens ſcientia ipſorum. Simlia habent Nazianzenus orat. 42. & S. Gregor. Magnus 20. moral. c. 9. quem Paulinus Aquileiensis l. 3. contra Felicem Vrgelitanum *initio*, refert præterea ex homilia Paſchali, aſſerentem, quod reſidua ex agno iubebantur igne comburi, idipſum eſſe quod hac cautione præſcribimus. Idem habet Rupertus l. 2. in Exod. cap. 12.

66. Non eſt ergo ad imum vſque quærenda tanti myſterij ratio, quam ne in pleriſque quidem naturalibus aſſequi datur. Fides hic maximè vigeat, neceſſe eſt, quod monent grauiſſimi Patres. Iuuat nonnullos appendere. S. Athanaſius Opuſc. de Incarn. contra Paulum Samoſatenum [Res magnas & apprehenſu difficiles, non niſi fide conſequi datur. Atque inde fieri ſolet, vt ij quibus tenus ſunt in cognoſcendo vites, in ruinam trahantur, niſi ipſis perſuaſum ſit, vt in fide permaneant, & curioſas quæſtiones auerſentur. Quapropter à Paulo dictum eſt, magnum eſſe citra controuerſiam myſterium pietatis, Deum manifeſtatum eſſe in carne, iuſtificatum in Spiritu viſum Angelis, prædicatum in gentibus, creditum in mundo, aſſumptum, in gloria.] Et initio orationis cuius titulus eſt, *vnum eſſe Chriſtum.* Hæc fuêre Iudæorum mala, (inquit) hæc illorum fidem deprædata ſunt, & hoſtes Deo infeſtoſque reddiderunt. Eadem affectant, qui nunc gentili & Iudaico morbo laborant, & neutiquam recipiunt aut credunt incorporatum fuiſſe Deum, ſed potius dum rationibus humanis contentionibuſque & Philoſophia Ethnica, magna & incomprehenſibilia apprehendere conantur; (quomodò ſcilicet gignatur id quod incorporeum eſt, quomodò procedat, & vbinam ſit qui vbique eſt, & qui omnia continet & omnia replet: & quomodò extra; & quanam ratione:) Iſtiuſmodi diſputationibus, ad infidelitatem abrepti ſunt: & pro natiuitate fracturam, & pro progreſſu, creationem & tranſitum induxerunt. Rurſuſque ijdem de Incarnatione, quomodò incarnetur, quomodò incorporetur, quomodò componatur ad corpus paruum, is qui contineri neque; quomodò vniatur inconditum condito; & circumſcriptili, id quod circumſcribi non poteſt; quomodò in parte, magnus ille & immenſurabilis & impatibilis. Aut enim magnum in paruo locello contractum eſt, aut quod magnum fuit, paruum eſt factum: aut partem Deitatis, & non totum recepit: quæ diſſertationes planè ſunt impiæ. Ac progreſſi ſunt iſti ex iſto *quomodo*, & *qua ratione*, & *quali conſequentia* ad incrudelitatem; & inhabitationem, pro incarnatione fabricati ſunt: & pro vnione & compoſitione Dei cum homine, indolem, induſtriamque humanam; & pro vna ſubſiſtentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, duas ſubſiſtentias & duas perſonas; & pro Sancta Trinitate, quaternitatem ineptè, ſimul & impiè ſentientes.

67. S. Hilarius ſub finem libri 10. de Trinit. tractans locum ex 2. Timo. 2. [Vetat genealogiæ eloquia tractari, & fabulas interminatæ quæſtionis attingi. Ædificationem verò Dei in fide eſſe: vt humanæ verecundiæ modum, fideli, omnipotentiæ Dei religione concludat, neque ſe infirmitas noſtra ad perſpicienda ea, quæ perſpiciendi naturam hebetent, extendat. Quod ſi contuentibus ſolis claritatem, virtus intenti luminis obſtupeſcit, vt ſi quando cauſam radiantis luminis ſolertiùs acies curioſæ contemplationis inquirat, vſque ad emortuum videndi ſenſum oculorum natura reuocetur, accidatque nitendo magis videre, ne videas: quid nobis in Dei rebus, & in ſole inſtitiæ expectandum eſt? Nonne incumbet volentibus ſuper ſapere, ſtulti-

tia? Nonne ipsum illud aere intelligentiæ lumen, stupor hebetis disipientiæ occupabit? Non enim natura inferior, causam naturæ potioris intelliget; nec subiacet humanæ conceptioni, ratio cælestis. Nam intra conditionem infirmitatis erit, quicquid infirmi conscientiæ subditur. Excedit itaque humanam mentem Dei potestas, ad quam si se infirmitas protendat, magis infirma reddetur, dum hoc ipsum quod obtinebat, amittit, potiore ad obtundendam eam rerum cœlestium natura, quia omnem eius confectantis se pernicaciam, ipsa complexu eius maior, infirmat. Vt igitur sol ita videndus est, vt possit videri; tantusque excipiendus lumine est, quantus admittitur, nec si plus velimus expetere, minus quoque quàm possumus consequamur: ita & ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi: in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se dedit; ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta. Est ergo in Deo quod percipi potest: est planè, si modò quod potes, velis cæterum si vltra quam potes, speres, id quoque quod potuisti, posse non poteris. Nondum intemporalis natiuitatis illius Sacramentum mouebo; competentis loci est ille tractatus. Interim mihi assumptæ carnis mysterium, in verbis est.

S. Basilius homil. de hum. Christi generat. [Taceant curiosi, & in Ecclesia Dei, superuacanea vestigare desistant. Laudentur quæ nobis concredita sunt: At de quibus ratio omnino non redditur, ne vestigentur.]

Nazianzenus orat. 1. de Theolo. [De quibus & quousque disputandum? De his solùm, quæ ingenij nostri modulum, atque auditoris captum non excedunt: ne alioqui vt nimia vocis intensio, atque immodicus cibus, aures & corpore labefactat: Itemque sarcinæ viribus graniores, bajulorum humeros; ac crebriorem pluuiæ terram opprimunt: ita etiam auditores quæstionibus grauioribus ac diutioribus oppressi atque confecti, pristinas quoque vires amittant.] Idem est de scrutatione per proprium studium.

68. Gaudentius tract. 14. qui est de promissione Paracleti, *sub finem*, perpulchrè in hanc rem disserit. Quia verò ex eo aperte profecit Chrysologus serm. 141. sat erit istum adducere. [Magnum (inquit Chrysologus) Dominicæ natiuitatis Sacramentum fide percipe, quia ne minima quidem operum Dei, assequi poterit sine fide, dicente Scriptura: *Omnia opera eius in fide.* Sed tu hic totum vis ex ratione constare, vbi totum consistit ex fide quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua, homo. Quid tam rationabile nisi, vt Deus quicquid voluerit, possit? Qui quod vult non potest, Deus non est.]

Theodotus Ancyranus homil. in Natale Saluato. tomo 6. Conc. Ephes. cap. 10. [Sed dixeris, quomodò fieri potest, vt Deus Verbum homo fiat? si diuinorum miraculorum modus verbique incomprehensibilitas à nobis posset comprehendi, miraculum vtique non esset, sed res secundùm naturam. Quod si verò opus patratum signum, aut miraculum fuerit, facti rationem miraculorum auctori relinque. Quod enim Deus Verbum natus est, nosse te volo, lucrumque per natum nobis oblatum, fide percipere te jubeo: quomodò autem natus sit, id natiuitatis architecto relinquito. Si tu medico præcipienti credis, salutemque tuam arti permittens, medicinæ rationem curiosè non perquiris: sed neque alius quispiam artis rudis, artificis rationes anxiè inuestigat, sed opus ipsum agnoscens, facti rationem arti committit; quomodò tu omnium diuinorum miraculorum vias modosque perscrutari eniteris.] Et mox [Quapropter nec amplius ad humanæ naturæ infirmitatem respicias; neque dixeris: Quomodò humana natura potuit Deum capere? Quomodò Deus, homo est factus? Quomodò Deus Verbum, in carne visibili apparuit? Sed id, quod factum est, simpliciter crede; facti autem modum & rationem, factoris scientiæ relinque.]

S. Maximus homil. 1. de Natali Dom. [Fratres, generatio Christi si narrari non potest, credi potest; Si lingua deficit, fides proficit. Magnus enim profectus est fidei, cum tantum de Deo suo concipit, quantum sermo non potest parturire. Cauete, dilectissimi, ne quando vos de his incredulitas moueat: quia si homo non valet explicare quod sentit, Deus sine dubio potuit implere quod voluit. Et perabsurdum est, fratres, vt ineffabilem Deum, infirmissimo fragilitatis nostræ sermone pensemus. Amentiæ res est, vt operationes maiestatis immensæ, inter exigua corruptibilis oris nostri conemur verba concludere. Quomodò enim comprehendere potest homo Deum factus ingenitum, mortalis æternum?]

69. Eucherius homil. 1. de Symbolo. [Non cogites, nec intra te dicas: quomodò aut quo ordine hoc fieri potuit? diuina opera, non discutienda sunt, sed credenda. Non te confundat, nec trepidum faciat rerum nouitas, sed sufficiat tibi omnipotens auctoritas, sed sit pro luce rationis, magnipotentia conditoris. Non eanseris, si non subiaceat sensui tuo ordinationum cœlestium magnitudo: excedit diuini opificij dignitas humanæ mentis angustias. Quid sibi speciale, quid proprium reseruaret incomprehensibilis illa maiestas si semper cõprehendere possit sapientia hominis, altitudines cœlestium secretorum? Quisquis ergo ille est qui obscurorum profunda, non fide, sed curiositate mirari, hoc potius insinua cordi tuo, vt diuinas dispensationes quanto difficilius inuestigare te videris, tanto reuerentius admireris. Quid haberent superna præciosum, si nostræ familiariter scientiæ subiacerent? Et ideò quanto minus capis operis intellectum, tanto magis dispensatoris mirare consilium.]

S. Anselmus lib. de Incarn. Verbi c. 2. [Nullus Christianus debet disputare quod Catholica Ecclesia corde credit, & ore confitetur, quomodò non sit: sed semper eandẽ fidẽ indubitanter tenẽdo, amando & secundùm illam viuendo humiliter, quantũ potest quærere rationẽ quomodò sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat: si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum. Citius enim potest in se confidens humana sapientia, impingendo, cornua sibi euellere, quàm imitando, petram hanc euellere.] Consule eundem Anselmum lib. 2. epistol. 41. *in fine.*

S. Bernardus serm. 2. de annunc. modestissimum & sapientissimum consilium meritò ab omnibus imitatione exprimendum, & hoc canone expressum iniit [Abyssus planè (inquit) imperscrutabilis, incarnationis Dominicæ Sacramentum, abyssus impenetrabilis, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Quis eum inuestiget: quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, & in quo hautiam, non est mihi: Veruntamen solet interdum, superposita puteis humectare linteamina, vapor exhalans. Propterea sanè licet irrumpere verear, propriæ conscius infirmitatis, frequenter tamen velut super os huius putei, expando ad te Domine manus meas, pro eo quod anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et nunc siquidem, quod ascendente deorsum nebula, tenuis ebiberit cogitatio, vobis fratres, est modicum illud sine inuidia communicare curabo, velut expresso linteamine, vel exigua refundetes cœlestis stillicidia roris.]

70. Hesychius in c. 16. Leuit. tractans interdictum quod ibi fertur ingrediendi semper ad arcam, ait prohibitionem illam pertinere ad arcæ mysticæ quæ Christus est, curiosam scrutationem, qualem adhibent qui circa hoc mysterium plus volunt sapere quàm oporteat sapere, nec sapiunt ad sobrietatem.

Petrus

Petrus Blesen. epist. 140. [Noli scrutari quæ supra te sunt, nec inanes cogita theorias, non disputationum argutijs, nec verborum calumnijs te distendas. Talia enim Apostolus interdicit, scribens in prima epist. ad Timoth. *Si quis*, inquit, *aliter docet, nec acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ, superbus & languens circa quæstiones & pugnas verborũ, huius graue est iudicium.* Audi quæso, quid superbos sapientia Dei in libro sui nominis dicat. *Sentite*, inquit, *de Domino, in bonitate & in simplicitate cordis quærite illũ.* Hodie varia est inter multos sententiarũ contentio: factæque sunt aquæ Siloës, quæ cum silentio curtebant, aquæ cõtradictionis apud quas demeruerũt Moysen & Aaron terræ promissionis introitum. Sic hodie apud multos, carnes agni immaculati contra prohibitionẽ legis elixantur aqua, vel membra tim discerpuntur fœmina bestiali: Igne siquidem assari debuerant, & si quidquam residuum esset igne, id est Spiritu sancto, fuerat comburendum.] Videbor plures produxisse sapientes quàm necessi as postularet. Sed vtinam vel hæc sapientum multitudo, sit saniras orbis. Hæc tamen non excludere sobriam huius mysterij scrutationem, intelligi potest ex ijs quæ in simili disputat Richardus Victorinus in Prologo librorum de Trinitate, & vniuersè Iulius Rugerius Opusc, de quæstionibus cap. 9. & 10.

IV. De Christo qui ænigmatis propositi subiectum est, hæc rata sunto. *Christus est Deus; Christus est homo; Idem simul Deus, simul homo* Hoc nouum ac vetus instrumentum vniuersum, hoc Propheticæ prænunciationes, hoc opera admirabilia in eum finem patrata, omnisque generis suffragia contestantur. Ad hanc amussim, vniuersa ænigmatis interpretatio est exigenda.

71. Diuinitas quidem Christi, perspicua est ex cap. 1. epistolæ ad Hebr. vbi Apostolus ex plerisque locis veteris Testamenti quæ ad Christum aptat; confirmat eum esse Angelis maiorem, ac Deum, cœli & terræ creatorem. Idem liquet ex cap. 1. Ioan. & ex cap. 12. ac Apocal. 4. quibus locis, insignis visio monstrata Isaiæ 6. qua maiestas summi Dei est Prophetæ exhibita, dicitur in Christum cadere, & de eo exponitur. Quid quod Matth. 16. Christus, appellatur *filius Dei viui*; & Rom. 9. vocatur, *Deus benedictus in secula.* Item Isaiæ 45. dicitur de Christo seu Messia, *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel, Saluator.* Quem esse in hanc rem indeclinabilem locum, scribit ibi Hieronymus. Denique Baruch. 2. de Christo in terris viso, & conuersato, disertissimè dicitur *Hic est Deus noster.* [Et quid plura, (inquit Cassianus l. 4. de Incarn. c. 7.) Longum est de singulis multa dicere: dies enim me deficiet, si omnia quæ ad hanc rem afferri possunt, conquirere aut explicare tentauero. Reuoluenda enim hoc volenti, sacra scripura omnis, ac legenda est. Nam quæ sunt, quæ non pertineant ad hoc, cum omnia scripta sint propter hoc?] Eodem libro c. 9. ait Cassianus, scripturam sacram [toto quodammodò suo corpore, quasi vno ore clamare,] venturum in carne Deum Non est ergo quod operam ludam in coacteruandis particularibus pro hac veritate locis, quæ magna copia prostant apud Iosephum à Costa l. 4. de Christo reuel. c. 6. & 7. & apud Bellarminum lib. 1. de Christo c. 4. 5. & 6. Spectantque eodem, quæ consequenter vrget per varia capita, de nominibus, & attributis ac operibus veri Dei, quæ Christo in scripturis adscribuntur. Patres quos idem Bellarminus c. 10. profert, propè frustra referri existimo, cum sint innumeri Videtur sufficere posse testimonium 318. Patrum Niceæ congregatorum quos cum Abrahæ vernaculis scitè componit S. Ambrosius in præfatione libri primi de fide, & S. Chrysostomus tomo 6. Græcol. serm. 4. qui est de illo Abrahæ dicto, *pone manum tuam super femur meum.* Ab his Patribus, quorum potior pars fidei confessione, alij miraculis & sanctitate, omnes propè, doctrina eximij erant, Christi diuinitas apertissimè est constituta Ex effectibus insignibus doctrinæ Euangelicæ, idipsum planè luculenter prosequuntur S. Athanas. l. de Incarn. verbi Dei eiusque corporali aduentu *sub finem*, & S. Chrysostomus in demonstratione quod Christus sit Deus.

72. Iam Christum fuisse hominem, probat natiuitas & crementum corporis, einsque communia cum omnibus hominibus incommoda; fames, sitis, somnus, passio, mors. Hæc Christum nobis hominem exhibent [Christum esse hominem, (inquit Hyppolitus in psalmi secundi interpretatione apud Theodoretum dialo. 2.) facile est intelligere, quando esurit, & defatigatur, & fatigatus sitit, & timens fugit, & omni tristitia afficitur, & super ceruical dormit, & passionis calicem deprecatur, angoreque & ægritudine confectus sudat, & ab Angelis confirmatur & à Inda traditur, & à Caipha probris & contumelijs afficitur, & ab Herode contemnitur, & à Pilato flagellatur, & à militibus illuditur, & à Iudæis ligno affigitur, & ad patrem clamans suum commendat Spiritum, & inclinans caput expirat, & latus eius lancea pungitur, & in sindone inuolutus, in monumento ponitur, & tertio die à Patre suscitatur.] Hæc euidentissimè monstrant, Christum fuisse hominem.

Et sanè nisi Christus fuisset homo, & quidem verus, ac planè quales nos sumus, Satan de diuinis consilijs, ipsoque Deo triumphasse videretur. Argumentum est S Irenæi omnino luculentum, quod eius verbis placet proponere ex l. 3. contra hæc. c. 3. [Necesse fuit Dominum ad perditam ouem venientem, & tantæ dispositionis recapitulationem facientem, & suum plasma requirentem, illum ipsum hominem saluare, qui factus fuerat secundùm imaginem & similitudinem eius; id est Adam, implentem tempora eius condemnationis quæ facta fuerat propter inobedientiam, quæ Pater posuit in sua potestate: quoniam & omnis dispositio salutis, quæ circa hominem fuit, secundum placitum fiebat Patris, vti non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars eius. Si enim qui factus fuerat à Deo homo, vt viueret, hic amittens vitam, læsus à serpente qui deprauauerat eum iam non reuerteretur ad vitam, sed in totum proiectus esset morti, victus esset Deus, & superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus inuictus, & magnanimus est, magnanimum quidem se exhibuit ad correctionem hominis & probationem omnium, quemadmodum prædiximus. Per secundum autem hominem, alliganit sortem, & diripuit eius vasa, & euacuauit mortem, viuificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Primùm enim possessionis eius vas, Adam factus est, quem & tenebat sub sua potestate, hoc est præuaricationem iniquè inferens ei, & per occasionem immortalitatis, mortificationem faciens in eum. Etenim promittens futuros eos tamquam Deos, quod ei non est, omnino possibile, mortem fecit in eis vnde & iustè à Deo recaptiuatus, qui hominem captum duxerat; solutus est autem condemnationis vinculis, qui captiuus ductus fuerat homo.]

73. Ex dictis in vtroque membro proposito, habetur, eundem Christum, Deum simul & hominem fuisse. Eum Deitatis & humanitatis in Christo concursum, inficiantur Iudæi: aduersus quos vrgeri possunt

varia instrumenti veteris loca, quibus perspicuè asseritur vnum aliquem verum hominem, simul forè verum Deum. Proponunt ea loca Clem. Rom. 5. constit.c. vltimo S. Cyprianus lib. 2.ad Quirinum. Nouatianus l.de Trinit. à c.9. Eusebius l.7. de demonstr. & seqq. Et tecentioribus præter Porchetum, Finum, Galatinum, aliosque Hebræorum flagellatores, Armacanus toto l. 2. de qq. Armeno. Mendoza q. 6. posit. A Costa lib.4. de Christo reuel. c.6. Bellarm.l.1.de Christo c.5. Molina 1.p.q.27. artic. 1. disp. 2. Fixum igitur esto, Christum vnum ac eundem, geminæ tamen esse substantiæ,diuinæ scilicet & humanæ.[Catholica fides, (ait S.Augustinus tract.36. in Ioan.) ex vtroque verum tenens quod tenet, & prædicans quod credit, & Deum Christum intellexit & hominem credidit: vtrumque enim Scriptum est, & vtrumque verum est. Si Deum tantum dixeris Christum, potentiam negas qua creatus est, vtrumque igitur tene anima fidelis & cor catholicum: vtrumque tene, vtrumque crede, vtrumque fideliter confitere. Et Deus Christus est, & homo Christus. Qualis Deus Christus? æqualis patri, vnum cum patre. Qualis homo Christus? De virgine natus; trahens de homine mortalitatem, non trahens iniquitatem.] Quia verò hic est totus nodus, & tota caligo propositi ænigmatis, vt intelligatur quomodò idem possit simul esse Deus & homo, inquirendum superest in eum modum, auditis & expensis variis eius interpretationibus.

SECTIO II.

[Ænigmatis propositi enodationes falsæ, per priscos & nuperos Sectarios, subiuncta earundem explosione.

74. QVamuis tanta sit propositi ænigmatis caligo quantam dixi,non est tamen desperanda eius discussio, quantum licere potest per vitæ huius dubiam lucem. Et quia vt proximè dicebam, cardo huius difficultatis vertitur in exponendo quomodo idem possit esse Deus & homo (cæteræ enim prætensæ contradictiones in hac vna radicantur; & hac implexitate sublata, reliquæ manebunt expeditæ,) idcirco in hanc vnam conferenda est opera, prolatis primùm ac discussis hostium fidei circa eam dictis à vero alienis, tum subiecta vera sententia. Scitè prosper. p. 2. de promiss. c.6. hos fidei hostes,ait esse leprosos in barba, quia eum lacessunt, in cuius barbam descendit vnguentum diuinum. Exarsit in hac parte nequitia eorum atque malignitas, supra modum. Neque tamen est quod ad eos depellendos appellens animum, timorem eorum timeam. Rectè enim monuit Cassianus l.7.de Incar.c.1. [Non timeamus prætentas hæreticorum insidiantium foueas, & obseptas spinis passim horrentibus vias:quæ cum asperent magis itinera quam claudant, de emundatione nobis potius labor quàm de possibilitate formido. Quia cum nobis agentibus rectum iter, infirmiter se obijciant, & horreant ambulantibus magis quàm obsint, plus habet officium atque opus nostrum in purgatione quod agat, quàm ex difficultate quod timeat.] Iure verò subdam cum eodem Cassiano, ad simile certamen se accingente. [Igitur ad monstrosum illud lethiferi serpentis caput mittentes manum, & pertractare omnia admodum illigata ingentibus spiris tortuosi corporis membra cupientes: te, quem semper precati sumus, etiam atque etiam Domine Iesu precamur, vt des nobis Verbum in apertione oris ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersum scientiam Dei: vt captiuemus omnem intellectum in obedientia tua: quia verè ille liber fit,qui cœperit tibi esse captiuus.]

CAPVT I.

Enodatio prima, Marcionis & Manetis, Verbum esse factum carnem, & Deum hominem, apparenter tantum, ac in speciem.

75. PRimò ergo aliqui vt ænigma propositum enodarent, docerentque quomodò Verbum factum esset caro, idemque esset Deus & homo,non videntes quomodò ista verè ac reipsa præstari potuerint, eò deuenerunt vt dicerent, humanitatem à Verbo assumptam, non fuisse veram sed tantùm imaginariam. Sic enim præcluduntur difficultates superiùs motæ ex secutura mutatione Verbi,& inuehenda in eum potentialitate. Nihil quippe tale timendum erit, si humanitas assumpta non fuit ens verum sed imago duntaxat & apparens fictio, siue phantasia.

Phantastici Christiani, quibus Verbum non nisi phantasticè caro factum.

Scitè S.Leo serm.15.de passio. *Phantasticos Christianos* appellauit eos qui ita senserunt. Meminit eorum S.Ignatius epist. ad Trallianos *sub medium*, aitque illos fuisse *quasi atheos*. Eorundem idem meminit S.Irenæus lib.5.c. 1. Primicerij fuisse videntur, Cerda ex Tertulliano lib.de præscr.c.51.& Marcion vt idem refert l.de carne Christi per quinque prima capita; hoc primũ Marcionis argumentũ adducens c.3. quod cum Deus sit inconuertibilis,non potuerit verè homo fieri, ne per eam conuersionem in hominem, de immutabilitate deijceretur. Vides in Marcionem eiusque gregales caderc, quod dixit Nouatianus lib. de Trinit. c.18. [Totum Christo susceptum detraxerunt hominem, ne decoquerent in illo diuini nominis potestatem.] Addit Tertullianus ibidem c. 4. argumentum exortus humani spurcitijs Deum dedecentibus. Quid quod Apostolus ipse, similitudinem humanitatis, atque adeò non veram humanitatem,Christo tribuit?

76. Ad Marcionis phantasma,accessere Montanistæ ex Socrate lib.7.c.32.In Persida, Xaroës & Arphaxad Magi, in eodem cœno sunt volutati, vt ait Ecbertus serm.12.contra Catharos. Neminem latet quid in eadem regione senserit Manes, eiusque Sectatores Nimirum ipse quoque, humanitatem tantùm imaginariam Christo assignauit. Aliter quidem Manetis errorem refert Acacius epist. ad Petrum Fullonem, sic scribens. [Manichæus cum omnino negasset vnigenitum Dei filium & virginalem partum, dixit Spiritum sanctum in specie columbæ descendisse de cœlis in Iordane flumine, & ex aquis incorporatum fuisse, & homines illustrasse, & cruci affixum fuisse & mortem pro nobis sustinuisse.] Verùm communis sensus, aliter refert Manetis errorem eiusque gregalium. Illorum aliquando partiarius D.Augustinus, suum tunc temporis de Christo sensum, tributæ Manichæis de Christo sententiæ conformem, his verbis exponit l.5. confess. c.10. [Ipsum quoque Saluatorem nostrum vnigenitum tuum tanquam de massa lucidissima molis tuæ porrectum ad nostram salutem, ita putabam, vt aliud de illo non crederem, nisi carni concerneretur. Concerni autem & non inquinari, non videbam, quod mihi tale figurabam. Metuebam itaque credere in carne natum ne credere cogerer ex carne inquinatum.] Scribit Vincentius Lyrinensis c.20.commonito. quod huic expositioni erroris Manichæorum, belle concinit; Nimirum eos cum Deum humanitatem suscepisse & personam in humanitate subsistentem factum audirent, ita id esse interpretatos, vt sensus sit sicut in theatris personam Regis refert qui renera non est Rex; ita Deum quamuis verè homo non esset,dictum

tamen

tamen esse agere hominem, & personam in humanitate apparuisse. Fatetur Nazianzenum orat. 41. & Anastasium c. 6. *ὁδηγῶ*, existimasse Manichæos tunc tandem affinxisse Christo personam, id est ludibrium hominis imaginarij, cum subuectus est in cœlum, & carnem veram quam ille huc vsque habuerat, deposuit in Solari tabernaculo, quod probasse dicuntur ex psalmo 18. verbis illis, *in Sole posuit tabernaculum suũ*: Indeque factum censet Billius ad illam Theologi orationem, vt Manichæi ab Athanasio l. 3. de assumpt. hom. dicti sint Solicolæ. Satius tamen videtur, adhærere Diuo Augustino in eorum erroribus versatissimo: qui loco ante dicto, & hær. 46. errorem Manichæorum refert ad eum modum quem proposuimus. Cultum verò Solis per Manichæos alibi spectasse docet, hæresi illa 46. & lib. 14. contra Faustum c. 11. & 12. ac lib. 20. c. 6. Esto, aliqui fortassis inter Manichæos, de Christo sensérint eo modo qui ex Nazianzeno & Anastasio adductus est.

Origo erroris propositi.

77. Radicem huius erroris Manichæorum, & eorum qui post illos veritatem carnis Christi reuocarunt ad phantasma; ac etiam omnium illorum qui carnem Christi aliquid quidem reale esse admiserunt, esse tamen carnem humanam & nostratem inficiati sunt; omnium inquam horum errorum radicem lutulentam discere licet ex S. Fulgentio l. 1. ad Trasim. c. 5. & optimè ex Anastasio Sinaita c. 14. *ὁδηγῶ*, quam placet adscribere, vt germanitas priscorum ac nostratium hæreticorum deprehendatur. Nam nostrates quoque Sectarij, prætendentes honorem Dei, & ex proportionalibus fundamentis, in magnas impietates sunt deuoluti, quod ab istis de quibus agimus, factum obseruat & acriter damnat S. Leo epistol. 97. c. 2. Ait igitur Anastasius. [Existimo omnes illos qui naturam, & quæ corporis Christi sunt, & proprietates eius inficiantur, ac repudiant, à temporibus sceleratissimi Manetis vsque ad hanc ætatem, non aliam ob causam, hæc omnia refugere & auersari, nisi quia, quanti quanti, & vndequaque, fœdati & inflammati sunt fornicationis ardore, impuritate, cupiditate, & illecebris, voluptatumque corporearum titillatione; & quia tam noctu, quàm interdiu, cogitatione simul ac opere flagitiosè corporis amatorijs furoribus & immunditijs, & tam virorum, quàm mulierum illicitis appetitionibus & blandimentis, carnisque turpissimis actionibus immersi volutantur, ita vt perpetuò quasi ardentissimam flammæ fornacem sitim circumferant, qua ignis quasi titillationes & scintillas accensæ carnis, lasciuæ inquam appetitionis, exsuscitent. Qua de causa immundam existimant corporis naturam, ac planè indecens, vt vel sola ratione confiteamur, Christum corpus simile nostro assumpsisse, vel humanam carnem; vel operationem, vel voluntatem, vel proprietatem, eiusdem nobiscum rationis ac substantiæ: mentientes, opinor, impuri illi & flagitiosi porci, ex suæ carnis spurcis, & lasciuis actionibus, omnem aliam carnem, & omne corpus, quasi eodem modo oppugnetur, contaminetur, & polluatur ex inflammatione ad libidinosas, naturæque aduersas cupiditates, furiosasque voluptates, & insanientis carnis fluxiones.]

Autoritate, & ratione conuellitur.

78. Non potest ex hoc errore, quippe insanissimo & tetterrimo, peti enodatio propositi ænigmatis. Multis Scripturis eum confodit Armacanus l. 5. de qq. Armeno. à c. 7. Validus est locus ex 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus qui confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo est: & omnis Spiritus qui soluit Iesũ ex Deo non est & hic est Antichristus.* Græca lectio habet, *spiritum qui non confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo nõ esse.* Et sanè negare Christum venisse in vera carne humana, nihil est aliud quàm soluere Iesum; sanctam inquam eius compactionem perditum ire, vt est apud Didymum. Eodem recidit quod Cassianus lib. 5. de Incarn. c. 10. ait, soluere Iesum, id ipsum esse quod negare, Iesum esse Deum simul & hominem. Optimus item locus contra hoc delirium, habetur initio Euangelij Ioannis, verbis illis *Verbum caro factum est*; Vtique vera caro: Nam vt ait D. Augustinus serm. 121. de diuers. c. 12. [Si verbum caro factum est, vera caro factum est; Nam si non vera caro, nec caro.] Exagitarunt hunc errorem crebrò Patres, præsertim Tertullianus l. 3 in Marcio. à c. 8. & lib. 4. c. 21. S. Chrysostomus hom. 7. in epist. ad Philippe. August. serm. 145. de tempo. Cassianus lib. 5. de Incar. c. 6. Prudentius in Apotheosi carm. 6. quod est contra Phantasmaticos. Graniter SS. Ignatius, Leo, ac Fulgentius, locis initio annotatis. Egregia verò huius erroris confutatio habetur in 6. Synodo Constant. actione 6. *in ipso fine*. Et quanquam vix est cur cum his hæreticis aliter agatur quàm cum Ethnicis, quippe æquè euertentibus vniuersum Euangelium, vt insigniter ponderat Tertullianus l. 3. contra Marcio. c. 8. Tamen ne tam perniciosus error tacitus abijsse videatur, non longam aduersus eam S. Cyrilli disputationem, sub initium libri de fide ad Theodosium, hic exhibebo. Sic habet. [Quum tam manifestus sit partus eius per virginem, & natiuitas in carne, quomodò non est inutilis vaniloquentia, imò quomodò non insania & deliramentum, tam euidentem & claram dispensationem putatiuam nominare? Nam si vmbra & apparentia fuit, & non vera incarnatio, neque etiam virgo peperit, neque assumpsit semen Abrahæ verbum ex Deo Patre; neque assimilatus est fratribus. Vmbra enim non sunt, nec typus, quæ sicut nobis apparent: sed in corporibus palpabilibus, & visibilibus, & terrigena carne vestiti, etiam corruptioni & affectionibus subditi sumus. Igitur si Verbum non est factum caro neque in quo passus est ipse tentatus, poterit eos qui tentantur iuuare. Non enim aliquid pateretur vmbra. Transirent sanè omnia ita, nec verè exhiberetur quicquam. Nam quale tergum dedisset pro nobis, vel quam maxillam cædentibus submittens, Iudæorum plagas fortiter sustinuisset? Et quomodò clauis manus ac pedes transfixum, in carne apparentem quis putauerit? Vel quale latus, dic obsecro, perfoderunt Pilati milites? Et quod cum aqua preciosum sanguinem scaturiens spectantibus ostenderit? & si oportet dicere aliquid amplius, neque mortuus est pro nobis, neque etiam surrexit Christus. Quod si receptum esset, vt ferunt, exinanita foret fides. Transisset autem crux mundi salus & vita; & perijsset omnino eorum qui in fide obdormierunt spes. Etenim benè sic habere videbatur & beato Paulo: *Tradidi enim vobis*, inquit, *in primis id quod accepi, nempe quod Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas, & quod apparuit Cephæ & duodecim: inde visus est plusquàm quingentis fratribus simul, quorum plerique manent adhuc & quidẽ obdormierunt. Etiam visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Postremo autem omnium visus est & mihi, quasi abortiuo.* Et post alia iterum: *Si autem Christus prædicatur quod ex mortuis resurrexerit, quomodò dicunt ex vobis quidẽ, quod resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit? Si autem Christus non resurrexit, vana est prædicatio nostra, & fides vestra. Inuenimur autem falsi testes Dei, quod & testificati sumus de Deo, quod suscitauit Christũ quem non suscitasset, siquidem mortui non resurgunt.* Etenim vmbra dic quæso, quomodo moreretur? Igitur quomodo suscitasset Christum Pater, quum esset vmbra apparentiæ, mortisque nexibus non teneretur. Proinde transeat illorum vomitus. Fabulam item & alia ratione ac impij consilij eructationes, ea quæ ab illis dicuntur, censemus.]

Falsò

Falsò ostenditur ei honor diuinus.

79. Qui Marcionem ex Tertulliano, & Manetem ex Cyrillo Hierosolymitano, perspectos habuerit, haud quaquam mirabitur, tam impios homines effutiuisse tam impia. Fundamenta verò quibus nitebantur, erant prorsus inania. Ac primùm prætextus diuini honoris minuendi per accessum veræ carnis ad verbum, inanis planè prætextus fuit, quod monstrant illa Tertulliani l. de carne Christi c. 4. in Marcionis exagitatione. [Igitur si neque vt impossibilem neque vt periculosam Deo repudias corporationem: superest, vt quasi indignam reijcias & accuses. Ab ipsa quidem exordio odio habita natiuitate, perora age iam spurcitias genitalium in vtero elementorum, humoris & sanguinis fœda cargula, carnis ex eodem cœno alendæ per nouem menses: describe vterum de die in diem insolescentem, grauem, anxium, nexum totum incertum libidinis fastidijs gulæ. Inuehere iam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandum, vel pro natura religiosum. Horres vtique & infantem cum suis impedimentis profusum vtique & oblitum. Dedignaberis quod primis dirigitur, quod vnctionibus formatur, quod blanditijs deridetur. Hanc venerationem ô Marcion, naturæ despuis: & quomodò natus es? odisti nascentem hominem: & quomodò diligis aliquem? Te quidem planè non amasti, cum ab Ecclesia & fide Christi recessisti. Sed videris si tibi displicet, aut si aliter natus es? Certe Christus dilexit hominem illum in immunditijs, in vtero coagulatum, illum per pudenda prolatum, ilium per ludibria nutritum. Propter eum descendit: propter eum prædicauit: propter eum omni se humilitate deiecit vsque ad mortē & mortē crucis. Amauit vtique quem magno pretio redemit Si Christus creator eius est, suū meritò amauit.] Mox quoque ibidem c. 5. [Quodcunque Deo indignū est, mihi expedit. Saluus sum, si non confundar de Domino meo. *Qui me*, inquit, *confusus fuerit, confundam & ego eum.* Alias non inuenio materias confusionis, quæ me per contemptum roboris probent, benè impudentem, & fœliciter stultum. Natus est Dei filius: non pudet, quia pudendum est, & mortuus est Dei filius: prorsus credibile est, quia ineptum est, & sepultus resurrexit: certum est, quia impossibile est.] Deum egregiè l. 3. c. 10. ex eo quod Marcion deum specie tantùm externa apparuisse in phantasmate hominem diceret: quia caro vera, quippe stercoribus infecta, auersanda Deo erat, colligit Tertullianus, etiam ipsum carnis inane simulachrum fuisse à Deo refugiendum. Debuisset enim æquè Deus, phantasma rei adeò indignæ auersari, sibique probrosum ducere.

80. Verùm Marcioni ac Symmistis illud meritò occinatur ex S. Basilio homil. de humana Christi generat. [Cogita de incarnatione Domini magnificè. Intellige diuinitatem esse intactam & immaculatam, quæ & si sit in materiali natura, ita illi ineſt, eius imperfectum fragileque corrigat; non autem vt ipsa, passionum debilitate inquinetur. Nonne solem conspicis in luto se volutantem, minimeque contaminantem; & super cœno corruscantem, minimè tamen fœtidum aliquid referentem? Itaque contrario modo magis eorum quæ diutius contingit putredinem exsiccat. Quid igitur dubitas de immensa incorruptaque natura, ne aliquam ex nobis maculam contraxerit?]

Manichæum non dissimiliter alloquitur D. Augustinus orat de 5. hæresibus c. 5. [Frustra (inquit) Manichæe conatis aduersari Propheris. Ecce Apostolus dicit, *De filio suo qui factus est ei de semine Dauid secundū carnem.* Quod Propheræ præuiderunt & prædixerunt, hoc Apostoli viderunt, & prædicauerunt: qui erat, factus est. Quid erat quid factus est? Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit diuinitatem: factus humilis, mansit sublimis: natus est homo, non destitit esse Deus: natus est paruulus, latens magnus; qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat virginis partum. Dicit tibi Deus creator hominis filius hominis, quid est quod te permouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem de qua nascerer, feci: ego viam meo itineri præparaui atque mundaui. Hanc quam despicis Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea: si potui inquinari cum eam facerem, potui (in illa) inquinari cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta Virginitas, sic & mea nō est ibi maculata maiestas. Si Solis radius cloacarum sordiciem desiccare nouit, eis inquinari non nouit: quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocunque radiauerit, mundare potest, ipse pollui non potest? Stulte, vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre? vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec patiendo est perpessa dolorem? vnde sordes in domo, adquam nullus hospes accesserit? Solus ad eam Dominus & fabricator eius venit: vestem quam non habebat, induit: eamque sicut inuenit, clausam reliquit, sicut ille natus est solus inter mortuos liber; sic istius ex quæ natus est matris pudor, solus est integer. Eua inobediens, meruit pœnam. Maria obediendo, consecuta est gratiam. Illa gustando prohibitum, maledicta: hæc credens Angelo, est benedicta. Illa nobis mortem contulit, hæc virgo vitam nobis peperit. Quid agis Manichæe? Christianum premis, non Christum defendis. Taceat immunda vanitas, quia munda nata est diuinitas] Egregiè aduersus eundem errorem, hoc ipsum telum intorquet idem Augustinus l. de agone Christiano cap. 18 & Euseb. l. de demonstr. c. 13. ac Eustathius Antiochenus apud Theodoretum dialo. 3.

Perperam item allegatus pro eo Apostolus

81. Alterum fundamentum quo abusos hoc hæreticos dicebam, petebatur ex tributa Christo per Apostolum similitudine carnis; ac ex eo quod Deus dicatur in similitudinem hominum factus. Verùm Apostolus, non carnis similitudinem, sed carnis peccati Christo assignauit, vt latè versat Didymus l. contra Manichæos *sub mediū*, & Cassianus l. 4. de Incar. c. 3. & benè his perpaucis Ioannes IV. in Apologia pro Honor. I. *sub initium.* [Verbum caro factum in similitudine carnis peccati, omnia nostra suscepit, nullum reatus vitium ferens ex traduce præuaricationis exortum. Similitudinem ergo intelligimus, non carnis eius, sed peccati. Etenim carnem Dominus veram suscepit ex intemerata & beata Virgine Dei genitrice, consubstantialis nobis effectus. Ergo similitudinem carnis peccati, sanctus dicit Apostolus, quam similem nobis peccatoribus, sine peccato, cum anima rationali suscepit.] Dixit præterea Apostolus, Christum, factum esse in similitudinem hominum: non quod apparenter tantùm homo esset, sed quod natura quam Verbum assumpsit, conueniat cum nostra, sitque verè humana, æquè ac ea quæ nobis ineſt.

Fructus disputationis contra hunc errorem.

82. Claudamus cum Eucherio hom. in illud, *arundinem quassatam non confringit*, vbi *sub finem*, aduersus assertorem propositi erroris, sic disputat. [Minorem ergo ideò æstimas Deum quia corpus assumpsit? Sed cum Apostolus dicat: *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo*; in hoc quod Deum hominem induit, &

Verbum

Verbum carne circumdedit, vestitus conditione habitus, non tollit generis dignitatem. Attendat Charitas vestra: siquis fortè nobilium, serui induat tunicam, nunquid statim in seruilem putandus est transisse personam? Nihil præiudicat ingenitæ nobilitati, humilitas indumenti in Deum: Ergo quia propter nos homo esse dignatus est, nemo putet quod gloriæ fuerit imminutio, misericordiæ magnitudo. Grandis in hominibus ignorantia, imo magna quædam belluinæ feritatis imminanitas est, si tibi Deus ex eo minor iudicandus est ex quo maiora largitus est: si ideo à te minus recipit honoris, quia circa te plus exercuit bonitatis.]

Nec illa minus conueniens clausula ex S. Hilario l. 2. de Trinit. [Dei igitur imago inuisibilis, pudorem humani exordij non recusauit, & per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcenderit. Quid tandem dignum à nobis tantæ dignationis affectui rependetur? inenarrabilis adeo originis vnus vnigenitus Deus, in corpus culi humani formam sanctæ Virginis vtero infertus accreuit. Qui omnia continet, & intra quem, & per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur: Ad cuius vocem Archangeli & Angeli tremunt, cœlum, & terra, & omnia mundi huius resoluentur elementa, vagiri infantiæ audiunt. Qui inuisibilis & incomprehensibilis est, non visu, sensu, tactuque moderandus, cuius est obuolutus. Hæc sic quis indigna Deo recolet, tanto se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei conuenerint manifestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus, vt Deus caro fieret; & habitaret in nobis, id est, assumptione carnis vnius, membra vniuersæ carnis incoleret. Humilitas eius nostra nobilitas est, contumelia eius honor noster est: quod ille est Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renouati. Sed ne fortè detineant scrupulosas mentium cogitationes cunæ, vagitus, partus, atque conceptio, reddenda est singulis Dei dignitas: vt voluntatis humilitatem potestatis ambitio præcedat, nec dignationem dignitas derelinquat.]

CAPVT II.

Ænigmatis propositi secunda enodatio, per Photinum atque Marcellum; Verbum quod caro factum dicitur, non substantiale quid esse, sed duntaxat nuncupatiuum.

83. SEcunda explicatio ænigmatis propositi, tradita à Marcello atque Photino, cuius errorem tardè sibi perspectum fatetur S. Augst. l. 7. confess. c. 19. eo detestabilior est, quod phantasiam non in humana Christi natura statuit, sed in Verbi persona. [Verbum quod ex Deo est, inquit S. Cyrillus initio libri de fide ad Theodosium, agens de his hæreticis,) non habere subsistentiam dicunt; sed simpliciter Verbum quod secundùm solam pronunciationem intelligitur, hominem factum esse affirmant.] Hoc est quod Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum c. 6. tradit, Photinum concessisse duntaxat, verbum prolatiuum & nuncupatiuum, non autem substantiale. Itaque insulsè Erasmus ad epistolam 50. S. Augustini, vbi habetur Photinianos negasse, vllam nisi Dei Patris esse substantiam, illinit margini hanc notationem; *Substantiã dixit pro persona.* Hoc dico malè illini Augustino, qui ex mente Photiniano nun vsurpat ibi substantiam, etiam pro natura Photiniani enim, nullam siue personam, siue naturam substantialem agnoscebant in Verbo Dei, sed illud statuebant prolatitium quid. Et fateor quidem, Verbum vocale à Deo efformatum ad modum verbi humani, esse reuera aliquid: nam est qualitas soni, implantata substantiæ aëris diffracti per pronunciationem. Tamen tale verbum, non est reipsa Verbum Dei subsistens. Et idcirco Vincentius Lyrin. c. 17. commonit. referens errorem Photini, ait iuxta eum nullam reipsa esse Verbi personam, & Christum esse purum ac solitarium hominem. Eandemque ob causam, Photiniani apud D. Augustinum tomo 10. fragmento 26. dicuntur *Homuncionitæ.* Sic igitur enodauit propositum ænigma Photinus, quis quantis ingenij & eloquij ac doctrinæ dotibus sit abusus, legere est apud Vincentium Lyrinensem c. 16. commonitorij.

Error Photini conuellitur.

84. Sed neque hæc propositi ænigmatis expositio, admitti potest. Est enim stultissimi cordis eructatio, vt rectè pronunciauit S. Cyrillus l. de fide ad Theodos. in confutatione huius erroris quam §. *obliterant*, instituit ex illis verbis. 1. Ioan. 2. *quis est mẽdax, nisi qui negat quoniã Iesus, est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filiũ. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Tertulliani aduersus hunc errorem disputatio, neruosa de more & fortis est. Sic enim habet in eradicatione auenarum Praxeanarum cap. 7. [Ergo inquis, das aliquam substantiam esse sermonem, spiritu & sophiæ traditione constructam? Planè. Non vis enim cum substantiuum habere in re per substantiæ proprietatem, vt res & persona quædam videri possit, & ita capiat secundus à Deo constitutus duos efficere, Patrem & filium, Deum & Sermonem. Quid est enim, dicet sermo, nisi vox & sonus oris, & (sicut Grammatici dicunt,) aër offensus, intelligibilis auditu, cæterum vacuum nescio quid, & inane, & incorporale? At ego nihil dico de Deo inane & vacuũ prodire potuisse, vt nõ de inani & vacuo prolatum: nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, & tantas substantias fecit: fecit enim & ipse quæ facta sunt per illum. Qualé est, vt nihil sit ipse, sine quo nihil factum est: vt inanis solida, & vacuus plena, & incorporalis corporalia sit operatus? Nam & si potest aliquando quid fieri diuersum eius per quod sit, nihil tamen potest fieri per id quod vacuum & inane est. Vacua & inanis res est sermo Dei, qui filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est; *Et sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo?* Scriptum: *Non sumes nomen Dei in vanum.* Hic certè est, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit esse se æqualem Deo. In qua effigie Dei? vtique in alia, non tamen in nulla. Quis enim negabit Deum corpus esse, & si Deus spiritus est? spiritus enim cõrpus sui generis in sua effigie. Sed & inuisibilia illa quæcunque sunt, habent apud Deum, suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt, quanto magis quod ex ipsius substantia, nullum est, sine substantia non erit? Quæcunque ergo substantia Sermonis fuit, illam dico personam, & illi, nomen filij vindico: & dum filium agnosco, secundum à Patre defendo.]

Nihil hac corporeitatis diuinæ assertione, peccatum à Tertulliano, qui pro solida substantia, nomen *corporis* vsurpauit, monstratum est in Natur. Theolo. dist. 6. num. 11. Rectè igitur contendit Tertullianus, agnoscendam esse in persona Verbi substantialem soliditatem, sine qua rucret planè fides nostra, euersa Triade personarum verè subsistentium. Apostoli quoque inter planos improbissimos numerandi essent, qui annunciarint Deum Verbum, quod nihil reipsa sit subsistens, sed tantùm sit sonus configuratus in vocem. Neque verò cum blasphemia tantùm, sed etiam cum absurditate incredibili, verbum prolatitium diceretur factum homo. Quo enim vel imaginario sensu, sonus dici queat fieri homo? Meritissimò proinde Photinus, in magno Nicæno Concilio damnatus est, vt notat Anastas. c. 5. ἀθέτως, per illam (vt c. 9. loquitur,) [Synodum

dum sanctissimam atque beatissimam, Spiritus sancti quasi vnigenitam filiam.] Additque Lucifer Calaritanus l.de non parcendo in Deum delinquentibus, absurdè Sirmienses nunc passe Photinum & lucidum, quem σκοτεινὸν, seu tenebrosum nominare par fuerat.

85. Fundamentum vnicum Photini, ductum ex appellatione Verbi, scitè euertitur à Theodoro Ancyrano homil. de Natali Saluato. tomo. 6. Conc. Ephes. cap. 10.[Deum verbum nostrum (inquit) prolatitium in subsistentis Dei verbi exemplum assumo; nemo existimet, nos Dei Verbum productili nostro simile censere; absit: Nam dum sacra diuinaque scriptura, vnigenitum Dei filium Verbum nominat, solam natiuitatis ipsius imparibilitatem per hoc insinuat: Nam & humana quoque mens, citra patibilitatem verbum suum generat. Etenim scriptura sacra vnigenitum, modò Patris filium appellat; nonnunquam Verbum nominat; interdum etiam Patris splendorem vocat. Quodlibet autem horum nominum eo fine ipsi accommodat, vt intelligat, quæ de Christo passim dicuntur, ea procul abesse ab omni omnino blasphemia. Aliàs enim alijs nominibus ipsum designat, dum congruam diuinæque gloriæ conuenientem doctrinam tradere studet. Exempli causa, naturæ consubstantialitatem astruere volens, vnigenitum, Patris filium vocat: Nam & tuus quoque filius, eiusdem tecum nascitur naturæ. Vnam itaque eandemque Patris & Filij substantiam esse, ostendere volens, vnigenitum ex Patre natum, Patris filium appellat. Deinde verò quoniam filius, eiusve qui nascitur, ortus, passionem apud nos denotant, ideò hunc Dei filium verbum nominat, natiuitatis imparibilitatem nomine hoc exprimens: verùm enim verò quod quinis in humanis pater, quatenus homo, citra vllam controuersiam filium suum ætate antecedat: (Nam ipsum paternitatis vocabulum id secum fert, vt Pater necessariò ante filium extitisse, intelligatur;) ne istud diuinæ quoque naturæ accidisse suspiceris; sed ipsum vnigenitum cum Patre semper extitisse confitearis; vnigenitum Dei filium, Patris splendorem vocat, splendor namque vnà cum luce producitur, existitque. Generationis itaque impatibilitatem *Verbum* significat, consubstantialitatem *filius* indicat, coëxistentiam *splendoris* vocabulum insinuat.]

Marcellus Ancyranus, an Photini errore sorduerit S. Chrysostomo lux illata.

86. Error iste Photini, creditur item fuisse Marcelli Ancyrani. Fuit enim Marcellus, Photini Magister. Et quamuis non desint, qui dicant Marcellum per calumniam, insimulatum ab Arrianis esse huius erroris; tamen graues Patres, hoc eum crimine grauant. Ita enim diserte S. Basilius epist. 52. & S. Hilarius apud D. Hieronymum l.de scriptor. in Marcello, ac Chrysostomus hom. 6. in epist. ad Philipp. Hinc verò colligi poterit germanus sensus loci alioqui lubrici, quo S. Chrysostomus homil. 3. in ad Hebr. videri posset tradidisse errorem Nestorij, & duplicem in Christo statuisse personam. Ibi enim impugnato errore Iudæorum qui vnicam in Deo agnoscunt personam, ait eum errorem, quem mox Sabellio ac Marcello tribuit, tefelli ex illis verbis psalmi 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus.* Ait ergo S. Chrysostomus, ex illis verbis Psaltis, impugnari errorem prædictum, & aperte ostendi duas personas, Deum & hominem cum hæc postrema verba videantur ipsissimo Nestorij errore sordere, vt ea macula S. Chrysostomum purum præstarent, dixere nonnulli, corruptè legi apud D. Chrysostomum, colligi ex eo Psaltis loco. Deum & hominem esse duas personas. legendumque reuera esse, aperte inde ostendi. Deum & Deum esse duas personas. Et sanè Theophilactus qui abbreuiatorem Chrysostomi solet agere, non habet, ostendi ex Psalris eo loco duas personas esse Deum & hominem, quod saperet Nestorianismum, sed haberet, ostendi inde, duas personas esse Deum & Deum, quæ lectio bellissimè concinit cum scopo S. Chrysostomi, & conuulsione erroris Iudæorum ac Marcelli ex prædicto Psaltis loco, quo tam diserte, Deus vnctus à Deo vngente secernitur. Hæc enodatio loci Chrysostomi non est inuerisimilis. Possumus tamen ex dictis contra Marcelli errorem, colligere germanum S. Chrysostomi sensum, nõ admisso vllo apud eum mendo lectionis. Nam Deus vngens qui purè Deus est, nempe Pater; & homo Deus, inunctus à Patre, omnino statui debent plures diuinæ personæ, quandoquidem Psaltes alloquens Deum hominem, inunctum, & diserte eum compellans nomine Dei, affirmat Deum ipsius, atque adeò aliam diuinam personam, sic imbuisse illum vngui ne præ participibus. Quare mens S. Chrysostomi eo loco, non fuit duas in Christo personas statuere, alteram Dei, alteram hominis: id enim repugnaret potiùs instituto S. Chrysostomi qui ibi pugnabat contra Iudæorum & Marcelli errorem de vnica diuina subsistentia; Sed mens S. Chrysostomi fuit, duas in Patre & Verbo incarnato personas agnoscere, id quod apertè eruitur ex allegato loco Psaltis, non autem duplex in Christo persona.

CAPVT III.

Enodatio tertia ænigmatis ab Apollinare, Verbum ex parte carnem factum esse, per transitum verum ac conuersionem in carnem.

87. Aliam viam exponendi ænigmatis propositi iniuit Apollinaris, dicens, Verbum factum esse hominem, quatenus factum est pars hominis, carne quæ hominis pars est Synecdochicè vsurpata pro toto homine. Castè autem ac exactè locutum Euangelistam, non dixisse Verbum factum esse hominem, sed factum esse carnem, vt insinuaret Verbum factum esse carnem absque anima, idque parte quadam Verbi conuersa in carnem. Ita enim diserte hunc errorem refert S. Leo serm. 8. de Natiu. Dom. c. 4. *in fine.* Audiendus etiam Vincentius Lyrin. c. 17. commonit. vbi errorem Apollinaris sic refert. [Dicit in ipsa Saluatoris nostri carne, aut animam humanam penitùs non fuisse; aut certè talem fuisse, cui mens & ratio non esset. Sed & ipsam Domini carnem, non de sanctæ Virginis Mariæ carne susceptam sed de cœlo in Virginem descendisse dicebat eamque nutabundus semper & dubius, modò coæternam Deo Verbo: modò de Verbi diuinitate factam prædicabat. Nolebat enim in Christo duas esse substantias; vnam diuinam, alteram humanam: vnam ex Patre alteram ex matre: sed ipsam Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud eius permaneret in Deo, aliud verò versum fuisset in carnem.]

Trimembris error Apollinaris ad ænigmatis enodationem: Quis ipse, & quantus.

His verbis tria palmaria Apollinaris pronunciata comprehenduntur. Primum est, quod pars Verbi conuersa sit in carnem, vt Verbum dici possit factum caro, & Synecdochicè homo. Secundum est, quod pars illa Verbi, in nudam carnem absque anima fuerit conuersa. Tertium est, quod ea caro non fuerit humana, & deprompta ex viscribus B. Mariæ, sed Syderea aque cœlestis, iuxta illud, *secundus homo, de cœlo cœlestis.* Eodemque referebat Apollinaris, quod Christus Ioannis 3. & in Symbolo. dicitur de cœlo descendisse. Cum enim hic descensus non potuerit in diuinitatem cadere, vt mendaciter Catholicis affinxere quidam hæretici apud Anastasium cap. 22. ὁδηγ῀, restat vt accipiatur

sur de humanitate, id est de carne delapsa è cœlo. Qua in parte, præjuerat Apollinari Apelles, vt referunt Tertullianus lib. de carne Christi c. 6. & Origenes homil. 14. in Lucam. Hanc cœlestem carnem, iuxta Apollinarem non fuisse Christo aduentitiam, sed antesecularem, & essentiæ ipsius adiunctam, ex libro ipso Apollinaris refert Nazianzenus orat. 46. *Sub initium*; & idem habet Leontius Byzantinus in calce libri de scriptis Apollinaris, quæ Patribus supponebantur. Hæc igitur fuit tradita ab Apollinare ænigmatis propositi enodatio. Verbum ex parte est factum caro, per veram conuersionem in carnem inanimam, eamque non nostratem, sed cœlestem.

88. Quantus iste Apollinaris fuerit, docent illa Vincentij Lyrinensis c. 16. commonit. [Sed forsitan eiusmodi ille vir erat, qui dignus esset facilè contemni. Imò verò tantus ac talis, cui nimium citò in plurimis crederetur. Nam quid illo præstantius, acumine, exercitatione, doctrina? Quàm multas ille hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutauerit errores, iudicio est, opus illud triginta non minus librorum nobilissimum ac maximum, quod insanas Porphyrij calumnias, magna probationum mole confodit. Longum est vniuersa ipsius opera commemorare, quibus profectò, sumis ædificatoribus Ecclesiæ, par esse potuisset.] Respexit ad hanc librorum Apollinaris multitudinem, Nazianzenus orat. 51. *in fine*: vbi compellat eos qui gloriantur librorum multitudine, moxque addit; [prolixos libros, & noua psalteria, non debuisse haberi pro tertio Testamento.] Apollinaris enim expresserat versibus Psalterium Danidis. Eiusdem esse Tragœdiam, *Christus patiens*, quæ est apud Nazianzenum, notarunt alij. Et quanquam in eo opere, non cernuntur vestigia prædictorum Apollinaris errorum, tamen potuit conscribi ab Apollinare nondum desipiente. Nazianzenus enim orat. 14. num. 22. dissidium cum Apollinare, vocat, fraternum nec ita pridem exortum. Viuebat nimirum Nazianzeni æuo Apollinaris, clarus ob impugnatas hæreses, vt proximè ex Vincentio dixi, & Theophilus Alexandrinus testatur epist. 1. Pasch. & S. Epiphanius ad eius casum altè ingemiscens hæresi 77. Magistrum, eum agnoscit S. Hieronymus epist. 65. & lib. de scriptor. Eccles. vbi innumera ab eo scripta agnoscit. Cum autem in aliis quoque nonnullis erraurit, vt in animæ ortu ex traduce teste D. Hieronymo epist. 82. & in scalis quas in Trinitate confecit, vt jocatur Nazianzenus orat. 51. *sub finem* Tum nominatim circa incarnationem & Christum, nec ob aliud quàm ob præpositum Christi amorem, quod putaret honorem Christi fore, vt eius anima esset ipsummet Verbum; sicut testatur Nazianzenus orat. 14.

Membrum primum, de parte Verbi in carnem versa, explodituv.

89 Hærando autem in proposita per Apollinarem enodatione ænigmatis de quo agimus, dicendum est, eam enodationem esse omnino detestandam: quia vt Nazianzenus orat. 46. rectè affirmat, omnem impietatem superat, quod singula è tribus membris ex eo prolatis. Et quidem quod in primo dicitur, & blasphemum est, & apertissimè pugnat cum naturali ratione, quæ Deum statuit planè incorruptibilem & immutabilem. Vnde ex hac parte, Apollinaris immodicè stupidus fuit, vt rectè pronunciauit S. Cyrillus l. de recta fide ad Theodosium. [Conuersionem (inquit) imaginantur, eius qui conuersionem nescit. Fundata enim est diuina natura in proprijs bonis, & inconcussam seruat virtutem in ijs, in quibus est. Quippe natura facta & in tempore producta pateretur vtique mutationem, nec foret hoc absurdum vel indecens, vel falsum. Quod autem omninò initium sortitum est, habet quodam modo, & diuisibilitatem vt immutetur. Deus autem qui est super omnem mentem, cuius substantia à generatione & corruptione exempta est, ac superior, idem etiam maior est quàm vt conuertatur, & quodammodo naturæ suæ ratione, omnibus qui esse cœperunt superior est, & superfertur eminentia incomparabili. Ita & ea quæ creaturæ suæ euenire solent, transcendit iterum, vt pati nequeat. Igitur Deus quidem in bonis est, quæ commutari nequeunt. creaturæ autem sunt in conuersione & mutatione & in foribus habent corruptionem. Id quod sciens optimè Philosophans Propheta Ieremias clamabat ad Deum, *Quia tu sedens in seculum & nos peribimus seculo*. Sedet enim quemadmodum in proprijs thronis semper regnans & imperans omnibus, & à nulla affectione infestatur. Ac, nos naturam habentes maximè versilem, & propensissimam ad mutationem & corruptionem, perimus seculo, hoc est, omni momento & tempore corruptibiles sumus & conuertibiles. Itaque neque Deus vnquam à passionibus de propria stabilitate sua per conuersionem extrudetur.] Videsis præterea fortissimè aduersus hoc erroris monstrum, bellantem S. Athanasium epistola ad Epictetum, descripta à S. Epiphanio hær. 77.

Duplex sensus alterius membri, quo anima creata negatur Christo.

90. Membrum secundum erroris Apollinaris, dupliciter potest intelligi: nempe primò, ita vt prorsus excluserit à Christo animam creatam, sed ei fuisse Verbum diuinum pro anima quacunque, censuerit. Qua ratione philosophatus est Origenes, statuens & animam Christi, & omnium nostrûm animas, eiusdem cũ Deo naturæ esse statuendas, vt latè disputat Theophilus Alexand. epist. 1. Pasch. Arrius verò, disertè pronunciauit Christum caruisse anima creata, eique pro anima fuisse Verbum, quod proinde triste & turbatum statuebat, vt referunt Leontius lib. de Sectis actio. 3. & Epiphanius Diaconus in 7. Synodo actio. 6. tomo eius 2. & rursus tomo 3. cum de Eusebio Pamphili. Præjuerant hæretici illi quos S. Ignatius epist. ad Philadelph. ait dixisse, Verbum fuisse Christo pro anima. Confutarunt id in Ario S. Ambrosius l. de Incarn. Domin Sacram. c. 7. August. hær. 49. & S. Cyrillus tomo 6. Conc. Ephes. c. 17. Constat plerosque Apollinaristas, tandem fuisse in hoc errore. Cum enim vrgerentur eo argumento, quod si Verbum, animam inferiorem rationali assumpsisset, fatendem esset, assumptam fuisse à Verbo belluam in figura hominis, eo deuenerunt, vt negarent Verbum assumpsisse vllam animam creatam; ac proinde nihil in Christo fuisse dixerunt nisi carnem, cui Verbum esset pro anima. Ita refert & latè refellit D. August. q. 80. ex 83. & optimè l de agone Christ. c. 21. fuseque Gillebertus serm. suo 8. in Cant. Huic autem Apollinaristarum errori adhærentes Ferentinates, prolapsi sunt in errorem alium, quo negarunt mortem Christi: eumque proinde, etiam è cruce depositum, effingebant viuum: vnde illis cum bello illata clades à Viterbiensibus, vt scribit Leander in Tusciæ descriptione, & Molanus l. 4. de imag. cap. 12.

Potest secundò aliter accipi membrum illud secundum erroris Apollinaris. Nempe ita vt animam quidem aliquam creatam Christo concesserit, sed absque mente, id est merè materialem, & nihil supra sensitiuam. Ita hunc Apollinaris errorem referunt S. Augustinus tract. 23 in Ioan. ad illud. *scrutamini Scripturam*, (vbi de fine assumptæ à Verbo animæ, luculenter.) Item in psal. 29. in præfatione enarrationis secundæ, & l. 1. confess. c. 19 ac Theodoretus l. 5. decreto. diuin.

c.de Incarn.& lib.4. hæret.Fabul.ac dialo.2.*initio* aperteque habetur ex illis verbis Apollinaris, quæ Theodoretus citato capite refert. Negat enim Verbum assumpsisse animam, [quia mens est supervacanea, vbi Deus est.] En *mens*,id est anima intellectiua. Quia tamen anima sensitiua & vegetatiua cum ab anima rationali differunt, sunt materiales & corporeæ, nec efferūtur supra carnem, inde factū est, vt plerique Veterum referant, Apollinarem negasse Christo animam creatam,& cōcessisse Christo solam carnē.Σαρκόλατραν, ea ex causa,illum nominat Nazianzenus orat.51.& 52. Eodemque referendum est, quod tradit Theophilus Alexand. epistо. 1. Paschali, quosdam ex Apollinaristis statuisse pro Christi anima, *prudentiam carnis*. Eo quippe nomine intelligebant animam sensitiuam carni implantatam & materialem,quæ in brutis habet rationem prudentis aurigæ ac directricis. Hæc expositio erroris ab Apollinare inuecti quoad hoc membrum, videtur genuina.Fundamenta eius, referuntur ab Harmeopulo l.de Sectis num.5. quod Verbum dicatur factum non anima rationalis, sed caro.Item quod Christi corpus dicatur templum. At templum carere anima rationali, nemo non videt. Quid quod ab anima rationali creata, timendum videbatur sanctitati Christi, ob renisum concupiscentiæ aduersus rationem superiorem, animæ rationali insidentem? Memorat hunc metum horum errorum S. Ambros. l.de Incarn. Dom. Sacram.c.7.

Fuisse in Christo animam rationalem creatam,variè monstratur.

91. Sic expositum hunc Apollinaris errorem, plenè confutarunt varij Patres, nominatim Nazianzenus orat. 51. & 52. Cyrillus l.de fide ad Theodos.*sub medium*. Fulgentius toto ferè lib. 1. ad Trasim. à cap. 8. Petrus Cluniacensis lib.2. Epistola. 1. & alij mox adducendi. Multas Scripturas ad id congessit Armacanus l.5.de qq. Armeno.per 5. prima capita Sed ille locus est palmaris,quem Felix III.sic vrget epistо.ad Petrum Fullonem. [Dicere vnigenitum filium & Dominum nostrum Christum Iesum perfectum, nec ipsum subijsse passionem crucis, sed vnam Verbi Dei naturam incarnatā corpusque Domini siue anima & mente, Apollinaris hæresim roborat. Ille enim ignorauit, quod ab ipsis mundi nascentis exordijs, primùm anima primi parentis nostri mortua est, vel in mortem præcipitata est,atque ita demum corpus. Dictū quippe illi erat à Deo: *In quacunque die comederis de ligno scientiæ boni & mali, morte morieris*. Itaque iuxta latam in illum à Deo sententiam, qua die comedit de ligno, in ipsa secundùm animam mortuus est. Nam ipsius corporis mors, post nongentos & triginta annos contigit. Itaque Deus donum non dimidiatum fecit; sed totum simul Adam,ex vtero Virginis sumpsit,vt etiam perditū totum saluum faceret, idcirco Dominus prædixerat: *Ego animam meam pro ouibus meis pono*.] Optimè quoque in hanc rem ex eo capite 10. Ioannis ratiocinatur D. Augustinus tract. 47. in Ioan. expendens verba illa,*potestatem habeo ponendi animam meam*:[Quis ponit? (inquit) quam ponit? Christus quid est Christus? Verbum & homo. Nec sic homo vt sola caro; sed quia homo constat ex carne & anima, totus est homo in Christo: nō enim partem deteriorem suscepisset & partem meliorem deseruisset. Pars quippe hominis melior est anima, quàm corpus. Ergo totus homo in Christo quid est Christus? Verbum,inquam & homo. Quid est verbum & homo? Verbum anima, caro. Tenete hoc; quia non defuerunt hæretici & in ista sententia.pulsi quidem iam clim à veritate Catholica, sed tamē vt fures & latrones nō intrantes per ostium, insidiari ouili non desinunt. Apollinaristæ hæretici dicti sunt, quia ausi sunt dogmatizare,quod Christus nō sit nisi verbum, & caro & animam humanam, non eum assumpsisse contendunt: Nam & aliqui eorum fuisse in Christo animam negare non potuerunt. Videte absurditatem & insaniam non ferendam, animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negauerunt: dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis, sed illi abstulerunt Christo rationem, non tenendo rationem. Absit hoc à nobis in fide Catholica nutritis atque fundatis.]

92. Frequens est Patribus aduersus hunc errorem, ea ratio quæ ex necessitate perfectæ sanationis nostræ petitur. Adhibet eam Fulgentius l.1.ad Trasim.c.8. & S.Martinus I. in Concilio Lateran. consultat. 5. citato Nazianzeno, qui eam egregiè his verbis proponit orat. 51.[Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profectò est,nec dignus, cui omni ex patre salua afferatur. Nam quod assumptum non est, euationis expers. Quod autem Deo vnitum est, hoc quoque salutem consequitur. Si dimidia tantùm ex parte, Adamus lapsus est, dimidiatum quoque sit, quod assumptum est, & quod salutem accipit: si autem totus peccauit,toti quoque genito vnitus est, atque omni ex parte salutē consequitur. Quocirca ne perfectam salutē isti nobis inuideant,aut ossa solùm & neruos, atque hominis picturā Saluatori tribuant,Nam si ipse inanimatus homo est, hoc etiam Ariani aiunt, vt passionem diuinitati tribuant, tanquā videlicet quod corpus mouet,idem quoque patiatur. Si autem animatus quidem verùm mentis expers, quo tandem modo hominis nomen sustinebit? Neque etiam homo animal est mēte carens.Atque illud necesse est,vt species quidē & larua humana sit,anima autem equi cuiuspiā,aut bouis aut alius animalis mentem non habentis: Ac proinde illud quoque esse,cui salus afferatur. Atque ego ab ipsa veritate delusus sum,vt qui, alio honore affecto, ipse glorier, meque iactem. Si autem mentis particeps, non autem mente carens, homo est,desipere verè, ac mentis inopia laborare desinant.]

Fusius eandem argumentationem intorquet Nyssenus orat.1.(imo 2.) contra Ennomium *sub finem*, nec non S. Augustinus serm. 145. de tempo.*in fine*. Nolo tamen prætermissum S. Paulinum cuius illa sunt & pia & erudita pro more epistо.27. [Hoc verbum, pietatis immensæ mysterio,caro factum est,& habitauit in nobis. Non autē caro tantùm corporis nostri, sed homo totus, & corporis nostri & animæ assumptione: anima autem rationalis, quæ iuxta naturale opificium Dei, habet insitam mentem: alioqui in tenebris Apollinaris erraumus, si hominem assumptum à Deo animam mentis humanæ vacuam, qualis est pecorum & iumentorum dicamus habuisse, & eum hominem quem suscepit Dei filius; qui necesse est ea veritate, qua veritas est, & qua creauit hominem, totum suscepisse,vt corpus suum plena salute renouaret. Nulla est autem salus nostra, nisi plena est, quia non hominem, sed aliud nescio quod irrationabilis creaturæ animal suscepit Dei filius, si mentem suam propriam hominis assumpti anima non habuit, & contra naturam generis humani ille potissimum primogenitus omnis creaturæ homo in formam perfectionis humanæ assumptus,in tantum mente sua indiguit,vt non de humano, sed de diuino spiritu mentem habuisse dicatur. Quod illorum ore dicitur, in quorum corde concipitur hoc venenum, vt & veritas mentita sit.]Vtique, quia sæpè sæpiùs Christus Dominus, meminit animæ suæ rationalis, quam hic error vult sublatam.

Erroris contrarij, fundamenta conuelluntur.

93.Fundamenta illius sunt planè ruinosa.Non enim si Verbum dicitur factum caro, excluditur anima rationalis.

tionalis. Caro enim à Verbo assumpta, fuit humana & rationalis, quia non esset nisi æquiuocè caro, vt Aristoteles quoque loquitur. At caro, non habet vitam nisi per animam, nec habet vitam humanam, nisi per animam rationalem. Ac proin de eo ipso quod Verbum dicitur assumpsisse carnem nostram, dicitur etiam assumpsisse animam rationalem. Dicitur tamen nominatim, *factum caro*, non autem *factum anima*, quia nomine carnis intelligitur per Synecdochen totus homo, vt monstrant D. Augustinus 14. Ciuit. c. 2. Naz. orat. 51. *sub finem*, & Fulgentius l. 1. ad Trasim. c. 17. esse hunc idiotismum Hebraicum in scripturis admodum frequentem, multis exemplis declarat Toletus in c. 1. Ioan. annot. 38. nec sine altissimo consilio diuinæ sapientiæ, vsurpatum esse in explicatione huius mysterij, dicendo Verbum carnem factum esse, intelligitur ex hac S. Augustini oratione q. 80. ex 83. [Sub his verbis, Verbum voluit carni esse copulatum atque concretum, vt nulla ibi non solùm mens, sed nec anima humana interstitat. Quibus primò respondendum est, ideò sic esse illud in Euangelio positum, quia vsque ad visibilem carnem, assumptio illa humanæ naturæ à Domino facta est, atque in tota illa vocitate susceptionis, principaliter verbum est, extrema autem atque vltima, caro. Volens itaque Euangelista, commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, qui se humiliauerit exprimens, Verbum carnemque nominauit: prætermittens animæ naturam, quæ verbo inferior est, carne verò, præstantior. Magis enim commendat humiliratem, quia dictum est, *Verbum caro factum est*; quàm si diceretur, *Verbum homo factum est*.] Itaque primum illud fundamentum huius erroris Apollinaris, est planè ruinosum.

Alterũ quod petebatur ex voce *templi*, tributa corpori Christi, est planè ludicrum. Non enim si corpus Christi ob sanctimoniam dicitur templum, inferre licet, sicut templa materialia carent anima rationali, ita & corpus Christi. Aliquis similiter inferre liceret, corpus Christi non constitisse carne. Quis enim templa ex carne & neruis ac ossibus compacta vidit? Imo S. Gregorius Nyssenus orat. 1 aduersus Ennom. ex hoc modo loquendi de Christi corpore, optimè intulit veritatem Catholicam pro qua pugnamus. Denique abstinuerunt hi hæretici sanctitati Christi, quasi concessa Christo anima rationali, pars inferior posset labefactare superiorem. Timor iste vanissimus fuit. Quidni enim, (vt benè in hanc rem disputat S. Ambrosius l. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 7.) potuerit rationalis Christi anima, carnem suam frœnare, cum homines puri à Christo habeant, vt corpus frœnent, & in seruitutem redigant?

Quare concludamus cum S. Augustino l. de ægone Christ. c. 19. [Ne eos audiamus qui Trinitatem quidem in vna æterna substantia confitentur, sed hominem ipsum qui temporali dispensatione susceptus est, audent dicere non habuisse hominis mentem, sed solam animam & corpus: hoc est dicere non fuit homo, sed membra corporis habebat humana. Animam enim & corpus habent & bestiæ, sed rationem non habent, quæ mentis est propria. Sed si execrandi sunt illi qui eum negant humanum corpus habuisse quod est infimum in homine, miror quod isti non erubescunt, qui hoc eum negant habuisse quod est optimum in homine: Multum enim est lugenda mens humana, si vincitur à corpore suo, siquidem in illo homine non reformata est, in quo ipsum corpus humanum iam dignitatem formæ cœlestis accepit. Sed absit vt hoc credamus, quod confinxit temeraria cœcitas, si superba loquacitas.] Legendus præterea sequenti cap. 21.

Membrum tertium erroris Apollinarij, de Christi carne cœlesti.

94. Postremus Apollinaris error, quo carnem à Verbo assumptum, de cœli petitam, non è matris visceribus haustam fabulabatur, non fuit ab eo constâter traditus, vt liquet ex illis verbis S. Athanasij dialo. 4. de Trinit. [Legi ego Magistri vestri Apollinaris confessionem, in qua corpus Domini nostri, dicit esse coëssentiale corpori Mariæ. [Nec id debet mirum videri, cum etiam circa primum errorem propositum, inconstans fuerit Apollinaris. Theodoretus enim dialo. 1. *in ipso fine*, loca eius profert, in quibus à seipso dissentiens aliter statuebat. Esse porrò hæreticorum propriam in erroneis dogmatibus inconstantiam, S. Irenæus optimè docuit lib. 3. c. 2. Quamuis ergo aliquando Apollinaris, corpus Christi statuerit consubstantiale corpori B. Mariæ, tamen alibi affirmauit esse è cœlo petitum: quæ S. Antonino visa est idonea causa, improbandi imagines illas Virginis annunciatæ, quibus appingitur puellulus crucem baiulans, è cœlis delabens in vterum Virginis. Ait quidem Molanus vt hoc purget, l. 3. de imag. c. 13. puellum illum exhibere animam Christi. Hoc tamen non tollit difficultatem: quia neque anima Christi è cœlis demissa est, sed creata primùm fuit intra B. Mariæ vterum. Sed sistamus in ipso errore Apollinaris, quem Agobardus l. de correctione Antiphonarij eius item fuisse censet, qui scripsit Christum nascentem processisse à Patre, velut sponsum de thalamo.

Exscinditur multipliciter

95. Hic error est apertè contra innumeras Scripturas, quæ Christum factum ex muliere, & Filium hominis prædicant. Quomodò enim Mariæ filius, & ex ea factus diceretur, si carnem de ea non sumpsisset? [Sine causa eò se intulit, vnde nihil extulit,] ait Tertull. l. de carne Christi c. 19. Deinde Christus si carne syderea constitisset, non fuisset verus homo, quia habuisset carnem speciei planè à nostra discrepantis. Rueret hac ratione antithesis illa primi hominis è vera carne nostrate compacti, cum secundo Adamo, toties in Scripturis celebrata, & optimè in hunc modum expressa à Tertulliano l. de carne Christi c. 17. [Tota nouitas ista, sicut & in omnibus, de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione, homine Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam. Igitur si primus Adam de terra traditur, merito sequens, vel nouissimus Adam vt Apostolus dixit, proinde de terra, id est, carne nondũ generationi resignata, in spiritum vinificantem à Deo est prolatus. Et tamen ne mihi vacet incursus in Christum, (Adam ab Apostolo dictus est,) si terreni non fuit census, homo eius. Sed & hic ratio defendit, quod Deus imaginem & similitudinem suam à Diabolo captam æmula operatione recuperauit. In Virginem enim adhuc Euam, irrepserat ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ, vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabriel. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in vtero ex Diaboli verbo: imò concepit. Nam exinde, vt abiecta, pareret & in doloribus pareret, verbũ Diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam. Contra, Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel, interemptorem suum saluum quandoque præstaret. In vulnam ergo Deus, Verbum suum detulit, bonum fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet,

Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quò homo iam damnatus intrauerat.] B.Irenæus perpulchrè in eandem sententiam differit l. 5. c. 21.

Apellem hæreticum similia cum Apollinare de carne Christi lyderea nugatum hoc argumento apperijt. Tertullianus l. de carne Christi c. 9. quod huc optimè cadet. [Quid dici cœlestem carnem quam vnde cœlestem intelligas, non habet: Quid terram negas, quam vnde terrenam agnoscas, habet? Esurijt sub diabolo, sitijt sub Samaritide, lachrymatur super Lazarum, tiepidat ad mortem. *Caro enim*, (inquit,) *infirma*. Sanguinem fudit postremò. Hæc sunt, opinor, signa cœlestia. Sed quomodo, inquam contemni & pati posset, sicut & dixi, si quid in illa carne de cœlesti generositate radiasset? Ex hoc ergo conuincimus, nihil in illa de cœlis fuisse, propterea vt contemni & pati posset.] Similia argumenta addensat S. Irenæus lib. 3. c. 32.

Denique insignis & frequens apud Patres est ea ratio, quod qui venerat terrenos homines curare, congruum fuit vt corpore nostrate, & terreno, circumdaretur. Audi Fulgentium l. 3. ad Trasim. c. 34. [Illos etiam æterno condemnabit gehennialis tormenti supplicio, qui corpus Christi, non ex Virgine fatentur substantialiter sumptam, sed confingunt de cœlo depositum: cum Dei Filius, propterea de homine naturam fuerit dignatus corporis terreni suscipere, quia non venerat eos qui in cœlo, sed eos qui erant in terra saluare, sicut Apostolus dicit; *Nusquam enim Angelos apprehēdit, sed semen Abrahæ apprehēdit, vnde debuit per omnia fratribus similari.* Suscepit ergo Filius Dei animam nostram, id est melius nostrum, quia melior est meliore nostro; de quo Ioannes dicit: *Maior est Deus corde nostro*, sed nō spreuit etiam carnē nostram, id est infirmum nostrum suscipere, quia totum hominem venerat liberare, nec potuit infimo nostro, infimus fieri, per quem, infimum nostrum in illud nomen, quod super omne nomen est, meruit exaltari.]

96. Eucherius eamdem argumentationem robustè intorquet homil. 11. de Pasch. verbis illis. [Sed dicis, quid tantoperè necesse fuit vt splendida illa & sincera diuinitas, humanæ carnis experiretur iniurias? Quare non magis aliquod speciosum lucis corpus assumpsit? Non ita est; non hoc recipiebat ratio redemptionis nostræ. Nunquid lux ista peccauerat vt materiam lucis expiaturus indueret? Per hanc itaque materiam creaturæ, nec mortis cōferre pretium, nec resurrectionis præferre potuisset exemplum. Nihil mihi contra hostem meum fiduciæ contulisset, si non in meo corpore triumphasset. Cur lucem susciperet, hominem redempturus inordinatum medici appareret ingenium, si humeris suis imponeret illæsum, & negligeret vulneratum: Illa necesse est sanitatis arbiter membra contrectet, quæ grauibus morbis æstuare perspexerit. In quo corpore timetur ægritudinis causa, in ipso est exercenda medicina. Nunquid aliquid sollicitudo proficiet, si cum alium dolor teneat, alium cura confoueat? sic cum iste crebris anhelæ sitis pulsibus vrgeatur, alius pro eo desideratis aquarum refrigerijs irrigetur? Itaque sicut ad infirmum corpus, vel inopia confectum, nihil omnino beneficij vel fomenti peruenire posse dignoscitur, si pro eo alteri robusto alicui corpori refectio vel curatio ministretur; Ita dispensatio redemptoris, nullam nobis contulerit vtilitatem, si non in nostra peregerit carne virtutem: & ideò dum in corpore meo vincit, me contra hostem meum pius propugnator erexit.]

Optimè denique S. Chrysostomus, viget pro hac veritate, quod ex eâ maximè micuerit diuina sapientia atque potentia. Nā homil. 13. in epist. ad Rom. expēdens illud, *de peccato condemnauit peccatum, per carnem*, ait. [Quod maius censendum id victoriæ modus est. Neque enim aliam assumpsit carnem, sed ipsam hanc efflictam, laboribusque confectam. Quemadmodum enim si quis vilem ac circumforaneam mulierem in rerum venalium foro vapulantem intuitus, se illius esse filium profiteretur, reuera Regis filius cum esset atque hac ratione illam è manibus eorum à quibus male haberetur, eriperet; ita & ipse fecit, fassus se esse hominis filium, partocinium auxiliumque illi afferens, ac peccatum damnans. Non ergo ausus est postea illam verberare: seu potius illam quidem verberauit mortis plaga. Inde effectum est, vt non ipsa caro verberata, sed ipsum peccatū verberans, damnatum sit ac perierit, id quod omniū est maximè admirandū. Nisi enim in carne victoria parta fuisset, nō tam mirandū foret, quando & lex hoc efficiebat. Mirum autem id est, quod vnà cum carne trophæum erectū est, & quæ millies à peccato deiecta fuerat, hæc eadem splendidam contra illud victoriam tulit.] Hanc victoriam, & hæc diuinæ potentiæ specimina, tollebat Apollinaris, lydeream Christo carnem pro nostrate affingens.

Fundamentorum eius, dissectio.

97. Fundamenta eius pro more hæreticorum omnium, partim ex Scriptura, partim ex prætenso Christi honore petebantur. Sed vtraque planè inania & mirosa erant. Scripturæ enim quibus abusum Apollinarem refert Nazianzenus orat. 46. (Sunt autem illæ quibus Christus descendisse è cœlo dicitur,) aliò reuera non pertinent, quàm ad insinuandam diuinitatem personæ in hac humanitate subsistentis. Eaque etiam ex causa, Christus, *homo cœlestis* appellatus legitur. Quanquam potuit etiam homo cœlestis appellari ob vitam integerrimam, & vt dicere solemus *cœlestem*; quam expositionem æquè instituto nostro commodantem, ex variis Patribus adhibet Cornelius 1. Cor. 15. v. 47. Nec incongruè etiam dixerit quispiam, vocatum Christum hominem cœlestem, à cœlesti gloria animæ, qua potiebatur iam ex hac vita: Aut certè, quia non per vitum, sed cœlesti opere in Virginis visceribus editus est. Quem sensum Scripturarū propositarum, apertè supponunt qui professitentes Christi carnem esse è B. Mariæ visceribus petitam, inde tamen probant Christum esse Deum & hominem, quod dictus sit de cœlo descendisse, & esse homo cœlestis; vel homo de cœlo, aut esse in cœlo. Videndus S. Capreolus Carthag. in epist. ad Hispanos contra Nestorium, & S. Fulgentius l. 3. ad Trasim. c. 15. Multò minùs operæ est in explicanda locutione ab Agobardo improbata, recepta autem ab Ecclesia in Antiphona ad Canticum Deiparæ in primis Vesperis Natiuitatis Domini. Cum enim in ea Antiphona Christus dicitur procedens à Patre, signatur æterna generatio, cui subnectitur humana, cum additur velut sponsum de thalamo (vtique virginalis vteri) prodijsse, iuxta interpretationem verborum Psalmi 18. plerisque Patribus adamatam. Itaque nihil ibi cum Apollinaris errore commune.

Iam prætensus Christi honor, & remotio indignitatis, quâ Apollinaris nitebatur, friuolus planè prætextus fuit. Quod facile euincitur, præclara Nysseni disputatione his verbis concepta c. 27. orationis catechet. [Nihilo tolerabilior videtur esse turpitudo & dedecus, quod Deus cœlestis corporis figuram susceperit, quàm terrestris. Ab eius enim qui est altissimus, & ad cuius altitudinem non patet aditus, natura ex æquo distat omnis creatura, & sunt omnia ei æqualiter subiecta. Nam id quod est eiusmodi, vt ad id omnino non pateat aditus non alicui quidem prebet aditum; aliquid verò ad ipsum non potest appropinquare: sed ex æquo vniuersa quæ sunt, superat, & supereminet. Neque ergo terra est remotior è supremâ illâ dignitate, neque cœlum proprinquius: neque quæ vitam degunt in vtroque elemēto, hac in re quicquam

à se

à se invicem differunt, vt alia quidem attingant naturam ad quam non patet aditus; alia verò ab ea secernantur. Nam sic quidem existimaremus vim illam ac potestatem quæ omnia continet, non ex æquo per omnia peruadere: sed in aliis quidem eam esse abundantiorem in aliis verò magis deficere: & ex maioris minorisque differentia compositus ex consequenti apparebit Deus, vt qui sibi ipsi non conueniat, siquidem procul esse à nobis existimetur ratione naturæ: alicui autem alij appropinquans, ex eo quod prope sit, facile possit apprehendi. Sed vera ratio, in excelsa & sublimi illa authoritate, neque deorsum aspicit, neque seorsum per comparationem. Omnia enim ex æquo sunt subiecta potestati illi quæ præest omnibus. Quamobrem si terrestrem naturam existimabunt indignam quæ cum Deo connectatur, neque vlla inuenietur digna. Quod si ex æquo omnia sunt indigna; Deum autem decet ei qui opus habet benefacere; vbi est ergo morbus, illuc medicatricem venire potestatem confitentes, quidnam credimus alium ab eo, quod vt decet de Deo est existimandum.]

Affines errores, explosi.

98. Hactenus de Apollinarij errore, & nugaci per eum ænigmatis propositi expositione, cæterum quæ contra postremum membrum erroris Apollinarij sunt disputata, monstrando carnem Christi fuisse vere humanam, & sumptam ex matre, æquè euincunt deliraſse hæreticum illum apud Tertullianum l. de carne Christi c. 10. qui fabulatus est, carnem Christi fuisse *animalem*; id est spiritualem ob conuersionem carnis in animam. Ajo hunc errorem illis ipsis machinis euerti, quibus euersus est error Apollinarij: quia si caro Christi non fuisset materialis, cuiusmodi est nostra, defuisset Christo caro vera, quæ æquè homini intrinseca est ac anima: vnde Christus non fuisset homo verus, nec verbum fuisset factum caro; quod tamen Euangelium verbis conceptis affirmat.

Ex ijsdem principiis, concidit crassissima blasphemia Sectariorum quorundam superioris seculi; nempe Valentini re ac nomine Gentilis, Memnonis Anabaptistarum Signiferi, Michaëlis Serueti, & aliorum quorundam impietatis exarchorum, qui commenti sunt, carnem Christi non fuisse de matre acceptam & humanam, sed ex Patris substantia cœlitùs delatam: nec creaturalem & materialem, sed supernaturalem & spiritualem, planéque diuinam. Referunt hæc eorum horrenda placita Canisius l. 3. Marial. c. 14. & Bellarminus l. 3. de Christo c. 1. Quamquam non hi primi, tam terra vomuerunt. Memorat enim S. Cyrillus epist. 2. ad Successum num. 4. fuisse qui fabulati essent corpus Christi fuisse fabricatum ex propria Dei natura. Sed & apud Gregorium Heocæsarienſem anathematismo 1. & 2. idem error confoditur, & splendidà in hunc modum ab Athanasio initio epistolæ ad Epictetum. [Quis infernus ista eructauit, vt consubstantiale dicam corpus ex Maria genitum cum verbi diuinitate, aut Verbum in carnem & ossa, costas, neruos, & prorsus in corpus commutatum esse, & à sua natura degenerasse? quis ista in Ecclesia, aut à Christianis audiuit? fictione, non tenera, Deum Verbum corpus esse factum? Aut quis ita impius fuit, vt vel verbis diceret vel animo cogitaret, ipsam Deitatem quæ Patri est consubstantialis, circumcisam fuisse, & ex perfecta, imperfectam esse redditam, & illud corpus quod in cruce pependit, non corpus humanum, sed ipsam opificem rerum sapientiam fuisse? Quis item audiens eum, non ex Maria, sed ex sua sibi natura corpus finxisse, talia loquentem pro Christiano habeat? Quis istam nefariam excogitauit impietatem, vt huiusmodi vel cogitatione conciperet, vel verbis exprimeret, vt asserat eum qui dicit ex Maria editum fuisse Dominicum corpus, non iam trinitatem, sed quaternitatem in Deitate constituere, ac proinde eos qui ita sentiunt, eosdem & carnem dicere quam ex Maria induit Saluator, esse substantiæ trinitatis? Vnde nobis nonnulli eructauerunt parem cum superiori impietatem, vt iactent non minoris esse ætatis corpus Deitatis Verbi, sed idei coæternum perpetuò fuisse, eo quòd ex substantia Sapientiæ conflatum sit.] Non insisto pleniori harum blasphemiarum euersioni, quod ex dictis contra Apollinarem conuellantur sufficienter: constétque eas non posse ad ænigmatis propositi enodationem conferre; quandoquidem per illas, negatur Verbum factum esse hominem aut carnem veram, quod disertè habet ænigma, cuius legitimam enodationem quærimus.

CAPVT IV.

Propositi ænigmatis extricatio quarta ex Nestorio, Verbum factum esse hominem, affectu tantùm.

99. ENodationem quartam ænigmatis propositi, subministrauit Nestorius ex Presbytero Antiocheno, & insignis hypocrita ad gratiam concionante, vt est apud Theodoretum in calce libri 4. hæret. fabul. Patriarcha Constantinopolitanus, quem opinione vulgi aliquandiu magnum, humana magis gratia fecerat quàm diuina vt ait Vincentius Lyrin. c. 16. commun. addens de eius fama, & ementito in Iudæos ac Ethnicos & quosuis hæreticos zelo, de quo etiam copiosè Socrates l. 7. à c. 29. qui à conflagratione templi Arianorum quod Nestorius initio Episcopatus succendit, testatur nomen illi fuisse *incendium*. Plura de huius vulpis artibus, Baronius ab anno Christi 428. quo Nestorius primùm apparuit hæreticus, ad annum 436. quo infelix toto corpore computrescente, & lingua vermibus exesa, sputum spiritum euomuit. Addit Canisius lib. 3. Marial. c. 18. corpus eius à terra fuisse absorptum, quod vnde hauserit, me latet.

Primarius Nestorij error, Verbum solo affectu carni coniunctum.

Censuit ergo Nestorius, idcirco Verbum dici factum carnem, & eundem dici hominem ac Deum, quod quamuis alia esset Dei, alia hominis persona, tamen summus inter eas affectus vigeret. At effectus ille potest efficere, vt qui verè distincti sunt, habeantur ijdem. Sic amicus, dicitur alter ego, & cor vnum ac anima vna; coniuges item ob affectum coniugalem, dicuntur vna caro. Verba Nestorij quibus hoc eius placitum exprimitur, ista sunt ex S. Cyrillo sub initium libri de fide ad Theodosium; cum præmisisset, Nestorium sicut duas substantias in Christo, ita duas personas distinxisse, & duos filios: ac vnum quidem vt hominem seorsim ponere, alterum verò naturâ Deum, & verè filium nominare solitum. [Nam ille quidem, natura verè filius, qui ex Deo patre est Verbum, iste verò per cognominationem cum filio filius. Et post alia iterum: Non caro Dei verbum, sed hominem susciens. Nam vnigenitus quidem præcedenter & per se filius Dei omnium conditor est: is autem homo quem assumpsit, cum non sit natura Deus, propter ipsum verè Dei filium, à quo assumptus est, per cognominationem cum illo appellatur. Nam *nemo nouit Filium nisi Pater*, cum qui naturâ & verè manifestat ex Patre Filium.] Alia pleraque è libris Nestorij loca, eodem imbuta veneno, referuntur eo libello S. Cyrilli, cui titulum fecit, *Dogmata Nestorij*, nec pauca etiam, verbatim excerpta recitantur actione 1. Concilij Chalcedon. & apud Arnobium lib. 2. Conflictus cum Serapione. *Ante medium.*

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
et
Virtutibus

100. Hinc liquet, primarium Nestorij errorem in eo situm fuisse, quod duas in Christo personas secerneret, nec Verbum factum realiter carnem censeret, sed tantùm per affectum, superstite personarum distinctione. Nestorius enim, vt scribit Sophronius in Synodica quæ est in 6. Synodo, inter Verbum & humanitatem Christi, affectualem duntaxat vnitionem, aut ἰσοτιμίαν vel ὁμοτιμίαν, id est æqualitatem honoris, vel voluntatum concordiam admisit. [Quod si quis, (inquit Vincentius Lyrinensis c.17.commonit.) eum putat in literis suis vnum Christum dicere, & vnam Christi prædicare personam, non temerè credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, vt per bona faciliùs suaderet & mala: sicut ait Apostolus: *Per bonum mihi operatus est mortem.* Aut ergo vt diximus, fraudulentiæ causa quibusdam in locis scriptorum suorum, vnum Christum, & vnam Christi personam credere se iactitat: aut certè post partum iam Virginis, ita in vnum Christum duas prohibet conuenisse personas, vt tamen conceptus seu partus virginei tempore, & aliquanto postea, duos Christos fuisse contendas. Et cum scilicet Christus homo, communis primùm & solitarius natus sit, & necdum Dei verbi personæ vnitate sociatus, postea in eum assumentis Verbi persona descenderit: & licet nunc in Dei gloria maneat assumptus, aliquandiu tamen nihil inter illum & cæteros homines interfuisse videatur.] Notasse ista videtur Lyrinensis, propter Socratem, qui per idem tempus scripsit, & l.7.c.32.ex libris Nestorij & sermonibus necessariorum eius, pronunciauit, Nestorium præ imperitia solas Catholicas voces esse auersatum; reuera autem Catholicis consensisse. Quod est dicere, S Cyrillum, & tot Synodos, cum Nestorio de vocibus solis non intellectis agitasse dissidia. At hoc nemo sapiens admiserit. Verè igitur, palmaris Nestorij erroris fuit quem diximus, duplicem scilicet in Christo esse, sicut naturam, ita & personam.

Eiusdem alius error consequens, aduersus Deiparæ titulum.

101. Huic primario errori, consequens erat alius, quo B. Mariam negabat dicendam Deiparam, nec nisi *Christi param* vocari patiebatur, vel certè *homini param.* Sanè cum Anastasius Presbyter, inter concionandum B. Mariam vocasset ἀνθρωποτόκον, indèque non exigua in Catholico populo extitisset offensio, Nestorius Anastasij quo familiarissimè vtebatur, & cuius omnia consilio gerebat, profanam nouitatem ratam habuit, vocatus (vt Theodoretus l. 4. hæret. fabul. prodidit,) qui Mariam nuncuparant Dei matrem, non habere vnde Gentiles Cybelem Deorum matrem fabulantes reprehenderent. Nec mirum quod Nestorius B. Mariam negaret esse Dei matrem, quandoquidem censebat filium eius esse hominem purum, nec nisi per gratiam & affectum agnoscebat eum Deum: atque adeò non verè & propriè nomen Dei illi tribuebat, sed tantùm ratione *deputatæ aut assumptæ nuncupationis*, vt loquar cum S.Hilario l.7. de Trinit. vbi talis extensionis diuini nominis exempla ex scripturis adducit, & multa etiam collegit S. Gregorius homil.8. in Ezech. & lib.4. epistol.31. vbi refert illud Constantini de sacerdotibus, à Ruffino item proditum l.10. histor.c.2. [Vos dij estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras iudicate, quia dignum non est vt nos iudicemus Deos.] Et sacerdotes dictos Deos, quia dignitate exornantur Dei Vicaria, Deumque repræsentante. Qua etiam ratione, infinities in scripturis, Angelus nomine Dei apparens. Deique personam sustinens, nuncupatur Deus. Quod dignitas & munus, prædictis contulit vt Dij nominarentur, hoc Dei gratia & amicitia præstitit aliis, quibus obtigit audire Deos, eo quod Deo essent amici. Pulchrè Hilarius Diaconus apud Ambrosium 1.Cor.3 ad illud, *nonne homines estis?* [Sicut gloriantes in Deo & de ipso omnem gratiam sperantes, Dij dicuntur à Deo adoptati, ita in homine gloriantes, & homines & carnales dicuntur, sententia Dei conclusi, qui ait; *Ego dixi Dij estis, vos autem sicut homines moriemini.*] Scitè quoque S.Macarius homil.15. [Qui sub iugum animã suam mittit, & qui sibi innatisque cupiditatibus succẽsent, perinde se habet, ac qui ciuitatem hostium suorum subiungat: hícque meretur assequi bonam mensuram Spiritus, atque induit virtute diuina adiutus purum hominem, seque ipso præstantior euadit. Eiusmodi enim qui est, postea in Deorum numerum relatus, euadit filius Dei, recepto signo cælesti in animâ suâ. Electi enim eius, vnguntur oleo sanctificante, & in magna dignitate constituuntur, ac reges euadunt.] Hoc sensu S.Basilius referente Nazianzeno orat.20. nu.74. cum à Valentis Præfecto vrgeretur ad Arianismum, respondit. [Nullam rem creatam adorare sustineo, cum & ipse à Deo creatus sim, & Deus esse iubeat.] S. Maximus dialog.de scopo incarnationis, hortatur vt quandoquidem dedit nobis Deus potestatem filios Dei fieri, [Tradamus nos ipsos Domino perfectos, vt perfectionem eius recipiamus. Fiamus Dij per ipsum: nam propter hoc ipse, homo factus est, eum natura Deus esset & Dominus.] Idem varios nostræ huius Deificationis gradus distinguit: centur.4.ex variis c.19.

102. Cum igitur Nestorius, Christum non nisi hac ratione Deum agnosceret, consequenter B. Mariam, non θεοτόκον, sed χριστοτόκον nominabat: contra quam Arrius & Eunomius ac Apollinaris, qui vt naturarum in Christo confusionem & commixtionem stabilirent, vocem θεοτόκος adamabant, vt est apud S. Cyrillum in defensione 4. anathematismi, iuxta hanc porrò suam de filio & matre existimationem, Nestorius carnem Christi vocabat θεοτόκον, id est imaginem susceptricem Deitatis, teste Cassiano l.3. de incarn. cap.15. Eáque ratione vacauit difficultate apud eum enodatio diuinitùs propositi ænigmatis. Nihil enim intellectu facilius, quàm eundem esse hominem & Deũ, affectu & amore: quod Nestorius & Nestoriani vocabant, *esse Deum gratia, non natura*: aut *esse Deum per prouectum, non per naturam*, vt idem eos locutos refert. c.5. [Personalem enim vel subsistentialem vnionem naturarum], non aliter astruebant ex eodem c.3. quàm [secundùm illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem; siue secundùm autoritatem, aut potentiam, vel æqualitatem honoris, consequentem ex dilectione & gratia: æqualitatem porrò intelligebant eam tantùm, quæ analogia & proportione quadam inter Deum verum, ac Deum adoptione, vel affectu, potest intercedere: idque esse, [duas naturas post vnionem indiuisè subsistere,] aiebant Nestoriani apud S. Cyrillum epist. 2. ad successum, interrogat.4. Cum autem dicerent, Iesum non esse Deum nisi per gratiam, & meritis suis illuc prouectum, addebant iustos quoque omnes, si vellent, posse ad idem diuinum decus aspirare. Ex eo cœno extitit conuatio illa ranæ immundissimæ, relata à S. Gregorio 18.moral.c.35. [Non inuideo Christo Deo facto, quoniam si volo, & ipse possum fieri.] Quam infandam vocem, plenè ibi & sequenti capite confutat S. Doctor, dicens fuisse cuiusdam Hæresiarchæ. Maras autem Presbyter Edessenus, in libello oblato Concilio Chalcedonensi actio. 10. & apud Facundum Hermianensem l.5.pro tribus capitulis c.2.eam vocem tribuit Ibæ, Edesseno Episcopo: qui tamen contestatus calumniam, respondit. [Decies millies ego secari patiar, quàm dicere hoc verbum. Absit à me, hoc verbum vel cogitare.] Verisimile igitur est, hæresiarcham illum cui eam teterrimã blasphemiam tribuit S.Gregorius, fuisse ipsummet Nestorium, quem hæresiarchæ titulo notat idem S. Gregorius lib.4. regist. ind.ct.13. epistol.32.

Maiores

Maiores Nestorij.

103. Non eo consilio Nestorium hæresiarcham nominо, quasi primus ipse docuerit esse in Christo duas personas, & Christum esse purum hominem reipsa, nec nisi impropriè dictum Deum. Quod ab aliquibus supponi valdè miratur Castro V. *Christus*, hæresi. 3. & probat, qui ante Nestorium, fuisse qui errorem illum docuisse refert & refellit S. Ambrosius l. de Incarn. Dom. Sacram. c. 6. Eundem exagitat in nonnullis S. Hilarius l. 12 de Trinit. *sub finem*. Sed & inter anathematizmos Gregorij Neocæsariensis, quintus in idem peruersum dogma, tanquam tunc vigens, intorquetur. Attici Constantinopolitani libium de fide ad Reginas, quo Nestorij dogma ante exortum Nestorium impugnabatur, memoriæ Marcellinus in Chronico. Imo Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ, non modò sæpè confirmat errorem Nestorij fuisse Nestorio anteriorem, vt videre est c. 4. in fine, & cap. 7. *sub medium*, sed etiam cap. 20. *sub finem*, mentionem impingit Severo, eo quod affirmasset primum Nestorium sic errasse. Monstrat autem Anastasius, ducentis ante Nestorium annis vigu sse errorem illum, primò ab Artemone fabricatum. Dimisit Ebionem, qui Ecclesiæ initio, vomuerat Christum esse purum hominem, quia non duos Christos vt Nestorius, sed vnum eúmque planè purum hominem inuexerat Ebion, vt notauit Cassianus lib. 1. de Incar. c. 2. Et idem est de Euphrata, Episcopo Colonienſi, damnato in Concilio Aggripiensi sub Iulio. 1. Qui autem in sensu Nestorij, & duas in Christo personas fingendo, errorem eius tradiderint, recensec in hunc modum Anastasius. [Primus Christum in duos diuisit Artemõ, qui Synodum Nicænam ducentis annis antecessit. Post quem Origenes etiam, Christum tantummodò hominem esse docuit. Quem secutus Paulus Samosatenſis octoginta annis ante Synodum Nicænam. Artemonis hæresim resuscitauit. Post Paulum & Synodum Nicænam, Theodorus Antiochenus, Nestorij Magister, & Diodorus, Christum duos esse tradiderunt. His succesſit impius Nestorius.] Móxque ex Concilio Ephesino démonstrat, verè Nestorium, eadem cum Paulo Samosateno ante annos 160. damnato, sensisse id quod etiam haberur ex epistola Dionysij Alexandrini ad Paulum Samosatenum, & ex libro gestorum de nomine Acacij, recens quidem vulgato, sed vt eius initium habet, conscripto quinquaginta & octo annis post Nestorium. Programma parallelorum Pauli Samosateni atque Nestorij, quod publicè Constantinopoli affixum fuisse, referunt illud exhibentes Anastasius ibid. & Leontius lib. 3. contra Nestor. & Eutych. *sub medium*, composuit Eusebius tunc iudex, postea Episcopus Dorylæi, primus Nestorij ac postea etiam Eutychetis, acculator.

104. Obseruat autem perappositè Anastasius cap. illo 4. *sub finem*, tum demum à Satana inuectum Nestorij errorem, cum sagittas in Verbi & Spiritus sancti diuinitatem frustra intortas vidit. Ait ergo, Satanam post Arianam orchestram, adornasse Charybdin separationis, per Theodorum Antiochenum, postea Mopsuestiæ Episcopum, ac Diodorum Præsulem Tharsensem, quos vocat diuisionis principes non quod primi, Christum in duas personas soluissent, sed quod primi post cæstrum Arrianum, Ecclesiam ex eo capite vexassent. [Ex ijs velut radicem quandam hellebori, Chaldæum potcum, Assyrium Nestorium] prodiisse docet. De Diodoro Nestorij in hoc errore Magistro, testis est S. Cyrillus initio epistolæ 1. ad Succesſum. Quanquam fortiter pro Diodoro purgando pugnat Facundus Hermian. l. 4. pro tribus capitu. c. 2. grauissimos quosque Patres pro eo proferens. Idem Facundus, pro Theodoro Mopsuesteno, multò etiam actiùs & fortiùs agit vniuerso propè illo opere. Sed Theodorum valdè premunt vel etiam opprimunt multa quæ ex ipsomet Theodoro collegit Leontius l. 3. contra Nestor. & Eutych. Optimus est locus quē ex eius epistola ad Domnum recitat Anastasius Presbyter in Ecloge. [Naturatum (inquit) quæ iuxta εὐδοκίαν fit adunatio, vnam vtriusque communi nomine appellationem præstat, voluntatem, operationem, auctoritatem, potentiam, Dominatum, dignitatem, Imperium nullomodo diuisum, cum vna vtriusque secundùm illam sit dicatúrq; persona.] Et post alia [Et quid multis opus est? vnitionis secundùm substantiam ratio, in solis consubstantialibus vera est; in ijs quæ alterius sunt substantiæ, falsa: cum sine confusione esse nequeat. Vnitionis verò iuxta εὐδοκίαν modus, inconfusas seruans naturas & indiuisas, vnam vtriú que personam ostendit, vnamque voluntatem, & operationem vnam, cum vna quæ ista consequitur auctoritate ac Dominatu, [Et post alia tursum.] Iuxta modum enim εὐδοκίας, Deo verbo coniunctum, vt diximus ab ipso vtero quod ex Virgine natum est templum, mansit indiuisum, eandémque operationem, quibus nihil esse potest coniunctius.]

Vides, manifestissimè tradi à Theodoro Nestorij errorem, nèc iniuriâ fontem erroris Nestorij censeri. Astipulatur Photius Cod. 38. & 81. & 177 quibus locis, Magistrum erroris Nestorio factum Theodorum, profitetur. Indiligenter itaque quidam recentior 5. p. q. 2. n. 15. dixit Theodorum hausisse à Nestorio suum errorem, allegans in eam rem Constantinopolitanam Synodum secundam, actio. 8. c. 4. Sed vbi diserè traditur quod affirmauimus: nempe Nestorium, Theodoro erroris Magistro vsum. Damascenus item, quem idem autor in eandem sententiam allegat, nihil tale habet quale ei tribuitur ad hoc autore.

Quis aliquando inter eos Leporius: deque Nestorianorum cum Pelagianis affinitate.

105. His Nestorij antecursoribus, adiungendus est Leporius, & autor incertus hæreseos quam Leporius professus est. Scribit enim Cassianus lib. 1. de Incarn. c. 2. & 3. Paulo ante quàm fuerit Nestorius, exortam esse incerto parente hæresim ex Pelagianistis descendentem, à Leporio nunc monacho Pelagiano, in Gallia, inter primos aut inter præcipuos traditam. Id quod etiam scribit Facundus lib. 1. pro tribus capitu. c. 4. Pitsæus, Leporium Anglum facit. Episcopum, & quidem in Hispania statuit Flau. Dexter, fusè reiectus à Pennoto l. 1. histor. Cano. regul. c. 55. Non nisi Presbyterum, retractasse in Africa errorem, constat ex eius palinodia recens edita cum D. Augustini adscriptione. Leporij hæresim, Cassianus vocat Nestotianæ germanam & consanguineam: libro autem 5. c. 1. ait eam hæresim fuisse [Pelagianæ hæreseos discipulam atque imitatricem] quippe quæ statueret, Christum natum esse solitarium hominem, hócque quod ad Dei postea honorem potestatémque peruenit, humani fuisse meriti, ita vt homo ille purus, postea in laboris & passionis præmium acceperit diuinitatem qua ante caruerat. Et quia Christus cum solitarius homo esset, absque peccato vixerat, inserebat ea hæresis, omnes quoque homines, si velint, absque peccato esse posse: nec dicendos esse à Christo redemptos, quippe qui excluso alieno auxilio, saluari solo suo nisu possunt, nec nisi doctrinam & adiumentum bonorum exemplorum à Christo acceperint. Huius Pelagianæ propaginis, suspectum Nestorium facit Cassianus lib. 1. c. illo 3. ducto argumento ex Nestorij scriptis pro consanguinea sibi improbitate Pelagianorum, qui à Cœlestino Romano Pontifice exagitati, ad illum confugerant, vt liquet

ex Nestorij ad Cœlestinum epistolâ pro Pelagianis, quæ supereſt apud Baronium anno 430. Vicissimque Cœlestinus, vt memorat Photius Cod. 53. Pelagianos castigauit, scribens ad Nestorium. Eadem iterat Cassianus ibid. l. 5. c. 1. & 2. & lib. 6. c. 14. vbi Nestorij & Pelagianorum aliquale discrimen profert. Fateor difficile esse, ostendere quid Pelagiani primi, ipséque Pelagius, cum errore Nestorij commune habuerint. Nam D. Augustinus lib. de gestis Pelagij c. 11. & 14. & 35. proferens errores Pelagij, numquam illi impingit Nestorianismum. Imo l. de prædest. SS. c. 15. & lib. de bono perseuer. c. 24. & alijs locis notatis à Magistro in 3. d. 6. *in 1. sententia*, vt Semipelagianos circa salutis initium ex humano merito iugulet, assumit sine probatione, tanquam apud ipsos quoque Pelagianos exploratum, exemplum prædestinationis Christi in Deum hominem, quæ Christo absque vllis planè meritis obtigit. Ex altera tamen parte, durum est Cassiano homini & doctissimo & sanctissimo, res suorum temporum scribenti, mentitionem impingere, & quam ille prædicat Pelagianæ & Nestorianæ hæreseos germanitatem diffiteri.

Quare non incommodè fortassis liceat dicere, non id ipsum quidé sensisse Pelagianos de duplici in Christo persona, quod postea senserunt Nestoriani: idcirco tamen dictos Nestorianos vestigia Pelagianorum relegere, quod Nestoriani, de Christo Deitatem assequente per gratiam, philosopharentur eodé modo quo Pelagiani ante senserant de omnibus hominibus adoptionem filiorum Dei consequentibus. Ita colligitur ex epitaphio Pelagianæ & Nestorianæ hæreseos, quod legitur apud Prosperum ante librum aduersus ingratos, & optimè ex Photio Cod. 54. cuius verba quia ad hãc caliginem dispellendam sunt perapposita, iuuat adscribere. [Lectus est liber contra Pelagianam & Cœlestianam hæresim, cuius hæc inscriptio, EXEMPLAR ACTORVM ab Occidentis Episcopis aduersus Nestoriana dogmata. Hic refert eandem esse Nestorianam & Cælestianam hæresim: testémque laudat Cyrillum Alexandrinum Episcopum, ad Theodosium Imp. Nestorianam & Cælestianam hæreses conspirare scribentem. Planum id est, inquit, Cælestiani enim de corpore, seu membris CHRISTI, hoc est de Ecclesiâ petulanter ista iactant: Non Deum ipsum, id est Spiritum sanctum, fidem ipsis, omniáque ad vitam, pietatem, & salutem necessaria, priuatim diuidere vnicuique, provt velit, sed constitutam hominis naturam, (quæ per transgressionem, & peccatum beatitudine excidit, atque à Deo separata, morti tradita est,) pro merito voluntatis vnuscuiúsq; Spiritum sanctum & appellare, & repellere. Nestoriani verò de ipso etiam corporis capite CHRISTO, eandem sentire & affirmare audent. Asserunt enim, quandoquidem nostræ CRISTVS naturæ sit particeps factus, & Deus omnes homines similiter saluos fieri velit, vnumquemlibet, etiam per arbitrij sui libertatem, proprium peccatum corrigere, & Deo dignum se facere. Quamobrem qui ex MARIA sit editus, non esse Verbum, sed ex ea genitum, ob naturalis voluntatis dignitatem, habere verbum concomitans: cum sola ista nobilitate, & eadem appellatione communicet cum ratione filiationis.]

Sectatores Nestorij, & num inter eos Theodoretus.

106. Habemus non paucos Nestorij anteambulones, tametsi ei peculiariter tributus est error duplicis in Christo personæ, & abrogati B. Mariæ, tituli Deiparæ, quia pro dignitate qua eminebat, errorem illum maximè promouit atque diffudit. Quanquam Sectatorum eius nonnullos, in speciem aliquando execratos duplicem Christi personam, & quæstui vel gloriæ intentos, Iesum sæpè per simulationem nominasse Deũ & Mariam, Deiparam, scribit Anastasius cap. 4. ὁδηγὸς *in fine*. Sitne his Nestorij sectatoribus annumerandus Theodoretus, dubitari potest. Eius scripta contra S. Cyrillum, anathemate percelluntur in S. Synodo c. 12. traditque disertè Pelagius 2. epistolâ contra tria capitula c. 20. reprehensionem anathematismorum S. Cyrilli à Theodoreto editam, ac etiamnum supersitem, esse perspicuè Nestorianam. Nihilominus Leontius lib. de Sectis actio. 4. ait, omnia illa à Theodoreto facta esse in gratiam Ioannis Antiocheni à Cyrillo dissidentis. Negat item Leontius, vnquam constitisse de Theodoreti Nestorianismo; epistolas autem eius ad Nestorium, affirmat esse confictas. Quicquid verò sit, an Theodoretus aliquando fuerit reipsa Nestorianus, constat eum postea Catholicæ Ecclesiæ tredditum in Concilio Chalcedonensi actio. 8. Vnde lib. 4. hæret. fabul. *in fine*. Nestorium annumerauit hæreticis. Et ita Pelagius Papa, approbante S. Gregorio. Satis de anteceſſoribus & fautoribus Nestorij, dimissis recentioribus, vt Beza: quod euincit Genebrardus ad Symbol. Athan. n. 28. ac Luthero, Caluino, Brentio, Seruetо, de quibus Nestorij partiarijs, Canis. l. 3. Marial. c. 18. Bellarm. l. 3. de Christo. c. 5. & Valentia 3. p. d. 1. q. 2. p. 2.

Hostes Nestorij.

107. Impugnatores Nestorius habuit quamplurimos. Primus omnium insiluit in eum, homo laicus, quod iuuat ex S. Cyrillo discere lib. 1. pétab. c. 5. [Cùm Nestorius, (inquit,) in media Ecclesia profanis vtcretur vocum nouitatibus, vir quidam sanè probus, qui adhuc inter laicos erat, sed tamen admirabilem sibi collegerat eruditionem, ferueuti & religioso zelo permotus, & contentioti voce inclamitans, ipsum inquit ante sæcula Verbum, etiam secundam subijsse generationem, id est illam secundùm carnem & ex muliere: tumultuantibus ad ista populis, & maiori ac saniori parte maximis illum laudibus attollente, vt pium & sapientem, inprimis & rectorum dogmatum haud expertem, alijs nihilominus aduersus illum efferatis, ipse se interponit, móxque illos approbat, quos sua docendo perdiderat, ceterùm in eum linguam exacuit, qui ipsius dogmata non sustinuerat, & in sanctos Patres qui piam fidei deffinitionem constituerant.] Laicum illum, fuisse Eusebium, postea Episcopum Dotylæi, iam supra dixi ex Leontio. Aduersati deinde Nestorio sunt, pij & docti quique æui illius. Omnium verò latissimè & fortissimè S. Cyrillus, varijs lucubrationibus quæ spissum volumen implent. Nec paucæ etiam insertæ habentur Concilio Ephesino editionis Peltani. S. item Leo varijs epistolis ac sermonibus Nestorium contriuit, vt meritò ei hoc elogium pangat Photius Cod. 225. [Quis alius acutiùs telum in Nestoriũ impium torsit, quàm voce robusta Leo?] Eiusdem S. Leonis hortatu, Cassianus, egregium opus de Incarnatione conscripsit aduersus Nestorium. Eum quippe esse quem illo opere impugnat Cassianus, constat ex l. 7. c. 30. & 31. vbi Constantinopolitanos per vnitatem fidei fratres, & [per affectum patriæ, ciues suos:] (audiant qui vno nixi Gennadio, Cassianum faciunt Scytham, cum ipsemet patriam sibi Constantinopolim agnoscat, quo etiam spectans Photius Cod. 197. Cassianum vocat Romanum, id est nouæ Romæ ciuem:) Constantinopolitanos inquam ciues suos, hortatur vt à lupo rapaci quem toto opere exagitarat, quique ab anterioribus Præsulibus, Gregorio Nazianzeno, Nectario, Ioanne Chrysostomo turpiter desciuerat, auerterentur: quæ apertè cadunt in Nestorium, tantorum Antistitum successorem. Quod autem lib. 6. c. 6. Episcopum illum quem toto opere confutat, ait in Ecclesia

sit Antiochens editum ac institutum esse, non rectè ab Henrico Cuychio detortum est, ad affirmandum exagitati eo opere à Cassiano Episcopum aliquem Antiochenum. Nestorium enim ad Sedem Constantinopolitanam Antiochia euocatum, prodit Socrates l. 7. c. 29. Scripsit præterea contra Nestorij errorem Prudentius in Apotheosi. carm. 4. Multos alios strenuos eius impugnatores recensent Canisius l. 3. de Deipa. à c. 18. Bellarm. l. de Christo c. 6. Coccius t. 1 lib. 2. artic. 1. & Valentia t. 4. d. 1. q. 2. p. 2.

Conuulsio primarij erroris, Nestorij.

108. Argumenta aduersus Nestorium vrgere, nihil aliud esse videtur, quàm tempus prodigere. Nam prima elementa Christianæ fidei, ferunt Iesum esse Filium Dei, & Verbum esse factum carnem, quæ per se liquet non posse cohærere cum illa per Nestorium inuecta *incommixta coniunctione*, vt scitè dixit S. Cyrillus l. de Incarn. vnig. c. 18. De Filio item hominis scriptum legimus, eum adhuc viatorem in cœlo fuisse, & esse de cœlo, indeque descendisse; Vnde sic argumentatur Capreolus Carthag. epistolâ ad Hispanos contra Nestorium. [Rogo dicant, quomodo est homo iste de cœlo, si non est Deus conceptus in vtero? aut quæ discretio est carnis & sanguinis in homine Adam, & in homine Christo, si non homo iste plenus est Deo? Quid enim sibi vult *secundus homo de cœlo?* Nunquid caro transmissa detexit, ac non sicut scriptum est, Spiritus sanctus in Virginem superuenit? Sed quia Verbum caro factum est. Ideò cœlestis homo appellatus est. Nec propterea carnem veram non habuit, quia de cœlo descendit, quia carnem Deus accepit. Meritò de seipso idem Dominus dixit. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis qui est in cœlo.* Certe adhuc loquebatur in terra, nec ad Patrem post victoriam passionis, & gloriam resurrectionis ascenderat: & tamen Filium hominis iam in cœlo esse dicebat. Hoc vtique omni veritate testificans, quia & propter hominem Deus conuersabatur in terra, & propter Deum homo habitabat in cœlo.]

Legimus præterea, Dominum gloriæ ac Deum fuisse crucifixum: quæ nullomodo cohærere posse cum duplici Christi persona per Nestorium inuecta, rectè vrgent S. Gregorius præscribens formam eiurandi Nestorianismi l. 9. regist. indict. 4. epist. 61. Fulgent. l. de Incarn. c. 11. & Concilium Francofurd. epistolâ ad Episcopos Hispaniæ. Nemo insuper non videt, solui Iesum à Nestorio, quod. 1. Ioan. 3. damnatur Antichristianismi, adeoque is locus pupugit Nestorianos, teste Socrate l. 7. c. 32. illum è suis exemplatibus eraserint. Denique argumentum quod Abucara opusc. 4. petit ex c. 16. Matth. videtur potentissimum. [Qui dicit, Christum, (inquit,) esse duas Hypostases, Petrum Christo respondente facit respondere ἀκύρως, id est, extra propositum de quo Christus non est percunctatus. Ille enim percunctatus est de Filio hominis; Petrus autem ipsum, per quē facta erat percunctatio, respondit esse Filium Dei. Si igitur Hypostasis, quæ est Filius hominis, alia fuit præter Hypostasim quæ est Filius Dei, aberatne ab intelligentia mens Petri, & respondit de quo nō fuit interrogatus, vt potiùs diximus. Si sic autē esset, (propitius sit mihi Deus,) numquam Dominus Sermonem eius laudasset; neque beatum eum prædicasset propter responsionem, quam ad reuelationem à Patre profectam retulit. Igitur confessionis fidei in Christum verum dogma est, quod etsi initio diuinæ sanctorum Patrum Synodi Chalcedonensis rectè tractat, decernens Christum esse vnam Hypostasim Sanctæ Trinitatis duas naturas habentem, diuinam & humanam.]

Est igitur Christus, frendente quantumlibet Nestorio, Deus; nec nuncupatiuè tantùm, sed etiam verè ac propriè, quod benè probat S. Gregorius homil. 8. in Ezech. Cum enim distinxisset duplicem acceptionem nominis *Deus*, nempe impropriam quam *nuncupatiuam* nominat, & *propriam* siue *essentialem*, subdit, [Paulus Apostolus, volens nuncupatiuum Dei nomen ab essentiali discernere, de redemptore nostro locutus est, dicens: *Quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Qui enim nuncupatiuè dicitur, Deus inter omnia, qui verò essentialiter, Deus super omnia est. Vt ergo ostenderet Christum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodò, sed Deum super omnia esse memorauit: quia & electus quisque, sicut præmissimus, vel in templo Iustitiæ prærogando positus, dici potest Deus, sed inter omnia, quoniam nuncupatiuè Deus. Christus autē Deus est super omnia, quia naturaliter Deus.

Eiusdem alter error, disiectus.

109. Quod si Christus, est verè ac propriè homo Deus, meritò mater huius hominis dicenda est Deipara, contra alterum Nestorij errorem. Huius nomenclaturæ fundamentum, optimè expressit Vincentius Lyrin. c. 21. commonit. [Per hanc (inquit) personæ vnitatem illud quoque sim lis mysterij ratione perfectum est, vt carne verbi ex integra matre nascente, ipse Deus Verbum natus ex Virgine Catholicissimè credatur, impijssimè denegetur. Quæ cum ita sint, absit vt quisquam, sanctam Mariam diuinæ gratiæ priuilegijs vt speciali gloria fraudare conetur: est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, Filij autem sui munere, verissimè ac beatissimè theotócos confitenda.] Sed hac de re infra plenius, tractando externas Christi causas. Meticulosos quosdam Catholicos Verbi diuini mutationi timentes, negasse B. Mariam esse matrem Dei, quamuis cæteroqui à Nestorio abhorrerent, & cum Catholica Ecclesia quoad ea quæ tradit de Incarnationis mysterio consentirent, refert & latè reijcit Facundus l. 1. pro tribus capitu. toto c. 4.

Ad fundamenta prioris erroris.

110. Quæ pro se adducebat Nestorius, fusè referuntur à Cassiano, toto propè lib. 7. de Incarn. Nullo autem negotio euerti queunt, si distinguantur in Christo duæ naturæ, quarū quælibet sua propria habeat prædicata, alteri nequaquā tribuenda, vt rectè fiat diuisio: in quo peccant Caini sectatores vt S. Ambrosius annotauit. Cum ea tamen multiplicium prædicatorum cuique Christi naturæ respondentium diuersitate, rectè cohæret attributio omnium illorum prædicatorum facta eidem, ob vnitatem personalitatis duas illas naturas terminantis. Vnde fit vt idem dicatur vereque sit Deus & homo, nec non æternus & temporalis: non quod sint in eo plures personæ, sed quod sint plures naturæ eadem personalitate terminatæ. Eo vno responso tutè perspecto, omnes Nestorij machinæ euertentur nullo negotio. Tantùm specialiter respondendum videtur, ad nonnullas Scripturas quas ad suum errorem peruersè detorquebat: Eas nimirum quibus humanitas dicitur vestis, aut templum, vel habitaculum Verbi. Hæc enim omnia Nestorius ad personarum dualitatem trahebat; quasi Verbum sit suppositum distinctum à supposito hominis, sicut indumentum & habitaculum supposita sunt à vestito & inhabitante distincta. Sed de locis illis quibus humanitas vestimentum Verbi dicitur, infra plenè disseretur l. 2. sect. 5. c. 3. Nunc obiter dico cum D. Augustino q. 73. ex 83. comparationem humanitatis cum veste, non esse in eo sitam, quod sicut vestis extrinsecùs adiacet, & tantùm accidentariò ac tanquam diuersum suppositum coniungi-

tur

tur vestito, sic humanitas non nisi accidentariò ac per affectum & salua sua personalitate creata vniatur Verbo, quæ fuit Nestorij interpretatio. Non est inquam in hoc sita vestis & humanitatis analogia, sed in eo quod quemadmodum per vestes homo apparet, eique vestes coaptantur, ita & Verbum per humanitatem quam sibi coaptauit, factum est visibile.

111. Similiter humanitatem Christi dici templum diuinitatis, in confesso est, ipseque Euangelista de templo corporis sui dixisse Christum *soluite templum hoc*, expresse docuit. Nec verò placet, quod Dionysius Alexandrinus epistò. ad Paulum Samosatenum, corpus Christi cuius est eo loco mentio, interpretatur Apostolos quos per passionem solutos, rediuiuus excitauit, vt confirmat ex Zacharia. Hoc inquam non placet, quia apertè detortum ac violentum est, omnibusque alijs Patribus repugnans; soli Gaianitæ hæretici eam interpretationem admiserunt, vt videre est apud Anastasium c. 10. ὁδηγῷ. Verè igitur actum de reali Christi eo corpore eo loco, alijsque. Vnde ea comparatio frequens est apud Patres. Pulchrè S. Athanas. dialo. 5. de Trinit. n. 22. [Audi Dominum dicentem, *Destruite templum istud, & inter triduum, illud excitabo.* Etiàsi verò nonnulli homines sunt templa, non tamen ita sunt templa, tanquam etiam Christi: nec quisquam eorum est Christus, coniunctus cum Deo Sermone (nolo enim discedere à tuo vocabulo, vt te ex tuo ipsius ore in sententiam meam adducam:) Hoc autem templum coniunctum cum Deo Sermone, Christus videlicet, natum est ex Virgine, eo modo qui Deum decebat.]

S. Ambrosius in Psal 47. ad illud, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi*, ea verba putat referri posse, & ad Deum Verbum, & ad Patrem: censetque humanitatem Christi, templum dici posse ratione vtriusque. Sic enim scribit. [Si ad Filium Dei dicitur, templum, ita intelligimus secundùm quod ipse de corpore suo dixit: *Soluite tẽplũ hoc, & in triduo resuscitabo illud.* Verè tẽplũ Dei, corpus & Christi, in quo est nostrorũ purificatio peccatorum. Verè templũ Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse cõtagiũ, sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificiũ. Verè templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat: quoniam ipse Christus est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Quod quid est, nisi quod ait: *Medius vestrũ stat, quem vos nescitis?* Hoc est in medio vestri est, & non videtur. Si autem ad Patrem refertur, quid est, *in medio templi tui*, nisi quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi? in illo ergo templo, suscepimus, inquit, misericordiam tuam. Hoc est, verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis. Sicut enim redemptio Christus, ita & misericordia. Quæ autem maior misericordia, quàm quod pro nobis flagitijs, se præbuit immolandum, vt sanguine suo mundum lauaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri? Etenim si de sanctis viris Apostolus dixit; *Templum Dei vos estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis*; quanto magis carnem Domini Iesu, templum Dei dixerim, qui semper plenus Spiritu sancto legitur, & ipse testificatur, dicens: *Sentio de me virtutem exisse*, quæ virtus omnium vulnera acerba sanabat.]

S. Augustinus epist. 57. *ad finem*, humanitatem Christi, templo collatam agnocit, & quomodò Coloss. 2. dicatur in eo templo habitasse diuinitatem *corporaliter*, egregiè his verbis aperit. [De ipso verò capite nostro, Apostolus ait: *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Nõ ideò *corporaliter*, quia corporeus est Deus: sed aut verbo translato vsus est, tanquam in templo manu facto non corporaliter sed vmbraliter habitauerit, id est, præfigurantibus signis. Nam illas omnes obseruationes, vmbras futurorum vocat, etiam ipso translato vocabulo. Summus enim Deus, sicut scriptũ est, *nõ in manufactis templis habitat.* Aut certè *corporaliter* dictum est, quia & in Christi corpore quod assumpsit in Virgine, tanquam in templo habitat Deus. Hinc est enim quod Iudæis signum potentibus, cum dixisset: *Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud*, Euangelista quid hoc esset consequenter exponens, ait: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.*]

Denique Petrus Damiani serm. de exaltat. S. Crucis collationem humanitatis Christi, cum templo Hierosolymitano, fusè & pulchrè persequitur.

112. Absit tamen, vt ex eo quod humanitas Christi dicta est *templum Deitatis*, inferri sinamus duplicem Dei & hominis in Christo personam. Sicut neque ex eo quod Christi humanitas dicta sit *Domus Verbi*, inferri potest eam habuisse suũ connaturale suppositum. Vnde S. Gregorius 33. Moral. c. 21. tractans illud, *sapientia ædificauit sibi domum*, accommodans eam domum humanitati Christi, benè admonet, eundem esse qui inhabitat, & qui inhabitatur. Idem dicendum est de vocibus *tabernaculi* seu *tentorij* quas item Patres humanitati Christi adaptant. Pulchrè S. Ambros. in Psal. 45. ad illud, *Deus in medio eius.* [His (inquit) fluminis superni mentibus ciuitas illa, in qua Deus inhabitat, irrigatur & sanctificatur altissimi tabernaculum, omnis anima quæ inhabitatur à Christo, vel corpus illud quod Virgo generauit, de quo Gabriel Angelus dixit: *Et quod nascetur ex te sãctũ, vocabitur filius Dei.* Bonum tabernaculum, quod nulla potuerunt obumbrare peccata, Admirabile templum Dei, & aula cœlestis, quod solutum corrumpi non potuit, sed intra triduum resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus videbatur. Nec mirum, quando Deus in medio ciuitatis eius erat, nec commotus est: siue quia nullius peccati prolapsione commotus est Dei filius, nec alicuius erroris offensione titubauit, aut corporalis illecebræ nutauit impulsu: siue quia non reliquit animam eius Dei gratia: sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluuione delicti immaculata durauerit. En Dei tabernaculum iuxta S. Ambrosium. Theodoretus quoque Dialo. 2. describens S. Chrysostomũ ad illud Ioan. 1. *& habitauit in nobis*, obseruat Græcam vocẽ esse, ἐσκήνωσεν id est *fixit tentorium*, seu *fixit sicut in tabernaculo.*

In humanitate igitur, siue tanquam templo, siue tanquam domo aut tabernaculo, habitauit Verbum, absque tamen personæ duplicitate, quam perperam ex verbo *habitandi*, colligebat Malchione referente Paulus Samosatenus, vt scribit Petrus Diaco. l. de Incarn. c. 3. Quomodò autem in hac sua domo, aut templo, vel tabernaculo, habitarit Verbum *corporaliter*, vt dicitur Coloss. 2 non vna omnium expositio est. Rupertus lib. 6. de process. Spir. sancti c. 3. id retulit ad plenam & totalem donorum Spiritus sancti collationem Christo factam, specie columbæ significatam, quæ tota & integra Christo insedit. Minus violenter Agobardus serm. de Trinit. inhabitantem corporaliter in Christo plenitudinem diuinitatis, exponit de habitatione ei contradistincta qua diuinitas in nobis Spiritualiter inhabitat, ita vt *corporaliter*, eo loco idem sit, quod *substantialiter & reipsa.* Sicut apud Tertullianum, *corpus* idem est quod vera substantia, vnde & corpus Deo tribuit, id est veram solidamque substantiam. Cui interpretationi suffragatus videtur Isido. Peluf. l. 4. epist. 166. existimans, habitare corporaliter, idem esse quod habitare substantialiter & non accidentariò. Pulchrè D. Augustinus supra adductus ex epist. 57. & lib. 12. de Genesi ad liter. c 7. *corporaliter* idem esse censet, atque non iam per vmbras, sed re ipsa & per vmbratũ antegressarum veritatem. Nobis perinde est, quæcunque ex his interpretationibus appro

approbetur, sicut etiam parum nostra refert, an plenitudo diuinitatis quam in Christo inhabitasse ait eo loco Apostolus, accipienda sit de inexistentia omnium attributorum absolutorum collata Christi humanitati per Verbũ, vt eum locum accipit Anastas. Sinaita c. 17. ὁδηγοῦ *sub finem*; an verò referenda sit ad vnionem cum corpore, non Verbi tantùm, sed & mediatè totius diuinitatis, vt interpretatus est Dionysius Alexandr. epistola contra Paulum Samosatenum, ad interrogationem eius. 7. & S. Leo serm. 15. de pass. *in fine*.

113. Insignem totius huius loci discussionẽ à S. Cyrillo adhibitam l. 1. pentab. c. 8. iuuat apponere, quod & locum ipsum optimè illustret, & rubiginem ex verbo *inhabitandi*, à Samosateno & alijs Nestorij quâ antecessoribus, quâ assectis inuectam, potenter detergat. [At enim (inquit Nestorius,) scriptum est de Deo Verbo *habitauit in nobis*. Dixit etiam beatus Paulus de omnium Saluatore Christo: *In eo habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Fateor illum habitasse in nobis, (sic namque se ipsum est:) nec non in illo habitasse, tibi dicente nõ repugnabo: sed velim potiùs has Theologorum voces examinare. Nam beatus Euangelista, cum pius dixisset, *Verbum caro factum est*; subiunxit oportunè, *habitauit in nobis*; Vt per vtrumque integram Christi mysterij cognitionem nobis traderet. Nam vnitum esse carni secundùm Hypostasim illud ex Deo Patre Verbum, indicauit apertè cum dixit, ipsum esse carnem factum. Iam verò carnem esse factum, non in carnis transisse naturam, neque mutationem in id quod non erat subijsse, sed cum eo quod secundùm nos factum est, mansisse quod erat, id rursus perspicuum facit, illa verba, *habitauit in nobis* priotibus illis adijciens. Habitasse autem dicit beatus Paulus in Christo omnem plenitudinem diuinitatas corporaliter, ne quispiam simplicem vel habitudinariam habitationem suspicetur, sed veram, vt modo dixi, & secundùm Hypostasim. Neque enim vir ille spiritu Dei plenus, ignorabat incorporeum esse Dei Verbum & impalpabile. Verùm quia necesse erat vt mysterij explicatio nulla tatione manca videretur, sed adeo accuratè ac distinctè ad rectam regulam veritatemque traderetur, vt omne miraculum superaret, vim infert consequentiæ rerum, & propè dixerim, quod incorpoream illam summamque naturam decet, contemnit adiecit enim Verbum, *Corporaliter*, cum aliter dicere non haberet, quàm nostra intelligentia, & lingua consequi posset. Ne igitur cum iste simplicem nobis inhabitationem commemorat, putes aliquid eum dicere quod non admodùm sit damnandum.]

Ad firmamenta erroris posterioris.

Quæ pro altero suo errore, consequenter ad hunc primum hactenus contritum proferebat Nestorius, alia non occurunt specialia & propria, quàm quod eum diximus iocatum, qui B. Mariam agnoscerent Dei matrem affines esse Gentilium, quibus Cybele erat mater Deorum. Ei dubitationi, à Theologo quodam propositæ, nõ aliter respondet Isido. Pelusiota l. 1. epist. 54. quàm attingendo propudia turpitudinum Cybeles, eaque cum nitore plenissimo sanctissimæ Deiparæ componendo. Adiendum verò est, multitudinem numinum, vt scitè dixit S. Athanasius, esse nullitatem numinum. Quare quæ mater Deorum appellata est, eo ipso non est Deipara. At B. Maria rectè Deipara appellatur, quia eum genuit in humanitate, qui vere erat Deus benedictus in secula. Itaque longissimè abest à Cybele Gentilium. Ex quibus omnibus concluditur, enodationem ænigmatis diuinitùs propositi à Nestorio traditam, prorsus falsam & abominandam esse.

CAPVT V.

Expeditio quinta ænigmatis ab Eutychete, Verbum carnem factum per vtriusque mixturam & confusionem, asserente.

114. ÆNigmatis diuinitus propositi enodatio ad quam aggredimur, aliorum fuit, quos liber gestorum de nomine Acacij affirmat deteriora effutiuisse quàm Nestorianos. [Nam fidentissimè dicunt rem ineptam, rem etiam stolidis execrandam; ante vnitionem, id est ante Incarnationem, duas dici debere naturas, post verò vnam Dei Verbi tantùm incarnatam. Vt si dicamus aliquid ceratum, aut picatum, aut stagnatum, aut quolibet alio genere coloratum.]

Quis Eutyches, & eius error.

Verùm hic error diuersimodè traditus reperitur. Appollinaris enim ita factum censuit inuecta conuersione Verbi in carnem: id quod etiam dixit aliquando Eutyches; quanquam frequentiùs & vltimo, id pronunciauit inuecta conuersione carnis in Verbum. Fuit etiam cum diceret, id factum per mixturam carnis & Verbi, & confusionem vtriusque in tertiam naturam. Notarunt hanc in Eutychete inconstantiam varij Patres. Ardens enim odio in Nestorij errorem, quo ex capite laudatur à S. Leone epist. 6. & in Synodo sub Flauiano actio. 4. vt vnicam in Christo retineret personam, nunc inuexit conuersionem Verbi in carnem, vt testatur S. Leo epist. 97. c. 1. & prolatis ipsismet Eutychetis verbis Theodoretus l. 4. hæret. Fabula. *in fine*: Nunc asseruit conuersionem carnis in Verbum, vt sæpè memorat S. Leo, & Gelasius initio libri de duabus naturis, ac Petrus Damiani Opusc. 1. c. 5. nec non Vigilius in opere contra Eutychem, nominatim in calce libri primi; denique passim Concilium Chalcedonense, vt propterea verius videatur, hic tandem conquieuisse Eutychetem. Fulgentius tamen l. de Trinit. c. 5. sub disiunctione tribuit Eutycheti quod Incarnationem exposuerit, vel per conuersionem carnis in Verbum, vt iam diximus; vel per vtriusque naturæ aduationi præexistentis transitum in tertiam naturam: quod secundum, diserte de eo habet S. Leo serm. 8. de Natiu. Dom. c. 5. Existimo quoque in Eutychetem cadere, quæ in hunc sensum referuntur apud D. Augustinum sem. 191. de tempo. Verbis illis. [Illorum execramur similiter blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore acceptæ carnis omnia quæ erant diuinitatis, in hominem demigrasse; & rursum quæ humanitatis erant, in Deum esse transfusa, vt quod nulla vnquam hæresis ausa est dicere, vincatur hac confusione vtriamque exinanitam esse substantiam, & Deitatis scilicet & humanitatis: & amisso proprio statu in aliud esse mutata: vt qui tam Deum perfectum in Filio, quàm hominem profitemur, nec Deum verè nec hominem temerè credamus.] Hæc cur existimem in Eutychetem vibrari, facit quod nouum errorem abs se exagitari profiteatur autor: quem non esse D. Augustinum, styli diuersitas monstrat. Vnde eliditur quod de D. Augustini morte, decennio ante exortam Eutychetis hæresim, obijci poterat. Hic est Eutyches Archimandrita, si tamen *Eutyches* reuera dicendus, & non potius *infelix nimis*, vt eam vocem correxit Quintianus Asculanus, epistola ad Petrum Fullonem. Visum est Corderio ad catenam nouam Græcorum in Lucam, huius, Eutychetis esse fragmenta quædam, quæ in ea catena leguntur nomine Eutychij Patriarchæ; quod enim Eutyches esset Archimandrita, dictum putat Patriarcham. Non credo. Et accedit nominum diuersitas aliqua. Nec enim idem prorsus sunt,

PAVL NAUD
Tomus I.
De Christo
Tomus II.
De Attributis
Christi
VE

sunt, Eutychius & Eutyches. Malim ea fragmenta tribuere Eutychio illi Patriarchæ, cuius nota est cum S. Gregorio altercatio de identitate carnis resurgentis.

11. Eutyches ergo, annis decem post damnatum Nestorium, vt ait Anastasius c. 5. ὁδηγῶ, ex odio Nestorij medium tenere nesciens, in alterum extremum declinauit, & ex vnitate personæ Christi, intulit in eo vnitatem naturæ: sicut Nestorius, ex multitudine naturarum, intulerat multitudinem personarum. Qua ex causa S. Fulgentius ad q. 1. Ferrandi ait Eutychetem diuersa à Sabellio phrenesi laborasse; eumque ad Nestorium se habuisse affirmat, sicut se habuit ad Arium Sabellius: id quod etiam habet Anastasius c. 8. ὁδηγῶ, agens de Seuero Eutychianista. Faustus Rheg. l. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 1. eosdem componit cum Pelagio & Manete quoad gratiam & libertatem è diametro pugnantibus. Ennodius orat. 15. generatim pronunciat, Nestorium & Eutycheten, [gemina diabolicæ informationis ostenta,] fuisse sibi inuicem opposita. S. Leo epist. 39. & epist. 97. c. 1. eosdem, singulas partes geminæ contrariæque impietatis elegisse tradit.

Maiores Eutychetis.

Sicut tamen supra dixi, Nestorium quamuis de hæresi multiplicis in Christo personæ diffamatissimum, non fuisse primum illius impietatis autorem; ita nolim ex ijs quæ de Eutychete nunc retuli, inferri ab aliquo quod primus Eutyches commentus sit errorem de vnitate naturæ in Christo, per mutationem Verbi & hominis in tertiam naturam, vel alteruttius in alterum. Constat enim, longè ante Eutychetem, eum errorem fuisse ab Hyppolito, iusto opusculo confutatum in Berone. Habetur ea lucubratio Hyppoliti t. 3. bibl. Colon. Errorem de tertia natura, ex corruptibili nescio qua diuinitatis & humanitatis confusione, fuisse Arianorum proprium, docet Lyrin. c. 19. common. Idem error apud Iustinum l. de Trinit. *sub finem*, memoratur atque confoditur, quem librum Iustini germanum fœtum esse, agnouit ante annos mille, Leontius in opere cõtra Nestorium & Eutychetem. Quanquam suspicionem autoris Eutycheti æqualis, eóve posterioris, ingerere posse videtur, quod hæretici qui ibi refelluntur; vt duas in Christo naturas tollerent, dicantur inuexisse [mixturam, confusionem, & mutationem in Deitatem, ex corpore] & nunc in carnem conuersum Verbum asseruisse, nunc carnem in Verbi essentiam: Quæ apertè sapiunt Eutycheris vertigines illasque crebras sententiæ mutationes per Eutycherem, quas liberatus c. 11. Beruiarij, alijque commemorant. Perspicuum verò est, Eutycheti præiuisse Apollinarium, vt disertè tradit liber Gestorum de nomine Acacij, æuo Eutychetis conscriptus, vbi hæc præter cetera, [Contra Nestorium Eutyches, post annos non plurimos æstimans disputandum, rectum tramitem tenere nesciens, offendit; & in Apollinaris est raptus insaniam, in hæc verba prorumpens quibus assereret, Christum verum hominem non fuisse, nec in eo duas naturas esse credendas, sed vnam tantummodò Dei Verbi, verumtamen incarnatam: quam quidem non esse hominis perhibuit, sed humanam, vt similitudo magis humani corporis, quàm ipsa veritas suaderetur.] Similiter, renouatæ Apollinarij impietatis, Eutychetem insimulat Facũdus l. 12. pro tribus capitulis *fere in fine*, & S. Leo frequenter, ac apud eum Flauianus, binis ad ipsum S. Leonem literis. Prætetea Eulogius apud Photium Cod. 230. inter alios maiores Eutychetis, numerat Apollinarium, consentirque Anastasius c. 6. ὁδηγῶ *initio*: videturque perspicuum, ex eo quod duo capita errorum quæ in Eutychete distinguunt Anastasius ibidem c. 5. & Ferrandus sub finem epistolæ ad Anatolium; nempe quod carnem Christi è syderibus peteret, & mixtionem ac confusionem duarum Christ naturarum induceret, sunt perspicuè placita Apollinarij. Quanquam varietas nonnulla, Apollinarium inter ac Eutychetem notari posse videtur, quatenus tamesi in confusionem naturarum Christi consentiebant, vnde Apollinaristæ æquè ac Eutychiani, *Synusiastæ* sunt appellati; tamen alia ratione eam confusionem inuexit Apollinaris, alia Eutyches. Nam vt scribit S. Leo serm. 8. de Natiu. Dom. c. 4. *sub finem*, & Vincentius Lyrinensis c. 17. common. Apollinaris, solam diuini Verbi partem, in carnem fuisse conuersam reliquo Verbo superstite blaterabat, in quo etiam ab Apollinaristis tandem desertus est, vt notat S. August. q. 80. ex 85. At Eutyches, Verbum ajebat in carnem plenè conuersum. Quanquam postea de illa Deitatis mutatione corruptiua erubescens, asserit carnem fuisse conuersam in diuinitatem: quæ causa est cur ab Eulogio apud Photium Cod. 230, & ab Anastasio c. 6. ὁδηγῶ, insimuletur erroris Valentini, dicaturque carnem Christi reuocasse ad phantasiam, solamque figuram, vt habet etiam Hormisdas epist. 5. quæ est ad Anastasium Imperatorem. Eamque etiam ob causam, Eutyches diuinitatem passam aiebat, & mortuam, & vnicam planè in Christo prædicabat naturã. Hic ipse error, cum magna detestatione memoratur apud S. Ambrosium l. de Incar. Dom. Sacram. c. 6. & apud S. Cyrillum l. de recta fide ad Theodosium, qui fuere Eutychete anteriores. Adderem Augustinum l. de hæres. num. 89. & 90. vbi hunc Eutychetis errorem memorat, & tribuit Eutycheti, æquè ac ex nomine Nestorij profert errorem de multiplici persona Christi. Sed existimo id esse assumentum ad Augustinum, qui ante damnatum Ephesi Nestorium obijt: atque adeo longè ante Eutychetem, qui non nisi decennio post damnatum Nestorium, se prodidit hæreticum.

Sectatores Eutychetis.

116. De huius erroris deriuatione ab Eutychete [ad Dioscorum, Timotheum, Seuerum, Gaianum, Iulianum, Iacobum, Petrum Cnaphæum, Barsanuphium, Theodosium, decem cornibus instructum decemuiratum erroris] plenè Anastasius c. 6. ὁδηγῶ. Hi inquam varias sectas penes alia nonnulla sunt sciſſi; tamen in vnius Christi naturæ assertionem, & vel verbi in carnem, vel carnis in Verbum detestandam mutationem consenserunt, & ab vna natura ex duabus sic commixtis, Monophysitæ sunt dicti. Eorum nonnullis, conuersionem Verbi in carnem cœlestem placuisse, testatur Vigilius l. 3. contra Eutychen *initio*. Plerique tamen, amplexi potiùs sunt conuersionem carnis in in Verbum. Vnde vt solam diuinitatem, absque animæ & carnis concretionem in Christo esse docerent, vinum absque aqua in mysterijs offerebant, vt testatur Anastasius c. 1. ὁδηγῶ. Et c. 14. ait, eos tradidisse [carnem Christi Deificatam, esse & in diuinam naturam conuersam, & vt aceti guttam in diuinitatis pelagus transmutatam] Rursusque inferiùs ex eorum mente ait, [carnem præstantioris victoria Deificatam, & diuinitatis pelago assimilatam esse & talem factam, quale est Verbum quod carnem Deificauit.] Distinctio quæ inter hos Eutychetis sectatores enata est, videtur obseruatu digna. Ait ergo Facundus l. 1. pro tribus capitu. c. 5. Eutychetis posteros bifariam esse diuisos. Et alios quidem omnino adhæsisse Eutycheti: & dictos esse *Eutychianos*. Alios verò ex parte abiecisse Eutychen, qui eorũ caput fuerat, indeque dictos *Acephalos*. Iuxta Facundum, *Semi-Eutychiani* sunt dicendi. Horũ dogma fuit, vnam illam Christi naturam quam agnoscebant, esse secundùm aliquid consubstantialem naturæ æterni Patris; secundùm aliquid verò esse consubstantialem naturæ nostræ. Non me latet, variam esse apud varios

varios nominis Acephalorum notationem, pro variegatæ causarum è quibus illam denominationem petierint volunt. Idque mirum videri non debet, cum apud nos, de nomine Hugonotorum quo Caluiniana hæresis passim donatur, tam variæ ac discrepantes circumferantur notationes & causæ, vt apud Florimondum Remondum in Opere de Antichristo cap. 3. videre est.

Secreti ab eis quidam Catholici.

Porrò non omnes qui vnam in Christo naturam sunt professi, debent Eutychianis, & damnatis Monophysitis, vel Synusiastis accéseri. Plerique enim Orientalium olim atque Græcorum, vnam tantùm professi sunt Christi naturam, aliud non intenderunt, quàm excludere personarum dualitatem : quia nomen naturæ vsurpabant pro persona, quo pacto certum est vnicam esse in Christo naturam. Ita disertissimè se explicat Catholicus Armeniorum, (sic vocabatur ex Tyrio l. 15. belli sacri, summus eorum Antistes,) apud Theorianum, in legatione ad eum directa. Labitur enim Baronius, qui anno 1170. & 1197. eam legationē censet fuisse directam ad Principem Armeniorum, quem vult appellatum Generalem, ad quem interpres Latinus direxerit Theorianum Legatum posuit, male expressa Græca voce, quam nos genuinè ex Tyrio expressimus, & in Antistitem, non in temporalem Principem cadere diximus. Sed hoc obiter. Plerique item Patres, absque errore Eutychiano, vnam Christi naturam sunt professi, nempe incarnatam & humanatam, quæ verè fuit vnica. Qua ratione Basilius Seleuciæ in Synodo Constantinopolitana, inserta primæ actioni Concilij Chalcedonensis, testatur se laborantem in reducendo ad sanam mentem Eutychete, & conciliando cum S. Flauiano, qui ei ob assertionem vnius Christi naturæ infensus erat, sic affatum esse Eutycherem. [Scio quia conuersus sum, & dicens in mente mea, qualem scit Christus, quippe & Dominum Archiepiscopum placans, & ipsum Archimandritam trahens sensim, vt consentiret nobis, dixit : Si autem dixeris vnam naturam, Dei Verbi incarnatam & humanatam, eadem dicis nobis, & Patribus. Manifestum est enim, quod aliud quidem est quiddam Deitas, quæ ex Patre est : aliud verò quiddam caro, quæ ex matre est, qua se incarnauit.] Prima illa verba quibus Basilius mentem suam in quibusdam verbis enucleat, spectant ad ea quæ ibidem superiùs adducuntur de approbata ab hoc Præsule & ex S. Athanasio firmata vnitate naturæ in Christo, id accipiendo de vna natura Dei Verbi incarnata; hoc est carni & humanitati adiuncta, in Verbi diuini persona. Hoc ergo sensu vna Christi natura Catholicè à Patribus proposita est, in sensu longè alio quam ab Eutychete. De loco S. Cyrilli vnam naturam incarnatam asserentis, dicendum infra diligenter.

Hostes Eutychetis.

117. Errorem Eutychetis quomodocunque acceptum, & siue conuersionem alterutrius naturæ in alterum, siue vtriusque transitum in tertiam profiteretur, duas in Christo naturas post peractum hoc mysterium negans, continuerunt varia Concilia, sed præsertim Chalcedonense, Episcoporum 630. ad id conuocatorum. Eundem confoderunt varij Patres, præsertim S. Leo, cum aliis plerisque epistolis, tum mirabili illa ad Flauianum, quam Concilium Chalcedonense summoperè celebrat, actio. 4. Gelasius autem cap. 5. *Romana*, sub anathemate præcipit recipi vsque ad vnum iota. Confirmat quoque S. Gregorius l. 7 epist. 53. fidem S. Leonis, (vtque in ea epistola consignatam) vbique terrarum tenieri. Græci, quia est paulo fusior, vocant *Tomum S. Leonis* ; à sinceritate autem antiquæ doctrinæ, appellant *columnam fidei*. Difficile sit exponere quantis vbique laudibus S. Leo, ob hanc præsertim epistolam, & diligentem in Nestorio ac Eutychete profligandis constantiam celebratus sit à Catholicis ; quantis verò probris ac maledictis oneratus sit ab hæreticis, nominatimque à Seuerianis apud Photium Cod. 225. Quæ in Sanctum virum probra, hodiéque intorquentur in Abassia & Ægypto, à malè feriatis Eutychetis propaginibus monasticis, per oras illas diffusis. Præter S. Leonem, strenuè aduersum Eutychetem eiusque posteros pugnarunt Boëtius & Gelasius in operibus de duabus naturis, ac Vigilius libris quinque contra Eutychen. Litem tamen de Vigilij ac Gelasij gradu, & æuo, quod ad causam præsentem non refert, sciens dimitto. Theorianus quoque libro de sua ad Armenos legatione, strenuè contra Eutycherem agit, nec non Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ, & Damascenus ac Rusticus in operibus contra Acephalos, & Abucara opusc. 2. & 4. ac etiam Leontius Byzantinus variis Opusculis quæ extant t. 6. Bibl. Colon. insigniter in paucis dimicauit in hac arena Theodoretus, tribus dialogis, *inconfuso, impatibili, immutabili*. Est & insigne ex eo opus libellis 27. distinctum, cuius summam exhibet Photius Cod. 46. Ex quo intelligimus, libellos contra Monophysitas nuper cusos Græcè ac Latinè inter Athanasij opera, verè esse Theodoreti, saltem magnam partem. Nam octauus & reliqui ad quartum vsque supra vigesimum, conficientes volumen secundum, (vt Photius tradit, colligiturque ex primo & vltimo libellorum prædictorum,) sunt illi ipsi qui recens editi sunt nomine Athanasij, tribuuntur autem Theodoreto à Photio ; cui verisimile est germanum libellorum illorum parentem fuisse benè perspectum. Et cum cæteri qui ibidem habentur libelli, eiusdem sint genij, videntur omnes eiusdem esse partus ingenij. De scriptionibus variorum contra Eutychem, eiusque stirpem, quarum summellas ac plerunque vix aliquid vltra titulos habet Photius, vix attinet dicere : cum dolendum potiùs videatur, tot insignium autorum Eulogij, Ephræmij, Eusebij, Theodori Monachi, aliorúmque è quibus apud Photium plagulas habemus, iustos labores intercidisse. Breuiter, sed eximiè contra Eutychetem eiusque partiarios disputauit S. Euthymius, agens cum legatis impij Theodosij Pseudomonachi sedis Hierosolymitanæ occupatoris, & dementatam ab eo Eudociam Augustam reducens ad fidei sanitatem, euersa [hac (vt vocat), impia & prodigiosa Syriusiosi.] Nouos Eutychianismi mangones, impugnauit diligenter Canisius lib. 3. Marial. c. 20. & Bellarminus l. 3. de Christo cap. 3. & 4. Actum à prædictis omnibus contra Eutychem & Eutychianos, quâ scripturis, quâ rationibus.

Eutyches ex Scripturis reiectus.

118. Scripturas propè innumeras contra Eutychetem fortiter vrget Vigilius. Ego vnum illum celebertimum locum ex cap. 1. Ioannis, quo Verbum dicitur caro factum & in nobis habitasse, ex S. Cyrilli expensione pro hoc fidei dogmate ante Eutychetem adhibita, sufficere in rem præsentem censeo. Ita habet S. Cyrillus l. 1. pentabib. *Sub initium.* [Verbum *carnem* dixit, vt veræ illius vnionis, quæ nimirum secundùm Hypostasim consideratur, vim declararet. In eo autem quod illum in nobis habitasse dicit, non sinit intelligere, Verbum illud secundùm naturam ex Deo editum, in terrenam fuisse mutatum. Putasset enim, vt opinor, quispiam qui non admodùm calleret quidnam sit illa diuina & vltra rem omnem creatam sita natura, eam fortasse mutationis etiam esse capacem, propriorúmque bonorum quæ sibi per essentiam sunt insita, negligentem, in aliud quidpiam diuersum ab

eo quod est quodammodò degenerare : & alterationibus ac mutationibus ex improuiso subditam ad creaturæ mensuras redigi. Id verò nefas esse prorsus ; (fixa namque est Dei natura, & in quibus est, permanet inconcussa ;) testatus est cum dixit : *Habitauit in nobis*; Verbum nimirum, etiam caro factum. Quibus in verbis, & dispensationis sapientiam prudenter exposuit, & vigilantissimè cauit, ne quis ipsius Verbi naturam calumnietur, tanquam ex mutatione & conuersione, caro sic factum.]

Idem ratione multiplici, confossus.

Rationes contra Eutychetem, variæ à variis sunt propositæ ; sed illa est ineluctabilis, quod ex toto noui instrumenti corpore manifestissimè habeatur, Christum fuisse verum Deum & verum hominem. Quod constare item potest ex variis Christi operibus, vt benè argumentatur Theodoretus libello apud Athanasium 6. Nam pleraque miracula quæ Christus edebat, addita contestatione quod fierent in suæ diuinitatis confirmationem, erant argumentum idoneum diuinitatis, vt supra tractatum est sect. 1. c. 2. Esurire verò, sitire, tristari, aliáque huiusmodi incommoda perferre, humanitatis est non diuinitatis, quam constat esse impassibilem, vt latissimè prosequitur S. Fulgentius toto lib. 3. ad Trasim. Cum ergo in Christo, etiam post adunationem, & peractum Incarnationis mysterium, duplex illud operationum genus cernatur, certum esse debet, illum non ex duabus tantum, quod Eutyches admittebat, sed etiam quod negabat, in duabus naturis subsistere. Meritóque proinde S. Fulgentius l. 1. ad Trasim. c. 7. Stomachatur aduersus piaculum [quo confusionis admittunt tetertimæ cauponarum : Nam in vnitate personæ, in qua Deus & homo vnus Christus, inconfusibilem atque inseparabilem vtriúsque veritatem naturæ commendans, verum se Deum diuinis operibus, verúmque hominem, humanis passionibus demonstrauit, impassibile habens per quod homo creatus est sanus, passibile suscipiens, per quod sanaretur infirmus. Sic illi nescio qua deceptione falluntur, vt quicquid Dominus veram formæ seruilis susceptionem monstrans, humiliter gessit aut dixit, totum ad contumeliam diuinitatis detruare non metuant ; quam passioni mutabilitatis subijciunt, dum vtriúsque naturæ veritatem tam dictorum quàm operum manifestatione clarissima resplendentem, nulla consideratione distinguunt ; non attendentes, vbi demonstretur infirmitas, ab inuicta & impassibili virtute suscepta, vbi per infirmitatem resplendeant inuictæ virtutis insignia : atque ita diuini mysterij frustrare conantur effectum ; quia reuera homo saluari non potuit, si vel susceptor hominis, naturaliter verus Deus non fuit, vel in veri Dei susceptione aliquid hominis defuit.]

119. Accedit argumentum quod in hunc modum proponit Abucara Opusc. 4. *Non multum ab initio.* [Si (Christus) non habeat nisi vnam naturam, sequetur vt dicendum sit, hanc vnam naturam vel esse diuinam puram ; vel humanam puram, vel diuinam & humanam simul ; vel neque diuinam nec humanam : Si ergo est hæc vna natura purè diuina, Christus igitur Deus est, & non homo. Sin verò est pure humana, Christus igitur est homo : & nó Deus. Si autē est hæc vna natura, diuina simul & humana ; ergo neque Patris neque Spiritus sancti, nec hominū natura est, & ex vtraque parte crimen blasphemiæ inferretur sic sentiēti, & à sana natura excedet : sin autem est hæc vna natura, neque diuina neque humana ; Igitur Christus neque Deus, neque homo est. Quare quocumque Sermonem circumuertamus, eò adducimur, vt dicamus, Christum esse vnam Hypostasim Sanctæ Trinitatis, naturas duas habentem, diuinam scilicet & humanam.] Similiter Opusc. 2. vrget Monophysitam, quomodò eam vnam quam admittebat Christi naturam, vocari vellet. [Si enim hanc appellet Deum, negabit humanitatem : Sin autem hanc appellet hominem, tollet Trinitatem. Sin verò hanc neque Deum neque hominem nominet, Christum igitur statuet, neque Deum esse, neque hominem ; incidétque in dedecus, & maximum crimen, & interitum. Quod enim nomen miser inuenire poterit, inani, & tardæ naturæ accommodatum ? Non enim nomen *scindaphus*, aut *tragelapsus*, aut aliud huiusmodi.]

Validissimum præterea est Damasceni argumentum orat. de duabus Christi voluntatibus in hæc verba conceptum. [Perfectus quidem Deus Christus est, perfectus etiam homo, & certè post naturarum coniunctionem & vnionem, tum in diuinitate perfectus, tum in humanitate. Diuinitas autem & humanitas, suntnè vna natura, an duæ ? Duæ sunt reuera. Alia est enim diuinitatis natura, alia humanitatis. Ergo duæ sunt in Christo naturæ, & Christus in duabus naturis cernitur : siquidem Deus est perfectus, & homo perfectus. Rursus Christum ne ex duabus omnino naturis constare profitemur ? Prorsus. Cur ex duabus ? Quia ex diuinitate constat & humanitate. Quid enim diuinitatis & humanitatis verba declarant ? Duasne naturas indicant ? Prorsus. Neque enim vna est diuinitatis humanitati que natura. Deinde Christum ne in diuinitate & humanitate post naturarum coniunctionem consistere concedemus ? Certè, si ergo post, (vt ita dicam,) vnionem, in diuinitate eum & in humanitate consistere profitemur ; diuinitas autem & humanitas, non vna natura sunt, sed duæ ; profectò in duabus eum naturis consistere concedimus. Rursus si habet Christus Patris naturam, etiam post coniunctionem, perfectam & eiusmodi, cui nihil desit, immutabilem, & confusionis omnis expertem ; Dei & Patris natura, & sanctæ Virginis, suntnè vna an duæ ? Prorsus duæ : Sunt igitur duæ in Christo naturæ post coniunctionem. Neque enim in Christo ante vnionem duæ erant naturæ, sed vna Patris. At fieri non potest, vt vna eadémque natura, creata sit, & non creata, principium habuerit, & non habuerit : patiatur, & non patiatur. Si enim habuit principium, non caret principio : & si increata est, non fuit creata. Ita Christus non vna natura est, sed vna persona duabus prædita naturis : quarum vna est increata ; creata altera : vna sine principio, altera principiū habuit. Iā verò si ex naturis diuersis natura constat, neutra earum eiusdem est essentiæ. Simplex enim suam tantùm & simplicem habet definitionem ; ea autē quæ cōcreta est, aliam eámque concretam & copulatam, fieri autē non potest, vt ea quæ alia atq; alia definitione continentur, eiusdem sint essentiæ. Si ergo vna est natura Christus, quo tandem pacto eiusdem erit naturæ, cuius & Pater & mater est ? Ille enim Deus est ? Hæc homo : Dei autem & hominis non est vna natura : quandoquidem non vna est diuinitatis humanitatísque definitio. Est enim Deus creator, illa autem creatura. Præterea cum vna eadémque natura, eiusdem essentiæ cuius sunt diuersæ essentiæ & naturæ non dicatur ; nec vnius personæ natura, eiusdem essentiæ esse dicatur, cuius sunt personæ diuersæ essentiæ ; si vna esset natura Christus post coniunctionem, quo tandem pacto eiusdem erit essentiæ cuius Pater & mater, quorum est essentia diuersa ?]

120. Ratio petita ex immutabilitate Dei quam stupidissimè conuellebat Eutyches, robustè à Tertulliano contra Praxeam vibrata est, libro aduersus eum cap. 27. Iuuat partem adscribere, quia fortius, & vegetius quippiam despondeo. [Quærendum (inquit) quomodo sermo caro sit factus, vtrúmne quasi transfiguratus in carne, an indutus carnem ? Imò indutus. Cæterùm Deum immutabilem & informabilem credi

necesse

necesse est, vt æternùm. Transfiguratio autem interemptio est priùs. Omne enim quodcumque transfigurat in aliud, desinit esse quod fuerat, & incipit esse quod non erat, Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus; & sermo Domini manet in æuum, perseuerando scilicet in sua forma. Quem si non capit configurat, consequens est, vt sic caro factus intelligatur, dum sit in carne & manifestatur & videtur, & contrectatur per carnem: quia & cætera sic accipi exigunt. Si enim sermo ex transfiguratione & demutatione substantiæ caro factus est, vna iam erat substantia Iesus ex duabus, ex carne & spiritu mixtura quædam, vt electrum ex auro & argento; & incipit nec aurum esse, id est Spiritus, neque argentum, id est, caro, dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur, neque ergo Deus erit, Iesus. Sermo enim desijt esse, qui caro factus est. Neque homo, caro. Caro enim non propriè est, quia sermo fuit. Ita ex vtroque neutrum est; aliud longè tertium est, quàm vtrumque. Sed enim inuenimus illum diuisò, & Deum & hominem expositum: ipso hoc Psalmo suggerente: *Quoniam Deus homo natus est in ea, ædificauit eā voluntate Patris.* Certè vsquequaque ad filium Dei & filium hominis, cum Deum & hominem, sine dubio secundùm vtramque substantiam in sua proprietate distantem: quia neque Sermo aliud quàm Deus, neque caro aliud quàm homo. Sic & apostolus de vtraque eius substantia docet: *Qui factus est*, inquit, *ex semine Dauid*, Hic erit homo & Filius hominis: qui definitus est filius Dei secundum Spiritum, hic erit Deus, & Sermo Dei filius. Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in vnum personam, Deum & hominem Iesum. De Christo autem disero. Et adeò salua est vtriusque proprietas substantiæ, vt Spiritus res suas egerit in illo: ideſt virtutes & opera & signa; & caro passiones suas functa sit; esuriens sub Diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarū, anxia vsque ad mortem: denique & mortua est. Quod si tertium quid esset ex vtroque confusum vt electrū, non tam distincta documenta paterent vtriusque substantiæ. Sed & spiritus carnalia, & caro spiritalia egisset, ex translatione, vt neque carnalia, neque spiritalia, sed tertiæ alicuius formæ confusione: Imò aut Sermo mortuus esset, aut caro mortua non esset, si Sermo conuersus esset in carnem: aut caro enim immortalis fuisset, aut sermo mortalis. Sed quia substantiæ ambæ in statu suo quæque distinctæ agebant, ideo illis & operæ & exitus sui occurrerunt. Discè igitur cum Nicodemo, *quia quod in carnem natū est, caro est: & quod de Spiritu, Spiritus est.* Neque caro Spiritus sit, neque Spiritus caro. In vno planè esse possunt. Ex his Iesus constitit, ex carne homo, ex Spiritu Deus; quem tunc Angelus ex ea parte qua Spiritus erat. Dei filium pronunciauit; seruans carni filium hominis dici. Sic & Apostolus etiam Dei & hominum appellans sequentem, vtriusque substantiæ confirmauit.]

Obsignet has rationes, argumentatio Theodoreti Opusc. 14. ex 17. contra Monophysitas D. Athanasio adscriptis. [Omnis hominibus spes & fiducia ex Verbi cum primitijs nostris vnione resultat. Qui verò Verbum dicunt in carnem esse mutatum, illi & gloriationem generis nostri, ad nihilum, redegerunt, & præclaras nostras spes debilitarunt. Non ampliùs gloriabitur Abraham; non ampliùs exultabit Dauid: promissa quæ ad illum facta, mendacia erunt, in quem Christus secundùm carnem, de fructu ventris eius non extitit. Ait enim, Deus Sermo semetipsum carnem faciens, sua nos præsentia dignatus est. Quomodò igitur non pudet eos contra Scripturam sanctam bellum facere, hominibus inuidere, Deum vt passibilem, blasphemare, promissiones eius mendacij arguere: Imò non hoc tantùm, sed & Deum ipsum, qui mentiri neſcit, periurij accusare? *Iurauit* inquit *Dominus Dauid veritatem, & non pœnitebit eum*: De fructu ventris eius, sessurum super ipsius throno.] Egregiè quoque ibidem Opusc. 15.

Friuolæ rationum propositarum declinationes per Eutychianos.

121. Ex ijsdem libellis discere licet, quid ad rationes propositas responderent Monophysitæ. Tam insulsè sanè, aut potiùs stupidè philosophabantur, vt referre propè pigeat. Nonnulli succumbentes argumentis, nec tamen de pertinaciâ decedentes, aiebant hæc non esse discutienda, sed cuique esse simpliciter in fide sua quiescendum. Hi refelluntur ibi libello. 2. & 9. & 16. nec est adhærsùs eam asinitatem, magno impetu opus. Fides enim nostra, tametsi est supra rationem, non tamen est contra eam, nec aliquid asserit ita pugnans cum naturali lumine, vt conciliari cum eo nequeat, per declinationem & solutionem aliquam eorum quæ ratio in contrarium suggerit. Alij aiebant Deum in Deitate passum esse, sed sine passione, quod Theodoretus libello. 7. fatetur nescire se quomodo sit confutandum. [Si enim (inquit) passus est, quomodo impatibiliter? Si impatibiliter, quomodò passus est? Loquemur sine voce? Intelligemus mente? Viditne quis labentem aliquem citra lapsum, excitatum inexporectum, laborantem sine labore, sapientem insipienter, loquentem inloquiliter, solutum insolute? Vt dicamus, passus est impassibiliter? Quæ ista est summa dementia? qui effrenatus furor? quæ cœcæ mentis vesania? De mysterio omnium maxtmè venerando, ea loqui, quæ magnos risus excitent? Polliceri rationi congrua, & à ratione alienissima proferre? Ita respondere, vt videare non respondisse? interpretationem exhibere, re explicanda obscuriorem, & maioris dubitationis matrem?]

Æquè absurdè alij cum quibus Theodoretus libel. 8. confligit, aiebant Deum esse passum in Deitate, quia voluit. Quasi verò possit Deus velle efficaciter impossibile, aut per voluntatem suam, recipere quod recipi in ipso non potest. Erant qui dicerent, Deum passum esse carne, qui libello 10. arguuntur magnæ insulsitatis: [qui cum ratione dissentit, quod alterum altero dicunt pati.] Sanè sicut caro non est impassibilis Verbo, ita neque Verbum potest esse carne passibile. Christus quidem vt mox ibidem additur, rectè dicitur carne passus, quia caro est pars Christi. At humanitas non est pars Verbi. Itaque Verbum non plus dici potest mori carne, quàm anima. Sed nimirum hi Verborum tegumentis laruatum proferebant, quod palam non audebant efferre. Scripsit enim Quintianus Asculanus epistola ad Petrum Fullonem, ad eum modum locutos Eutychianorum nonnullos, & Verbum carne passum professos esse, subdolè id intelligentes de Verbo in carnem mutato, atque ita passo. Videndus in ea epistola Anathematismus secundus, & decimus quartus, quibus percelluntur qui negantes Christum esse in carne passum, quo pacto locutus est S. Petrus, aiebant tamen Deum esse carne passum. Tandem alij qui libello 17. refelluntur, & à Vigilio quoque lib. 1. contra Eutychetem *sub finem*, exploduntur, ita duas in Christo naturas per tempus vitæ & passionis admittebant, vt tamen post passionem & ascensionem, sublatum esse dicerent discrimen illud naturarum. At hoc non minùs impossibile est, quàm confusio naturarum per tempus vitæ Christi. Quare rationes contra Eutychetem prolatæ, sunt vsquequaque firmæ ac solidæ, nec possunt vanis hisce subterfugijs declinari.

Eutychetis firmamenta ex ratione, quàm nulla.

122. E contrario autem firmamenta Eutychetis erant planè ruinosa, imo nulla. Primarium erat, quod naturam à persona non distingueret, secutus vt putabat Aristotelem : idque Eutychiani frequentet iactabant, vt Anastasius in ὁδηγῷ sæpè refert. Sed contrarium ex ipsis quoque Philosophis infra monstrabo, euincens naturæ distinctionem à persona. Qua distinctione suppositâ, dico, etiamsi est in Christo vnica persona, plures tamen & inconfusas in eo esse naturas, non ex quibus desinentibus Christus coaluerit, sed in quibus inconfusè & impermixtum perseuerantibus subsistat. Inde verò facilè declinantur opprobria quæ Deitati per Catholicos inferri criminabantur Eutychiani ; inferentes, iuxta Catholicos Deitatem admitti debere inclusam intra mulieris viscera, & natam, lassatam, passam, ac mortuam. Hoc propudium calumniæ est. Nos enim nihil tale tribuimus Deitati, sed tantùm Deo prout subsistenti in humana natura. Aptè ac verè ea criminatio, in Theopaschitas Eutychetis propaginem cadit. Hos enim constat admisisse Verbum in ipsa Deitate subijsse perpessiones ; quam in rem multos Patres proferebant, vt S. Ignatium, Iulium Papam, Melitonem, Nazianzenum, Cyrillum, eo quod dicant Deum esse crucifixum, & passum, ac suo sanguine mundum sanctificasse. Nixi his præsidiis Theopaschitæ, ausi sunt Trisagio embolum illud apponere, *Sanctus Deus qui passus es pro nobis miserere nobis*, vt ipsam Deitatem, passam esse significarent. At nihil tale Sanctis illis Patribus in mentem venisse quale illis affingebant hi hæretici, latè prosequitur Anastasius c. 12. ὁδηγῷ, monstrans SS. illos Patres, Deum crucifixum & passum, intellexisse in carne & humanitate. Nã in Deitate, non modò blasphemum, sed planè insanum est, dicere Verbum vel Christum esse passum aut mortuũ, cum id quod ad mortem attinet, ne de Angelis quidem dici possit, vt soluto ioco quo Seuerianos deluserat, argumentatum Alamundarum Saracenorum Principem confictis literis quibus mors Archangeli Michaëlis nunciabatur, scribit Theodoretus lector lib. 2. collectaneorum. [Deus Verbum (inquit Eusebius Orat. de laud. Constant. *sub finem*,) licet diuinam facultatem & vim mortali corpori impertijt, ipse tamen ex eo participando nihil contra accepit. Nam neque cum corpus, quod assumpsit, editum esset quicquam contraxit labis : neque rursus cum quod mortale erat, esset adeò direptum, quicquam essentia sua (erat enim non patibilis) perpessus est : quandoquidem neque lyra fortè fortuna percussa, si chordæ, quæ fragiles sunt, rumpantur, eum qui illam pulsarit, quicquam pati probabile est : neque cum sapientis alicuius corpus cruciatum subit, sapientiam quæ in ipso est, aut animum qui in corpore habitat, vel secari vel vri quisquam profectò dixerit : eodem modo de virtute ac potentia sermonis Dei, dici consentaneum est, imo verò multo magis certè, quod ex corporis affectionibus nihil planè damni cepit. Neque enim, (exempli gratia,) lucis quæ apud nos est, splendescentes radios, cum de cœlo in terram demissi sunt, & lutum, cœnum ac sordes cuiusque generis contingant, vlla labe inficiendi accidit. Nam tametsi nihil prohibet, quominus has res lucis splendore illustrari verè dicamus ; tamen lucem ipsam vicissim ab illis contaminari, aut Solem ex corporum admistione maculam vllam contrahere, non dicimus. Et tamen si in his rebus illud eueniret, non videretur à natura alienum. Verùm quamcumque rem Seruator & Dei sermo, qui corpore vacat, qui ipsa vita est, qui ipsa lux est sola mente percepta, sua diuina potentia, quæ est corporis expers, attigerit ; eam viuere & in luce illa quæ est rationis particeps, ætatem degere necesse est. Itaque quodcunque ab incorporei Dei sermone tactum sit, illud ipsum sanctimonia lucéque completur, atque adeò omni morbo, ægrotatione & perturbatione, penitus liberatur. Rursus ea quæ priuantia dicuntur, eius diuina vi itidem complentur.]

123. Ecclesia Catholica, vt ab eo monstroso errore Theopaschitarum longiùs recederet, propositionem illam Eutychianam. [Vnus de Trinitate passus est,] aliquando reiecit tanquam insolitam, & ab Eutychetis officina profectam. Ferrandus epistola ad Anatolium *sub finem*, testatur eam ab Eutychetis Apocrisario prolatam. Petrum Fullonem cognomento Cnaphæum, hominem Eutychianum, quod eo additamento in sensu Eutychiano Trisagium onerasset, sic affatur Felix. III. epistola 1. ad ipsum Fullonem. [Tu in Ecclesia ausus es dicere, quòd vnus increatæ atque individuæ Trinitatis, passionem subijt : & per hoc consubstantialem quoque soluere niteris, ac Deum subijcere numero. Si enim vnus sanctæ Trinitatis & coæternus, qui crucifixus est Deus, hoc est Filius : sunt autem duo Sanctæ Trinitatis, Pater & Spiritus sanctus : dicuntur autem Dij, & non (vt habet vera ratio) Deus (sicut tradiderunt nobis, qui ipsi inspexerunt, & ministri fuerunt Verbi) inuenires quoque consubstantialem soluere : quippe mortale & immortale, consubstantiale iam esse non possunt : roborabitur autem sic pluralitas Deorum, dum tres Dij Christianis auribus ingeruntur.] Disertissimè item epistola ad Zenonem Imperatorem idem Felix Pontifex, docet, iuxta Cnaphæum, vnum de Trinitate passum esse in substantia Deitatis. Vt ergo venenum admistum non noceret, & omnis de inuecta in Deitatem passione suspicio tolleretur, legati Hormisdæ Papæ, propositionem prædictam reiecerunt, vt videre est apud Baronium anno 519. Aduersus eam quoque conclamauit Acacius Constantinopolitanus epistola ad Petrum Fullonem, & alij eiusdem Fullonis exagitatores, quorum scripta in ea causa Ioannes Zonaras Monachus in sua collectione repræsentat. Vacasset tamen errore ea propositio,] Vnus de Trinitate passus est,] si de Filio in carne passo, fuisset intellecta : si cui eam intellexit & admisit S. Chrysostomus in Liturgia, in oratione antiphonæ tertiæ, Ferrandus epistola ad Anatoliũ Ioannes Papa apud Baron. anno 534. & latè Facundus Hermianensis l. 1. pro tribus capitulis cap. 3. Legesis Baron. t. 7. an. 519. & 520.

Varia eiusdem firmamenta ab auctoritate.

124. Præter firmamenta ex ratione de quibus hactenus, constat, Eutychetem & Eutychianos multorum Patrum testimonia pro se corradere solitos. Quam enim mixturam, & commutationem, aut transformationem naturarum in Christo, transitúmque in vnam naturam, profitentur Eutyches & Eutychiani, tradidisse similiter videntur multi Patres. v.g. Verbum carni mixtum fuisse in hoc mysterio, conceptis verbis tradit Tertullianus l. de carne Christi c. 15. Nouatianus l. de Trinit. c. 11. S. Cyprianus l. de Idol. vanit. num. 7. Zeno Veronensis serm. 2. de Matin. Dom. S. Irenæus l. 3. c. 21. vbi plura ex eodem & ex aliis Feuardentius n. 5. Plenè Nyssenus in orat. catechet. c. 15. & 27. Eucherius homil. in illud, *arundinem quassatam non confringet*, S Leo serm. 3. de Natiu. Chrysologus sermone 5. *initio* Augustinus sæpè epist. 3. Commutatum Deum in hominem, dixit Eucherius homil. 3. de Pasch. & serm. in illud, *ecce quàm bonum*. Transformationem hominis in Deum factam in Christo, asseruit S. Maximus homil. 4. de Natiu. qui ibidem homil. 1. transitum hominis in Deum in hoc mysterio factum dicit : sicut è contra Paschasius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 4. Verbum, ait, in carnem transiuisse, & Deum hominis habitum induisse. His ac similibus loquendi modis contineri

rinetti suum errorem contendebat Eutyches, sed maximè iactabat locum S. Cyrilli, qui lib. de fide ad Reginas & epist. ad Successum dixit, [non oportere in Christo intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam.] Nec minùs concepta pro Eutyche videntur esse verba illa S. Leonis serm. 3. de Natiu. *sub initium*, [Sacræ Virginis partus, verè humanam, verè diuinam, vna edidit prole naturam.] Porro Eutychetis quædam insuper adducebant ex epistola Iulij Romani Pontificis, quæ errorem Eutychetis plane sapiebant. Allegabant quoque damnationem dictum Christi naturarum per Vigilium Papam. Nihil tamen apud istos Patres ac Pontifices pro Eutychete meti, certum est.

Exponuntur PP. mixturam Verbi cum humanitate agnoscentes.

115. Ac primum mixtura naturarum quam Patres allegati in Christo ponunt, solam veram & realem vnionem plusquam affectiuam designat. Est enim mixtio quoque inconfusa, quod prolatis popularibus exemplis docet in hanc rem Theodoretus dialo. 2. Optime in hac re distinguentem Photiū Cod. 230. *initio*, commigit de S. Eulogio Alexandrino, iuuat audire. [Inconfusam (inquit) & impermixtam Hypostaseos duarum naturarum vnionem profitetur, & vtrinque natas hæreses, gladio disserat veritatis. Vtitur autem Verbo *mystarum* piè quidem, sed non vtitur secundùm insanum Apollinarium, quomodò hac voce sit vtendum testatus: neque secundùm audacem Eutychem, sed vt lex pietatis permittit; vt qui nosset vnum Filium Dominum nostrum Iesum Christum declarare, duabus naturis indiuisis: & inconfusis constare, in perfecta humanitate & perfecta diuinitate: vt permistio secundùm illum confusionem non significet, neque inducat diuisionem vocis *in Deo*.] Arnobius quoque in Conflictu cum Serapione l. 2. *ante medium*, cum priùs dixisset, inuisibilem Filium Dei, mixtum visibili filio hominis, vnum Filium Dei fecisse, indéque paulò post Serapion Hæreticus intulisset, mixtas esse humanitatem & diuinitatem, idcirco quod Deus homo mixtum carnis & Verbi, vnum corpus effecerit; respondet, [blasphemum est ita credere vt quasi cōstantibus operæ duas naturas in vnam credamus redactam esse substantiam. Euidens est enim vtriusque partis corruptio.] Itaque non aliam agnoscit mixtionem in hoc negotio Arnobius, quàm eam qua [Deus simul per omnipotentiam ita se naturæ infudit humanæ vt caro perficeretur in Verbo, non Verbum in carne perficeretur &c. Pars enim vna omnipotentia plena, partem illam in se suscipiens quæ omnipotentiam non habebat, tanta in illa se suauitate infudit, vt salua vtriusque partis substantia, vnus nobis Dei filius nasceretur ex Virgine.] Vides sensum legitimum, mixturæ quam Patres aliqui in Christo ponunt. Longa oratione idem exponit S. Cyrillus lib. 1. pentab. cap. 3. quem locum ex tomo 1. S. Cyrilli contra Nestorium, verbatim descripsit Ruficus Diaconus dialo. contra Acephalos. Sed non videtur omittendus Leporius in libello suæ satisfactionis, cuius hæc est oratio. [Non quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio eius est accipienda substantię. Nouit enim Deus sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri. Nouit in se ita suscipere, vt nihil ei crescat augmenti; qui se ipse totum nouit infundere, vt nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundùm experimentorum visibilia documenta facientes coniecturam, de æqualibus se inuicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominémque commixtum, & tali confusione carnis & Verbi quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, vt conflatili quodam genere duas naturas in vnam arbitremur redactas esse substantiam. Huiusmodi enim commixtio, partis vtriusque corruptio est. Deus enim, qui capax est non capabilis, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis qui vbique simul totus, & vbique diffusus est; per infusionem porentiæ suæ, misericorditer naturæ mixtus est humanæ, non humana natura, naturæ est mixta diuinæ. Caro igitur proficit in Verbum, non Verbum profecit in carnem: & tamen verissimè, Verbum caro factum est.]

Temperauit duritiem locutionis huius D. Augustinus 4. Trinit. c. 20. dicens Deum humanitati *mixtum quodammodò*. Epistola verò 3. qua toties hanc mixturam iterat, perspicuè ac disertè exponit cuiusmodi sit ea mixtio; nempe qualis est animæ rationalis cum corpore, sine confusione & clade alterutrius extremi miscibilis. Vt proinde impromidè Erasmus ibi, censuram ineptam margini illiuerit. Quodammodò igitur, id est absque confusione, mixtum humanitati Verbum intelligere necesse est, alioqui prorsus repudianda esset ea locutio, quod fecere plerique Patres, quorum loca adunata habentur in collectaneis de hac re incerti auctoris, quæ habentur tomo 8. bibl. Colon.

Cuiusmodi transformationem, & commutationem, ac transitum, Verbi in carnem agnoscant Patres.

116. Eodem sensu accipienda est, quæ postea obijciebatur transformatio, & commutatio, ac transitio siue Dei in hominem, siue hominis in Deum. Ita apertè liquet ex Tertulliano lib. de carne Christi c. 3. probante conuersiones creaturarum in alias, fieri pereunte ea quæ conuertitur; Deum autem potuisse conuerti in hominem, absque vlla prorsus desitione. [Non potes, (inquit,) dicere si natus fuisset, & hominem verè induisset, Deus esse desisset, amittens quod erat, dum assumit quod non erat. Periculum enim statūs sui, Deo nullum est. Sed ideò, inquis, nego Deum in hominem verè conuersum, ita vt & nasceretur, & carne corporaretur, quia qui sine fine est, etiam inconuertibilis sit necesse est. Conuerti enim in aliud, finis est pristini. Non competit ergo conuersio, cui non competit finis. Planè natura conuertibilium ea lege est, ne permaneant in eo quod conuertitur in eis: & ita non permanendo pereant, dum perdunt conuertendo quod fuerunt. Sed nihil Deo par est, natura eius ab omnium rerum conditione distat. Si ergo quæ à Deo distant, à quibus Deus distat, cum conuertuntur, amittunt quod fuerunt; vbi erit diuersitas diuinitatis à ceteris rebus, nisi vt contrarium contineat, id est, vt Deus & in omnia conuerti possit, & qualis est, perseuerare? alioquin par erit eorum, quæ conuersa, amittunt quod fuerunt: quorum vtique Deus in omnibus par non est, si nec in exitu conuersionis.] En admittit Tertullianus, Deum in hominem conuersum, sed inconuertibiliter. Disertè enim cum retundit aduersarij obiectionem, admittit, quæ sunt conuertibilia perire cum conuertuntur: Deum autem negat perire cum conuertitur. Et quamuis conuerti, atque adeò posse conuerti, & esse conuertibile, videantur reciproca; nihilominus Tertullianus, primum concedit Deo tanquam non sonans destructionem ac finem Deitatis; secundum verò quia destructionem illam sonare censet, denegat Deo; satis indicans, conuersionem quam agnoscit in Deum cadere, aliam non esse, quàm adiunctionem humanitatis ad Verbum, ratione cuius adiunctionis, quæ humanitatis sunt tribuantur Deo, absque mutatione vlla Deo interna, cuius prorsus incapax est in se diuinitas. Hoc ergo vnum volunt etiam illi alij, qui transformationem, aut cōmutationem, transitionemve aliquam; siue Dei in hominem, siue hominis in Deum

visi sunt tradere. Vndè cum D. Augustino l. de agone Christ. c. 10. concludendum est. [Hanc ergo imbecillitatem nostram susc̃ipere dignatus est Filius Dei, & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: non quia æternitas illa mutata est, sed quia mutabilẽ creaturam mutabilibus hominum oculis ostendit, quam incommutabili majestate susc̃epit.]

127. Qua porrò cum seipso pugna Tertullianum liberauimus, iliãmet intra eiusdem exempli, & vnius, ac alterius periodi ambitum, videri posset secum pugnare Gregorius Nissenus l. de vita Moysis, in allegorica tractatione manus Moysis è sinu eductæ leprosæ, & ad eum reductæ absque macula: quod esse huius mysterij symbolum docet, approbárq; S. Cyrill. l. 2. de Ador. & l. 2. de Incar. Vnig. c. 15. [Etsi natura diuina (inquit ibi Nyssenus,) nullo pacto mutari queat, in eo tamẽ quod ad assumendum hominem descendit, imbecillitatémque nostram verè susc̃epit, commutata dicitur: & sicut Moysi manus è sinu educta visa est commutata, rursumque in sinum reducta; in naturam suam reducta est; simili quoque modo vnigenitus Dei filius, cùm in sinu Patris est, dextera excelsi est: cùm verò è sinu Patris ad nos visitandos descendit, secundum nos factus, quamuis immutabilis sit ipse natura, commutatus tamen dicitur. At verò postquam morbos nostros sanauit, naturamque nostram in sinum suum reduxit (sinus autem Filij Pater est,) tunc ipse non mutatus: quippè qui impassibilis, atque incommutabilis est, mortalem hanc, & corruptibilem naturam immortalem, atque immutabilem conuertit.] Habes hîc quoque, immutabilem, & tamen commutatum Deum: ac inconuertibilem, & tamen conuersum. Nempè re ipsâ quidem, & immutabilem, & propriè semper immutatum, quamuis vtcunque dicatur commutari ob assumptam humanitatem, etiamsi id factum sit absque temeratione vlla diuinæ purissimæ actualitatis. Simile est, quod Faustus Rhegiensis dixit epist. 3. quæ est cõtra Nestorij errorem. [Accipe filium Dei in extrema parte seculorum ex innupta matre, natura ignorante, & fide maritante progenitum, superueniente in Virginem sancto Spiritu, hominem Deo mirabiliter impletum, & Deum in hominem misericorditer commutatum; nec exinaniisse gloriæ magnitudinem, sed per susc̃eptam serui conditionem, Domini ostendisse pietatem.] En Deum commutatum, nec tamen exinanitum: ostendentem pietatem, nullatenus autem de gradu suo deiectum.

Mens S. Cyrilli ponentis vnam in Christo naturam incarnatam.

128. Locus S. Cyrilli qui posteà opponebatur, incredibile est quantùm creauerit negotij, cum aliis Catholicis, tum ipsimet S. Cyrillo suum illud dictum aduersus hæreticos illud perpetuò ingerentes explicare conanti. Et tamen mirum est, S. Cyrillum potuisse in hac re calumniam sustinere, cùm nullus explicatiùs veritatem Catholicam in hoc puncto tradiderit, iudice Anastasio c. 10. ὁδηγῷ, & extent apud ipsum S. Cyrillum loca innumera, quibus duæ in Christo naturæ post adunationem apertissimè traduntur. Signarunt pleraque ex iis locis Anastasius c. illo 10. & Leontius in calce libri primi contra Nestorium, & Euthychetẽ. Sunt tamẽ illa eius verba quæ obiecta fuere, nonnihil ambigua, & variis Catholicorum interpretationibus, aptè ad purgandum S. Cyrillum exposita. Dimittenda tamen videtur responsio quam adhibuit Bellarminus l. 3 de Christo c. 4. existimans ea verba fuisse S. Cyrillo suppositа. Hoc non admitto. Nam quamuis S. Cyrilli opera esse ab hæreticis adulterata, constet ex Anastasio c. 10. ὁδηγῷ, *semel, & iterum*; tamen inditatum est, verba de quibus agimus esse S. Cyrilli, cũ & à S. Cyrillo agnoscantur vt sua, & ab omnibus Catholicis tractatoribus, Anastasio, Leontio, Ephræmio, Damasceno, tanquam germana S. Cyrilli, absque vlla suspicione assumenti, sint habita. Et quamuis intrusa in S. Cyrillum essent, tamen semper essent exponenda Catholicis: cum Concilium Lateran. sub S. Martino 1. proponat ea verba, tanquam pertinentia ad fidem Catholicam. Suppositò igitur quod ea verba sint S. Cyrilli, & in sensum Catholicum accipi possint ac debeant, Baronius ad Rom. Martyrol. 23. Ianua. *litera* 1. existimat, in illis verbis S. Cyrillum accepisse naturam pro persona. Est autem perspicuè verum, quod vna sit persona Verbi incarnata. Laudat Baronius pro hac S. Cyrilli expositione, Leontium, & Damascenum, apud quos tamen ea interpretatio non comparet. Sed laudare pro ea poterat Ephræmium, referente Photio Cod. 228. & 229. & S. Eulogium qui ibidem refertur Cod. 230. nec non Iustinianum in edicto fidei suæ, complura S. Cyrilli loca addensantem.

Commodior tamen videtur expositio alia, quam adhibent Leontius l. de Sectis, actione 8. Damascenus 2. fid. c. 11. Gelasius apud Fulgentium ad q. 2. Ferrandi, Petrus Diaconus l. de Incarn. c. 2. Anastasius c. 18. ὁδηγῷ, *in fine*, & Maxentius initio professionis suæ fidei. Hi DD. existimant, S. Cyrillum per vnam naturam Verbi incarnatam intellexisse naturam diuinam quæ in sua Hypostasi Verbi sit carni coniuncta. Qua ratione locus S. Cyrilli ab omni labe purgatur. Quid quod locus ipse purgat sese, cum in eo S. Cyrillus, & naturæ Verbi, & carnis meminerit; ac proinde duas perspicuè naturas in Christo statuat? Notauit hoc ipsemet S. Cyrillus l. de S. Trinit. c. 19. locum ex eo descripsit Damascenus c. illo 11. [Si vnam (inquit) dicentes naturam Verbi, taceremus, non adiicientes *incarnatam*, sed quasi forinsecus locantes dispensationem, fuerit forsitan illis non insuasibilis sermo, simulantibus interrogare, si vna natura totum, vbi perfectum in humanitate? aut quomodò in nostra substantia subsistit? Quia igitur & in humanitate perfectio, & nostræ ac secundùm nos substantiæ declaratio inducta est, per hoc quod dictum est *Incarnatam*, quiescant arundinea virga inniti.]

129. Posset & illa responsio adhiberi, intellexisse S. Cyrillum, post adunationem, esse vnam Christi naturam, hoc est vnum compositum substantiale, non accidentarium. Quæ responsio peti potest ex S. Cyrillo l. 2. pentabili, in præfatione, verbis illis. [Quomodò non sit omnibus certissimum, illum vnigenitum, cũ Deus esset natura, esse hominem factum, non simplici coniunctione, vt ille asserit, extrinsecùs excogitata, aut affectiua, sed vera vnione, ineffabili modo simul & inexcogitabili: Ita & vnus simul & solus intelligetur, & omnia ei dicta conuenient, & omnia tanquam ab vna persona, dicta censebuntur. Nam post vnionem vna iam intelligitur natura illa ipsius Verbi incarnata, vt proculdubio in nobis ipsis etiam conuenienter intelligitur. Vnus namque homo planè est ex dissimilibus rebus ex anima inquam, & corpore compositus.]

Idem S. Cyrillus epist. ad Successum in 2. commonit. ad interrogationem secundam, cum obiectum fuisset, si vna sit natura Verbi incarnata, dicendum necessariò fore, factam fuisse confusionem, & permixtionem naturarum, respondet in hunc modum. [Etiamsi vnus dicatur à nobis vnigenitus filius Dei incarnatus & homo factus, non propterea permixtus est, vt illi putant: neque in naturam carnis transiit Verbi natura, neque rursus natura carnis in Verbi naturam: sed cùm vtrumque in sua proprietate naturali permaneat & consideretur, iuxta rationẽ à nobis paulò ante redditam ineffabiliter, & inexplicabiliter vnitum, vnam nobis Filij naturã ostendit, sed vt diximus, incarnatã. Non enim ipsum, vnum in his solis quæ secundũ naturam

tertiam simplicia sunt, verè dicitur, sed in his etiam quæ sunt per compositionem coniuncta; cuiusmodi est homo, ex anima constans, & corpore. Nam ciusmodj res cum alterius sint speciei, & minime eiusdem inter se essentiæ, tamen quum vnitæ sunt, vnam hominis naturam absoluunt; quamuis adsit in compositionis natura abfolunt; quamuis adsit in compositionis natura differentia, secundum naturam rerum ad vnitatem concurrentiū. Superuacuè igitur ratiocinantur, qui asserunt si vna sit persona Verbi incarnata, prorsus consequi permixtionem, atque confusionem factam fuisse, imminuta nimirùm atque subtracta hominis natura. Neque enim imminuta neque subtracta est, vt aiunt: nam ad plenissimè declarandum quod sit factus homo; satis est fateri illud fuisse incarnatum. Hoc enim si à nobis faceretur, haberent locum aliquem eorum calumniæ: cùm verò necessariò subiunctum sit, incarnatum esse, vbinam vllus imminutionis subtractionisve modus relictus est.]

Affinita aliorum Patrum loca similiter exposita.

140. Hæ glossæ verborum S. Cyrilli, æquè commodare possunt enodandis aliis duriusculis quorundam Patrum loquendi modis. Sic enim Turrianus in notis ad secundam expositionem fidei per Gregorium Thaumaturgum nu. 11. quod ibi à S. Gregorio dicitur, *non esse in Christo duas naturas*, exponit de duabus naturis in cōiunctis, & per se existentibus, ac proinde non nisi accidentariò nexis. Qua item ratione S. Cyrillum exposuit idem Turrianus in notis ad epistolam Dionysij Alexandrini contra Paulum Samosatenum num. 8. cum interpretatur quod ibi negat Dionysius, Christum esse naturâ Deum, naturâ hominem; nempè ita vt duæ eius naturæ sint physicè inconiūctæ, nec nisi accidentariò copulatæ. Quæ est item secunda nostra expositio verborum S. Cyrilli. Similiter quoque exponi potest locus S. Athanas. propè geminus loco adducto ex S. Cyrillo. Referunt eum Athanasij locum S. Eulogius apud Photium Cod. 230. *initio*, Theodorus in legatio. ad Armen. Quanquam Leontius de Sectis, actio. 8. in fine, eum Athanasij locum, putat confictum ab Hæreticis. Ex Flauiano Constantinopolitano, Maxentius suprà, locum profert iisdem verbis conceptum quibus locus S. Cyrilli; ac proinde eodem modo vterque exponendus est. Locus ex S. Leone, qui superiùs inter obiiciēdum est adductus. vix eget hisce interpretationibus, cùm verè non habeat vnam, esse Christi naturam, sed Christum esse vnam prolem. Accedit quod non est inuerisimile, eum locū fuisse adulteratum. Nam Petrus Damiani eum locum S. Leonis allegans, epist. 1. c. 9. non legit, *humanam & diuinam vna edidit in prole naturam*, vt habēt vulgati codices S. Leonis, sed *vna edidit in prole personam*; nempè & in diuinitate subsistentem, atque adeò personam diuinā, & subsistentem in humanitate, & eatenus hominem, ac personam humanam, quamuis personalitas diuina esset. Cæteri Pontifices qui pro Eutychianismo obiiciebantur non egent interpretatione. Nam Iulij epistola quam Eutychiani iactabant, non erat Iulij, sed Apollinarij, fontis Eutychianismi, quam suppositionem notauit Leontius l. de Sectis actio. 8. Vigilius qui item allegabatur, nullius in hac parte est momenti. Nam cum ea sanxit quæ pro se iactabant Eutychiani, erat Pseudo-Pontifex: ac ne tunc quidem apertè, & quasi ex cathedra vsurpata docuit hæresim; sed clanculum, ac per ambages. Vide Bellarminum lib. 4. de Pontif. c. 10.

Inanis itaque, imò blasphema est, & cum omni detestatione explodenda enodatio ænigmatis diuinitùs propositi, quam Eutiches, aliique eius, aut antecessores, aut partiarij tradiderunt. Et sicut Nestorius subiacet ei detestationi qua feritur Cain, quia malè diuisit; ita Eutyches eandem incurrit maledictionem, quia malè confundes pessimè obtulit, vt scitè dixit Vigilius. l. 3. contra Eutychem *in fine*.

CAPVT VI.

Ænigmatis illegitima enodatio postrema, Lutheranorum asserentium Verbum carnem factum esse, per formalem vtriusque identitatem arcanam, quæ propriam realitatem non tollat.

131. Tentarunt quoq; ænigma diuinitùs propositū superioris seculi Sectarij, nec omnes vno modo. Plerique enim pro more hæreticorum, mangones egerunt priscorum errorum. V. G. Menno Anabaptistarum Signifer, Eutychetis expositionem per omnia probauit. Adam, Pastoris admisit interpretationem Nestorij, vt latè refert Georgius Cassander in commentario de duabus naturis & vna persona Christi. Sed quod iam & Nestorium & Eutychetem tanquàm peruersè, & indigne interpretatos repulerimus, non est quod denuò cum his nuperis illorum asseclis ludamus operam. Excutienda igitur est interpretatio alia quam adhibuerunt Lutherani, vt latè referunt Bellarminus l. 3. de Christo c. 1. & qui cum eis cominùs verbo, & scripto diu conflixit Gregorius de Valentia 3. p. d. 1. q. 2. p. 3. ac fusius in opere contra Vbiquitarios.

Commentum Lutheranorum, de formali Verbi, & carnis identitate.

His ergò & aliis Catholicis tractatoribus referentibus, accepimus ex Lutheri caula nonnullos, præsertim verò Schmidelinum Luthero ipso auspice, eam tradidisse rationem exponendi quomodo Verbum sit factum caro, seu homo, quod persona Verbi eiúsque diuinitas, cum diuinis attributis omnibus, & operationibus sint in humanitatem transfusa. Ex quo intulerūt Christum etiam quatenus hominem, esse diuinam personam, ac Deum omnipotentem, infinitum, æternum, immensum procreatorem, rectorem, & conseruatorem vniuersi. Non enim censent harum propositionū, *hic homo* (demonstrato Christo.) *est persona diuina*, vel *hic homo est omnipotēs*; sensum duntaxat esse, *hæc persona terminans istā humanitatē, est Deus & omnipotens*; sed planè affirmant earum propositionum sensum esse, *hic homo etiam secundum suam humanitatē, est Deus, & omnipotens*. Quam esse volunt illam formaliter vi vnionis factam exaltationem humanitatis Christi ad æqualitatem Dei: quam exaltationem sibi videntur in quibusdam scripturis olfacere. Humanitatem quoque, censent formaliter vi vnionis transfusam fuisse in diuinitatem. sed dispari modo, quàm sint diuina in humanitatem transfusa. Nam humanitas non perfecit Verbum, atque adeò illi neque perfectionem vllam contulit, neque infirmitatem communicauit, vt à diuinitate factum est ergo humanitatem, cui diuinitas se totam, omniaque attributa & bona sua immisit; non quidem essentialiter, aut subiectiuè, quasi scilicet humanitas per suam essentiam sit diuinitas, vel diuina attributa; quod solius diuinitatis est proprium; aut quasi diuinitas, eiusque attributa, insint humanitati tanquā accidentia subiecto: Sed quod diuina Verbi personalitas, & natura, & proprietates, insint humanitati modo quodam singulari, & arcano, quem personalem, aut Hypostaticum appellant: eiusque arcani modi beneficio effici dicunt, vt humanitas Physicè quidem infirma maneat, & omnia sibi connaturalia retineat; habeat tamen etiam diuina: nec ratione tantùm suæ personæ sit æterna, omnipotens, omniscíens, & cætera huiusmodi, sed ipsamet per seipsam immediatè sit Deus, sit æterna, omnipotens, omniscíens, sed nominatim omnipræsens, non essentialiter, sed communicatione ac dono:

Ita tamen vt ſecundùm formas ſignificatas per extrema prædictarum propoſitionum, vnum, & idem ſint humanitas & Deus, eiuſque attributa, non autem duntaxat ratione ſuppoſiti habentis, & diuinitatem, & humanitatem, quod non ſufficeret ad æqualitatem humanitatis cum deitate, in ſcripturis, vt volunt, affirmatam. Non enim ſi corpus dicitur animatum, hoc eſt habens animam, ſequitur animam æquari à corpore, ſicut æquaretur ſi per ineffabilem animæ cum corpore communicationem nunquam in rerum natura poſitam, corpus eſſet vnum, & idem cum anima. Sic igitur iuxta iſtos, Verbum caro factum eſt, & Deus eſt homo, quia verè humanitas manens humanitas, & naturam ſuam, ac connaturales dotes retinens, eſt idem formaliter quod Deus, arcano quodam, & inexplicabili identitatis modo, quem penitius ſcrutari ſit nefas.

Eſt ſtupidus error.

132. Enodatio iſta propoſiti ænigmatis, non modò falſa eſt, ſed etiam apertè ſtulta, & inſigne argumentũ exhibens ſtupiditatis Sectariorum. Prolixè eam refellit Valentia ſuprà adductus, & benè ex Patribus, Turrianus epiſtola longa contra Vbiquiſtas. Sat ſit dicere, ex reali communicatione attributorum, & diuinitatis facta humanitati, turpiter ab his Lutheri combibonibus illatum fuiſſe, humanitatem eſſe formaliter Deitatem, ac diuina attributa. Hoc enim planè eſt confundere humanitatem cum Deitate: quia inter humanitatem, & Deitatem, eiúſque attributa, nõ intercedit identitas vlla quæ affirmari formaliter poſſit, niſi humanitas tranſeat in Deitatem. At qui ad affirmationẽ vnius de alio ſecundum formas vtriuſque, exigitur identitas ſecundùm formas eorundem: ſicut ad affirmationem vnius de alio ſecundum ſuppoſitum, ſeu ſubiectũ vtrique extremo commune, ſufficit, & exigitur identitas ſuppoſiti, atque ſubiecti. Vt cum dico, *homo eſt niger*, ſignificatur identitas inter ſubiectum habens nigredinẽ, & hominẽ. Similitérque cum dico, *homo eſt animal rationale*, affirmatur identitas formæ animalis rationalis, & alterius extremi, ſiue hominis. Igitur ad formalem affirmationem Deitatis, eiúſve attributorum de humanitate exigitur identitas vtriuſque formæ conſtituentis prædicatum, & ſubiectum. Ea autem identitas non poteſt dari, ſi humanitas maneat humanitas. Neceſſe igitur eſt, vt in Deitatem tranſeat; quod eſt reuolui in cœnum, ac volutabrum Eutychetis. Examina verò cõtradictionum è monſtroſo hoc placito ebullientium, nihil attinet commemorare; cùm per ſe pateat ex hoc figmento ſequi, Chriſtum ſecundùm humanitatem ſuam, potuiſſe ipſam ſuam humanitatem primò producere. Nam id præſtare potuit per ſuam diuinitatem, quam hi fabulones aiunt eandem formaliter eſſe cum humanitate. Eſt autem contradictio apertiſſima, vt aliquid ſeipſum primò producat; eſſet enim priuſquàm eſſet. Quæ item contradictio, manifeſtè ſequitur ex identitate humanitatis, & diuinitatis. Et inde quoque habetur humanitatẽ, neque pati, neque mori potuiſſe, eſt enim (iuxta iſtos,) idem quod diuinitas. Item habetur diuinitatem pati, & mori potuiſſe, cùm ſit idem quod humanitas, quæ paſſa, & mortua eſt.

Miſeret verò me reſponſi quo aduerſarij has contradictiones declinare ſe putant, dicentes eam naturarum tam diſcrepantium identitatem eſſe miram, & arcanam, & Chriſtum ita ſecundùm Deitatem fuiſſe impaſſibilem, & immortalem, vt ſimul eſſet ineffabiliter mortalis, ac paſſibilis. Hoc dico mouere miſerationem. Nullus enim eſt tã arcanus, & ineffabilis modus, quo propoſitiones cõtradictoriæ, quales ſunt quæ ſũt adductæ, ita conciliari queãt, vt ambæ ſint ſimul veræ. Scripſit contra hoc reſponſionis portentum S Athanaſius in capitibus ad Euſtathium, adductus à Franciſco Tuniano epiſtola contra Vbiquitarios. Nunc integer de hac re libellus extat inter Athanaſij opera Græco-latina; quem ſuperius ex Photio adiudicauimus Theodoreto. Ibi potenter, ac manifeſtè euincitur, quanto delirio, impoſſibilium effectio, & coniunctio inconiungibilium, tribuatur Deo. Nec rectè obtenditur inexplicabilitas captibus noſtris ſuperior, cùm non modò per nos concipi, ſed nulla etiam vi exiſtere huiuſmodi conſociatio queat.

Ad eius firmamenta.

133. Argumenta Sectariorum cum quibus agimus, nihil minus probant quàm quod ipſis propoſitum eſt probare. Vrgent enim duntaxat nonnulla Scripturarum, & Patrum loca, quibus gloria, & maieſtas Chriſti celebratur; eique nonnulla tribuuntur, quæ ſunt planè Deo propria. Sed nimirum Scripturæ, & Patres, iis locis ferè agũt de attributis Chriſti provt Deus eſt. Aliàs verò agunt de attributis Chriſti hominis, provt eius humanitas in diuino Verbi ſuppoſito ſubſiſtit, eaque ratione in concreto omnia Verbi prædicata participat. Sicut etiam vice verſa, Verbum humanis prædicatis communicat, vt ſuo loco eſt exponendum. Aliquando tandem agunt de humanitate verbo tenus in abſtracto, ſed vſurpantes abſtractum pro concreto: vt cum homo dicitur à Verbo aſſumptus. Itaque ex illis Scripturarum, & Patrum locis, nihil tale concluditur quale aduerſarij inferebant. Friuolum verò & falſiſſimum eſt quod addunt, negata ea communicatione formali Deitatis facta humanitati, duplicem Chriſti perſonam cum Neſtorio eſſe agnoſcendam, ne diuinitas à Chriſti perpeſſionibus ſit prorſus extranea, euacuetúrque redemptio noſtra, dicendo purum hominem eſſe pro nobis paſſum. Hæc omnia ſunt à vero alieniſſima. Poſita namque vnica Chriſti perſona, & Deitate nullum in ſeipſa dolorem, aut perpeſſionem excipiente, intelligi commodè poteſt, quomodo Chriſtus ſit homo Deus, nóſque non puri hominis, ſed Dei in carne patientis perpeſſionibus redempti ſimus. Quare poſt tam varias tam multorum hæreticorum enodationes hactenus propoſitas, ænigma, diuinitùs propoſitum, manet adhuc inexplicatum, eiúſque legitima enodatio, adhibenda ſupereſt.

LIBER SECVNDVS.

Enodatio Catholica editi diuinitùs Ænigmatis, proposita, & accuratè discussa, subiunctoque sacrorum Emblematum apparatu illustrata.

1. AEnigmatis diuinitùs propositi enodationem hæreticis tam multis, quos hactenùs retulimus, ac repulimus tam infæliciter cessisse mirum nequaquam videbitur, si attendamus quàm illi constitutas ænigma legitimè exponendi cautiones non tenuerint, sed à recto auersi, per auia, & præcipita deflexerint. Aduocationem cælestis lucis ei esse præmittendam qui hanc enodationem cogitaret, edicebamus, atque adeò fidem à Deo exoratam humillimè tenendam, cornibus in veritatem tametsi intellectu glutinoso non satis penetratam, minimè erectis, commendabamus: puritatem denique animi, ne fumus aut fuligo excrementitia vitiorum è conscientiæ cœno euaporans, quod sæpè accidere obseruat S. Augustinus, intelligentiæ lumen extingueret, vel excipiendum præcluderet, curandam omni studio admonebamus. At hi iudicio proprio condemnati, & sibi ipsis pessimi consultores, ac magistri nouorum dogmatum facti, conculcatis Ecclesiæ scitis, & fidei rubrica abiecta turpissimè impegerunt. Quam in veteribus etrandi citra hoc ænigma radicem, ad nuperos quoque verè transferendam S. Anselm. lib. de Incarn. Verbi cap. 2. his verbis aperuit. [Solent quidam cùm cœperint quasi cornua confidentis sibi scientiæ producere, nescientes, quod si quis æstimat se scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire, antequàm habeant per soliditatem fidei alas spiritales, præsumendo in altissimas de fide quæstiones assurgere. Vndè fit, vt dum ad illa, quæ priùs fidei scalam exigunt, sicut scriptum est, *nisi credideritis non intelligetis*, præpostè priùs per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores: per intellectus defectum cogantur descendere. Palam namque est, quia illi non habent fidei firmitatem, qui quoniam quod credunt, intelligere non possunt disputant contra eiusdem fidei à sanctis Patribus confirmatam veritatem: velut si vespertiliones, & noctuæ, non nisi in nocte cœlum videntes, de meridianis Solis radiis disceptent contra aquilas, Solem ipsum irreuerberato visu intuentes. Priùs ergo fide mundandum est cor.] Hoc totius sanctimoniæ primo fundamento, fide (inquâ) de vera destitutos Sectarios, cor nequaquam mundasse, & ad excipiendam diuinam lucem præparasse, sed horrendis turpitudinibus, quas premere consultiùs videtur, dehonestantes vitam suam, procul à se ablegasse Spiritus S. lucem, quâ propositi ænigmatis caliginem dispellerent, eiusque tenebricositatem peruadere liquidò possent, in confesso est. Quare relictis erroribus, & eorum inanibus ænigmatis propositi extricationibus explosis, ad columnam, & firmamentum veritatis, Catholicam Ecclesiam, & quam illa suppeditabit ænigmatis interpretationem, accedo.

SECTIO I.

Catholica, & sola legitima Ænigmatis Enodatio proponitur, ac typo exponitur.

1. SVnt quidem Christiana mysteria supra rationem humanam, atque naturam, non tamen contra rationem, aut naturam. Ratio enim humana veritate nititur, alioqui non est ratio, sed deceptio, & exorbitatio à recto ad verum itinere, quod rationis nomine significatur. At veritas non potest cum vertate pugnare, neque igitur supernaturale mysterium cum naturali lumine pugnat, aut cum vera Philosophia naturali. Quod non negat Anastasius Sinaita cap. 1. *δδ. 17ῦ in fine*, cùm ait primam Philosophiæ definitionem sancire, contraria non posse coniungi: & hanc primam Philosophiæ regulam euerti hoc effato Christiano. [Diuinus ignis, & natura carnis in vnam communionem, & societatem coaluerant.] Sensus enim tantùm est, Philosophiam Deum metantem, quæ non est vera Philosophia, euerti per fidem. At cum vera Philosophia non pugnat fides. Hæc cùm ita sint, non est desperanda legitima ænigmatis propositi enodatio; sin minus perspicua, & euidens, quam iam exclusimus, at saltem tenebricosa, & caligine obsepta, qualem fides præstare potest, quæ vt eleganter à Damasc. dictum est Orat. de Transfigur. Est quidem nubes lucida præ tenebricositate veteris legis, tamen nubes est, atque adeò nunquam caliginem & obscuritatem planè abiicit.

CAPVT I.

Quomodò verè, & substantialiter potuerit Verbum caro fieri, rudis delineatio.

PRæmittendum est ante omnia cum Augustino lib. de dono perseuer. cap. 24. [Fidelis, qui in Christo veram naturam credit, & confitetur humanam, id est nostram, quamuis singulariter suscipiente Deo verbo, in vnicum filium Dei sublimatam, ita vt qui suscepit, & quod suscepit, vna esset in Trinitate persona: Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit assumptione illa ineffabiliter faciente personæ vnius in Deo, & homine veritatem. Quoniâ non Deum tantùm, dicimus Christum sicut hæretici Manichæi: nec hominem tantùm, sicut hæretici Photiniani nec ita hominem, vt aliquid minùs habeat, quod ad humanam certum est pertinere naturam: siue animam, siue in ipsa anima mentem rationabilem, siue carnem non de femina sumptam, sed factam de verbo in carnem conuerso, atque mutato, quæ omnia falsa, vana hæreticorum Appollinaristarum, tres partes varias diuersasque fecerunt. Sed dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine vllo initio temporis, eundémque hominem verum, natum de homine matre, certa plenitudine temporis; nec eius humanitatem quâ minor est Patre, minuere aliquid eius diuinitatem quâ æqualis est Patri, hoc, autem vtrumque vnus est Christus.] Hæc est quasi fundamentaria, & certissima veritas fidei ad quam admetienda est explicatio nodi cui insistimus. In eo ergo sita est enodatio ænigmatis propositi, quod humanitas sine confusione, & corruptione vlla, iungitur Verbo diuino in vnitatem suppositi, amittendo suam subsistentiam creatam, & acquirendo diuinam; atque ita vnus & idem est qui ex duplici illa natura coagmentatur, quia duæ illæ substantiæ adunantur in vno communi termino substantiali, nec constant nisi vnam personam.

In Christo aliud & aliud, non tamẽ alius, & alius.

3. Hæc est summatim Catholica fides huius mysterij, quam iuuat exprimere verbis Nazianzeni Orat. 10. laudatis in Ephesino Concilio, & apud Facundum lib. 1. cap. 5. [Si quis duos filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem vnum, atque eundem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Quanquam enim Deus & homo duæ naturæ sunt, quemadmodum, & anima, & corpus; non tamen duo Filij, nec Dij; quemadmodum nec hi quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum, internam, & externam hominis partem appellauerit. Atque vt paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Saluator: (nisi verò id quod cerni non potest, idem est cũ eo, quod in oculorum aspectum cadit; & quod temporis expers est, cum eo quod tempori subest:) non tamen alius atque alius; absit. Ambo enim hæc, connexione vnum sunt, Deo nimirùm humanitatem, atq; homine diuinitatem suscipiente, aut quocunque tandem nomine quispiam vti malit.] In his paucis, expressam perspicuè habes, & naturarum in Christo dualitatem, & personæ in pluribus illis naturis identitatem, ratione connexionis, & vnitionis; quibus continetur vniuersa huius mysterij ratio.

Naturarum multiplicitatem exprimunt illa, [aliud, & aliud:] vnde factum esse subiungit Nazianzenus, quem ad id describsit ex oratione de Filio Anast. c. 15. ὃ δὴ καὶ: è contra hic accidere quam in Trinitate. [Illic enim alius atque alius, ne personas confundamus, non autem aliud atque aliud, quoniam tria, quoad diuinitatem, vnum & idem sunt.] At in Christo, aliud, & aliud, non alius, & alius: Vinc. Lyrin. perbellè id exponit c. 19. commonito. [In Deo (inquit) vna substantia, sed tres personæ: in Christo duæ substantiæ, sed vna persona: in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud: in Saluatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: Sed tamen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non alia & alia, sed vna est eadémque natura. Quomodo in Saluatore aliud atque aliud, non alius atque alius? quia videlicet altera substantia diuinitatis, altera humanitatis: sed tamen Deitas, & humanitas, non alter, & alter, sed vnus idémque Christus, vnus idémque Filius Dei, & vnius eiusdémque Christi, & Filij Dei, vna eadémque persona. Sicut in homine, aliud caro, & aliud anima, sed vnus idémque homo, anima & caro.]

Ita ferunt varia huius mysterij nomina.

4. Iam personæ vnitatẽ denotat, quod Christus negatur esse alius, & alius propter connexionẽ humanitatis, & Verbi in vnam personam, quomodocunque ea connexio appelletur, vt aiebat Nazianzenus; respiciens haud dubiè ad varia omninò eius nomina apud Græcos, adde & apud Latinos. Notarunt pleraque Genebr. ad Symb. Athan. n. 29. & Salmero tomo 2. tract. 27. Plurima addensauit S. Cyrill. l. de S. Trinit. c. 24. [Cùm è præstantiore quidem (inquit) verba facimus, Deificationem carnis, & λόγωσιν (Verbificationem, seu Verbifactionem) & superexaltationem dicimus, & quæ sunt eius generis, opulentiam quæ carni ex vnione & arctissima coniunctione cum sublimissimo Deo verbo accessit commonstrantes. Cùm autem à minori parte loquimur, Verbi incarnationem, humanitatis assumptionem, exinanitionem, paupertatem, humiliationem dicimus. Hæc enim, & quæ sunt huius generis, ob eam, quæ ipsi cum humanitate est, coniunctionem & temperationem Verbo, Deóque tribuuntur. Cùm denique ab vtroque simul nobis sermo est; vnionem, communionem, vnctionem, coalitionem, conformationem, & quæ sunt his similia pronuntiamus.]

Signo præterea, illustria quædam ineffabilis huius nexus nomina. Passim vocatur *incarnatio*, qua voce abusi sunt quidam hæretici, vt Ariani: è quorum grege Eudoxius Constantinopolitanus in opere de Incarnatione, cuius fragmentum exhibetur t. 8. bibl. Colono. pag. 336. ait se profiteri Deum incarnatum, non humanatũ, eò quod Verbum non sit coniunctum humanitati, sed soli carni, Deitate supplere vicem animæ. S militérque Apollinaristas studiosè vsurpasse vocem incarnationis, habet Nazianz. Orat. 51. Hæc causa fuit cur Facundus Hermian. l. 9. pro tribus capit. cap. 3. magis probauit vocem inhumanationis, respondentem Græcæ voci ἐνανθρώπησις, quam vocem Incarnationis [vt propriè (inquit) hoc exprimam, minùs quidem Latino, sed necessario verba, sicut à Græcis dicitur, de inhumanatione filij Dei.] Et mox [Non enim refugio Verbum quod à me fidei ratio atque veritas flagitat, aduersus eos, qui non hominem totum, id est carnem, & animam rationalem, sed solam carnem; aut carnem tantùm, & animam sine ratione, susceptisse dicunt filium Dei.] Et quanquam non displicet studium præscindendi Arianis, & Apollinaristis occasiones errandi, tamen voce quoque illa abusum esse Apollinarem, testis est S. Gregorius Nazianzenus referens eum per ἐνανθρώπησιν, voluisse intelligi externam Dei cum hominibus conuersationem, non autem copulationem Verbi, & humanitatis. Deinde vox *Incarnationis* eodem planè recidit, quò vox inhumanationis, neque enim de carne agitur inanimata, quæ non nisi æquiuocè caro est Aristotele ipso iudice, sed de carne viua quæ totum hominem comprehendit, vt notat Cassianus collat. 4. cap. 10. estque accepta illa carnis frequentissima in Scripturis, vt signatis variis locis ostendit D. August. q. 80. ex 83. obseruans magis commendatam fuisse *carnis* nomine humilitatem in hoc mysterio, quàm si adhibita fuisset loco *carnis* vox *animæ* quæ item sæpè in Scripturis totum hominem per Synecdochen designat. Eũ enim verè fuisse ibi Augustini sensum, multis ex Augustino desumptis contra Vvicleffi commenta stabilit Valdens lib. 1. doct. c. 39. n. 10. & 11. Præterea verò idcirco non est ad hoc mysterium designandum vsurpata vox *inanimationis*, quia vt rectè vidit Innocentius III. ser. de natiu. animatio Verbi non modò designaret nudam humanitatis cum verbo copulationem, vt facit vox *Incarnationis*, sed etiam videretur innuere vinificationem Verbi per animam Christi, quod constat esse à Verbo alienissimum. Quare Incarnatio, idem prorsus est quod inhumanatio. Nec Græci qui σάρκωσιν eam quoque nominant, aliud eo nomine intellexerunt, quàm per vocem ἐνανθρώπησις, quâ item designant hoc mysterium, vt videre est apud S. Athanasium in Dial. cum Apollinaristâ *sub medium*.

5. Quæ ab humanitate assumpta, *incarnatio*, aut *inhumanatio* dicta est, eadem à duarum naturarum concursu in vnam personam, dicta est à Nazianzeno *Synodus*, quasi conuentus, & coitio vt Genebrardus suprà notauit: qui addit ex Nysseno, dici eandem ob causam πρὸς ἐγγύτητα *appropinquationem*: à Chrysostomo autem συναφείας *conflictum*: Damasceno περιχώρησιν, quia diuinitas carnem immeauit. Communissimum apud Græcos nomen est *œconomia* quam semper contraponunt Theologiæ, hæc enim Deum in se, ac nudum spectat, œconomia verò vt carne amictum sub qua forma Christus tanquam fidelis in vniuersa domo Patris, vt habetur Heb. 3. negotium salutis nostræ, & totius familiæ Dei bonum diligenter curauit. Ita rectè Turrianus ad prologum Cyparissiotæ num. 5. vocant quidem interdum Græci Patres, nomine œconomiæ, eam

eam prouidentiam, quâ Deus ante carnem assumptam commodis mortalium consulebat, vt videre est apud Iustinum in expositione fidei, Tertullianum latè c. 3. contra Praxeam, & identidem eodem libro, Eusebium l. 1. de præpar. c. 1. & Nazianzenus Orat. 2. de filio, tamen vt plurimum nomen œconomiæ restringunt ad mysterium Incarnationis, & ea quæ Verbum pro nobis gessit in carne, vt diligentius prosequitur Billius ad Orat. 8. Nazianzenus num. 14. ac Vossius ad sermonem 2. Thaumaturgi de Annunc. Virg. Quomodo verò voce *œconomiæ* abusi sint Manichæi, & alij quidam hæretici ad stabiliendas suas hæreses, attigi supra, impugnans errorem Manetis post Anastas. c. 11. *ὁδηγὸς*, *in fine*, & cap. 13. pag. 245. In scripturis dicitur quandoque *interius* & *exterius*, de quo Hilarius Diac. in c. 1. ad Hebr. & Chrysost. ibidem hom. 3. & ratio esse potest, quia hæc vita, est Genesis, & Exodus. Nec plura de præcipuis huius mysterij nominibus.

Cur Christum, talem construi, oportuerit.

6. Quodcunque ergò ex his nominibus, aliisve, vt Nazianzenus monebat, adhibeamus, perinde est, dummodo nomen sit tale, vt per illud apte signetur ea intra Christum compositio, quæ habet pro extremis humanitatem, & Verbum. Eiusmodi enim statui debet ea compositio, vt secundùm eam verè Deus dicatur homo, & contra: & satisfactio per humanitatem elicita, fit actio Dei, vt suppositi per hanc suam naturam operantis, hoc autem deficeret, nisi Verbum, & humanitas copularentur, & in vnam compactionem concurrerent. At eo concursu posito, totus scopus Deo propositus in fabricatione huius mysterij, & Christi productione, optimè obtinetur, vt attigit Nouatianus l. de Trinit. c. 18. [Si ad hominem (inquit,) veniebat, vt mediator Dei, & hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, & Verbum carnem fieri, vt in semetipso concordiam confibulatet terrenorum patiter, atque cœlestium, dum vtriusque partis in se connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet: vt meritò filius Dei per assumptionem carnis filius hominis, & filius hominis per receptionem Dei Verbi, filius Dei effici posset. Hoc altissimum, atque reconditum Sacramentum, ad salutem generis humani ante secula destinatum, in Domino Iesv Christo, Deo & homine inuenitur impleri, quo conditio generis humani ad fructum æternæ salutis posset adduci.] Clarius id ipsum habet S. Anselm. 2. Cur Deus homo c. 18. verbis illis [Ad hoc valuit in Christo diuersitas naturarum, & vnitas personæ, vt quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret diuina; & si diuinæ minimè conueniret, exhiberet humana: & non alius, atque alius, sed idem ipse esset, qui vtrumque perfectè existens, per humanam solueret quod illa debebat, & per diuinam posset, quod expediebat.]

7. Non potuisse autem alia ratione quàm per prædictam compositionem peruenire ad scopum illum, neque fieri aliter potuisse, vt idem homo, & Deus esset, (quod necessarium erat vt actio naturæ humanæ satisfacientis Deo, esset Dei actio, & pretium inde ac dignitatem hauriret, fieréque diuinæ iustitiæ adæquandæ accommodata) perspicuè habetur ex eo quod omnes aliæ Dei ad creaturam compositiones, implicant contradictionem; vt minutissimè probat Gilliet. 2. tract. 4. c. 11. & passim alij 1. p. q. 3. Hæc autem compositio Dei cum creatura, non repugnat, vt liquebit ijdemmodo obiecta in contrarium. Audiendus interim breuiter est S. Anselmus egregiè ista demonstrans eiusdem libri c. 7. exclusis hoc pacto omnibus aliis modis quibus fingi posset eundem esse Deum, & hominem, & monstrans Deum non posse aliter fieri hominem, quam per compositionem prædictam diuinæ personæ, & humanitatis: [diuina natura, & humana non possunt inuicem mutari, vt Diuina fiat humana, vel humana diuina: nec ita misceri, vt quædam tertia sit ex duabus, quæ nec diuina sit omninò, nec humana. Denique si fieri posset, vt altera in alteram conuerteretur; aut esset tantùm Deus, & non homo, aut solùm homo, & non Deus: Aut si miscerentur, ita vt ex duabus corruptis fieret quædam tertia: quemadmodum de duobus individuis animalibus diuersarũ specierum masculo & fœmina, nascitur tertium, quod nec patris integram, nec matris seruat naturam, sed ex vtraque tertiam; nec homo esset nec Deus. Non igitur potest fieri homo Deus, quem quærimus ex diuina & humana natura, aut ex conuersione alterius in alteram, aut corruptiua commixtione vtriusque in tertiam: quia hæc fieri nequeunt, aut si fieri valerent, nihil ad hoc quod quærimus valerent.] Id est, etiamsi possibile esset, ex Deo & humanitate corruptis, existere tertiam naturam, tamen ea natura non posset esse vsui ad scopum Deo propositum in productione huius mysterij, hoc est ad satisfactionem perfectam per hominem qui deliquerat, & iura diuina violauerat. Vt enim possit sic satisfacere, exigitur omninò vt sit verus Deus & verus homo. Pergit S. Anselmus; [si autem quolibet modo coniungi ita dicuntur hæ duæ naturæ integræ, vt alius sit homo alius Deus, & non idem sit Deus qui & homo, impossibile est, vt ambo faciant quod fieri necesse est. Nam Deus non facit, quia non potest. Vt ergo hoc faciat Deus homo, necesse est eundem ipsum esse perfectum Deum, & perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facturus est, quoniam eam facere non potest, nisi sit verus Deus, nec debet nisi sit verus homo. Quoniam ergò seruata integritate vtriusque naturæ necesse est inueniri Deum hominem, non minùs necesse est has duas naturas integras conuenire in vnam personam, quemadmodum corpus, & anima rationalis conueniunt in vnum hominem: quoniam aliter fieri nequit, vt idem ipse sit perfectus Deus, & perfectus homo.] Non poterat neruosius, & aptiùs, cùm Eutychianismus, tùm Nestorianismus refelli, & doctrina Catholica de Christo simul vero Deo, & vero homine stabiliri.

Structura Christi, vtcunque expressa per structuram hominis.

8. Portò exemplum quo S. Anselmus hanc intra Christum compositionem expressit, à Nazianzeno quoque vt superiùs hoc ipso capite retuli, vsurpatum est, & ab aliis quoque plerisque Patribus ad hoc ipsum fuit adhibitum, vt à S. Cyrillo l. de Incarn. vnig. c. 24. qui cùm contestatus esset non posse per nos penetrari quomodo Verbum factum esset homo, & vnitum fuisset nostræ humanitati, subdit. [Sed si oportet tanquam in speculum intuentes dicere, coniectat aliquo modo sensus humanus, adunatum fuisse Verbum corpori habenti animam rationabilem, qualiter etiam hominis animam suo corpori; Ipsam quidem diuersæ naturæ, sortitam tamen communionem, adunationémque cum corpore: vt pene videatur non esse alia præter corpus, eò quod per compositionem ex vtroque animal vnum efficiatur. Manet tamen ipsa, vt ante memorani, in sua natura.] Fusiùs eadem tradit in epistol. ad Monachos Ægypti parte 1. Conc. Ephes. Græcol. n. 12. Non dissimiliter S. Gregorius Thaumaturgus in 2. expositione fidei num. 2. ait [Verbum copulatum esse carni, ad similitudinem humanam:] id est, vt in notis exponit Turrianus, ad modum vnionis animæ, & corporis. Pulchrè S. Augustinus tract. 47. in Ioan. [Planè (inquit) & caro Christus, & anima Christus; & Verbum Christus; nec tamen tria hæc

tres,

tres Christi, sed vnus Christus. Hominem interroga, & de te ipso fac gradum ad ea quæ supra te sunt, & si nondum intelligenda, saltem credenda: quomodo est enim vnus homo, anima & corpus, sic vnus Christus, Verbum, & homo. Videte quid dixerim, & intelligite. Anima & corpus, duæ res sunt, sed vnus homo: Verbum, & homo, duæ res sunt, sed vnus Christus.] Similia habet epist. 3. & 57. & in Enchir. c. 36. & l. 13. de Trinitate c. 17. Nyssenus perpulchrè sub initium qq. de Imag. [Quanam tandem de causa (inquit) non spirituales potius, & ab omni materiæ concretione seiunctos, ac cælestes, Deóque proximos Angelos appellarit Deus ad imaginem, & similitudinem suam creatos. Etenim principatum, atque imperium in terram vniuersam, atque hominem ipsum, obtinent illi, imò etiam ampliùs quàm homo. Pati ratione immortalem esse, à materia segregatum, inuisibilem, & purum, atque omnia quæ de Adamo dixeris, excellentiùs insunt spiritualibus, & cœlestibus incorporearum mentium choris. Quippiam igitur profundiùs nobis, quàm prima fronte pateat, illud *ad imaginem*, quod est in homine, obscurè indicat. Non enim vnam quandam imaginem, ac similitudinem Dei possidet in se homo, sed & secundam, & tertiam, tanquam in speculo quodam & adumbrata effigie fictitia, & typica, non physica, diuinitatis, in qua sunt tres personæ, mysterium exprimens. Neque verò id solùm, sed & vnius ex sancta Trinitate Dei Verbi incarnationem prænuntiat. Ac fortasse ad imaginem quidem est diuinitatis nuda anima, ad similitudinem autem Incarnationis Verbi, istud animæ nostræ, corporisque compositum.] Nemo est qui illud S. Athanasij ignoret, [sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.] Ad eum locum Genebrardus num. 36. multos præterea alios Patres laudat in eam rem. Geronadius denique Scholarius in duce viæ, & cap. 8. colloquij cum Sultano, quod describitur l. b. 2. Turcogr. Crusij, adhibito eodem exemplo declarat hoc mysterium. Analogiam ex variis capitibus petit Genebrardus supra præcipua, & à Patribus inter ea iuxta Facundum l. 9. c. 4. In eo est quod duæ Christi naturæ in vnicam personam concurrant, sicut anima, & corpus in vnam personam hominis, nec prius anima, aut corpus per se fuerint, vt obseruat Anast. c. 1. *ad 17m* pag. 49. Item in eo quod vt anima corpus animatum; ita Verbum, hominem denominat Deum. Præterea in eo quod sicut anima quasdam proprias, quasdam cum corpore communes actiones habet, ita & Verbum cum humanitate. Tandem quia vt actiones vtriusque partis Physicæ hominis, toti composito verè tribuuntur, ita composito ex duabus naturis, & vna Christi persona, vtriusque illius naturæ prædicata sine absurdo tribuuntur: vndè Deus dicitur passus, & homo æternus. Sunt omnes hæ analogiæ optimæ, in easque intendit Deus, compingens hoc arcanum. [Demit quippè (inquit S. Bern. 5. de consid. c. 9.) familiariùs similiúsque cum hominis conuenire constitutione, quod pro homine constitutum est Sacramentum.]

9. Quia tamen exempla si omnimodam paritatem continerent, exempla non essent, & nominatim quæcunque in rem præsentem conferuntur, admodùm oblæsa sunt, vt notauit Damasc. 3. fide c. 26. multa sunt in hoc exemplo dissimilia mysterio de quo agimus, vt fusè prosequitur Iustinus in expositione fidei de Trinitate *post med.* attigit S. Bernardus suprà, ac Nemes. lib. de hom. c. 3. *sub fine* qui præsertim vrget quod anima quoquomodo muratur, & deprimitur, aggranatúrque à corpore, quod Verbum non subit ab humanitate. Addendum verò insuper est, animam rationalem, & corpus, esse substantias dimidiatas, faceréque vnam naturam, & neutrum eorum trahere alterum ad suam subsistentiam, sed vel vtrique esse suam subsistentiam, vel ambo pendere à subsistentia totius. Quæ omnia deficiunt in verbo, & humanitate. Aliæ præterea dissimilitudines notari possunt cum Anastasio cap. 18. *ad 17m*. Vnde mirum non est si hæretici ex hoc exemplo veritatem huius mysterij labefactare tentarint, vt Seuerus, & Monophysitæ ex Rustico, qui propterea disparitates huius exempli latè persequitur Dialo. contra Aceph. & ex Anastasio c. 17. *ad 17m in fine*, & c. 18. *initio*. Malè SS. Patres hoc exemplo vsos interpretati Armeni, vt videre est apud Theotianum in legatione, pag. 125. ex eo quod anima, & corpus sint vnica natura, vnicam ex verbo, & humanitate naturam Christi eruebant, perpetuóque in ore habebant hoc exemplū, vt idem Anastasius c. 19. & latè quoque Iustinianus in suæ fidei edicto, referunt. Quasi non etiam liceret in homine duas partiales naturas distinguere, spiritualem scilicet, & corpoream, quod apertè vult Anastasius c. illo 18. & S. Augustinus 13. Trinitate c. 17. quomodo tres in Christo naturas ponunt, Deitatem, animam, & carnem. Quam multa item, ex malè aptato exemplo humanæ compositionis aduersus veritatem huius mysterij effutierit Vvicleffius, legere licet apud Valdensem t. 1. l. 1. à c. 39.

Aliæ eiusdem structuræ, imagines.

10. Quare fatendū est, exemplū cōpositionis hominis ex anima, & corpore nō esse nisi exemplū Incarnationis, atque adeò aliquatenus claudicare. Esto verum sit, illud exemplum plus aliquantò congruere, quàm cætera vulgaria, vt affirmat Nemes. *supra*, & D. Thomas 4. contra gent. c. 41. Eiusmodi est exemplum insitionis quo vtitur S. Ephrem Sermo. de marg. pretiosa *sub fin.* & omnibus præfert Dur. in 3. d. 1. q. 1. n. 13. ac contra Caietani contemptum tuetur latè Palac. eadem distinctione 1. disp. 1 *sub fin.* Admodùm item tritum est exemplum ignitionis, quo vtitur Anastasius c. 11. *ad 17m* pag. 329. Damasc. optimè l. de duabus Christi voluntatibus, fusè itē ac benè Arnobius in conflictu cum Serapione lib. 2. *sub initium*. Nyssenus in Orat. magna Catech. c. 10. Nicetus 3. Thes. c. 38. n. 14. S. Cyrill. l. 2. pentab. in procœmio, & libro nuper edito de S. Trinitate cap. 14. & lib. de Incarn. Vnig. cap. 8. Cantacus. apologia 1. *sub medium* & apologia 2. *sub initio*, & fusè S. Basilius homil. de humana Christi generatione itemque autor operis de Incarnatione apud Augustinum lib. 2. *sub fin.* describens Origenem 2. periarch. c. 6. Exēplum verbi nostri mentalis, quod immutatum assumit vocem externam, vt carneis auribus illabatur, legere licet apud D. Augustinum 1. Doct. Christ. cap. 13. & lib. 15. de Trinit. c. 11. & apud Fulgentium contra sermonem Fastidiosi. S. Gregorius homil. 2. in Ezech. adhibet præterea exemplum electri, quod ex auro, & argento componitur, quæ ad diuinitatis, & humanitatis in Christo nexum egregiè accommodat. Hæc exempla fateor non esse adeò apposita, quàm est exemplum vnionis animæ, & corporis. In his enim exemplis, & manuductionibus ad hoc mysterium, de quibus infra plenè, multò plures sunt dissimilitudines, & improportiones, quàm in exemplo illo animæ, & corporis: Tamen vt Iustinus supra rectè monuit, non debet nos pudere improportionis quorumlibet exemplorum nostrorum cum hoc mysterio. Tam verum item, quàm tritum est illud Augustini epistola 3. Volusianum adhuc Ethnicum de hoc mystetio erudientis. [Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.]

Obsignemus hoc caput ea confessione qua Amatus Metensis Episcopus vitam ipsam obsignauit, vt ex gestis Metensium Antistitum narrat Onuphrius l. de ritu sepeliendi c. 1. Amatus ergo cum ad extrema veniſſet, iuſſit

ipsum sibi prælegi epistolam S. Leonis Papæ ad Flavianum de Incarnatione, eáque prælecta, missas faciens quascunque mysterij huius siue illustrationes siue prolationes exclamauit; [Sic credo. Trinitas ineffabilis, sic confiteor. Deus omnipotens, ita de te sentio Fili Dei IESV Christe, qui pro nostra salute dignatus es venire in hunc mundum, sic de te intelligo. Ita edoctus de tua Incarnatione sentio piissime Christe, quod assumpta carne sint duæ naturæ vnitæ in vnam personam.]

CAPVT II.

Contradictionum propositio diuinitùs ænigmati in speciem effusarum, superficiaria extricatio.

11. SIc vtcunque monstrata legitima ratione, qua vnus & idem potest esse Deus & homo, quilibet sine magistro, vt recte censuit Nouat. l. de Trinitate c. 20. ex sese facile cognoscere potest, quomodò conueniant omnes illæ contradictiones, quæ supra in propositione difficultatis, & tenebrarum nostri ænigmatis vrgebantur: quod scilicet idem sit gigas, & pusillo fortissimus, & infirmissimus; altissimus & depressissimus, mortalis & immortalis; genitus per genitam suam; creator & creatura. Lectorem in re certa, & suppositis fundamentis ante iactis, non adeò obscura, præsertim per nonnullos Patres facè iunare opportunum videtur.

Pugnantia Christi attributa, à PP. conciliata, ex naturarum concursu in vnam personam.

Profero verò inprimis Iustinum in expositione fidei de Trinitate cùm agit de Verbi descensu ad nos, ad instaurandum genus nostrum. Ait enim, quando tempus à Deo ad id præfixum appetijt; [Verbũ vsum sequestra Virgine stirpis Dauidicæ, sicut illi legi promissum fuerat, & ingressum in eius vterum, quasi semen quoddam diuinum, fingit sibi templum perfectum hominem, sumpta parte quadam illius naturæ, quæ fieret formandi eius templi essentia hoc indutus & huic vnitus, Filius Dei, prodijt naturæ geminæ. Ex illo enim tempore, Filius & Deus & homo est. Ita disponationem erga nos suam absoluit, quandoquidem Adam peccando posteros suos morti subiecit, & vniuersam eorum naturã huic debito reddidit obnoxiam. At Filius vt Deus & homo, lapsum Adam in integrum restituit: & in quantum homo vitam agit inculpabilem, mortemque spontaneam suscipit; absoluta quidem viuendi ratione delictum abolens, mortem verò debitam, indebita irritam faciens. In quantum autem Deus, quod collapsum est restituit, & mortem ipsam in totum destruit. Idem igitur est Filius, qui & concidit & collapsa restituit: in quantum homo, concidit: In quantum Deus, restituit. Quoties igitur audieris de vno Filio voces contrarias, collatas inuicem, diuide iuxta vtramque naturam; magnificas, diuinã quidem naturæ attribuens: quicquid autem exiguum, & humanum, humanæ imputans, sic enim & vocum earum discrepantiam effugies, reddendo sua cuique naturæ, & filium vnicum antiquiorem seculis omnibus, eundem recens natum iuxta sacras Scripturas confiteberis.]

12. Egregiè quoque Tertullianus l. 2. contra Marc. cap. 27. [Quæcunque exigitis Deo digna, habebuntur in Patre inuisibili, incongressibilique, & placido, & (vt ita dixerim;) Philosophorum Deo. Quæcunque autem vt in digna reprehenditis, deputabuntur in Filio, & viso, & audito, & congresso, arbitro Patris & ministro, miscente in semetipso hominem & Deum; in virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem, vt tantum homini conferat, quantum Deo detrahit. Totum denique Dei mei penes vos dedecus, Sacramentum est humanæ salutis. Conuersabatur Deus, vt homo diuina agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret.]

S. Cyrillus l. de Incarn. Vnig. c. 26. facto simili fundamento vnitatis suppositi in duplici Christi substantia, similiter exponit longum Syllabum, quem ibi conficit contradictoriorum attributorum, quæ eidem Christo verè assignantur; quædam ratione humanitatis, quædam ratione Deitatis. Idque vt significaretur, ait Leuit. 14. ad leprosi curationem indictum esse, vt sumerentur duo pulli mundi, quorum vnus occidebatur, eiusque sanguine profundebatur cum pullus alter, qui mox viuus dimittebatur, tum qui a lepra curandus erat. Hoc sic ad rem præsentem aptat S. Cyrillus. [Reddit quidem nos mundos, & pollutionum sordes abluit, & carnalis concupiscentiæ mortaliratem repellit sanguis pretiosissimus Christi, & purgatio Baptismatis sacrosancti. Cœterùm illud aspice. Omittentes enim scriptorum vim subtiliter examinare, quod mysterio expediat in præsentia memorabimus. Pullis duobus comparat Christum, non quod duo sint Filij, sed quod vnus potiùs ex duobus, ex diuinitate & humanitate in vnitatem collocatus. Mundi autè pulli, neque enim fecit peccatum Dominus noster IESVS Christus, sed erat Verbum sanctum & diuinitate & humanitate. Volucribus verò comparatur, quod quasi in sublimi sit super terram, & à cœlo desuper. A cœlo enim homo est Christus, licet carnem sanctã Virgo peperit. Quomodo igitur desuper &, de cœlo? Deus enim Verbum, quod est desuper & ex Patre, carnem ex Virgine sancta accipiens, & eam suam propriamque existimans, tanquam si eam desuper, & de cœlo detulisset, dicebat: *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis.* Ea enim quæ sua sunt, propriæ carni semper attribuit; adunatum verò semel, iam cum ipsa vnum scilicet existimabitur. Cœterùm vide occiso vno pullo, lauari quidem alterum, eius comparem tamen non emori. Et quid hoc sic? viuebat enim Verbum, licet sua caro fuisset mortua, & communem passionem esse ducebat propter adunationem & familiaritatem quam habebat cum carne. Igitur ipse quidem viuit vt Deus, corpus verò tanquam proprium faciebat, & in se familiariter accipiebat corporis passiones, cum ipse nihil in natura propria pateretur. Prodest igitur & necessarium est, si in vno Christo id accipiamus, quod secundùm aliud & aliud de vno eodémque Christo constituatur, & quod in duo diuidi non permittat, licet diuersa inter se, & minimè conuenientia acta esse dicantur.] Perbelle hunc quoque mysterij nostri typum, & consociandorum in vno, & eodem contradictoriorum attributorum imaginem, proponit idem Cyrillus l. 3. glaphyr. in pentat.

13. Alibi autem eodem libro eodem modo accipit mandatum Leuit. 16. Latum de duobus hircis pro peccato statuendis coram Domino, quorum vnus liber dimittebatur, alter verò immolabatur, & eius sanguine eluebantur peccata. Diffusioris eo loco orationis Breuiculum appono, ex l. 9. in Iulia. ad t. 2. [Quoniam pro peccatis nostris immolatus est Christus, hirco assimilatur. Nam sic dicit Propheta Esaias: *Omnes sicut oues errauimus*; homo via sua erranit. *Et Dominus tradidit ipsum pro peccatis nostris.* Nam duo hirci assumũtur, non quod duo Christi, hoc est duo filij secundum aliquos, sed magis quod oportebat videri etiam occidendum pro nobis: & morientem quidem secundùm carnem, viuentem autem secundùm spiritum sortes autem & nomina hircis, vni quidem illorum *Dominus*, alteri verò ἀποπομπαίῳ, hoc est *emissario*. Non enim

sicut strenuus Iulianus, dicit, præcepit dimitti signaculo carentem dæmoni cuipiam ἀποπομπαίῳ : & ἀποτροπαίῳ, hoc est, *mala arcenti*: Sed ipse hircus potiùs vocabatur *apopompæus*, eo quod immolatione amandabatur, quemadmodum scilicet & *Dominus* qui occidebatur. Describebatur autem per vtrumq; vnus Christus, & moriens pro nobis secundùm carnem, & morte superiori demonstrabatur secundùm diuinitatis naturam, emittebaturque in desertum, præfigurante terra deserta & inarabili, gentium sterilitatem.] Fusissimè idem habet epistola ad Acacium quæ habetur t. 6. Conc. Ephes. c. 16. Et omnibus his locis pulchrè obseruat nomen eius hirci qui pro peccato occidebatur fuisse, *Dominus*, alterius vero nomen, fuisse ἀποπομπαῖος, *emissarius* vt typus, Dominum gloriæ pro nobis immolatum, eundémque inter mortuos liberum delinearet. Theodoretus dialo. 3. cuius titulus est *impatibilis* eodem modo exposuit vtrumque mysterij huius typum propositum, hircorum scilicet & passerum. Quanquam non desunt aliæ quoque eorum interpretationes. Nam duos hircos Cyrillus ad illum t. 2. fatetur posse quoque accipi de Christo inter homines hirços, & peccatores apparente in similitudinem carnis peccati. Tertullianus verò l. contra Iud. c. 14. & l. 3. contra Marcio. c. 7. post Iustinum in Triphone, hircum immolatum ad priorem Christi aduentum: hircum alterum, ad posteriorem in gloria aduentum refert. Dionysius Alex. epistola contra Paulum Samosat. ad quæst. 4. duos hircos exposuit Patrem, & Filium, sed interpretatio ex S. Cyrillo proposita, bellè quadrat in rem præsentem.

14. Omnes igitur contradictiones prædictæ, tolluntur modo proposito, quia etiamsi cadunt in vnum eundémque Christum, non tamen ratione eiusdem naturæ, quæ in vno illo (suppositi est multiplex. Hocque est totum fundamentum communicationis idiomatum, vt optimè tradit Vincent. Lyrin. c. 21. verbis illis. [Propter personæ vnitatem, indifferenter atque promiscuè, & quæ Dei sunt ptopria, tribuuntur homini, & quæ carnis propria, adscribuntur Deo. Inde est enim quod diuinitùs scriptum est, & Filium hominis descendisse de cælo, & Dominum Maiestatis crucifixum in terra: Inde etiam est, vt carne Domini facta, carne Domini creata, ipsum Verbum Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta scientia creata dicatur: sicut in præscientia, manus ipsius & pedes fossi esse referuntur. Per hanc inquam, personæ vnitatem illud quoque similis mysterij ratione profectum est, vt carne Verbi ex integra matre nascente, ipse Deus Verbũ natus ex Virgine, Catholicissimè credatur, impijssimè denegetur.] Qui verò hoc modo non benè diuidunt, maledictioni Caini se obnoxios reddũt, vt perpulchrè in hunc modum dixit S. Ambros. l. de Incarn. Dom. Sacr. c. 1. & 2. [Caueamus ne à sinu Patris, & quodam vtero paterno arcanæque naturæ, substantiam vnigeniti filij separemus, verbisque his, quibus veritas susceptæ Incarnationis adstruitur, diuinæ generationi præiudicia inferre meditemur, ne & nostrum alicui dicatur: *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti; quiesce.* Hoc est, si nesciamus quæ propria sunt diuinitatis æternæ, Incarnationisque distinguere, si Creatorem cum suis operibus conferamus, si authorem temporum dicamus cœpisse post tempora.] D. Hilarius ferè initio 9. de Trinit. ait, hanc indistinctionem, fuisse omnis circa Christum erroris radicem.

Indidem petenda solutio omnium ænigmati proposito aduersantium.

15. Argumenta quæ contra nunc datam ænigmatis nostri enodationem formari possunt, illa ipsa sunt, quibus Athæi ac Philosophi aduersus possibilitatẽ huius mysterij armantur; ducuntúrque vel ex parte Verbi suppositantis humanitatem quod inde mutandum, vel imperfectione aliqua contaminandum videtur; vel ex parte humanitatis diuinitùs suppositatæ, quæ non videtur posse sic suppositari quin plus à Verbo, quàm ab alijs diuinis. Personis dependeret, cùm tamen omnis causalitas ad extra sit toti Trinitati communis: Vel ex parte resultantis inde compositi, quod videtur fore ens per accidens. In his argumentis conterendis non placet nunc hærere, quod inferiùs, plenè discussis contrarijs principijs, clarum sit futurum ea non esse valida. Nunc autem non nisi imperfectè posset eorum vis debilitari, atque retundi. Satis itaque erit in præsentia, cum Nysseno lib. 2. de Philosophia c. 12. imo Nemesio c. 3. libri de homine (post descriptam vnionem animæ cum corpore,) dicere etiam Ethnicos nobis attestari, & quod impossibilis indicetur hæc vnio Verbi cum humanitate, ex crassa eius conceptione ortum habere [Verbum (inquit) vnitũ remansit inconfusum, & incomprehensibile, nihil ipsum à societate corporis, & animæ, immutatum, neque illorum imbecillitatis particeps, sed eis suam diuinitatem impertiens, vnum cum eis fit & permanet; quod erat ante iunctionem. Nouus hic temperationis, aut iunctionis modus est, & temperatur & manet omnis duntaxat admixtionis expers, & non confusum, & incorruptum & immutabile, & præterquam quod se non vertit neque confunditur, quoniam omnis prorsus cõmutationis est expers; non vnà cum illis patitur, sed vnà tantum agit: neque simul interit, aut commutatur, sed cum illa amplificat, tum ab illis non imminuitur. Testatur hoc Porphyrius, qui Christum oppugnare & insectari non dubitauit, sunt autem grauia inimicorum à nobis quæ sunt testimonia, neque contradici quicquam potest. Itaque Porphyrius capite secundo variarum quæstionum, ad Verbum, sic scribit, non improbandum igitur accidere posse, vt aliqua substantia ad alterius substantiæ absolutionem assumatur & pars substantia sit, ita vt in sua ipsius natura maneat & aliã substantiam compleat, & vnum cum alio fiat, & suam vnitatem conseruet & quod maius est, ipsa quidem non vertatur, sed ea in quibuscunque fuerit, ad suam ipsius actionem sua præsentia vertat. Atque hæc de animæ & corporis iunctione scribit. Quòd si in anima vera est ratio, propterea quòd est non corpus, longeque erit verior de Deo Verbo, quod multò magis non concretum & verè ab omni coagmentatione corporis remotum est. Hoc planissimè obturat os ijs, qui iunctionem Dei cum homine accusare conantur.] Hæc ad Ethnicorum argumenta contra huius mysterij possibilitatem, satis in præsentia erunt.

16. Sunt verò præterea alia quædam argumenta contra huius mysterij veritatem provt est à nobis exposita, quæ ab hæreticis vatijs confecta, adunauit in vnum veluti fascem Naz. Orat. 35. *sub fine* verbis illis [Tu mihi contra, illas ingratitudinis tuæ voces enumera, has videlicet, Deus meus, & Deus meus, Maior, creauit, fecit, sanctificauit, seruum etiam si ita lubet, & obedientem adiunge; atque hæc etiam, dedit, dedicit, mandatum est, missus est. Illud etiam, quod a seipso quicquam facere non possit, aut loqui, aut iudicare, aut donare, aut velle. Huc adde ignorationẽ, subiectionẽ, precem, interrogationem, profectũ, consummationem. Adde etiam si ita placet, quæ his abiectiora sunt, dormire, esurire, fatigari, lachrymas mittere, mortis pauore affici, ac velut tergiuersari. Fortasse etiam probri causa, crucem quoque ipsam & mortem obijcies. Resurrectionem enim, ipsiúsque in cælum receptionem, consulto mihi prætermissurus videris: quoniam in his, quod causæ nostræ faueat, quippiam reperitur. Multa etiam alia congerere queas, si construere velis, æquinocum illum ex tua sententia, & ascripticium Deum;

vt

vt autem ipsi statuimus verum, Patrique honore æqualem.] Hæc argumenta, sic dissolvenda docet Theologus, vt proximè dissoluimus contradictiones propositas: [hoc tibi (inquit) faciendum est, vt altiores voces diuinitati, ac præstantioti illi, & incorporeæ naturæ, passionibusque sublimiori, attribuas: humiliores autem, composito, & tua causa inanito atque incarnato; imò etiam, (non enim minùs commodè hoc à me dicetur,) humanato, ac deinde exaltato, vt tu videlicet, abiecta hac dogmatum humilitate & crassitie, sublimior esse, simulque cum diuinitate ascendere, non autem rebus in aspectum cadentibus inhærescere condiscas; quin potiùs cum intellectibilibus rebus assurgas, atque intelligas, quæ prioris illius naturæ sit ratio, & quæ assumptæ humanitatis.]

SECTIO II.

De Priore intra Christum substantiali compositione, eiusque appendicibus, ad accuratam, & plenam Catholicæ Enodationis propositæ intelligentiam, & roborationem.

17. VT accuratè scrutemur, quæ aduersus errores huic mysterio contrarios iuxta Catholicam veritatem affirmauimus, validèque confirmemus, quæ enodatio legitima ænigmatis à nobis data proposuit, scholasticus trames ineundus est, déque diuino composito hactenus non nisi quoad an est stabilito, diligenter, ac prisè pro more in scholis à Theologis vsurpato, differendum. Vocandæ ergo ad examen sunt, quatuor eiusdem compositi causæ, ac primùm internæ duæ, quod ex his compingatur, & exurgat totum. Sed hæ in Christo duplices distingui debent, pro duplici substantiali compositione, quæ intra Christum cernitur. Optimè enim Theodorus Abucara Opusc. 2. *sub finem* ad intelligendum modum compositionis Hypostaticæ, quam in Christo agnoscimus, præmittit duplicem in Christo compositionem substantialem secerni oportere: alteram naturalem, qualis in vnoquoque nostrûm reperitur ex anima, & corpore physicè denimctis, alteram supernaturalem ex humanitate, & persona diuini Verbi; quam voco secundam compositionem, quia hæc compositio, si agatur de toto composito (vt nunc agimus) manifestè superuenit ei compositioni, quam physicam diximus. Porrò hæc secunda compositio proportione respondet compositioni metaphysicæ, quam suppositalitas in nobis facit cum humanitate eidem substrata, quæ dicitur *forma totius*. Sed quia complementum illud existentiæ in Christo Domino supernaturale est, imò increatum, non item in nobis, quorum existentiam terminus ab ea connaturaliter profusus restringit, idcirco hæc Metaphysica compositio in Christo est supernaturalis: prior autem compositio est merè naturalis, quoad suam essentiam, quamuis quoad modum quo est facta, valdè supernaturalis fuerit, quatenus Christi humanitas non fuit naturali modo producta, sed à Spiritu Sancto supra naturam operante, & superueniente in Deiparam, est effecta. De hac ergo duplici compositione, sigillatim, & accuratè agendum est, vt enodatio Catholica diuinigmatis proximè data, introspiciatur, & vndecunque firmetur.

CAPVT I.

De Christi corpore, & anima, ac naturali vtriusque vnione.

18. EXtrema prioris huius compositionis, non sunt alia, quàm corpus, & anima Christi. Hoc ex physicis notum est; Nam ad physicam hominis compositionem hæc extrema abundè sufficiunt.

Extrema naturalis in Christo compositionis, corpus & anima.

Neque verò moror Vvicleffum, qui præter duo illa quæ diximus, tertiâ quandam & in nobis, & in Christo inuertit naturam, quam aliquando vocauit animationem, aliquandò animam materialem, & corruptibilem, qua mediante Spiritus vniatur carni. Hæc iuxta Vvicleffum erat in Christo, & in quouis homine *Trinitas* vt latè refert Vald. l. 1. Doctr. toto artic. 2. siue à c. 31. ad 38. qui tot securibus delirium istud excaudicat, vt nihil sit necesse vlterius hic circa illud hærere. In philosophicis autem disputationibus monstratum abundè est, & vnam esse hominis animam, eámque spiritualem, & immortalem; & animam rationalem siue Spiritum, immediatè carni vniri. Reiecta item ibidem est alia Bambalionis illius fatuitas, qua pronunciauit spiritum immortalem, siue animam immaterialem, esse personam hominis per se, & complerè; siue solam animam immaterialem, esse hominem totum; corpus verò carneum, & animationem, siue animam materialem eatenus censebat hominis & personæ rationem participare, quatenus à Spiritu illo immortali attracta fuerint. Hæc in omnibus hominibus falsissima sunt, in Christo autem monstrosa, & hæretica. Quid enim factum fuisset ea persona participata, quoad partem eius præcipuam in triduo mortis Christi? Nam Spiritus quidem erat immortalis, & in inferno fuit. Materia item prima perire non potuit, & fuit in sepulcro. Illa verò tertia substantia siue persona participata, vbi fuisset? Non enim in corpore, quod alioqui non fuisset mortuum. Neque extra corpus, cum non sit forma immaterialis & immortalis. Neque verò perire debuit, quia *non dabis Sanctum tuum, videre corruptionem: & quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.* Quare facessat malè sani capitis abortio; & extrema huius compositionis, vt in nobis, ita & in Christo, non nisi corpus & animam vinculata atque vnita statuamus. Estque id apud omnes ratum, & extra controuersiam, suppositis iis quæ libro 1. contra aliquos hæreticos verum corpus humanum, aut veram humanam animam Christo negantes, disputauimus.

Vnio extremorum illorum agnoscenda.

18. Exoleuit item iampridem opinatio quorundam Catholicorum apud Magistrum in 3. dist. 6. & apud S. Thomam 4. contra gent. c. 41. quibus visum est, non debere admitti vnionem inter corpus & animam Christi. Verebantur enim, ne cum ea vnione duas integras substantias, atque adeò etiam personas in Christo ponerent. Sed hi trepidabant timore, vbi non erat timor. Non enim integræ duæ substantiæ sunt duæ personæ si altera illarum integrarum substantiarum suo metaphysico complemento ac termino postea explicando destituatur, vt verè in Christo humanitas suo illo complemento fuit destituta. Quinimò hi auctores scopulum scopulo declinabant, & dùm intenti erant vt à Nestorio auerterentur, non videbant se in aliud æquè periculosum barathrum incidere; nempe veræ humanitatis à Christo tollendæ. Negata enim ea corporis & animæ vnione, Christus non foret verus homo, quod tamen est fide sanctum & indubitatum: Nec verum fuisset dicere, Verbum assumpsisse humanitatem vt rectè notauit Dur. in 3. d. 6. q. 4. n. 3. Alia aduersus hanc opinionem (si tamen opinionem) peti possunt ex Hugone Victorino t. 3. in apologia de verbo incarnato. Nam ij quos ibi impugnat, negantes Christum esse aliquid secundùm quod homo, non aliud

RAYNAUD
Tomus II.
De Christo
Deus
De Attributis
Christi
Tom. II.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

negabant, quàm vnionem inter animam, & corpus Christi. Ea quippe vnione posita, corpus & anima sunt vnum aliquid, saltem forma totius, quod non habent absque vnione. Idque in Christo intendebant affirmare illi errorei impugnati ab Hugone, & subsannantur etiam à Richardo Victorino tract. de baptismo Christi *sub medium*.

Eosdem spectatis temporibus puto percelli ab Alexandro III. cap. *cùm Christus* de hæreticis, & paulò plenius in epistola ad Archiepiscopum Rhenensem, quæ extat in Conc. Later. sub eodem Alexandro parte 49. c. 40. Quamuis enim Alexander subdat rationem, quæ videtur potiùs impetere eos qui in sensu Manichæorum dicerent Christum prout hominem non esse aliquid, quia est nihil, nec nisi fictam, & apparentem humanitatem habuit, quo pacto Alexandri definitionem accepit Penna in 2. p. directorij l. 2. scholio 3. tamen ea ratio in sensum quoque propositum rectè cadit: damnat enim Pontifex eum qui negauerit Christum secundùm quod est homo, esse aliquid, [quia sicut Christus est verus Deus, ita & verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.] At non esset homo Christus, neque ex carne & anima coalesceret, nisi adesset vnio vtramque illam partem coagmentans. In hos ergo scholasticos rectè cadit damnatio Pontificis, mandantis Parisienses & Rhenenses Doctores conuocari aduersus eos: quod non videtur mandaturus, si de Manichæorum phantasmate Scripturas omnes euertente, & mysterium Incarnationis euacuante, sermo fuisset. Est igitur in Christo, æquè ac in nobis, animæ & corporis vnio; quicquid tandem sit ea vnio, de qua est physicum problema, hoc loco dimittendum.

Sic eadem natura quæ ceciderat, resurgit.

19. Hæc omnia innituntur principio illo ex fide certissimo, quod placuerit Deo, (vt erat sanè conuenientissimum) per illam ipsam naturam quæ ceciderat, reparationem eius perficere, & per hominem de Adami stirpe, illatam generi nostro ab Adamo parente cladem, sarcire. Hæc enim à Patribus causa proditur, cur hominem, non Angelum assumi à Verbo oportuerit. Tertullianus optimè l. de carne Christi c. 14. [Christus salus hominis fuit; causa scilicet, ad restituendum quod perierat. Homo perierat, hominem restitui oportebat, vt Angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est.] S. Irenæus l. 5. c. 21. [Misit Deus filium suũ factum de muliere. Neque enim iustè victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetipsum contrarium, statuens homini. Propter hoc & Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea quæ secundum mulierem est plasmatio facta, in semetipso recapitulans: vti quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam: Et quemadmodum accepit palmam mors per hominem aduersus nos, sic iterum nos aduersus mortem per hominem accipiamus palmam.]

S. Aug. l. de vera relig. c. 16. eandem causam reddit cur hominem cum corpore terreno, & nostrate, non æthereo, vt fieri poterat, assumptum voluerit Deus. [Sed cum omnibus (inquit) modis moderatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia eius ordinantur, de quibus aut non est tractandum, aut iuter pios perfectóque tractandum est, nullo modo beneficentiùs consuluit generi humano, quàm cum ipsa sapientia Dei, id est vnicus Filius consubstantialis Patri & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ita enim demonstrauit carnalibus, & non valentibus intueri mentæ veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non solùm visibiliter, (nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato,) sed etiam hominibus in vero homine apparuit, ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda.]

20. Præclarè quoque in eandem sententiam disputat, & Augustino sub alio typo plane concinit Gregorius Nyssenus in orat. catechet. cap. 27. sic disserens. [Cùm autem omnibus hominibus vnus sit in vitam aditus, vndenam oportebat eum qui ad nos ingreditur, in vita collocari? Ex cælo, ait, fortasse qui genus humanæ origini despuit tanquàm turpe & abiectum? sed in cælo non erant homines: nec in vita supramundana versabatur morbus vitij. Qui autem cum homine commiscebatur, eius erat scopus & institutum in illa contemperatione, vt prodesset homini. Vbi ergo non erat malum, neque ibi vita degebatur humana, quemadmodum postulat quispiam, vt homo illine Deo coniungatur; imò verò non homo, sed aliquod simulachrum, & quædam similitudo hominis? Quænam autem fieret nostræ naturæ correctio, si cùm terrestre ægrotasset, animal, aliquod aliud ex cælestibus, diuinum suscepisset aduentum? Non potest enim fieri, vt curetur quod laborat, nisi pars laborans propriam ac peculiarem accipiat curationem, si ergo quod laborabat quidem, fuisset in terra, virtus autem diuina id quod laborabat minimè attigisset, aspiciens ad id quod se decebat; fuisset planè homini inutile diuinæ virtutis negotium, in iis versans, quæ nobiscum nullam habebant communionem.]

Ipse Apostolus Rom. 8. id pulchrè expressit, cùm dixit *mittens Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* En Apostolus missum Dei filium ait in carne, simili nostræ carni peccatrici (simili inquam quoad substantiam, non quoad peccatum,) sicque in ea ipsa carne, quæ peccato subiacuerat, peccatum euersum est, & regnum Satanæ destructum, quod fuisse [stupendum trophæum] erigere, ait ad eum locum D. Chrysostomus hom. 13. addens sic percusso per Christum peccato, & Satana, quàm variæ & illustres victoriæ sint consecutæ [Mirum, (inquit) autem, id est, quod vnà cum carne trophæum erectum est, & quæ millies à peccato deiecta fuerat, hæc eadem splendidam contra illud victoriam tulit. Vide enim quot noua atque inopinata extiterint. Vnum quidem quod peccatum carnem non vicit, alterum quòd victum est peccatum, & à carne victum. Neque enim simile fuerit, non vinci, & vincere, quod antea semper deijciebat. Tertium, quod non modò vicit, sed & puniuit. Nam minimè peccando non victus est: moriendo autem vicit, & damnauit illud, terribilem illi carnem efficiens, quæ priùs despicabilis esset. Sic igitur & illius potentiam fregit, & mortem per illud introductam sustulit. Donec enim peccatores offenderet, iure optimo obitum afferebat; posteaquam verò corpus minimè peccans reperit, illúdque morti tradidit: condemnatum illud est, tanquam quod iniuriam attulisset. Vides quàm diuersæ victoriæ partæ sint?]

Quia igitur sapientia & iustitia Dei, sanxerant, vt idem ipse qui ceciderat, resurgendi autor esset; oportuit, Christum eiusdem rationis, ac naturæ hominem esse, cuius erat Adamus, qui primò lapsus est, alioqui Christus non potuisset dici Adam secundus, nec natura deuicta reposuisset Satanæ victori vicem. At primus Adam è corpore verè humano, & anima item verè humana simul vinculatis coaluit. Ex ijsdem ergo principiis intrinsecis, existere oportuit humanitatem Christi.

Identita

Identitatem materiæ Adami lapsi, & Christi, esse plus quàm specificam, qui censuerint.

21. Fuerunt qui aliam maiorem identitatem humanitatis vincentis & deuictæ comminiscerentur, asserentesque, Christum & Adamum fuisse nō modò similis sed etiam numericè eiusdem naturæ humanæ, quod ita declarat Mayro. in 3. d. 4. quæst. vnica, art. 3. Deus in materiæ primæ creatione purissimam quandam eius portionem, primò sub Elemento terræ constituit, quam decreuit ad Christum deuenire. Eam terræ portionem Adamo immissam, postmodum decerpsit è costa Adæ, & fabricauit in mulierem: & deinceps ingenti miraculo ea portio, salua tamen secundùm aliquid eius quoad corpulentam substantiā transfusa est vsque ad Deiparæ parentes, & ab ipsis in Deiparā, inde verò in Christum. Pugnat latè pro hac sententia, vel imaginatione Galatinus l. 7. c. 4. contendens hanc non modò fuisse sententiam veterum Hebræorum quos retulerat in calce tertij capitis, sed etiam esse sententiam ipsius Scripturæ. Nam Genes. 4. Adam dicitur vocasse nomen filij sui Seth dicens, *quia posuit mihi Deus semen aliud*; quæ verba ita accipit Galatinus, vt significetur Adamum omnes animas propter peccatum suum perituras videntem, abstinuisse coniugali opere per annos 130. post genitum Abelem, ne filios damnationis procrearet. Edoctum autem Messiæ aduentum, cogitasse de aliis liberis suscipiendis, quorum quem tunc primò suscepit, vocauit Sethum, quia cognouit eam virtutem in se esse, siue semen alienum purissimum, à se transmittendum illibatum, ex quo mater Messiæ generanda erat, & Christus ipse exoriturus. Argumentatur quoque Galatinus, quia Ioan. 1. Baptista semel, & iterum de Christo dicit *Ipse est qui ante me factus est*: quod non potest valere de Christo quoad diuinitatem, cùm vt sic genitus sit, non factus. Valet ergo de Christo quoad humanitatem, quæ facta dicitur ante Ioannem, quia materia Christi fuit in Adamo, longè ante procreatum Baptistam. Tandem argumentatur quia Prouerb. 18. dicitur *Iustus primus in lite sua, venit amicus eius, & inuestigabit eum*. Qui locus iuxta traditionem quandam Hebraicam, hunc sensum habet. Primus homo est mater Messiæ, quæ insimulata est peccati in suo conceptu. Sed Deus eius amicus, causa inuestigata, atque discussa, tulit pro ea sententiam. *Primum hominem* Hebræi prædicti vocant Deiparam, quia prima producta est in genere humano ratione illius portionis, de qua suprà; & eadem ex causa, vocant Deiparam. *Petram parturam*. Cui in Adamo formaliter positæ, de mandato Dei accidisse omnes Angelos statim, ac Adamus conditus est, traditionem esse Hebræorum ait Galatinus.

Refelluntur.

22. Hæc omnia (vt liberè dicam,) mera somnia sunt Rabbinorum, quibus miror Catholicos scriptores adeò simpliciter adhæsisse, nec aduertisse quàm nulla ratione nitantur. Nam quod Adam dixerit nato Setho, *posuit mihi Deus semen aliud*, ad suffectum innocenti Abeli Sethum pertinet, non autem ad nescio quod semen extraneum, intra Adam delitescens, de quo cognouerit post annos 130. Similiter Christus dicitur factus ante Ioannem, id est, ei prælatus & antepositus, dignitate scilicet, & gradu, non productione. Quod verò Prouerb. 18. Iustus, vt nostra editio vulgata habet, dicatur prior accusator sui ne per somnium quidem suffragatur imaginationi illi de primo homine qui sit mater Messiæ, eidem in Adamo exhibitæ, omnes Angelos accidere iussos, Rabbinica nugacitas est; quamuis obiectum Christum Angelis adorandum ante conditum primum hominem; & rebellantem Luciferum in Satanam degenerasse, probabilis sit Theologorum multorum opinio, de qua alibi. Nemo tamen Theologus fabulatus est, proposito Adamo iussos Angelos latentem formaliter in eo Deiparæ materiam venerari. Imò S. Thomas hoc Rabbinorum delirium referens, damnat illud erroris in 3. d. 3. q. 4. art. 2. illúdque etiam explodit 3. p. q. 31. art. 6.

Quare reiecto eo commento dicamus. eatenus tantùm eundem hominem qui ciderat, reparasse calamitatem generi humano illatam, quatenus idem specie homo Adamo similis quoad substantiam, & ab eo mediante matre deriuatus, resarcit damna per primum hominem generi nostro illata. Dixi [mediante matre.] Quia ipse Christus non fuit ex Adamo secundùm aliquid signatum corpulentæ substantiæ, siue materiæ suæ: (hoc enim quis affirmare possit, vel de atomo substantiæ Christi, tot ab Adamo ad Christum interpositis resolutionibus materiæ, quam Adam transfudit in primam prolem suam, à qua exoriturus erat Christus.) Quin etiam non fuit Christus ex Adamo secundùm specialem rationem, qua ratione nos omnes sumus ex Adamo, quamuis nulla signata particula materiæ, quæ in Adamo fuit ad nos deueniat. At Christus quia Filius est hominis, non hominum, neque ex sanguinibus, aut ex voluntate carnis, & viri (vtriusque inquam coniugis,) sed ex Deo natus est, eatenus tantùm ex Adamo progenitus dici potest, quatenus mediatè accepit esse per virtutem generatiuam Adæ, & aliorum ab Adamo descendentium vsque ad B. Virginem. Ex quo vides litem quæ apud aliquos feruet circa propositionem illam [Christus est homo Adamicus] esse reuera litem de nomine, nec reprobari à quibusdam Doctoribus, nisi quia suspicantur sensum eius esse, quod Christus sit ex Adamo progenitus more ordinario, & interposita virili opera. In sensu autem quem indicamus, nemo eam iure refugerit.

23. Hæc in præsentia de hac re attigisse sufficiat, tantùm vt constet identitatem humanitatis Christi, & eius quæ in Adamo fuit non aliter esse accipiendam, quàm penes eandem specie Adami & Christi humanitatem, ex humano corpore & anima connaturaliter vinculatis compactam, quæ sunt extrema primæ substantialis compositionis, de qua suprà. Pauca porrò, vel etiam nulla sunt, quæ præterea hoc loco de extremis ea vnione nexis, hoc est de Christi corpore, & anima pro vt ad hanc primam substantialem intra Christum compositionem interuenientibus, dicenda occurrant. Nam de eorum veritate satis suprà actum est, monstrando contra hæreticos esse in Christo verum humanum corpus, & veram humanam animam. Id quod etiam perspicuè sequitur ex constitutis quod Christus sit verus homo; Nam verus homo ex anima verè humana, & corpore item verè humano, compingitur. De perfectione verò etiam naturali & animæ & corporis Christi, agendum infrà erit post expositam alteram in Christo compositionem substantialem, cuius intuitu ea perfectio collata est. Item de iisdem prout assumptis à Verbo, plenè agendum erit tractando compositionem illam secundam. Quare vix quicquam hoc loco occurrit, siue circa corpus, siue circa animam Christi, quod ad hanc primam compositionem spectet, & discussione indigeat.

Vsus doctrinæ propositæ.

Tantùm ex eo quod Verbum assumpserit corpus nostrum, etiamus vsum doctrinę ab Eucherio proposito homil. de sancto Latrone. [Caueamus (inquit) ne corpori illius quod de nostro Christus assumpsit, iniuriam, faciamus in nostro corpore: caueamus ita peccatis & criminibus vitam ponderate, vt ad nos non

respiciat Prophetia illa terribilis: non enim est, inquit, Deus in conspectu eius: polluuntur viæ eius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius, Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis & cupiditatibus frena relaxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum: quia puto magna sit iam pœna peccati, metum ac memoriam futuri perdidisse iudicij, non nobis ita dulcia sint pauperum spolia, postmodum nimis amaricatura. Nihilominus, sicut dictum est refugiamus alienæ carnis abominanda contagia: vitemus obscæna inimicæ voluptatis mendia. Hæc qui agit charissimi, de stipula ac lignis iniquitatum perpetuos succendit ignes, & nunquam concinnat vapores;] præsertim quia memor est quantum carni suæ à Deo assumptæ debeat reuerentiæ, vt benè ibidem præmiserat Eucherius, Chrysostomus etiam hom. 18. in 1. Cor. ad illud *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*, hunc propositæ doctrinæ fructum, insigniter eruit.

CAPVT II.

Illata de humanis Christi facultatibus,

24. FVit igitur in Christo natura nostra substantialiter plena, & integra, quæ ex animæ & corporis consertione existit. Cùm autem natura humana, vt & cæteræ omnes, suis aliquibus facultatibus, siue potentiis & proprietatibus instrui debeat tanquàm connaturalibus substantiæ appendicibus conferentibus ad ornatum substantiæ, & ad subleuationem substantialis actiuitatis; consequens est, vt eas Christo non defuisse statuamus, sed quotquot in nobis potentiæ siue corpori sine animæ insidentes gradum aliquem animæ affectantur, easdem in Christo locum habuisse concedamus.

Humanæ potentiæ, in Christo.

Prædictas proprietates Christo non defuisse, & ratio tacta conuincit, & Patres vno ore agnoscunt. Nec de his proprietatibus agebat, easve inficiatus est Gregorius Nyssenus, cum dixit [Quemadmodum aceti gutta in mare proiecta, non retinet amplius aceti proprietates, sed transmutatur, induitque proprietates aquæ; sic & sanctissimum Christi corpus cum diuinitate commixtum, non habet amplius proprietates carnis.] Quibus verbis abusos Eutychianos, sæpè refert Anastasius in ὁδηγῷ, & nominatim c. 13, vbi ea sic exponit [quando audis Doctorem asserentem, Christi carnem non constare amplius proprietatibus carnis, sic accipe: humanam illam naturam à Christo assumptam, non ampliùs subiacere illis molestiis, quæ corpori nostro ex peccato euenerunt: sed per vnionem cum diuinitate, & per resurrectionem post triduum factam, sanctissimum Christi corpus in melius commutatum ac reformatum esse: neque iam prioribus corporis conditionibus & affectionibus subdi. Non enim amplius est mortis & corruptionis capax non mutationis, non laboris ac molestiarum, neque egestatis, sed transmutatum est ex mortalitate in immortalitatem, ex corruptione in incorruptionem; & materiale, euasit immateriale; carnale Spirituale; patibile, impatibile; fluxile; omnis fluxus expers, fami obnoxium, supra omnem famem. Aqueum, absque aqua. Egenum, nullius indigum: spissum, tenue, & subtile. Temporarium, æternum: non tamen in circumscriptum; non expers figuræ, non immobile, non intactile, non inaspectabile, non increatum, non absque principio. Hæc enim solius diuinitatis proprietates sunt.] Vides, Nyssenum interprete Anastasio, de aliis proprietatibus humanis agere quàm de iis, quas Christo hic vendicamus; & illam ipsam connaturalem corpori humano temperiem, eiúsque corollariaⁱ, quâ negare videtur corpori Christi, vnito personæ Verbi, non absolutè ab eo negari, sed tantùm prout sunt exuuiæ peccati, & eius corollaria dedecentia sanctissimam, & vndecunque nitentissimam humanitatem Verbo vnitam.

Sunt porrò potentiæ illæ, quas hic Christo ex perfecta eius humanitate tribuendas colligimus, quæ gradum aliquem animæ assectantur, atque adeò vel vegetatiuæ, vt nutrix, auctrix, generatiua, vel sensitiuæ externæ quinario vulgato comprehensæ; vel internæ, quarum vna cognoscens, alia appetens, & tertia vtrique subordinata motrix progressiua corporea: vel denique rationales, nempe intellectus, ac voluntas, easque consequens motrix facultas inorganica: quarum distinctionem ab inuicem, aut ab anima, hic non moramur, illud duntaxat solliciti, vt non aliter de eis in Christo, quàm in aliis hominibus philosophemur, easque omnes vt in nobis, sic in Christo perfectam humanitatem nacto admittamus iuxta illud Athanasij [perfectus Deus, perfectus homo,] quod non tantùm de perfectione quoad substantiam, sed etiam de perfectione quoad accidentia homini connaturalia consequentésque eum proprietates, valere debet. Et verò si humanitas supponatur perfecta secundùm substantiam, quomodo non ex ea progerminabunt accidentia omnia naturaliter ad eam fluere apta? Aut vnde esset in Christo, monstrositas ex accidentium connaturalium effluxu inhibito, vel exclusione? Sed dicamus aliqua sigillatim.

Sigillatim vendicatæ Christo facultates vegetatiuæ.

25. De potentiis vegetatiuis, nutrice, & auctrice, non inuenio qui dissenserint. Quamquam quod apud Gregorium Neocæsariensem Anathematismo 3. damnantur qui dixerint Christum assumpsisse hominem perfectum instar cæterorum Prophetarum: eo refert scholiastes Canisius tomo 3. antiquæ lect. vt sensus sit, damnati aliquos qui Christum corpore subitò perfectum apparuisse affirmarent, qualis fuit Adamus iam ab initio formationis suæ, & quales erant qui ad prophetandum assumebantur; tamen neminem nominatim reperio, qui illi errori sit astipulatus. Et est reuera, error exploratus. Nam Lucas expressè testatur, Christum corporaliter creuisse, & confortatum esse, quæ sunt munera harum facultatum: vel potiùs munus vnius facultatis. Neque enim distinctæ re ipsa sunt facultates, quibus quantitas maior & substantia acquiritur, nec duobus motibus in duo illa obiecta tenditur, sed per vnicam facultatem, coniunctim, & noua quantitas, & eidem substrata noua substantia comparatur, quæ vi motus illius maior semper est quantumcunque denominatio maioris substantiæ, aut maioris quantitatis in ætate certa, tollatur per comparationem ad deperditionem concomitantem, quæ maior est quàm acquisitio. Verùm de hac te alibi. Nunc satis est, exploratum haberi, Christum sensim adoleuisse: ita namque decuit sensim progredi eum qui omnem ætatem ortu suo sanctificaturus venerat, vt pulchrè dixit S. Iren. l. 2. c. 39. Ex quo autem iustæ magnitudinis factus est, & terminos consistentiæ attigit, nutritus tamen est per reliquam vitam vniuersam; & quantitatem alimenti adiunxit præiacenti suæ quantitati; quod cùm spectet ad vim nutricem & auctricem, dubium esse non potest, quin per vniuersam vitam facultates iis muneribus respondentes obtinuerit, æquè ac nos obtinemus.

26. Erit qui opponat, Christum post resurrectionem quoque comedisse, nec tamen nutritum, vel auctum esse. Vnde inferri videtur posse nullum suppetere pro vera Christi nutritione, & ei nexa augmentatione ar-

gumen

gumentum, quod ex facto dumtaxat peti potest, siue ex eo quod Christus legatur comediſſe. Antecedens, in quo ſolo poteſt eſſe tergiuerſatio, diſertè traditur a SS. Baſilio, & Gregorio Theologo in ea fidei confeſſione, quam ex ipſis repræſentauit Henricus Canisius tomo 5. antiq. lect. ſic enim habent duo illa Eccleſiæ lumina. [Et ſi Chriſtus cibum guſtauit poſt reſurrectionem, non tamen lege corporis, ſed œconomicè, vt probaret carnem illam eſſe quæ erat ante reſurrectionem, & non aliam. Non enim in ventrem & inteſtina, atque in receſſum ibat; abſit. Imo caro diuina, poſt reſurrectionem mutata eſt à materiali in immaterialem, & à paſſibili in impaſſibilem: non tamen incircumſcriptam, aut intangibilem, vel inuiſibilem: alioqui quomodo viſus eſſet diſcipulis poſt reſurrectionem? Quomodo dixiſſet Thomæ, Tange me? Cibus verò quem ſumpſit coram diſcipulis, ſi quis quærat, quò abierit. Reſpondemus, ſicuti cera appropinquans igni liquefit, & deſinit eſſe, ſic cibus ille adhibitus carni incorruptibili, & pyrphoro Dei reſuſcitati:] Non diſſimilia alij PP. & interpretes ad ea Euangelij loca, quibus eiuſmodi comeſtio Chriſti rediuiui refertur. Reſpondendum eſt, quamuis ita res habuerit poſt reſurrectionem, non tamen ante illam per vniuerſum tempus vitæ Chriſti viatoris. Idque rectè colligebatur ex actu manducandi, qui per illud tempus non potuit eodem dirigi quò poſt reſurrectionem. Per tempus namque vitæ mortalis, non ſpectabat niſi nutritionem, aliquin fuiſſet actus Phantaſticus, & confictus. Vnde ex eo actu per tempus vitæ mortalis exercito à Chriſto, infertur Chriſti nutritio, & ei ſaltem per ſe adiuncta augmentatio. At poſt reſurrectionem, comeſtio directa eſt aliò, nempè ad conteſtandam carnis rediuiuæ veritatem.

Rationes Damaſceni, negantis Chriſto facultatem generatiuam.

27. De vi generatiua, difficultatem facit, quod habet S. Damaſc. orat. quomodo ad imaginem Dei facti ſimus *ſub medium*. Quamuis enim ſit meridiana luce clarius, Chriſtum Regem virginum, non modò virginitatis temerationem (etiam licitam) non ſuſtinuiſſe, ſed etiam ab omni huiuſmodi opere planè abhorruiſſe: ac ne calumniam quidem in eo genere admiſiſſe: tamen defuiſſe Chriſto vim generatiuam, quod affirmat S. Damaſcenus, hoc eſt quod videtur non poſſe aſſeri ſalua fide, quæ eam quoque humanæ naturæ facultatem, deſiderati in Chriſto non ſinit. Verba Damaſceni ſunt (vim gignendi Chriſtus non habuit, propterea quod ſtabiles ſunt & immutabiles diuinarum perſonarum proprietates, fieriſque non poteſt, vt Pater, aut Spiritus efficiatur Filius. Itaque hominis Filius factus nō eſt, ſed ſolius Dei, vt immutabilis proprietas permaneret. Præterea perſona cum perſona eiuſdem naturæ permiſceri ſolet: non eſt autem alia eiuſmodi perſona Filius Dei, & hominis, niſi Chriſtus. Iam verò, vt ſit hæc permiſtio naturæ conſentanea ad hominum genus explendum, at neceſſaria non eſt; præſertim cum fieri poſſit, vt homo ſit, & viuat ſine illa contrectatione, multique extiterunt homines, qui nunquàm huic voluptati operam dederunt.] Hæc verba non video quomodò exponi poſſint, ita vt veritati Catholicæ non officiant. Quare tametſi de Chriſto tùm vbiuis alias, tùm in his maximè rebus, verecundè ſemper, ac honeſtè agendum eſt, tacendo omnia non neceſſaria; tamen ne veritas fidei periclitetur, videtur prædictis rationibus occurrendum, & quia poſtremæ facilliores expeditu ſunt, ab eis ordiar.

Diſſoluuntur.

28. Poſtrema ergo illa ratio, dumtaxat probat Chriſtum Virginem ſemper vixiſſe, quod eſt extra dubium. At non probat Chriſtum generatiua facultate caruiſſe. Quin potiùs qui ea facultate deſtituuntur, ſiue ob defectum organi alicuius, ſiue ob eius indiſpoſitionem, monſtroſi habentur, & inter humanæ naturæ oblæſiones numerantur, quod abſit vt de Chriſto admittamus. Secunda item ratio, eſt admodum inanis. Nam perſona habens humanitatem, quæ per extraneam ſuppoſitalitatem ſubſtat, perinde poſſet cum perſona purè humana miſceri ad vſum facultatis generatiuæ, ac ſi ſuppoſitalitate connaturali terminaretur; quia vis generatiua, omniſque conueniens, aut neceſſarius ad eam apparatus, ſpectant naturam, non perſonalitatem. Tandem 1. ratio vt ſit efficax, ſupponit ſi ſoboles per Chriſtum ſuſciperetur, neceſſe fore eiuſmodi ſobolem eiuſdem cum Chriſto rationis eſſe, atque adeò diuina aliqua ſuppoſitalitate terminari; non quidem Chriſti, ne duo inuehantur Dei filij, ſed Patris, aut Spiritus Sancti: ex quo illud inferri videtur abſurdum, Patrem, aut Spiritum Sanctum in eo euentu dicendos eſſe Dei Filios. His ergo abſurdis declinandis, infert ea 1. ratio, dicendum potiùs eſſe, Chriſtum generandi facultate deſtitui. Verùm hæc ratio, imprimis falsò aſſumit, ſobolem ſi à Chriſto ſuſciperetur, ſuppoſitandam neceſſariò eſſe diuinitùs. Id enim falsò prorſus aſſumitur vt benè ſtatuit Ægidius Romanus quodlib. 2. q. 3. ad.] Imò excludendo grande miraculum, proles ſic ſuſcepta, eſſet purè humana, & ſuppoſitalitate creata terminaretur. Deinde quamuis diuinitùs ſuppoſitanda eſſet, parum admodum vrgeret æquiuocatio quæ timebatur inducenda, ſi Pater aut Spiritus Sanctus denominarentur Filij, & ob quam ſolam aſſerebatur impoſſibile, Patrem, aut Spiritum Sanctum terminare naturam eius, qui ſecundùm humanitatem eſſet Filius, Chriſti. Non enim ſi Pater eam terminaret, verum eſſet, Patrem eſſe Filium in Deitate, ſed tantùm quoad humanitatem, in quo nihil abſurdi eſſet. Tandem facilè quoque eſſet dicere, naturam ſobolis ſic ſuſceptæ terminandam fore per ſubſiſtentiam filij, vt ei à quo prodiret conformaretur. Ea enim ſubſiſtentia ob infinitatem ſuam poteſt innumeris naturis terminandis ſufficere. Atque ita qui ratione naturæ ſuæ humanæ eſſet Filius Filij ſeu Verbi diuini per humanitatem ſuam operantis, eſſet ipſummet Verbum quoad ſuppoſitum. Qua in re nulla eſt abſurditas.

29. Non aſtipulatur ei ſententiæ, quam nunc ex Damaſceno retulimus, Tertullianus l. de Monog. c. 3. Chriſtum vocans ſpadonem, verbis illis [Sed an onerosa Monogamia, viderit ad hucimpudens infirmitas carnis. An autem noua, de hoc interim conſtet. Illud enim amplius dicimus, etiamſi totam, & ſolidam Virginitatem ſiue continentiam, Paracletus hodie determinaſſet, vt ne vnis quidem nuptiis feruorem carnis deſpumare permitteret, ſic quoque nihil noui inducere videretur ipſo Domino ſpadonibus aperiente regna cælorum, vt & ipſo ſpadone: ad quem ſpectans & Apoſtolus, propterea & ipſe caſtratus, continentiam mauult.] Non inquam hæc Damaſceni placito aſtipulantur. Senſus enim tantùm eſt, Chriſtum in totum innuptum permanſiſſe, vt idem Tertullianus loquitur capite 5. illiuſmet libri. Sicut enim in Euangelio qui continentiam plenam & abſolutam propter Deum profitentur, dicuntur ſe caſtraſſe propter regnum cœlorum; ita Tertullianus, ſalua vi generatiua ob ſolam pleniſſimæ puritatis profeſſionem, Chriſtum ſpadonem nominauit; Apoſtolum verò caſtratum.

Rationes cur Chriſtum abſtinere à carnali procreatione decuerit & ad eum modum, viuere ſpadonem,

multas profert Ægidius Romanus quodlib. 2.q.3. Sed illa insignis quam S.Basilius l.de vera Virginit.his verbis proposuit. [Quod incorruptibil.s vitæ semen è terris ad cœlum transferendum singulari gloria, Virginitatem Dominus noster esse voluerit, & incorruptionis honestati per integerrimam castitatem corpora nostra consuescere, ex eo in primis constat,quod cum legi in omnibus obtemperarit,solum coniugium renuit.Oportebat enim vt qui ex intemerata Virgine, incorruptus etiam secundùm carnem natus erat, ne coniugij quidem corpoream experiretur corruptionem. Cæterum à corruptis per iugalem copulam, naturali integritati nostræ incrementa suppeditans,quemadmodum Adam præsentis vitæ semen, per coniugij voluptatem fuerat, ita & ipse semen futuri seculi per virginitatis fieret integritatem : vt sicut illum per matrimonium serentem humanum genus, hominem in terrena vita secuti sumus, ita & Dominum per virginalem puritatem, futurum seculum serentem, prudenter sequeremur.] Gemina his sunt quæ leguntur apud Basilij germanum, Gregorium Nyssenum l. de vera Virginit. c. 2. vbi etiam illud præclarè additur,voluisse Christũ Virginem ex Virgine nascentem nos docere qua via & modo Verbum Dei cum anima Christiani cuiusuis sit copulandum. Quod enim in assumptione humanæ carnis semel facta in Virginis inuiolatæ corpore perfici voluit, hoc in vniuscuiusque anima interueniente amore puritatis, faciendum monstrauit in ijs qui vitæ Virginalis ducem Christum sequerentur.

Potentiæ sensitiuæ,in Christo agnoscendæ.

30. Pergo ad potentias sensitiuas,eisque subordinatas appetitiuam, ac motricem progressiuam organicam, ab inorganica, de qua postea, planè distinctam; quas omnes Christo inextitisse,de fide est, ex generali principio supra posito, quod scilicet debeant Christo concedi omnes proprietates humanitati connaturales, vt philosophatur S. Damasc. Orat. quomodo ad imaginem Dei facti simus, & Orat. de natura composita, & alia oratione de duabus Christi voluntatibus, cuius initio illud ponit quasi effatũ, ex quo res hæc perspicuè euincitur. [Omnis res quæ ex duabus naturis cõstat, naturarum illarum proprietates necessariò complectitur, etiamsi in earum coniunctione quædam videatur esse confusio. Nam cum ignis calidus,& siccus sit, aqua frigida & humida; tamen cùm ex quatuor elementis conflatur corpus, quatuor habet qualitates, calorem, frigus, siccitatem,& humorem : in quibus si temperatio quædam spectetur, necesse sit eorum quæ concreta sunt, naturales proprietates perspici : quantò magis in ea coniunctione quæ ab omni confusione abest, distatque plurimum ?] Argumentum est planè validum. Si enim natura, etiam retusa & formaliter abolita,confert suas proprietates mixto, quanto magis humanitas in Christo superstes, omnes suas proprietates sortietur ? Nec verò difficile esset cum eodem Damasceno, veritatem omnium prædictarum facultatum in Christo asserere, obseruatione actuum ab eis productorum, quorum mentio frequens est in Euangelijs, sæpè memoratibus sensationes, & progressiones Christi Domini. De appetitu sensitiuo, triplex argumentum ad eum Christo vendicandum suggeret Durandus in 3. d.17.q.1.n.7. sed in re clara non prodigo operam.

Item rationales, nominatim voluntas contra Monothelitas.

31. Restant potentiæ rationales,intellectus scilicet, & voluntas, easque consequens vis motrix inorganica.Sed de intellectu quidem,seu mente Christi, nulla vnquàm rixa fuit,nisi cum Apollinari,Christum amentem statuente,quandoquidem Christum mente,amentissimus ipse priuabat. Sed hunc Apollinaris errorem satis supra contriuimus, monstrantes Christum animam humanam fuisse præditum, ad quod aperte consequitur, vt intellectu quoque humano, siue mente non fuerit destitutus. Et efficacissimum præterea veritatis huius argumentum infra occurret, ex actionibus intellectus creati verè Christo tribuendis. Nam vbi est connaturalis operatio, liquet agnoscendam esse facultatem actus illius elicitiuam. Indubitatum ergo esto, fuisse in Christo mentem humanam; meritóque specialiter hac in parte Apollinarium exsibilant varij Patres.

De voluntate autem, longum & acre certamen Ecclesiæ fuit cum Monothelitis. Ita enim nominati sunt, non autem Monoselitæ, à Monoso authore, vt ineptit quidam apud Castum v.*Christus* hæresi 6. Aiebant itaque Monothelitæ, quod & ipsa vox sonat, vnicã fuisse in Christo Domino voluntatem. Verùm cùm nomen [voluntatis] polyonimum sit, difficultas aliqua fuit, qua ratione vnicam in Christo voluntatẽ astruerent Monothelitæ. Vt enim notat S. Damasc. Orat. de duabus Christi volunt. nomen *voluntas*, interdum significat rem volitam, vt cum dicitur Matth. 6. *Fiat voluntas tua.* 1.quod vis.Et Matth. 12.*quicunque fecerit voluntatẽ Patris mei*, 1. quod pater vult. Aliàs verò voluntas significat actum volitionis,vt Rom. 10.*voluntas cordis mei & obsecratio.* & Matth. 18. *non est voluntas apud Patrẽ vestrũ.* 1.non vult Pater vester. Tandem sumitur etiam voluntas pro facultate volendi, siue pro actu primo, habente rationem potentiæ respectu animæ rationalis,vt cum 1.Cor.7. Dicitur *non habent necessitatẽ, potestatem autem habent suæ voluntatis.* Ambiguum ergo apud aliquos est, an Monothelitæ vnam in Christo voluntatem statuentes, de actu secundo, vel de primo loquerentur;hoc est an in Christo actum volendi duplicem vel duplicem ad volendũ potentiã & facultatẽ in actu primo spectatam,sint inficiati.Et sanè Agatho Papa in epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ refertur in 6.Synodo Act.4.cum Monothelitarum præcipuos retulisset, & eorum dicta quædam protulisset; subdit, eos confusè admodum, & inconstanter in hac parte sensisse. [Variæ (inquit) eorũ,& instabiles definitiones in scriptis,asseuerant modò vnã voluntatem, & vnam operationem,modò nec vnã nec duas operationes, modò vnam voluntatem, & operationem, & rursum duas voluntates, & duas operationes,itémque vnam voluntatem,& vnam operationem, & denuò nec vnam,nec duas, & aliàs vnam, & duas.] Sicut ergo de vna, aut multiplici voluntate,tam variè senserunt, calidum, frigidúmque ex eodem ore efflantes; ita circa voluntatem pro actu,aut facultate acceptam,confusè,& inconstanter sentire potuerunt.

Agebant de voluntate, in actu primo, & secundo.

32. Mihi in scopum quo vniuersa hæc hæresis collineabat, intendenti, & id quod præse ferebant consideranti, perspicuum videtur, Monothelitas, & facultatem, & actum facultatis duplicem in Christo sustulisse.Præse ferebant enim magnum studium seruandæ Christi sanctitatis,cui timere se præse ferebant si actus liberos humanos Christo concederent.

Possent namque huiusmodi actus repugnare diuinæ voluntati, ex quo Christum peccati labes incurreret. Hoc Macarius Patriarcha Antiochenus Monothelita in sua fidei professione,quę habetur in 6.Synodo act. 8. explicatissimè tradit. Vides autem ad prætensum illud omnimodæ Christi sanctitatis studium, requiri non modò vt humanæ Christi volitiones, sed etiam vt voluntas earum profusiua,negetur Christo.

Iam

Iam si veri scopi in quem Monotheliſmus fabricatus eſt, ratio habeatur, (quod optime notarunt Agatho Papa epiſtola citata, & Ioannes IV. epiſtola pro Honorio ad Conſtantinũ, ac S. Maximus in diſput. aduerſus Pyrrhum, & Damaſc. ad finem libelli de hæres.) ſcopus Monotheliſarum alius non fuit, quàm vt hæreſim Eutychianam, anteriorum Pontificum, & Conciliorum diligencia propè contritam, inſtaurarent per dogma quo vnitas tiui hoc eſt voluntatis, atque adeò etiam ſontis, id eſt naturæ voluntatem principiantis aſſtruitur; cæteris Orientalibus hæreticis, non modò non repugnantibus, ſed etiam aſtipulantibus, quod eis quoque hoc dogma faueret. Apollinariſtis quidem, quod excluſa à Chriſto anima rationali creata voluntatem quoque rationalem excludere adigerentur. Neſtorianis verò, quod Chriſtum purum hominem, atque adeò ſolam in eo voluntatem humanam agnoſcerent. Arianis denique, quod diuinam Chriſto vt naturam, ſic & voluntatem abrogarent. At conſtat ad hoc Diabolicum inuentum, & inſtaurandas per illud Eutychianiſmi ruinas, æquè neceſſarium fuiſſe excludere actum primum voluntatis, ac actum eius ſecundum qui poſito primo conſequitur. Igitur vtramque excluſerunt.

Et è contrario Patres vtramque contra eos aſtruxerunt, quia vbi eſt voluntas potentia, ibidem quoque eſt voluntas actio, & è contrario. Diſertè ſanè in Concilio Lateran. ſub S. Martino I. conſult. 5. can. 14. & 15. & potentia duplex, & operatio contra Monothelitas definitur; ſic enim habent illi canones 14. [Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos, cum vna voluntate, & vna operatione, quæ ab hæreticis impiè confitetur, & duas voluntates, paritérque & operationes, hoc eſt, diuinam & humanam, quæ in ipſo Chriſto Deo in vnitate ſaluantur, & à ſanctis Patribus orthodoxè in ipſo prædicantur, denegat & reſpuit, condemnatus ſit.] Canon verò poſterior ſiue decimus quartus, ſic habet. [Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos Dei virilem operationem, quod Græci dicunt θεανδρικὴν, vnam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur, ſecundùm ſanctos Patres, hoc eſt diuinam & humanam; aut ipſam Dei virilis, quæ poſita eſt, nouam vocabuli dictionem vnius eſſe deſignatiuam, ſed non vtriuſque mitificæ & gloriofæ vnionis demonſtratiuam, condemnatus ſit.] Manifeſtum eſt in his canonibus contra Monothelitas intortis, & operationem, & facultatem operatiuam duplicem in Chriſto ſtabiliri, quia ſcilicet vtrumque tollebant Monothelitæ. Quod ſi interdum Patres in horum hæreticorum impugnatione ſolius operationis meminerunt; ſi item hæretici operationis vnius frequentiùs mentionem faciunt, quàm vnius potentiæ; ratio ducenda eſt, ex eo quod operatio ſit aliquid notius: & ea negata, vel admiſſa, facilè euincatur negandam quoque aut admittendam eſſe facultatem, quæ non eſt niſi propter operationem ſuam, & ſine qua (cum operatio non eſt indecens,) fruſtra eſſet potentia.

Voluntas humana Chriſti ſtabilitur.

33. Quicquid autem Monothelitæ reuera dixerint, aut intenderint, aſſertio geminæ in Chriſto voluntatis, & pro operatione, & pro facultate vſurpatæ, explorata eſſe debet; cùm ex Patrum dictis, & Conciliorum definitionibus, tum ex Scripturis, & manifeſta ratione. Patres benè multos cùm Latinos, tum Græcos laudat in hanc rem Agatho Papa epiſtola citata; Nec repugnauit S. Hieronymus, quem ſuppoſititius Cyrillus epiſtola ad Auguſtinum, commentus eſt fuiſſe in hoc puncto partiarium Monothelitarum. Fraudem enim illius, & aliarum huiuſmodi epiſtolarum detexere iampridem Louanienſes in cenſura ad tomum 2. Auguſtini, Baronius in notis ad Romanum Martyrologium 30. Septembris, & Bellarminus lib. de ſcriptor. in indicio de tomo 9. Hieronymi, qui apud Scultingium, omnia in Chriſto gemina, millies profitetur. A Patribus etiam proferuntur Scripturæ, quas inter, illæ ſunt expreſſiſſimæ, quibus Chriſtus Lucæ 22. & Ioannis 5. voluntatem ſuam, hoc eſt humanam, ſecernit à voluntate patris, quæ diuina eſt, & æterna; eadémque cum Verbi voluntate. Vrget inſuper Theorianus in legatione ad Armenos pag. mihi 115. alia pleraque loca, & illud præſertim quo Chriſtus domum ingreſſus dicitur latere voluiſſe, nec potuiſſe, quem locum in hanc rem vrget quoque Agatho Papa in citata epiſtola. [Noluit (inquit) aliquem ſcire, & non potuit latere. Ergone ille omnium conditor, de quo dicitur omnia quæ voluit, fecit in cœlo, & in terra, cuius velle hoc eſt quod poſſe, cuius nutui cæleſtes cum terrore deſeruiunt poteſtates, in terris latere volens, non potuit?] Concludit id fore abſurdiſſimum [niſi ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter dignatus eſt aſſumere, redigatur.] Nec video cur locum Agathonis adeò planum, aliò flectere niſus ſit Didacus Ruis. diſp. 20. de voluntate Dei ſect. 4. n. 12. Planè eodem modo quo Agatho eum locum accepit Damaſcenus 3. fid. c. 17. Alia inſuper loca in rem præſentem appendit Rupertus lib. 5. de proceſſ. Spiritus ſancti cap. 8. Conciliorum aduerſus Monothelitas edicta, proſtant in 6. ac 7. Synodo, & in Concilio Lateran. ſub Martino I.

34. Ratio denique efficaciſſima, & ineluctabilis ea eſt, quam Verbis Ioannis Papæ IV. in epiſtola ad Conſtantinum repræſento. [Vellem (inquit) vt interroganti reſponderent Monothelitæ, ſecundùm quam naturam dicant Chriſti Dei vnam voluntatem. Si ſecundùm diuinam tantùm, de humanitate ipſius, quid reſpondebunt? quoniam & homo perfectus eſt, vt non cum Manichæo condemnentur. Porrò ſi ſecundùm humanitatem Chriſti dixerint, quod hæc voluntas, Deus eſſet perfectus obſervent ne fortè cum Photino & Hebione iudicentur. Iam verò ſi ex vtraque natura vnam voluntatem eſſe dixerint, non ſolùm naturales voluntates, ſed & ipſas naturas confundent; vt ne hoc, nec illud, id eſt diuina & humana intelligi poſſit; ſicut enim vtraſq; naturas in adunatione vnius Chriſti, vt impius Neſtorius, non patimur; ita differentiam naturarum penitus non negamus; ſed neque confundimus, quoniam vtraſque naturas cum adunatione vnius perſonæ Chriſti Dei, inenarrabili conſonantia confitemur. Quia enim vnam voluntatem dicũt diuinitatis Chriſti, & humanitatis, & vnã ſimul operationem, quid aliud, niſi quia & vnam naturam Chriſti Dei ſecundum Eutychianam, & Seuerianam diuiſionem operari noſcuntur?] Eadem argumentatio contexitur apud Damaſcenum lib. de duabus Chriſti voluntatibus, & apud Anaſtaſium c. 1. de fide pag. 13.

Difficultas ex Honorij ſcriptis, ac damnatione.

35. Rem per ſe claram turbaſſe viſus eſt Honorius I. duabus ad Sergium Monothelitam epiſtolis, quarum priore, profeſſus eſt ſe vnam in Chriſto voluntatem agnoſcere; poſteriore autem de vna Chriſti operatione æquè ac de duabus taceri voluit; eóque nomine in 6. Synodo à Romanis Pontificibus Honorij ſucceſſoribus approbata, damnatus eſt Honorius cum Sergio, & alijs Monothelitis, Cyro, & Pyrrho. (Ridiculè apud quendam recentiorem 3. p. diſp. 73. n. 1. His iungitur Typus, Pauli Conſtantinopolitani diſcipulus, cum Typus fuerit conſtitutio Imperatoria pro Monotheliſmo.) Damnatus ergo cùm prædictis eſt Honorius, non reclamantibus qui aderant Apoſtolicæ Sedis Legatis. Vt propterea Turrianus lib. de 6. 7. & 8. Synodo, de-

ſponde

ſponderit Honorij defenſionem, itemque Hieronymus à Rüa controu. 3. Scholaſt. *initio*; Canus autem, magiſter verax, & non reſpiciens perſonam hominum lib. 6. de locis c. 8. ad vndecimum rotundè ac liberè pronunciet Honorium excuſari non poſſe à Monotheliſmo. Nititúrque præſertim teſtimonio epiſtolæ Leonis Papæ ad Conſtantinum Auguſtum, qua Leo robuſta voce in Honorium infremit, verbis illis. [Anathematizamus Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, nec non & Honorium qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtrauit, ſed profana proditione immaculatam fidem ſubuertere conatus eſt.] Addit Canus ſuffragium quoque Adriani ſecundi, qui in 8. Synodo, agnoſcit Honorium ab Orientalibus ob hanc hæreſim fuiſſe damnatum, de conſenſu Romani Pontificis.

Expeditur quoad illa Honorij ſcripta quibus vnam Chriſti voluntatem poſuit.

36. Verùm ne in Honorium Canus theoninum infigeret, ſed caſſis tantùm latratibus eum appeteret, effecere qui validè illum repulerunt Bellarminus l. 4. de Rom. Pontif. c. 11. Baron. anno 633. à num. 14. & anno 681. à n. 12. Cocciust. 1. l. 7. art. 13. Onuphrius in additionibus ad Platinam in Honorio 1. Schotus ad Cod. 19. Photij. Duuallius tract. de Pontif. parte 2. q. 4. Coquæus in antidoto contra Mornæi oppoſitionem 23. & alij, rectè aſſerentes Honorium hac in parte calumnia Græcorum grauatum eſſe, qui erubeſcentes de tot ſuis Patriarchis Conſtantinopolitanis, Antiochenis, & Alexandrinis in hac ipſa Monotheliſmi cauſa damnatis, verbum vhum ſana mente, & optimo ſenſu ac appoſitiſſimè ad interrogationem factam, ab Honorio prolatum, detorſerunt ad ſenſum hæreticum, & Honorium ea de cauſa fide Græca inter damnatos in 6. Synodo obtruſerunt. [Verbum Honorij prædictum cuiuſmodi ſit, intereſt cognoſcere. Scripſerat ad eum Sergius Conſtantinopolitanus tunc nondum detectus hæreticus, epiſtolam quæ refertur in 6. Synodo actione 12. obtendens aſſertionem [duarum operationum multos ſcandalizare.] Addideratque, [inſuper, & conſequens ei eſt, prædicare duas voluntates contrarietatem circa inuicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimpleri paſſionem, humanitate verò eius, obſiſtente eius voluntati, & reſiſtente, & perinde duo contraria volentes introduci, quod impium eſt. Impoſſibile quippe eſt in vno, eodemque ſubiacenti, duas ſimul, & erga hoc ipſum contrarias ſubſiſtere voluntates. Nam ſalutaris Deum gerentium Patrum doctrina operæ pretium inſtruit, quod nunquam intellectualiter animata Domini caro, ſeparatim, & ex appetitu proprio contrario nutui vniri ſibi ſecundùm ſubſiſtentiam Dei Verbi, naturalem motum ſuum effecit, ſed quando, & qualem, & quantã ipſe Deus Verbũ volebat.] Hæc cum accepiſſet Honorius priore data ad Sergiũ epiſtola reſpondet, eſſe in Chriſto vtramque ſub vna perſona Diuina naturam; Deitatem inquam, & humanitatem, quarum hæc ita ſit Verbo iuncta, vt quæ ſunt carnis tribuantur Deo per communicationem idiomatum. Tum addit. [Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia profectò à Diuinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa: illa profectò quæ ante peccatum creata eſt, non quæ eſt prævaricationem vitiata.] Et mox poſt plura in eandem ſententiam. [Non eſt itaque aſſumpta, (ſicut præfati ſumus,) à Saluatore, vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis eius, ſed venit quærere, & ſaluare quod perierat. 1. vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diuerſa non fuit, vel contraria Saluatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis. Et ſi quidem ſcriptum eſt *non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me Patris.* Et, *non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater*, & alia huiuſcemodi, non ſunt hæc diuerſæ voluntatis, ſed diſpenſationis humananitatis aſſumptæ. Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exemplum, vt ſequamur veſtigia eius prius magiſter diſcipulos imbuens, vt non ſuam vnuſquiſque noſtrum, ſed potiùs Domini in omnibus præferat voluntatem.]

37. Ex his liquet, & vnde Honorio ſtructa ſit calumnia, & quàm ille longè alia cogitarit ijs verbis, quæ depranarunt aduerſarij; nempe quibus dixit [vnam eſſe in Chriſto Domino voluntatem.] Honorius enim vt quæ ex eo retulimus, manifeſtiſſimè monſtrant, noluit vnicam in Chriſto facultatem voluntatis, vel vnicam volitionem ſtatuere, ſed aduerſantes tantùm in Chriſto voluntates, quales in nobis ſunt inuicem cõpugnantes, à Chriſto voluit excludere. Hoc plane modo Honoriũ purgauit Ioannes IV. qui interfecto dumtaxat petbreui Senerini pontificatu, proximè Honorio ſucceſſit, & iactatam à Pyrrho in Honorium calumniam, ſcripta pro eo apologia ad Conſtantinum Imperatorem filium Heraclij, diligenter diluit. Habetur in nuper editis Anaſtaſij Bibliothecarij Collectaneis. Partem quæ huc maximè facit adſcribere non erit inutile. [Nos qui per præuaricationem, & peccatum illius naſcimur, duas contrarias voluntates habere dignoſcimur: duas autem dico, mentis & carnis inuicem reluctantes, ſicut idem Beatus docet Apoſtolus: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc autem ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis.* Et hoc omne humanum patitur genus ſub peccato conſtitutum.] Confirmat hoc nonnullis ſcripturis, tum ſubdit, [ergo vnus, & ſolus eſt ſine peccato mediator Dei & hominũ homo Chriſtus IESVS, qui in mortuis liber conceptus, & natus eſt. In diſpenſatione itaque ſanctæ carnis ſuæ, duas nunquam habuit contrarias voluntates, nec repugnauit, voluntati mentis eius, voluntas carnis ipſius, neque enim habuit quodcunque peccatum, qui venit dimittere peccatum mundi, quemadmodum & ipſe dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et alias aliter ait, *venit princeps mundi huius, & in me inuenit nihil.* Vnde ſcientes quod nullum, in eo, cum naſceretur, & conuerſaretur, eſſet omnino peccatum, decenter dicimus, & veraciter confitemur, vnam voluntatem in ſanctæ ipſius diſpenſationis humanitate; & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus, ſecundùm quod quidam hæretici velut in puro homine delirare noſcuntur.] Nempe Neſtorianis, qui Chriſtum ſtatuentes hominem purum, pugnam illi aduerſantium carnis, ac ſpiritus voluntatum, æquè ac in nobis affingebant. Idque Honorius priore ad Sergium epiſtola ſubuereri ſe in duarum Chriſti operationum affectione diſertè profitetur ſub fine epiſtolæ. Et ex S. Anaſtaſio Sinaita c. 1 ὁδηγῷ pap. 13. conſtat fuiſſe qui eum impiũ ſenſum duas Chriſti voluntates, & operationes detorquerent, & Catholicis duas Chriſti voluntates, & operationes agnoſcentibus impingerent: quod tamen neque dæmones aſſerere de Chriſto auſuros, affirmat Anaſtaſius. Subdit Ioannes Papa. [Secundùm hunc igitur modum, iam dictus deceſſor noſter prænominato Sergio Patriarhæ percontanti ſcripſiſſe dignoſcitur, quia in Saluatore noſtro duæ voluntates contrariæ, id eſt in membris ipſius penitus non conſiſtunt, quoniam nihil vitij traxit ex prævaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo, coaptatur quod ſcriptum eſt, *ſcio enim quia non habitat in me id eſt, in carne mea, bonum.* Et iterum: *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malũ, hoc facio; ſi autem quod nolo malũ illud facio, non iam ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et poſt hæc: *Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris*

membris meis. Hinc ergo hæ duæ contrariæ voluntates meæ & carnis, quas Apostolus docet, in nostro homine mentis & carnis, quas Apostolus docet, in nostro Domino Saluatore fuerunt, eò quòd hic luctaminis nequaquam Saluatore fuerunt, eò quòd hic luctaminis similius, ex prævaricatione protoplasti sumpsit initium: quoniam à Redemptore nostro natura susceptæ est, non criminis culpa.]

Et infra. [Prædictus ergo decessor meus, docens de mysterio incarnationis Christi, dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum conuertentes, diuinitatis eius, & humanitatis vnam eum voluntatem docuisse suspicati sunt; quod veritati omnimodis est contrarium.] Non potuit clariùs, luculentiùs, & fortiùs Honorium à calumnia liberare.

38. Eadem planè ratione Honorium purgat S. Maximus epistola ad Marinum presbiterum, cuius ad hoc suis longum fragmentum in ijsdem Anastasij collectaneis exhibetur. Expendit enim S. Maximus Honorij verba eodem prorsus modo quo Ioannes Papa; & ait non secus Honorium vnam in Christo voluntatem statuisse, quàm S. Athanasius esse in Christo solam diuinitatis voluntatem dixit; quia scilicet humana Christi voluntas, perfectè, conformabatur diuinæ, nec vnquam aduersus istam refractaria rebellabat; additque sub eiusdem fragmenti finem S. Maximus, Græcos Monothelitas Honorij epistolam græcè editam, fermentasse appositione vitiosæ mixturæ. Denique in disputatione contra Pyrrhum idem S. Maximus, affirmat Honorij scribam tunc temporis adhuc superstitem, qui eam sub Honorio epistolam composuerat, quem totum Occidentem cùm alijs virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustrasse ait, ex persona Ioannis Papæ, (1. vt sequentia demonstrant, voluntate, & mandato; Non enim nomine Ioannis scribere potuit ad Constantinum, se olim sub Honorio hoc illudve dixisse, nisi idem ipse tunc scriba, fuisset postea Ioannes Papa IV.) Eum inquam Honorij scribam S. Maximus ex persona Ioannis Papæ sic scripsisse ait ad Constantinum Imperatorem [vnam voluntatem diximus in Domino, non diuinitatis eius & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam & Spiritus, sicut nos habemus post peccatum: sed vnam tantum, quæ naturaliter humanitatem eius signabat.] Nihil clarius, efficaciusve in rem præsentem adduci potuit.

Purgatur Honorius, quoad silentium de bina Christi voluntate inditum.

39. Sufficientissimè ergo quoad illa prioris epistolæ verba, quibus vnam Christi voluntatem affirmabat, purgatus videtur Honorius. In secunda verò epistola, silentium quidem indicit & vnius, & duarum Christi operationum, ne vel Nestorianis dualitate operationum approbata, vel Eutychianis admissa vnica operatione astipulari videretur, vt disertè contestatus erat priore epistola. Tamen ipsa duas Christi operationes admittit, verbis illis quæ ex fine eiusdem posterioris epistolæ describuntur in 6. Synodo Act. 13. [Debemus propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, sicut superius diximus, non vnam vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire, sed vtrasque naturas in vno Christo vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: & diuinam quidem, quæ Dei sunt operantem: & humanam, quæ carnis sunt exequentem, non diuisè neque confusè aut conuertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conuersam edocentes: sed naturarum differentias integras confitentes: vnus atque idem, humilis & sublimis, æqualis Patri, & minor Patre, ipse ante tempora, natus in tempore est: per quem facta sunt sæcula, factus in sæculo est: & qui legem dedit, factus sub lege est, vt eos, qui sub lege erant, redimeret: ipse crucifixus, ipse chirographum, quod erat contra nos euacuans in cruce de potestatibus & principatibus triumphauit. Auferentes ergo (sicut diximus) scandalum nouellæ adinuentionis, non nos oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare, sed pro vna (quam quidam dicunt) operatione, oportet nos vnum operatorem Christum Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, diuinitatis & carnis assumptæ, in vna persona vnigeniti Dei patris, inconfusè, indiuisè, atque inconuertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.]

En quàm disertè Honorius duas ipsa in Christo operationes, atque adeo etiam voluntates admittit, quamuis suasione versipellis Sergij necdum comperti hæretici, voces *duarum operationum* audire noluerit; consultiùs sine dubio facturus, si quod fides Catholica de duplicibus Christi operationibus pro natura duplici tradit, proponi nitidè, & sine ambagibus, permisisset. Vnde Leo II. epistola ad Præsules per Hispaniam constitutos de Honorio ait: [qui flammam hæretici dogmatis, non vt decet Apostolicam Authoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confouit.] Euentus quippe docuit, impium Sergium ea silentij ab Honorio exoratione abusum esse, ad firmandum magis, latiùsque diffundendum Monotheliſmum. Quod consideratum velim quoties de veritatibus Catholicis suppressione mulctandis agitur, iuxta vsum nouum ab annis aliquot in Catholica Ecclesia, non per hæreticos, vt olim, sed per Catholicos causæ suæ velificantes, inualescentem: qua de re accuratè in Opere de iusta confixione librorum, partit. 1. crotem. 18.

Damnatio Honorij per 6. Synodum, commentitia.

40. Sic purgato Honorio, quo ad ea quæ ex eius scriptis opponebantur, amolienda restant, quæ de eiusdem per sextam Synodum, & quosdam Pontifices suffixione, opponebat Canus. Et damnationem quidem Honorij in 6. Synodo factam, Bellarm. 4. de Rom. Pont. c. 11. & Baro. anno 681. à num. 12. multipliciter conuincunt esse assumentum Græcanicum ad eam Synodum. Arte enim Pelasga, pleraſque Synodos interpolatas & immutatas fuisse, vt tertiam, quartam, quintam, ac septimam exploratissimum est, demonstratque prolatis exemplis hunc fuisse vsum Græcorum Turrecrem. sess. 20. Conc. Florentini. Et hanc ergo sextam Synodum intrusa Honorij damnatione corruperunt.

Hoc sextæ Synodi dehonestamentum, Baronius supra à n. 25. rectè coniectat factum esse à Theodoro Constantinopolitano Patriarcha, priùs ob Monotheliſmum deposito, postea autem exacto triennio concluſa anno ante 6. Synodo in eandem Sedem restituto, præmissa confessione Catholica. Hic enim Theodorus, quem Anastasius Biblioth. carius in compendio Actorum 6. Synodi, testatur cum alijs hæreticis hæreseos Monothelitarum accusatum, atque conuictum, atque adeò etiam eam ob causam damnatum, nunc in 6. Synodo nuspiam comparet; & loco Theodori inuenitur vbique Honorius. Quis ergo non videat, Theodorum illum Archetypis Synodi actis potitum, eaque primùm Romam ad Leonem II. cattigata, (vt Constantinus Imperator præ se tulit) per Legatos, qui 6. Synodo interfuerant diu detentos, tandem transmittentem, abtasisse quæ in suum cedebant pro-

brum;

brum, intrusisse verò quæ libuit de Honorio pro antiqua Græcorum in Romanam Sedem malignitate, & peculiari ipsius Theodori aduersus eandem offensione? Eam enim satis prodidit, sublato è dyptychis Vitaliani Papæ nomine, nequicquam contrarium mandante Constantino Imperatore, qui epistola ad Dominum Papam testatur, nunquam se pati voluisse, vt Vitalianus è dyptychis expungeretur. At id ausum Theodorum, & idcirco iussum restitui Vitalianum, liquet ex 6. Synodo actione 8. Hic ergo videtur doli auctor, & Synodi in Honorij probrum falsator.

41. Anastasius sanè in latina Historia ex variis locis contexta, vt Cardinalis Sirletus apud Onuphrium addition. ad Platinam in Honorio I. refert,) intrusum perfidè nomen Honorij in hanc Synodum, locupletes testis est. Et vt aliæ contectaneæ deessent firmaret id sufficienter tam indiscussa, tamque præpropera Honorij damnatio, silentibus, ac ne mutientibus quidem Legatis Apostolicæ Sedis, qui pro Vigilio non admodum laudato Pontifice, Monothelitimi sim liter insimulato, tam fortiter reclamarunt. Quid quod approbauit, & summis sæpè elogiis ornauit ea Synodus act. 8. & 18. epistolam Agathonis Papæ, qua omnium antecessorum suorum puram fidem, atque sinceram celebrauit, non absque Græcorum rubore, quorum tot, tantique Patriarchæ, in ea ipsa Synodo damnandi erãt, memorante, & prædamnante ibi illos Agathone? eumque ruborem redemisset haud dubiè perlibenter, obiecta Honorij prolapsione, cuius tunc adhuc recens, & calens erat memoria. Accedit quod veterum plerique, etiam ex iis qui Romanæ Ecclesiæ probra non dissimulassent, recensitis Patriarchis in sexta Synodo damnatis, tacent de Honorio. Ita Photius libro de septem Synodis, Zonaras in Constantino 4. Theophanes Ceramæus in historia, Paulus Diaconus; & plerique antiquorum Latinorum. In ipsa quoque sexta Synodo act. 4. recensitis Theodoro Pharanitano, Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, & Paulo Constantinopolitanis, omittitur Honorius. Itaque dubitare non possum, quin sexta Synodus quoad Honorij damnationem, adulteratrices Græcorum manus sit passa, quoad pleraque exemplaria.

Æquè adulteratas Leonis secundi epistolas existimauit supra Bellarminus. At Baronius anno 685 à n. 5. planè confictas & suppositicias esse existimat. Quod si eas verè fuisse Leonis, ac sinceras placeat admittere, dicendum erit, Leonem Papam quod in Actis sextæ Synodi legerat, sine alia disquisitione censuisse verum, & errasse in facto cum infamauit Honorium, reuera innoxium, id quod similiter de Adriani secundi verbis in 8. Synodo Romana recensitis, statuendum erit.

Hæc cum ita sint, non abs re Baronius anno 681. collaudata vt par erat num. 29. Bellarmini diligentia in purgando Honorio, addit n. 31. optasse se Melchiorem Canum [sensu potiùs quàm nomine Canum,] fuisse, cùm tam præceps de re tanta tulit iudicium, consentaneum ei audaciæ, ac temeritati, quam bonus vates; Cani præceptor Francisc. Victoria, ipso referente Cano in præfatione libri 12. de locis tãto antè in Cano hariolatus erat: de quo vaticinio videndus est idem Baronius in notis ad Rom. Martyrol. ad 25. Decembris.

Humana Christi voluntas, libera.

42. Fixum igitur, ac ratum esto, agnoscendam esse in Christo, vt diuinam (de quo nemo vnquam dubitauit, qui Christum Deum fateretur,) ita & humanam voluntatem, quæ humanæ naturæ consectarium est, ac germen connaturale. Hanc porrò humanam Christi voluntatem libertate pollere, perspicuum est ex generalibus de humana libertate principiis, quæ ad libertatem Christo asserendam recolit S. Damascenus l. 3. fidei c. 14. Humana quippe libertas, consequitur intellectum de indifferentia obiecti statuere idoneum. At huiusmodi intellectus inexistit Christo. Deinde meritum non reperitur absque libertate. Christum autem fuisse meriti capacem, dicemus inferiùs. Fuit igitur voluntatis liberæ: quod intelligo de libertate proprie accepta, hoc est non de ea tantùm, quæ vim & coact onem excludit, sed etiam, quæ necessitatem quãcunque extrinsecùs illatam amolitur. Eiusmodi enim est germana libertas quæ moralitatis ac meriti vel demeriti principium est, ac fundamentum. Mirum verò est aliquos olim contentos fuisse concedere Christo solam libertatem à coactione, qualem solam Caluinus in omnibus hominibus admittit, sed per errorem exploratum. Non enim reuera liber est, id est Dominus sui actus, qui à sola coactione, ac non etiam à necessitate, est immunis. Itaque S. Thomas quiin 3. d. 18. q. 1. art. 1. ad 5. prædictæ sententiæ, quoad Christum, probabilitatem concesserat, consultiùs veram & plenam libertatem Christo tribuendam statuit 3. p. q. 18. art. 4.

Non negauit Christo eam germanam libertatem Theorianus Legat. ad Armenos, cùm negauit tribui ei debere arbitrium, & eligentem voluntatem. Tantùm quippe intendit excludere à Christo ignorantiam, & peccabilitatem, quod ex subiectis eius verbis discere licebit. [Arbitrium (inquit) & electio siquidem propriè loqui volumus, in Dominum non cadunt. Nam arbitrium post habieam de ignota re quæstionem, & deliberationem, siue consilium & iudicium, adfectio quædam est ad id, quo de iudicium factum est: postquam electio sequitur, alterum pro altero deligens. Dominus autem, quia nudus homo non est, sed etiam Deus, & quia nouit omnia, nec considerationis vllus eget, nec inquisitionis, nec consilij, nec iudicij: & tum coniunctionem cum bono naturaliter habet, tum auersionem à malo. Quapropter arbitrariam aut eligentem voluntatem Domino non tribuimus, sed naturalem.] Vides, (vt dixi) Theorianum de amouenda dumtaxat à Christo ignorantia, & peccabilitate esse sollicitum: cæteroqui autem, libertatem Christo concedere? hæc enim est quam nomine [voluntatis naturalis] qualem paulò ante expoſuerat, est complexus. Id ipsum aliis verbis expresserat S. Basilius in c. 7. Esaiæ tractans illud *vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Quomodo autem ea propriè dicta Christi libertas cum eiusdem beatitudine, & determinatione ad bonum, quibus à primo conceptionis suæ momento potirus est, possit cohærere, exponetur infra suo loco, post expositam impeccabilitatem.

Agnoscenda in Christo, vis motrix inorganica.

43. Vltima facultas inter rationales Christo assignatas, est vis motrix inorganica dandam enim esse talem aliquam vim motricem spiritualem, animæ cuiuis rationali, vt moueatur cum est à Corpore seiuncta, extra dubium est. Negari quippe non potest, quin anima rationalis à corpore separata, moueri possit localiter. Quis enim prudens, persuadeatur animam rationalem eodem ordine esse censendam, quo conchylia, & plantas malia, quæ ob imperfectionem suam obstipa sunt, & immobilia? potest igitur anima extra corpus constituta, moueri quapte vi, & tanquam à principio intrinseco; atque adeò vim aliquam inorganicam motricem sortitur, quæ motum illum principiet. Mirorque id inficiatos Dandinum 3. animæ digress. 30. Bannem 1. p. q. 7. art. 5. dub. 1. ad 3. & Bubalum 1. p. q. 54. art. 5. quæsito vnico difficult. 3. c. 2. Rectè verò, quod dixi, statuunt Scotus in 4. dist. 10. q. 7. *litera C.* & seqq. (parum consentaneè ad ea quæ habet d. 49. q. 14.) Suarez d. 35. Metaph. s. 6. n. 23. & d. 18. s. 7. n. 42. Val. 3. p. d. 11. q. 1. p. 2. Thyræus de locis infestis c. 23. Conimbr. disp. 6.

disp.6. de anima sepat. art. 2.& Delrio 2. Mag. q. 26. sect. 2. Cùm autem ea vis inorganica motrix, fluat necessariò ab anima, omninò fatendum est, fluere ab ea iam nunc,& ante animæ separationem à corpore.

Hoc constituto quoad animam vniuscuiusque nostrum, idem planè statuendum est de Christi anima, ex generali principio, quo constat humanitatem Christi consecutam esse perfectiones omnes humanitati debitas, & nobis naturaliter competentes. Igitur anima Christi, etiam priusquam à corpore auelleretur, fortita est huiusmodi facultatem motricem inorganicam. Sanè cùm anima Christi seiuncta à corpore adiit latentem in quo non est aqua, vt Zacharias c. 9. loquitur, necesse fuit inexistere Christo principium internum talis motus cessationem; cùmque non sit tunc assecutus huiusmodi principium, (alioqui non esset potentia naturalis, nec proflueret ab anima necessariò,) fatendum est iam ab initio productionis animæ Christi, eam facultatem æquè ac intellectum, & voluntatem, ab anima progerminasse. Fuisse autem eum motum planè verum, certa fides est, quæ descensum Christi ad carcerem, atque adeò verum eius motum profitetur, vt diligenter confirmant Bellarm. l. 4. de Christo à c. 12. Val. 3. p. d. 2. q. 4. p. 2. Feuard. in append. ad Caiet. v. *Christus* hæresi 9. perperam ad descensum per solam illuminationē in Patribus causatam id trahente Durand. in 3. d. 22. q. 3. & nequicquam reclamantibus Nouatoribus, qui infernum pro sepulchro interpretati, (quod Delrio digressione subiuncta adagio 197. late refert, ac refellit,) descensum Christi ad inferos, ridiculè transtulerunt ad depositionē corporis Christi in sepulchro. Alij verò quibus nulla viuicombusta, vel etiam infernalia tormenta, dignam blasphemiæ pœnam rependant, duce Caluino vt est apud Canis. in præfatione prima operis de corruptelis Verbi Dei. §. *Quis vero*, Christi descensum ad inferos, interpretati sunt perpessionem pœnæ damni: quod vel memoriæ pollutio est, & potentissimè conteritur à Genebrardo in symb. Athan. n. 38. Coccio t. 1. l. 2. art. 4. Feuardentio supra hæresi 8. Bellarmino l. illo 4. c. 10. post Fulgentium l. 3. ad Trasim. c. 31. Fuit igitur in anima Christi facultas inorganica naturalis ad causandū motum illum deorsum *descensus* nomine expressum, qui in re spirituali, & grauitate destituta, non potest oriri, nisi à virtute congenita.

44. ex aliis præterea Christi etiamnum viatoris lationibus, posse forte hanc virtutem colligi, ait Scotus in 4. d. 10. q. 7. *littera G.* nempè ex motu quo elapsus est de Iudæorum manibus, à quibus ductus erat in supercilium montis, vt inde præceps ageretur. Transeuntem enim, per medium illorum iuisse, ait Euangelista; quod Scotus existimat, dici posse ad vsum huius facultatis pertinere. Idémque sul dat, de eo motu quo Christus duodennis elapsus est de parentum manibus, & mansit in Hierusalem, quod ex Origene in c. 2. Lucę confirmat. Hæc tamen omnia parùm, aut nihil potiùs probant. Nā Christus transiens per medium Iudæorū, vsus est facultate progressiua, siue organica, impeditis interim Iudæis, vel ne abeuntem conspicerent, vel ne sisterent, & comprehenderent. Multò minùs verisimile est, Christum puerum in secessione à parentibus vsum esse facultate motrice inorganica; cùm nulla prorsus sue necessitas, siue congruitas, vsum illius potentiæ in eo enentu persuadeat. Iraque non puto subesse fundamentum affirmandi, Christum in via vsum esse huiusmodi facultate; sicut neque nos ea nunc vtimur: vnde non possumus hanc Christi facultatem ex tali aliquo effectu probare. Non est tamen inuerisimile, (quanquam neque certum,) quod censuit Fonseca 5. Metaph. c. 1. q. 8. s. 4. vsum esse ea facultate inorganica Christum, cùm post resurrectionem, non progredi suo motu, sed subitaneo, & totius simul corporis,

qui per potentias organicas obiri nequit, ad visendos discipulos loca varia adibat. Idémque contigisse existimat prædictus Author, in plerisque motibus, quos in Eucharistia exercuit Christus; siue cùm in pia quædam ora ex altari aduolauit; siue cùm de indignorum Sacerdotū manibus proripuit se se. Eos quippe hostiæ motus ab Angelo, aut immediatè à Deo non causari, cùm suppetat vis interna inorganica ipsius Christi, congruentiùs esse pronunciat citatus Doctor; Nec est vnde falsitatis reuincatur, quamuis nihil etiam sit quod assensum necessariò extorqueat.

Vsus doctrinæ propositæ

45. Propositæ doctrinæ vsus perutilis, suggeritur à Damasceno sub finem Orationis, quomodò ad imaginem Dei facti simus: vbi quamuis non agat nisi de intellectu, & voluntate, eius tamen oratio, æquè in omnes facultates humanas à Christo humanitati suæ implantatas cadit. [Dominus (inquit) misericordia permotus in opus suum, quod peccati morbum sponte receperat, quasi inimici superfusum semen, totum id quod morbosum erat, assumpsit, vt totum sanaret. Quod enim non est assumptum, id curari non potest: quod autem assumptum est, ei salus est data. Quid autem in morbum inciderat ab initio, nisi mens, & illius rationis particeps appetitio, id est voluptas? Hæc igitur curationis indigebat, præsertim cùm peccatum morbus sit voluntatis. Si igitur sibi animum, qui rationis, & mentis est particeps, eiúsque voluntatem non coniunxisset, profectò naturæ humanæ morbum minimè sanasset. Ob eam enim causam voluntatem quoque assumpsit.]

Idem de vi motrice, & omnibus humanis facultatibus dicito, & Medici sapientiam, ac charitatem suspicito.

SECTIO III.

De posteriore substantiali intra Christum compositione supernaturali, extremísque eius, ac nexu, ad plenam lucem, & firmitatem Catholicæ enodationis diuini Ænigmatis.

46. EX dictis in fronte sectionis primæ, perspicuum est cur hanc substantialem, ad quam nunc aggredimur Christo internam compositionem, & secundam, & supernaturalem appellem. In hac enim cōpositione, humanitas, quæ ex priore compositione explicata hactenùs resultat, habet rationem vnius extremi, cui alterum extremum, hoc est Verbum, per interiectam vnionem hypostaticam in vnum suppositum nectitur. Quia ergo compositio naturæ, & suppositalitatis eam terminantis, est compositio substantialis; (subsistentia enim est substantiale naturæ substractæ complementum, vnde quod ex vtrisque resultat, non potest non esse substantiale:) in hac autem compositione terminus naturam perficiens est omninò indebitus humanitati, ac in vertice supernaturalitatis locatus: meritò hanc compositionem, realem quidem, sed ratione extremorum metaphysicam, præ priore ex physicis partibus exurgente, istique substrata vocamus secundam Christo internam compositionem, substantialem, & supernaturalem. Existunt porrò hoc loco cùm ex parte extremorum; tum ex parte vinculi quo colligantur, difficultates permultæ, quas prosequemur, initio facto ab extremo viliore, nempè ab humanitate, quæ naturæ Verbo substratæ rationem habet aliquam.

CAPVT I.

De Humanitate assumpta.

CIrca humanitatem per Verbum suppositatam, quatuor quæri posse video. Primum est, ex quibus ad ipsam pertinentibus integretur provt assumpta. Nã humanitas sub vna consideratione complectitur nonnulla, quæ sub alia consideratione, non continet, verbi gratia, si humanitas spectetur quoad essentialia, sufficienter compingitur ex anima & corpore iis partibus constituto, quæ ad conseruationem animæ in corpore sunt necessariæ; etsi multæ absint partes integrantes, vt manus, vel brachia, & pedes; si autem humanitas spectetur secundùm communem loquendi modum, quo naturalis dispositio hominis ei naturæ debita continetur; sic vox *humanitatis* alias pleraſque partes etiam inanimatas comprehendit, vt quatuor humores, capillos, vngues.

Quæsitum 1. *Quænam ad humanitatem spectantia, sint assumpta.*

47. Quæri igitur 1. potest, quænam ad humanitatem spectantia, contineantur in ea provt assumpta per Verbum, eique substrata; hoc est quænam ex pertinentibus ad humanitatem, suppositantur per Verbum. Hoc ad humanitatis assumptæ substantiam, & quasi essentiam pertinet. Quod verò sequitur spectat ad terminos eius metaphysicos, quorum vnus accidentarius est substantiæ creatæ, nempe existentia: alter autem est substantiale eius complementum, nempè subsistentia connaturalis. Secundò ergo quæri potest, an humanitatis partes, quas assumptas fuisse ratum erit, sint per Verbum suppositatæ, retenta naturali earum existentia, ac subsistentia, siue suppositalitate; & quid de potentia saltem absoluta præstari circa hoc potuerit. Tertiò quæri potest de origine, ac radice assumptibilitatis huius naturæ. Quò spectat, an aliæ quoque naturæ, etiam irrationales assumi potuerint, aut etiam accidentia. Quartò denique quæri potest, an aliquis ordo in assumptione partium reipsa per Verbum suppositatarum, interuenerit. De his omnibus, quæ multas disputationes apud alios implent, simul differam hoc vno capite.

Integra humanitas à Verbo assumpta. Dubia de partibus inanimatis.

48. In primo puncto, clarum est humanitatem simpliciter dictam, assumptam esse à Verbo. Ita enim exigitur, vt Verbum, (quod Scripturæ vbique sonant) dici possit factum homo: nam homo humanitatem simpliciter dictam constituit. Atque adeò, quum humanitas ex anima, & corpore integretur, necesse est ambas illas partes, quantùm necesse est, vt homo conuenienter se habeat, in Christum concurrisse, & à Verbo assumptas esse. Ac de anima quidem, non potest esse dubitatio quatenùs si assumpta, quia cùm sit spiritualis, est prorsus insectilis; ita vt gradus quoque vegetatiuus, & sensitiuus, sicut sunt vna simplicissima entitas cum gradu intellectiuo, ita non sint separatim ab eo assumptibiles. De corpore item, non potest esse difficultas quoad partes eius integrantes animatas. Certum quippè est, omnes illas partes, vtpotè ad veritatem humanæ substantiæ perfectæ, ac simpliter dictæ pertinentes, fuisse à Verbo assumptas; grauitérque hallucinaretur qui solas illas materiæ partes integrantes censeret terminatas fuisse à Verbo, quæ necessariæ sunt ad inductionem, vel conseruationem animæ in corpore, quia sic Verbum non assumpsisset hominem perfectum, & simpliciter dictum, vt fetunt absolutæ locutiones Scripturæ, sed monstrosum, ac truncum. Omnes igitur illæ partes humanum corpus integrantes, quæ in homine non mutilo, & simpliciter dicto, reperiuntur vita informatæ, per Verbum assumptæ sunt, & quidem in se ac immediatè.

Ambiguum verò est, & variantibus Doctorum sententiis agitatum, an partes nonnullæ inanimatæ, sine quibus homo, aut naturaliter consistere non posset, aut destitueretur notabilibus quibusdam vsibus, ad quas eæ partes à natura conferuntur, sint à Verbo assumptæ immediatè: hoc est non tantùm quod reperiantur in natura, quam Verbum sibi copulauit; sed etiam ratione sui ipsarum, ita vt nulla propria, & connaturali subsistentia gaudeant, sed tantùm à suppositalitate Verbi terminentur. Eiusmodi sunt, sanguis, & tres reliqui humores. Item capilli ac vngues. Quamuis enim hæ partes iuxta veram sententiam philosophicam, quam suppono, nequaquam informentur anima, tamen ad bonam humani corporis constitutionem pertinent; atque adeò sunt de veritate humanæ naturæ, ita vt qui iis destitueretur, vel viuere non posset, vt constat de sanguine; vel truncus, & oblæsus haberetur, nec censeretur homo simpliciter dictus. Displicent verò Capreol. in 4. d. 10. q. 2. art. 3. ad 4. & recentiores nonnulli, quos inter videtur esse Aluares 3. p. disp. 28. ad 3. existimantes ex eo quod pars aliqua informetur anima rationali ducendam esse resolutionem, quoad eius assumptionem per Verbum; ita vt sanguis, vngues, capilli, & aliæ huiusmodi partes, si non informentur per animam rationalem non sint assumptæ: secus autem dicendum sit, si non informentur per rationalem animam. Ea ratiocinatio planè displicet. Latiùs quippè patet pars pertinens ad veritatem humanæ naturæ, quàm pars animata anima rationali. Quidquid enim tale est, vt absque eo natura humana non possit naturaliter consistere, vel certè quod homini ad notabilem aliquem vsum subseruit, adeò vt eo deficiente, homo meritò dicendus sit mancus, habet rationem partis ad humanæ naturæ veritatem pertinentis, siue informetur anima rationali, siue non informetur. Atqui omnis pars ad humanitatis veritatem pertinens, assumi à Verbo debuit, vt curaretur quicquid sauciatum erat in Adamo, plenè vtique, ac integrè humanitatem nacto. Quare vt statuamus, veréne partes illæ quas dixi, sint à Verbo assumptæ, non est laborandum de quæstione physica, qua disputatur, an partes illæ viuant, & informentur per animam rationalem, sed aliunde ducenda est resolutio, nempè considerando, an partes prædictæ, eo quo dixi modo ad veritatem humanæ naturæ pertineant. Quia verò ea in re præcipuè controuertitur de sanguine, ab eo auspicabor, quæcunque enim pro aliis partibus propositis vrgeri possunt, æquè pro sanguine militant: specialitérque pro eo multæ congruentes rationes, & authoritates faciunt, quæ pro aliis illis partibus, non habent locum.

An sanguis in venis abditus, assumptus immediatè. Triplex sententia.

49. Non est porrò hoc loco quæstio de sanguine Christi effuso, qualis erat in triduo mortis plurimus Christi sanguis terræ commixtus, aut passionis instrumẽtis adhærescẽs. De sanguine quippè sic spectato, sũt speciales difficultates inferiùs agitandæ cùm de vnione sermo erit. Est igitur hoc loco quæstio, de sanguine intra Christi venas contento, & adhuc habente rationem partis integrantis corpus Christi. Rursus autem de sanguine sic spectato, non quæritur an sit assumptus à Verbo, & quoad formam, & quoad materiam. Iis enim, qui pro sanguinis vnione cum Verbo pugnãt, satis superque esse debet, quod sit saltem vnitus quo-

ad

ad materiam: quia hoc sufficit ad simpliciter asserendum quod sanguis sit assumptus: sicut homo ratione solius materiæ dicitur materialis, & quantus: & ratione solius animæ, denominatur intellectiuus. Ex altera verò parte non pauci formam connaturali subsistentiæ carentem cuiusmodi certè est omnis forma materialis, & subiecto nixa, atque adeò etiam forma sanguinis, (quem suppono esse inanimatum) contendunt non esse capacem subsistentiæ externæ quæ ad solius interna subsistentiæ supplementum aduenire videtur. Itaque qui Christi sanguinem Verbo iunctum quoad solam materiam admitteret, idque de sanguinis formam negaret, à mente eorum qui pro sanguinis vnione cum Verbo disputant, non abhorreret, nec esset illis cum eo magna contentio. Quanquam ego quidem si sanguis Verbo coniungi concedatur, non difficilè admittam, & quoad materiam, & quoad formam quoque, licet materialem, coniungi: quia existimo formam materialem esse immediatè assumptibilem, eo quod nihil vetet eandem entitatem esse bis in duplici extrinseco: in vno quidem vt in subiecto, in alio autem vt in supposito.

De sanguine igitur, ad eum quem dixi modum spectato, iure Verbo immediatè iunctus, triplex fuit sententia. Prima affirmans: secunda negans: tertia quæ sub distinctione loquitur: sanguinem namque distinguit duplicem; nempè nutrimentalem, & perfectum. Vocat nutrimentalem eum sanguinem, qui adhuc crudus est, & malè decoctus, ideóque non nisi ad animalis cibationem deseruit, nec in resurgentibus reperitur iuxta authores huius sententiæ; qui etiam eum nominant superfluum, negántque esse de veritate humanæ naturæ. At sanguinem perfectum, qui planè decoctus est, atque dispositus, aiunt per se requiri ad componendum corpus humanum, & omnes eius partes sonendas. Nutrimentalem item sanguinem negant esse à Verbo assumptum immediatè, quod contendunt de sanguine perfecto. Ita Caiet. 3. part. qu. 54. art. 2. circa ad 3. Syluester in rosa aurea tract. 3. q. 31 & Hieronymus à Rua controuers. 4. Scholast. parte 3. sed hæc distinctio duplicis sanguinis, planè commentitia est, nec eam Medici, vel Physici agnoscunt. Verum iuxta omnes, quilibet sanguis potest viuenti cedere in pabulum, & quo decoctior, & perfectior est, eo ad cibandum maiorem aptitudinem, & proportionem habet, quia tunc magis accedit ad eas substantias, siue accidentariò tantùm, siue etiam substantialiter differentes à sanguine sub denominatione sanguinis spectato, quæ animam tandem excipiunt, & immediatè nutriunt per sui conuersionem. Passim vocant, *rorem, cambium, & gluten*. Est ergo ei duplicis sanguinis distinctio, incomperta prius: nec nisi eo consilio excogitata, vt commodum iudicium ferretur de eo sanguine qui à Christo Domino fusus, aliquibus in locis seruati dicitur. Cùm enim non videretur admittendum, huiusmodi sanguinem in terris relictum, ac proinde nunc à Verbo non suppositatum, fuisse aliquando assumptum à Verbo, quod nihil quandoque assumptum dimisit; idcircò Caietanus solita subtilitate duplicem illum sanguinem commentus est, quorum vnus à Verbo assumptus fuerit, alter autem, ad quem is qui adhuc in terris visitur, pertinuerit, non sit à Verbo assumptus. Verum hoc est manifestè diuinare, vnde enim scire quis possit, vtro è sanguine sit is, qui nunc alicubi in terris asseruatur? Aut cur potiùs dicitur esse è nutrimentali, & nunquam assumpto, quàm ex altero perfecto, & per Verbum suppositato?

Fuit assumptus totus.

50. Dimissa ergo tertia hac sententia, & distinctione quam gratis inuehit, adhæreo primæ quæ totum Christi sanguinem assumptum à Verbo docet, contra secundam sententiam negantem, quæ paucorum fuit, vt Durandi in 4. d. 10. q. 1. n. 19. & Richardi in 3. d. 2. art. 2. q. 1. quem citat, & sequitur Gabr. s. 53. in Canonem: sed Doctorum torrens est in contrarium. Ita ita enim Diu. Thom. quæst. 5. art. 5. tres DD. coram Pio secundo, ea disputatione quam descripsit Syluester in Rosa aurea tract. 3. q. 30. concl. A Rua controu. 4. Scolast. in secunda eius parte. Capr. in 4. dist. 11. q. vnica art 3. ad 5. Soto dist. 10. q. 1. art. 2. Collius l. 2. de sang. Christi disp. 1. à c. 8. Val. 3. parte d. 1. q. 5. p. 1. Ragusa disp. 60. Vasq. d. 26. c. 4. Suares d. 15. l. 6. qui alios innumeros proferunt. Potest autē ista sententia confirmari auctoritate & ratione. Ac primum hæc veritas non obscurè insinuatur Hebr. 2. cùm dicitur, quòd pueri participauerunt carni, & sanguini, & Deū similiter iis participasse: Quamuis enim declinari posset huius testimonij vis, dicendo Deum participasse sanguini assumendo corpus in quo sanguis erat, ipso licet sanguine non assumpto; tamen longè simpliciùs, & ad verborum natiuam significationem accommodatiùs dicitur, Deum participasse sanguini, assumpto sanguine, vt item ferunt illa alia loca, quibus dicimur redempti non corruptibilibus, sed in sanguine testamenti Christi Zach. 9. 1. Petri 2. Apocal. 1. 5. & 7. Ex quibus aliisque scripturis Leonardus de Vino tract. de sanguine Christi c. 18. concinnat quadragenam prærogatiuarum sanguinis Christi Domini, & summæ pretiositatis, qua pollet: Beda Actor. 20. ad illud, *Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo*, expendit sanguinem Christi dici sanguinem Dei ob vnionem ad Verbum, vtique vnionem ipsius sanguinis: Idque haud dubiè voluit Apostolus. Accedit sensus Ecclesiæ, ac Pontificum qui planè ferre videtur, sanguinem Christi fuisse Verbo vnitum. Nam Clemens VI. in Extraua. *Vnigenitus*, de pœnit. & remission. affirmat guttam vnam sanguinis Christi propter vnionem ad Verbum, fuisse pretium accommodatum redemptionis totius humani generis. Quæ verba, si tricæ, & cauilli præcidantur, perspicuè ferunt, vnionem immediatam sanguinis Christi cum diuina Verbi persona. Addunt alij. Pium II. confirmasse decretum Clementis VI. in quendam Barcinonensem Theologum, cui inter concionandum excidetat negare, sanguinem Christi, per triduum mortis fuisse Verbo coniunctum. Rectè tamen Collius l. 5. de sang. Christi disp. 4. & à Rua controu. 4. Scholast. parte 2. citato Sixto IV. lib. de sang. Christi, affirmant Pium II. nihil de ea controuersia ratum esse voluisse, idque patentissimè demonstrat Dermicius in nitela Franc. Relig. à p. 443. vbi plura quoque de prætenso Clementis VI. decreto in Barcinonensem Theologum.

51. Patres item plerique non obscurè suffragantur Facundus l. 1. pro tribus capitulis c. 3. spiritum, aquam, & sanguinem, de quibus 1. Ioannis 5. ita interpretatur, vt Pater dictus sit Spiritus, quia Spiritus est Deus, aqua sit Spiritus sanctus? Filius verò dicatur sanguis, quia communicauit sanguini nostro. Nazianzenus ora. 42. Christi sanguinem vocat *nobilem & magnum, insigneq; & excellens pretium redemptionis nostræ*; pro qua Deum ipsum datum ait. Clemens 1. pædago c. 6. tractans iussum Christi de edenda carne sua, & bibendo sanguine, hæc verba habet, quibus non obscurè, sanguinem Christi assumptum à Verbo significat. [Carnem nobis allegoricè sanctus significat Spiritus, ab ipso enim, caro fabricata est. Sanguis Verbum nobis designat, tanquam enim diues sanguis, Verbum vitæ infusum est: Amborum autem est temperatura Dominus.] Hæc omninò insinuant vnionem sanguinis Christi ad Verbum. Inde tantus valor sanguinis Christi quo Augustin. in Psal. 95. ad illud. *Terribilis est super omnes Deos*, vniuersum planè orbem, & omnes gentes redemptionem

nem esse consecutas, prosequitur. Perpulchrè item tract. 7. Euang. Ioannis, ad illud *aue Agnus Dei*; vbi sanguinem Christi, vocat sanguinem factoris totius mundi, & Deus pretium valdè extollit: & quomodo id Satan per fabellam quam ibi narrat D. Augustinus, æmulatus iam olim esset, latè aperit,

52. Auctoritati suffragatur manifesta ratio. Nam certum est, Verbum assumpsisse immediatè, quæcunque sunt de veritate humanæ naturæ, vt homo totus curaretur, & plenè sanctificaretur per Verbum, qui erat scopus Incarnationi præfixus. Atqui sanguis, per se pertinet ad veritatem humanæ naturæ. Propterea enim de sententia omnium Scholasticorum in 4.d.44. reperietur in corporibus resurgentium. Estque verè sanguis fomentum vniuersarum corporis partium, sine quo perstare vita non potest: non modò quid deest pabulum (sic enim mors effuso prorsus sanguine sequeretur tantùm post aliquot dies,) sed etiam quia partes corporis, benigna per sanguinem rigatione destituta illicò exarescunt, & coguntur animam abiicere. Nam etiam vires corporeæ partibus illis implantatæ, absque hoc generali omnium operationum corporearum instrumentò, iacent inertes, ac obstipæ, & nullis suis motibus obeundis, sunt idoneæ. Quomodò in iram concipiet homo, si absit sanguis qui ferueat? Quomodo timebit absque sanguine, qui contrahatur? Quomodò lætitia diffluet, nisi sanguis fundatur? Videsis Valesium 2.controu. c.4. Est igitur sanguis, aliquid naturaliter comexum cum partibus corporis simpliciter dictis; nec tantùm se habet per modum alimenti, sed etiam per modum partis. Quam in rem considerandæ est cum D.Th. in 4 d.44.q.1.a.2.q.3.ad.3. pulchra proportio quæ est inter elementa ad mundum comparata, & sanguinem collatum cum animali; sicut enim elementa, habèt munus compingendi mixtum, cedendiq; sibi inuicem in pabulum; & tamen simul habent munus integrandi mundum; ita sanguis non tantùm se habet ad viuens per modum alimenti, sed etiam per modum partis fouentis partes animatas, & toti coniuncto colorem ac decorem, & bonum esse conciliantis: Quod est sanguinem esse de veritate humanæ naturæ, vt affirmabam, multisque confirmat Leonardus de vltimo tract. de sanguine Christi, c.11. & 15. At iam præmisi, quicquid est de veritate humanæ naturæ, fuisse à Verbo assumptum immediatè.

In sanguine comprehensi humores reliqui, stabiles.

53. Ex eodem principio statuendum est de aliis humoribus, & spiritibus, ac substantiis mediis inter sanguinem, & viuens. Alios ergò humores, eodem propè iure, quo sanguinem, assumptos esse affirmandum est: pertinent enim ad humanæ naturæ veritatem, & per se requiruntur ad conuenientem statum corporis, magnúmque vsum habent ad bonum esse, & ad operationes animalis, vt optimè vidit Richardus in 4. d.44. qu. 2. Vnde reperientur in rediuiuis beatorum corporibus. Imò passim videntur comprehendi nomine sanguinis, quia commiscentur cum vero, & propriè dicto sanguine, & vnam totalem massam conflant, quæ à principaliore humore denominatur sanguis. Non ago tamen de partibus excrementitiis huiusmodi humorum, siue à natura ablegatæ in certa receptacula, vt in splenem, & cistim fellis; siue retineantur adhuc in vasis communibus donec naturaliter, aut accedente exercitatione aliqua exeernantur per sudorem, lachrymásque, ac saliuam, & huiusmodi alia purgamenta. Hæc enim constat, neque pertinere ad humanæ naturæ veritatem, & integritatem, neque esse assumpta à Verbo.

54. De spiritibus alia est ratio, quàm de prædictis humoribus. Nam quamuis sint essentialiter sanguis, tamen iuxta communem vsum loquendi, non designantur nomine sanguinis, nec sunt de veritate humanæ naturæ, nisi quasi distinctim & in specie: hoc est, necesse quidem est aliquos semper spiritus humano corpori inexistere: per eos enim maximè obeuntur munera illa, ob quæ superiùs constitutum est sanguinem esse de veritate humanæ naturæ: tamen in singulari, nulli sunt spiritus, qui integrare humanam naturam, & ad eam necessariò pertinere censeri possint: sunt enim in continuo fluxu, & facillimè dissipantur, aliique succedant aliis. Atqui vnio fieri debet in singulari, & decet fieri in parte aliquatenus stabili, & consistente, cuiusmodi non sunt spiritus propriè dicti, hoc est, siue vitales, siue animales. Nam quos aliqui vocant spiritus naturales, & multò magis alij quos vocant insitos, constat stabilitate gaudere, & non esse spiritibus annumerandos, sed partibus consistentibus, ideóque assumptos esse: sed nobis sermo est de spiritibus propriè acceptis, quorum continua successio, & promptissima dissipabilitas neminem latet. Vnde nego assumptos esse à Verbo, quod rectè censuit Collius l. 2. de sang. Christi, disp. 1.c.4. reclamantibus licet Vasq. 3. parte d. 56. c.7. & Suare d. 15. s.7. concl. 1. & annuere videtur Præpositus q.5.num.18. Non est autem quod quis opponat ex argumentatione proposita aduersus spirituum assumptionem sequi, ne partes quidem solidas corporis animatas esse à Verbo, cum perpetuò diffluant, & agente in humidum quo fouentur calore naturali euaporent, vt propterea Græci corpus nostrum cum fluuio comparent. Videsis Epiphanium hæresi 64. Hoc nego rectè opponendum. Nam partes solidæ, longè lentiùs & difficiliùs diffluunt, quàm spiritus; imò pleræque earum, quæ sicciores, & densiores sunt, semper manent: & spiritus iugi flexione per sensationes, & motum progressiuum, altisque modis dilabuntur; vnde non habent stabilitatem accommodatam, vt assumantur à Verbo, qualem sufficienter habent partes solidæ.

Quid de humiditate sanguinea, rore, cambio.

55. Non est item quoad præsens negotium, par ratio humorum propositorum, & humiditatis sanguineæ, & roris ac cambij, (vt vocant) quasi quod de humorum assumptione admisimus, in hæc quoque vix nisi accidentariò à sanguine distincta cadat. Non enim ita est: nec de his est admittendum, quod sint à Verbo assumpta, ob longè disparem eorum rationem, quam sanguinis, & aliorum humorum, in statu sanguinis ac humorum. Cuius rei gratia obseruo sanguinem per venas dispergendum in corpus vniuersum, & conuertendum in substantiam viuentis, in maioribus quidem venis decoqui, & elaborari semper magis ac magis. In minutioribus autem venis, quas etiam vocant capillates, proximè antequam illabatur partibus, ita attenuari, vt non iam ampliùs simpliciter, sanguis, vel humor, sed humiditas sanguinea nominetur. Paulò post verò nonnihil crassiorem factum, applicari partibus, & in eis combibi ad modum roris, ideóque abiecto priori nomine, vocari rorem, sensim verò ibidem ad partis, in quam affluxit temperamentum, ac naturam valdè affinem factum, proximéque permutandum, nomen quoque mutare, & cambium dici; donec tandem agglutinetur partibus interposita mora aliqua, qua in carnosam substantiam accepta plena consistentia planè transeat. Hæc obiter ex Medicorum pleniorib. disputationibus delibasse sat est. quæ item agnoscunt Theologi, vt D. Thomas in 4. d. 44. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. Richardus eadem distinct. art. 1. q. 2. & Vendelinus in supplemento Gabrielis, ibidem q. 1. *in fin.* hallucinatus autè perspicuè est Suar. t. 1. 3. p.d. 15. s. 7.

57. eum censuit torem, & cambium ante sanguinem gigni. Ex his ergo constare puto, subsstantias illas interest sanguinem, ac nutritionem medias, nempè humiditatem sanguineam, torem, & cambium; siue speciè à sanguine differt. nt, siue non, quod est philosophicum problema, assumptas à Verbo non fuisse. Sunt enim duntaxat alimenti um, nec requiruntur ad fomentum, & consistentiam corporis, sicut sanguis simpliciter dictus.

Nec capilli, nec vngues assumpti.

56. Restat pronunciandum de capillis, & vnguibus, de quibus plerique Autores idem statuunt, & vtrosque vel negant, vel affirmant assumptos esse à Verbo. Affirmant suares t. 1. 3. part. d. 15. l. 7. concl. 2. Becanus c. 3. q. 1. & Ragusa d. 61. quibus præuerat Cæsarius dialo. 3. Verbis illis. [Sanguinem continet animatum ruborem, & articulatum, ac variis arteriis & venis distinctum, quibus & opifex ille sermo vari gatus erat vique ad pilos, & vngues. Comam enim Dei, voco Christi comam; Similiter, & pedes, & vngues, & sanguinem, & aquam. Propter me enim, meis vnitus est termo.] Al qui vnges esse assumptos, censent verisimilis, aliter tamen statuunt de capillis. Ita Præpositus 3. part. q. 5. n. 29. Negant autem capillos, aut vngues assumptos esse, à Rua controu. 4 scholast. *initio*, & Vasq. 3. p. disp. 36. n. 34. Hos sequor, eò quod censeam neque vngues, neque capillos pertinere ad humanæ naturæ veritatem, & integritatem, sed capilli quidem sunt meræ excrementa, ad solum ornatum, & tegumentum meræ externum destinata, quasi vestes naturaliter appositæ partibus quibusdam egentibus integumento. Vngues autem, quamuis firment partes quibus conseruntur, ideòque non desiuiant ad solum ornatum, vel tegmen, tamen sunt ipsi quoque duntaxat excrementi, quæ licet vsum aliquem in corpore habeant, non veniunt tamen nomine partium simpliciter dictarum. Quantus enim in corpore vsus est humoris illius qui persudorem excernitur? Nemo tamen eum vocarit corporis humani veram partem. Idem ergo est de vnguibus; ac proinde neque vngues neque capilli sunt à Verbo assumpti. Autoritas Cæsarij, etiamsi certo esset Cæsarij, non foret tanti. Eius tamen non esse locum qui proferebatur, sed aliunde irrepsisse in librum illum, notat interpres Billius.

Colligitur, & firmatur resolutio data ad quæsitum.

57. Itaque vt in breuem summam redigam, quæ hactenùs ad primum quæsitum proposita sunt disputata, humanitatis partes omnes physicæ, cùm essentiales, tum integrales, et naturales, et consentaneæ, ac etiam partes aliquæ non simpliciter dictæ, nominatimque sanguis intra Christi venas contentus; omnes inquam hæ partes à Verbo diuino assumptæ sunt. Quod infinities asserunt PP. docentes totam, & plenam humanitatem fuisse à Verbo assumptam, ne quid in ea maneret non personatum. Sæpè id ingeminat S. Leo in sermonibus de natiu. & pass. Dom. Egregiè sanctus Martinus I. in allocutione Synodi Lateranensis, quæ habetur consultat. 5. [Per ipsum filium (inquit) qui nobis locutus est corporaliter, & propter nos paternam vel d utinam eius voluntatem humanè per obedientiam perficientem, calix à nobis, id est, pœna mortis saluatur, destructa mortificatione à vita. Pro qua re, & omnia assumens, & vniens sibi substantialiter, quæ sunt nostræ naturæ sanauit; id est, carnem, animam, intellectum, operationem, voluntatem, per quas sponte Adam præceptum transgressus est: qui totus deliquit, & totus morte damnatus est, & propterea nihilominus indigentem sanari ab ipso, qui nostram quidem creauit naturam, postmodum autem renouate dignatus est.]

Intellectum, & voluntatem, & operationem, assumpta à Verbo ait, non quod operatio, itémque intellectus, & voluntas, si sunt entitates accidentales, sint assumpta à Verbo; sed quod sint in entitate assumpta eámque connaturaliter allectentur. Sed pulchrè item in rem propositam S. Damasc. 3. de fide cap. 6. verbis illis. [Humanæ naturæ totam Diuinitatis essentiam vnitam esse asserimus. Neque enim Deus Verbum, quicquam eorum, quæ, cùm nos initio fingeret, naturæ nostræ inseruit, prætermisit: sed omnia assumpsit, hoc est corpus, animam intelligentem, & ratione præditam, eorúmque proprietates. Anima enim quæ vnius horum expers est, hominis nomen sustinere nequit. Totum quippè me totus assumpsit, ac totus toti vnitus est, vt toti salutem afferret. Nam alioqui ne medicina quidem ei allata est, quod assumptum non est.] Vides quàm vniuersaliter S. Damascenus de assumptis à Verbo humanitatis nostræ partibus statuat. Vult enim omnem planè partem quæ ad humanitatem pertinere dici potest, assumptam fuisse, ne incurata remaneret. Cùm autem S. Damascenus, eiusdem libri c. 3. negat in Christo esse communem specié, non est sensus, abesse à Christo humanitatem perfectam nostræ naturæ consimilem; sed sensus est, Christitatem, vt ibi ex interprete loquitur, hoc est rationem subsstantialem personæ ex diuina, & humana natura compactæ, non esse pluribus indiuiduis vni speciei subiacentibus communem; sed esse in vno solo indiuiduo, quod est non esse communem speciem.

Claudo illis ex mie à Nazianzeno prolatis de Christo Orat. 36. *in fine*. [Homo dicitur non solùm vt per corpus à corporibus capiatur, qui alioqui ob imperceptibilem naturam suam, capi non poterat: sed etiam vt per se hominem sanctitate afficiat, fermentique instar vniuersæ massæ sit, sibíque vniens quod condemnatum fuerat, totum illud à condemnatione liberet, omnia pro nobis, quæ nos sumus, (excepto peccato) factus, corpus, anima, mens, (per quæ videlicet mors peruaserat) & quod ex his commune est, homo.]

Quæsitum 2. In quo statu assumpta humanitas, id est, an indiuidua, an existens, an subsistens.

58. Proponebam secundo loco quærendum, in quo statu partes ad veritatem humanitatis spectantes, assumptæ sint à Verbo: hoc est an sint assumptæ singulares. & an in statu actualitatis & existentiæ aut etiam subsistentiæ connaturalis, ita vt Verbum non modò assumpserit formam totius, siue humanitatem; quæ ex omnibus partibus propositis abíque humana suppositalitate sumptis exurgit in ratione naturæ, sed etiam assumpserit hominem, seu personam humanam cui diuina personalitas adiungatur: Eritque hæc difficultas secundùm vtramque potentiam expendenda, ita vt non tantùm scrutemur, quid factum fuerit, sed etiam quid fieri potuerit. De singularitate, difficultatem facit locus Marij Victorini l. 3. contra Arium, sic scribentis. [Non mirum quod mysterio sumpsit carnem, vt & carni, & homini subueniret. Sed cùm carnem sumpsit, vniuersalem λόγον carnis sumpsit. Nam idcircò omnis carnis potestates in carne triumphauit; & idcircò omni subuenit carni, vt dictum est in Isaia: *Videbit omnis caro salutare Dei.* & in libro Psalmorum. *Ad te omnis caro veniet.* Item & vniuersalem λόγον animæ. Nam & animam habuisse manifestum, cum idem Saluator dixerit; *tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et item in Psalmo: *Non derelinques animam meam in inferno.* Quod autem sumpserit vniuersalem λόγον animæ: iis manifestum est in Ezechiele: *Omnes*

animæ sunt meæ, vt anima Patris sit & anima Filij. Item vniuersalis animæ λόγος, ex hoc ostenditur, quod & irascitur, cùm maledicit arbori fici & cum dicit: *Sodomis, & Gomorræ in illa die cõmodius erit quã vobis.* Sic etiã multis locis: Itẽ & cupit, cũ dicit: *Pater si fieri potest, transferatur à me calix iste.* Ibi etiam ratiocinatur: *sed fiat potius voluntas tua.* Hæc & alia multa sũt, quibus ostenditur animæ λόγος vniuersalis: adsũptus ergò homo totus, & adsumptus, & liberatus est. In isto enim omnia vniuersalia fuerunt, vniuersalis caro, anima vniuersalis, & hæc in crucem sublata, atque purgata sunt per salutarem Deum vniuersalium omnium vniuersalem per ipsum enim omnia facta sunt.] Hæc dicebam videri dubiam reddere singularitatem humanitatis assumptæ, cùm disertè Marius vniuersalem animam, & vniuersale corpus dicat assumpta. Iam existentiam creatam humanitatis assumptæ, inficiantur non pauci. Denique de personalitate non nemo, quoad potentiam absolutam censet creatam cum increata coniungi potuisse.

Humanitas est assumpta, & indiuidua, & vnica.

59. Verum quod attinet ad singularitatem, per se euidens est, humanitatem fuisse assumptam à Verbo in singulari, & indiuiduam non vniuersalem: quod pigeret vel monere, nisi quidam malè feriati hæretici apud Rusticum Cord. dialo. contra Acephalos *sub finem*, tale quid somniasse viderentur. Sic enim inducitur loquens hæreticus, grauatus, vel potiùs oppressus argumentis Catholici. [Autumno quod quidam nostrorum meliùs dicant, quoniam non indiuidua illa humanitas Christi vnitioni præextitit, sed communis humana natura, ex qua est illa caro.] Quod Incarnationem ad figmentum reducere, ait D. Damasc. 3. fid. c. 11. & planè absurdissimum esse, demonstrat Rusticus eo præter cætera validissimo argumento, quod communis natura tantùm sit in intellectu, non autem existat reipsa, sicut certum est assumptionem esse rei verè, & reipsa existentis, quæ sola est ad operandum, & Deo læso satisfaciendum idonea, solaque apta est terminare actionem realem, quia omnis actio est circa singularia, vt Aristoteles etiam dixit. Cuius omnes argumentationes aduersus Platonis ideas, quatenùs demonstrant rem vniuersalem, non posse existere, hîc locum suum haberent, nisi rem in Metaphysicis copiosè discussam, hîc extra locum agitare censerem superuacaneam. Videsis Suar. disp. 5. Metaph. s. 1. à n. 4. vbi latè confirmat esse planè impossibile, aliquid existere nisi singulare, & indiuiduum. Et sanè alioqui idem est vnum, & multa, atque adeò vnum, & non vnum. Mirabile verò mihi accidit Aquarij iudicium qui in 3. d. 5. concl. 8. existimauit, naturam vniuersalem potuisse à Verbo assumi. Hoc adeò desipit, vt nullo condimento adhibito possit sapere: Nam vt dixi non potuit assumi natura nisi existens, existere nihil potest, nisi singulare. Igitur non nisi singularis quæpiam humanitas assumi à Verbo potuit. Non quod plures singulares assumi simul nequissent; sed quod quamlibet naturam assumptibilem, siue vnicam, siue multiplicem assumptibilem dicamus, oportuerit esse singularem, nec potuerit vlla vi, nisi in statu singularitatis assumi. Marius Victorinus loco notato, tantùm vult omnes naturas humanas singulares esse æquiualenter assumptas, quia omnes sunt Christi formatione & vnicæ illius singularis humaitatis assumptione liberatæ, vel potiùs animam adæquatè, siue quoad omnis animæ gradus, ac proinde planè animam, cuiusmodi sunt nostræ, esse assumptam à Verbo in Christo, nec dissimiliter corpus. Ita colligitur ex eo loco, & ex calce libri primi eiusdem operis.

60. Cur verò vnicam ex innumeris sub humana specie multiplicabilibus indiuiduis naturis delegerit Verbum, quam assumeret, nulla præterea alia singulari humanitate assumpta, D. Thom. 3. p. q. 4. art. 5. multis non idoneis rationibus congruenter factum demonstrat. Vnicam certè assumptam esse, fides docet contra Manichæos prout quidem eorum sententiam imo delirium refert S. Chrysostomus homil. in Natali Seruatoris, *in fine*. Nec repugnat Anastas. Sinaita. c. 20. ὁδηγ. *in ipso initio*, sæpe inculcans Verbum diuinum carni, visceribus, medullis ventrique Deiparæ vnitum esse. Hoc enim non potest accipi, nisi de substantia humanitatis Christi decisa ex substantia Deiparæ in ventre, ac visceribus eius. Vnde non nisi vnica humanitas Christi, est de facto copulata Verbo. Si tamen ageretur de assumptione possibili, extra dubium esse debet humanitatem assumptibilem non fuisse vnicam, tantumque fuisse quasi vagè singularem humanitatem. Existimo enim per se perspicuum & citra omnem probationem euidens, quancunque singularem humanitatem distinctam numero ab ea, quæ de facto assumpta est, æquè assumi à Deo potuisse si ageretur de potentia absoluta. Idque planè censuit D. Augustinus 13. Trinit. c. 18. docens potuisse Deum creare vnũ aliud hominem non Adamicum, aut quo alio vellet modo productum, cuius alia numero esset humanitas, ab ea quæ in Christo fuit. Et fusè ac egregiè l. de prædest. Sancto. c. 15. monstrat; quod hæc humanitas fuerit à Deo delecta, vt Verbo Dei coniungeretur, meram gratiam fuisse, & æquè potuisse à Deo assumi quamcumque aliam è singularibus humanitatibus intra naturam specificam humanam productis, aut producibilibus. Hæc ferè pigeret monere, nisi stolidum ac præfractum Vicleffi ingenium inter alias malè sani cerebri abortiones, hanc quoque infeliciter profudisset, non nisi hanc singularem humanitatem, quæ assumpta fuit, assumi à Verbo potuisse, vt refert Thomas Vualdensis in doctr. l. 1. c. 44. n. 3. & 4. Ita ergo res se habet spectando possibilitatem & potentiam absolutam.

Attendendo tamen, quod reipsa factum est, Verbum vni duntaxat singulari humanitati est copulatum per Incarnationem, nisi quod omnes omnino homines aliquatenus assumpti simus, quatenus vnica illa humanitas, quæ reipsâ fuit assumpta, cum sit nobis homogenea, nec nisi nostri causa ad tantum decus euecta, repræsentare nostras omnes humanitates, & nostrũm omnium vicem tenere videtur. Quæ causa est, cur non rarò SS. Patres, dicant in ea singulari humanitate, naturam totius humani generis assumptam esse, vt loquitur S. Hilar. in Psal. 51. omnes inde ad regni spem animans. Præclarè item S. Damasc. orat. 1. de natiu. Deip. non solùm vniuersam humanam naturam, sed creaturas omnes per humanitatem assumptas esse, sic ostendit. [Creator naturam omnem, interiectæ humanitatis beneficio, in melius commutauit. Nam cum homo, media quadam inter mentem, & materiam sede constitutus, rerum omnium conditarum tam quæ in aspectum cadunt, quàm quæ oculorum sensum fugiunt, nodus ac vinculum sit, profectò etiam artifex Dei Verbũ humanæ naturæ copulatum, per eam cum vniuersis rebus conditis vnitum est.]

Supplementa parcitatis in vnicâ humanitate assumẽda.

61. Omnes ergo quadantenus assumpti sumus in vnius singularis humanitatis singularissimâ assumptione. Quod tamen in Incarnatione defuit, nimirum vt omnes indiuiduæ humanitates non assumerentur, sapientia Dei supplenit, quodammodo per aliud mysterium, nempe per Eucharistiæ Sacramentum. Notarunt hoc perillustre diuinæ sapientiæ & bonitatis inuentũ, SS. Patres.

SS.Patres. Egregiè S.Cyrill. l.11 in Ioã.c.26.[Ex Dei Patris substantiâ Vnigenitus prodiens, & totum in sua naturâ genitorem possidens, caro factus secundùm Scripturam est, seque ipsum naturæ nostræ ineffabili-ter coniunxit atque vniuit. Qui enim natura Deus est, verè homo factus est, non Theophorus, id est, Deum in se per gratiam habens, vt mysterij vim ignorantes contendunt; sed verus Deus simul & homo est. Sic quæ inter se plurimum secundùm naturam distant, in vno seipso coniunxit, & naturæ diuinæ participes nos effecit. Communicatio enim Spiritus, & (vt ita d cam) mansio, primùm in Christo fuit, & ab eo in nos penetrauit: quum homo factus, ipse templum suum pro-prio Spiritu perunxit, atque sanctificauit. Origo igitur & via, qua Spiritu sancto participamus, & Deo vniti sumus, Christi mysterium est. Omnes enim in illo sanctificamur, vt igitur inter nos & Deum singulos veniret, quamuis corpore simul & anima distemus, mo-dum tamen adinuenit, consilio Patris & Sapientiæ suæ congruentem: suo enim corpore credentes, per com-munionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos vnum corpus effecit.]

S.Chrysostomus non minus luculenter hom 83. in Matth.[Veniat in mentem tibi (inquit,) quo sis ho-nore honoratus, quâ mensâ fruaris. Eâ namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pauore, propter fulgorem qui inde resilit aspicere pos-sunt, & nos in vnâ cum illo massam reducimur, Chri-sti corpus vnum, & caro vna. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Quis pastor vnquã membris suis oues suas nutriuit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi coniungit atque conglutinat. Consideremus autem ex nostrâ generatus est substantiâ. Sed nihil hoc(inquies) ad omnes pertinet, imo ad omnes. Nam si ad naturam nostram descendit, patet quoniam ad omnes. Quod si ad omnes, & ad vnumquemque profectò. Sed quo-modò non omnes inde lucrum consecuti sunt, inquies? Id certè non illius causa, qui maximè hoc optat, acci-dit: sed eorum culpa qui eum suscipere nolunt: singu-lis enim fidelibus per hoc mysterium se coniungit, & quos peperit non alij nutriendos tradidit, sed ipse stu-diosissimè alit, hac etiam re tibi persuadens, carnem se tuam assumpsisse. Tanta igitur charitate, atque ho-nore affecti, non torpeamus.]

62. Hoc est quod S.Hilarius dixit, ob Eucharistiam nos fieri Dei Verbo vnum per honorem. Sic ille l.8.de Trinit. Quæ Verba Petrus Pseudo-Martyr aliique se-ctarij ad blasphemias peruersè detorquent, vt videre est apud Bellarminum l.2. de Eucharistia c.12. sed ger-manus sensus est, quem dixi; Nempe in Eucharistia fieri nos Deo vnum per honorem; quatenus facti quodammodo sumus Dij & filij excelsi omnes, qua-tenus assumpti à persona Verbi coniuncta Christi corpori. Sed planè insigniter S.Damasc.l.4. fid.cap.14. ostendit Eucharistiam idcirco fuisse institutam, vt non primitiæ tantùm nostræ naturæ, in Christo coniunge-rentur personæ Verbi, sed etiam quilibet homo in par-ticipationem diuinitatis veniret. Hinc est, quod ora-tione 3. de imag. *sub med.* volens probare pingendas esse & venerandas SS. hominum imagines, cum pin-gantur imagines Angelorum, assumit pro medio, quod Angeli diuinitatem non participarunt: Homines au-tem sumptione corporis Christi participant, etiam singulatim, diuinitatis hypostasim. Per Dominici cor-poris & sanguinis concretionem, (inquit) coniungi-mur diuinitati per hypostasim ratione spirituali: Præ-inerátque S.Paulus Ephes.3.& 5. Nam quod ait, gẽtes fieri Christo concorporales, de coniunctione Christi & personæ eius cum vnoquoque nostrûm interpre-tantur varij Patres apud Turria.2. de Euchar. cap.6.&

7. Christus quoque Ioan.6. susceptionem suæ carnis in Eucharistia, confert cum assumptione humanitatis per Verbum, cum ait, *sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, sic qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Vbi Toletus sensum propositum subesse de-monstrat, post Ambrosium & Augustinum, rursúsque c.17. ad illud: *claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*, ea-dem refert post Cyrillum & Hilarium. Ob eandem causam non pauci Patres apud Sanctesium repetit.8. cap.4. nominatimque Theodoretus dialo.1. & 2. Ge-las. l. de duabus naturis, Haymo & Remigius 1. Cor. 10. Incarnationem per Eucharistiam, & vicissim Eu-charistiam per Incarnationem stabiliunt atque expo-nunt. Nec iniuriâ eodem retulerim quod Patres Eu-charistiæ adiuncta cum adiunctis Incarnationis sæpè componunt. Sic S.Germanus in Theoria rerum Eccle-siasticarum *sub initium*, panem benedictionis ex quo iuxta ritum Græcorum eruebatur panis particula quæ erat consecranda, confert cum sacrosancto Virginis vtero. Damascenus autem, sacrum vterum Deiparæ, cum sacra mensa componit, epistola de corpore Do-mini, & multus est in obumbratione per Spiritum sanctum vtrobique interueniente, aliisque sibi perbellè in vtroque mysterio respondentibus, exponendis. Præ-iuerat Chrysostomus orat. de S.Philogonio, & hom.7. in Matthæum.

63. Alterum supplementum illius veluti parcitatis, quæ vnica singularis humanitas est à verbo Dei assum-pta, peti potest ex Origene in fine libri 6. contra Cel-sum, vbi adducta ea Celsi opinione, quod si Deus mis-surus erat filium suum in terras non vnico corpori, sed pluribus iungendus erat, in hunc modum respondet Origenes, [Non opus erat vt multa vbique fierent corpora, multique quales Iesu spiritus ad illuminan-dum Dei Verbo orbem habitatum ab hominibus. Satis enim erat vnum Verbum, tanquam Iustitiæ Sol exortus à Iudæa, mittendis radiis in animas excipere volentium. Quod si quis desiderat videre multa cor-pora, repleta diuino Spiritu, & quemadmodum vnicus ille Christus, ministrantia saluti hominum vbiuis de-gentium, consideret eos qui passim recta vita, sanâque Iesu doctrinâ prælucẽt hominibus, vocati & ipsi Chri-sti in diuinis literis vbi legitur; *Nolite tangere Christos meos & in Prophetis meis ne malignemini.* Nam sicut audiuimus quod Antichristus veniat, & nihilominus didicimus, multos Antichristos esse in mundo: eodem modo agnoscentes Christi aduentum, contemplamur multos per eum in mundo factos Christianos, qui ad ipsius similitudinem dilexerunt iustitiam, & oderunt iniquitatem. Quapropter & eos vnxit Deus; (ille in-quam Christi Deus,) oleo exultationis. Sed Christus, præ participibus suis dilexit iustitiam, odio verò habuit iniquitatem, & primitias huius vnctionis accepit, & vt ita loquar, totam vnctionem olei huius exultato-rij. Cæterum participes eius, quantum quisque capere potuit, tantum eius vnctionis adeptus est. Quamobrem cum Christus sit caput Ecclesiæ, ita vt pro vno corpo-re censeatur Christus & Ecclesia, vnguentum capitis descendit in barbam Aaronis, quod est insigne viri perfecti, peruenitque descendendo vsque ad oram ve-stimenti. Atque hæc dicta sint ad indecorum Celsi di-cterium, quod debuerint similiter inspirari multa cor-pora, & per totum orbem dimitti.]

An humanitas assumpta, habeat creatam exi-stentiam. Pars negans.

64. Sic constituta indiuiduatione humanitatis as-sumptæ, progrediendum est ad eius existentiam, vi-dendúmque an sit creata, an diuina. Et Thomistæ qui-dem rati esse mentem D.Thomæ 3. p.q.17. art.2. cer-tum putant humanitatem assumptam non existere per

ſuam exiſtentiam creatam, ſed per increatam Verbi exiſtentiam, idque negare, Bannes 1.p.q.3.art.4.dub.1. pronunciat, eſſe plusquàm falſum, & minùs tutum. Nec defuit ex ea Familia Inquiſitor mihi notus, qui nigro theta cõfixerit aſſertionem, qua exiſtentia creata humanitatis Chriſti affirmabatur, eaque aſſertione typis cudenda interdixerit. Quod autem Diuus Thomas q. vnica de vnione Verbi incarnati art.4. agnouit in Chriſti humanitate exiſtentiam creatam retractatum poſtea ab eo aſſerunt, dicta q.17.art.2. Vbi agnoſcit in Chriſto eſſe tantùm vnum eſſe; quod eſſe, in ſolut. ad 1. ſecernit à ſubſiſtentia, dicens perſonam ſubſiſtẽtem eſſe immediatum ſuſceptiuum ipſius eſſe. Itaque Aſſuriensis q.7. de gratia Chriſti, ait cæcum eſſe, qui non videat S. Thomam ibi docere, humanitatem Chriſti exiſtere per increatam exiſtentiam Verbi.

Affirmans eligitur, & probatur philoſophicè.

65. Mihi contrarium videtur veriſſimum, & à D. Thoma vbique traditum vt autem radicitùs euellatur difficultas, recolendum quàm breuiſſimè eſt ex prima philoſophia, planè primum quod in re creata intelligitur, eſſe eſſentiam ſiue quidditatem eius ex ſe potentialem, & actuali exiſtentia deſtitutam, capacem tamen eius deforis accipiendæ, beneficio agentis externi. Nam ipſa quidem eſſentia, non poteſt ex ſe exiſtentiam ſuam profundere, quia prout præconcipitur exiſtentiæ, eſt merum nihil. At quod nihil eſt, non poteſt quicquam producere; ſiue quod idem eſt, non poteſt dare cuiquam exiſtentiam, quæ eo ipſo accipitur, quod terminatur actio cauſæ efficientis. Igitur quæcunque res exiſtentiam ex ſe non habet, cuiuſmodi ſanè eſt quæuis res creata, accipit exiſtentiam beneficio agentis extrinſeci per quod reducitur ad eſſe, & cum potentialis tantùm eſſet, efficitur actualis per extractionem è cauſis in quibus deliteſcebat. Rem ſic actualem, intelligimus præcisè exiſtentem, quo pacto concipitur indifferens negatiuè ad eſſe per ſe, vel ad eſſe in alio. Hæ enim ſunt quaſi modificationes & reſtrictiones actualitatis eſſendi, quam exiſtentia formaliter confert. Ex his colligitur primò, quid priùs concipitur exiſtere quàm exiſtere tali modo, priùs etiam concipiendum eſſe, quod res exiſtat, quàm quod ſubſiſtat, vel inhæreat, aut quomodolibet ſit in alio, qui ſunt varij & determinati modi eſſendi. Indidem colligitur ſecundò, quid rem exiſtere, idem eſt quod terminare actionem cauſæ efficientis, & extrahi ex cauſis ſuis, perſpicuum videri, rem non poſſe per alienam exiſtentiam exiſtere; ſed tantùm per propriam: quia res non per aliquid aliud, ſed per ſuummet eſſe terminat actionem cauſæ à qua producitur: alioqui non eſſet ipſa quæ efficeretur. Ergo impoſſibile eſt, rem exiſtere per exiſtentiam alienam, ſicut impoſſibile eſt rem produci, & è vi ſuarum cauſarum educi (quod eſt exiſtere) per exiſtentiam propriam, ſimúlque non educi, quod verè poteſt de ea affirmari, ſi per alienam exiſtentiam exiſteret, non per ſuam. Accidit, quod eſſentia, quæ informatur per exiſtentiam, eique de facto ſubeſt, eſt eſſentia actualis poſſibilitatem abijciens, quæ certè ex eo, quod fiat actualis, non amittit ſe ipſam, ſed eſt illa ipſa, quæ priùs erat tantùm poſſibilis, mutato duntaxat ſtatu. Nam ſi illa ipſa res, quæ fuerat poſſibilis, non, eſſet actualis, falsò diceretur eam fuiſſe poſſibilem quod nõ habet, niſi quatenus ipſamet eſt poſtea actualis. Atqui exiſtentia propria & eſſentia actualis nullo modo differunt, nec compoſitionem vllam faciunt à parte rei, quia exiſtentia importatur in actualitate, vt patet ex eo, quod præciſo quocunque modo addititio, & reipſa vel per mentem ſubtracto, tamen ſi res maneat actualis, manebit extra cauſas ſuas, quod eſt exiſtere; atque adeò fruſtra rei actuali ſuperadderetur exiſtentia. Impoſſibile igitur eſt, eſſentiam fieri actualem per exiſtentiam alienam; ſed quicquid exiſtit, ſ. ipſo exiſtit, formaliter loquendo, & ſi effectiuè ſit per aliud. Sicut ergo repugnat aliquid eſſe actu, & tamen eſſe actualiter, quàm per ſeipſum in nouo quodam ſtatu poſitum, ita vt iam ſit aliquid, cum antè nihil eſſet, ſic repugnat aliquid exiſtere, & non per exiſtentiam propriam ſed per alienam.

His ita delibatis ex prima philoſophia, quæ iuſtam in ea tractationem habuerunt, conſequenter confirmantur à Fonſ.8.Met.c.1.q.1.ſ.2. & 3. & à Suare d.31.Met.ſ. 11.à n.5. facilè nunc infero in re præſenti, humanitatẽ Chriſti non extitiſſe per exiſtentiam Verbi. Quid humanitas Chriſti per generationem ex B. Virgine, educta eſt ex cauſis ſuis, & facta actualis. Sicut ergo ipſamet & non aliud quid loco eius è cauſis ſuis eſt educta, ita ipſamet eſt, quæ ſuam exiſtentiam habet. Item ſicut ipſa eſt, quæ priùs erat poſſibilis per entitatem propriam, & nunc cum actualiter obtinet, ita ipſa eſt, quæ exiſtit per exiſtentiam propriam. Sanè ſi ſupponamus ab humanitate extra cauſas ſuas poſita, remoueri omnem exiſtentiam diuinam, & perſeuerare eundem cauſarum prædictarum influxum in humanitatem, intelligemus planè eam exiſtere, ſicut prius. Non igitur exiſtebat formaliter per diuinam Verbi exiſtentiam, ſed per ſuam. Verùm hæ rationes, ſunt ex communibus, & æquè probant nihil eſſe, quod poſſit exiſtere, niſi per ſuam exiſtentiam. Vrgendum ergo præterea eſt, aliquod quod ſpecialiter confirmet, humanitatem Chriſti non extitiſſe per alienam, hoc eſt per Verbi exiſtentiam.

Firmatur Theologicè.

66. Ac primùm conſtat dæmones clarè intuitos eſſe humanitatem Chriſti, eámque agnouiſſe actualem & exiſtentem; neque tamen poterant dæmones intueri diuinam exiſtentiam, quæ ſolis Beatis peruia eſt, cum ſit ipſa Dei eſſentia. Deinde iuxta aduerſarios, productio humanitatis Chriſti eſſet actio valdè ſupernaturalis, quippe quæ eſſet communicatio ipſiuſmet diuinæ exiſtentiæ tenderétque ad terminum valdè ſupernaturalem; nempe ad compoſitum ex humanitate, & ſupernaturali exiſtentia compactum. Atqui certum videtur, actionem, qua Chriſti humanitas producta eſt, merè naturalem eſſe, eiuſdémque ſpeciei cum generationibus noſtris, quantum eſt ex parte rei genitæ. Imò in tota humanitate Chriſti producta, nihil per ſe inueniri poteſt, ad quod neceſſe ſit actionem eminentiſſimè ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam comminiſci, ſiuè antecedentes partiales creationes partium humanitatis eſſentialium ſpectemus, ſiue formaliter ipſam totius humanitatis productionem per vinculum partium illarum priùs natura creatarum. Nam materia Chriſti præfuit à mundi initio per creationem ordinis purè naturalis. Anima verò, in ipſo temporis momento quo Chriſtus conceptus eſt, producta fuit per creationem priùs naturæ, quàm Verbo vniretur. Priùs enim natura eſt fieri, quàm vniri alteri. In eo autem naturæ priori, quo anima producta eſt, priuſquàm Verbo vniretur impoſſibile eſt, quicquam in ea aſſignare, ratione; cuius actio creatiua qua omnia producuntur, ſit ſupernaturalis. Quare entitates partiales, ex quibus humanitas Chriſti compingitur, fuerunt merè naturalibus actionibus productæ; atque adeò non exiſtunt per increatam Verbi exiſtentiam, ad quod exigeretur actio ſupernaturaliſſima, qua perficeretur talium partium coniunctio cum exiſtentia increata, huiuſmodi entitatibus planè ſupernaturali, & prorſus indebita. Ipſa denique tota humanitas effecta eſt per actionem merè naturalem: nempe per effectionem vnionis, qua corpus & anima inter ſe nectuntur. At

ea

ex vnio est aliquid merè naturale. Nihil igitur est in Christi humanitate, siue partes eius essentiales physicas, siue totam ipsam spectes, quod actionem supernaturalem deposcat: qualem tamen omnino esse oportet actionem, qua diuinæ existentiæ communicatio, siue partibus humanitatis, siue toti ipsi humanitati fiatur. Tandem iuxta Thomistas, non est in Deo nisi vna existentia absoluta. Ergo iuxta eos, humanitas, si per existentiam Verbi sibi vnitam existat, admittendum erit vnionem factam esse in aliquo tribus personis communi, quod semper Patres repudiant, & consequi falsum: esse enim vnio facta esset in natura, non in persona, contra quam ferunt Catholicæ fidei scita.

Suffragium Patrum ac Doctorum, etiam D. Thomæ.

67. Itaque statuo vt planè ratum, Christi humanitatem existere per suam propriam existentiam creatam; Et quod rationes propositæ æquè euincunt, ne de potentia quidem absoluta admitto, eam potuisse existere per existentiam Verbi, reipsa autem creatum existentiam, quam humanitati assumptæ concedo, agnouisse videtur Leontius in scholis act. 7. Vbi diserte profitetur esse in Christo duas naturas hypostaticas, si hypostaticum sumatur pro eo, quod verè existit. Et idem planè luculenter tradit Anast. c. 10. ὁδηγῷ p. 179. Et sancto Cyrillo, plures quandoque Christi hypostatis admittente, hoc est plures naturas non quidem personaliter terminatas, sed existentes ὑπαρξεις. Et inferiùs adducto loco ex commentariis eiusdem Sancti Cyrilli in Epistolam ad Hebræos, quo asserit vnionem factam esse vtraque natura in sua propria conditione existente, ac perseuerante. Plerisque item aliis locis ex eodem Patre addensatis, subdit Anastasius. [Ecce pietatis præco, disertissimè omnique modo duas in Christo naturas post vnionem conseruari, permanere, confidetari, & numerari confitetur. Attendite, obsecro, diligenter ad dicta Patris. Diuersarum naturarum proprietatem inconfusam permanere dixit, iterum dixit. Duas esse naturas affirmamus. Dixit vtramque considerari & existere intra propriæ naturæ limitem. Dixit, vtramque naturam manere id quod est. Dixit in Christo inconfusas perseuerasse naturas, siue hypostases. Præter hæc, omnes hortatur, vt naturarum differentiam agnoscamus; eásque inconfusas prædicemus: diuinus igitur Cyrillus, sexies hoc loco, vt demonstratum est, tradit duarum in Christo naturarum existentiam omnis imminutionis expertem; aprámque etiam numerari: dicit enim illas in Christo conseruari; dicit, illas esse; dicit, illas existere; dicit illas in Christo manere. Deinde addit: illas etiam inconfusas perseuerare: Rursus monet, vt naturarum differentiam agnoscamus; & inconfusas profiteamur. Et hæc quidem Doctor noster.] Non potuit Anastasius magis insigere, quomodo iuxta S. Cyrillum, cui in omnibus, & per omnia subscribit, humanitas Christi per propriam suam & creatam existentiam existat, non per Diuinam. Damasc. quoque. 3. fidei c. 3. ex Fabri interpretatione, negat humanitatem spoliatam fuisse propria entitate, & existentia, ἡ εἰς ἀνυπαρξίαν χωρισθεῖσα.

68. Eadem sententia extra D. Thomæ scholam, est longè communissima inter Lectores, in 3. d. 6. vbi Dion. q. 2. Aquilanus q. vnica art. 2. Franciscus à Christo q. 3. Pelacius disp. 3. Rada in 3. controu. 7. art. 3. concl. 8. fusissimè. Item Pesontius 3. p. q. 17. disp. 1. Vasq. 71. c. 2. Val. d. 1. q. 17. p. vnic. Suarez ibidem disp. 56. l. 1. & in metaph. d. 31. s. 12. à n. 16. Raguſa 127. qui §. 4. multus est in coacernandis plerisque coniecturis, quibus suadeat S. Thom. cuius auctoritas præiudicata, Thomistas in contrarium abripuit, non fuisse retenta in ea sententia, vt humanitatem Christi existere censuerit per existentiam Verbi. Non puto tamen magnæ esse operæ id euincere. Nam S. D. 3. p. q. 2. art. 6. ad 2. diserte tradit humanitatem Christi fuisse assumptam ad vnum esse, non vt esse est naturæ (quale non statuit in Christo vnum) sed prout esse est suppositi. Quid clarius? aut quidni ad tam concepta verba contestemur nos quoque, cæcum esse qui non videat, S. Thomam non modo in quæstionibus disputatis, sed etiam in summa, agnoscere humanitatem Christi propria existentia creata potiri? Item ibidem q. 4. art. 2. quod assumitur, ait, debere præintelligi assumptioni, sicut quod mouetur, præintelligitur motui. Non igitur producitur, nec accipit esse per assumptionem. Accedit quod q. 17. art. 2. vbi aduersarij sententiam suam tradi affirmant, diserte sanctus D. statuit esse pertinens ad naturã multiplicari in Christo oportere; nempe pro Christi duplici natura, quarum quælibet habet suam propriam existentiam; tantúmque contendit esse in Christo vnum esse, prout esse ad hypostasim pertinet, hoc est vnum esse suppositale, & personale, quod existentiæ superuenit. Et hæc est germana ratio, cui Christus conformiter ad D. Thomam eo loco, nequeat dici *plures*: quia adiectiuum masculini generis refertur ad personam, quæ in Christo est vnica; quod manifestè demonstrat D. Thomam ibi, astruentem vnicum Christi esse, agere de esse suppositali; non autem de esse existentiæ. Nec aliquid quantumuis exile, aut leue proferri potest, quod suadeat S. Thomam eo loco agere de esse existentiæ. Vnde ergo venit Thomistis in mentem vt arbitrarentur, S. Doctorem eo loco retractasse sententiam de creata humanitatis Christi existentia, traditam ab eo q. vnica de vnione Verbi incarnati, art. 4.

Nimirũ quod optimè vidit Dur. in 3. d. 6. q 2. n. 15. & 19. & Argentina d. 1. q. 1. art. 3. aliud est esse quomodolibet dictũ siue existentia aliud autem esse per se, siue subsistentiam, quæ duo aduersarij non secernunt, indéque abducuntur à veritate. Verissimum itaque est, dari in Christo vnum dumtaxat esse per se, siue vnum esse suppositale ac personale, de quo solo agit D. Thomas, cùm admittit in Christo vnicum esse. At non minùs verùm est, dari in Christo multiplex esse existentiæ substantialis, & humanitatem eius existere per propriam suam existentiam subsistentiæ Verbi substractam, & ab ea terminatam vltimò. Verè enim Christi humanitas, quamuis non sit assumpta ad existendum, est tamen assumpta ad existendum in alio, siue ad subsistendum in Verbo. Quod si præterea velimus in Christo agnoscere vnum esse substantiale conflatum ex esse suppósitali, & ex actuali humanitatis existentia substantiali; nihil hoc quoque incommodabit positæ à nobis sententiæ. Personale quippe esse, & esse substantiale humanitatis in Christo concurrunt ad compositionem vnius entis per se, quod meritò dici potest habere vnum esse, sed compositum ex actuali esse creato humanitatis, iuncto cum esse increato personæ Verbi. Aduersarij autem conflantes duplex hoc esse in vnum, & subsistentiam cum existentia confundentes, eò deuenerunt, vt humanitatem sua creata existentia spoliarent. Quod perinde est, ac si dicerent, humanitatem Christi assumptam esse ad existendum, æquè ac ad subsistendum in Verbo, quod nullus vnquam Patrum dixit; imò pugnat cum iis Patrum dictis & Conciliorum definitionibus quibus Christi humanitatem personalitati Verbi substratam profitentur existere, & non esse quid phantasticum, reali actualitate destitutum.

Ad fundamenta partis negantis.

69. Quæ aduersarij pro sua sententia proferunt, sunt planè infirma, siue auctoritatem siue rationem spectes

ſpectes. Auctoritatem adhibent paucorum Patrum, nominatímque Sophronij in 6. Synodo act. 11. affirmantis carnem Chriſti habuiſſe exiſtentiam vnam, non in ſeipſa, ſed in Verbo. Hoc aduerſarij tradunt ad eſſe exiſtentiæ; nos autem commodiſſimè id exponimus de eſſe ſuppoſitali, ſiue de perſonalitate, quæ vnica in Chriſto & diuina fuit. Similiter laudant in rem ſuam SS. Leonem & Fulgentium, affirmantes Chriſti humanitatē in ipſa aſſumptione fuiſſe productā, quod aduerſarijs perinde eſſe videtur, ac ſi dixiſſent hi PP. humanitatem Chriſti per vnionem ad Verbum accepiſſe eſſe exiſtentiæ; quandoquidem produci & accipere exiſtentiam, idem ſunt iuxta veram philoſophiam. Sed hîc nihil aduerſarijs ſeritur aut metitur. Prædicti namque Patres, tantùm intendunt affirmare, humanitatem Chriſti non præexitiſſe aliquo tempore priuſquàm diuino Verbo vniretur, & ab eo haberet eſſe perſonale, quod quid ad rem præſentem refert? Itaque nihil eſt aduerſarijs in auctoritate præſidij.

In ratione autem non magis. Vrgent enim eripiendum eſſe B. Virgini titulum maternitatis Dei, eò quod non videatur B. Virgo dici propriè poſſe mater Dei, niſi Chriſti humanitas, quam benedicta hæc mater produxit per Dei exiſtentiam exiſtat. Hoc planè eſt telum imbelle & ſine ictu. Eo ipſo namque, verum fuit B. Virginem eſſe propriè Dei matrem, quod verum fuit, eam eſſe propriè matrem hominis, qui eſt verè Deus. Fuit autem propriè mater hominis, qui Deus eſt, vel quatenus naturā, quam partes phyſicæ inuicem colligarent matris operatiam in verbo ſubſiſtebant, vel quatenus Chriſti humanitas eodem temporis momento, quo per maternum influxum producta eſt, colligatis naturali nexu phyſicis eius partibus, vnita fuit Verbo per nexum ſupernaturalem diuinitus humanitati ſuperadditum, vt ſubſiſteret in Verbo. Tantum verò abeſt, vt hoc argumentum cenſeri debeat alicuius momenti ad probandum, quod Chriſti humanitas exiſtat per exiſtentiam increatam, vt potiùs, ex eo quod B. Virgo ſit verè mater Dei, efficaciter colligi videatur, humanitatem Chriſti, quem ipſa genuit, exiſtere per exiſtentiam creatam. Conſtat enim, B. Virginem non aliter influxiſſe in productionē benedicti Filij ſui, quàm cæteræ matres influant in ſuorum liberorum productionem. Hoc à nemine reuocari poteſt in dubium. Atqui actio aliarum matrum eſt merè naturalis, quippe manans à principio vitali naturaliter operante. Igitur actio B. Virginis; qua ad Chriſti productionem interuenit, fuit naturalis, qualis certè non fuiſſet, ſi terminata non fuiſſet ad conferendam humanitatis Chriſti, exiſtentiam increatam. Et quamuis in controuerſia ſit, an B. Virgo ſit ſupernaturaliter eleuata ad coëfficiendam actionem, qua humanitas priùs natura exiſtens vnita eſt Verbo, idque aliqui admittant, tamen hæc coëffectio eſt merè extrinſeca & concomitanter ſe habens ad influxum, quo B. Virgo conſtituta eſt mater; vt ex eo patet, quòd perſona quæ non ſit mater, quia ad humanitatis effectionem nihil contulerit, imò etiam res merè inanimata, æquè ſuſtolli à Deo poſſet ad vnitionem illam humanitatis cum diuina perſona. Itaque argumentum, quo diuina humanitatis Chriſti exiſtentia ex Deiparæ maternitate eruitur, nullius planè eſt momenti.

Illud tandem aduerſarij æquè infeliciter ex philoſophia objiciunt, non poſſe ex duobus entibus in actu exſurgere vnum per ſe; ac proinde, cùm Chriſtus ſit vnum per ſe, neceſſarium eſſe, vt non ſint in eo duo entia in actu ſiue duo entia actualia, ſed vnicum; nempe Verbum diuinam ſuam actualitatem impertiens humanitati. Aio id infeliciter objici. An nó enim homo, & quæuis compoſita phyſica, ſunt entia per ſe, & tamen exurgunt ex duabus partibus, quarum quælibet eſt ens in actu, ſumendo eas voces pro re actualiter exiſtente? Idem dici poteſt de toto integrali, quod eſt verum ens per ſe, quamuis in eo plures entitates actuales adunentur. Sed nimirum aliud eſt eſſe ens vltimò & completè in actu, & hoc non poteſt eſſe geminum in ente per ſe. Aliud verò eſt, eſſe ens in actu incompleto ſiue eſſentialiter, ſiue ratione defectus vltimi termini ſubſtantialis; & hoc poteſt eſſe multiplex in ente per ſe, alioqui nullum compoſitum ſubſtantiale eſſet ens per ſe vnum. Humanitas autem Chriſti, eſt hoc modo ens in actu. Nam quamuis ſit ens actuale & exiſtens exiſtentia propria ac creata, tamen non eſt ens vltimò terminatum, ſed vt terminetur, & compleatur, iungitur Verbo in ſocietatem eiuſdem, & vltimi eſſe ſuppoſitatis, diuinitatem quoque terminantis.

Humanitas non eſt aſſumpta, cum ſua creata ſubſiſtentia.

70. Poſt conſtitutam veritatem exiſtentiæ creatæ humanitatis Chriſti, agendum ſequitur de eius ſubſiſtentia, qua tanquam vltimo complemento exiſtentia ſubſtantiæ terminatur ac perficitur. Agendo autem de facto, res extra dubium eſt inter Catholicos. Fide quippe ſanctum eſt, non eſſe in Chriſto, niſi ſubſiſtentiam diuinam, vt in Concilio Epheſino definitum eſt, confirmatúmque in Chalcedonenſi, & in S. Synodo collat. 8. Anathematiſmo 4. 5. & 6. contra Neſtorium, ſtatuentem in Chriſto duas perſonas, quarum vna eſſet verus Deus; altera autem ob gratiam duntaxat, & ob vnionem affectus, Deitate participaret, reuera tamen eſſet purus homo. Quod mille anathematum fulminibus conteritur in prædictis Synodis, & à SS. PP. Cyrillo præſertim & Leone, potentiſſimè exſcinditur, prolatis iis Scripturis, & rationibus, quibus liquidò conſtat idem eſſe Dei & hominis ſuppoſitum, vt vidimus libro 1. impugnantes Neſtorij errorem. Ratio item manifeſtè ex Scripturis deducta liquidò monſtrat vnicam eſſe in Chriſto ſubſiſtentiam. Reuelatione quippe docemur. Verbum factum eſſe carnem; & vnum hominem eſſe verū Deum. Item Deum eſſe paſſum ac mortuum. Quæ omnia falſa eſſent, niſi Verbum in humanitate ſubſiſtentiæ propriæ expertè ſubſiſteret. Duæ namque formæ, quæ in abſtracto ſumptæ diſtinguuntur, non poſſunt de ſe inuicem prædicari, niſi habeant idem ſuppoſitum. Omnis enim prædicatio vnius de alio, importat identitatem. Et hæc eſt vnica ratio, cur calor & lux nequeant de ſe inuicem in abſtracto affirmari, in concreto poſſent. Nam falſum eſt, dicere calorem eſſe lucem, licet verum ſit calidum eſſe lucidum, hoc eſt idemmet ſuppoſitum, quod habet lucem, habere etiam calorem: quo pacto inter formas illas concretè ſumptas inuenitur identitas, quæ priùs aberat iiſdem formis in abſtracto ſpectatis. Quia ergo humanitas & diuinitas ſunt formæ priùs diſtinctæ, impoſſibile eſt vnam verè affirmari ſubſtantialiter de alia, & Deum dici hominem; omniáque de humanitate affirmabilia, vt mortem, paſſionem, ſepulturam, tribui Deo, niſi propter ſubſtantialem aliquam Dei hominiſque identitatem, quæ non poteſt excogitari alia, quam identitas ſuppoſiti, quia eſſentialiter & actualiter Deus & homo non poſſunt idem eſſe. Atqui ſuppoſitum diuinum eſt à diuina eſſentia inſeparabile. Igitur ſi alterutra duarum naturarum in Chriſto adunatarum exuenda eſt connaturali ſibi ſubſiſtentia, & trahenda ad ſubſiſtentiam alterius naturæ ad Chriſtum quoque pertinentis, neceſſe eſt eam eſſe humanam non diuinam Chriſti naturam. Atque ita apertiſſimè concluditur, non eſſe de facto in Chriſto duas naturas ſubſiſtentes connaturali & propria ſibi ſubſiſtentia, ſed vnicam, nempe diuinam: Humanitatem verò ſpoliaram connaturali ſibi ſubſiſtentia aſſumptam fuiſſe ad diuinam ſubſiſtentiam Verbi, & in vnam cum

Deitate

Deitate conuenisse personam, quod inficiatus Nestorius tot Conciliorum fulminibus confossus est.

71. Non declinarunt horum fulminum impetum gemina illa Nestorij quæ pressa ijs Scripturis & rationibus, quibus confirmatur eandem esse Dei & hominis personam, ita id admiserunt, vt sub illa vnica Christi persona duas hypostases distinguerent, quod refert S. Cyrillus in exegesi ad Valerianum quæ inserta est tom. 6. Conc. Ephesini cap. 17. verbis illis præter cætera. [Noui illi legislatores per fraudem subingressi id vnum & solum obtinere volunt, quod sibi rectum videtur. Aiunt enim, licet hypostases secernamus, vnam tamen solam personam agnoscimus.] Hoc in hunc modum refellit S. Cyrillus, continenter. [Atqui quum adest hoc non est incredibile, rude, & impossibile? si de naturis id asserrent, res quæstionis expers foret. Quinis enim diligens speculator, facilè intelligit eatenus altetius esse substantiæ à Verbo quod ipsi coniunctum est. Quæ ergo diuinæ Scripturæ vnũ Filium, vnum Dominum, & vnum Christum nobis tradidere, & ita quoque & non aliter habet fidei traditio, Dei verbum indissociabili nexu cum sua carne anima rationali informata coadunantes, vnum tantum Christum & Filium esse confitemur. Et quemadmodum vnus tantùm est Christus & Filius, ità vnam quoque tantùm personam ipsius asserimus.] Eo ipso autem conuincunt duæ illæ hypostases sub vna persona. Nam si hypostases sumerentur tantùm pro naturis vere ac re ipsa existentibus, admittit planè S. Cyrillus duas esse hypostases sub vna Christi persona. Sumendo autem hypostases personaliter, vt sumebant Nestoriani prædicti, manifestum est eos pugnantia dixisse, cùm vnicam Christi personam statuentes, duas in eodem agnoscebant hypostases sub vnica illa persona. Quid enim aliud est persona, quàm natura rationalis subsistens? Qui igitur duas in Christo rationis compotes naturas subsistentes admittebant, planè duas in eo agnoscebant personas, quicquid verbis præ se ferrent. Ludunt verò in vocabulis aliqui apud S. Thomam opusc. 1. c. 20. cum dicunt idcirco suppositum illud humanum & purè creatum, quod in Christo agnoscebant non esse personam, quod non esset per se separatum existens, sed esset vnitum alicui digniori scilicet Filio Dei. Hoc dico esse languere circa vocabula. Nam personam ita receptissimam notionem, nihil dicit nisi suppositũ in humana natura. Repugnat autem aliquid esse suppositum connaturaliter, ac intrinsecè, & non esse per se existens, sed vnitum alteri suppositaliter. Sicut etiam repugnat quæ diuersa sunt supposita, verè prædicari ad inuicem vnum de altero, vnde falsum esset dicere, Filius Dei est homo.

Corrigenda locutio, DEVS *assumpsit hominem.*

72. Ex veritate Catholica hactenus stabilita de vnica in Christo subsistentia, atque persona, infertur, non posse in rigore admitti locutionem illam, quæ interdum vel incogitanter vel catachristicos vsurpatur, nempe quod Verbum hominem assumpserit. Neque enim verè Deus Verbũ assumpsit hominẽ, id est, naturam humanã in sua cõnaturali suppositalitate, sed nudè ipsam humanitatẽ. Patres autem, qui interdũ eo modo locuti leguntur, molliendi piè sunt, dicẽdo concretũ ibi vtiq; pari pro abstracto, vt exponit D. Thomas opusc. 1. c. 20. & 3. p. q. 4. art. 3. Hoc pacto accipiendi sunt SS. Ambrosius & Augustinus in suo cantico, in illis vulgatis verbis. *Tu ad liberandũ suscepturus hominẽ.* In quibus verbis Gerso epistola de assumptione humanitatis 1. p. aliam improprietatem obseruat, nempe quia sermo ibi dirigitur ad Christum qui certè non suscepit hominem. Verbum ergo suscepit hominem, id est humanitatem. Ad eum modum molliendi sunt etiam alij. S. Leo epist. 11. *sub finem*, cùm dixit [Verus homo, vero vnitus est Deo.] Fulgentius lib. 1. ad Trasim. cap. 18. cùm dixit: [Totum hominem fuisse à Verbo susceptum.] Epiphanius in Anchorato aduersus Apollinarium disputãs. [Filius Dei, (inquit) totum hominem suscepit, nec quicquam de homine reliquit, ne alioqui Diabolo rursus in prædam cedat.] Paschas. l. 2. de Spiritu sancto c. 4. [Hominis habitum Deus induit, & famulo Deus iungitur.] Anselm. l. de Incarn. verbi c. 2. *in fine*, [hominem à Verbo assumptũ, ait, non personam.] Idem sæpè habet ibidem c. 4. Eodem modo loquitur Concilium Toletanum 1. & 13. vtrumque in confessione fidei. S. item Augustinus lib. de agone Christiano c. 18. 19. & 20. affirmat. [Verbum suscepisse hominem.] Et l. de prædest. Sanctorum c. 15. ac in Enchir. c. 36. & 10. ciuit. c. 29. & 32. [totum hominem à Verbo susceptum dicit, vt totus mundaretur.] Et lib. 9. c. 17. [Incontaminabilis Deus, absit vt contaminationem timeret ex homine, quo inductus est.] Vbi Vines Augustino & Hieronymo, cæteri que cùm Latinis tùm Græcis Patribus eum loquendi modum esse frequentissimum demonstrat, non sine sale & aceto in Scholasticos, illum damnantes improprietatis. Adstipulatúrque Catharinus opusc. de Angelorum gloria & lapsu *circa medium*, contendens, locutionem illam ab ædificantibus Scholasticis reprobatam, [Deus assumpsit hominem] & falsitate & improprietate vacare. Sed neuter horum recentiorum audiendus est, & Viuem additis aliis eius lapsibus, castigat hac in parte Hesselius lib. pro inuocat. Sanctorum c. 21. Præstatque dicere, Patres concretum vsurpasse pro abstracto, quod præclarè fecerunt illa S. Anselmi libro de Incarnatione Verbi. c. 5. [Verbum caro factum, assumpsit naturam aliam, non aliam personam. Nam cum profertur *homo*, natura tantùm quæ communis est omnibus hominibus significatur. Cùm verò demonstratiuè dicimus, *istum* vel *illum hominem*, vel proprio nomine *Iesum*, personã designamus; quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis, fit singulis, & ab aliis singulis distinguitur.] Id quod fusè prosequitur. Et fusè quoque in eam sententiam Patres sic locutos exponit Ioan. Maxentius dialog. contra Nestorianos.

Humanitas an careat violenter sua subsistentia, eámque appetat.

Fixum itaque esto humanitatem à Verbo assumptam destitui de facto sua connaturali subsistentia, & eius loco accepisse diuinam, in quo non differeor humanitatem pati aliquam violentiam. Neque enim video, quo iure id negari possit ob connaturalem inclinationem innatam, qua natura fertur in terminum substantialem sibi connaturalem. Itaque dissideo in hac parte à Vasque 1. 2. d. 25. c. 3. & 3. p. 34. c. 4. & à Suare 1. 13. p. d. 8. s. 4. nec nõ ab Albertino 1. 2. disp. 3. de substantia. q. 1. n. 27. & q. 5. n. 8. qui negant humanitatem in ea propriæ & connaturalis subsistentiæ spoliatione subire violentiam. Dissideo item à Caietano 3. p. q. 4. art. 2. Ragusa ibidem disp. 58. & Aluare disp. 27. negantibus humanitatem Christi appetere appetitu innato propriam & connaturalem subsistentiam. At ex ipsa vocum notione, liquere puto, humanitatem Christi appetitu innato, qui nihil aliud est, quàm capacitas habendi formam connaturaliter debitam, exposcere complementum suum substantiale connaturale. Quamuis autem hæc ita sint, tamen vt notare memini in Mor. distinct. 2. n. 15. ea qualiscunque violentia & frustratio appetitus innati, quam humanitas in Christo subit, abundè compensatur immissione præexcellentissimæ subsistentiæ: vt liceat sanè eam violentiam gratam & amicam appellare, ob aduectionem tam eminentis, támque dignificantis subsistentiæ, quam tametsi extraneam,

neam, humanitas appetitu elicito semper præeligerer, si in eius optione constitueretur hoc extraneo, vel connaturali sibi modo suppositari ac compleri substantialiter.

Quid sit subsistentia propria quæ humanitati assumptæ decesserit.

73. His quanquam videri posset quæsito proposito, quoad id, quod reipsa in hoc mysterio factum est, sufficienter satisfactum, demonstrando humanitatem assumptam de facto sua subsistentia exutam fuisse, eiusque loco accepisse diuinam; tamen vt lux pleniot tori huic negotio affundatur, & præsertim vt muniatur via ad discussionem quæstionis de potentia absoluta mox agitandæ, an natura subsistens potuerit assumi, inuestigandum breuiter videtur, quid decesserit humanitati Christi, ex eo quod non sit de facto assumpta à Verbo cum sua subsistentia. Quod aliis verbis quæritur, quid sit subsistentia creata, quam asseruimus humanitati Christi deesse. Variant ea in parte sententiæ, quarum vnam vt probabilem asserit Scotus in 3.d.1.q.1. absolutè autem eam tradunt Rubionius in 3.d.2.q.2.art.1. Gabr.in 3.d.1.q.1 art.1.Et Catharinus opusc.de gloria & lapsu Angelorum *sub med.* Aiunt ergo hi Doctores, subsistentiam esse solam negationē dependentiæ aptitudinalis ab alieno suppositō. Altera sententia admittit subsistentiam esse formam positiuam. Verùm aliqui ex auctoribus huius sententiæ negant eam formam positiuā distingui reipsa à natura. Ita Aureolus in 3 d. 1.q.1.art.1. Et Rusticus Card. Diaconus dialog. contra Acephalos *post medium*, asserēs [in Christi humanitate, non veritatem rei, sed mentis, putare defectum personæ.] Et planè reuoluitur in hanc sententiam Durandus in 1.d 34.q 1.à n.15. latè contendens naturam & subsistentiam creatam esse reipsa vnum & idem, solisque significandi modis differre. Alij verò & subsistentiam positiuam statuunt, & distinguunt reipsa à natura, quam terminat: nonnulli quidem distinctione reali minori, quam vocant modalem, aut formalem, quia censent subsistentiam esse formam modalem & infirmam: vt Argent. in 3.d.6.q 1.art.1.Dur.sibi contrarius in 3 q.1.n.9. & 14. & in 1.d.30.q.2.n.14. Rada in 3. controuers.1.art.1.Suares in Metaph.d.34.s.2 n.20. & s.4.n.33. & t.1.3.p.d.11.s.3. Lessius lib.12. de diuin. perfect n.53. Valent.3. p.d 1. q.4.p.2. Pesantius q.1. art.1. disp.2. Præpositus q.4. n.52. Alij autem, qui censent subsistentiam esse entitatem firmam ac ratam, volunt eam à natura, cui supernenit, distingui realitate maiori. Ita Hurtado disp.11.Metaph. s.3. Aluares 3 p. d.23.Bannes 1.parte q.3.art.3.dub.1. Albertinus disp. 3.de substantia, q.7.n.13. adducens in eam sententiam S.Thomam, Caietanum, Ferrariensem, Bannem, atque Cabreram. Hæc placita fusè ac plenè d fensa sunt in Metaphysica. Nunc satis erit breuiter de eis pronunciare, quantum ad propositum scopum illustrandi hoc mysterium conducere poterit.

Non est forma negatiua.

74. Inprimis qui subsistentiam aiunt esse negationem, mihi non probatur. Id enim neque philosophicè neque Theologicè loquendo satis accommodatum videtur. Sanè terminus vltimus substantiæ creatæ non potest esse mera negatio, quia terminus ille confert ad complendam naturam substantialem, quæ absque eo foret substantialiter incompleta. Hæc autem omnia euertuntur, nisi terminus ille sit positiuus. Nam negatio non potest dici complementum rei positiuæ, vnde natura substantialis perperam diceretur esse per se incompleta. Nihil quippe dicitur incompletum, nisi quod perfici potest accessu complementi, quod sit eiusdem generis cum re complenda. Atqui per se liquet, negationem non esse eiusdem generis cum natura substantiali. Igitur non potest eam complere. Ac proinde humanitas malè diceretur ens incompletum, eóque nomine perperam excluderetur à categoria substantiæ. Itaque ne vniuersam propè philosophiam euertamus inuecta reali completione humanitatis, quam omnes hactenus philosophi incompletam esse fassi sunt, admittamus sanè subsistentiam, quæ est naturæ substantialis complementum, esse verè ens positiuum. Et verò an non conceptus ille, *habens humanitatem*, qui voce *hominis* importatur, positiuus est, etiam supra illud quod voce *humanitatis* exprimitur? At quod sonant voces illæ supra humanitatem, nihil est præter complementum ac terminum eius. Sicut quod diuinæ suppositalitates addere intelliguntur supra Deitatem, non est aliud, quàm Deitatis terminus & complementum, & quidem positiuum, vt per se liquet. Proportionaliter igitur philosophandum est de complemento substantiæ creatæ, quod sententia proposita malè statuit negatiuum.

Expenditur negatio in qua aliqui creatam subsistentiam statuunt.

75. Impugnari deinde potest ea sententia, expensione negationis qua complementum prædictum constitui censet. Nimirum negatione dependentiæ actualis simul & aptitudinalis ab aliena subsistentia. Quod vt liquid us fiat, distinguenda est cum Scoto supra & quodl.19.art.3. *litera V.* ac Rada in 3.controu.1.art.1. *in 2.parte corporis*, triplex dependentia ab alio tanquā sustentante, de qua sola hic agimus, nempe actualis, aptitudinalis, potentialis, aut vt Aquilonus loquitur in 3.d.1.q.1 *potentionalis*. Illa dicitur dependentiæ actualis, secundùm quam aliquid pendet actu ab altero tamquam sustentante; siue subiectiuè, quo pacto accidentia pendent à causa sua materiali; siue suppositaliter quo pacto Christi humanitas pendet à Verbo, non à Patre aut Spiritu sancto. Dependentia verò aptitudinalis illa est, secundùm quam res habet inclinationem, vt ab alio tanquam sustentante pendeat, nec habet quicquam incompossibile, cum talis aptitudinis reductione ad actum. Postrema dependentia, quam dicebam vocari potentialem, est eadem cum aptitudinali, dempta tantùm inclinatione ad dependendum, quæ per dependentiam aptitudinalem importatur, non item per potentialem. Huic triplici dependentiæ appingi potest triplex negatio, nempe negatio actus dependendi ab alio vt sustentante; negatio aptitudinis & inclinationis ad sic dependendum, & denique negatio possibilitatis sic dependendi.

Auctores igitur placiti quod excutimus, aiunt subsistentiam non constitui formaliter per solam primā negationem, neque per solam secundam, sed aiunt constitui per ambas simul iunctas. N. manima rationalis separata habet negationem actualis dependentiæ, nec tamen est suppositum. Item humanitas prout iuncta Verbo, habet negationem dependentiæ aptitudinalis à verbo prout sustentante, quia verè non inclinatur ad sustentationem illam & coniunctionem. Nec tamen subsistit in se, quia non habet negationem actualis dependentiæ ab alio vt sustentante. Erit autem subsistens in seipsa, si neque de facto ab extrinseco sustentante pendeat, neque aptitudine. Hæc itaque est negatio quā Auctores prædicti censent constitui subsistentiam. Quod videtur illustrari posse exemplo totius integralis; nam v.gratia, aqua pedalis quamdiu non iungitur alteri aquæ, est aqua totalis. Cùm primum verò iungitur alteri aquæ, fit aqua partialis non deperditione vel acquisitione realis cuiusuis termini, sed sola deperditione negationis, quam antè habebat: Erat

quippe

quippe in ea negatio-coniunctionis cum alia aqua comparte. Vnio autem quæ inter vtramque aquam aduenit, non est causalitas vel dependẽtia alterius esse, quàm eius quo totum inde resultans constituitur. Similiter ergo iuxta Auctores, cum quibus agimus, humanitas intercuentu vnionis hypostaticæ tanquam dependentiæ & causalitatis pendet peculiariter à Verbo quoad esse suppositi, quod illi naturæ abiecto proprio esse suppositali extrinsecus aduenit eo ipso quod posita vnione ad Verbum humanitas caret negatione actualis dependentiæ ab extrinseco sustentante. Verè enim actu sustentatur ab alio nempe à verbo.

Refellitur multiplici ratione.

76. Ex hac explicatione sententiæ aduersariorum, validum contra eam argumentum eruitur, quia exponit planè idem per idem, & obscurum per æquè obscurum. Roganti enim quid sit subsistentia alicuius substantiæ, respondet, esse negationem dependentiæ ab alia substantia non vt efficiente, aut quomodolibet alter causante, sed vt supposítante, siue subsistente in se, & dante alteri, vt subsistat. Hoc dico esse circulari & idem per idem exponere. Nam iuxta aduersarios, illa alia substantia potest vel esse increata, & compleri per terminum positiuum, vel esse creata & per negationem terminari. Spectemus ergo in substantia subsistente negationem dependentiæ ab aliena subsistentia creata, & manifestum erit idem exponi per idem. Quandoquidem enim subsistentia creata est negatio dependentiæ ab aliena subsistentia, perinde erit dicere substantiam esse subsistentem, ac dicere substantiam habere negationem dependentiæ ab aliena negatione dependentiæ, quo quis possit esse vitiosior circulus? Vt taceam inauditum & planè impossibile dependentiæ genus, quo aliquid fingitur à negatione dependere, cùm tamen omnis dependẽtia sit acceptio alicuius esse, quod per negationem nequit conferri. Sicut ergo cùm humanitas pendet suppositaliter à diuina personalitate, verum est diuinam subsistentiam positiuè terminare humanitatem, & dare ei esse personale positiuum, quod est in diuino supposito; ita si externa subsistentia creata supponatur, vel fingatur supposítare substantiam creatam, necesse est vt ei substantiæ aliquod positiuum esse adueniat, quale constat non posse per negationem conferri. Et in hoc elucet apertum discrimen inter rem de qua agimus & exemplum duarum aquarum, quod adducebatur. Nam in re nostra, externum suppositum non pendet à natura, sed tantùm ei confert suum esse personale, solâque natura pendet. Inter illas verò aquas, longè aliter se res habet. Nam neutra aqua dependet ab altera, quia concurrere ad simul conflandum totum integrale, non est pendere ad inuicem per communicationem mutuam illiusmet esse, quod in vtraque illa partiali aqua reperitur. At hic vnum extremum accipit esse personale, quod per alterum extremum communicatur. Vnde hîc locum habet vera dependentia, quæ non potest à nuda negatione progerminare.

Argumentor præterea, quia omnis negatio entitati alicui positiuæ adiuncta, cùm non sit à se, neque possit in alia vltertore negatione fundari vt perspicuum est, fundari necessariò debet in ratione aliqua positiua talis entitatis, siue in positiuo aliquo eius gradu, quod nõ est restringendum ad negationem inseparabilem, vt malè restringit Albertin. disp. 3. de substãtia q. 1. n. 18. putans id patere ex priuatione lucis in aëre, quam quia separabilis est, negat fundari in positiuo: sed malè id negat. Fundatur enim ipsamet aëris natura, quæ vtique positiua est. Aër siquidem ex sua natura non lucet. Omnis igitur negatio naturæ cuipiam adiuncta, in gradu aliquo eius positiuo fundatur, indéque progerminat. Quis ergo erit gradus ille naturæ substantialis subsistentis, in quo fundabitur negatio hæc dependentiæ ab alieno termino? Perspicuum sanè est nullum gradum vel essentiam vel individualem posse negationem illam profundere, & subsistentiam hanc negatiuam fundare. Omnes quippe illi gradus reperiuntur in natura creata substante alienæ subsistentiæ, nec tunc pullulat ex eis illa negatio. Necesse itaq; est vt dimanet ex aliqua forma positiua superueniente & essentiæ, & individuationi naturæ substantialis per se subsistentis.

His argumentis perspicuè efficitur, subsistentiam naturæ creatæ non posse exponi per negationem dependentiæ ab aliena substãtia creata subsistente, quod tamen ab auctoribus, cum quibus agimus, admitti notabam. Non posse autem subsistentiam creatam exponi per negationem dependentiæ à diuina subsistentia positiua, est per se manifestum. Neque enim diuina subsistentia dare potest naturæ substantiali creatæ, vt extrinsecè subsistat, nisi positiuè eam terminando; nec aliud est naturæ creatæ, subsistere (vt sic dicam) transeunter, quàm positiuè compleri per externum suppositum. Similiter igitur cum natura in se subsistit, est in se positiuè terminata. Neque enim terminatio substantialis immanens, minùs postulat formam positiuam, quàm terminatio transiens.

Suffragium Conciliorum, & Patrum.

77. Habent porrò hic maximè locum argumenta Theologica ex Patribus & Conciliorum loquendi modis, quæ cum subsistentia creata merè negatiua non satis congruunt, nec ab aduersariis, nisi idem per idem, & obscurum per æquè obscurum exponendo, aptari queunt, v.g. definitum frequenter est, humanitatem Christi fuisse propria subsistentia spoliatam, & à Verbo personaliter assumptam, eique vnitã fuisse. Hoc in sententia, quæ subsistentiam creatam positiuam agnoscit, vacat propè difficultate, saltémque non incõmodè intelligitur, quod humanitas Christi absque connaturali complemento substantiali producta, acceperit loco eius indebitum sibi terminum, siuè diuinam personalitatem interuentu vnionis, qua Verbo coniuncta est. In sententia verò, quæ subsistentiam creatam statuit negatiuam, definitio illa tot Conciliorum, iudicta omnino redditur. Nam iuxta eam sententiam, humanitatem fuisse propria subsistentia spoliatam, & per vnionem cum Verbo fuisse assumptam ad diuinam subsistentiam, perinde erit ac si dixissent Concilia, Verbum exuisse humanitatem negatione dependentiæ ab ipso Verbo; siue non reliquisse humanam naturam absque vnione cum Verbo, ita vt totus effectus vnionis cum Verbo sit, non relinquere humanitatem inunitam. At ridiculum planè est id definire. Quis enim ignorat, rem vnitam non manere inunitam? vel quem latet, rem dependentem non manere non dependentem? Quod ergo exponendum fuerat, nempe quo connaturali ac proprio esse exuta sit humanitas, & quomodo per vnionem accipiat à diuino Verbo illud esse, eminentiore ac pretiosiore modo, id verò in ea sententia, quam excutimus, nullo modo exponi potest. Similiter passim Concilia & Patres dicunt Verbum suppleuisse creatam personalitatem, & naturam absque persona assumpsisse. Hoc verò iuxta aduersarios est dicere, Verbum suppleuisse nihil, & assumpsisse naturam absque nihilo. Quin etiam cum illud nihil sit negatio assumptionis, sensus erit Verbum assumpsisse humanitatem absque negatione assumptionis, quod est absonas planè ac ridiculas locutiones Conciliis & Patribus affingere. Tandem definiunt sæpè Patres, humanitatem per dependentiam à Verbo fuisse exaltatam, & supra quàm dici aut concipi possit, euectam; & tamen iuxta aduersarios dicen-

da potius esset depressa. Nam dependentia à termino diuino, non pertinet ad exaltationem, nisi posito quod substantia creata debeat naturaliter à substantiali aliquo termino sine diuino sine humano pendere. Tunc siquidem dignius est & ad exaltationem maxime conferens pendere à diuino termino. At si natura creata non exigit pendere à termino quopiam positiuo, & tamen fiat dependens ab aliquo tali termino quantumuis sublimi, atque diuino, deprimetur potiùs quàm exaltetur. Dependentia enim semper infert indigentiam, ac proinde etiam depressionem; nemóque dubitarit, quin honorificentius futurum esset creaturæ se sola accipere ac retinere esse, si id fieri posset, quàm illud emendicare à Deo per dependentiam cuiusi creaturæ intrinsecam, Deique respectiuam. Quod enim res à Deo dependeat, non minus est dependens, ac indiga opis alienæ, quantumuis à causa sublimissima, ipsóque Deo conferenda.

Tela imbellia in eandem sententiam.

78. Est qui præterea vrgeat, ex Aduersariorum sententia si qui, esse in Christo duas personas, eo quod iuxta eos per vnionem nihil reuera Christi humanitati decedat, ac proindè æquè humanitas illa debeat esse & dici persona, ac si non vniretur Verbo. Item iuxta eos humana natura in Christo habet omnes reales conceptus, per quos si à Verbo dimitteretur, subsisteret, & conseruaretur absque dependentia à Verbo prout suppositante. Per eosdem igitur conceptus reales nunc quoque independens est à Verbo in ratione suppositi spectato: sintque conceptus illi tam efficaces ad humanitatis in Verbo positæ conseruationem, quàm si humanitas extra Verbum poneretur. Quorsum ergo dependere à Verbo suppositante affirmetur? Dilatar, & quantum potest communit hæc argumenta Hurtadius disp. 11. Metaph. à c. 24. Mihi tamen eneruia admodùm videntur. Aduersarij namque facile dicent, personam importare negationes illas, quas suprà ex eis proposuimus; deóque dicent humanitatem assumptam non esse personam, quia negationibus illis destituitur. Quod autem humanitas à Verbo prout suppositante dimissa, æquè esset conseruanda, ac cum à Verbo suppositante dependebat, non est ad rem. Dependentia enim à Verbo suppositante non est effectiua, atque adeo nec conseruatiua: Sed est dependentia in ratione terminantis substantialiter, atque complentis naturam ex se egentem terminatione ac complemento. Natura ergo extra Verbum posita, ita aliunde conseruari posset effectiuè, vt tamen non esset terminata substantialiter ac completa in genere suo, nisi appictis ei negationibus dependentiæ, quibus iuxta Aduersarios terminatur. Quare negotium eis hac ex parte non facesso. Sed satis superque aduersus eos sunt alia anteriùs proposita.

Subsistentia creata, non est quid positiuum à naturâ indistinctum.

79. Pergo ad alteram sententiam de ratione formali & constitutiua subsistentiæ creatæ, vt intelligatur, quid de facto defuerit humanitati assumptæ à Verbo absque connaturali subsistentia. Altera ergo sententia, subsistentiam creatam agnoscit quidem esse formam positiuam, sed à natura quam afficit indistinctam. Quæ putatur fuisse Aristotelis sententia 7 Metaph. c. 6. cum ait, quod quid est, esse idem cum eo, cuius est, id est, naturam cum supposito. In quam rem alia ibi ex Philosopho congerit Fonsq. vnica s. 1.

Verùm hæc sententia non congruit cum mysterio Incarnationis, nec exponit accommodatè, varias Patrum & Conciliorum locutiones. Eiusmodi est, quam adhibuit Innocentius III. in quodam decretali, vt refert S. Thomas 3. p. q. 4. art. 2. [Verbum in mysterio Incarnationis consumpsit humanam personam, non naturam.] Nempe prout Innocentium intellexit Dur. in 3. d. 5. q. 1. n. 7. non destruendo præiacétem in Christi humanitate personalitatem creatam, sed præueniendo & obstando ne exurgeret. Quo item sensu accipienda sunt Verba illa Paschasis Diaconi l. 2. de Spiritu sancto c. 4. laudata à Patribus Concilij Francofordi in epistola ad Episcopos Hispaniæ. [In Deo & homine gemina substantia, sed non gemina persona est, quia persona personam consumere potest, substantia verò substantiam non potest, siquidem persona res iuris est, substantia res naturæ.] Et paulò superùs [Quando Verbum transit in carnem, & hominis habitum Deus induit, & sic in circuitu eius tabernaculum eius & splendorem suum tenebris nostræ fragilitatis inuoluit, & posit tenebras latibulum suum, Dei quidem & hominis duplex substantia est, sed tamen vna persona. Quamobrem? Quia dum formam serui accipiens, famulo Deus iungitur, minoris humilitas intra reuerentiam maioris absconditur, & superioris lumine exinanita consumitur; ac si proprietatem personæ, humanitas diuinitate obumbrante vel eminente, non obtinet.] En humilitas & obscuritas personalitatis creata consumpta splendore lucis superioris, hoc est assumptione per Verbi personam iuxta Paschasium. Nec aliud sonant illa Fulgentij l. de Incar. c. 5. [accedit Deo humana substantia, non persona.] Hæ igitur aliæque huiusmodi locutiones, supponendo quod subsistentia creata non sit formaliter negatio, sed sit verè ens positiuum, nullum idoneum sensum habere possunt, quia impossibile est quod Verbum consumpserit humanam personalitatem positiuam salua natura, & quod natura humana accesserit ad Verbum, non personalitas, nisi inter naturam & personalitatem sine subsistentiam, reperiatur distinctio aliqua à parte rei. Per nullam siquidem naturæ superadditam connotationem siue existentiæ, siue accidentium, siue indiuiduationis, salua esse potest ratio subsistentiæ humanæ; & quæ fides docet de eius abolitione & consumptione, ac complemento per subsistentiam Verbi in hoc mysterio.

Patres id damnant in Hæreticis circa hoc mysterium lapsis.

80. Quare plerique Patres iam pridem contestati grauiter sunt, quod hæreticos circa hoc mysterium tam fœdè hallucinatos, præcipitauit in errorem, illud fuisse, quod naturam & personam creatam idem reipsa esse arbitrarentur. Damasc. lib. 3. fidei c. 3. [Hoc hæreticis inducit errorem, quod idem dicant naturam & hypostasim, suppositumve ac personam.] S. Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ infinities, sed ex instituto c. 8. 9. & 10. confirmat, naturam & personam non esse idem; & hanc ait esse traditionem Apostolicam, & doctrinam in Dei Ecclesia indubitatam reclamantibus licet Philosophis, quos ait viam hæreticis in hac parte stratuisse, ac præsertim Seuerianis, quorum refert fuisse decantatam illam næniam. *Idem sunt natura & persona.* In ipso autem fine operis docet sententiam Synodi Nicænæ & Ephesinæ atq; adeò Sanctorũ (vt ait) quingentorum decem & octo Patrum ex vtraque Synodo computatorum ferre distinctionem naturæ & personæ. Non, dissimiliter Theodoretus dialogo immutab. *fere initio* tradit distinctionem naturiæ & hypostaseos siue personæ, nullam quidem esse, si externa spectetur sapientia, hoc est, & Philosophorum & hæreticorum, qui Philosophis potiùs quàm Ecclesiæ adhæserunt. Sed si Patrum doctrina spectetur, naturam & personam differre plurimum. Similia habet Eulogius

gius Alexandrinus l.9. vt est in Photij breuiculo Codice 230. Et Vigilius l.2 contra Eutych. Itémque Epiphanius Diaconus in 7. Synodo, actione 6. partitione eius tertia. Vbi ait [Eutychianos per subuersionem veritatis nihil aliud egisse, quàm vt ostenderent naturam & hypostasim idem esse, quæ sanè inter se differre veri Ecclesiæ Catholicæ alumni agnoscunt.] Diserè Iustinianus in edicto fidei suæ, [non idem est natura & subsistentia, omnes enim sancti Patres confugunt nos docent, aliud esse naturam siue substantiam & formam, & aliud subsistentiam siue personam.] Eadem denique habet Ioannes Maxentius Dialo. 1. contra Nestorianos *sub fine*, si tamen operæpretium est susuris illius scriptorem, inter Patres annumerare.

Miror verò quid Gabrieli Vasques in mentem venerit 3.p.d.31.n.6. cum dixit, loca Patrum affirmantium non idem esse naturam & personam, non facere ad rem præsentem ; eo quod Patres non dicant naturam & personam differre plusquàm ratione : nec loquantur de distinctione naturæ à persona in creatis, sed in diuinis, nec agant cum Nestorianis, quorum errorem profectum dicant ex indistinctione naturæ & personæ, sed cum Monophysitis, Acephalis & Seuerianis, quos idcirco dicunt errasse, quia in Deo naturam & personam non distinxerunt. Vnde factum est, vt errarint, dicentes humanitatem Verbo fuisse vnitam in natura, nó in persona. Hæc Autor prædictus, quæ mihi dixi mira videri. Nam quod Patres allegati agant de distinctione plus quàm per mentem est adeò perspicuum vt probatione opus non sit, si loca prolata adeantur & consulantur, præsertim verò tam distincte & tam expresè id inculcat Anastasius Sinaita, vt exoculatus sit qui hoc apud eum non videat. Vnde Patres non agunt de distinctione naturæ & personæ in diuinis, quarum indistinctio certissima est ex fide, nec hæreticos induxit in errorem ; sed planè agunt de distinctione naturæ creatæ à persona creata ; & eaex parte cùm alios hæreticos, tum Nestorianos, quoque exagitant, quod duas Christi personas inde colligerent, quia sunt in Christo duæ naturæ, & idem esse personam & naturam arbitrarentur. Monophysitæ verò, qui & Acephali, ac Seueriani, ex eodem peruerso principio vnam esse Christi naturam colligebant, quod vna sit eius persona, idem verò sint persona & natura. Et quia vnam Christi naturam commenti sunt, idcirco vnionem in natura factam dixerunt. Non autem idcirco quod vnionem censuerint factam esse in natura diuina, non in persona. Id enim ad errorem Monophysitarum nullo modo refert. Itaque responso qua Vasques loca Patrum à nobis prolata pro distinctione plus quàm rationis, personam inter & naturam creatam elidere vel eludere tentauit, vndique rimas agit.

An rectè tribuatur Aristoteli.

81. Quod aliquid pro sententia hactenus discussa, & subsistentiam non nisi ratione à natura distinctam agnoscente, Aristotelis autoritate pugnabant, quem aiebant non distinxisse suppositalitatem à natura, nisi ratione, non est quod nos remoretur. Imprimis quia mirum non esset, si Aristoteles indistinctionem substantiæ & subsistentiæ affirmasset, siue in substantijs tantùm immaterialibus, vt voluit Argent. in 3. d. 6. q. vnica, art. 1. ad 5. contra primam, siue connaturaliter in quibuscunque substantijs, vt significabat supra Theodoretus, & sæpè affirmat Anastasius in ὁδηγῷ, vt cap. 6. & 8. & 9. ac nominatim c. 17. *in fine* ; nec non S. Heronymus epist. 57. Præcipuum enim, imò vnicum validum argumentum distinguendæ reipsa subsistentiæ creatæ à natura, ducitur ex mysterio Incarnationis, quod Aristoteli fuit incompertum. Deinde non desunt, qui admittant, Aristotelem subsistentiæ creatæ & naturæ distinctionem à parte rei agnouisse. Ita enim habet Caiet. 3.p.q.4.art.2. Val. 4.d.1.q.4.p.2. *in octaua sententia*. Gretserus ad cap. 6. ὁδηγοῦ Anastasij Sinaitæ, & Albertinus disp. 3. de substantia q.1.n.31. qui hanc esse Philosophi mentem colligunt ex tradita per eũ diuisione substantiæ in primã & secundam, id est, vt ipsi interpretantur in suppositum & naturam. Quæ quidem probatio infirma admodum est, quia facile responderi posset Aristotelem nomine substantiæ primæ non intelligere suppositũ plus quàm ratione distinctum à natura ; vel certè non rectè per primam substantiam intelligi suppositum, natura autem per secundam substantiam. Tamen neque argumentatio, quæ ad contrariam sententiam Aristoteli affingendam petebatur ex 7. Met. c. 6. est admodum vrgens vel firma. Ibi enim Aristoteles non cogitauit de indistinctione suppositi & naturæ, sed vt Alexander optimè eo loco vidit, agit de ente per se, atque in eo ente definitionem esse eandem cum definito, negans idem contingere in ente per accidens, quod vocat ens materiale. Et ideo ait, in entibus materialibus, quod quid est differre ab eo cuius est, non item in aliis. Quam eandem doctrinam habet Philosophus illo 7. libro c. 11. Itaque est Aristotele vix proferri quidquam potest firmum ac solidum, quo subsistentiæ a natura distinctio, vel indistinctio à parte rei suadeatur. Et verisimilius est illum de distinctione à parte rei non cogitasse : quia cum nihil de mysterio Incarnationis inaudisset, non fuit vnde illi cogitatio de suppositalitatis & naturæ creatæ distinctione obreperet. Peripatetici tamen Christo posteriores, eam distinctionem agnoscere potuerunt ex rumoribus de hoc mysterio. Vnde Porphyrius apud Nemes. libro de hom. c. 3. *sub fine* agnouisse videtur, suppositi à natura distinctionem.

Vera sententia ; subsistentiam creatam, esse modum positiuum à natura distinctum.

82. Amplectenda igitur est tertia sententia superiùs proposita, quæ & subsistentiam creatam statuit positiuam, & distinctionem à parte rei inter eam atque naturam, profitetur. Sed quia sub ea sententia duo diuersa placita comprehenduntur, nempe eorum, qui distinctionem illam à parte rei affirmant esse tantùm minorem siue modalem, & eorum qui asserunt esse realem maiorem, seu tanquam rei firmæ & ratæ ab altera re item firma & rata, addendum frustra inuehi maiorem illam distinctionem. Dummodò enim minor realis distinctio concedatur, sufficienter intelliguntur omnia quæ fides tradit de hoc mysterio, & omnibus, ob quæ subsistentiam creatam positiuam & distinctam agnoscimus sit satis. E contrario verò nullum supperit argumentum idoneum, quo mutua separabilitas naturæ & subsistentiæ eius probetur ; quod tamen est vnicum argumentum, quo distinctio realis maior persuaderi solet aut potest.

Quæ in contrarium proferunt Autores pro maiore reali distinctione allegati, leuia sunt. Aluares 3.p.d.23. inde argumentatur, quod admissa ea distinctione, melius intelligatur mysterium Incarnationis. Sed hoc qua facilitate dicitur, eadem negatur. Reuera enim perinde est ad hoc mysterium, dummodò subsistentia creata statuatur separabilis à natura, quod æque habet, si sit modus.

Aliter argumentatur Hurtadius d.11. Metaph. n.48. & ex generali ratione modi probare contendit, subsistentiam non esse modum : sic enim ratiocinatur. Omnis modus naturæ, est essentialis determinatio illius ad aliud. Atqui nulla subsistentia hoc habet. Igitur non est modus. Hoc argumentum Autor notat esse in Camestres. Id tamen non obstat, quo minus maior sit

falsa. Ad quid enim aliud, determinat figura quantitatem ? Quod si lubeat illam commentitiam modi notionem gratis admittere, non deerit quod ad maiorem dicamus. In promptu enim erit respondere, subsistentiam conferre naturæ determinationem ad suppositum extrinsecum quatenus natura per subsistentiam suam staturitur independens, à quocunque extrinsecùs sustentante ac suppositante. Argumentatur præterea idem Autor, sed æquè inualidè num. 50. ex eo quod certum sit Verbum diuinum supplere creatam humanitatis subsistentiam, cum tamen nequeat supplere modum : Deus enim non potest supplere effectum formalem causæ formalis in eodem genere, quia ille causandi modus imperfectionem inuoluit. Hoc argumentum Autor fatetur non esse euidens, ait tamen facere magnam fidem, fortasse apud credulos. Nam mihi quidem huiusmodi argumentatio nec leuissimam fidem ingenerat, qui euidens censeam æquè Verbum (aliter tamen quàm in genere causæ formalis) supplere posse subsistentiam creatam modalem, ac firmam, & maiori realitate distinctam, nec plus repugnare vnum quàm alterum.

Potentior in speciem est ratiocinatio, qua vtitur Albertinus loco allegato q. 7. n. 18. dicens munus subsistentiæ esse sustentare naturam, & dare illi per se esse; proindeque oportere vt ipsa subsistentia per se sit, nec innitatur naturæ, quod necesse est facere modum, qui est entitas infirma, ac proinde ad alterius rei sustentationem inidonea. Verùm hæc quoque machina, non difficilè disijcitur ; negando quod subsistentia ita debeat per se esse, vt non possit alteri inniti tanquam modificato. Sanè creatio quæ est essentialiter aliquid per se, & absque subiecto, innititur tamen effectui ad quem est via tanquam modificato, cui ob infirmam naturam suam adhæresçit. Quare similiter subsistentia, etsi naturæ tanquam modificato adhæret, dat tamen illi per se esse eámque substantialiter terminat, formaliter præstando, vt absque sustentante cohæreat : sicut creatio adhæret rei creatæ, cui formaliter confert per se esse, & independenter à subiecto quocunque.

Quid naturæ substantiali conferat modus prædictus.

83. Ratum igitur esto, subsistentiam creatam esse verum modum à parte rei superadditum naturæ substantiali, eique formaliter conferentem per se esse. Hic verò vel inuitus adigor, nonnihil adhuc in Metaphysicis hisce tricis hærere, vt exponam quid sit illud per se esse, quod à modo isto substantiæ superaddito confert formaliter dico. Id enim & ad vniuersum præsens negotium permagni interest ; & eo non exposito ambiguum semper manebit, quorsum huiusmodi addititiam formam prouisam naturis substantialibus asseramus.

Est igitur per se esse, idem quod esse ab alio vt quomodolibet sustentante independens. Vel idem quod esse incommunicabile alteri tanquam subiecto aut termino substantiali. Considerandum enim est, quod supra præmisimus, entitatem substantialem, quæ extracta fuerit è causis suis, & per existentiam facta sit actualis manere indifferentem, vt ad hunc vel illum è duobus essendi modis determinetur ; nempe vt sit per se & in se, vel vt sit in alio, sicut enim in accidente ptiùs est quod sit actuale siue quod existat, quàm quod tali modo existat, nempe in alio, à quo conseruari posset separatum, (vt patet ex accidentibus Eucharistiæ separatis à subiecto,) & tamen per inhærentiam existentiæ superuenientem determinatur ad essendum tali modo, nempe in subiecto : ita proportionaliter substantia creata cum primum facta est actualis, per existentiam, determinandaest ad certum essendi modum ; nempe vel ad modum essendi in alio tanquam subiecto, vt accidit formæ substantiali materiali ; vel ad modum essendi in alio tanquam supposito, vt contingit humanitati Christi ; nec ad modum essendi in se vel per se interuentu modi illius, quem hactenus adstruximus ; per illum quippe substantia redditur formaliter incompossibilis cum existentia in alio ; siue cum dependentia ab alio vt sustentante subiectiuè, vel suppositaliter ; quod aliter dicitur, reddi incommunicabilem alteri vt sustentanti, cùm subiectiuè, tum hypostaticè.

84. Et non est quidem captu operosum, quomodo subsistentia sustentationem subiectiuam excludat ; quia quid ea sustentatio sit, non difficile intelligitur : quod enim res aliqua à materia subiectiuè pendeat, eò quod tam infirmæ sit naturæ vt postuler produci adhibito fulcro, cui innitatur & actio, quæ est ipsa eius dependentia, & res ipsa dependens, ideóque non sit per se, sed in alio ac per illud ; perspicuum nobis est ex accidentibus, quæ cum connaturaliter sunt, nemo dixerit per se esse ob tantam subiecti sustentantis indigentiam. Eam ergo dependentiam ab extrinseco subiecto sustentante, excludit subsistentia. Tametsi hic non est effectus eius reciprocus, conuenit enim ei quoque modo essendi, qui accidentibus separatis confertur, eáque ita seorsim à subiecto constituit, vt tamen non sit subsistentia, quæ in naturas tantum substantiales potest cadere. Conuenit quoque effectus ille modo creationis, qua res producitur aulsa à subiecto. Neque, tamen creatio est subsistentia, non modo quia accidentia creari possunt, etsi subsistentiæ capacia non sint, sed etiam quia creatio cum sit dependentia à causa efficiente, habet se per modum viæ ad esse, estque eo aliquatenus prior, quod non habet subsistentia, quæ planè superuenit rei iam actuali & existentiam nactæ. Eatenus ergo subsistentia dicitur excludere à substantia dependentiam subiectiuam, quatenus subsistentia propria nemini debetur nisi præhabenti independentiam à subiecto in suo esse. Quod enim subiectiuè pendet in esse, multò magis est fulcri externi indigum, quàm quod à subiecto quidem independens est, sed tamen imperfectum est in illo gradu, quem in suo genere obtinet. Quare quod à subiecto pendet, non potest dici per se esse siue subsistere. Et quamuis dependentia subiectiua, atque adeo etiam independentia spectet ad modum quo esse communicatur à causa efficiente, id óque non possit formaliter conferri per subsistentiam quæ existentiæ & rei priùs natura productæ superuenit, tamen quia subsistentia talem independentiam essentialiter præexigit, rectè potest dici eam per subsistentiam haberi, nempe præsuppositiuè, esto non haberet ipsa vim excludendi à natura subsistente talem dependentiam, si aliunde præsupponeretur exclusa.

85. Maior difficultas est circa alteram sustentationem externam nempe hypostaticam, quam directè per subsistentiam excludi aiebam, collata naturæ sustentatione interna. Quid enim est ea sustentatio, vel quorsum necessaria est naturæ independenti à subiecto ? Albertinus quidem disp. 3. de substantia q. 2. n. 15. & 16. & coroll. 6. n. 4. agnoscit in subsistentia creata respectu naturæ influxum quendam in genere causæ formalis posteriorem subsistentiæ communicatione facta naturæ per vtriusque coniunctionem. Tamen influxus ille in naturam, est omnino fictitius quia natura præiacet coniunctioni, qua iungitur cum subsistentia, & consequenter ante subsistentiæ aduentum habet totum suum esse. Quid enim ergo illi conferret subsistentiæ influxus ? aut ad quid eo egeat, si per illū nihil accipit ? Et verò Christi humanitatem à Verbo tantùm diuino sustentari, certa fides est : & tamen nul-

lus

ius est Verbi in humanitatem influxus, qui sit Verbo peculiaris, cum opera ad extra sint omnibus æquè personis communia. Non vacat itaque difficultate ea subsistentia, quæ eam excludere dicitur. Res quippe per creationem producta, cuiusmodi est res quælibet subsistens immediatè, subducta licet subsistentia propria, non relaberetur in nihilum. Nec est potior ratio cur natura substantialis, si hoc complementum deperderet, deberet in nihilum solui, quàm cur viuentia deperditis integralibus quibusdam complementis, suum esse retineant. Itaque meritò contra sic explicatum subsistentiæ effectum formalem insurgit Catharinus libro de gloria & lapsu Angelorum *sub medium*. Videtque annuere Lessius l. 12. de Diu. perfect. n. 53. negans sustentationem naturæ substantialis per subsistentiam creatam.

Vera explicatio effectus quem subsistentia formaliter confert.

86. Existimo igitur idcirco subsistentiam dici excludere sustentationem ab extrinseco supposito, & conferre formaliter naturæ sustentationem intrinsecam, sine vt sit per se, quia natura per hunc suum subsistentialem terminum completur vltimò, accipitque debitum habêdi esse, illudq; retinêdi seorsim à quouis alio & vt ita dicam accipit ius Larium separatorum in rerum vniuersitate. Quodcunque enim ens ciuitate hac mundana donatur, vel est sibi ipsi, ducitque per se familiam vel allegitur in familiam alienam, & alteri adhæret, nec fas est vlli enti aliter degere, quia ita fert decens & conueniens vniuersi administratio. Character ergo vel potiùs constitutiuum entis alicuius in ratione illa, quasi ciuis per se cohærentis & familiam ducentis, nec allegi ab altero postulantis, est subsistentia.

87. Illustrare hoc licet, adhibita inductione omnium entium. Quoduis namque ens vel est substantia vel accidens directè aut reductiuè. Et accidés quidem ex sua natura additur alteri, & quasi modificatur, vnde non est mirum si deest illi subsistentia. Substantia verò vel est dimidiata, vel totalis. Substantia partialis si sit à subiecto dependens, quod habet forma materialis, est quoad hoc eiusdem rationis cum accidente, ita vt quamuis pertineat ad genus substantiæ & substantia dicatur quia essentialiter complet naturam in eodem genere, & destinatur ad constitutionem vnius tertij, quod est directè & totaliter substantia; tamen non plus ius habeat productionis ac conseruationis seorsim ab alio quouis ente, quàm accidens. Vnde ei quoque negatur subsistentia quæ conceditur substantiis partialibus independentibus à subiecto; puta materiæ & animæ rationali, quia hæ entitates suapte natura, & quantum est ex eo quod exigunt propter suum esse, possent existere seorsim à quouis alio: non enim sunt entia caduca sed firma, & apta per se cohærere, & ideo dicuntur per se subsistere, & collocantur ad latus categoriæ substantiæ, tanquam entia apta per se cohærere, quod non conceditur humanitati præcisè à suppositalitate. Non ponuntur tamen in substantiæ categoria directè, quia sunt essentialiter incompletæ. Quæ causa est, cur iungantur alteri; nempe materia formæ, & forma immaterialis materiæ ob bonum tertij ex eo nexu exsurgentis. Incompletio namque humanitatis, quæ dicitur forma totius longè diuersæ rationis est ab eâ incompletione, quæ cernitur in materia respectu formæ, & in forma immateriali respectu materiæ. Nam humanitas dicitur incompleta, quia deest illi terminus vltimus sui generis, quem ob bonum suum deposcit, tanquam connaturalem naturæ substantialis limbum, sine quo mutila est & carens iure solitariæ productionis ac conseruationis. At materia dicitur incompleta, (& idem est de anima rationali,) quia quamuis terminata sit termino respondente suæ entitati eique proportionali, ideóque possit seorsim à quocumque alio accipere & retinere esse connaturaliter, si eius solius ratio habeatur: tamen habendo (vt par est) rationem compositi essentialis apti ex harum partium adunatione existere, hæ partes possunt iungi muto, non vt ipsæ sint, sed vt sit compositum physicum ex vtriusque commercio & consociatione proditurum. Quare perfectio & consummatio siue competitio, quæ vni illarum partium ab alia aduenit, non est in ratione subsistentis, sed in ratione essentiæ, & natura, vt patet ex materia, quæ completur sufficienter per formam materialem, quantumuis nõ subsistentem. Liquet igitur quod substantia partialis à subiecto independens possit esse vltimò completa & dici subsistens quantumuis alia ratione, quæ ad subsistentiam non pertinet, sit incompleta & ob bonum tertij, non autem vt ipsa sit, & ius seorsum essendi accipiat, postulet compleri.

88. Iam verò substantia totalis, vel est tantùm forma totius, quam dicere possumus totalem in ratione essentiæ eiusmodi est humanitas; vel est totalis in ratione suppositi substantialis plenè constituti & habentis formam totius. Prior substantia non est apta per se esse. Debet enim alteri innici nempe supposito, quod quærit ob suum bonum, & vt ius habeat connaturaliter accipiendi & retinendi esse alicubi in rerum natura. Nam quamuis, si sit ex partibus per creationem productis, vt humanitas, vel si sit ens simplex, vt Angelitas, posset accipere & retinere esse absque alio ente à causa efficiente distincto, nec omni tali ente subducto relaberetur suapte natura in nihilum, vt supra dicebamus: tamen præter naturale esset, & absque iure, ita conferre esse illudve continuare, quia lex vniuersi postulat, vt nihil in eo sit, nisi vel sibi ipsi, & consignatum characterе id denotante ac exposcente, qui est subsistentia; vel addictum alteri, & in eius familiam allectum, cui proinde dicatur adhærere; & ab eo sustentari ad sensum prædictum. Sola posterior substantia, hoc est comperta in ratione suppositi, nec postulat alterum à quo essentialiter compleatur ob bonum tertij, vt materia & anima rationalis, nec à quo in seipsa compleatur; id est per quod donetur iure Larium separatorum in mundana ciuitate. Habet enim ius illud ratione subsistentiæ, qua vltimò completur ac perficitur in suo genere, vt proinde non sit quod ad ius connaturale accipiendi & retinendi esse seorsim ab aliis, emendicet fauorem extrinsecum, cum ipsa illi subsistentia interna sit ad id plus satis.

Qui propositæ sententiæ astipulati.

89. Insinuauit vel etiam expressit hunc subsistentiæ effectum formalem Leontius l. de sectis act. 7. *fere initio*, distinguens duplicem hypostaseos notionem. Vnam scilicet qua quidlibet verè existens, dicitur hypostasim habere. Qua ratione ait, interdum accidentia quoque dici habere hypostasim, sola verò commenta vt tragelaphum vel chymæram, dici hypostaseos expertia. Alia, qua hypostasim habere propriè dicitur, illud quod seorsum & per se existit, vt Petrus & Paulus, qui esse in alio non habent, ideóque per se esse ac subsistere dicuntur. Idem ferunt, quæ habet Damascenus in dialectica c. 65. docens præter cætera hypostasim nihil aliud esse quàm substantiam separatam. Pulcherrimè & fusè in eandem sententiam disputat Theorinus in legat. ad Armenos *non multùm ab initio*, definiens substantiam primam & propriè dictam iuxta doctrinam Patrum. Ait enim eam esse, quæ per se subsistit. Per se verò subsistere, ait idem esse, quod per se esse, ac non propter aliud, vel in alio suum esse habere, hoc est non

egere altero aliquo extra se ad hoc vt existat, cuiusmodi ait esse hominem, Angelum, animam rationalem; Vnde illud *non propter aliud*, quod adhibet in definitione entis subsistentis, non potest sonare exclusionem habitudinis ad compartem essentialiter complentem aliam partem, eámque in genere naturæ perficientem ob bonum tertij: (eam quippe habitudinem includit anima rationalis, quam tamen hic autor agnoscit per se esse atque subsistere, atque adeò non esse propter aliud.) Sonat ergo exclusionem causæ subiectantis, vel termini externi conferentis ius connaturale ad accipiendum vel retinendum esse in rerum natura.

Effectus subsistentiæ propositus, idem cum perseitate, & incommunicabilitate, ac indiuiduatione naturæ

90. Planè idem volunt, etsi non satis explicant, quotquot dicunt munus subsistentiæ esse conferre rei esse per se. Id enim non posse intelligi de vllo influxu positiuo per subsistentiam collato naturæ facile est deprehendere ex diuinis suppositalitatibus, quæ dant diuinæ naturæ esse per se (quatenus eam vltimò terminant) absque vllo tamen influxu positiuo vel causalitate in naturam diuinam; quæ proinde dicitur per eas per se statui, quia vltimò completur ac terminatur per eas, quamuis neque firmetur in esse, neque influxum vllum ab eis accipiat. Habebimus ergo in creaturis analogicum effectum formalem subsistentiæ creatæ, si dicamus, eam citra influxum vllum complere vltimò & terminare naturam substantialem, dando illi ius vt per se sit, degá que seorsim à quocunque alio. Idque planè & perspicuè sonare videntur voces *per se essendi*, quibus omnes effectum formalem subsistentiæ exponunt.

Idem quantum existimo voluerunt alij, qui effectum formalem subsistentiæ aliis verbis, eodem autem sensu tradiderunt, affirmantes subsistentiam confetre substantiæ incommunicabilitatem, aut vt quidam auctores loquuntur, indiuiduationem vel indiuisibilitatem. Est porrò distinguenda multiplex incommunicabilitas sicut & communicabilitas: neque enim omnes ad subsistentiam pertinent. Verbi gratia, vt omittam communicationes rationis, quæ in genere & specie ad inferiora sua cernuntur, constat inter reales communicationes, ei, quæ est causæ externæ ad effectum quem producit, nihil commune esse cum subsistentia. Res enim creata siue subsistat, siue non subsistat, eiusmodi est, vt debeat ei communicari esse à causa sua efficiente. De communicatione, qua aliquid communicatur alteri, tanquam pars toti, an pugnet cum ea incommunicabilitate, quæ per subsistentiam confertur, lis est inter Doctores. Vasquez 3. parte d. 32. id acriter negat, & pro se stare vsum Patrum ac Conciliorum contendit, eò quod nusquam ratio subsistentiæ ab eis vsurpetur de parte quapiam, sed tantùm de persona & toto supposito. Videtúrque posse confirmari ex Photio Cod. 229. [dicimus, (inquit) singulos homines animæ naturam & naturam corporis habere: animæ autem personam, & corporis vel animæ subsistentiam, vel corporis, ne fabulæ quidem finxerunt.] Optimus tamen loquendi Magister S. Thomas 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. agnoscit subsistentiam aliquam esse partialem. Mollitátque vsus eum rigorem, quo vox subsistentiæ aliquando ad solas personas arctata est. Sicut etiam ex vsu prisco Conciliorum & Patrum vox *substantiæ* de solis suppositis dicebatur, quæ tamen postea eo vsu mollito, traducta est ad partes quoque suppositi, designandas. Quis enim nunc animam negat esse substantiam? vel quis nunc corpus suum, substantiam esse diffiteatur? Quidni ergo similiter, vocem *subsistentiæ*, quantumuis olim alia fuerit eius acceptio, in eo sensu vsurpare fas sit, quo denotet partem substantialē vltimò terminatam, & completam in suo esse partiali, qualem esse animam rationalem, nec non materiam primam, indubitatum videtur; & optimè euincitur ex mysterio Incarnationis, quo Verbum eas hominis partes assumpsisse certum est; ac proinde oportet connaturalem in eis subsistentiam agnoscere, quam assumptio suppleuerit. Quod autem Verbum suppleuerit subsistentiam aliquam toti humano composito insidentem, non autem partibus, vt Vasques fingit 3. p. d. 39. c. 3. longâ confutatione non eget, cum supponat compositum esse tertiam entitatem à partibus vnitis distinctam, quod est omnino commentitium. Præterquàm quod per triduum mortis Christi destructo cōposito, partes singulæ essentiales manserunt vnitæ Verbo sicut priùs. Igitur vnio ad Verbum, non composito toti, sed partibus humanitatis essentialibus inexistebat. Quo argumento extricare se nequiuit Vasques ibid. d. 38. n. 61. nisi fingendo nouam tunc Verbi vnionem ad partes singulas faciendam, fuisse specie diuersam à priore, vt ex subiectorum diuersitate patet, & tantùm duraturam pro illo triduo, quod voluntarium est, & gratis excogitatum, duntaxat ad declinandam difficultatem propositam. Quare supponamus vt manifestum, quod infra quoque sub puncti tertij initium magis confirmabimus, animam Christi & corpus eiusdem, subrtitisse immediatè in Verbo, ac proinde caruisse subsistentia connaturaliter partibus illis competitura, quam Verbum suppleuit. Atque ita concluditur, communicationem per modum partis non pugnare cum ea incommunicabilitate, quam subsistentia confert. Nihil igitur aliud est ea communicatio, quàm dependentia ab alteto vt sustentante ad sensum propositum. Sicut & incommunicabilitas per subsistentiam collata, nihil aliud est quàm ius per se essendi seorsim à quocunque alio, cuius intuitu debeat conferri vel conseruari esse rei, tanquam allectæ in eius familiam. Sic enim non dependere, est esse incommunicabile alteri tanquā sustentanti, vel esse indiuiduum. Quo sensu, à Boetio persona definitur substantia indiuidua; & à Leontio in scholis act. 7. Christi humanitas negatur esse indiuidua, quia non est seorsim, quod indiuidua substantiarum habere solent, sed communicatur Verbo, estque in eo hypostaticè.

91. Non video alium idoneum sensum, quo accipi possint Patres Græci. Theodoretus dialo. *immutabilis*, initio, Abucara opusc. 28. Epiphan. in 7. Synodo act. 6. tomo eius actionis tertio, & multi, quos profert Theorianus in legat. ad Armenos, *non multum ab initio*, cum aiunt rationem subsistentiæ in eo esse, quod per eam res fiat vt indiuiduum, natura verò absque subsistentia sit sicut species. Nempe, quia est capax communicabilitatis cum altero vt sustentante, quod non habet prout subsistens, in quo conuenit cum indiuiduo quod est seorsim à quouis alio. Et hunc sensum illius modi loquendi, expressisse planè videtur S. Cyrillus libro singulari de S. Trinitate non ita pridem edito, vbi c. 10. insigniter omninò obseruat rem aliter se habere in Deo, & in creaturis, quoad ea quæ reipsa vel per rationem vnum sunt vtrobique. Et naturam quidem in creaturis, sola ratione vniuersalem & communem esse affirmat; hypostases verò & proprietates indiuiduales, penes quas hypostasim dignoscimus, esse reipsa plures, & quamlibet hypostasim. esse per se priuatim & sigillatim. E contra verò in Deo, notat vnitatem naturæ esse planè realem in pluribus personis; distinctionem autem plurium illarum personarum à natura communi esse per solam rationem & cogitationem nostram. In quo discursu, naturam quam hypostasi subseruit, eatenus in nobis ait esse communem, quatenus hypostasim secernentem & diuidentem personas, easque seorsim ab inuicem collocantem, habet vnitatem fun-

damen

damentalem, quæ per rationem sit suo modo actualis, non exclusa communicabilitate ad plura individua. At per hypostasim, cuius primarium munus esse ait facere, vt supposita non inuicem, sed separatim existant, effici affirmat, vt sublata communitate, seiunctio & impermistio individuorum exoriatur. Affinia habentur ibid. c. 12. Quæ doctrina apertè fert, sensum quem dicebam tribui posse Græcis omnibus Patribus, passim tradentibus naturam, & hypostasim differre, vt speciem, & individuum; hoc est, vt naturam communicabilem, & suppositum seorsim existens, eiusmodi naturaliter est quodlibet individuum substantiale.

92. Video tamen agrè hoc trahendum Rusticum dialogo contra Acephalos *post medium*. Vbi quærenti hæretico, quid minus habeat humanitas quàm homo, respondet, (Superiùs est ostensum, quod Deus Verbum non personam nostram sibi vnierit, sed naturam. Verùntamen in sermone quem de definitionibus contra vos simul, Nestorianósque conscripsi, demonstratum est, quod natura quidem communem, (sicut dici solet,) speciem repræsentet; persona verò sit concursus eorum, quæ describunt subsistentiam rationalem. Individuam subsistentiam verò, esse circa proportionem, velut fundamentum, in quo incumbunt quæ circa sunt reliqua, sicut ipsum nomen ostendit & tanquàm maximè propriam causam, in qua vniuersa quæ accidentia nominantur, vt color, vt mores, vt habitus, & dispositiones, & quæ iis sunt similia, & proprietates confluunt ipsæ. Interempto enim primo subiecto eorum quæ circa sunt individuorum, nihil vltra esse, possibile est: à maxima verò causa, vt sit vnum quodque, id verò, & in quo incumbit ipsa totietas nominatur, id est, ab illo subiecto quod tanquam fundamentum est iis quæ circa sunt, tota consistentia subsistentia nominatur. Sed quia secundùm redditam rationem, solent & irrationalium subsistentiæ nominari, quinetiam insensibilium, & inanimatorum, hæc verò vniuersa personæ propriæ non ab omnibus dicuntur: ideò adieci, hanc subsistentiam esse rationalem. Quoniam verò aliqui rursùs volunt, & species, & genera substantialium quæ dicuntur, subsistentias appellare, ideò adiectum est hanc subsistentiam rationalem, & individuam esse.] Apparet, aliam esse mentem Rustici de individuatione per subsistentiam collata, quam cæterorum quos retulimus. Eius tamen autoritas, non est tanti.

Concluditur, quid humanitati assumptæ decesserit.

93. Habemus quod exponendum fuerat propositum, nempè quid de facto humanitati Christi decesserit per assumptionem ad Verbum, & quid humanitas à Verbo acceperit. Nempè decessit humanitati subsistentia creata modalis, quam ratione suæ vtriusque partis essentialis, materiæ inquam ac formæ, habere debuerat; & loco vtriusque illius subsistentiæ accepit vtriusque illius partis complementum, siue perfectiuum terminum substantialem longè eminentiorem, quo adepto fœliciter excidit iure propriæ quasi familiæ dijcendæ, & facta est domestica Dei, allecta in eandem cum Verbo familiam in ciuitate mundana; quo nihil sublimiùs, aut honorificentiùs excogitari potest. Neque verò propterea Christi humanitas trunca, vel obnoxia censeri potest, quia non carnit vllo quod esset de ratione humanæ naturæ vt natura est; sed defuit illi duntaxat complementum substantiale, quod est de ratione suppositi, non autem de ratione naturæ. Vnde quia suppositum est natura completa, siue per connaturalem subsistentiam, siue per externam, rectè dicitur Christum esse perfectum hominem, ac personam perfectam.

Non potuisse vllam vi assumi naturam subsistentem, probatur autoritate.

94. Reliquum in hoc puncto est, examen eius, quod de potentia absoluta fieri potuit. Hactenùs enim tantùm monstrauimus humanitatem Christi de facto fuisse à Verbo assumptam absque sua subsistentia, & quid sit sic assumi exposuimus. Difficultas ergò superest, an humanitas Christi potuerit assumi à Verbo, de potentia absoluta, non abiiciendo subsistentiam propriam, & connaturalem, sed eam retinendo. Affirmat Hurtadus d. 11. Metaph. s. 7. sed sententia contraria est longè cómunissima, eámque videtur tradidisse Ephræmius apud Photium Cod. 228. affirmans, impossibile esse personam iungi personæ, & agit de persona aliena ad propriam comparata. Locus est ex Isidori Peluſiotæ epistola ad Domitianum. Similiter Anastas. c. 10. δόγ. pag. 175. hæc verba habet, [ex duabus naturis vna hypostasis componi potest, vt patet exemplo hominis; Ex duabus verò characteristicis hypostasibus, non est possibilis vnio secundùm hypostasim.] Vndè colligitur non posse in Christo agnosci duas hypostases, humanam scilicet & diuinam. Eadem argumentatio adhibetur à Iustiniano in edicto fidei suæ, qui disertè ait, [duæ subsistentiæ, seu personæ, secundùm subsistentiam vniri non possunt.] Apud Paschasium l. 1. de Spiritu sancto c. 4. hæc argumentatio texitur ad id probandum [de duabus rationalibus diuersisque substantiis, præsertim de Dei, & hominis, præsertim de creatoris, & creaturæ vna fieri non potest; de duabus verò personis vna fieri potest, sicut legimus caput & corpus Christum & Ecclesiam vnam tenere personam. *Erunt* enim (inquit) *duo in carne vna*. Et sicut apud nos homines, filius Patris familias iuxta Patrem, vel seruus iuxta Dominum, personæ propriæ locum non habet, ita in Deo & homine, gemina quidem substantia, sed non gemina persona est; quia persona personam consumere potest, substantia verò substantiam, consumere non potest.] Vt verò de probationis illius efficacitate pronuntiemus, mens tamen Paschasij aperta, est, implicare, vt persona assumat personam.

Videmur autem eodem iure pro hac sententia proferre posse sensum vniuersæ Ecclesiæ, quæ definiuit deesse Christo subsistentiam creatam. Hoc verò vndénam potuit colligere Ecclesia, si verum est subsistentiam posse cum externa cohærere in eadem natura? Nam ex reuelatione tantùm habemus, humanitatem Christi suppositari à Verbo, & eundem esse Deum simul & hominem, quæ omnia possent vera esse per accessum suppositalitatis increatæ ad humanitatem, salua creata ipsius humanitatis subsistentia, si verum esset duas subsistentias vnam propriam, alteram alienam, posse simul in eadem natura habere locum. Aut ergo labat definitio Ecclesiæ, quæ ex eo quod humanitas Christi subsistat per Verbi subsistentiam, (id enim duntaxat per reuelationem didicit,) sanxit abrogandam esse subsistentiam humanitatis propriam: aut quid nefas est, Ecclesiam, columnam veritatis vacillantem dicere, fatendum est, subsistentiam propriam ne de potentia quidem absoluta, iungi posse cum subsistentia aliena.

Stabilitur item ratione.

95. Ratio huius veritatis est ex dictis manifesta. Omninò enim repugnat, vt eadem natura sit sui iuris, ducárque familiam, & simul subsit alteri, in cuius familiam sit allecta. Siue quod idem est, repugnat idem simul esse per se, & non esse per se, simúlque esse in se completum, & non esse completum. Quamuis enim vterque modus essendi sit positiuus, tamen eorum

coniunctio in eadem natura, contradictionem inuoluit. Sicut esse curuum simul & rectum; esse quadratum & rotundum, stare, & sedere; ferri sursum, & deorsum. Itaque sicut in his exemplis non declinaretur contradictio, allegando interuentum duplicis formæ positiuæ; quin potiùs eadem planè forma suum formalem effectum conferre supponeretur, simúlque illum non conferret ob præsentiam alterius incompossibilis. Ita in re præsenti, cadè natura supponeretur subsistere per se, quatenùs haberet propriam subsistentiam, simúlque subsisteret in alio, quod est non esse per se, & seorsim, tantúmque abest, vt natura terminata per alienum suppositum dici possit per se subsistere, vt potiùs si res ad viuum resecetur ea locutio quam nunc loquentes cum multis adhibuimus de natura per externum suppositum terminata, quod subsistat in alio, corrigenda videatur. v.g. de humanitate Christi, si castè omninò, ac planè defœcatè loquendum est, non est dicendum, quod subsistat in Verbo, quamuis ita passim loquimur, & iam olim Hyppolitus homil. contra Noëtum n. 13. sed potiùs dicendum propriè est, quod Verbum in ea subsistat. Qua ratione Bellarminus in recognit. lib. 3. de Christo cap. 2. suum illum loquendi modum à pleriſque aliis vsurpatum, *natura humana in Verbo subsistit*, castigari vult, & mutari in modum loquendi à S. Leone vsurpatum, quod humanitas cum diuinitate in vnam personam Verbi conuenerit. Vel iuxta modum loquendi S. Thom. 3. p. q. 2 art. 4. & in 3. d. 6. q. 1. art. 1. dicendum est quod Verbi persona subsistit in humanitate. Si igitur humanitas Christi rem ad viuum resecando, & sermonis castitate omnimoda seruata, non potest dici in Verbo subsistere, quantò minus dici poterit naturam aliquam ab extetno supposito terminatam, subsistere simul in seipsa, ac per se esse.

Fundamenta contraria disiiciuntur.

96. Non est quod in excutiendis contrariæ sententiæ rationibus immorer. Nihil enim ab Hurtadio, qui primus eam sententiam typis mandauit, proferri pro ea video: sed totus est in vellicandis nostræ sententiæ rationibus; quod quàm infœliciter fecerit, videbit, qui rationes quas proposuimus, cum eius oppugnationibus componet. Nolim verò ex eo quod plures subsistentiæ propriæ possint terminare eandem naturam, (id quod etiam non dubito quin per plures alienas præstari queat,) colligere quemquam naturam vnam substantialem posse simul habere duas subsistentias; extraneam vnam, proprium alteram. Hoc enim perperàm colligeretur, quia plures subsistentiæ propriæ, tantùm statuunt rem in se ac per se. Plures item subsistentiæ alienæ, statuunt tantùm rem in alio. Rem autem pluries esse per se, aut pluries esse in alio, nullam infert repugnantiam. At subsistentia propria confert rei esse per se, quem essendi modum excludit aliena subsistentia, per quam res est in alio. Vnde ex pugna effectuum formalium necessariò, & inseparabiliter consequentium formas illas, rectè colligimus ipsarum inter se formarum incommunicabilem pugnam, quæ planè abest à pluribus subsistentiis propriis, afficientibus eandem naturam: Itémque à pluribus extraneis, cùm solæ eandem naturam terminan. nulla eiusdem naturæ connaturali subsistentia adiuncta. Quare sicut tres proprias & connaturales subsistentias concurrere vidimus in eandem diuinam naturam, ita vel plures proprias, vel plures extraneas in eandem creatam substantiam concurrere, nihil est, quod vetet, loquendo de potentia absolura.

Quæsitum 3. Propter quid humanitas assumi à Verbo potuit.

97. Pergo ad punctum tertium initio capitis propositum, nempè ad radicem assumptibilitatis naturæ humanæ; seu quid fuerit in natura humana, propter quod à Verbo assumi ad modum hactenus explicatum potuerit. Vnde intelligemus quænam aliæ huic naturæ siue entitates potuissent assumi obedientialiter, ac de potentia absoluta, si ita Deo libuisset. Cùm enim totum fundamentum assumptibilitatis, (quæcumque tandè sit persona assumens,) sit potentia obedientialis ob connulsa per assumptionem naturæ iura; præsertim verò cùm persona assumens est diuina, perspicuum sit, assumptionem non nisi obedientialiter perfici posse ob eminentissimum, & omnibus modis indebitum esse diuinum, ad quod natura creata per assumptionem à diuino supposito euehitur, non potest esse dubium quin monstrata radice assumptibilitatis obedientialis in humanitate, habituri simus causam proportionaliter ad omnes æquè naturas substantiales extendendam ob eandem in omnibus potentiam obedientialem positiuam, siue non repugnantiam ad recipiendum à Deo, quicquid cum ipsis omnipotens Dei manus operari constituerit supra naturalem exigentiam.

Humanitas ergo ideircò potuit hypostaticè à Verbo assumi absque repugnantia, quia est complebilis in genere substantiæ, potestque vel per terminum additiuum intrinsecum constitui sui iuris, vel iuris alieni, si terminus ille sit extrinsecus. Nihil enim verat, humanitatem abiecto connaturali illo & intrinseco termino compleri ab extrinseco, quia complementum illud connaturale potest ab ea auelli, quippè non prorsus ei identificatum, vt vidimus. Hæc ex dictis clara sunt. Nec refert quod humanitas essentialiter compingatur ex partibus, imò aliud non sit quam partes eius essentiales vnitæ; anima inquam & corpus. Vtraque enim illa pars est connaturaliter capax vltimi sui intrinseci complementi, ac termini substantialis, quo statuatur independenter à quocunque, vt suprà vidimus. Quia sicut hæ partes naturaliter absq; nouo influxu possunt se solis existere, ita decuit illis conferri quicquid eis consentaneum erat in ratione substantiæ dimidiatæ. Vnde Theodorus Abucara opusc. 29. quamuis dicat huiusmodi entia non esse hypostases, quia sunt partes essentiales, tamen ait esse entia hypostatica, quia possunt existere seorsum, ac se solis, nec quærunt aliud, vt ei innitantur, sed coniunguntur ob bonum tertij inde exsurgentis, siue compositi.

Etiam Christi humores potuerunt assumi adæquatè.

98. Maior difficultas esse potest, quod ad humanitatem integrandam, præter partes illius essentiales, de quibus hactenùs, concurrant quædam entia purè materialia. v.g. sanguis, quem suprà vidimus fuisse Verbo Dei copulatum immediatè, etiam quoad formam; & tamen posito, quod puto verissimum, nempè quod sanguis non viuat, præsertim vita hominis, seu per animam rationalem forma eius est purè materialis, ac proinde pendens ab influxu subiectiuo materiæ, quem vidimus pugnare cum subsistentia connaturali rei sic dependentis. Non enim forma materialis potest naturaliter existere solitaria, sed postulat adiungi materiæ à qua sustentetur, per verum influxum physicum. Quomodo ergo dici queat per se esse siue subsistere? Quare si radix assumptibilitatis est capacitas carendi proprio, & connaturali complemento substantiali, perspicuum videtur, hæc entia, quæ nullum tale complementum proprium naturaliter sortiuntur, non esse assumptibi-

lia,

ta. Vnde humanitas quatenùs integrata ex huiusmodi entibus, non potierit radice assumptibilitatis. Esto eam habeat præcisè quatenùs ex suis partibus essentialibus, corpore inquam, & anima compingitur.

Hæc difficultas rectè probat formas materiales, atque adeò etiam corpora ex eis compacta adæquatè sumpta, sine qua ex parte his formis constant, non habere terminum substantialem intrinsecum, & connaturalem; atque adeò non esse assumptibilia per abiectionem talis termini interni ob suffectionem externi in locum eius. Non enim creantur connaturaliter, sed à subiecto pendent in fieri, sicque adiunguntur naturaliter subiecto; & ea adiunctio est huiusmodi formæ, loco complementi, & termini per quem alleguntur in similiam compositi, cuius materiæ annectuntur cum dependentia subiectiua. Quamuis igitur difficultas proposita rectè euincat has formas non subsistere, atque adeò non esse assumptibiles per propriæ subsistentiæ abiectionem, tamen quia extrinsecè terminantur eo modo quo dixi, & nihil verat aliquid extrinsecè terminatum quoad esse, siue existens in alio, sæpiùs existere in alio, ac pluries extrinsecè terminari; propterea admitto formas quoque materiales licet naturaliter subiecto affigantur, & ab eo pendeant, esse assumptibiles; malè repugnante Vasque 3.p.d.30.c.5. Ratio quia nitor est, quia latiùs patet esse assumptibile, quàm esse connaturaliter terminatum substantialiter proprio & interno complemento. Sed vt aliquid assumi possit ad existendum in alio substantialiter terminante, satis est, vt perfici ab eo possit in genere substantiæ, & modum essendi inde participet. Idque similiter statuunt, qui fatentur formam quamcunque substantialem non subsistere seorsim, & tamen concedunt animam rationalem assumi ad Verbi hypostasim, quia per eam perficitur substantialiter. Ita cum plerisque Præpositus 3.p.q.4.n.21. Hoc autem verè habent formæ materiales sanguinis, & aliorum humorum humanitatem Christi integrantium, si comparentur cum diuina Verbi subsistentia, quæ proinde in illis subsistit. Vnde quod passim dicitur subsistentiam Verbi esse in supplementum subsistentiæ connaturalis, & propriæ, verum quidem est quoad præcipuas humanitatis partes, nempè quoad essentiales: Quoad alias verò partes, quæ non sunt partes nisi secundùm quid, vt sunt humores; valet tantùm ratione materiæ quæ sola in eis connaturaliter subsistit, ac terminatur intrinsecè. Quæcunque igitur entia ad integram hominis constitutionem pertinent, etsi ex parte formæ careant connaturali subsistentia, potiuntur radice assumptibilitatis, potuerúntque ad diuinam suppositalitatem sustolli.

Extenditur resolutio ad substantias quascunque, purè materiales.

99. Facilè hinc erit iudicium ferre de aliis quibusnis entibus, fuerintne à Verbo assumptibilia hypostaticè. Vnde habebitur resolutio huius puncti de potentia absoluta loquendo. Omnia itaque alia entia, vel sunt substantiæ totales, aut materiales, aut immateriales, vel sunt accidentia. De aliis substantiis materialibus, eadem ratio est, quæ de sanguine, & humoribus Christi. Vnde sicut has substantias, non obstante materialitate, ac subiectiua dependentia formæ, vidimus esse assumptibiles, ita idem de omnibus aliis compositis purè materialibus est pronunciandum, essèque id intellectu multò faciliùs de substantiis materialibus, intra quas nulla esset substantialis compositio essentialis, vt non pauci censent de cœlo; quod solis partibus entitatiuis constare volunt. Huiusmodi quippè substantia nullam intra se haberet dependentiam subiectiuam, sed tota esset subsistens connaturaliter. Quare nihil obstare posset, quominus termino suo connaturali spoliata, alienum susciperet. In compositis autem purè materialibus constantibus forma dependente à subiecto, nec pertinentibus ad veritatem humanæ naturæ, ea est difficultas, quam proximè discussimus, quoad Christi corporis humores, quæ quamuis non sit prorsus nulla, videtur tamen sufficienter extricata. Quare has quoque substantias materiales, assumptibiles à Verbo fuisse non dubito.

100. Sunt qui in contrarium obtendant indecentiam. Id enim vnum spectasse videntur, qui inficiati sunt Verbum potuisse assumere viuens irrationale. Ita Cartul. in 3.d.2 q.2. Henricus quodlibeto 13.q.5. Hurtadus d.1. de anima c.46. & Picus q.4. Apolog. sed id cum retractasse refert ex Echio Henriq. l.de Sacram. in genere c. 21.n.1. *litera B.* Et meritò sanè id retractauit. Rectè enim iis qui talia obtendunt, opponere possumus illud Tertulliani libro de carne Christi c.4. [Si Christus de lupa, aut vacca, aut sue prodire voluisset, & feræ aut pecoris corpore indutus regnum cœlorum prædicaret, (nempè formante Verbo per huiusmodi corpora voces ad id opportunas,) tua opinor illi censura præscriberet? Turpe hoc Deo, & indignum Dei Filio, & stultum propterea, qui ita credat sit planè stultum, si de nostro sensu iudicamus Deum.] Omninò item huc facit egregia disp. Greg. Nysseni in orat. magna Catecher. c.27. vbi obtendentibus non decuisse vt Verbum ad nostras abiectiones demitteret sese, sed aptiùs fuisse futurum, si cælestem substantiam assumeret, respondet in hunc modum. [Nihilo tolerabiliot videtur esse turpitudo, & dedecus, quod Deus cœlestis corporis figuram susceperit quam terrestris. Ab eius enim qui est altissimus, & ad cuius altitudinem non patet aditus, natura; ex æquo distat omnis creatura, & sunt omnia ei æqualiter subiecta. Nam id quod est eiusmodi, vt ad id omninò non pateat aditus, nihil quidem præbet aditum, aliquid verò ad ipsum non potest appropinquare: sed ex æquo vniuersa quæ sunt, superat, & supereminet. Neque ergo terra est remotior à suprema illa dignitate, neque cœlum propinquius: neque quæ vitam degunt in vtroque elemento hac in re quicquá à se inuicem differunt, vt alia quidem attingant naturam ad quam non patet aditus; alia verò ab ea secernantur. Nam sic quidem existimaremus, vim illam ac potestatem quæ omnia continet non ex æquo omnia penetrare: sed in alijs quidem eam esse abundantiorē; in alijs verò magis deficere: & ex maioris minorisque differentia, compositus ex consequenti apparebit Deus, vt qui sibi ipsi non conueniat, si quidem procul esse à nobis existimetur ratione naturæ: alicui autem alij appropinquans, ex eo quòd propè sit, facilè possit apprehendi. Sed vera ratio, in excelsa & sublimi illa authoritate, neque deorsum aspicit, neque sursum per comparationem. Omnia enim ex æquo sunt subiecta potestati illi, quæ præest omnibus. Quamobrem si terrestrem naturam existimabunt indignam quæ cum Deo connectatur, neque vlla inuenietur digna.] Quod ait Nyssenus de cælesti substantia ad humanam comparata, & pari vtriusque indignitate, vt à Deo assumatur, æquè locum habet in substantia humana ad ferinam vel pecuinam, & quamlibet irrationalem collata. Vnde si humana assumi potuit, (vt verè potuit, quandoquidem de facto assumpta est) æquè de potentia absoluta assumi potuisset natura quælibet irrationalis.

Quàm multa purè materialia, Patres assumptibilia censuerint.

101. Hanc fuisse plurimorum Patrum mentem, dubitare non licet. Plerique enim censuerunt columbam, quia per tēpus baptismi Christi insedit ei assumpta hypostaticè fuisse à Spiritu sancto Ita Tertullianus l. de carne Christi c. 3. Verbis illis in Marcionis

phan

Phantasma intortis. [Confudisset te hinc Euangelium Ioannis prædicans Spiritum columbæ corpore lapsum (alij legunt, *corpori illapsum*) descendisse super Dominum. Qui Spiritus cùm hoc esset tam verè erat & columba quàm & Spiritus ; nec interfecerat substantiam propriam, assumpta substantia extranea.] Diserte idem habet auctor libri de cognit.veræ vitæ c.18.Fateor hoc falsum esse, vt rectè statuit apud Augustinum Autor libri 3.de mirab.sacræ Scripturæ c.5. & ipse August.2. Trinit. c.6. & l.de agone Christi c.22. vbi quibusdam affirmantibus Christum non plus natum esse de matre fœmina, quàm columba in qua Spiritus sanctus apparuit, de quo sit nata. Respondet illam quidem columbam verum corpus habuisse columbæ, nec tamen fuisse de alia columba natam, [quia non columbas liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare innocentiam & amorem spiritalem ; quod in columbæ specie visibiliter figuratum est. Dominus autem Iesus Christus qui venerat ad homines liberandos, in quibus & mares & fœminæ pertinent ad salutem, nec males fastidiuit, quia marem suscepit : nec fœminas, quia de fœmina natus est.] Quæ ratio apertè supponit, columbam non esse hypostaticè à Spiritu sancto assumptam,vt Autores proximè prolati affirmabant. Et quanquam Sandæus lib.1. Theol. symbol. comment.2. exercit.3. valdè multos autores adducens, censet iuxta D. Augustinum, columbam illam ita fuisse verum corpus, vt tamen non esset vera columba, tamen ad rem præsentem id non refert. Quamuis ergo communior Patrum, & fixa omnium Theologorum sententia rectè statuat, corpus illud, vel columbam illam, non fuisse à Spiritu sancto hypostaticè assumptam, vt Suares rectè affirmat t.2.3.p.d.22.s.2. tamen inde liquet, Patres prædictos nullam vidisse repugnantiam in ea corporum vndecunque materialium & irrationalium assumptione. Sed & Rupertus in opere de diuinis officijs, panem & vinum in Eucharistia non destrui, sed per Verbum assumi hypostaticè affirmauit. Quam assumptionem, & vt Algæus contra eam sententiam loquitur, *impersonationem*, refellit ipse Algerius ex veritate verborum, & certa traditione Patrum, quæ docet panem & vinum per consecrationem aboleri : non autem ex eo quod impossibile sit panem atque vinum assumi à Verbo. Ac proinde non videt repugnantiam vllam in ea assumptione naturæ inanimatæ & irrationalis. Id quod confirmare licet, ex triduana Verbi vnione cum materia inanimata, & nullo modo rationali. Quod argumentum Almainus in 3.d.1.q.1.vocat *fortissimum* in hanc rem. Imo non pauci inter quos est Suares to.illo 2.d.88.s.3. *in fine*, existimant Verbum per illud triduum assumpsisse integram substantiam cadaueris, non tantùm ratione materiæ, quod certum est, sed etiam ratione formæ; quod improbabile non est, quamuis nequeat sufficienter stabiliri, & absonum appelletur à Magronio in 4.d.43.q.1.

Iniecti linguæ, fræni. Notatus Gabriel.

102. Perspicuum itaque videtur, substantiam quãcumque irrationalem, quamuis neque sit personabilis (vt sic dicam,) neque beatificabilis, fuisse, tamen hypostaticè à Verbo assumptibilem de potentia absoluta. Prudenter tamen Caietan.3.p.q.4.art.1. frænos hac in parte inijciendos linguæ decernit,monens tametsi verum est de potentia absoluta substantiam quamcunque irrationalem esse diuinitus assumptibilem; abstinendum tamen esse speciali explicatione multarum commemoratu indignarum assumptionum. Nusquam enim verecundiores esse debemus, quàm cùm de Deo agitur,vt Seneca ex Aristotele dixit l.7. natur.q.9.c.30. Meritò autem castiganda est inuerecunda simplicitas Gabrielis in 3.d.1.q.2.art.1. *litera* B.vbi ex cõclusione proposita infert præter cætera hæc corollaria,vel relatu indigna, [hæc propositio potest vera esse. Deus est lapis.Deus est asinus.] Nimirum si Deus naturam lapidis aut asini supponeret. Tametsi enim verum est, quod asserit de lapide & asino diuinitùs assumptibilibus, tamen inuerecundam est talia de Deo effatire, & pacem piarum aurium violare. Habétque planè hîc locum prudentissima Epiphanij disputatio contra Democritas, hær.77. sollicitos de Christi excrementis & aliis, quæ silere præstat.

Aiebam porrò, si natura irrationalis diuinitùs assumeretur, non oriturum inde personam, quia persona est suppositum in natura intellectuali subsistens. At supponimus naturam illam intellectu destituendam. Nõ posset igitur ex ea & suppositalitate diuina,per ordinẽ tantùm ad eam spectata,exurgere persona,vt rectè censuit Scotus in 3.d.2.q.1.art.2. Perperam verò Rada in 3.controu.4. art.1. contrarium existimat probabile, cùm sit apertè falsum, & contra ipsam personæ notionem. Æquè perspicuum est, quod addebam, naturam irrationalem, etsi assumi possit, non posse tamen reddi beatam. Nam assumptio est quid emortuum, nec postulat in natura irrationali actum vllum vitæ intellectualis, qualem includit beatitudo, quæ essentialiter continetur perfectissimis actibus vitæ intellectualis. Vnde non potest locum habere extra naturam intelligentem, quamuis extra eam cadere optimè possit assumptio. Natura item intelligens,quia assumptio anterior est diuina fruitione & beatitudine, potest assumi, & tamen non effici beata. Et ita rectè & latè Franc. à Christo in 3. dist.2. q.2. & Argent. eadem dist. quæst. vnica art. contra Henricum quodlib.6.q.6. cuius argumenta inania sunt, frustráque in eis longam operam consumit Argentina.

Angeli, assumptibiles.

103. Venio ad substantias completas immateriales, hoc est ad Angelos de quibus, si paucos antiquos excipias,quos refert Carthus.in 3.d.2.q.1.videtur communior omnium sententia,quod assumi à Deo possint. Et habent sanè assumptibilitatis radicẽ propositam, nempe naturam substantialem vltimò perfectibilem termino intrinseco ex natura rei distincto, ac proinde separabili. Videtur quidem S.Thomas de ea separabilitate subsistentiæ à natura Angelica loqui difficilius 1.p.q.3. art.3. nec patum in eo loco enodando laborant Bannes, ibi & Raguſa 3.p.d.35. & d.56.c.1. non potest tamen idoneum vllum fundamentum proferri, cur ille vt sic dicam limbus naturæ competat humanitati, desit autem naturæ Angelicæ. Nec obscurè idem insinuat Apostolus, cùm Angelos à Deo apprehendi potuisse, æquè ac semen Abrahæ, supponit Hebr.2. Cum ergo semen Abrahæ apprehensum sit, & à peccato in quod prolabebatur fuerit potenter retractum interuentu assumptionis per Verbum,quæ sine separabilitate subsistentiæ humanæ nequit intelligi, concedendum est eam quoque separabilitatem habere in Angelis locum, quod ex instituto confirmo in natur.Theol. dist. 3 à n.55. Hinc perspicua manet Angelorũ hypostatica assumptibilitas, vlteriusque, consummata iam inductione colligere licet, omnem omnino substantiam, siue dimidiatam, siue essentialiter completam atque totalem, esse diuinitùs hypostaticè assumptibilem, & radice assumptibilitatis proximè explicata potiri.

Non item accidentia.

104. Restant accidentia. Hæc aliqui censuerunt posse à Deo assumi hypostaticè. Ita Aluares 3. p.d.22. concl.5.d.Aquar.in 3.d.2.concl.5.Val.3.p.d.1.q.4.p.1.

Præ

Præpositus 3.p.q.4.n.261.& veterum nonnulli. Quãquam inter hos Doctores, nonnulli per assumptibilitatem accidentis, intendunt tantùm designare vnionem accidentis cum Verbo non esse impossibilem. Alij verò inter quos est Valentia, nomine assumptibilitatis accidentis intelligunt tantùm capacitatem accipiendi esse in quodam genere causæ, supplentis influxum subiecti in accidens: sicut iuxta eos, influxus subsistentiæ creatæ in naturam creatam, supplebilis est per subsistentiam diuinam. Verùm hæc omnia statum quæstionis peruertunt. Sic enim vagamur extra propositam quæstionem, quæ erat de suppositatione & assumptione hypostatica, à qua Doctores prædicti longè abscedunt. Siue enim possibile sit accidens vniri Verbo non formaliter prout est persona, sed prout est materialiter diuina quædam entitas, vt priores Auctores supponunt; siue ea vnio sit impossibilis, vt affirmat Suares t.1.3.p.d.14.s.2. & d.13.s.1. & admodum sanè probabiliter, cùm non appareat, quò spectare posset vnio illa, si intercederet, & quis esse posset effectus ad quem destinaretur. Verumuis inquam de ea accidentis ad diuinam personam vnibilitate statuatur, non sequetur tamen possibilem esse assumptibilitatẽ accidentis, de qua hic quærimus; quæ scilicet inuehat complebilitatem in genere substantiæ. Similitérque quamuis essentia diuina (non enim persona, quæ vt sic non est actiua,) possit effectiuè supplere omnem subiecti causalitatem in accidens, hoc nostra non refertur, quia hîc non agitur de illo influxus subiectiui supplemento, sed de substantiali accidentis terminabilitate. Taceo perperam in ea sententia supponi esse influxum aliquẽ subsistentiæ in naturam, quam cõnaturaliter terminat, eumque à subsistentia extrinseca supernaturaliter terminante suppleri, quod nulla congrua ratione nititur, & iam suprà est explosum.

Agendo igitur de assumptibilitate hypostatica propriè accepta, de qua nunc quæritur, negandum omninò est, accidens esse hypostaticè assumptibile. Quam esse Ecclesiæ & Philosophorum omnium sententiam, optimè dixit S.Maximus, in disputatione cõtra Pyrrhũ *non longè à principio*, cùm refellens Pyrrhi commẽtum de vnione hypostatica diuinæ & creatæ volũtatis, qualis est inter humanitatem & personã Verbi, respondet eam vnionem non esse possibilem, nisi inter substantias. Idem communiter docent Scholastici, quos referunt & sequuntur Vasques 3.p.d.30.c.5. Suares ibid. t.1.d.14.l.4. Becan.c.5.q.5. & Albertin.coroll.8.ex 1. princ. incomplexo, dub.2. Ratio verò est ex dictis manifesta: quia accidentia non habent incompletionem illam, & perfectibilitatem in genere substantiæ, quæ possit per Verbi subsistentiam in eodem genere expleri, quod est vnicum & totum assumptibilitatis hypostaticæ fundamentum. Sicut ergo impossibile est, subsistentiam creatã superuenire intrinsecè, & connaturaliter accidenti, cò quod repugnet modum substantialem esse connaturalem terminum accidentis, quod alterius est generis, ita etiam repugnat, vt subsistentia increata vel creata extrinseca, conferat accidenti formalem suum effectum, qui in eo situs est, vt naturam substantialem vltimò perficiat in eodem genere, vt inde exurgat suppositum. Negandum itaque est, accidens esse hypostaticè assumptibile, siue vnibile diuinæ subsistentiæ, quatenus subsistentiæ, & in ordine ad constandum suppositum, qua vna de re nunc disputamus.

Quæstum 4. Quo ordine humanitas, eiusve partes, assumptæ. Secluditur ordo temporis.

105. Postremum punctum initio propositum, erat de ordine, quo assumptio humanitatis, & partium eius, peracta est de facto. Vbi non est quæstio de ordine temporis, quia ex fide certum, Christum ex primo momento quo productus est, atque adeò quo corpus & animam habuit fuisse verum Deum. Vnde habetur, omnes partes corporis necessarias ad perfectam hominis constitutionem, & animæ in corpus hominis immissionem, fuisse simul tempore à Verbo assumptas. Idque disertè tradit Fulgentius de fide ad Petrũ c.18. Damasc.3.fid.c.2.& Sophro.in 6.Synod.act.11.in epistola, quæ ibi ex eo recitatur, & postea act.13.approbatur. Optimè & explicatissimè idem tradit Nicephor. Constantinop. in suæ fidei professione in feria epistolæ ad Leonem Papam. Quod autem Toletus in cap.1. Lucæ annotatione 114.ex Origene lib.2.periarch.c.6. & ex auctore libri secundi de Incarnatione perperam tributi Diuo Augustino, refert eos asseruisse Christi animam à mundi initio, tanto ante conditum Christi corpus, assumptam fuisse duplici errore sordet. Altero communi, quod animæ corporibus præextiterint, quod tanquam hæreticum damnauit S.Leo epistola ad Turibium. Altero autem speciali videlicet, quod Christi anima ante Christum ex corporis & animæ coniugio compactum, sit vnita Verbo Dei, quod æquè pugnat cum sana doctrina. Quanquam ego quidem apud Origenem, quem nonnisi ex interprete legere eo loco contigit, voces ibi inuenio, quæ facilè innuant, Græcum contextum accipi posse de initio creationis ipsius animæ, non autem de initio creaturarum omnium, vt extimus Latinorum verborum cortex præferre videtur. Alibi tamen eum errorem ab Origene tradi potuisse, non diffiteor. Certè in S.Synodo can.2. iuncto canone 10. damnatur hanc ob causam Origenes, vt Nicephorus notauit 17.hist c.27.apud auctorem verò librorum duorum de Incarnatione, inseriorum tom.4. Diui Augustini, nihil inuenio, quod prodat eum tali errore laborasse, qualem ei affingit Toletus. Sed cùm auctor ille sub illius libri secundi finem, vbi de Christi anima disserit, Origenem citato capite non tam expresserit, quàm exscripserit, illa tamen ambigua verba quæ Origenem propositi erroris suspectum reddere possunt, sapienter declinauit. Vnde non est quod error ille ei affingatur vllo modo.

Ordine congruitatis, prius est assumpta anima, quàm corpus, agendo de facto.

106. Non est præterea hoc loco quæstio, de ordine, (vt sic dicam) congruitatis in assumendis partibus humanitatis Christi, seu penes quam illarum partium sit assignanda causa, cur congruum fuerit alteram assumi. Quæ enim pars causam suggesserit congruitatis assumendi alteram, priùs haud dubiè hoc pacto assumpta censeri potest. Quia igitur ex anima ducitur ratio, cur congruum fuerit corpus à Verbo assumi, omnino fatendum est, in sensu proposito animam priùs assumi, quàm corpus; vel vt alij loquuntur, fatendum est, Verbum assumpsisse corpus mediante anima, animam verò mediante spiritu. Nimirùm ratio ob quam Verbum naturam nostram sibi cõpulare voluerit, ea vna fuit, vt peccato mederetur, Deóque satisfaceret elicitis operibus per naturam creatam diuinitate imbutam, quæ fragrantia inde manante personæ & infinita pretiositate honestatæ, numinis violationi sarciendæ pares essent, quales nullæ à pura creatura elici poterant. Eo autem Incarnationis fine supposito, oportuit assumi naturam satisfaciendi & merendi capacem, quod Verbum per se non poterat. Itaque cùm corpus, ac etiam anima, si priuari mente supponatur, sit functionum illarum incapax, perspicuum est, causam congruitatis assumendi corporis, ex anima cum eo conferenda, ducendam esse; & causam assumptæ animæ, ex mente siue intellectu quo pollet, peti oportere. Vnde si anima esset materialis, qualis est brutorum, non fuisset congruum eam

eam assumi. Hoc voluit D.Thomas 3.p.q.6.art.1. & 2. cum dixit Verbum assumpsisse carnem mediante anima, & animam mediante spiritu. Et ita habet D.August. de agone Christi c.18.verbis illis. [Inuisibilis & incommutabilis Veritas, per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberauit.] Non dissimiliter loquitur epistola 3.& Nazorat.35. *sub fin.* Laudat in hanc rem Ruffinum, eique subscribit Cassianus l.7.de Incarnat.cap.27.his verbis. [Ruffinus quoque Christianæ Philosophiæ vir, haud contemnenda Ecclesiasticorum doctorum portio, ita in expositione Symboli de Domini natiuitate testatur: Filius enim, inquit, Dei nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem Deúmque mediante generatus.]

Hæc tamen non euincunt nisi congruitatem assumptionis partium illarum sic se habentium. Quare si Deo placuisset, non est dubium, quin anima absque intellectu, & caro nuda ac expers animæ, potuisset assumi. Idque sufficienter liquet ex dictis superiùs. Nec puto refragari. Origenem l.2.periarchon cap.6. & qui eum descripsit autorem libri secundi de Incarnatione inter D.Augustini opera inserti, cum aiunt, Verbum non potuisse vniri carni, nisi mediante anima. Neque enim de absoluta possibilitate videntur cogitasse, sed de congruitate ac decentia. Sine dubio namque, si Deus carnem non mediante anima assumpsisset, defuisset decor ille, qui in carnis animatæ assumptione emicuit. Vnde supposito quod decor ille exhibendus esset, non fuit possibile animam mentis expertem, vel corpus anima destitutum, assumi. Absolutè tamen, potuissent assumi, nec id Deum dedecuisset positiuè, si ita visum æternæ sapientiæ fuisset. Nunc autem regulæ eiusdem sapientiæ tulerunt, vt is ordo congruitatis quem exposuimus seruaretur, salua tamen immediata vtriusque partis vnione ad Verbum; ita vt corpus non exceperit vnionem hypostaticam mediatè tantùm, seu per animam, quam solam proximè afficit, sed verè ipsum quoque corpus, terminetur immediatè ac formaliter per subsistentiam Verbi, eique per vnionem in ipso corpore intrinsecè ac proximè receptam, coniungatur. De his igitur non est quæstio.

Sed tota difficultas, quæ circa ordinem in partium assumptione seruatum agitari hoc loco potest, pertinet, primò, ad comparationem partium humanitatis essentialium, & vnionis ipsarum inter se, quod est quærere an priùs natura corpus fuerit vnitum animæ quàm Verbo. Similitérque de anima quæri potest, priúsne Verbo quàm corpori vnita fuerit. Secundò, præsens difficultas pertinet ad comparationem partium humanitatis cum ipsa humanitate: Quod est quærere, an priùs sint assumptæ partes essentiales humanitatis, quàm humanitas tota, vel è contrario.

Partes humanitatis priùs Verbo vnitæ, quàm inter seipsas.

107. In priore difficultate, omnino verum censeo, quod priùs natura partes singulæ essentiales humanitatis sint vnitæ Verbo, quàm inter seipsas. Ratio est quia subsistentia Verbi in partibus naturaliter subsistentibus suffecta est creatæ, & eodem non modo temporis, sed etiam naturæ ac rationis instanti ijs aduenit, quo aduenisset subsistentia creata nisi præuenta & præpedita fuisset. Nam nisi intelligeremus subsistentiã Verbi tunc aduenire, falsò diceremus eam præuenire subsistentiam creatam, & exortu prohibere. Vnde nihil obstaret, quominus ante intellectum superuentus subsistentiæ, Verbi præintelligeremus subsistentiam creatam afficere humanitatem. Quæ difficultas euanescit, admittendo, quod subsistentia Verbi aduenial cuilibet parti essentiali humanitatis, in eodem signo ac instanti naturæ, in quo aduenire deberet subsistentia creata, si permitteretur exurgere. Atqui subsistentia creata aduenit naturaliter animæ & corpori priusquàm iungantur inter se physico nexu ad constandum compositum; quia priùs est partem vnibilem esse in se, quàm iungi alteri parti: sicut etiam priùs est, quamlibet illarum partium esse in se, quàm causare compositum, quod præstat per vnionem: Quia prius est esse in se complete, quàm aliquid causare extra se. Prius igitur & ratione & natura, assumpta est à Verbo anima, itémque corpus, quàm naturalis vnio partes illas ad cõpositi fabricã vincularet. Id quod etiam colligere ex eo licet, quod disrupta vnione humanitatis cũ Verbo nõ tollatur vnio partium humanitatis & Verbi. Vt cõstat ex triduo mortis Christi, quo anima Christi itémq; corpus retinuit pristinam cum Verbo vnionem, dissoluta tamen ac destructa vnione humanitatem constituente. Si verò vnio partium cum Verbo dissoluetur, impossibile esset vnionẽ humanitatis cum Verbo perseuerare. Inde ergo colligere licet, vnionẽ partium cum Verbo esse natura priorẽ physica vnione partium inter seipsas: Vnio siquidem humanitatis cum Verbo, supra hypostaticas vniones partium, dicit duntaxat ipsarum partium vnionem physicam inter seipsas. Quare vnio partium ad Verbum, vt independentior est vnione partium inter seipsas, ita & natura est anterior.

Quæ in contrarium opponunt Vasques 3.p.d.37. c.7.& 8. & Albertinus coroll.9.de subsistentia n.12. leuia sunt. Aiunt enim carnem non priùs naturâ fuisse à Verbo assumptam, quàm fuerit humana. Atqui non priùs fuit humana, quàm vniretur animæ: Ergo priùs natura vnita est animæ physico nexu quàm supernaturaliter & hypostaticè Verbo adhæserit. Addũt testimonium D.Thomæ q.6. art.4. ad 3. Verùm D.Thomas non videtur dissentire à sententia quam proposuimus; vt patet ex eo quod articulo 5. ait humanitatem ordine exsecutionis spectato, assumptam esse medijs partibus: ac proinde sentit partes priùs natura, quàm physica vnio earundem inter seipsas exurgeret, & humanitatem compingeret, fuisse Verbo coniunctas. Ratio verò adducta, facilè eliditur. Quamuis enim caro spectato ordine congruitatis, non priùs à Verbo assumpta sit, quàm intelligeretur humana, quod vnum probat ratio prædicta, estque id solum quod à D.Thoma affirmatur q.6. art.1. & 4. tamen priùs natura vel potiùs (quia deest vera dependentia vnius vnionis ab altera,) priùs ratione, assumpta est caro, quàm esset humana per naturalem vnionem cum anima, eo quod carni, priùs sit esse, quàm iungi animæ. Et idem de anima statuo, si quæratur priusne hypostaticè iuncta sit Verbo, quàm naturaliter corpori.

Qus ordo vnionis, inter humanitatem & partes eius.

108. Posterioris difficultatis resolutio, est facilis, supposito duplici ordine perspecto ex tractatione de fine, nempe ordine intentionis & exsecutionis. Si ergo ordinem intentionis attendamus, nemo non videt priùs fuisse intentam assumptionem integræ humanitatis, quàm partium eius essentialium. Deus enim primò & per se intendit, vt Verbum fieret homo; & quia hoc haberi non poterat, nisi animam figillatim, itémque corpus assumeret, vtramque illam essentialem humanitatis partẽ assumpsit per assumptiones partiales, quod erat medium ad obtinendam totius humanitatis assumptionem accedente ad illas partium cum Verbo vniones, naturali coniunctione partium inter se. Ordine tamen exsecutionis prius ratione facta est vnio partiũ humanitatis cum Verbo, quàm vnio totius humanitatis, quod malè diffitetur Rada controu. 4. art.

4. Ratio

4. Ratio est, quia partes priùs in se esse atque adeo subsistere debuerunt, quàm causare cõpositum, quod ex ipsarum inter se partium naturali vnione resultat. Ergo vnio hæc partium inter seipsas, siue constructio humanitatis, supponit vnionem partium cum Verbo. Multò itaque magis vnio humanitatis cum Verbo, supponit ipsam partium cum Verbo copulationem; quandoquidem humanitas intelligi non potest vnita Verbo nisi præintelligatur esse, quod habet per naturalem partium vnionem inter seipsas, earundem ad Verbum copulatione posteriorem. E contrario verò vnio partium cum Verbo, nec supernaturalem humanitatis cum Verbo, nec ipsarum inter se partium naturalem vnionem supponit.

Nec plura de priore extremo secundæ intra Christum compositionis; ex cuius discussione euanescunt difficultates ductæ è ratione naturali, quæ impossibilitatem assumendi diuinitùs humanitatem monstrare videbantur ex parte humanitatis; allegando indissolubilem naturæ & subsistentiæ nexum, & monstrositatem humanitatis, si suo connaturali complemento spoliaretur; ac denique dependentiam causatiuam à solo Verbo. Liquidò enim patet nullam talem rationem vigere. Nam & separabilitas subsistentiæ ab humanitate substantialiter plena & integra, satis demonstrata est, & dependentiam naturæ à subsistntia non esse effectiuam, aut quomodolibet causatiua, quæ toti Trinitati communis esset, sed meram esse determinationem, est declaratum. Terminatio autem non est causatio, nec est, quod ad omnes diuinas personas referenda censeatur.

Summella doctrinæ propositæ, & eius vsus.

109. Nunc quia extremum hoc primũ huius compositionis, nos satis distinuit, placet iu breuem summellam cogere, quiquid de eo propositum est. Hic igitur esto totius huius tractationis breuiculus. Humana natura conuenienter se habens, hoc est omnes eius partes physicæ cùm essentiales, tùm integrales, eque naturaliter consentaneæ, ac etiam partes eius aliquæ non simpliciter dictæ nominatimque sanguis, (non item spiritus, vngues, & capilli,) salua ereata existentia sine qua assumi nequiuerunt, sola verò suppositalitate connaturali, quam externa necessariò excludit, deficiente, pro capacitate omnibus & solis entibus substantialibus obedientialiter competente ad diuini Verbi subsistentiam sunt euectæ: & quidem si totius spectes omnes æquè primò; si autem congruitatem & rationem assumendi, priùs anima rationalis, quàm caro: si denique prioritatem naturæ, priùs hæ partes secundùm se, quàm ad inuicem vnitæ, vel quod idem est, priùs quam humanitas, quæ tamen omnium prima, in diuina intentione assumpta est.

Vsus huius doctrinæ esse debet, suauiatio verborum Apostoli Hebr. *quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Sanguinem ibi sumi pro anima, existimat creditus Anselmus, eo quod vita animalis sit in sanguine. Sed nihil est necesse sic accipere vocem *sanguinis* in eo Apostoli loco, cum eo ipso, quod caro, cui Verbum communicasse dicitur, est caro humana, satis per eam consignificetur anima. Suspicit ergo Apostolus, & magno quodam pietatis sensu ac gustu considerat quod Deus Verbum, neglectis & non apprehensis, neque à peccato retractis Angelis, vt mox subiungit, fieri voluerit frater hominum communicando partibus omnibus humanitatis, quibus ipsi communicabant, vt omnium veluti contingens omnibus mederetur.

Nec ille pijssimus S. Maximi affectus omittendus ex homillia 3. de Pasch. [Est in illo Christi homine vniuscuiusque nostrum carnis & sanguinis portio. Vbi ergo portio mea, regnat regnare me credo; Vbi dominatur sanguis meus, me sentio dominari, vbi glorificatur caro mea, me glorioſum esse cognosco. Quamuis enim peccator, de hac tamen communione gratiæ non diffidat, quia etsi peccata nos prohibent, substantia nos requirit: & si delicta propria nos excludunt, naturæ communio nos repellit. Nam propter bonitatem diuinitatis, peculiarem nobis Saluator debet affectum; scilicet qma sicut Deus noster in ipso est, ita & sanguis noster in illo est. Misericordiam igitur mihi debet præstare diuinitas, necessitudinem exhibere debet affinitas. Neque enim tam immitis est Dominus, vt obliuiscatur hominis, & non meminerit illus quem ipse gestat, vt quem causa mei susceperit, non eius causa quem susceperit, me requirat. Non inquam tam immitis est Dominus, vt non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua, ait Sanctus Apostolus. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut Christus Ecclesiam. Nihil ergo de venia desperemus fratres; nihil de odio timeamus. Habemus prærogatiuam sanguinis nostri. In Christo enim caro nostra nos diligit. Sumus enim membra eius & caro, sicut dicit: idem B. Apostolus; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.]

CAPVT II.

De Verbo humanitatem assumente

110 EXplodendum est blasphemum nugamentum, eorum qui referente autore homiliæ de Deipa. apud S. Athanasium, dixerunt humanitatem fuisse assumptam à Verbo salutationis Angelicæ. Verbum enim quod substantialiter complere potuit humanitatem, & eam reddere capacem satisfaciendi Deo læso, non potuit esse aër diffractus vel qualitas soni inde enascens, sed sola diuina persona. Igitur hoc est alterum extremum secundæ compositionis Christo internæ, in qua exponenda versamur; proindeque de eo dicendum sequitur. Eò enim rem deduximus, vt constiterit humanitatem ad Verbi subsistentiam fuisse euectam, intelligendo *subsistentiæ* nomine, personam formaliter, quatenus subsistentem, siue suppositalitatem personæ vt sic, constitutiuam, quamuis antiquis vox illa polyonima fuerit, & quod Rusticus libro contra Acephalos ad *medium* ex Nazianzæno, & Ephesina Synodo tradit, interdum ad personam, quandoque verò ad naturam signandam sit vsurpata. Cæterùm hoc quoque, & quod reipsa factum est, & quod de potentia absoluta fieri à Deo potuisset, considerandum erit.

Nihil absolutum terminauit humanitatem. Non enim Deitas.

Primò igitur, spectando quod reipsâ factum est, constare debet, excluso quocunque alio intra Deum, siue absoluto siue relatiuo, solam diuini Verbi personam, quatenus per relatiuam suam subsistentiam constituitur, terminasse humanitatem Christi, sua connaturali subsistentia spoliatam.

Quod nego aliquid absolutum intra Deum, terminasse de facto humanitatem Christi, excludit ab ea terminatione, & naturâ diuinam & subsistentiam quam vocant absolutam. Et quidem quod diuinitas non terminauerit de facto humanitatem, inde perspicuum est, quod solum Verbum sit caro factum. Atqui natura est Patri quoque & Spiritui sancto communis. Accedit diuinæ naturæ incompletio mox explicanda. At quod alterum hypostaticè terminat, & substantialiter consummat, necesse est in eo genere complerum esse

ac termi natum. Quare faceſſat pinguiſſimus error Brentij ac Smidelini, quos Bellarminus l. 3. de Chriſto c. 1. & 8. refert aſſeruiſſe terminum, quo Chriſti humanitas fuit conſummata, fuiſſe diuina attributa, atque adeò diuinam naturam, quæ ab illis attributis ne ratione quidem perfectè præſcindente ſecernitur: Incarnationem verò nihil fuiſſe aliud, quàm diuinorum attributorum, atque adeò etiam diuinæ naturæ vnionem cum humanitate per accidentaria gratiæ dona. Hunc dico eſſe pinguiſſimum errorem, nec vnum ſed geminum. Nam vnionem humanitatis cum extremo diuino factam eſſe per accidentaria tantùm dona gratiæ, eſt merus Neſtorianiſmus. Extremum verò illud diuinum, cui copulata eſt humanitas, ſtatuere diuinam naturam ſiue attributa, idem eſt ac dicere, omnes æquè diuinas perſonas eſſe incarnatas, quod eſſe hæreticum, mox oſtendemus. Quare tatum eſto, formaliter loquendo Deitatem no eſſe incarnatam, nec humanitatem diuinitati eſſe copulatam.

Dixi formaliter loquendo, quia indenticè & mediatè loquendo rectè dicitur diuinam naturam eſſe incarnatam, aut ex Virgine conceptam vel hominem factam. quas locutiones ex ſanctis Auguſtino, Leone, Gelaſio, Ambroſio adductis eorum locis profert S. Fulg. ad q. 2. Ferrandi. Eaſdemque ex D. Athanaſio epiſt. ad Serapionem refert S. Thomas opuſc. 1. c. 17. & 18. ac. 19. Vt miſſũ planè vidatur S. Damaſcenum 3. fid. c. 11. aſſerere à nomine vnquam dictum eſſe, quod Deitas facta ſit homo, vel ſit incarnata aut humanata. Rectè autem obſeruat S. Thomas, locutionum prædictarum ſenſum eſſe, quem dixmus. Quia enim Verbum quâ Verbum non differt à parte rei ab eſſentia diuina, & Verbum quâ Verbũ aſſumpſit humanitatem, propterea in ſenſu identico & materiali, dici poteſt, Deitatem eſſe incarnatam vel ex Virgine conceptam, aut factam hominem: Cæterum in propoſitionibus propriè vſurpatis, non ſpectatur ſenſus identicus ſed formalis. Hic autem in præſenti negotio falſus eſt. Neque enim verum eſt, vnionem humanitatis, terminatam formaliter eſſe ad Deitatem; ſed terminata præcisè eſt ad Verbum quâ Verbum. Quare conſuleius omnino eſt, locutionibus propoſitis eam impropriam vſurpationem continere exiſtimentur, omnino abſtinere, niſi apponatur aliquid quod efficiat ſenſum formalem, vt factum eſt à S. Damaſceno l. 3. fid. c. 11. cum dixit, *Deitatem in vna perſonarum ſuarum, eſſe carni coniunctam.* Quo eodem modo in Concilij Rhemenſis ſymbolo capite vltimo dicitur, *Deitatem vnitam eſſe humanitati in filio.* Refert illud ſymbolum Vaſques i. p. d. 220. c. 2.

Nec ſubſiſtentia abſoluta.

111. Aliud abſolutum intra Deum, quod à terminatione humanitatis excludendum affirmabam, eſt ſubſiſtentia abſoluta, cui Durandus in 3. & 1. q. 2. à n. 7. ad 13. annuente Capreolo ibid q. 1. art. 3. tribuit immediatam terminationem humanitatis in ratione ſubſiſtentiæ, vltra quam terminationem alia adueniat ad perſonam Verbi in ratione perſonæ, duplicem namque vnionem ſupernaturalem diſtinguunt iſti autores in humanitate. Vnam cum natura Verbi provt eſt ſubſiſtens abſolutè, conſtituitque Deum ſubſiſtentem ſubſiſtentia omnibus perſonis communi. Alteram cum his quæ ſunt propria perſonæ in quantum perſona, quæ in diuinis non conſtituitur per ſubſiſtentiam, ſed per eſſe ad aliud. Ita vt per aliud Deus dicatur ſubſiſtens, per illud verò conſtituatur in ratione ſuppoſiti atque perſonæ. Subſiſtit enim per diuinitatem, eſt autem perſona vel ſuppoſitum per proprietatem relatiuam: Contra quàm accidit in perſonis creatis, quæ per idem ſunt ſuppoſita atque perſonæ. Vtramque ergo hanc vnionẽ eſſe admittendam probat Durandus, quia quod vnio ad Deitatem ſubſiſtentem ſit ad myſterium Incarnationis neceſſaria, ex eo patet vt ait n. 8. quod perſona diuina non ſubſiſtit niſi per elientiam, vel ratione eſſentiæ. Atqui diuina perſona terminat primò dependentiam humanitatis per id quo ſubſiſtit, quia hoc eſt per quod primò terminat dependentiam inexiſtentiæ naturæ aſſumptæ. Igitur primò terminat humanitatem per ſubſiſtentiam abſolutam quæ ineſt deitati. Quod autem præterea exigatur vnio ad proprietatem Filij, ſiue ad perſonalitatem eius, quæ eſt forma relatiua, probat Durandus n. 13. qu a ad vnionem perſonalem neceſſaria omnino eſt vnio ad rationem formalem & completiuam diuini ſuppoſiti ſiue diuinæ perſonæ. Atqui ea ratio in diuinis eſt relatiua, vt dictum eſt. Quare vnionem ſupernaturalem humanitatis ad ſubſiſtentiã Verbo & perſonis omnibus diuinis communem, addenda eſt alia ſupernaturalis vnio ad proprietatem relatiuam Verbi diuini, ſecundùm quam perſonalitas eius formaliter completur.

Hanc ſententiam recentiores grauiter notant, nec immerito. Nam ex abulu vocis, inuehit periculoſam nouitatem, quod rem ipſam. Vocis abuſus in eo eſt, quod diuinæ naturæ independentiam à ſubiecto, appelleт ſubſiſtentiam abſolutam. At hoc pacto humanitas Chriſti dici poſſet in ſe ſubſiſtere, qu a ex ſe eſt independens à ſubiecto. Scio pleroſque Scholaſticos, etiam recentiores, ſimiliter loqui, & Deitati, priùs ratione quàm perſonalitatibus ſiue relatiuis proprietatibus afficiatur, tribuere ſubſiſtentiam abſolutam. Ita Suares l. 4. de Trinit. c. 11. &t. 1. ſ. p. d. 11. ſ. 3. Floranentius lib. 2. de Trinit. in Theoria titulo de perſonis in vniuerſum §. *certum eſt* & notat. 21. Fonſ. latè 5. Metaph. c. 8. q. 5. ſ. 7 & 8. Raguſa 3. p. d. 49 & 50. & alij. Modus tamen ille loquendi, infrequentiſſimus eſt in Concilijs & Patribus, vt fatetur Molina 1. p. q. 29. art. 2. d. 3. concl. 2. E contra verò nihil eſt Concilijs & Patribus ſolemnius, quam eſſe tres in Deo ſubſiſtentias. Sic Synodus Conſtatinopol. Epiſt. ad Damaſum Papam, tradit credendam neceſſariò eſſe diuinitatem vnam in tribus perfectiſſimis ſubſiſtentijs Quod etiam habetur in Epiſtola Sophronij, quæ extat in 6. Synodo actio. 11. & approbatur actio. 13. Item in 5. Synodo collat. 8. can. 1. ſub anatheмate definitur vnam eſſe Dei ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentijs. Præterea Ruffinus 1. hiſtor. c. 29. teſtatur in Concilio Alexandrino definitum eſſe dari in Deo vnam ſubſtantiam, & tres ſubſiſtentias. Id quod etiam diſertè habet S. Athanaſius, aut quiuis alius autor ſermonis de Deipara *initio*, ac dialogo contra Anomæos pag. 165. Et Paſchaſ Diaco. l. 1 de Spiritu ſancto c. 4 Quare non immerito dixiſſe videor, per abuſum vocis diuinam à ſubiecto independentiam appellari ſubſiſtentiam abſolutam; cum vera ſubſiſtentiæ ratio, in vltima naturæ terminatione ſit locanda: ea autem vltima terminatio Deitati à aduenіat à proprietatibus relatiuis, non ipſi Deitati ſeipſa conueniat. Hic ergo vocis abuſus, periculi materiam Durando præbuit. Ex eius enim ſententia, vt regè vidit Rada in 3. controu. 1. art. 3. & Val. 3. p. d. 1. q. 3. p. 1. apertè habetur, Patrem quoque & Spiritum ſanctum, carnem eſſe factos. Ea ſiquidem communis ſubſiſtentia, quam Durandus carni copulatam admittit, omnibus æquè perſonis communis eſt. At fides docet ſolum Verbum eſſe carnem factum, vt iam dicam: Illa itaque vnio præuia ad vnionem perſonalem, quam Durandus comminiſcebatur, vt humanitas vniretur ei quod dependentiam inexiſtentiæ eius terminat, explodenda eſt. Nulla enim talis dependentia admitti poteſt præterquàm à perſonalitate relatiua vltimò complente & terminante ſicut inadæquatè Deitatem, ita adæquatè humanitatem.

Sed

Sed sola Verbi subsistentia.

112. Iam nihil in Deo esse relatiuum quod humanitatem terminet præter subsistentiam Verbi, de fide est. Solum quippe verbum est caro factum. Idque de fide est & exploratum apud Christianos nemine refragante. Dixit quidem S. Gregorius hom. in illud *mittentes Iudæi Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem.* [Inuestigare enim quis potest quomodo corporatur Verbum, quomodo summus & vinificator spiritus intra vterum matris animatur.] Quæ verba tacito S. Gregorij nomine vsurpauit Rupertus l. 3. de diuinis offic. c. 11. & idcirco patuit criminationi, quasi dixisset Spiritum sanctum fuisse incarnatum in B. Virginis vtero. Sed ridicula est calumnia, quam idem Rupert. l. 1. in reg. S. Benedicti refellit vt insulsam & vanam, cum constet S. Gregorium agere de Spiritu vinificatore qui est ipsa persona Verbi. Nam Verbum quoque spiritus est, & quidem dans vitam mundo. Itaque ratum esto, solum Verbum esse carnem factum. Meritoque ob hanc causam Gerso 4. p. serm. de Natiu. Dom. improbat imagines quasdam absæ Lutetiæ visas, quibus Deipara exhibebatur, gestans in vtero totam Augustissimam Triadem. Visam quoque abs se huiusmodi imaginem ex Francia allatam scribit Molanus lib. 2. de imag. cap. 4. & meritò talem picturam improbat tamquam dissentaneam fidei quæ solum Verbum docet incarnatum. Pater autem & Spiritus sanctus, quamuis ad Verbi incarnationem sint effectiuè cooperati, non sunt tamen incarnati. Quod aliter dixit Dur. in 3. d. 1. q. 2. n. 6. vnam quidem diuinam personam non posse incarnari absque alia, & ideo Patrem quoque & Spiritum sanctum incarnasse Verbum, id est incarnationem fecisse: Incarnari autem Verbi solius esse, seclusis alijs diuinis personis.

Celebertimus in eam rem est locus S. Dionysij l. de Div. nom. c. 2. p. 1. vbi de coniunctione & discretione intra Deum fusè disserit. [Secundum nos, (inquit,) atque ex nobis integrè & verè substantiam sumpsit supersubstantiale Verbum, eaque & gessit & pertulit quæ sunt humanæ ipsius assumptionis electa atque præcipua. His enim neque Pater, neque Spiritus vlla ratione communicat, nisi forte quis asserat benignitate clementiaque, & communione voluntatis, atque in omni supereminentissima & ineffabili operatione diuina, (quam homo pro nobis factus adimpleuit, immutabilis profectò Deus & Dei Verbum,) illos quoque accessisse consortes. In hunc nos modum diuina & connectere & distinguere oratione studemus, sicuti diuina ipsa & coniuncta profectò & discreta sunt.] Quod ait Patrem & Spiritum non communicare assumptioni humanitatis nisi secundùm benignissimam voluntatem, perinde est ac si diceret, eos concurrisse ad eam efficienter, producendo effectiuè vnionem humanitatis ad Verbum, quia operationes ad extra, cum fiant per omnipotentiam à voluntate applicatam, sunt omnibus personis communes, tamen non concurrisse terminando hypostaticè, & quasi informando humanitatem, quod fecit Verbum solum. Laudatur hic Dionysij locus in 6. Synodo act. 10. 8. *sub finem*, eiusque per hæreticos Monothelitas ex primigenio diabolico facta truncatio cum detestatione refertur. Anastasius quoque Sinaita eundem locum ex Seueriano Gabalitano versat c. 16 ὁδηγῷ & luculenter toto c. 24. vbi expensis verbis illis, *His neque Pater neque Spiritus sanctus vlla ratione communicant*, sic exclamat. [Erubescat Seuerus, erubescant Dioscorus, Timotheus, & Eutyches. Erubescant Theodosius, & Iacobus. Erubescat decicornis illa Antichristi cohors: quæ dicit, omnia quæ de Christo dicuntur, conuenire in totam Trinitatem. Ecce Apostolicum illud vniuersi orbis lumen Dionysius, disertè profitetur, eorum quæ Christus in carne & per carnem gessit, vel assumpsit, Deum Patrem & Spiritum sanctum nullo pacto participem factum esse: nisi fortè quis asserat, (inquit,) benignitate, clementia, & communione voluntatis. Solo, inquit, consilio, beneplacito & approbatione Pater & Spiritus sanctus communicarunt de ratione & modo incarnationis Christi: Secundum proprias verò hypostases, nihil omnino participarunt de illis quæ Verbum incarnatum ex Virgine assumpsit.]

Quomodò plenitudo Deitatis, dicta in Christo habitasse.

113. Videtur in contrarium esse Apostolus Coloss. 2. explicatissimè tradens, inhabitasse in Christo omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter. Quibus enim alijs verbis explicatiùs tradere potuisset totius sanctissimæ Trinitatis corporalem cum humanitate nexum; Verùm hic locus non vno modo expositus est l. 1. agendo contra Nestorium, monstratumque realem illam ac solidam, nec vlteriùs vmbraticam totius diuinitatis in Christo inhabitationem, accipi posse vel de mediata totius diuinitatis, atque adeo etiam Trinitatis existentia in humanitate immediatè assumpta per solum Verbum. Quæ est interpretatio Dionysij Alexandrini in Epist. contra Paulum Samosatenum ad quæst. eius 7. vel de mediata, hoc est per Verbum vnitum facta Deitatis tantùm & absolutorum attributorum sapientiæ, potentiæ, bonitatis, ac cæterorum existentia in Christo, vt latè prosequitur Anastasius cap. 17. ὁδηγῷ, & egregiè apud eundem c. 16 Seuerianus Episcopus Gabalorum sermone in hoc Apostoli dictum. Præfatus enim Diuinitatem esse supra omne, & supra plenitudinem, cum non sit quanta, subdit. [Quomodò igitur accipiemus omnem in Christo plenitudinem? Etenim ipse etiam dixit: *Quia solus non sum, sed Pater meus mecum est, Et Spiritus Domini super me, propter quod & vnxit me.* Quid ergo dicemus; Num plenitudo trium hypostaseon, caro personaliter facta est & habitauit in nobis? Nam Verbum caro factum apparuit in terra. Sed cùm voluntate missuque Patris & Spiritus sancti operatione & obumbratione, mysterium Incarnationis peractum sit; ea propter in ipso dicitur esse omnis plenitudo diuinitatis, cum omnibus naturalibus proprietatibus non personalibus; sed diuinæ Trinitatis naturæ communibus. Neque enim ingenita Patris persona, incarnata est: neque Spiritus sancti procedens hypostasis, sed inseparabile Trinitatis mysterium.] Sicut anterior huius loci pars, manifestè attestatur veritati propositæ, ita postrema verba non vacant difficultate contra eam veritatem. Ideoque ne Seuerianus & sibi ipsi hoc eodem loco, & veritati Catholicæ aduersetur, exponit eum Gretserus ibi de incarnatione totius Trinitatis in Filio ac per Filium. Sed non est ea glossa necessaria, potestque aliter facilè tolli difficultas, & apparens pugna remoueri. Seueriani enim sensus non est quod inseparabile Trinitatis mysterium sit incarnatum, sed quod solum quidem Verbum sit incarnatum, Pater tamen & Spiritus sanctus ob personarum inseparabilitatem abesse ab humanitate assumpta nequiuerint, ideoque ipsi quoque in ea habitarint corporaliter, non susceptione, sed maiestate, vt S. Augustinus scitè dixit serm. 3. de temp. Incarnatio enim est specialis titulus, quo Pater & Spiritus sanctus, si per impossibile immensi non essent, adigerentur non abesse localiter ab humanitate Verbo coniuncta. Quod malè inficiatur Aluares 3. p. d. 20. & Rada. in 3. contr. 1. art. 6. [Carnem enim Christi, (vt Augustinus supra ait,) deserere non potuerunt, quando in diuinitatis vnitate manserunt.] Item S. Leo serm. 17. de Passio. c. 1. [Non ergo aberat à Patre Filius, nec

à Filio Pater: & illa Deitas incommutabilis & inſeparabilis Trinitas, nihil ſui poterat à ſe habere diſcretum. Quamuis enim ſuſceptæ incarnationis diſpenſatio ad vnigenitum Dei filium propriè pertineret, ſic tamen Pater non abiungebatur à Filio, quemadmodum caro non diuidebatur à Verbo.] Senſum quem tradidi eſſe germanum Seueriani ſenſum declarant verba ſequentia. Addit enim. [Sic & S. Legoniſius dixit, in Chriſto eſſe Patrem & Filium ſecundùm communem voluntatem, vel ſecundùm beneplacitum & approbationem: neque ſicut Abraham & Iſaac, & Iacob, ita & Pater & Filius & Spiritus ſanctus locali circumſcriptione & diuiſione tanquam tribus ſedibus ſeparantur & ſeiunguntur, quia Trinitatis myſterium à ſe mutuo indiuiſum eſt indiſcretúmque ac prorſus indiuulſum. Sed cum in aduentu & apparitione Verbi, Filius qui & Verbum factus ſit Chriſtus; hoc eſt vnctus; is autem qui eum vnxit fuerit Pater; chriſma verò ſeu vnguen, ipſe Spiritus ſanctus; idcirco dicitur, *in illo, omnis plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter.* Etenim in quouis qui efficitur Chriſtus, hoc eſt vnctus, trium actio & concurſus requiritur: nimirùm vngentis, vncti, & vnguenti, quæ licet hypoſtaticè ſimul non vniantur, mutua tamen operatione coniunguntur.] Ex his ergo quæ à Seueriano ſunt diſputata perſpicuum omnino eſt, quàm locus Apoſtoli propoſitus, non labefactat Catholicam veritatem de ſolius Verbi incarnatione.

Multò minus eam quatiunt affinia quorundam Patrum teſtimonia, quibus dicitur totum Deum aſſumpſiſſe humanitatem: Cuiuſmodi eſt illud Chryſologi ſerm. 70. [Homo redi ad Deum ſic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te qui ſe totum propter te, ad ſuam deduxit iniuriam.] Hæc enim de ſolo toto Filio, & de totalitate Deitatis, ſiue plenitudine Filio competente, ſunt accipienda. Qua eadem ratione exponendum eſt illud S. Fulgentij lib. 3. ad Traſim. c. 7. [Plenus Deus, vnitus humanitati.]

Identitas perſonarum in eſſentia, cohæret cum ſolius Verbi incarnatione, contra Sabellianos.

114. Acriùs pungit ratio, quæ pleroſque hæreticos abripuit in errorem ducta ex identitate eſſentiæ trium diuinarum perſonarum. Nam ſi eadem eſt Patris ac Filij, & Spiritus ſancti eſſentia, vt fert Catholica doctrina, quomodo potuit Filius ſolus incarnari nõ incarnato Patre qui vna res & vna eſſentia ſunt? Ad hunc ſcopulum alliſi ſunt Sabelliani, Arriani Monophyſitæ. Et Sabelliani quidem hinc quoque præſidium petebant ad firmandam confuſionem perſonarum quam inuehebant. Et idcirco à Romanis, vt eſt in profeſſione fidei Epiſcoporum Orientalium relata à Nicephoro lib. 3. c. 11. Patripaſſiani dicti ſunt latè in Praxea, primò apud Latinos, erroris illius diſſeminatore, caſtigati à Tertulliano l. aduerſus eundem Praxeam toto.

Hic error ruit ſtabilita Triade perſonarum, quam iſti perperàm inficiabantur. Certum quippe eſt, Sabellianos eos ipſos fuiſſe, quos Latini (vt iam olim S. Cyprianus epiſtola ad Iubaianum) vocarunt Patripaſſianos, quamuis Pamelius ibi eos diſtinguat. Sed quod dixi, traditur diſertè à S. Fulgentio l. contra ſerm. Faſtid. c. 11. Eſto veriſſimum ſit iam olim Praxeam, ac etiam longè antea aliquos, tempore S. Ignatij vt ipſe teſtatur epiſtola ad Philippenſes, ex eodem fundamento, cui malè poſtea innixus eſt Sabellius, confuſionis ſcilicet perſonarum, effutiuiſſe Patrem paſſum eſſe. Id ipſum in Noëto Sabellij magiſtro per Epigonium quendam decepto, iuxta Theodoretum lib. 3. hæret. fabul. acriter refellit Hyppolitus homilia contra Noëtum, vbi Noëti argumenta pro Patre paſſo, refert fuiſſe tantum ea Scripturæ loca, quibus Dei vnitas aſſeritur, at vnitas eſſentiæ probè cohæret cum perſonarum multiplicitate. Itaque error de Patre incarnato & paſſo, æquè ac Filio, perperàm in Scripturis illis fundatur. Viget eum errorem potenter Prudentius in Apotheoſi toto poëmate 1.

Arriani, malè hinc infeſti Catholicis.

115. Venio ad Arrianos, qui ex eo quod Verbum ſolum ſit incarnatum, colligebant eſſentialem Patris ac Filij diuerſitatem. Nam ſi eſſent eſſentialiter iidem, impoſſibile cenſebant defugere incarnationem Patris æquè ac Filij. Audi Faſtidioſum Arrianum, eo ſermone, quem S. Fulgentius confutauit, & eius refutationi præmittitur. [Si Filius de quo Euangeliſta dicit, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, obuelata pauliſper diuinitatis potentia, thalamun virginalis vteri ſolus ingreſſus eſt; procul dubiò ſeparatus à Patre & Spiritu ſancto eſt: ſed ab vno nullatenus potuit Trinitas ſeparari, quam conſtat omnino non diuidi, ſecundum ipſorum abſurditatem. Ergo tota Trinitas carnem aſſumpſit, tota Trinitas paſſionum iniurias ſenſit, tota Trinitas in ſepulchro iacuit, tota Trinitas inferos penetrauit, tota Trinitas tertia die à mortuis reſurrexit, tota Trinitas quadrageſima die in cælos aſcendit. Et ad cuius dexteram tota Trinitas ſedet? Vel quem Spiritum die Pentecoſtes tota Trinitas in Apoſtolos miſit? aut cui Deo tota Trinitas in cælo dicere potuit, *Deus meus quare dereliquiſti me?* vel cui Patris tota Trinitas air *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum?* Si poſſunt, edicant. Quod ſi dicere nequeunt, ipſi ſe propriis iaculis permunt, qui Trinitatem inſeparabilem eſſe contendunt.]

Hanc blaſphemiam conuellunt ſufficienter illa S. Fulgentij contra eum ſermonem cap. 11. [Non tota Trinitas carnem aſſumpſit, nec tota Trinitas paſſionum iniurias ſenſit, neque tota Trinitas in ſepulchro iacuit, neque tota Trinitas infernum penetrauit; neque tota Trinitas tertio die à mortuis reſurrexit? & ſi quæ ſunt alia, quæ conuincantur in ſacramento illo incarnationis, ad ſolius Filij pertinere perſonam. Hæc enim quæ Catholicæ veritati Faſtidioſus plena falſitatis, & peruerſitatis obiecit, non niſi Sabellianis, id eſt Patripaſſianis, poſſunt veraciter obijci? in quibus reuera illi concluſi atque conuicti deficiunt, qui ſanctæ Trinitatis, ſicut vnam naturam, ſic vnam perſonam prædicare contendunt. Vbi eos ſua peruerſitas conſequenter ad hanc abſurditatem præcipitas, vt natiuitatem quidem diuinam nullatenus credant? natiuitatem verò ſecundùm carnem, nihilominùs paſſionem ac mortem, reſurrectionem quoque ab inferis, & aſcenſionem in cœlum, & omnia illa quæ in ſacramento Incarnationis ad perſonam vnius Filij pertinent, Patri conſequenter aſſignent. Catholica verò Eccleſia diuinitùs inſpirata, tenens fidei veritatem, ſicut nouit vnam naturam ſanctæ Trinitatis aſſerere, ita cautiſſimè ſua tribuit vnicuique perſonæ.] Et mox c. 12. [Humanam naturam, id eſt carnem, rationalemque animam, non à tota Trinitate, ſed à ſolo Filio credimus, confitemúrq; ſuſceptam. In vnitatem quippe perſonæ, non in vnitatem naturæ, Deus vnigenitus carnem ſuſcepit & animam: quia vtique perſona Filij non eſt eadem, quæ Patris eſt, aut Spiritus ſancti. Vnitas ergo perſonæ, manente dumtaxat vtriuſque proprietate ſubſtantiæ ſicut in Chriſto perſonam non fecit duplicem, ſic humanæ naturæ ſuſceptionem, non fecit ſanctæ Trinitati communem. Filio enim Dei, non ſicut eſt vna communiſque cum Patre, & Spiritu ſancto natura, ſic & vna communiſque perſona.] Diſputat contra eumdem errorem plenè, ac planè egregiè, idem Fulgentius ad quæſtionem 2. Ferrandi *poſt med.* & S. Auguſtinus ſerm. 3. de tempore.

Roſcelinus.

Roscelinus, hinc Arrianizans, perstringitur.

116. Ad hunc errorem reuoluebatur Clericus ille Gallus, quem S. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi latè confutat, & l. 2. epist. 35. & 41. Roscelinum dictum esse tradit. Notaui de eo alia in Syntaxi operum D. Anselmi p. 1. ad librum de incarnatione Verbi. Is ergo, vt libro Diui Anselmi c. 1. refertur, ex eo quod solus Filius esset incarnatus, inferebat tres Diuinas personas esse tres res; non transcendentaliter tantùm, (quo pacto multi Scholastici ab ea locutione non abhorruerunt, vt S. Thomas 1. p. q. 3. art. 1. d. 3. & q. 39. art. 3. ad 3. & differtè iam olim Theodorus Abucara opusc. 2.) Sed eo planè modo quo tres Angeli ac tres homines, dicuntur tres res. Hoc ille ex Verbi solius non item Patris ac Spiritus Sancti incarnatione colligebat, vt S. Anselmus refert prædicto libro c. 3. verbis illis. [Si (inquit) tres personæ sunt vna tantùm res, & non sunt tres res, vnaquæque pro se, seperatim sicut tres Angeli, aut tres animæ: ita tamen vt voluntate & potentia omnino sint idem; ergo Pater, & Spiritus Sanctus, cum Filio incarnatus est.] Neruosiùs etiam inferiùs. [Puto quia sic ratiocinatur secum: Si vna & eadé numero res, Deus est, & ipsa eadem est Pater, est & Filius: cùm Filius sit incarnatus, quomodò non & Pater est incarnatus? De vna quippe & eadem re, non est vera simul affirmatio, & eius negatio: sed de alia re affirmare aliquid, & de alia idem ipsum negare, nihil prohibet. Non enim idem, Petrus Apostolus est, & non est Apostolus. Sed est alio nomine idem ipse affirmetur Apostolus, & Simon non est Apostolus, non est vtraque vera enunciatio, sed vna harum falsa. Petrum autem esse Apostolum, & Stephanum non esse Apostolum; quoniam alius est Petrus, & alius est Stephanus, possibile est verum esse. Si ergo eadem numero, & non alia res est Pater, quàm Filius, non est verum affirmari debere aliquid de Filio, & negari de Patre: aut affirmari debere de Patre, de Filio negari. Quidquid igitur est Pater, est & Filius, & quod dicitur de Filio, non debet negari de Patre. Est autem incarnatus Filius: Est ergo incarnatus quoque Pater.] Memorat hunc Roscelini errorem, eiusdem quoque æui scriptor Iuo Carnotensis epist. 7. qua eum coarguit de sacrilega renouatione erroris abiurati Suessione.

Errorem hunc Roscelini S. Anselmus libro illo de incarnatione Verbi c. 3. ostendit niti ruinoso fundamento, nec dumtaxat Patris & Spiritus Sancti æquè ac Filij incarnationem inuehere, sed etiam totum Trinitatis mysterium enertere. Si enim ex eo quod Pater & Filius sint eadem vna essentia ac eatenus vna res, sequitur Filio incarnato Patrem quoque incarnari, igitur inferre similiter indidem licebit, Patrem esse Filium, quia duæ illæ personæ sunt vna res. Inferre inquam licebit Patrem gigni & Filium generare. [Videtis ergo (concludit S. Anselmus) quomodo destruatur fides nostra, secundùm sensum eius, qui putat consequi, Patrem esse cum Filio incarnatum, si vna, & non plures sunt res in Deo personæ plures. Si enim vera est hæc eius consequentia, nõ solùm hoc quod de Patre & Filio dixi; sed in omnibus tribus personis tanta sequetur confusio, vt quidquid de singulis propriè dicitur, de omnibus dicendum communiter sit. Quamobrem non erit, vnde Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio, sint alij ab inuicem; sicut ostendi in Patre & Filio. Quare nec vlla erit ibi relatio, quæ nullatenus ibi est, nisi secundùm hoc quòd alij sunt ab inuicem. Ergo nec plures erunt personæ. Posito namque vnam rem esse tres personas: aut illud non sequitur quod dicit: aut omnia illa simul, quæ dixi, consequentur. Similis namque est in omnibus vis consequentiæ. Cur ergo pergit ad incarnationem, quasi ipsa sola faciat quæstionem, & non potiùs dicit, si tres personæ sunt vna res, non sunt tres personæ.]

Quod autem Roscelinus inter diuinas personas separationem aliquam, qualem inter tres homines & tres Angelos perspectam habemus, inducendam esse colligeret ex hoc mysterio, inde liquet eum germanum fuisse Arrianorum. Quare cadunt in Roscelinum quæ aduersus Arrianos similiter philosophantes disputat S. Fulgentius contra sermo. Fastidiosi. cap. 5. [Homines carnalibus sensibus dediti etiam ipsum Deum non possunt nisi carnaliter cogitare. Et existimant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sic posse ab inuicem separari, sicut ab se homines separãtur; qui sicut distinguuntur modo, & quantitate vniuscuiusque corporis, necesse est ita discernantur & locis; tales autem dum in luto carnis animas voluunt, creatis phantasmatibus suis, & grauati pondere vanitatis, quanto magis in illatum rerum cogitatione versantur, quæ corporeis oculis corpoream ingerunt molem,, tantò minùs possunt ad intelligendam conscendere Deitatem. Nec attendunt à Domino Deo per sanctum Isaiam præcipi, ne de illo sic cogitare velimus, sicut de creaturis, quas ab eo factas nouimus: quia nec ipse sic cogitat, sicut nos homines cogitamus.]

Monophysitæ perperam Catholicis infesti, ex Verbi solius Incarnatione.

117. Tandem Monophysitas, (qui & Acephali, ac Seueriani, propago Eutychetis nequissima,) Anastasius c. 15. ἐξ ἀρχῆς. *initio* inducit dicentes, [Si duas in Christo naturas confiteamur, necessariò debere nos duas sanctissimæ Trinitatis naturas profiteri. Nam quæ quis tribuit Christo, vni ex sanctissima Trinitate, hæc toti Trinitati adscribenda esse.] Hoc argumentum Monophysitarum, non est ex propriis. Nec fuit reuera cur id potiùs cõtra Catholicos à Monophysitis vrgeretur, quàm à quibusuis aliis hæreticis. Vt quid enim Monophysitæ ex duabus Christi naturis colligebant, si Filius incarnatus est, Patrem quoque & Spiritum sanctum incarnari oportuisse; Cùm id potiùs ex vna Christi natura inferre potuisse videantur? Ita monstrant illa Fulgentij contra sermo. Fastid. c. 11. *in fine.* [Filius Dei nos misericorditer redempturus in eo rectè creditur solus assumpsisse, quia humanam naturam non ita suscepit, vt vna in eo fieret natura diuinitatis, & carnis. Neque enim in Christo hoc Deitas potuit esse, quod caro, quia vtraque natura retinente proprietatem suam; fieri non potuit, vt quælibet earum aut esse desineret, aut in alteram omnimoda prorsùs abolitione transiret. Quod si fieret, dignè diceretur à tota Trinitate carnem suscepta, quando carnem suam Filius in illam conuerteret diuinitatem, quam ei cum Pãtre & Spiritu sancto profitemur manere communem.] Sic igitur Monophysitæ, directè, & non ad hominem argumentando, ratiocinari poterant, consequenter ad suum errorem de vna Christi natura, eaque diuina. At quomodo, (vt ex Anastasio retuli,) Monophysitæ vrgerent Catholicos, quasi ex duarum Christi naturarum assertione, sequeretur, incarnato Filio Patrem quoque incarnatum esse; hoc inquam nulla specie verisimilitudinis inferri potest. Quare videtur affirmandum Monophysitas Catholicis infestos fuisse, argumentando tantùm ex communibus, qua ipsi Monophysitæ difficultate se liberabant, concedendo totum, & admittendo totam Trinitatem fuisse incarnatam, quod poterat illis necessarium dictu videri, absorpta humanitate, (iuxta ipsos) & supposita conuersione, naturæ humanæ Christi, in diuinam.

Trisagij, per Fullonem Monophysitam adulteratio, fundata in hoc errore.

118. Ex hac su positione Monophysitarum,& admissa per eos totius sanctissimæ Trinitatis incarnatione, deriuata est impia illa Petri Gnaphæi Fullonis,Antiocheni Pseudopatriarchæ,additio ad Trisagium,quod apud Isaiam delineatum, & vt ex antiquis tradit Baro. anno 446.à sanctis Angelis per tempus Constantinopolitani terræ-motus exauditum in hæc verba. *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis,miserere nobis*, impius ille hac clausula onerabat imò contaminabat & polluebat,*qui passus es pro nobis, miserere nobis.* De quo damnato additamento legendus idem Baro. anno 483. & ex Antiquis S.Damascenus epist. de Trisagio,& varij sanctissimi Præsules datis ad Petrum Fullonem de eo argumento epistolis, quæ extant nuper cusæ Græcè ac Latinè, ad calcem commentariorum Zonaræ monachi in canones Apostolorum. Ibi sæpè legitur, fundamentum Gnaphæi ad hanc nouæ impietatis fabricationem; nempe quod cùm Eupychianismum reducere tentaret; vnámque Christi naturam ex humanitate in Deitatem versa agnosceret, totam Trinitatem carnem factam, passámque adigebatur fateri. Ideóque Trisagio ad totam Trinitatem directo, appendicem illam adiunxit, qua renouationi Eutychianismj iam prostrati viam præstrueret. Multa paucis complexus est Felix Papa III. epist. 2. contra Gnaphæum, sic describens progressum eius in erroribus. [Sit in te hæc fixa damnatio a me. Sic aliquando siquidem dixisti Trinitatem propter nos crucifixam, & non Christum: aliquando verò immortalem Spiritum, Manichæi secutus errorem: aliquando autem hæc fugiens,nostrorum sermonum pignoribus increpatus, Christum post immortalem Spiritum, passionem sustinuisse dixisti,sicut Paulus Samosatenus, & Nestorius, vnum filium diuidentes in dualitatem filiorum; & cum his putasti non immorandum, ad peiora venisti; vt hymni, quos Cherubim cum tremore, Trinitati incessanter emittunt, ad Trinitatem glorificandam non referantur, sed vt totus hymnus ad Filium deducatur; confirmare volens sententiam velut cancrum serpentem, quam aduersus simplices extulisti, & hinc in omnium hæresum laqueos præcipitatus es à veritate declinando, nec prædicando propter nos Christum Crucifixum Vnigenitum Dei Filium, qui in medio Patris & Sancti Spiritus glorificatur.] Hoc ait nihil esse damnabilius,& vsque ad fundamenta blasphemiarum pertingere.Rursus in epistola ad Zenonem Imperatorem.[Petrus, primogenitus Diaboli filius, & qui sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ indignissimè se ingessit, sanctámque Sedem Pontificatus Ignatij martyris polluit, qui Petri dextera Episcopus ordinatus est, Eustathijque Confessoris ac Præsidentis trecentorum decem & octo Patrum,qui in Nicæa conuenerunt, ausus est dicere, non oportere Christum etiam Dei filium nominare secundùm diuinam Saluatoris sanctionem, & traditionem diuinarum Scripturarum, Patrúmque expositionem:sed vnum de Trinitate, passionem pro nobis pertulisse in substantia Deitatis, iuxta Arij,& Apollinaris, Eunomíjque blasphemiam, volens hac voce euacuare salutarem Domini incarnationem, secundùm quam Christus & passionem sublit.Dicitur autem & vnus ex nobis, vt qui Abrahæ semen apprehendit. Augere quoque Deorum pluralitatem nititur: quippe sensus eius, tres introducit Deos,vnum mortuum,& duos viuentes. Soluit etiam consubstantialis nomen, sacráque abijcit Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, & Chalcedonensem, sanctamque Mariam Virginem, nequaquam admittere deprehenditur. Si enim non ex ea incarnatum Verbum homo factum est,quæ necessitas Virginis? & quare ad eam, dixisset Gabriël; *quod ex te nascetur sanctum,vocabitur Filius Dei,& dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius?* Post hæc autem omnia impia, & blasphemiæ suæ præsumptæ,& deprauationem Trisagiæ deprecationis eum illi addere voluit, *Qui crucifixus es pro nobis*,multa inconuenientia effecit, multúmque à nobis & in Christo dilectis fratribus nostris,qui in Oriente sunt,& à venerabili Acacio vestræ regalis & à Deo amatæ ciuitatis, Archiepiscopo admonitus, conuerti noluit.] Missa facio alia multa quæ ibidem habentur de impio illo Fullonis ad Trisagium additamento.

Posset tamen aliter concipi Trisagium, nempe vt non directum ad totam Trinitatem, sed tantùm ad Filium, vt asseruisse Armenos à se factitati, refert Nicon opusc. de erroribus eorumdem Armenorum. Et hoc pacto dubitari viderur posse, an ea additio Catholica esse queat, & pura sceleris. S. Damascenus tota epistola de Trisagio, latè eam Trisagij ad solum Filium directionem impugnat, occasione Abbatis Anastasij,S.Euthymij monasterio præfecti, qui ita sentiebat,& Ioannem Hierosolymitanum Antistitem sibi consentientem proferebat. At S. Damascenus de contraria sibi perspectissima Ioannis Hierosolymitani mente testatus, multis præterea prolatis Patribus, Trisagium ad totam Trinitatem referentibus, vrgénsque præsertim structuram diuini illius cantici præcisè ex triplici sanctificatione, omnino contendit non licere nisi communicando errori Petri Fullonis, additamentum illud apponere, Trisagium referendo ad solum Filium. Fatetur tamen posse crucifixionis mentionem fieri in secunda sanctificatione, quæ ad Filium dirigitur, sic efferendo Trisagium.*Sanctus Deus Pater,sanctus fortis, Filius Dei incarnatus, & crucifixus in carne propter nos, sanctus immortalis Spiritus sanctus:vnus Dominus Sabaoth, miserere nobis.*Theorianus quoque in legatione ad Armenos eam Trisagij ad Filium solum dilectionem, latè improbat. Accedit quod nullus tot Præsulum, qui ad Petrum Fullonem literas dederunt, hanc Trisagij directionem ad solum Filium insinuauit vnquam;cùm tamen ea ratio hominem vesanum à; ciendis turbis retardandi, futura videretur peropportuna.Senserunt ergo esse illicitum,& labe hæretica fordentem.

Additamentum Fullonis, valeret, si solum Verbum spectaret.

118. Nihilominùs suppositа ea ad solum Filium directione, fas esse Trisagium adhibito illo additamento vsurpare, præter Abbatem illum Anastasium, docuit Ephræmius Patriarcha Antiochenus apud Photium Cod.228. pag.774. Idem sensisse magnos Ecclesiæ Doctores tradit Generalis Armeniorũ apud Theorianum in legatione,verbis illis. [Magnorum Ecclesiæ Doctorum auctoritates inueniuntur, quæ soli Filio hymnum illum Trisagij attribuere videntur. Ac sæpè mecum illas equidem considerans, admodum anxius hæsi: adeóque arbitror, eius appendicis auctores, illis permotos auctoritatibus, eam fecisse; nósque docuisse, quoties de sancta Trinitate diuinum illum hymnum canimus, nullam faciendam appendicẽ:at quoties eum de Filio duntaxat pronuntiamus, interdum quidem addendum, *qui crucifixus es propter nos*;interdum verò, *qui resuscitatus es*: vel illud, *qui assumptus es sursum:* nimirum vt pro tempore mysterij, apta quoque subijciatur appendix:& illam vocem, *Deus*;& alteram, *fortis*;& tertiam,*immortalis*;de solo propter nos crucifixo, déque mortuis suscitato, & sursum assumpto Christo Deo nostro, intelligamus.] Profert autem pro hoc vsu Armeniorum è sanctis Patribus Athanasium, Epiphanium, & Chrysostomum. Et quanquam Theorianus, eos non ægrè trahit ad; sensum oppositum, id quod

mox

mus Generalis ipse, Theoriano annuens non diffitetur; tamen nihil reuerati in eo vsu occurrit quod reprehensionem mereatur, hæresimque redoleat. Itaque quanquam non inuitus do, Trisagium si mentem auctorum, (hoc est Seraphiorum,) spectes, ad Trinitatem totam referri id quod coniecturæ ex D. Damasceno propositæ & adducti ab eo Patres suadent; quominus tamen ad Filium solum referri possit, eámque additionem de qua agimus absque noxa subire queat, nihil esse video quod impediat. Posset tamen æque dici ad solum Patrem, vel ad solum Spiritum sanctum & additione alterutri consentanea ac propria, locupleturi, vtcunque de hoc sentiat Generalis Armeniorum vrbis negare ita licere, rectè tamen contendens nequaquam vsum id ferre.

Manuductiones Patrum, ad solius Verbi Incarnationem, salua essentiæ & aliarum personarum diuinarum identitate, monstrandam.

119. Quocirca (concludam enim cum Fulgentio ad q. 2. Ferrandi) [quia inseparabilis est operatio Trinitatis, similem formam quam Vnigenitus Deus accepit, tota Trinitas fecit, quam tamen certum est à tota Trinitate factam, sed ad solam Dei filij pertinere personam. Neque enim sicut est in ea totius Trinitatis vna operatio, sic in ea Trinitatis inuenitur communis acceptio. Etenim proprietas personalis, quia non ipse Pater est qui Filius, nec Spiritus sanctus est, aut ipse Pater, aut Filius, ostendit aliquid à Patre, & Filio & Spiritu sancto factum, quod tamen à Filio inueniatur acceptum. Cuius exemplum rei in creaturis non potest inueniri, quia excepta Trinitate, quæ vnus est naturaliter verus Deus, nulla natura est, quæ in se tres inseparabiles possit habere personas.] Verè id quidem, si semel sit de exemplo exquisitè rem monstrante. Tale quippe nullum est in rebus creatis. Aliqualem tamen manuductionem è nonnullis exemplis humanis adhibent ad hoc instituendum plerique Patres.

S. Fulgentius ibidem, vtitur exemplo carnis & animæ, quæ duæ sunt naturæ, tametsi dimidiatæ ad vnicam hominis personam pertinentes, quarum vtraque communi opere aliquid facit vni duntaxat carni tributum, & ab ea sola acceptum. Nam sola caro nutritur & crescit admoto cibo, quem tamen caro simul & anima communi velut impensa & studio collato, carni adiungunt. Et vice versa cum anima lectionis pabulo saginatur, & anima & caro simul operantur, sola tamen anima lectione per carnis oculos facta reficitur. Alibi hic ipse Pater exemplum adhibet Verbi probati quo spirituale Verbum quasi corporatur: & quamuis simul sit à memoria, cogitatione, & voluntate, à sola tamen cogitatione id est à solo interiore Verbo suscipitur. Loca notauí, tractans Analogiam verbi nostri scripti cum Verbo incarnato.

Sanctus Augustinus serm. 3. de temp. tria alia exempla profert, quæ non erit inutile attigisse, [dicit mihi hæreticus, ergo si vnum sunt, omnes sunt incarnati, non ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud ratio, & tamen in anima est ratio, & vna est anima. Sed aliud anima agit, aliud ratio: anima viuit, ratio sapit. Et ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet sapientia. Et cum vnum sint, anima sola suscipit vitam, ratio sola suscipit sapientiam, & tamen nec anima sine ratione, nec ratio sine anima. Sic & Pater & Filius, licet vnum sint, & vnus Deus sit; ad Christum solum pertinet caro, sicut ad solam rationem pertinet sapientia, licet non recedat ab anima. Ecce aliud, in Sole, calor & splendor in vno radio sunt, sed calor exsiccat, splendor illuminat: aliud suscipit calor, aliud splendor. Et licet calor & splendor ab inuicem non queant separari; suscipit splendor illuminationem, non feruorem; suscipit calor feruorem, non illuminationem: aliud simul, aliud singulares agunt, & tamen ab inuicem non separantur. Sic & Filius suscepit carnem, & non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre: suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate, sed tamen & Pater & Spiritus sanctus non defuit maiestate.] Et paulò post. [Adhuc citharam respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter id esse videntur, ars, manus, & chorda; & tamen vnus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola chorda personat, quæ audiatur. Nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur: sic nec Pater nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit, operatio in tribus constat. Sed quo modo ad solam pertinet chordam soni redditio, sic pertinet ad Christum solum, carnis humanæ susceptio.] Exscripsit verbatim hunc locum ad huius veritatis confirmationem, Antonius Episcopus Constantinensis, (Honoratum nominat Gennadius c. 95. de Viris illustr.) Epistola ad Arcadium Hispanum, actum à Genserico in exilium.

Sanctus Anselmus l. de Incarnat. Verbi c. 7. adhibet exemplum fontis, riui, & lacus, quæ & tria & vnum esse vere demonstrat. Ideóque adumbrandæ sanctissimæ Triadi, accommodata videntur. Quod si riuus per fistulam currat à fonte vsque ad lacum, idem quidem erit fons, & riuus, & lacus; & tamen solus riuus, vt S. Anselmus loquitur, infistulatus dici poterit: [Sic (inquit) solus filius incarnatus est, licet non alius sit Deus, quàm Pater & Spiritus sanctus.]

Cur Verbum potiùs, humanitatem assumpserit.

120. Sic constituta Catholica veritate de humanitate assumpta de facto per solam Verbi personam, illud statim suboritur dubium, cur Verbum potiùs quàm Pater aut Spiritus sanctus, humanitatem assumpserit. Verùm id si exactè de eo pronunciandum sit, ex mera Dei voluntate profectum est Nobis enim & Deo ad offensæ illatæ reparationem, perinde fuisset incarnari aliam quamcunque augustissimæ Trinitatis personam, vt infra dicam agens de fine Christi. Quod ergo Verbum potiùs incarnatum sit, quàm Pater aut Spiritus sanctus, ex mero Dei arbitrio accidit. Tantùm congruentiæ quædam non incommodæ proferri possunt, quibus rationabilis semper Dei voluntas, ad filij potiùs quàm vllius alterius personæ humanationem determinata monstretur. Nec plus probant, quæcunque in hanc rem differunt cùm Scholastici, tùm Patres. Ex Scholasticis quidem S. Thomas 3 p. q. 3. art. 8. & l. 4. contra gentes c. 42. & plerique apud Cartus. in 3. d. 1. q. 3. Item Gulielmus Paris. l. cur Deus homo c. 8. & Turrecremata in qq. Euang. ad Dominicam primam aduentus attic. 3. Ex Patribus verò Bernardus hom. 1. de aduentu. Richardus Victor. l. de incar. ad S. Bernardum à c. 9. Anastas. c. 16. *ὁδηγὸς in fine* ex antiquo quodam Patre. Innoc. III. serm. 1. de aduentu. Anselmus lib. de Incar. Verbi c. 4. & l. 2. cur Deus homo c. 9. Vbi rationes priore loco plenius expressas compendio sic repræsentat. [Si quælibet alia persona incarnetur, erunt duo Filij in Trinitate, filius scilicet Dei, qui & ante incarnationem Filius est, & ille, qui per incarnationē filius erit Virginis: & erit in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundùm dignitatē natiuitatū, digniorem nāque natiuitatē habebit natus ex Deo, quàm natus ex Virgine. Item, si Pater fuerit incarnatus, erūt duo nepotes in Trinitate: quia Pater erit nepos parentū Virginis, quia Filij eius erit Filius: Quę omnia incōuenientia sunt, nec in incarnatione Verbi contingūt. Est & aliud, cur magis conueniat incarnari Filio, quàm aliis personis: quia conuenientiùs sonat, filium suppli-

care Patri,quàm aliam personam alij. Item homo, pro quo erat oraturus, & Diabolus, quem erat expugnaturus, ambo falsam similitudinem Dei per propriam voluntatem præsumpserant, vnde quasi specialius aduersus personam Filij peccauerant, qui vera Patris similitudo creditur. Illi itaque, cui specialiùs fit iniuria, conuenientiùs attribuitur culpæ vindicta aut indulgentia.] Optimè item Sanctus Leo serm.12.de Passio. c.2. [In hoc ineffabili vnitate Trinitatis,cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia, reparationem humani generis, propriè Filij persona suscepit:vt quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil,quippe plasmatum de limo terę hominem, flatu vitæ rationalis animauit, idem naturam ab æternitatis arce deiectam, amissæ restitueret dignitati, & cuius erat conditor, esset etiam reformator: sic consilium suum dirigens in effectum,vt ad dominationem Diaboli destruendam, magis vteretur iustitia rationis quàm potestate virtutis.]

In eandem sententiam concinnè omnino Philosophatur Iobius l. 1. de œconomia, c.1. compendio exhibitus à Photio art.222. His Verbis. [Quando Filius Verbum est, & homo Verbo atque imagine Dei olim cohonestatus, hisce postea excidit, comparatusque est iumentis insipientibus, & similis factus est ipsis:propterea nimirum Verbum ad eos, qui in irrationabilitatem lapsi erant, accessit, ruinam nostram reparans, ac nos in pristinam dignitatem postliminio reuocans. *Verbum* enim, (inquit) *caro factum est*, (id est nostrã naturam in irrationabilitatem prolapsam, & nihil iam intelligentiæ habentem, sed totam ad ea, quæ carnis sunt, inclinatam, assumpsit;) & habitauit in nobis. Nam hanc etiam ob causam,ait,virgineos recens sinus egressum Verbum,excepit præsepium,brutorum mensa, bobus atque asinis alimentum præbens. Bobus quidem, quod puri cùm sint, veteris populi Israëlis symbolum præferant: asinis verò, quòd ob impuritatem,gentium cætum repræsentent:quos vtrósque iam opere atque opinionibus in irrationabilitatem illapsos, Verbum reuocauit.] Pluribus hunc Verbi aduentum ad tollendam hominis irrationabilitatem prosequitur sequentibus eiusdem libri capitibus Iobius, attigitque præclarè eandem rationem S. Athanasius orat.in dictum illud Christi, *omnia mihi tradita sunt*. Sic enim loquitur. [Dedit Verbo Pater hominem, vt ipsum Verbum caro fieret, carnemque assumptam in omnibus instauraret. Tradita enim sunt illi,vt medico qui sanaret morsum serpentis: & vt vitæ, qui excitaret mortuum;& vt luci,quo illuminaret tenebras:& vt rationi,quæ redintegraret vim rationalem.Postquàm igitur illi tradita sunt omnia,& factus est homo,correcta sunt omnia,& profecta.] Eleganter in hanc rem disserit Ioannes Geometra Lucæ 1. ad v.37. descriptus in Catena Corderij. Profert pleraque huiusmodi ex grauissimis Patribus, Heribertus Rosuedius tabula 1. pro Baronio,refellens Coquinarium Theologum de Rhetore Consulem è Caluini hara,qui illam quam protulimus Iobi ratiocinationem, *lusum ac iocos in re seria*, nominare non erubuerat.

Verbum,per Incarnationem,non est mutatum.

121. Verùm hæc facilia sunt. Illud potiùs ex dictis eruendum videtur, ex modo quo dictum est subsistentiam Verbi se habuisse ad humanitatem, perspicuam liquere, Verbum citra vllam sui mutationem ac imperfectionem assumpsisse humanitatem, ac proinde argumenta contra Incarnationis possibilitatem petita ex parte mutationis & imperfectionis Verbo aduenturæ,inania esse.Verbum enim vt ex hactenus dictis liquet, non se habet ad humanitatem vt forma actuans humanitatem, qua ratione mutaretur; sed se habet ad eam vt terminus, extrinsecùs perficiens & complens naturam humanam, nullo sibi aduenìente intrinseco, quo aliter se habeat quàm priùs, quod vnum est mutari. Omnino verò exsibilandi sunt nonnulli, quos Ocham refert in Centilogio concl.12. ad 11. affirmantes, Verbum in Incarnatione esse mutatum, eò quod censerent nihil esse incommodi admittere intra Deum mutationem non includentem imperfectionem,cuiusmodi aiebant esse mutationem ex assumptione alicuius naturæ in vnitatem diuini suppositi aut mutationem ex naturæ sic assumptæ dimissione. Quod si vrgeres ex ea doctrina sequi Verbum esse in potentia ad aliquid habendum, respondebant, id non modò esse possibile, sed etiam necessariò admitti oportere, cùm constet, Deum ante mundi creationem fuisse in potentia ad habendum seruum,quem tunc nullum habuit;adeptus verò posteà est, producto iam mundo. Hos duos exsibilandos esse, quia tametsi fortassis quoad rem ipsam non discrepent à veritate, tamen modus loquendi est intolerabilis. Quis enim sobrius, Deo contestanti se non mutari, & non esse Deum sicut hominem vt mutetur,impingat mentitionem?

122. Mutatio verò, quam à Christianis in Deum inuectam blaterabat Celsus Epicuræus ex eo quod dicant Deum de cœlis descendisse,indigna est,quæ refellatur.Multis eam reijcit, qui eam retulit Origenes l.4. contra Celsum *fere initio*,& *ante mediũ*,turfusque *initio libri quinti*. Sed non est longa confutatione tantæ imperitiæ opus. Nemo enim Christianorum, descendisse Deum de cœlis localiter,vnquam est imaginatus. Sed qui sapiunt, descensum intelligunt condescensionem. Item egregiè expressit S. Athanasius in calce orationis contra gregales Sabellij sic eorum obiectionem referens. [Alias item nobis controuersias excitant, & Iudæorum blasphemias inferunt, irridentes mysterium emissionis & incarnationis Verbi. Nam si emittitur, (inquiunt,) & descendit,nõ est cum eo qui ipsũ emittit; neque ei qui rursum manet,cohæret.] En hæreticorum aduersus hoc mysterium, absonas voces. Sequitur earum depulsio per B.Athanasium. [Discant igitur sursum illud, & in alto esse, non corporaliter duntaxat audiendum,sed noua ratione intelligendum esse. Quoniam illud dictum, quò fertur *sublimis super omnes gentes*;& illud item, *Exaltabo te Domine*;Rursus & illud, *Laudabilis & superexaltatus in sæcula*, nõ in loco quopiã & sublimi Dominum constituunt, neque Dominũ ab hominibus euehi describunt,aut ab aliis,qui eũ laudibus extollunt, sursum extolli;sed maiestatem inuisibilis Deitatis,sublimitatem vocant.Et is qui dicit, *Cælum cœli Domino,terram autem dedit filijs hominum*,non pro loco domicilij cœlum adsortitur Domino, & hominibus terram; sed excellentiam Dei, magnificentiámque, oculis subijcit. Cum igitur maiestas & magnificentia in Deo, supercœleste quiddam nominatur: id quod huic contrarium est, humiliterrenum dicatur, & in terris versari; facillimè comperis, descensum Verbi,inclinationem esse ex incorporali maiestate ad vilitatem corporis,cùm seipsum dederit in corporalem speciem, humani generis amore. Ne igitur corporales istæ voces, hoc est *descensio*, & *emissio*, ad inficiandam eius incarnationem producantur, quoniam localiter neque descendit Deus neque emittitur: sed audiant Apostolum id negotij & eiusmodi comparationes metaphorasque explicantẽ: *Non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo,sed seipsum exinaniuit,formã serui accipiens, in similitudinẽ hominũ factus*. Hoc enim est descẽdere,hoc est emitti,induiq; in amiculũ vilius, quàm pro ipsius dignitate. Descensus item, humanæ speciei superinductio atq; inuestatio est,secundùm Patris voluntatẽ instituta. Quod si loco & corpore Verbum non circumscribitur, non accelletur ab incorporali Patre ob corporis sui attemperamentum: nam excepit

cepit eum volentem corpus, quatenus idonea est humana natura Deum susc ipere : manet nihilominus in sua ipsius natura quæ ante Incarnationem fuit. Quamobrem descensus è cœlo, non fuit digressio è cœlo: neque item emissio è cœlo, segregatio à Patre.]

Non fuit ergo in Deo transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio propter incarnationem Verbi, quia nihil in se intrinsecum suscepit, nec factum est forma alterius, cum ante non esset, sed merè extrinsecè se habet ad humanitatem assumptam quod Verbi mutationem planè excludit. An verò habuerit Verbum in hoc mysterio rationem partis, indeque in illud imperfectio aliqua aut mutatio sit derivata, dicam plenius, quum de composito per Incarnationem fabrefacto. Nunc satis est dicere, posse Verbum, si lubeat, nominari illius compositi partem, sumpto *partis* nomine pro quocunque pertinente ad alicuius compositi constitutionem, etiamsi absque vllo ordine & naturali ad eam constitutionem habitudine quo pacto varias circa hoc lites de vocibus, bene conciliat Gillius l. 2. tract. 4. c. 11. n. 8. At ex tali partis ratione Verbo tributa, nullum Verbo dedecus illinitur, nulla vel imperfectio vel mutatio refunditur.

Quâ inidoneâ ratione aliqui, mutationem Verbi ex Incarnatione, sint amoliti.

113. Aliam viam mutationis à Verbo in hac re amolendæ iniuit Valent. 3. p. d. 1. q. 1. p. 2. ad 2. d cens, idcirco Verbum per humanitatis assumptionem non esse mutatum quia ante assumptionem, habebat eminentem ac perfectionem humanitatis, quatenus potest eam producere, & absque ea facere, quicquid illa tanquam causa purè efficiens vel coefficiens posset facere. At vt res mutari censeatur, iuxta hunc Autorem nō est satis, vt res de novo sit aliquid, quod priùs aliquo modo non erat, sed necesse est, vt res sit, vel acquirat aliquid, quod neque in se neque in aliqua perfectione eminentiore præhaberet; proindeque ad quod fuerit in potentia passiua simpliciter, quia motus seu mutatio est entis in potentia simpliciter. Vnde res quæ aliquo præstantiori modo, nempe eminenter, aliquid præhabebat, non mutatur propriè, si illud postea acquirat formaliter, quia non simpliciter & absolutè, priùs eo carebat. Quia igitur Verbum diuinum ante humanitatis assumptionem habebat eminenter naturam humanam secundum id quod est in illa perfectio, non autem impefectio, idcirco iuxta autorem, cum quo agimus, Verbum assumendo humanitatem non est mutatum, quia per assumptionem non se habuit simpliciter & absolutè aliter quàm priùs. Idque putat Valentia voluisse S. Cyrillum in Epistola Synodali Concilij Ephesini ad Nestorium, cum dixit, modum vnionis Verbi cum humanitate, non esse intelligendum secundùm appositionem coniunctionis, quasi videlicet aliquid Verbo appositum & adiunctum sit quo prius omni modo caruerit, ac proinde cuius accessione sit mutatum: habebat enim eminenter omnem humanitatis perfectionem, resectis imperfectionibus.

Hæc ratio mutationem à Verbo removendi in incarnatione, non est idonea. Habere namque formaliter, quod priùs formaliter non habebat, sufficit ad veram & propriam mutationem, quæ scilicet sit actus entis in potentia, quia reuera subiectum, quod ante formaliter carebat forma, quam eminenter continebat, suscipit de novo actum formalem ad quem erat in potentia, ac proinde mutatur. Quis enim negaret Solem fore mutandum, si calor quem eminenter continet, adueniret illi formaliter? Aut quis negaret Conradum Vorstium atheorum nostri æui signiferum inuexisse in Deum mutationem, cum novas illi volitiones accedere dixit, quas præhabebat iam ex æternitate eminenter? Omnes sanè Theologi, aduentitias illas formas beatam Dei identitatem & stabilitatem temeraturas procul ablegant, nec censent manere posse indemnem Dei immutabilitatem, ob anteces sionem illam eminentialem. Idem manifestè habetur ex clade simplicitatis per quamcunque formæ novæ inductionem. Eius enim accessu intrinseco exurgit vnum è pluribus adunatis compactum; quæ est compositionis notio & simplicitatis excidium. At quod intrinsecè recipit formam, cuius aduentu desinit esse simplex intrinsecè, quale ante erat, non potest non esse mutatum. Quare immutabilitas Verbi non potest salta manere, nisi abiecta noua hac mutationis notione, teneatur ratio eam explicandi, & à Verbo removendi, quam proposuimus.

Falsa alia Verbi ob Incarnationem imperfectio reiecta.

114. Alia Verbi ex Incarnatione imperfectio, à quibusdam hæreticis, (haud dubiè Arrianis) inuecta, nec commemoratione quidem digna videtur. Memorat tamen eam, & refellit Anastasius lib. 1. in hexaëmeron, verbis illis, post aptatam ad Christum locis procreationem ex Dei imperio. [Accuratè (inquit) & exactè examina, quemadmodū cum superius dixisset; *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Hic non dixit, *Et fecit Deus lucem*, sed *& dixit Deus, fiat lux*, vt discas differētiam creationis & generationis, & vt hæreticorum voces comprimas; qui dicunt Deum Verbum, nolentem & inuitum susc episse incarnationem: & propterea quòd iussum paternum non posset recusare, vt qui Patrem amaret; inuitus tamen, & vt qui nollet repugnare, humanam subijt naturam. Propter hoc ergo & propter eiusmodi vitia, non dixit, *Et fecit lucem*; sed, *fiat lux*. Id enim quod fit, non habet fortasse conuenientiam cum effectu ad quem traducitur, vt quod cum efficiente minimè conueniat: non sic autem se habet generatio. Nam quæ generantur, collætantur cum generatione, alterumque est alteri gratum & acceptum, simulque exultant & petunt perfectionem; Quomodo etiam videmus fœtus exilientes in maternis vteris, & festinare vt eximantur; & in plantis, ramos, folia, flores, fructus lubenter crescere. Dixit ergo *facta est lux*; non autem *fecit lucem*; vt per illud, *facta est*, intelligas voluntatium propriumque & lætabundum Verbi cum Patre beneplacitum in incarnatione, non autem Verbum carnem subijsse coactum & necessitate adductum; inductus à Verbo, *facta est*. Quem etiam videns Pater sic carnem gestantem, lætatus est; Et ideò dicitur, *Et vidit quòd est bona*. Hoc quid erat cur diceretur, si omnia quæ fecit Deus sunt valdè bona.] Itaque exsibilandos decernit Anastasius hos spurcos hæreticos qui fabulabantur blasphemantes Verbum grauatè venisse ad carnis assumptionem ob indignitatem & vilitatem humanæ naturæ. Non est opus, vel fusiùs vel fortiùs, errorem adeò insulsum depellere. [Nec iniuria est, (vt eorum calumniam retundam verbis autoris libri de operibus Christi Card. serm. de baptismo Christi,) sed gratia Dei, si quod minus videtur, digniori ingatur; cum inferior natura contumeliam probrumque peccati non contrahat: nec est minoratio maiestatis, profectio paupertatis, nec altitudinem Dei in aliquo humilitas dispensatoria dehonestat.]

An soli Verbo agendæ gratiæ ob Incarnationem.

115. Eunomius referente Nysseno orat. 11. (*verius* 12.) contra eum, ex constituta humanitatis terminatione per solum Verbum quod inde mutari supponebat, inferebat, soli Verbo non Patri gratias à nobis deberi

deberi ob Incarnationem. Eum sic refellit Nyssenus. [Si ob eam causam Patrem Filio maiorem autumant, quia verus Deus est : eadem ratione Patre maior Filius concedatur, quia hic quidem vera lux, ille non sic cognominatur. Sed hæc quidem lux, inquit, quæ sunt humanitatis, operata est, illa verò ad talem gratiam inefficax & otiosa mansit. Nouus prælationis siue prærogatiuæ modus. Quod otiosum fuit ad beneuolentiam in genus humanum, eo qui operatus est, superius iudicant. Sed neque est, neque erit vnquam inter Christianos notio, per quam præstruatur non omne bonum, quod quidem est eiusmodi, ex Patre causam habere. Bonorum autem nostrorum caput, ad vitam reditio apud prudentes & rectè sentientes creditur. Hæc autem per Domini œconomiam, siue incarnationem, optimè perfecta est & adimpleta, Patre interim non otioso & inefficace, (sicut hæresis cupidè contendit,) tempore œconomiæ siue dispensationis, apud se manente. Non enim hoc demonstrat, qui dixit, *qui misit me, mecum est* ; & *Pater in me manens, hæc opera facit*. Quomodo igitur hæresis, gratiam quæ nostri causa facta est, soli Filio attribuens, gratiarum actionis pro collatis in nos beneficijs, Patrem facit exortem? Solis enim benefactoribus, gratiarum actionis retributio naturali ratione debetur. Qui autem ad conferendum beneficium est impotens, extra numerum est eorum cui gratiæ pro dato beneficio aguntur. Vides vt per omnia, ipsis in contrarium cedit blasphemiæ scopus aduersus vnigenitum, cum ex consequentia in Patrem transeat. Ac mihi videtur, ex necessitate quid tale contingere. Si enim *qui honorificat Filium, honorificat & Patrem*, secundùm diuinum effatum : perspicuum; quod contrarium aduersus Filium studium, ad Patrem habet relationem. Ego autem dico, oportere his qui simpliciùs de cruce & resurrectione præconium acceperunt, æqualis grati animi significationis erga Filium & Patrem, eandem gratiam fundamentum fieri : præsertim cum Filius, Patris voluntatem perfecerit, quæ quidem est, omnes homines saluos fieri, sicut ait Apostolus. Similiter in hac gratia, & Patrem, & Filium honore afficere, quia salus nobis facta non fuisset, nisi bona voluntas Patris per virtutem ipsius, ad operationem ad nos processisset. Virtutem autem Patris Filium esse, ex scriptutis didicimus.] Nihil est necesse, errorem per se manifestum, conuellere pluribus.

Quid potuerit humanitatem assumere, de potentia absoluta. Non Deitas.

125. Sic expedita terminatione humanitatis per Verbum, quod attinet ad illud quod reipsa factum est, sequitur vt eandem terminationem exponamus, attendendo potentiam absolutam. Vt verò eadem vestigia relegamus, statuendum imprimis est, terminum humanitatis extrinsecum non potuisse esse aliquid diuinum absolutum ; atque adeo neque naturam diuinam, neque subsistentiam eius absolutam, potuisse vlla vi assumere humanitatem, eamque hypostaticè terminare. De natura res videtur clara. Natura enim diuina in ratione substantiæ est incompleta & idcirco postulat compleri per tres subsistentias relatiuas, constitutiuas personarum, tãquam per terminum suum adæquatum. Quod autem est substantialiter incompletum, non potest substantialiter complere alterum in ratione substantiæ. Impossibile igitur est, naturam diuinam terminare substantialiter humanitatem, alioqui daret quod nõ haberet. Videri posset id negare D. Thom. 3. p. q. 3. art. 3. quandoquidem proposita quæstione vtrùm abstracta personalitate per intellectum, natura diuina possit assumere, respondet affirmatiuè. Reuera tamen S. Thomas alia omnia cogitauit, tantumque intendit, quod si fingeremus Deitatem vnica personalitate terminari, & carere personalitatibus relatiuis, qualem sibi eam fingunt Iudæi, intelligendam fore in ea vim terminandi hypostaticè humanitatem, quod per se euidens est. Nos autem duntaxat negamus, diuinam naturam præcisa quacunque subsistentia personali, esse terminatiuam humanitatis, quod D. Thomas planè videtur agnoscere, cum ait, esse terminum assumptionis non conuenire naturæ diuinæ, vt natura est, sed id tantùm in naturam cadere ratione personæ. Ita habetur 3. p. q. 3. art. 2 *in corpore*, & ad 2. & q. 4. art. 5. ad 1. Estque communis sententia Doctorum, quam rectè contra quosdam sui æui Doctores statuit Gillebertus serm. 8. in Cant. Nec video quam solide eam naturæ cum natura diuina vnionem immediatam, spectata potentia absoluta, inuexerit denuò Præpositus q. 3. à num. 11.

At quoad subsistentiam absolutam, reclamant permulti, quibus omnino videtur verum, subsistentiam absolutam, cum sit, vera subsistentia diuina, posse fungi munere subsistentiæ creatæ, eamque supplere. Ita Suar. t. 1. 3. p. d. 13. s. 1. concl. 2. Pesantius, 3. p. q. 3. art. 3. disp. 1. Ragusa ibid. disp. 50. §. 1. Rada in 3. contro. 2. art. 3. Floran. l. 2. de Trinitate in Theoria §. de personis in vniuersum & not. 21. & Val. 3. p. d. 143. p. 5. [Dummodo, (inquit) non intelligatur essentia diuina posse assumere aliquam naturam per aliquam subsistentiam absolutam, quam habeat mediam inter subsistentiam, siue existentiam per se suam essentialem, & subsistentias relatiuas personales, sed per hanc ipsam essentialem suam subsistentiam, siue existentiam per se.] Sed hæc limitatio videtur superuacanea. Quotquot enim admittunt subsistentiam absolutam, eo nomine aliud non intelligunt, quàm essentialem existentiam per se Deitatis, nec inter hanc per se existentiam est ntialem, ac personales subsistentias, mediam quampiam subsistentiam fingunt. Et quod Caietano, 3. p. q. 3. art. 3 illud figmentum tribuit Valentia, non placet : cum Caietanus & eo loco, & alijs quibus diuinam subsistentiam absolutam stabilit vt 1. p. q. 3. art. 3. & q. 39. art. 4. nihil habeat ex quo liqueat eius sententiam ad sensum illum falsum esse trahendam, sed omnia, quæ tradit cõmodè possint in eo ipso sensu accipi, quem Valentia admittit præter recentiores allegatos, & aliquos, quos ijdem proferunt, in quibus Scotus, Durandus, Ochamus, Gabriel, Almainus, alijque annumerato non malè inter eos Richardo qui in 1. d. 26. art. 1. q. 1. expressè negat subsistentiam absolutam. Nihilominus enim in 3. d. 1. art. 1. q. 2. agnoscit humanitatem fuisse terminabilem per esse absolutum diuinæ existentiæ, quod vnum contenduñt reliqui.

Nec subsistentia absoluta.

126. Mihi ea sententia falsa videtur, nec nisi ex spurio nomine subsistentiæ absolutæ profecta. Subsistentia enim absoluta, per quendam vocabuli abusum dicta est, per se existentia essentialis, hoc est diuinæ naturæ independentia à subiecto, eiusque distinctio contra accidens. At hæc perfectio diuinæ naturæ, improprijssimè vocatur subsistentia : sic enim in humanitate assumpta esset agnoscenda subsistentia creata, cum certum sit humanitatem Christi esse independentem à subiecto, nec esse entitatem accidentalem. Quomodocunque autem ea Deitatis perfectio appelletur, ratio superiùs proposita ad excludendam vim terminatiuam humanitatis per diuinam naturam, æquè demonstrat talem perfectionem absolutam, vi hypostaticè terminatiua carere, Nam nihil substantialiter interminatum, terminare alia substantialiter potest ; & nihil substantialiter incompletum potest alia substantialiter complere. Atqui diuina natura provt habens eam perfectionem independentiæ & substantialitatis, quam vocant subsistentiam absolutam interminata est ac incompleta substantialiter,

fialiter, alioqui non expectaret completionem & terminationem suam à personalitatibus. Non potest igitur humanitatem complere ac terminare. Quam fuisse antiquorum Scholasticorum communem doctrinam, rectè statuit Vasques 3.p.d.27.c.2.eidem & ipse subscribens, vt & Albertinus coroll.11. ex prædicamento substantiæ dub.2.

Quod si dicas Deitatem personalitatibus præconceptam non modò esse independentem à subiecto, sed etiam à supposito, quæ videtur completa & integra subsistentiæ definitio, ideoque naturam diuinam vt sic perfectè subsistere, & naturam substantialem extraneam ad suum illud esse subsistens assumere ac complere substantialiter posse: Repondendum erit, quod Deitas sit independens ab alio tanquam supposito, non satis esse vt subsistens apelletur, possitque erga alienam naturam munera subsistentis obire, seb necessarium ad id fore vt ipsa in se terminaretur & substantialiter completa esset. At hoc natura diuina non habet, nisi per subsistentias relatiuas, ab ea quidem reipsa indistinctas, tamen virtualiter differentes, quod satis est vt natura sic negetur ex se esse subsistens. Ea siquidem exigentia terminorum virtualiter distinctorum, æquialer dependentiæ naturæ substantialis creatæ à termino connaturali reipsa distincto: Quamuis ob indistinctionem actualem summam personalitatum & naturæ in Deo identitatem, non vocetur dependentia. Quod si per impossibile natura diuina esset capax substantialis dependentiæ externæ, nihil profectò haberet, vi cuius substantialem extrinsecam terminationem excluderet, contra quàm accidit substantiæ cuiuis iam terminatæ. Igitur quia Deitas, vt sic sumpta, intelligitur carens termino interno, ratione cuius sit completa substantialiter, & nihil præterea ad sui perfectam constitutionem deposcens in eo genere, merito negatur esse apta ad complendam, & perfectè constituendam in genere substantiæ aliam externam substantiam v.g. humanitatem, sed id munus tantùm esse potest Deitatis terminatæ per veram aliquam subsistentiam, cuiusmodi in Deo est sola relatiua. Posset quidem diuina natura provt tantùm natura, omnem planè dependentiam effectiuam humanitatis à connaturali suo termino supplere, si aliqua daretur, idque probat argumentum quo Valentia in contrarium vtitur loco allegato. Omnis tamen huiusmodi dependentia humanitatis à connaturali sua subsistentia, est planè commentitia. Et quamuis verè daretur aliqua, effectus tamen formalis subsistentiæ assignandus est longè alius; estque talis, vt in diuinam naturam quatenus subsistentijs relatiuis destitutam, cadere nequeat.

Sed aliæ duæ subsistentiæ increatæ.

127. Ob contrariam verò rationem, aliæ personalitates diuinæ præter eam quam vidimus, terminasse de facto humanitatē, imò personalitates quoque & subsistentiæ creatæ humanitati externæ, potuissent de potentia absoluta terminare substantialiter humanitatem; vna simul personalitate, naturam propriam & alienam terminante, vel etiam pluribus simul externis personalitatibus aut subsistentijs præter proprias naturas, ad vnam quoque alienam naturam terminandam conuenientibus. Reguſtemus ista sigillatim,

Quod diuinæ personalitates Patris & Spiritus sancti æquè possent de potentia absoluta terminare humanitatem ac personalitas Filij, nemo dubitat. Et ratio quæ adduci potest pro subsistentia Filij, nempe quod sit terminus vltimus (inadæquatus tamen) diuinæ naturæ, æquè militat pro duabus aliis subsistentiis diuinis. Perspicuè id agnoscunt Patres, quos magno numero superiùs adduximus, vestigantes cur Verbum potiùs quàm Pater aut Spiritus sanctus, humanitatem terminarit. Non enim rationem petunt ex impossibilitate quæ fuisset expeditissima via complanandi difficultatem: sed congruitates, conquirant quibus demonstrent, etsi idem fieri potuisset per Patrem aut Spiritum sanctum, tamen decentissimum fuisse vt Filius nostræ carnis ostreum subiret, eoque contegeretur. Quod si D. Anselmus lib. de Incarn. Verbi c.4. prolatis incommodis, & vt ipse loquitur, inconuenientibus quæ sequerentur, si Pater aut Spiritus sanctus humanitatem terminasset; addit, oportuisse Filium incarnari. *quoniam quolibet paruum inconueniens, in Deo est impossibile*, non est existimandum mentem D. Anselmi fuisse, Patris ac Filij incarnationem esse impossibilem: sed sensus eius tantùm fuit, congruentissimum fuisse, incarnari potiùs Filium, vt existat illa decentia maior, quæ nobis occurrit in Filij incarnatione, & deesset incarnatis Patre aut Spiritu sancto: quamuis neque vlla tunc existeret indecentia positiua Deo indigna, atque adeò inpossibilem reddens eiusmodi incarnationem, aliarum à Filio personarum diuinarum. Non dissimiliter satisfaciendum est loco Anastasij Sinaitæ c.16 ὁδηγ. qui item obijci posset, cum dicit [Patrum quidam ait; ideo nec Patrem, nec Spiritum sanctum incarnatum esse, sed Filium, ne confusio personalium proprietatum in sanctissima Trinitate existeret. Nam si Pater in terris natus fuisset, iam Pater simul & Filius esset.]

Hæc ratio, quæ vna quoque est rationum S. Anselmi, nequaquam fert secutura aliquam intra Deum cōfusionem personarum, si Pater aut Filius incarnarentur: quo pacto terminatio humanitatis per alias à Verbo personas esset impossibilis. Sicut enim ea interna Deo confusio est impossibilis, ita impossibilis quoque esset ea terminatio. Illud ergo vnum fert locus Anastasij, quasi fretus testimonio alterius Patris, ad vitandam confusionem, quæ in nostris de Deo locutionibus exoriretur, congruentius fuisse vt Filius potiùs, quàm Pater aut Spiritus sanctus incarnaretur? id quod ex his continenter subsequentibus Anastasij verba licet deprehendere. [Quare conuenienter is, qui in cælis est Filius; nascitur etiam filius in terris; vt & post partum seruetur in Trinitate ingenitum Patris, & processio sancti Spiritus.]

Nihil autem vetare, quominus ex aliquo Dei fato existeret in nostris loquendi modi confusio, vnde improuidi occasionem errore arripeernt, indubitatum est, quamuis sapienter Deus illas lapsuum nostrorum occasiones, præcauere & remouere voluerit in hoc negotio.

An etiam subsistentiæ externæ creatæ. Pars negans.

128. Difficilius est nec adeò communiter receptum, quod addebam de possibili humanitatis terminatione per alias quoque personalitates præter diuinas, hoc est subsistentias purè creatas. Passim namque Scholastici id censuerunt impossibile. Ita putatur sensisse D. Thomas 3.p.q.3.art,1.ad2. eò quod ibi dicat terminationem personalem plurium naturarum, esse propriam diuini supositi propter infinitatem eius. Ex quo liquere videtur subsistentiam creatam, quia finita est, nullo modo posse esse capacem terminandi plures naturas. Ita ibi tradunt Thomistæ, quos adducit Aluares 3.p.disp.18.&alij quos proferunt & sequuntur Suares t.1.3.p.d.13.s.4. Ragusa d 48. Vasq.d.25. argumentantes partim ex affixione subsistentiæ creatæ cum propria natura, extra quam prosilire deberet, si alteri naturæ coniungeretur: partim ex natiua vi terminandi incapace augmenti, etiam vi diuina, ac proinde etiam diuinitùs impotente ad terminandum plusquàm naturaliter terminet; partim denique ex eo quod impossibile

bile sit modum vniri modo. At si quæ via pateret ad terminationem hypostaticam alienæ naturæ per suppositum creatum, necesse planè foret poni in natura vnionem modalem respectiuam modi subsistentiæ, eique modo vnitam.

Inter Patres idem disertè tradit Rupertus lib. 11. de Victor. Verbi Dei c. 25. Appendo locum vt argumenta, quibus vtitur, intelligantur & dissoluantur commodiùs. Præfatus ergo Deum summè bonum, summeque potentem; tanquam summè bonum promisisse incarnationem, & eandem esse executum tanquam summè potentem, & sicut summæ bonitatis est, quod hoc facere voluit, ita summæ potentiæ esse, quod hoc facere potuit: hæc inquam præfatus Rupertus subdit. [Diligenter animaduertendum. Solent enim nonnulli dicere; vt quid Dens, Dei Verbum, venit, per semetipsum, & homo factus est ad saluandum genus humanum, cum hoc idem fieri potuisset per alium? Cur non potiùs misit aliquem legatum? Cur non misit Angelum siue Archangelum? Ad hæc inquam; videlicet quia nulli alij nulli nisi soli naturæ diuinitatis hoc fuit vnquam possibile, assumere quod non erat, & manere quod erat. Et vnde illi hoc possibile? Videlicet quia natura vel substantia diuinitatis tanto subtilior est anima rationali, vt eam penetrare possit. Fideliter hoc inter cætera Patres Catholici sumpserunt & scripserunt pro argumento veritatis contra hæreticos, quod Spiritus sanctus æquè vt Pater & Filius Deus sit, quoniam & ipse humanæ animæ est capabilis, & capax eiusdem animæ rationalis. Nisi enim Deus esset, neque humano neque Angelico spiritu capabilis esset. Proinde notandum, quòd quamuis dicatur quis plenus dæmonio, non sic implet hominem ille spiritus, vt penetret animam eius, sed cauernas corporis irrepere potuit; quomodò ebrietas siue febris: animamque deprehensam in suis sedibus, exagitat atque affligit. Solus Deus vnus, Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, cum vult, & prout vult, rationali animæ vel spiritui sese infundit, & in eo mansionem facit. Frustra igitur dicit vel quærit quis, cur nõ Legatum vel Angelum miserit, sed per semetipsum ad saluandum genus humanum venerit Deus, Verbum Dei, quia videlicet naturam induere humanam non potuit, nisi sola natura Dei: vnde sicut bonum, quia voluit, ita omnipotentem prædicamus] similia breuiter habet l. 1. de meditat. mortis c. 12. & lib. de voluntate Dei c. 10.

Eligitur affirmans, binis eius limitationibus reiectis.

129. Contraria sententia, quæ naturæ creatæ terminabilitatem per suppositum alienum creatũ agnoscit possibilem, neque autoritate neque ratione congrua destituitur, mihique probatur, Est in ea inter Scholasticos Ocham in 3. q. 1. *Litera* Y. Baconus in 3. d. 3. q. 1. art. 1. Rubio ibid. distin. 2. q. 2. art. 3. Gabriel in 3. d. 1. q. 2. art. 3. dub. 5. Bassolius quæst. 3. Maior q. 5. Almanus d. 1. q. vnica *in fine*. annuitque ibid. Aureolus q. 3. art. 3. dummodò ratio suppositi, statuatur positiua formaliter. Fauent (tametsi nonnihil ambigui sunt) Franc. à Christo in 3. dist. 1. q. 1 . Ægid. ibid. q. 1. art. 1. & Cartus. d. 2. q. 7. E recentioribus idem nobiscum tradunt Mol. 1. p. q. 5 1. art. 2. disp. 1. *in fine*. Instinia. 2. Thessalo. 2. ad vers. 10. Becanus tract. de incar. c. 4. q. 5. Pesantius 3. p. q. 3. art. 1. disp. 1 Hurtadius d. 11. Metaph. n. 102. Præpositus q. 3. n. 8. Bonac. disp. 1. de incarn. q. 1. p. 5. Antonius Ruuius 1. de gener. c. 4. tra. 3. n. 127.

Subscribunt quoque huic sententiæ inter Scholasticos Val. 3. p. d 1. q. 1. p. 6. & Albertinus Coroll. . de substantia n. 7. sed vterque limitationem adhibet non probandam, Valentia enim restringit hoc placitum ad personas diuinitùs creabiles. Eas vero quæ sunt de facto productæ, impotentes censet, etiam diuina vi ad terminandam alienam naturam. Omnes enim huiusmodi naturæ non habent perfectionem nisi limitatam, atque adeò aptam terminandæ suæ soli naturæ. Sanè vel Deus aliquid perfectionis adderet personalitati creatæ hominis iam productæ, aut Angeli ex ijs qui reipsa creati sunt, vel nihil adderet. Si hoc secundum dicatur, maneret ea personalitas impotens quacunque vi ad terminandam alienam naturam; quia non haberet nisi naturalem perfectionem, quæ naturaliter ad solam propriam naturam terminandam restringitur, præsertim cum subsistentia creata sit modus à natura creata profluens, sitque proinde aptus & proportionatus illi soli. At si dicatur Deum aliquid addere creatæ personalitati, vt terminare alienam naturam possit; vel addet accidens vel substantiam. Liquet non posse addere substantiam, quia enti completo, cuiusmodi est persona, nihil substantiale potest accedere, sed tantùm accidens. Hoc autem ineptum est ad conferendam vim terminatiuam substantialiter, quæ deesse supponebatur, Sic igitur habet prima limitatio sententiæ propositæ adhibita à Valentia. Posterior, quam Albertinus adhibuit, restringit veritatem sententiæ nostræ ad suppositionem, quod subsistentia creata non sit modus, sed res, firma & rata. Si enim sit modus, non putat hic Autor terminationem alienæ naturæ per subsistentiam creatam extrinsecam, fieri posse diuinitùs, quia putat necessarium fore, vt personalitas modalis terminans, prosiliret ad naturam externam, quem prosultum, ob affixionem essentialem modi ad suum modificatum liquet esse planè impossibilem.

Neutra limitatio sententiæ propositæ, est admittenda. Non sanè prior. Nam ratio quæ ad eam confirmandam adhibetur, æque omnes subsistentias diuinitùs producibiles remouet à terminatione humanitatis alienæ, ac eas quæ sunt de facto conditæ. Omnes enim sunt finitæ, & certo perfectionis modulo præditæ, ac proinde, si quæ de facto sunt productæ, ineptæ sunt ad terminandam alienam naturam quia finitæ sunt, perspicuè sequitur omnes itidem, quæ produci diuinitus possunt, ineptas fore ad munus illud, quod & ipsæ quoque finitæ forent. Video dici posse, eas quæ de facto sunt productæ, donatas esse minore perfectionis mensura, quàm sit ea quæ necessaria est ad terminandam alienam naturam, quod perfectionis auctarium posset Deus subsistentijs producibilibus elargiri. Sed hoc inprimis, diuinare est. Vnde enim constare potest, nulli subsistentiæ ex ijs quæ de facto sunt productæ, concessam esse mensuram illam perfectionis quæ necessaria est ad alienam naturam terminandam? Deinde ratio altera aduersarij, si valida esset, monstraret apertè nullam posse produci subsistentiam, cui auctior illa perfectionis mensura conueniat. Nam si sola naturali perfectione gaudeat, soli suæ naturæ sufficiet. Si verò aliquid supra suam naturalem perfectionem accipiat, hoc, (quippe accidentarium,) ad substantiæ terminationem substantialem ineptum erit. Hæc ratio (vt patet) omnes æquè subsistentias non diuinas & finitæ perfectionis, excludit à possibili alienæ naturæ terminatione. Tandem falsò aduersarius supponit plus requiri perfectionis in subsistentia ad terminandam vnam extrinsecam naturam simul cum propria, quàm ad terminandam solam propriam naturam. Id enim falsum esse, mox demonstrabo. Quare prima ista limitatio sententiæ propositæ, repudianda est. Nec magis probanda est limitatio altera. Tametsi enim subsistentia creata non sit nisi modus, tamen æquè potest vnionem externæ naturæ ad ipsam terminare, ac si esset vera res firma & rata. Nec plus necesse est modum prosilire in naturam extrinsecam per eum terminatam, quàm sit necesse prosilire rem firmam.

Approbatur

Approbatur absque limitatione.

130. Vniuersaliter ergo statuendum est, cum aliis quos retulimus, subsistentiam creatam quamcunque, posse alienam naturam suppositare. Quæ videtur plurimorum Patrum sententia fuisse. Nam Origenes tomo 5. in Ioan. ex verbis illis Malachiæ 3. *Ecce ego mitto Angelum meum*, intulit Baptistam non fuisse purum hominem, sed fuisse Angelum corporatum, qui assumpto corpore testimonium Christo perhibiturus venisset. Quod falsitatis quidem arguit S. Cyrillus l. 1. in Ioan. c. 7. & Beda Marci 1. ac in contrarium verba Græci contextus expendens Toletus in c. 1. Ioan. annot. 22. Nemo tamen id impossibilitatis damnauit. Antichristum quoque, futurum esse dæmonem incarnatum, non modò eo sensu, quo id affirmauit Hippolitus orat. de consummatione mundi, ita vt nimirum sit in humanitate phantastica nec nisi apparente; sed etiam eo sensu quem præferunt verba illa *dæmon Incarnatus*, sententia fuit quorumdam, Patrum & Theodoreti l. 5. Epitomes diuin. decreto. cap. de Antichristo, & 5. Cyrilli Hierosol. Catech. 15. *Sub med.* Et quanquam hoc tanquam falsum & scripturis contrarium, meritò explodit Damasc. 4. fidei c. 27. nob tamen ait id esse impossibile. Non semel Tertullianus Angelos qui corporali specie apparuerunt, factos homines absque propriæ substantiæ interitu, atque adeò hypostaticè humanitatem sibi copulasse affirmat. Ita habet l. de resurr. car. c. 62. & luculenter l. de carne Christi c. 3. his præter cætera. [Angelos creatoris, conuersos in effigiem humanam aliquando legisti, & credidisti, & tantam corporis gestasse veritatem, vt & pedes eis lauerit Abraham, & manibus eorum ereptus sit de Sodomitis Loth: conluctatus quoque homini Angelus toto corporis pondere, dimitti desiderauit, ab eo à quo detinebatur. Quod ergo Angelis inferioribus Deo licuit, vti conuersi in corpulentiam humanam, Angeli nihilominus permanerent, hoc tu potentiori Deo auferes, quasi non valuerit Christus verè hominem induere, Deus perseuerare? Aut nunquid & Angeli illi phantasma carnis apparuerunt? sed non audebis hoc dicere.] Nemo hac in parte Tertullianum impugnat quod rem impossibilem asseruerit, sed quod miraculum non necessarium inuexerit. Denique Athanasius q. 20. & vltima ex additis ad quæstiones ad Antiochum, quærens cur Verbum sit carne vestitum vt hominem saluaret, sic philosophatur. [Quemadmodum ipse Diabolus, cùm vellet olim subducere hominem, & paradiso eijcere, non accessit ad Euam forma Diabolica, sed gessit carnem, scilicet serpentem, & sic accessit, & decepit illam: notat enim astutus iste, quòd si accessisset in sola forma Diabolica, nunquam eam decipere potuisset. Et propterea indutus est vt carne, serpente; & propterea forma carniferæ serpentis Euam decepit. Atque serpens quidem apparebat, Diabolus autem non apparebat. Et per apparentem serpentem, efficax erat inuisibilis serpens Diabolus. Duæ enim naturæ in vna persona effecerunt tunc lapsum in maioribus nostris. Et quemadmodum tunc Diabolica forma, & serpentina, duæ naturæ erant in vna persona vnitæ, & vna quidem natura, scilicet serpentina, apparebat; altera verò, nempe Diabolica non apparebat, & eijciebat hominem ex paradiso: Ita etiam in Christo duæ naturæ, in vnam personam, diuina & humana vnitæ sunt; & humanitas quidem apparebat, Deitas autem non apparebat; & per apparentem humanitatem, Deitas inuisibilis efficax erat, & eiectum ex paradiso olim hominem, duæ istæ naturæ, videlicet Deitas & humanitas, in illum vicissim & nunc introduxerunt.] En manifestissimè hypostaticam vnionem creaturæ ad suppositum creatum, ab hoc Authore admissam, falsò licet, si agat de facto. Sylvester Gyraldus Cambrensis in Hiberniæ Typographia dist. 2. c. 19. alia imagine vtitur quam censet esse commodam Incarnationis manuductionem. Refert enim suo tempore coniuges duos per imprecationem S. Natalis Abbatis salua humana natura & personalitate multatos esse adiectione lupinæ ad eam naturæ, ita vt operirentur lupina pelle, quæ reduceretur, vt ductam esse ait à capite mulieris vsque ad vmbilicum, cum grauata morbo, diuino cibo fuit impertienda. Qua narratione diffusè proposita concludit Cambrensis. [Non itaque discredendum est, sed potiùs fide certissima est amplectendum, diuinam naturam pro salute mundi humanam naturam assumpsisse: cum hic solo Dei nutu ad declarandam sui potentiam & vindictam, non minori miraculo humana natura lupinam assumeret.] Hoc exemplum agendo de facto, non puto idoneum. Neque enim verisimile est in ea narratione interuenisse assumptionē naturæ lupinæ per humanas personas. Author tamen qui hoc retulit, censuit eam assumptionem ipsa contigisse. Multò ergo magis agnouit esse possibilem. Quare non videtur ambigendum, quin naturam creatam de potentia absoluta per creatam hypostasim terminari posse, plurimorum sententia tulerit.

Accedit ratio, quia nihil vetat poni diuinitùs in humanitate modum vnionis respectiuum alterius subsistentiæ vel personalitatis creatæ eadem ratione quæ in humanitate Christi positus est modus vnionis respectiuus subsistentiæ Verbi. Terminare enim naturam, non est aliquid in eam influere, sed secluſa omni causalitate modus naturæ extraneæ inditus, eiúsque extrinsecè respectiuus potest eam externæ suppositalitati conferre, & vt per eam compleatur præstare. Quod vsque adeò non excedit vim diuinam, vt non defuerit, qui diceret naturæ viribus id esse possibile vt refert Argent. in 3. d. 1. q. 1. art. 1. §. *Sed contra istam*; sed perperam vt idem Argentina rectè asserit, itémque Durandus eadem dist. q. 5. n. 6. & Cartus. dist. 2. q. 7. tum quia immissio modi vnientis naturam supposito extraneo nó est in potestate agentis naturalis. Tum quia exclusio subsistentiæ cōnaturalis, quæ est proprietas vera naturæ, non potest fieri vi creata & naturali. Posita autem suppositatione extrinseca sequitur necessario exclusio subsistentiæ propriæ, vt in superioribus monstratum est. Præterquàm quod naturaliter rem spectando, non minus arctatur vna subsistentia ad vnam naturam, quàm vna natura ad vnam personam. Nemo autem dixerit vnam naturam esse pluribus subsistentijs terminabilem naturaliter & secluso influxu, supernaturali vim creatam naturalem superante. Neque igitur dici potest, vnam subsistentiam naturaliter posse terminare plures naturas. At spectata diuina vi, nihil est quod obsit terminationi illi natura creata per subsistentiam externam item creatam.

Ad partis negantis firmamenta.

131. Quæ in contrarium adducebantur, leuia sunt. Inprimis verò negandum est in suppositō ad terminādam alienam naturam, exigi vim infinitam, vel etiam entitatem quampiam nouam, & à natiuâ distinctam. Sufficit enim entitas natiua cum concursu extrinseco, quo ponatur vnio ex parte naturæ suppositandæ. Sicut in sententia quæ possibilem agnoscit eleuationem instrumenti naturalis ad producendum supernaturalem effectum, sola natiua entitas adhibito concursu extrinseco indebito, sufficiens est ad extundendum diuinitus effectum supernaturalem ex tali causa: similiter ergo in re præsenti ea quasi causalitas formalis (nec enim verè est formalis causalitas, sed ad eam tantum reducitur & aliquatenus accedit;) ea inquam quasi causalitas formalis, qua subsistentia creata terminat

naturam extraneam, contenta est natiuâ entitate subsistentiæ externæ, accedẽte dumtaxat influxu nouo Dei vnionem producentis in natura, quæ vnionem habet concursus indebiti suppeditati diuinitùs formæ illi extrinsecæ, vt possit præstare, quod concursu, suæ naturali exigentiæ, ac viribus debito, præstare non posset. Quare neque infinita perfectio, neque noua vlla intrinseca vis supra natiuam requiritur in subsistentia creata, vt possit naturam alienam complere: sed sufficit natiua entitas posito modo vnionis in natura terminanda. Ex quo etiam habetur, nihil esse necesse, subsistentiam modalem prosilire à natura propria ad alienam, sed sufficere extrinsecam terminationem à modo perstante in natura, cui essentialiter affigitur & per interiectum modale vinculum iuncto cum natura terminanda. Quod verò obtendebatur, vnionem illam naturæ cum modo subsistentiæ externæ, esse impossibilem, ne detur modus, admodùm inane est. Nam modus potest vniri alteri rei interuentu modalis vinculi diuersæ rationis à modo qui iungitur, & habentis diuersum ab illo effectum formalem. Sic iuxta multos duæ partiales subsistentiæ humanitati, inuicem vniuntur interuentu vnionis. Duæ item partes subsistentiæ materialis iunguntur inter se eadem ratione. Et idem in omnibus modis partialibus locum habet, quoad ipsorum partes coniunctas. Quod si duæ entitates modales rationem extremorum habentes, iungi possunt inter se interposito modali nexu, multò faciliùs videtur, vt natura & modus extrinsecus copulari inter se possint interposito alterius rationis modo, qui suæ naturæ non per aliam modalem entitatem, sed seipso affigatur, vt fert conditio modi, qui est entitas diminuta, exigitque essentialiter fulcrum cui seipso innitatur.

Tandem rationes Ruperti eo reuoluuntur omnes, quod terminatio vnius naturæ per suppositum creatum, non possit fieri absque illapsu creati suppositi in naturam terminandam. Atqui illapsus in creaturam impossibilis habetur cuiuis creaturæ, iuxta Patres è quibus Bernardum Basilium, Paschasium, Fulgentium, Bedam, Ruperto in speciem suffragatos retuli in naturali Theologia dist. 1. n. 50. Verùm hos Patres ibidem exposui num. 59. vel de illapsu per vegetationem & conseruationem, quæ soli Deo conuenit, vel de illapsu per immediatam intellectus & voluntatis creatæ motionem ad actus supernaturales, qui item est alia Dei propria functio. Vtramque Patres, creatis agentibus negant, non spectata possibilitate per vim diuinam obedientialiter operantem, & creaturas assumentem ad illas functiones, quas nunc in nobis se solo exequitur, sed spectato tantùm eò quod fit de facto iuxta regulas diuinæ sapientiæ, & voluntatis, quas impossibile est creaturam de facto prætergredi. Ideóque dicunt Patres, impossibile esse creaturæ talia præstare, nempe creaturæ sui nudis viribus operanti, & in hoc rerum ordine & statu constituto diuinitùs. Nos autem hic agimus de terminatione alienæ naturæ ab aliena subsistentia creata, supra quoscunque naturæ debitum, possibili per vim diuinam, in quo nihil occurrere, quod difficultatem grauem ingerat, satis monstratum est.

Plures subsistentiæ diuinæ, possent eamdem humanitatem assumere.

132. Ex iisdẽ porrò principiis, optimè quoque inferri potest possibilis terminatio vnius naturæ per plures subsistentias, siue diuinas, siue creatas, quam supra admissi; passimque admittunt Doctores, si de diuinis personalitatibus vnam creatam naturam terminantibus, sit sermo. Ita enim habet D. Thomas 3. p. q. 3. art. 6. & ibi interpretes, aliique quos adducunt & sequuntur Val. 3. p. d. 1. q. 3. p. 3. Vasq. d. 29. c. 2. Suares d. 13. s. 2. & Albertinus coroll. 6. de subsĩtia dub. 1. n. 8. qui tamen inutilem restrictionem adhibet n. 12. affirmans posse quidem eamdem numero naturam, v. g. humanitatem, pendere à plutibus diuinis personis quoad terminari secundùm perfectatem siue incommunicabilitatem, qui est effectus subsistentiæ primarius; non posse tamen eamdem naturam à pluribus simul diuinis personis tanquam à causis totalibus dependere quoad sustentationem. Hanc dico esse restrictionem inutilem. Tùm quia nulla talis sustẽtatio naturæ per hypostasin, admittenda est, qualem hæc limitatio supponit. Tum etiam quia quamuis talis aliqua sustentatio, per verum substantiæ influxum in naturam admitteretur, non esset Deo difficile effectiuè supplere influxum illum vna vel pluribus actionibus personarum diuinarum respectiuis in eum finem prodeuntibus à diuina potentia. Itaque absolutè admitto, diuinas personalitates binas vel omnes, posse simul ad vnius naturæ creatæ terminationem concurrere. Nec refert, quod diuinæ personalitates in terminanda diuina natura veluti consumantur ob infinitatem terminabilitatis diuinæ essentiæ, quæ par esse videtur ad exsugendam facultatem terminandi personalitatibus insitam. Hoc enim argumentum si valeret, æquè probaret personalitatem Verbi, quæ est terminus diuinitatis inadæquatus, non posse vniri humanitati ad eam terminandam. Eò quod vis eius terminatiua exhauriatur in terminatione naturæ diuinæ infinitæ. Quare dicendũ est, personalitates diuinas tametsi infinite perfectas, connaturaliter quidem expleri (vt sic dicam,) & satiari terminando diuinitatem, nec aliam naturam deposcere, cui terminandæ impendant reliquam vim terminandi quâ pollent. Nihil tamen esse repugnantiæ in supernaturali extensione eorumdem personalitatum ad naturam extrinsecam indito modo vnionis respectiuo diuinorum illorum terminorum, qui immutati complebunt eo ipso talem naturam: sicut voluntas diuina infinita, quamuis ad intra exhauriatur in amorem totius summi boni, tamen communicari quoque exteriùs potest amando liberè creaturas, eisque dandum esse iuxta dispositionem diuini consilij. Ex parte verò naturæ terminandæ, non deerit capacitas passiua ad recipiendam simul à pluribus diuinis personalitatibus terminationem; quia potentia obedientialis passiua secundùm quam natura huic negotio subseruit, est infinita. Quare liquere videtur, eamdem naturam creatam, posse pluribus simul diuinis subsistentiis terminari, spectando potentiam Dei absolutam.

Fateor, contrarium visum esse Diuo Anselmo l. de incarn. Verbi c. 4. sic enim scribit. [Vtroque pede, id est vtraque parte claudicat in Incarnatione Filij Dei (quia vna natura est cum Patre, & alia persona à Patre) quicunque existimat hanc Incarnationem sic esse secundùm naturæ vnitatem, vt Filius non possit Incarnari sine Patre; nec intelligit eam sic secundùm vnitatem esse personæ, vt Pater non possit Incarnari cum Filio. Quippe Deus non sic assumpsit hominem, vt natura Dei & hominis sit vna & eadem: sed ita vt persona Dei & hominis vna eadémque sit: quod non nisi in vna persona Dei esse potest. Diuersas enim personas, vnã & eandem personam esse cum vno eodemque homine, nequit intelligi. Nam si vnus homo cum singulis pluribus personis vna persona est; necesse est plures personas, quæ aliæ sunt à se inuicẽ, esse vnam eamdémque personam, quod non est possibile. Quapropter impossibile est, Deo incarnato secundùm vnam quamlibet personam, illum secundùm aliam quoque personam Incarnari.] Similia habet S. Anselmus libro 2. cur Deus homo cap. 9. Cæterùm vt ingenuè dicam, præstat modeste his locis Anselmum deferere, quàm frivola interpretatione eludere: cuiusmodi est, quem adhibuit Dur. in 3. d. 1. q. 3. n. 19. dicens, S. Anselmum duntaxat

inten

intendisse asserere, plures personas constare non posse vnâ personam. At hoc D.Anselm. expressè contendit sequi ex terminatione vnius naturæ creatæ per plures simul diuinas personas. Vnde mens eius est apertè quatenus dixi, tametsi consecutio quam facit D.Anselmus admittenda non sit, nec verè dicatur plures personas diuinas ad terminationem vnius naturæ creatæ concurrentes, coalituras in vnam personam. Vnam ergo naturam creatam pluribus diuinis personalitatibus esse terminabilem, satis monstratum est.

Idem dicendum de pluribus subsistentijs creatis.

133. Rationes autem quæ propositæ sunt idem videntur per proportionem euincere de personalitatibus pluribus creatis, comparatis ad vnicam naturam externam. Nihil enim vetat, quominus possint diuinitus eidem naturæ creatæ immitti plures modi vnionis, respectiui variarum personarum creatarum. Eo ipso namque, ponerentur in vna natura plures dependentiæ ab externis suppositis, tanquam à causis formalibus extrinsecis, & vna natura pluries simul esset in alio obedientialiter, quod nullam inducit repugnantiam, dummodò natura nullo modo sit in se. Quamuis autem dependentia eiusdem effectus à pluribus causis totalibus simul concurrentibus impossibilis esset, vt aliqui falsò supponunt, tamen longè alia ratio esset terminationis substantialis, quæ non exercetur per influxum causatiuum propriè dictum prodeuntem à termino extrinseco in naturam terminatam, sed per merè extrinsecum respectum modi aduenientis naturæ ad prædictum extrinsecum terminum. Et hinc concidunt argumenta omnia, quæ pro Scoto contrarium sentiente adducit Rada in 3.controu.1.artic.4.

Vicissim, vna quæcunque persona posset terminare plures naturas vi diuina.

Et diuina ergo & creata persona, siue vna siue multiplex, eandem alienam naturam creatam propria suppositalitate destitutam, terminare simul absque repugnantia potest. Difficilius verò est, an è contrario vna persona, siue increata siue creata, terminare simul possit plures alienas naturas præter propriam quàm non potest non terminare, quamdiu perstat. Mihi ita affirmandum videtur. Nam diuinam quidem personalitatem, posse simul ad plures creatas naturas terminandas exortigi, satis superque confirmatur ex infinita eius perfectione, quam constat non exhauriri terminatione vnius naturæ extrinsecæ; cum ne ipsa quidem diuinæ naturæ infinitate prohibeatur externam aliquam naturam terminare, vt videmus in persona Verbi terminante humanitatem. Poterit igitur eodem iure plures & quantaslibet terminare. Et idem censeo de persona creata. Quia quandoquidem terminatio non est propriè causatio (vt malè plerique supponunt decepti spuriâ notione sustentationis, qua hæc terminatio à nonnullis Scholasticis fortè sic opinantibus expetita est;) sequitur non plus perfectionis aut virium exigi ad terminationem multiplicis simul extraneæ naturæ, quàm vnicæ duntaxat. Quare eadem substantia creata intrinsecè immutata, eo ipso quod sit mutatio in naturis terminandis, apponiturque eis vnio vinculatis externæ illius subsistentiæ respectiua, est sufficientissima ad plures simul creatas naturas extraneas terminandas, v.g. eadem persona Angelica, plures simul humanitates terminare potest.

Subit verò illicò animum vulgaris interrogatio, dicendúmve tunc foret exurgere inde plures homines, ob multiplicitatem numericam naturarum terminatarum, an vnicum, ob singularitatem suppositi. Quæ difficultas ei gemina est, quam tractant physici, supposita possibili informatione plurium naturatum per vnicam formam. Et plenè quoque eam difficultatem agitant, qui agunt de Trinitate. Videsis Vasquem 1.p. d.155.Suar.l.3.de Trinit.c.3.à n.5.& t.1.3.p.d.13.s.2. & 3. Didacum Ruiz disp.77.de Trinit.qui multas hîc quoque discrepantes in re tantulâ sententias referunt. Breuiter verò statuendum est, si exquisita & ad omnimodam seueritatem exacta loquendi ratio sit tenenda, posito quod vna Angelica persona plures humanitates terminet, dicendum esse, exurgere inde personas formaliter non materialiter plures. Id est plures quoad rationem formalem suppositi constituentis formaliter personam, non autem quoad naturam, quæ in persona se habet vt aliquid materiale. Si verò recisis ambagibus, respondendum simpliciter sit, vnane an plures personæ inde exurgant, negandum erit plures exurgere, quia non sunt ibi naturæ plures. Nam & suppositalitas & natura significantur nomine *hominis*. Cùm ergo in euentu de quo agimus, sola suppositalitas multiplicetur, non est simpliciter, & indistinctè dicendum extituros ex ea terminatione plures homines. Sicut non dicimus dari plures Deos sed vnicum, quantumvis vnica Dei natura pluribus suppositalitatibus terminetur. Idem dicendum est de alio euentu quo naturæ multiplicarentur, non suppositalitate: similiter enim non dicerentur exurgere inde plures homines, sed vnus ob vnitatem suppositi. Sicut cum quis habet plures artes, vel Episcopatus plures, aut plura dominia, non vocamus eum plures artifices, aut plures Episcopos, vel dominos indistinctè & simpliciter loquendo iuxta illud S.Augustini 7. ciuit.c.10. [Numquid si vnus homo in diuersis rebus duas habet potestates, aut duas artes quia singularum diuersa vis est, ideò duo iudices aut duo dicuntur artifices?] Tradunt quod in re præsenti affirmamus, D.Thomas 3.p.q.3. art.6.ad 1.& art.7.ad 2.Dur in 3.d.1.q.3.n.22.& 23. Val.3.p.d.1.q.3.p.3.& 4. Suares t.1.3.p.d.13.s.2 & 3. Raguſa d.54.& 55. Ruis disp.77. de Trinit.s.6. & 7. Albertinus coroll.6.de substantia dub.3.Becanus tract. de incarn.c.4.q.3.& 4. signatis aliis.

Breuiculus & vsus doctrinæ propositæ.

134. Totius doctrinæ de hoc altero compositionis huius extremo traditæ, summa hæc esto. Diuina Verbi persona, quatenus per relatiuam subsistentiam suam constituta, secluso quouis alio intra Deum, siue absoluto, siue relatiuo, terminauit de facto humanitatem Christi naturali sua subsistentia spoliatam. Tametsi alias diuinas subsistentias relatiuas, imo etiam creatas quascunque suppositalitates extrinsecas seorsim, vel cum subsistentia Verbi, similem substantialem terminationem humanitati vni aut multiplici simul exhibuisse nihil vetuerit.

Vsum doctrinæ de Verbo ad Christi structuram carni nostræ copulato, suppeditat sæpè D.Augustinus, demirans & quod tanta maiestas ad nostrum vsque limum se demiserit nostri causa & sapientissimam adinuentionem qua se demisit. Deiectionem sanè Verbi Dei peniſſimam miraculi, nisi obtusa adeò gestaremus pectora, facillimum fuerat deprehendere ex consertione animæ rationalis quæ infimus nec nisi dimidiatus Spiritus est, cum carne nostra. Hæret aqua non semel Nazianzeno cum eam coniunctionem animi & limi considerat. Hic infinitis partibus auctius est miraculum. Neque enim Verbum quod carni nostræ nectitur, Spiritus est dimidiatus & imperfectus cui per eum nexum sua aliqua completio & perfectio adueniat. Est igitur in eo negotio, mera propter nos deiectio diuini Verbi; quod cum sit sapientia Patris cuius cœlesti pabulo cibandæ reficiendæque sunt animæ, essétque solidior cibus quàm vt in nutrimentum infan-

tiæ noſtræ poſſet cedere ; ſtupendo beatis ipſis ſpiritibus inuento , dignatum eſt lacteſcere nobis per Incarnationem. Frequens & multus eſt in hac cogitatione S. Auguſtinus , ſed nominatim concio. 1. in pſal. 33. & lib. 3. de lib. arbit. c. 10. inſigniter ac planè ſerm. 38. de verb. Dom. Breuiter ſed ſapidiſſimè l. 7. Confeſſ. c. 18. ſic enim Deum affatur. [Quærebam viam comparandi roboris quod eſſet idoneum ad fruendum te , nec inueniebam , donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum , qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, vocantem & dicentem; Ego ſum via , veritas , & vita , & cibum cui capiendo inualidus eram , miſcentem carni ; quoniam Verbum caro factum eſt , vt infantiæ noſtræ lacteſceret ſapientia tua per quam creaſti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Ieſum Chriſtum humilis humilem, nec cuius rei magiſtra eſſet , eius infirmitas noueram. Verbum enim tuum æterna veritas, ſuperioribus creaturæ tuæ partibus ſupereminens, ſubditos erigit ad ſeipſam. In inferioribus autem ædificauit ſibi humilem domum de limo noſtro , per quam ſubdendos deprimeret à ſeipſis , & ad ſe traijceret ſanans tumorem , & nutriens amorem , ne fiducia ſui progrederentur longiùs, ſed potiùs infirmarentur videntes ante pedes ſuos infirmam diuinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ, & laſſi proſternerentur in eam , illa autem ſurgens leuaret eos.]

Inſignem quoque huius doctrinæ fructum ſuppeditat S. Chryſoſtomus homil. addititia in 1. ad Cor. circa illud , *nolo vos ignorare fratres* , conſiderans ſicut Verbum ſe demiſit ad nos, nec noſtram tenuitatem dedecori ſibi futuram cenſuit ; ita conſentaneum eſſe vt neminem quantumuis deſpicatum & tenuem dedignemur.

CAPVT III.

De vnione Verbum & humanitatem vinculante.

135. EXpoſuimus extrema ſecũdæ Chriſto internæ compoſitionis ſubſtãtialis, in qua verſamur, nunc ad eorum nexum veniendum eſt , quærendúmque an & quotuplex , qualiſque ſit vnio hypoſtatica, quæ aliis verbis vocatur proximus ac formalis terminus Incarnationis ſiue actionis incarnatiuæ , quæ propriè vnitio appellatur , & pro immediato ac formali termino habet vnionem humanitatis & Verbi. Quod enim humanitas & Verbum poſſent eſſe in rerum naturâ, nec tamen compingere Chriſtum, qui eſt vltimus terminus actionis incarnatiuæ , propterea neceſſe eſt, nunc cum extrema illa Chriſtum compingant , aſſignari aliquid quod immediatè & formaliter terminet actionem illam, quæ eſt Chriſti productio. Sicut quia materia & forma hominis poſſunt ſeparatim exiſtere, idcirco præter eas aſſignatur in homine proximus aliquis & formalis terminus generationis compoſiti humani ; nempe vnio partium. Eum itaque terminum, proportione ſeruata , aio in re præſenti eſſe vnionem hypoſtaticam. Quod autem Vaſq. 3. p. d. 19. c. 2. terminum formalem in hoc negatio ait eſſe humanitatem, per quam terminus totalis conſtituitur formaliter, tanquam per formam totius , pertinet ad litem de nomine : in qua tamen ſequendus eſt communior loquendi modus , quo terminus formalis alicuius actionis, non is dicitur qui eſt forma termini totalis producti, ſed id quod formaliter & immediatè terminat actionem , qua terminus totalis ſiue compoſitum mediatè producitur , præſuppoſita partium eius præexiſtentia , ſiue priùs tempore, ſiue ſaltem priùs naturâ. Porrò cum extra controuerſiam ſit, vnionem illam quam hic pro formali termino ſtatuo , eſſe admittendam , (alioqui rueret myſterium Incarnationis ,) quid tamen ipſa ſit, & quotuplex, & qualis, magnum eſt in Scholâ diſſidium , de quo pronunciandum eſt , vt lux aliqua affundatur tenebricoſitati, quam hoc in negotio ſummam eſſe affirmat Iuſtinus in expoſitione fidei *ſub fine* , quámque humanam omnem perſpicaciam tranſcendere , concedit Eraniſtæ, Orthodoxus apud Theodoretum dial. 2.

Quid ſit vnio hypoſtatica , quæſitum primum Sententiæ.

136. Prima igitur quæſtio eſto, quid ſit vnio hypoſtatica. Duæ hic occurrunt celebres ſententiæ. Altera quæ cenſet hanc vnionem ſupra extrema nihil addere, niſi connotationem vel habitudinem quampiam, nulla noua entitate ſubnixam. Altera verò quæ affirmat hanc vnionem ſupra extrema huius compoſitionis ſecundæ, addere modale vinculum, quo humanitas Verbo copulatur. Ad has ſententias duas, reuocantur illæ quatuor quas Collius diſputatione mox alleganda c. 1. recenſet tanquam diſtinctas, nempe quod vnio hypoſtatica , vel primò ſit humanitatem fieri in Verbo ; vel ſecundò ſit relatio extrinſecùs adueniens humanitati ad Verbum ; vel tertiò ſit abſoluta quædam qualitas humanitati ſuperaddita ; vel quartò ſit modus ſubſtantialis. Tertiam ſententiam arbitror planè cõfictam, nec vlli verè veniſſe in mentem, niſi vocum tenus. Qui enim vnionem vocant qualitatem , quia eſt gratia, vt videre eſt apud Almainum in 3. d. 1. q. 1. non cogitarunt de propriè dicta qualitate ; vt neque alij qui vocant relationem , id intelligunt de relatione propriè dicta & categorica, vt infra dicam. Iam verò ſententia ſecunda & quarta, non niſi vocibus diſcrepant, pertinéntque ad poſteriorem ex duabus ſententiis per nos propoſitis. A priore autem, vix differt quæ hic prima recenſetur. Itaque ſiſtamus in examine duplicis per nos propoſitæ ſententiæ. Priorem varij Scholaſtici, ex varijs omnino fundamentis ſunt amplexati. Quidam ex eo quod nullas vſpiam admittant modales entitates, modóſque ſine modo auerſentur. Alij quod in hac re nullam modalis vinculi neceſſitatem agnoſcant. Inſuper alij quod cenſeant interiectũ talis vinculi, pugnare cum immediata & ſubſtantiali coniunctione extremorum huius compoſitionis , hoc eſt humanitatis & Verbi. Ita ex variis hiſce fundamentis Gregor. in 1. d. 28. q. 2. ad 17. & 18. Baconus in 3. d. 1. q. 1. art. 1. & ib. Rubionius. Aluares 3. p. d. 13. Val 3. p. d. 1. q. 2. p. 5. Collius l. 2. de ſang. Chriſti, diſp. 3. c. 2. & 3.

Eſt modus. Suffragium Scholaſticorum.

137. Mihi poſterior ſententia propoſita , videtur omnino vera. Et ab ijs qui modales entitates alibi admittunt, ægrè repudianda. Qui enim alibi haſce infirmas entitates non agnoſcunt , loquuntur conſequenter, ijs itidem hic repudiatis. Ego tamen ſicut in pleriſque alijs materijs v. g. in motu locali , in dependentia effectus ab egente, in extenſione ac figuratione quantitatis , in ſubſiſtentia creata , in vnione materiæ & animæ rationalis , admitto modalem entitatem , ſeu minorem realitatem eſſentialiter adhæreſcentem entitati firmæ, & ab ea inſeparabilem , tametſi non vice verſa : Ita in re præſenti admittendam cenſeo nouam entitatem ſupra vnibilia compoſitionis huius ſecundæ, iſ'que ſuperadditam, quam non diſtinguo ab extremis tanquam rem firmam , ſiae vt realitatem maiorem , ſed dumtaxat vt modum, quia, hæc ſola diſtinctio ſatis ſuperque eſt ad omnia propter quæ huiuſmodi entitas inuehitur.

Agnoſcunt nouam hanc entitatem Scholaſtici cõplures, duce, quantum arbitror, Diuo Thoma 3. p. q. 2. art. 7. & 8. Nam articulo 7. affirmat vnionem hypoſtaticam

statícam esse relationem habentem esse creatum ac reale in humanitate cui mutatæ aduenerit, articulo autem 8.ait, huiusmodi relationem qua talis vnio est causata in humanitate, esse actionem assumptionis siue vnionem, quæ ad vnionem in facto esse tanquam ad suum proximum terminum effectúmque sit terminata. At hæc cum quem dixi interuentum nouæ entitatis infirmæ, transcendentaliter relatiuæ, manifestè sonant. Eidem sententiæ suffragatus est Ocham in 1.d.30.q.4.*dit.E.& G.*& in 3.q.1.*dit.D.E.& F.* quod in tanta huius autoris parsimonia circa entitatum multiplicationem (increpabilem auaritiam vocat Mayronius,) est omnino mirabile, nec nisi ab euidentia veritatis extortum, vt propterea Almainus in 3.d.1.q.1.§.*quæritur ergo*, dicat Scotistas asserere Ochamum hac in parte fuisse coactũ fateri veritatem. Quanquam non rectè Almainus tribuit Ochamo, quod extra Incarnationis mysterium nullam huiusmodi entitatem concesserit. Nam locis citatis, satis apertè admittit eam quoque esse admittendam in vnione materiæ ad formam, & e conuerso; & in vnione accidentis ad subiectum. Fortéque etiam in coniunctione vnius partis continui cum alia. Ex Nominalibus suum Ochanum secutus est Gabriel in 1.d.30.q.4.art.1.concl.4. Inter recentiores verò subscripserunt propositæ sententiæ, Suares t.1.3.p.d.8.s.3. Valq.d.18.c.3. Ragusa, d.39.§.6. Pelantius q.1 art.1. disp.2. & q.2.art.1. disp.vnica, Lessius l.12. de Diu. perfect. toto cap.6. Albertinus Coroll.4. de substantia dub.2.n.3. Præpositus 3.p.q.2.n.68. præterque hos turba magna quam dinumerare nemo poterit.

Probatio prima, ex vnione modali inter partes essentiales.

138. Rationes suppetunt variæ & validæ. Ac primùm, argumentari possumus ex priori substantiali intra Christum compositione, quæ lata est in vnione naturali animæ & corporis Christi ad inuicem. Si enim ea compositio postulat vinculum modale, quo extrematenus naturaliter proportionata nectantur, quantò magis necessarium erit admittere proportionale vinculum ad iungenda extrema huius secundæ compositionis tantoperè disparata, & nullam ad inuicem habenda proportionem naturalem aut inclinationem, nempe humanitatem & Verbum? Atqui modale vinculum in priore illa Christi compositione esse admittendum, sententia est communissima. Quamuis enim inter materiam & formam purè materialem, itemque inter subiectum & quæcunque accidentia connaturaliter producta non interiaceat aliquid distinctum ab actione, qua talis forma educitur, quia illa ipsa actio est essentialiter per seipsam affixa materiæ, nec potest secũ affigere, quin simul trahat formam ad materiam; idémque est de actione, qua accidens subiecto passiuè concurrente producitur: Quamuis inquam res ita se habeat in vnione huiusmodi formarum, tamen coniunctio animæ rationalis & materiæ non potest eo pacto perfici. Quia productio animæ humanæ est creatio. Vnde vt anima iungatur materiæ, necesse est interuenire vinculum distinctum ab actione qua producitur anima, habénsque rationem causalitatis non in animam, cui materia nihil confert, sed in compositum. Et quod Aristot.8.Metaph.t.15.& sæpè alibi ait, materiam & formam vniri absque medio, non oppugnat modale hoc vinculum, sed illud duntaxat medium, quod est vera res & quasi funis colligans extrema; vel quasi clauus, aut gluten. S.Bona. in 3.d.2.art.3.q.1.vocat *medium colligantia*. Richardus verò ibid.art.2.q.2. ad 1. vocat *medium distantiæ*. Valdensis t.1.l.1.c.38. appellat *ligamentũ medij*, éique contraponit *ligamentum contingentiæ naturalis*, quod negat ab Aristotele loco proximè proposito sublatum esse: à Patribus autem agnosci ait, & approbari à fide vera, ac Ecclesiastis vltimo, vocari *funem argenteum*. Addit denique Valdensis, phtenesi laborasse Vvicleffum, cum contentus, indistantia partium ad compactionem compositi, vnionem inter formam ac materiam abrogauit. Varia argumenta, quibus eam vnionem confutaremus contra Vvicleffum & paucos antiquos, vt Gregorium in 1.d.28.q.1.2.art.1.concl.3.& ad 16.ac 18.argumentũ, ac Rubionium in 3.d.1.q.1. & dist.5.q.2.art.1.prolata sunt suo loco. Paritas autem inter illam vnionem & hanc de qua agimus, est per se euidens. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Igitur æquè autetiam potiori ratione, admittenda est hæc supernaturalis vnio modalis inter extrema adeò abiuncta, ac admittitur vnio naturalis modalis inter hominis animam & corpus. Hoc primum argumentum, non nisi vt manuductionem propono, non ignarus, Aduersarios, qui vnionem hypostaticam circa secundam compositionem Christi sublatam volunt, à fortiori vnionem naturalem negaturos circa primam compositionem, si consequenter loqui velint. Tamen quia hic deest proportio illa & sympathia inter extrema huius compositionis, quæ vtcunque obtendi potest inficiationi vnionis naturalis inter materiam & formam indistantes, ac consentaneis dispositionibus aptatas; negari non potest, quin argumentum in hoc negotio plus vrgeat, sitque saltem ad modum congruum. Additis verò ijs quæ mox subijciemus, validissimè roborabitur, eritque efficacissimum. Nam secunda ratio mox adducenda, vtramque vnionem æque stabiliet.

Itemque inter partes quantitatiuas.

139. Æque argumentari possumus ex continuitate partium quantarum siue ex vnione partium integrantium inter seipsas, quàm valida argumenta probant effici per interiectum modale vinculum, quidquid dicat Gregor. in 1.d.2.q.2.art.1.concl.3. & in 1.d.28.q.2. concl.3. Rubio. in 2.d.2.q.4.*sub finem*, Ocham in 1.d. 30.q.2.*Litera D* Gabr.ibid.q.2.*in fine* & q.4.*Litera K*. Sane continuitas partium differt ab ipsismet partibus, quæ plerumque sunt absque continuitate. Vel ergo continuitas est aliquid negatiuum, nempe negatio separationis, (quid enim aliud?) & sic continuitas erit negatio negationis & forma positiua. Nam separatio, idem est quod non coniunctio, ac proinde est negatio quædam. Itaque negatio separationis, erit negatio negationis, & forma positiua, quod malè negabatur. Si autem concedatur continuitatem esse aliquid positiuum, & à partibus distinctum, (vt hactenus satis probatum videtur;) frustra dicetur esse plusquàm modus, qui est ille ipse vnionis modus, quem quærimus. Accedit argumentum, quod Ocham supra, meritò vocat tædiosum, & in quo hastam abijcit. Est autem huiusmodi. Sumatur virga continua, quæ non serra sed cultello diuidatur, ne vllæ eius partes inter secandum excutiantur. Tunc post diuisionem apponantur sibi immediatè segmenta. Quæro cur huiusmodi segmenta post interpositam sectionem, non sint amplius continua, sicut ante erant, cum nunc æquè sint indistantia, & habeant quicquid entitatis ante habebant, retineant quoque eadem qualitates. Aduersarij viderint quid dicant. Nam constat partes virgæ non manere continuas, cum non cohæreant amplius. Aliquid ergo perijt, quod ante erat & cohæsionem præstabat. Nos hoc quod perijsse fatendum est, vocamus vnionem, siue præterea perierit indimisibile aliquod continuans, siue non eo quod nullæ tales continui subscudes dentur. Nam si dantur & per diuisionem pereunt, nihilominus necessarium præterea est adesse vnionem, quæ est formalis vinculatio. Vel si quod aliqui

recentiores contendant indiuisibilia sunt vniones partium continui, quibus nectendis adhibentur, habemus æquè intentum. Neque verò obtendi potest defectus sympathiæ aut proportionis inter segmenta. Quidni enim æquè habeant proportionem & sympathiam post diuisionem, quàm ante, si nihil deest, & omnia se habent sicut prius? Sed argumentemur ex ipsomet mysterio in quo versamur, dimissis rationibus hisce extrinsecis, quæ sola æquiparatione nituntur.

Probatio 2. ex necessaria mutatione ad nouam vniti denominationem.

140. Argumentor igitur secundò, quia in Incarnatione anima & corpus Christi priùs natura existebant, quàm vnirentur Verbo. Priùs enim est entitatem esse actualem, quàm vniri alteri. Et sicut de facto essentiales Christi partes priùs tantùm natura fuerunt quàm Verbo vnirentur, posteriùs verò natura fuerunt Verbo vnitæ; sic per diuinam potentiam, per easdem actiones creatiuas, quibus productæ nunc sunt eodem momento temporis, quo fuerunt Verbo vnitæ, potuissent priùs tempore absque suis subsistentiis partialibus accipere esse. Quæ enim vel vmbra contradictionis apparere potest ea in parte? Arqui partes Christi essentiales non possunt de nouo denominari vnitæ, cum in aliquo anteriori non sic denominarentur, nisi adueniat illis noua quæpiam entitas, fundans illam nouam denominationem, quæ priùs aberat. Ergo noua illa entitas admittenda est, afficiens de nouo partes prædictas. Nam vt ea noua entitas afficiat, alterum extremum, cui hæ partes vniuntur, fieri non potest; cum Verbum sit planè immutabile. Ex parte autem humanitatis nihil afferri potest, quod de nouo fiat, præter vnionem quam quærimus. Omnia quippe alia, quæ in ea reperiuntur, sunt naturalia, poterantque inesse humanitati productæ ante vnionem cùm Verbo, vel præintellectæ ante eam vnionem supernaturalem. Igitur noua illa modalis entitas quam quærimus, accessit humanitati Christi, cum iuncta est Verbo.

Euasio prima præcluditur.

141. Sunt qui hoc argumentum declinare se putent, si dicant, animam & corpus Christi vniri Verbo ipsis actionibus quibus creantur. Nec enim eas actiones censent esse creationes meras, sed aiunt esse productiones huiusmodi partium in Verbo tanquam in substantiali termino existentiæ ipsarum. Ita Puteanus 3.p. q.2. art.8. dub.2. & nuperi quidem Theologi, hæc tamen euasio potest multipliciter præludi. Et inprimis qui eam adhibent, non videntur aduertere, dum vitant admittere modalem entitatem vinculantem extrema compositionis de qua agimus, adigi se ad inuehendas actiones creatiuas animæ & corporis Christi, diuersas specie à productione animæ nostræ & materiæ, vt per se patet. Hoc autem non est fortassis minus refugiendum, quàm noua modalitas cui declinandæ ista excogitantur. Sanè Patres & Doctores passim ignorasse videntur eam specificam diuersitatem creationum animæ & materiæ Christi, & animæ ac materiæ vniuscuiusque nostrûm; cum dicant Verbum condidisse sibi animam eodem modo quo cæteris. Non igitur per actionem supernaturalem ac specie diuersam à creationibus quibus animæ nostræ accipiunt esse. Deinde in creatione animæ Christi, nihil planè potest occurrere, propter quod ea actio statuatur essentialiter & secundùm substantiam supernaturalis. Totus quippe illius effectus, est Christi anima. At hæc est merè naturalis. Vnio autem cum Verbo, juxta aduersarios, non est aliquid, quod per eam actionem fiat, sed est ipsamet animæ effectio, quæ certè nihil omnino habet, propter quod supernaturalissima esse debeat, cum quidditas actionis petatur ex effectu, qui in re præsenti supponitur esse merè naturalis. Præterea posset quis à pari comminisci actionem ita animæ nostræ creatiuã independẽter à subiecto, vt simul sit vnio eius cum subiecto. Quis tamen non videt, genus illud creationis gratis configendum esse, ac fortassis non citra periculum? Nam illa animæ vnio cum subiecto, esset natura prior quàm anima, quia se teneret ex parte viæ qua anima ab agente prodiret. Vnde videretur inuecta dependentiam animæ à subiecto. Neque enim formæ materiales aliam ob causam à subiecto pendẽt, quàm quia actio, qua producuntur, pendet tali modo à subiecto. Tandem aduersarij cogentur fateri humanitatem priùs natura productam (& multò magis si supponeretur producta priùs tempore,) non posse assumi à Verbo hypostaticè salua sua anteriore actualitate & productione, cum tamen sit manifestissimum, humanitatem etiam salua anteriore actualitate & productione, manere substantialiter incompletam atque adeo hypostaticè terminabilem. Fixum igitur esto, creationem, qua anima Christi producta fuit, esse naturam priorem vnitione eius ad Verbum, & idem est de corporis Christi productione. Ac proinde vana est declinatio illa argumenti propositi, qua dicebatur, fundamentum nouum denominandi partes Christi essentiales Verbo vnitas, esse creationem earum, specie diuersam à connaturali & ordinaria earundem creatione.

Altera Euasio eiusdem argumenti.

142. Nec difficiliùs præcluditur alia euasio, qua argumentum propositum declinat Valentia 3.p.d.1.q.2. p.5. & q.4.p 2. *sub finem*, alijque nonnulli, dicentes idcirco in posteriori naturæ humanitatem quæ antea non denominabatur vnita, postea dici Verbo vnitam quia ita fert voluntas Dei, accedente sola variatione temporis. Supponunt enim hi Authores, solã voluntatem Dei extrinsecam sufficere ad causandas in rebus nouas denominationes nullo ad extra physicè producto, solaque temporis variatione intercedente. Quid enim physicum de nouo fit, quando aboletur reatus pœnæ? aut quando laxatur obligatio voti ante contracta? Vel quando macula venialis abstergitur? sicut ergo in omni actione diuinitùs causata nobiscum ex quo (facta tantùm temporis variatione,) diuina voluntas fert, vt nobis coniungatur omnipotentia, accipimus eam cooperariam & habemus eam nobiscum in actu primo coniunctam cum priùs non esset coniuncta, nullo siue diuinæ siue nostræ potentiæ actiuæ facto accessu nouæ entitatis physicæ per talem coniunctionẽ in actu primo: Ita iuxta hos Authores, Verbum communicatur humanitati, eique coniungitur cum primùm accedit tempus ad id præfixum à diuino decreto, atque adeò cum primùm voluntas diuina applicat humanitati personam Verbi, etsi nihil physicum extremis huius compositionis superaddatur, ac ne modus quidem. Quare tota variatio quæ in re præsenti interuenit, est variatio temporis, atque adeò etiam humanæ naturæ, prout existit in hoc & in illo tempore, & prout in illa variatur accidens illud pertinens ad prædicamentum *Quando*, etiamsi excludatur quæuis noua entitas potest de nouo verè dici naturam humanam cum antea non esset Verbo vnita, incipere esse Verbo vnitam. In quam rem considerari iubet Valentia, tempus non esse rem, quæ prorsus impertinenter se habeat ad dependentiam hypostaticam humanitatis à Verbo. Cum enim natura sic pendens, secundùm suam existentiam pendeat, existentiæ autem ratio formalis connotet tempus, perspicuè sequitur consentaneum esse vt dependentia quoque hypostatica respectum quendam habeat ad tempus. Ideóque etiamsi absolutè

& se

& secundùm rem eadem sit natura pro tempore, quo ex voluntate Dei pendet à Verbo, & pro tempore quo ab ea non dependeret, non est tamen prorsus eadem ipsius ratio formalis quatenus statuitur secundùm suã existentiam propriam pendens aut non pendens à personalitate Verbi diuini. Vnde vitatur contradictio quæ affectaretur affirmationem & negationem dependentiæ humanitatis à Verbo pro diuersis illis temporibus. Non enim varietas illa attributorum caderet in idem prorsus. Esto in attributis, ad quæ tempus impertinenter se habet, verum sit, ne per potentiam quidem & voluntatem Dei sola temporis mutatione interuenientem, posse creaturam nunc ab eorum vno, nunc ab alio denominari.

Præcluditur.

143. Hanc argumenti propositi euasionem, dicebam non difficile posse præcludi. Falsum quippe est, quod in ea assumitur, voluntatem Dei sola temporis mutatione, sufficere posse ad varietatem denominationum, de quibus agimus; hoc est physicarum. Admitto quidem solam Dei voluntatem iuncta diuersitate temporis, posse sufficere ad nouos effectus morales, cuiusmodi sunt, qui proferebantur in fundamento contrariæ sententiæ. Consequentérque admitto denominationes varias morales nouis illis moralibus effectibus respondentes, nulla producta de nouo physica entitate, induci posse ad eum modum. Tamen de effectibus & denominationibus physicis, longè alia est ratio. Postulat enim causam physicam actu influentem, & aliquid producentem de nouo, nec potest ad eos sufficere sola Dei voluntas, quæ cum sit planè extrinseca, relinquit omnia in eodem statu physico, quamdiu potentiam diuinam ad causandum non applicat, vt hic supponitur. non applicare, quamuis denominatio, de qua varianda agitur, physica sit, & physicam causam deposcat, nempe denominatio vnitæ cum Verbo humanitatis, cum priùs denominaretur non vnita. Nec est simile quod dicebatur de omnipotentiæ diuinæ & voluntatis nostræ coniunctione ad concausandum. Ea quippe coniunctio antecedens causationem, idcirco fieri potest absque vllius noui effectus physici productione, quia est tantum effectus moralis, nec postulat cohæsionem, sed meram extrinsecam applicationem & coexistentiam vitium effectiuarum. At Verbum vniri humanitati, est verus physicus nexus. Præterea in illa morali vnione diuinæ potentiæ cum nostra facultate actiua, supponitur in nobis vis actiua, tamersi insufficiens, & opis indiga. In præsenti autem negotio formalis ratio nectens humanitatem Verbo, nullatenus supponitur ex parte humanitatis. Quare necesse est eam apponi per actionem physicam, qua nouus aliquis effectus ad id accommodatus pendeat à Deo efficienter; nec alius assignari potest quàm vnio hypostatica. Illa verò physica varietas, quam aduersarius agnoscebat in humana natura ex nouo accidẽte prædicamenti *Quando* ei aduenient pro varietate temporis, admitti nullo modo potest. Vt enim omittam plurima, quæ aduersus nouum illud accidens accumulat Vasques 3.p.d.72.à n.13. Rectè videtur dixisse Nyssenus homil.7. in Eccles. tempus in quo fit actio, consideratur extra eius, quod fit, naturam. Est inquam tempus, aliquid planè extrinsecum rebus, & inidoneum ad varietatem intrinsecam effectuum physicorum exponendam. Præterea vt benè argumentatur Gabriel in 3.d.1.q.1.art.1. *Litera G.* posset tempus variari inuariata vnione: quod indicat, tempus planè impertinenter se habere ad hoc negotium. Tandem si ad tuendam varietatem hanc denominationum physicarum, mutatio aliqua physica inducenda fuit, vt aduersarius quoque agnoscit, præstabat sanè eam statuere in productione nouæ vnionis, quæ directè ad hanc rem facit, quàm in continua existentiæ variatione pro temporis fluxu continuo, quæ ficticia planè videtur & multis difficultatibus implicatur, ac quamuis daretur, non faceret ad rem præsentem. Quid enim physico nexui cum tempore? Aut quid fluxui existentiæ continuo, cum vnione?

Euasio tertia, præclusa.

144. Est tertia quædam euasio, qua aliqui aduersus secundum argumentum propositum muniunt sese, dicentes, effectum physicum qui de nouo fit, & vnde exurgũt denominationes nouæ in re nostra, esse Christum Dominum siue compositum supernaturale, quod ex nexu Verbi & humanitatis exurgit. Sed hæc euasio seruato eo argumentandi modo quem adhibuimus, præclusa fuit. Quia vt compositum possit exurgere, necesse est, partes eius vniri cum priùs vnitæ non essent, nec vnitæ denominarentur. Argumentum verò nostrum probauit eas non posse reddi nec dici vnitas nisi aliquid de nouo fiat quod vniatur. Atqui Christus cum sit posterior vnione extremorum & veluti partium ex quibus compingitur, non potest eas vnitas reddere. Assignandum igitur est aliquid quod antecedenter ad Christum fiat, vt exurgat inter partes copulatio, quæ non minùs præire Christo debet, quàm partes ipsæ. Alioqui recurret argumentum. Nempe quod non possint variari denominationes, nisi aliquid physicum fiat de nouo. Partes autem de nouo non fiant, saltẽ ita vt vi effectionis earum exurgere possit illa denominatio noua. Nam Verbum æternum est: materia Christi, fuit ab initio mundi: anima verò priùs naturæ est creata quàm vnita & æquè potuisset creari priùs tempore. Nihil igitur assignatur de nouo factum; vnde denominatio vniti possit exurgere, atque adeò vnde existat compositum. Partes enim spectantur à nobis in statu quo non componerent totum, nec denominarentur vnitæ. Postea verò & totum componunt, & vnitæ denominantur. Vt autem hoc postea præstent, quid acquirunt nisi modum vnionis?

Eadem secunda probatio firmata, & aliter expressa.

145. Sic igitur exclusis omnibus, quæ secundum illud argumentum nostrum quatere posse visa sunt, firmitas eius vndecunque stabilita habenda est. Est autem illud ipsum quod vsurpatur ab Ochamo in 3.q.1. *Litera D.* & in 1.d.30.q.4. *Litera F.* Vt paucos illos modos quos ab eo admitti diximus stabiliat, & ab Aureolo in 1.d.17.q.1.art.1. ac in quodl. q.2. vt probet actionẽ qua effectus ab agente dependet, esse aliquid à parte rei interiacens ac medium, inter causam & effectum. Hoc vt appareat, formo argumentum quod ipsi vsurpant, & applico ad rem præsentem in hunc modum. Impossibile est, contradictoria verè enunciari de eodem nisi interueniat mutatio aliqua extrinseca, vel intrinseca, per acquisitionem aut deperditionem formæ nouæ & entitatis saltem infirmæ & modalis. Sed in mysterio Incarnationis, humanitas quæ priùs tempore produci potuisset, & non denominari vnita, incipit vnita denominari; eadémque posset deperditioni talis denominationis superstes esse: posset quippe Deus conseruare humanitatẽ extra Verbum, ita vt non amplius denominaretur vnita Verbo. Ergo necessarium est aliquam ibi aut extrinsecã aut intrinsecam mutationẽ intercenire. Extrinseca mutatio quæcunque, planè impertinens esset, quia agitur de variatione prædicatorum intrinsecorum, ad quæ varianda opus est intrinseca mutatione. Hæc autem non potest alia proferri, quàm variatio alicuius formæ modalis, intrinsecæ al-

teti saltem extremorum. Igitur ea modalis forma, quam vnionem vocauit us, admittenda est.

Respondet Gregorius in 1.d.28.q.2. art.1. concl.3. ad 18. & dist.17. q.1.art. 2. ad 2. negando maiorem: cuius oppositum ait ostendi possè multis exemplis. Ait tamen Vasques 3.p.d.18. c.1.c.8. Gregorium nullum tale exemplum adducere, nec videre se quodnam proferri possit. Editiones tamen quædam Gregorij locupletiores, qualis est, quæ prodijt anno 1521. & aliæ anni 1527. exempla quædam continent, quæ Gabriel quoque tanquam à Gregorio adducta refert in 3.d.1.q.1. art.1. *Litera G.* Quod monere placuit, quia non semel aduerti, Gabrielem Vasques de falsa per aliquos allegatione Gregorij, expostulare, quia editio qua ipse vsus est, nempe, quæ prodijt anno 1482. scatet lacunis, quas illa alia quam retuli editio explecuit, & hamis adhibitis signauit. Eiusmodi porrò sunt exempla illa à Gregorio adducta, vt statim sint neganda. Ait enim materiam & formam, ac partes continui, ex non vnitis fieri & dici vnitas, absque intrinseca mutatione. Deum item, è non creante dici & esse creantem, nullo mutato. Tandemque peccatorem priùs Spiritu sancto destituturn, posse dici habere Spiritum sanctum absque vlla prorsus mutatione. Quæ omnia reijcio. Nam si in exemplis illis omnia se haberent sicut priùs, non esset vnde exurgerent denominationes nouæ. Se habent autem omnia sicut priùs, si nihil mutatum est. Admittenda igitur est mutatio aliqua, & quidem intrinseca, sicut denominatio, quam vrgemus est intrinseca. Nullam autem aliam intrinsecam variationem proferri posse, quàm penes entitatem nouam modalem humanitati vniendæ superadditum, in confesso est. Quare eam entitatem admitto, & ipsa est quam modum vnionis appello.

Probatio 3. ex respectu humanitatis Christi ad solum Verbum.

146. Postrema ratio ad modi huius probationem ex eo ducenda est, quod humanitas Christi non omnibus diuinis personis sed soli Verbo est copulata; ita tamen vt ex S. Dionysio, quia adducitur in 6. Synodo actio. 8. & ex Innocentio cap. *Firmiter* de summa Trinitate & fide Cathol. Pater quoque & Spiritus sanctus, æquè influxerint in efficientiam physicam, quæ ad illam Verbi & humanitatis coniunctionem requiebatur. At quomodo, vel cur, humanitas Christi, Verbo potiùs quàm Patri aut Spiritui sancto vnita dicitur, cum Pater & Spiritus sanctus æquè applicati sint humanitati, ac Verbum? Vt enim benè argumentatur Ochamus in 3.q.1. *Litera D.* quandocunque datur aliqua denominatio, quæ nihil dicit vltra denominabilia, nisi existentiam extremorum, si conuenit vni indiuiduo, conuenit & omnibus alijs eiusdem rationis, nisi aliquid insit vni indiuiduo propter quod in illud peculiariter cadat talis denominatio, non in reliqua, quod Ochamus multis exemplis confirmat. Quid enim est in Verbo vel circa Verbum, quod peculiare illi sit, illudque denominet vnitum, non item alias diuinas personas, quæ planè sunt eiusdem rationis? Item quæ erit illa efficientia cæteris quoquæ personis diuinis, quamuis humanitatem non assumentibus conueniens? Nam si nihil de nouo producitur, nulla est actione opus. Dices, produci Christum totum. Sed contra, Quia si & anima & materia Christi ab actione incarnationi præuia, saltemque naturâ priore acceperunt esse, (vt sanè acceperunt,) nec datur formalis vnio, quæ per veram actionem causanda sit de nouo, non est quod vlla noua actio ad Christum terminata inuehatur. Christus enim quatenus totum quoddam est, sufficienter intelligetur resultare ex sola extremorum propinquitate & indistantia, quæ hic ob Verbi immensitatem deesse non potest. Noua autem illa actio terminata ad Christum in ratione totius, superflua erit, imo impossibilis. Quia talis actio nullam Christi partem, nullumque partium Christi nexum, extraheret de non esse ad esse. Partes siquidem supponuntur iam factæ, & vnio non admittitur specialiter factibilis, ac idonea ad terminandum per se actionem nouam. Quare cum totum nihil sit, præter partes & nexum earum, nulla talis actio admittenda est, quæ ad Christum quatenus totum quoddam est, terminetur, eumque in ratione totius efficiat, & nihil præterea. Quanquam si graris lubeat admittere huiusmodi actionem pendulam, (vt sic dicam,) & nihil quidem humanitati conferentem, Christo tamen quatenus toti, dantem esse, reuoluemus aduersarios in actionem quam refugiunt. Ea quippe actio habebit rationem vinculi humanitatis cum Verbo, nec declinabitur multiplicatio nouæ entitatis, de qua maximè solliciti sunt aduersarij. Sed pro eo modo quem nos vnionem appellamus, & humanitati priùs saltem natura, productæ superuenire diximus, inducetur alius modus nobis non necessarius, nempe modus dependentiæ Christi totius.

Acies 1. argumentorum aduersus vnionem modalem.

147. Quæ aduersarij in contrarium opponunt, enerua sunt & prorsus lenia. Ego in quatuor acies ea disponam. Prima quam ductat Aluares loco allgato à n.13. opponit primò generationem hominis, quæ absque vllius modi interuentu perficitur. Quia ergo sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus, infert in Christi quoque productione, nullum talem modum vinculantem extrema esse admittendum. Oponit secundò exortum similitudinis inter duo alba, excluso quocunque modo, & sola albefactione vtriusque extremi posita. Opponit tertiò, necessarium fore, vt modus qui humanitatem & Verbum nectere hypostaticè dicitur, nectatur & ipse Verbo hypostaticè, ne quid substantiale humanitati Christi insit quod à Verbo non sit assumptum, & imperfecta incarnatio inuehatur, contra dicta Sanctorum: Opponit postremò & (vt ait,) efficaciùs quod modus ille additicius, nec pertinet ad humanitatis essentiam, nec ad existentiam vel propriam subsistentiam eiusdem, sed ab his omnibus secernitur à parte rei. Igitur si modus ille admittatur, iungendus erit cum Verbo, eique de nouo appingendus realiter, & sola minori realitate seiungendus, quod liquet esse impossibile ob immutabilitatem Verbi.

Examinatur.

Hæc vix egent responsione. Breuiter tamen dico, ad compositi humani exortum, eam actionem esse necessariam (vel ipsomet aduersario fatente,) qua homo generatur. Ea autem actio, non facit de nouo materiam, quæ præerat à mundi initio; neque formam, quæ creatione non generatione producitur. Quid ergo facit antecedens ad compositum, siue antecedens ad hominem, si homo nihil est præter animam & corpus? Tale quid enim faciat necesse est, si homini nihil est præter animam & corpus vnitum, nec tamen fit aut anima aut corpus. Facit itaque vnionem illarum partium: Cuius productio, appellatur & est hominis generatio. Similiter actio incarnatiua producit Christum, producendo de nouo nexum inter extrema substantialis compositi, accipientis esse de nouo per eam actionem. Eodem modo exortus similitudinis inter alba, (vtcunque habeat paritas in tanta disparitate similitudinis & vnionis,) supponit actionem terminatam ad productionem, vel ad appositionem albedinis cum altero

ætro extremorum, quæ de nouo denominantur similia. Quod vrgemus ad hypostaticam talis modi vnionem admittendam, ridiculum est. Ille quippe modus est aliquid supernaturale humanitati, nec pertinet ad eius naturalem constitutionem vel essentiam, vt assumi idcirco debuerit, si assumpta est humanitas. Quanquam neque omnes modi subsistiales naturales assumpti sunt, non obstante quam ad id vrget aduersarius, incarnationis perfectione. An enim vnio inter materiam & formam, & vnio inter partes subsiantiales integrantes, & ambæ substantiales sunt, iuxta sententias saltem probabiliores, quæ modos illos agnoscunt, dicendæ idcirco erunt assumptæ à Verbo hypostaticè, ne quid substantiale humanitati Christi inexistat non assumptum? Inefficacior denique & omnium deterrima est posterna argumentatio, quæ vt efficacior alijs venditabatur. Admissa enim modi vnionis distinctione à natura & existentia, ac connaturali subsistentia humanitatis: nego sequi, modum illum, si admittatur; debere de nouo statui in Verbo: sed dico statuendum esse in humanitate, eique supernaturalem formam esse, per quam humanitas trahitur ad Verbi subsistentiam, eique copulatur. Nihil itaque prolatum ab Aluare est, quod multam operam ad illud enodandum deposceret.

Altera acies contra vnionem modalem.

148. Firmiora in speciem videri possunt quæ aduersus eundem hypostaticum modum, adducit acies secunda, cui præest Collius l. 2. de sang. Christi, disp. 3. c. 2. & 3; opponit enim primò, argumentum quod pridem à Gregorio propositum est, in 1. d. 18. q. 2. ad 18. nempe vnionē quæ inter Verbum & humanitatem intercedit, non minus substantialem esse ex parte diuini Verbi, quàm ex parte humanitatis, & æque virtute sua Verbum humanati ac humanitatem Verbo coniungere. Atqui Verbum, se solo & absque interiecto modalis vllius vinculi Verbo intrinsecè aduenienti, coniungitur humanitati intrinsecè & substantialiter. Igitur humanitas quoque absque modali vllo nexu intermedio, poterit intrinsecè ac subsistentialiter copulari Verbo diuino, non obstante immutabilitate Verbi, humanitatis autem mutabilitate. Nam quamuis humanitas sit mutabilis, tamen ratio extremi vnibilis, abstrahit à mutabilitate & immutabilitate. Vnde etiamsi humanitas fingeretur esse immutabilis, non minus posset iungi Verbo, quàm nunc Verbum, quod immutabile est, verè iungatur humanitati vllo modo ex parte ipsius Verbi. Opponit secundò, modum vnionis neque relatiuum quid esse, neque absolutum. Non primum, quia relatio v. g. paternitas, intrinsecè denominat subiectum, extrinsecè verò terminum. At modus de quo disputamus, æquâ sorte Verbum & humanitatem respicit, cum sit nexus vtriusque, & substantiali copulationi relationes quascunque anteuertenti deseruiat. Non igitur modus ille est aliquid relatiuum; sed neque dici potest esse aliquid absolutum, cum non sit ad se, sed ad Verbum; vt autem relatiuum simul & absolutum aliquid sit, ne fingi quidem potest, cum rationes illæ se inuicem excludant; & Aristoteles nusquam suffragetur. Opponit tertiò, si modus ille admittatur, perpetuum quendam eius defluxum, & iuges generationis ac corruptionis eius vicissitudines, admittendas fore, ob perpetuam enaporationem quarundam partium corporis Christi factam vi naturalis calotis, & aliarum quarundam partium suffectionem & aggenerationem, nutritione causatā. A partibus enim defluentibus, abscederet vnio hæc modalis hypostatica; accederet autem aggeneratis & aduenientibus de nouo. Opponit postremò, vniones inter materiam & formam materialem, inter corpus & animam rationalem, inter Angelum, & locum naturali eius perfectioni commensum; quas peragi affirmat solâ materiæ & formæ, corporis item & animæ, ac loci & Angeli naturali proportione & applicatione, secluso quouis interiecto modo. Concludit ergo, vnionem Verbi & humanitatis, non dissimiliter se habere, & nullam modalem vnionem quasi inter genuinum parietem deposcere. Quod si inter hæc extrema deest naturalis proportio, at non deest obedientialis, vi cuius positis applicatisque extremis, quamuis omni alia entitate abrogata, exurgeret Christus.

Repellitur.

149. Non erit difficile ista conterere. Ac primùm, negandum est, quicquid alteri vnitur, se habere semper intrinsecè aliter quàm priùs. Nam vnum extremum intrinsecè immutatum, potest vniri absque vlla sibi intrinseca mutatione, dummodò in altero extremo fiat mutatio, & ponatur forma terminata ad illud aliud extremum, quod nulla intrinseca mutatione afficitur. Sic in physicis probatior sententia affirmat, hominem constitui vnico modo vnionis materiali ac proinde inhærente soli materiæ, & ad animam extrinsecè tantùm terminato; ita vt anima vi vnionis ad corpus, nullo modo mutetur intrinsecè, sed tantùm terminet respectum entitatis positæ de nouo in materia, per mutationem intrinsecam in ea causatam. Et verum quidem est, vnionem esse essentialiter nexum duorum. Male tamen infertur, nexum illum debere esse vtrique extremo æquè internum. Imo dummodò intrinsecè alterum duntaxat eorum afficiat, eidem alterum quoque vinculabit, Ac proinde frustra (etiam in extremis mutabilibus & creatis) poneretur vinculum ambobus extremis intrinsecum. Quandò ergo magis ad vnionem de qua agimus, quæ Verbum ipsum diuinum cum humanitate copulat, sufficiet modus alteri duntaxat extremo, id est humanitati intrinsecus, eamque solam immutans? Si enim cum vnio intercedit inter extrema mutabilia potest esse potior ratio ex parte vnius, cur modus vnionis ei soli internus sit, ad alterum verò extremum extrinsecè tantùm terminetur: quo pacto vnio humana, quia fit ab homine ac proinde est materialis, insidere potiùs debuit materiæ, quamuis anima quoque sit mutabilis; Multò magis mutatio quam in hoc negotio interuenire necesse est, siue inuectio nouæ entitatis modalis extrema tam abiuncta vnientis, assignanda est ex parte solius humanitatis ob omnimodam Verbi immutabilitatem, quamuis verè Verbum, cum ante non vniretur dicatur vniri de nouo, non denominatione petita à forma Verbo intrinseca, sed denominatione hausta à forma intrinseca humanitati, & à natura intimè coniuncta Verbo. Quod est dicere, Verbum non aliter quidem se habere intrinsecè post vnionem quàm priùs, nec vllam in seipso subijsse mutationem, sed tantùm terminasse habitudinem vinculi vnitiui mutantis alterum extremum, eique inhærentis; quod inter extrema quoque creata, sufficit ad veram & intrinsecam coniunctionem. Insinuat hanc doctrinam D Thomas 3. p. q. 1. art. 1. ad 1. & q. 16. art. 6. post S. Athanasium epistola ad Epictetum. Hinc euanescunt, quæcunque primo loco, ab Autore cum quo agimus fuerant obiecta.

Vnio modalis, quomodò relatiua.

150. Quod autem addebatur, hunc modum neque relatiuum neque absolutum esse posse, facile dilnitur, dicendo, modalem hanc vnionem, non esse quidem relationem categoricam, quæ est purus respectus termini & subiecto accidentaria est, saltem ad modum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

accidentis verbalis: Esse tamen relatiuam transcendentaliter. Quod genus relatiuorum est ens verè absolutum. Nam præter relationes categoricas, quæ non pertinent ad categoriam rerum quas afficiunt, quia illis iam plenè constitutis adueniunt, vt liquet ex paternitate & similitudine; necessarium omnino est admittere relationes aliquas longè alterius rationis, quas Simplicius apud Scotū in 1.d.3.q.5. *Litera F.* vocat substantiales & essẽtiales. Ipse Scotus in 2.d. 1. q.5. *Litera P.* vocat trãscẽdentes; & ita nunc passim vocantur nõ restringendo eam vocẽ ad eas tantùm relationes essẽtiales designandas, quæ plura vel omnia prædicamenta transcendunt, & ad nullum certum pertinent, cuiusmodi sunt relatio creaturæ aut inhærentis &c. quas solas relationes dici transcendentes, tradit Antonius Ruius q. 5. de relatione; sed voce ad tales primùm relationes, vt verisimilius satis est vsurpata æquè ad omnes essentiales relationes extensa. Agnoscit eas essentiales relationes S. Thomas in 2. d. 1. q. vnica art. 5. ad 8. *ex primo loco propositus.* Caiet. c. 7. de ente & essentia q. 15. & Scotus supra, nec refragatur in 4. d. 12. q. 1. vbi tantum intendit, has formas non esse dicendas relationes quasi spectent ad categoriam relationis, sintque puri respectus. Non negat autem, nec negare potest, quod alio loco notato concesserat, dari entitates, quæ in suo essentiali conceptu inuoluant habitudinem ad alterum. Cognitio enim v. g. præciso quouis accidentario respectu, inseparabiliter & essentialiter respicit obiectum, ita vt impossibile sit, essentiam cognitionis per definitionem explicare, quin fiat mentio obiecti, sistendi per eam intellectui. Similiter materias cum sit essentialiter formæ receptiua, respicit essentialiter actum formalem, à quo perfici, & actuari potest; ita vt repugnet, concipi receptiuum nõ concipiendo quoque id quod à receptiuo potest recipi. Idem est de respectu creaturæ ad creatorem. Nemo enim creaturæ notionem essentialem efformare queat, nisi habitudinem ad Deum inuoluat. Hæc ergo entia essentialiter relatiua ad alterum, & absoluta & relatiua dici possunt; sed vario sensu, vt Caietanus optimè aperit q. illa 15. aduertens aliquid dupliciter posse dici absolutum; nempe vel à subiecto, vel à termino. Absolutum autem à subiecto, illud est, quod non potest in alio subiectari vt substantia. Possemusque similiter dicere, aliquid esse absolutum ab efficiente, vel absolutum à forma, si tale sit vt careat formali causa vel effectiua. Absolutum verò à termino illud est, quod non respicit essentialiter aliud purè vt terminum ad quem; & talis est, substantia, & quantitas, ac qualitas. Econtrario porrò respectiuum duplex est. Nempe & quod formaliter respicit aliud purè vt terminum, quæ est germana notio relationis categoricæ, & quod respicit aliud non vt purè terminum ad quem; nullum scilicet munus erga eum exercendo, sed vt aliquid cum eo connexum in aliquo genere causæ, vel ratione alicuius muneris. Quanquam enim connexio inter duo, latiùs patet, quàm relatio transcendentalis vt dixi in naturali Theologia d. 8. n. 391. tamen in hac quoque est vera connexio, quæ manifesta est ex munere aliquo huiusmodi relationis erga terminum, v.g. quia illud repræsentat aut recipit, vel connectit: quod non habet relatio categorica, quæ est habitudo pura absque vllo tali munere, vt patet ex similitudine, qua albedo alteri albedini similis dicitur. Huiusmodi ergo entitates, quibus essentialiter implantata est habitudo non pura ad alterum, sunt quidem relatiuæ essentialiter, & eatenus non sunt absolutæ à subiecto, vel à causa, vel à subiecto, simul tamen sunt absoluæ, nempe à termino puræ habitudinis, quia non sunt prædicamentaliter respectiuæ, quod duntaxat genus rerum non potest absolutum denominari. At entitates de quibus agimus, quamuis ob habitudinem, quam dicunt, possint & soleant relatiuæ denominari, tamen quia ea habitudo non est respectus purus, sed vel est essentialis differentia rei, qualis est in visu respectus ad colorem, vel est aliquid intimè imbibitum in rerum essentia, vt est ratio entis creati in creatura, spectat ad aliud prædicamentum, quam ad tertium accidentium: nempe spectat ad prædicamentum rei, quam constituit, & idcirco eiusmodi entitates denominantur absolutæ. Inter has entitates simpliciter loquendo absolutas, hoc est non constitutas relatione categorica, respectiuas tamen essentialiter, numeranda est quæuis vnio, atque adeò etiam vnio hypostatica. Vnde succidit argumentum in quo versamur, quod eas neque absolutis neque relatiuis entitatibus accenseri posse contendebat. Portò non refragari Aristotelem, vt aduersarius obstrepebat; sed verè agnouisse, entitates quas simpliciter dicimus absolutas, posse simul esse relationes, constabit expendenti loca, quæ ad id ex eo profert Greg. in 1.d.28.q.2. concl.2.

Cohæret cum iugi labilitate.

151. Æque inane est argumentum, quod postea subijciebatur ex perpetuo accessu & recessu vnionis hypostaticæ; & si quam vim haberet, æquè soluendum esset aduersario. Nam siue vnio hypostatica, sit modus, siue non sit, sed tantùm consistat in extremis indistantibus, & apte se habentibus; certum est, euaporantibus per actionem caloris naturalis, aliquibus partibus corporis Christi, æquè dilapsam esse vnionem: & aggeneratis per nutritionem de nouo quibusdam partibus, æquè accessisse vnionem nouam, idque propè continuo, pro vt continua virtutis nutritiæ & caloris naturalis negotiatio ferebat. Quod ergo aduersarius de vnione sic sũpta statuet, nos pari iure de vnione modali statuemus. Et breuiter vera resolutio est, quamuis omnes partes quæ ad integritatem & constitutionem humanitatis pertinent, manserint semper Verbo vnitæ, quamdiu pertinuerunt ad eam integritatem, tamen cum primum euaporabant, quia desinebant esse partes corporis humani, cui soli vt sic concessa est gratia vnionis, vt Suares. 3. p. q. 5. ad art 2. rectè notauit, desijsse vniri Verbo Et è contrario, partes alimenti, cum primùm induebant rationem partis humanæ, etiam ante informationem ab anima, illicò vniebantur Verbo. Quia enim prius est subsistere quàm vniri, propterea partes illæ materiæ prius vniebantur Verbo, quàm animæ, sicut de tota materia dictum est superius tractando ordinem assumptionis inter partes humanitatis. Induebant autem partes illæ rationem humanæ partis, eo ipso quod vltimò disponebantur ad animæ humanæ receptionem, ita vt per consummationem dispositionis prædictæ, materia illa partialis & vnitetur Verbo, & animæ, sed prius naturâ Verbo quod subsistentiæ naturali sufficiebatur, animæ autem posteriùs natura.

Aliæ item vniones, sunt modales.

152. Tandem coniunctiones aliæ, ex quibus aduersarius argumentabatur, æquè peraguntur interiectu modalis vinculi, ac ista in qua versamur, vt proinde absurde eas adducat aduersarius, vt probet vnionem hypostaticam non contineri entitate modali. Nominatim verò taceri potuit coniunctio cum loco, quæ neque vera est coniunctio (quanquam & aliqui eam finxerunt, in quos meritò conclamat Suares d. 51. Metaph. s. 4. n. 16.) neque absque modo substantiæ Angeli superaddito perficitur, contra quàm aduersarius imaginatur, quod reiecì in Theologia naturali. d. 4. n. 197. Proferri item non debuit coniunctio materiæ & formæ. Nam etsi quis gratis daret eam cõ unctionem perfici absque modali vinculo propter sympathiam

natura

naturarum partium illarum ad inuicem, & adaptationem materiæ per certas dispositiones, quo pacto philosophantur quidam physici, tamen in re præsenti non licet similiter philosophari, quia nulla potest prorsus certa dispositio, quæ humanitatem Filio potiùs deuincat, quàm Patri aut Spiritui sancto æquè ab ea indistantibus, & illi æquè applicatis. Nec certa dumtaxat dispositio respectiua Filij afferri nequit, sed neque vllo modo respectiua alicuius diuinæ personæ. Nam in Christo si vnionem hypostaticam semoueas, nihil est supernaturale, cui hæc adaptatio tribui possit, præter gratiam sanctificantem; quam tamen libi quod non habere hoc munus. Alioqui in omnibus iustis esset inchoata dispositio ad Deificationem, & per hanc assumptionem, quod nemo finxerit; aliasque in hanc rem rationes, attingam infrà tractans huius vnionis materiam. Postremò in humanitate Christi nulla est sympathia, vel naturalis proportio cum Verbo tanquam cum termino substantiali, quæ sympathia in naturali coniunctione formæ & materiæ, ab ijs obtenditur, qui illam absque modali vinculo sola partium oppositione peragi dicunt. Quod autem inter Verbum & humanitatem intercedit proportio obedientialis, argumento potiùs est eam proportionem adeo tenuem esse, vt potius debeat dici improportio. Et æquè sanè cadit in omnes substantias etiamsi purè materiales, quas tamen nemo simpliciter dixerit habere proportionem ad vnionem cum Verbo, aliquamve cum eo sympathiam.

Acies tertia contra vnionem modalem.

153. Tertiam aciem argumentorum contra modum vnionis, educit Valentia 3.p.d.1.q.2.p.5. Reiectis enim ijs qui vnionem hypostaticam accidente quopiam siue respectiuo siue absoluto contineri censebant, addit, iisdem ferè argumentis euerti sententiam quæ vnionem hypostaticam constituit in modo quodam substantiali distincto ab humanitate à parte rei. Primò quia nihil in humanitate productum, potest intrinsecè & essentialiter esse vnio hypostatica cum Verbo, quandoquidem à quacunque re diuinitus producta in humanitate, separari potest terminatio humanitatis per Verbum. Sanè si vnio hypostatica est vera quædam modalis entitas distincta ab extremis, à parte rei, quid obstare potest, quominus illam Deus solam producat seorsim ab humanitate, & conseruet procul ab ea? Quicquid enim ab alio à parte rei distinguitur, illique extrinsecum est, eo ipso potest absque eo consistere, atque adeò fieri & conseruari. Si enim ipsum, non est illud aliud, non ideò ipsum erit & non erit, quia illud aliud non sit. Secundò argumentatur Valentia, quia realitas illa à parte rei distincta ab humanitate, non potest esse essentialiter vnio, nisi connotando simul Verbum diuinum vt hypostaticè supplens vim personalitatis creatæ erga humanitatem, sectusis imperfectionibus. Igitur realitas illa quæ dicitur esse vnio humanitatis ad Verbum, potest poni in rerum natura, etiam si humanitas non copuletur Verbo, quod tamen impossibile esset, si ea realitas esset essentialiter vnio cum Verbo. Posse porrò produci eam realitatem, non consecuta humanitatis coniunctione cum Verbo, inde euincitur, quod etiamsi supponamus quamcunque realitatem produci effectiuè, adhuc tamen libertum est Verbo non adhibere influxum hypostaticum ab effectino longè diuersum, quo suppleat munus personalitatis creatæ & humanitatem substantialiter terminet. Erit igitur realitas illa, nec tamen habebit rationem vnionis cum Verbo, quam certum est consistere non posse nisi Verbo influxum hypostaticũ adhibente; ac proinde illa realitas, non potest esse essentialiter vnio. Quid quod vt tertiò argumentatur aduersarius omnis realitas habens aliquam rationem formalem per ordinem ad aliquid extrinsecè connotatum, potest absque eo remanere, atque adeò eiusmodi rationem formalem exuere? Dummodò tamen ea ratio non sit de eatum numero, quæ quoduis ens creatum transcendunt, & omnibus æquè creaturis sunt communes, cuiusmodi certè non est ista de qua agimus, siue ratio vnionis. Hoc aduersarius constare ait, inductione vniuersali in omni rerum genere. Ac proinde realitas cum qua ea ratio conseritur, perstare potest absque influxu hypostatico per eam realitatem extrinsecè connotato, atque adeò non est essentialiter vnio, qualis tamen à nobis pingitur.

Exarmatur.

154. Hæc acies facilè exarmabitur; procedit enim ex sola falsa intelligentia naturæ modorum & nominatim vnionis. Aio igitur modum vnionis quem admisimus, esse intrinsecè & essentialiter vnionem, nec posse esse in rerum natura, quin actu vinciat Verbum cum humanitate. Perperam autem affirmat aduersarius, producta diuinitus in humanitate realitate quacunque, adhuc posse Verbum non applicari humanitati ad supplendam subsistentiam creatam, & suspendere vel inhibere substantialem humanitatis terminationem: posita enim vnione, id est impossibile. Quia hic est effectus eius formalis, quem constat admota causa, suspendi vel inhiberi non posse. Eo ipso autem quod hæc entitas statuitur modalis, liquere debet, impossibile quoque esse, eam seorsim ab humanitate produci vel conseruari, quia modus, pro vt ex Boëtio loquitur Scotus quod l. 3. *Litera B.* Malè & vocem, & subiectam ei notionem improbante Gabriele in 3.d.23. q.1. *Litera F.* est essentialiter affixus modificato suo, ita vt absque eo nequeat consistere etiam vi diuina. Vnde quamuis à parte rei differat à modificato, & noua productione ei superueniat, ac eatenus dici possit illi extrinsecus, tamen non est separabilitas mutua inter vtrumque ob summam modi infirmitatem: quæ causa est, cur modus nequeat per se consistere, vt rectè probat Dur. in 4.d.12.q.1.n.6. & cur plerumque etiam, modus dicatur esse intrinsecus modificato, & à plerisque negetur à modificato distingui, nempe distinctione maiore, qualis intercedit inter extrema, quorum neutrum essentialiter affigitur alteri, & idcirco possunt seorsim consistere, & accipere, aut retinere esse suum, absque coniunctione & adhæsione ad inuicem. Eodem sensu Dur. in 1.d.33.q.1.n.15. & d.30.q.2.n.14. & 15. ait modos non esse rem nisi secundùm quid & secundariò, negarque esse secundùm se entitates, cum non habeant formalem entitatem, & quidditatem, sintque alterius: non tantùm eo modo quo accidentia, quæ idcirco dicuntur entis entia; quia naturaliter non possunt esse sine subiecto, sed etiam quidditatiuè & formaliter, quia nullam habent quidditatem, nisi eam quæ est esse huius. Quod maximè valet de modis illis, qui intrinseci dicuntur à Sirecto in formalitat. articulo 2. partiali primi principalis, quia pertinet ad constitutionem & complementum intrinsecum fulcri cui innituntur, nec pertinent ad diuersam speciem categoricam, sed tantùm reductitiè collocantur in categoria fulcri sui. A Manzoli autem c.5. formalitatum D. Thomæ *sub finem*, ob eandem causam vocantur modi extrinseci. 4. Fonseca 7. Met. c.8. q.4. s.3. & sæpè alibi vocantur puri modi se habendi. Hi enim sunt modi strictè dicti, qui non habent propriè essentiam peculiarem, sed sunt alienæ essentiæ complementa, vel tanquam eius termini interni, vel tanquam subscudes & vincula. Potest tamen etiam accommodari ad illas infirmas entitates, quæ presèe dicuntur formalitates, quia spectant ad nouam speciem, habentque in recto

entitatem

entitatem & essentiam propriam, distinctam ab essentia & ratione formali rei cui adhæresc unt, cuiusmodi est figura respectu quantitatis. Nam hæ quoque entitates, eatenus dici possunt non habere entitatem formalem & quidditatem propriam, quatenus nulla vi possunt abiungi à rebus quibus aliquando coniunguntur, sed essentialiter eis affiguntur. Quanquam nobis satis est, quod id valeat de modis precise acceptis, quia vnio ijs annumeratur; quam proinde dico vt & alios quosuis modos, essentialiter, atque adeò absque interiecto alio vinculo adhærere, vt rectè affirmat Dur. in 1.d.33.q.1.n.16.addens n.17.& d.illa 30.q.2.n.15. modum non facere compositionem cum re cuius est modus non quod concursus rei & modi, simplicitatem non tenet, & res illa ac modus non sint aliquid minus simplex, quàm res sola absque modo; Id enim dici non posse rectè eninciunt Suares l.4.de Trinit.c.4. n.10 & Vasques 1.p.d.120.n.23.Sed quod non se habeant vt res duæ firmæ, quæ aptæ sint seorsim & absque nexu cohærere. Eodemque sensu Fonseca, malè reiectus à Suare d.47.Met.s.2.n.8.& ab Albertino q.6. de relatione n. 15. rectè negat modum habere propriam existentiam; non quod velit modum esse nihil, sed quod essentialiter affigatur alteri, nec absque eo vlla vi queat existere. Sicut eandem ob causam Suares d.7.Met.s.2.n.10.& s. .num.11.& passim alij, dicunt modum non habere entitatem propriam, & asserunt identificari suo modificato.

155. Liquet igitur ex his omnibus, quàm non solidè aduersarius in primo argumento, ex eo quod vnio sit aliquid vtcunque à parte rei distinctum à natura humana quam afficit, colligi censuerit vnionem posse diuinitùs seorsim ab humanitate collocarj & conseruari, eo quod supposita illa aliquali distinctione à parte rei sit extrinseca humanitati. Falsò item in secundo argumento, affirmat eam realem entitatem, quam modum dicimus, posse poni in rerum natura verbo interim negante humanitati influxum hypostaticum ab effectiuo diuersum. Nam quamuis influxus hypostaticus nullus reuera est, sed tantùm debet admitti terminatio substantialis; quicquid tamen illud sit quod Verbum humanitati confert illam terminando, non potest à Verbo negari; posito quod vnio sit producta in humanitate. Vnde sequitur, modum quem admittimus, ita esse vnionem essentialiter, vt non possit exuere rationem formalem vnionis. Atque adeò falsissimum est quod in tertio argumento aiebat aduersarius, omnem realitatem cui conueniat ratio aliqua formalis per ordinem ad aliquid extrinsecum, posse talem rationem formalem non omnibus entibus creatis communem exuere; idque inductione vniuersali confirmari, hoc nulla ratione est admittendum, cum sit apertè abhorrens à vero. An enim visus, qui rationem suam formalem, peculiarem, ac differentialem habet per ordinem ad colorem extrinsecum, potest eam rationem formalem exuere, & sine ea perseuerare? Idem dico de omnibus essentialiter relatiuis; & nominatim de subsistentia creata, quam Valentia 3 p.d.1.q.4.p.2. §. *Octaua opinio*, agnoscit esse verum modum substantialem, eiusdem naturę proportione seruata, cuius hactenus diximus esse vnionem. Neque tamen venerit illi vniquàm in mentem asserere & subsistentiam, quæ naturæ æquè extrinseca est, ac vnio id est æquè terminat actionem peculiarem, & æquè à natura distinguitur à parte rei, potestque item æquè ab ea auelli, separatione non mutua, abijcere posse formalem rationem, quam habet per ordinem ad naturam quam terminat, possetue in rerum natura perstare, nec fungi vllo terminandi munere.

Acies postrema, funditur.

156. Postrema acies argumentorum contra vnionem hypostaticam modalem, quorundam recentiorum est, qui opponunt; iuxta nos humanitatem non fore vniendam Verbo immediatè & proximè, sed tantùm mediante vnione, ac proinde non subsistantialiter, sed accidentariò tantùm, quod est Nestorianum. Sicut ergo subsistentia creata affigitur per seipsam naturæ, quam terminat, nulla inter vtramque interposita modali entitate, ita contendunt idem esse asserendum de diuina subsistentia ad humanitatem comparata: & quidem à fortiori, ne adigamur concedere dari posse entitatem creatam, qua Verbum necessitetur ad terminandam humanitatem.

Non est quod ista nos remorentur. Vix enim responsione egent, tam sunt enodia & inania. Aio igitur, vnionem non esse quasi septum vel parietem intergerinum obstantè immediatæ & substantiali coniunctioni extremorum substantialium, cæteroqui proportionatorum, sed esse ipsum eorum formalem nexum, qui idcirco tantùm dicitur mediare inter partes, quia absque eo non potest peragi compositio. Neque enim vnio habet rationem extremi vniri & quasi glutinis, quod circa duo inter se copulat, quod est inter ea medium, & vtrumque secum deuincit: sed habet tantùm rationem nexus, & idcirco vnitur seipsa, absque alia vlteriore vnione, quia sistendum est in primo quo; vnio autem non vnitur nisi vt quo. Sicut ergo actio non impedit egressum immediatum effectus ab agente, quia est ipsamet egressio & via, nec egreditur nisi vt quo, & vt ratio formalis egrediendi (idem cernitur in omnibus se habentibus vt quo) ita vnio non excludit immediatam adhæsionem extremorum, quia est ipse eorum nexus. Mirum verò est, quorsum aduersarij præterea opponant nobis paritatem inter humanam & diuinam subsistentiam, colligentes subsistentiam diuinam debere seipsa, & absque vnione inter media, coniungi humanitati, sicut subsistentia connaturalis humana, iungitur per seipsam naturæ suæ, nullo interiacente modali vinculo. Hoc dico non rectè aut satis commodè ab aduersarijs obijci. Quod enim subsistentia connaturalis afficiat seipsa naturam propriam seclusa modali vnione, ratio inde petenda est, quod subsistentia creata sit modus, qui essentialiter atque adeò per seipsum adhæret modificato suo: sicut subsistentia diuina, quatenus virtualiter distinguitur à Deitate, concipitur ei coniungi seipsa, & nullo interiacente nexu distincto ab extremis, ad compositionem illam rationis spectantibus. Et quoad hoc est paritas inter vtramque subsistentiam. Sed in re præsenti cum agatur de subsistentia Diuina collata ad extraneam naturam, afferenda esset paritas inter subsistentiam humanam collatam cum natura extrinseca, & subsistentiam diuinam collatam cum humanitate. Sicut ergo subsistentia humana, si comparetur cum natura extranea non terminat eam nisi interueniente modali vinculo; Quia non potest eam seipsa afficere, cum non possit à proprio modificato prosilire: ita neque diuina subsistentia terminare potest humanitatem sine modali nexu. Quid ergo in paritate illa quæ opponebatur, feritur metiturve aduersarijs? Denique quod addebant aduersarij de necessitatione Verbi ad terminandam humanitatem, si modale vinculum interponatur, nullo negotio dilnitur. Verbum enim non necessitatur ab vnione, quia liberum fuit Verbo eam non ponere; sed ex quo liberè per ipsummet Verbum posita est, necessitas terminandi quæ Verbo injicitur, non est nisi ex suppositione, à qua non plus temeratur Verbi libertas, quàm libertas sedendi in eo qui liberè sedere voluit, violetur ex eo quod non possit non sedere, posito quod ex voluntate sua sedeat.

Cap

Concluditur, vnionem hypostaticam esse verè modum.

157. Sediscussis omnibus, quæ aduersus vnionem modalem, humanitatem Verbo copulantem obijciebantur, concludendum est vinculum illud à Verbo & humanitate à parte rei distinctum, esse admittendum; eiúsque vinculi negationem, esse proximum terminum à quo, actionis incarnatiuæ, quæ proximè & formaliter tendit ad vnionem, tanquam ad terminum suum formalem, non autem ad humanitatem: quicquid in contrarium statuat Vasques 3. p.d.19.c.2. quod alijs verbis exprimunt alij, qui pro eodem termino assignant negationem personalitatis diuinæ in humanitate; vel negationem personalitatis humanæ inductam per Verbi suppositationem. Nam hæc omnia eodem recidunt, quicquid in contrarium argumentetur Albertinus Coroll.4. de substantia. dub.4. & Vasques 3.p.d.19.c.3. Eo ipso porrò quod vnionem assigno pro termino ad quem actionis incarnatiuæ, satis significo, vnionem differre à tali actione, siue ab vnitione, contra Salazarium l.de concept. c.24 n.80. Sicut enim in composito humano, quia vnio non est ipsamet productio formæ ex subiecto, assignamus actionem, quâ vnio producatur, quandoquidem cuilibet enti à se, quod non est ipsamet egressio ab agente, assignanda est egressio aliqua, quæ non alia est quàm actio: ita quia vnio humanitatis ad Verbum, posterior natura est, & longè diuersæ naturæ ab humanitatis productione, oportet vt per actionem aliquam dependeat à causa sua efficiente. Eam ergo actionem, vocamus vnitionem, aut quod idem est, assumptionem; quia est id quo tanquam causalitate efficitur nexus, per quem Verbum adiungit sibi humanitatem, vt eâ subsistentialiter terminet. Assumere enim est ad se sumere, & sibi vnire. Proindèque assumptio est actio vnitionis, prout dicens ordinem ad Verbum tanquam ad subsistentialem terminum humanitatis, communicatum per eam actionem, tanquam per viam, ad vnionem quæ est immediata & formalis communicatio, ipsúque nexus extremorum illorum.

Cuiusmodi sit vnio hypostatica. Quæsitum 2. Est substantialis.

158. Iam quandoquidem constat dari vnionẽ modalem inter Verbum & humanitatem, scrutanda paulò exquisitiùs est natura eius, & multiplicitas, ac dignitas, nominatim penes firmitatem & perpetuitatem. Et natura quidem huius vnionis, magnam partem patet ex dictis. Est enim verus modus subsistentialis, humanitati Christi affixus, Verbique ita respectiuus essentialiter, vt illud actu copulet cum ea humanitate. Vocant hanc vnionem modum subsistentialem, quia habeo tationem muneris, quod obit, & complementi subsistentialis ad quod trahit naturam. Sicut enim vnio physica partium substantialium vocatur modus substantialis, quia nectit partes substantiales, éstque via ad compositi substantialis compactionem: Ita vnio hypostatica quia est via ad terminationem substantialem, quæ humanitati à Verbo confertur, meritò appellatur modus substantialis, & æquè ac subsistentia connaturalis ad categoriam substantiæ reducitur; non autem ad vllom è generibus categoricis accidentium: siue qualitatis, vt loquitur Gabriel in 3.d.1.q.1.art.5. siue *habere*, vt dixit Mayronis in 3.d.1.q.2. *sub finem*, siue relationis: vt nonnullis tribuit Paludanus in 3.d.5.q.1. art.3. quos latè sequitur Rada in 3.controu.3.art.4. Quanquam vix est inter hos Autores & nos, dissidium vllum. Nam Gabriel idcirco tantùm videtur hanc vnionem vocare qualitatem, quia non est directè substantia, sed aduenit humanitati iam essentialiter constitutæ, quam etiam exornat supra modum, & eminentissimè sanctificat, quod vtcunque redolet qualitatem. Mayronis verò extendit significationem categoriæ habitus, ad ea quoque, quæ ita habentur, vt substantialiter compleant, quod præstat vnio, aduehendo subsistentiam extraneam. Tandem qui vnionem vocant relationem, non egerunt de relatione categorica, & nuda ac pura habitudine, qua vix quicquam est ineptius ad extremorum aliquorum vinculationem; vt ægrè adducar ad credendum, fuisse qui ita vnquam censuerint; & frustra operam consumere videatur Albertinus, eam opinionem fusè refellens, coroll.4. de substantia dub.1.à n.23. Egerunt igitur de relatione transcendentali & essentiali, cui locus quoque est in categoria substantiæ. Et ita habetur ex Scoto in 3.d.1.q.1. *Litera K.* & ex Durando in 3.d.5.q.2.n.8.

159. Agnouerunt planè vnionis huius substantialitatem, Patres, cum eam vocarunt naturalem & essentialem. Audi Petrum Diaconum lib.de incarn.c.3. Nazianzeni ac Cyrilli suffragijs id comprobantem. [Beata Maria peperit verè & propriè Deum Verbum incarnatum, & hominem factum, atque essentialiter siue naturaliter carni vnitum. Propterea etiam, essentialem siue naturalem factam naturarum vnitionem omnimodis confitemur; non sicut illi qui tanquam in Prophetam, ita in Christo Domini Verbum inoperasse contendunt. Quos redarguit beatus Gregorius Nazianzenus ad Cledonium, dicens: [Si quis sicut in Prophetam secundùm gratiam dicit inoperasse Domini Verbum, & non essentialiter factam confitetur vnitionem, si vacuus melioris inoperationis; magis autem plenus sit deterioris.] Nec sicut illi qui secundùm illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem, aut personalem, vel subsistentialem siue secundùm authoritatem, aut potentiam, aut æqualitatem honoris, vnionem tentant astruere naturarum. Quos paulò superiùs memoratus beatus Cyrillus anathematizat, dicens contra Nestorium: [Si quis in Christo diuidit substantias post vnitatem, sola societate connectens secundùm dignitatem, & authoritatem, aut potentiam, & non magis coniunctionem quæ est secundum vnitatem naturalem, anathema sit.]

Verba sunt S.Cyrilli, anathematismo 3. Similiter in Concilio Lateran. sub S.Martino 1. consultat. 1. can. 6. decernitur, secundùm sanctos Patres, esse in Christo duas naturas substantialiter vnitas. Et rursus can.8. naturarum in Christo vnitio, secundùm sanctos Patres vocatur substantialis. Et superiùs in oratione Sancti Martini ad Synodum, Verbum dicitur assumpsisse & vniuisse sibi substantialiter quæ sunt nostræ naturæ. Quam S.Greg Naz. & S.Cyrillus vocauerunt *vnionem naturalem, & κατ' οὐσίαν*, siue *essentialem*, hanc S.Martinus vocat *substantialem*. Quæ duo eodem recidunt, & substantialitatem vnionis de qua agimus, perspicuè ferunt. Nimis enim ieiunè Vasques 3.p.d.17.c.3. vnionem naturalem & essentialem, dici putat à Græcis Patribus, tantùm quia reipsa & non apparenter facta est. Qua ratione, accidens dicendum esset iungi subiecto naturaliter & essentialiter. Fateor interdum Patres Græcos agentes de vnione, eámque vocantes *naturalem*, id interpretari de vera vnione. Sed veram vnionem intelligunt, quæ non est per solam dignitatem & autoritatem, aut accidentia, qualem agnoscebat Nestorius, ipsique Patres ibi impugnant: ac proinde naturalem ac veram vnionem dicere, idem est quod vnionem substantialem profiteri. Apertè ita sentit S. Cyrillus in expositione anathematismi tertij, vbi humanitatis cum Verbo vnionem secundùm naturam, interpretatur veram vnionem, confirmátque ex Apostolo, qui nos natura iræ filios, id est verè noxios fuisse, & in ipsa natura ac substantia nostra labem peccati,

iræque condignitatem habuisse tradit. Cæterùm vera illa vnio, spectando subiectam materiam, apud Cyrillum loco notato alia esse non potest, quàm vnio substantialis, cum eam opponat vnioni per gratiam & autoritatem, quæ sunt vniones accidentariæ. Nomine ergo vnionis naturalis & essentialis, intelligitur vnio pertinens ad constitutionem substantialem, quatenus aduehit humanitati complementum substantiale extrinsecum.

160. Quod si D. Augustinus de Incarnatione agens, in Psalm. 3. vtitur *inhæsionis* nomine, non est ea vox sumenda in rigore metaphysico, quo designaret vnionis accidentalitatem; sed ita vt idem sit inhæsio, quod coniunctio vel vnio. Quanquam possumus quoque Verba D. Augustini, iuxta vocum corticem, ac in omni rigore accipere. Ait enim tractans Verba illa, *& exaltans caput meum*, caput hoc, esse in anima Christi spectandum. [Mentem ipsam humanam, sic accipiendam puto, quòd caput animæ non absurdè appellatur, quæ ita inhæsit & quodammodo coaluit excellenti supereminentiæ Verbi hominem suscipientis, vt tanta passionis humilitate nõ deponeretur.] En agit de mente siue intellectu, qui mea sententia est verum accidens, & inhærebat propriè animæ Christi, ac mediatè siue per animam copulabatur Verbo. Et eodem modo accipiendus est Autor sermonis de natiuit. apud Cyprianum, cum inter alia in hoc mysterio admiranda, mirari se ait, quomodò Verbo Dei caro adhæserit. Durius sonat quod Durandus in 3. d. 6. q. 4. n. 7. concedit humanitatis cum Verbo vnionem esse accidentalem, quasi sit tantum per gratiam & affectum, qui est reprobus ille sensus, quo Nestoriani aiebant humanitatem vnitam fuisse Verbo accidentaliter. Sed ideiteo Durandus hanc vnionem vocauit accidentalem, quia aduenit enti in actu iam essentialiter constituto, tametsi nondum substantialiter cõpleto, quod nõ inhæret Verbo, ad cuius subsistentiam trahitur; sed extrinsecè tantùm terminatur ad illud. Sicut vestis licèt sit substantia, adiacet vestito; & ei iam completo aduenit. Quæ est ex parte causa, cur ab Apostolo Philipp 2. humanitas indumento Verbi assimiletur. Et ideirco Palacius in 3. d. 6. disp. 5. ita sensum & locutionem Durandi approbat, vt simul dicat, vnionem humanitatis ad Verbum, & esse accidentalem ob rationem Durandi, & esse substantialem, quia contrahit humanitatem ad esse substantiale personæ Verbi. Faciliùs etiam ad hanc mentem aptantur, qui dixerunt hanc vnionem esse dependentiam humanitatis à Verbo, quos Albertinus coroll. 3. de substantia dub. 5. num. 10. criminatur tanquam affirmantes hanc vnionem esse accidentalem, & spectantem ad accidentale genus categoriæ actionis. Nihil enim tale somniant, qui ita loquuntur; sed nomine dependentiæ intelligunt entitatem vnionis, cuius internentu, contigit humanitatem substantialiter terminari à personalitate Verbi, quod est dependere à Verbo hypostaticè, adeò per vnionem substantialem; non tantùm quia hæc vnio afficit substantiam humanitatis, (sic enim eductio formæ materialis, quia afficit substantiam, diceretur actio substantialis præcisè provt productio est: & quantitas, quæ immed atè aduenit substantiæ, esset entitas substantialis:) sed quia præterquàm quod hæc vnio est modus substantiæ, munus quoque eius est constituere completè substantiam, idque in Christo facit. Qua ratione vnio materiæ & formæ, provt vi eius exurgit substantia composita completa essentialiter, appellatur vnio substantialis.

Neque tamen hæc vnio eget dispositione præuia.

161. Neque tamen ex eo quòd vtraque hæc vnio sit & dicatur substantialis, inferre licet, sicut ad vnionem inter materiam & formam danda est dispositio aliqua accidentaria adaptans subiectum; ita & pro vnione hypostatica talem aliquam dispositionem accidentariam anteriorem esse concedendam. Nullum enim reuera est accidens, quo posito Deus connaturaliter adigatur vnire creatæ naturæ suam subsistentiam, quæ est notio vltimæ dispositionis. Præterea subsistentia Verbi, est vicaria (vt ita dicam) subsistentiæ connaturalis humanitati, eique subrogatur vt suppleat munus eius, quod est substantialiter terminare humanitatem. Subrogatur autem interuentu vnionis hypostaticæ. Sicut ergo subsistentia connaturalis, est connaturaliter anterior quouis accidente efficiente humanitatem, etsi productum sit eodem momento cum subsistentia, quia priùs natura est humanitatem completè existere, quod habet per subsistentiam, quàm affici accidentibus: ita priùs natura Verbum aduenit humanitati, quàm vllum accidens, quod possit humanitatem aptare, ac vltimò disponere ad illum aduentum: nam illud accidens seu actio, qua vnio tanquam per viam procedit à causa sua efficiente, computatur tanquam vnum quid cum vnione. Tandem si quod esset accidens, quo humanitas disponeretur ad vnionem cum Verbo non esset aliud quàm gratia habitualis. At hæc tantùm abest vt disposuerit humanitatem ad vnionem hypostaticam, vt potiùs concessa sit humanitati dependenter ab vnione hypostatica, seu tanquam frutex aut germen connaturaliter debitum vnioni, vt infra monstrabo agens de accidentarijs Christi perfectionibus. Quare facessat omnis huiusmodi dispositio pro hac vnione.

Quædam verò durisculè in contrarium à Ruperto prolata lib. 1. de operibus Spiritus sancti c. 16. accipienda sunt de dispositione seu ornatu consequente ad vnionem hypostaticam: non autem de antecedente ornatu, qui rationem veræ dispositionis & aptationis ad vnionem sortiatur. Tractat ibi Rupertus de gratia Christo infusa, eóque accommodat, quod de immisso in faciem primi hominis spiraculo vitæ, habet Moyses, Genes. 2. Ait ergo. [In illam faciem, in illam gloriosæ animæ rationem, totus spirauit Spiritus iste creaturamque creatori, substantiam creatam Deo increato, condignam sua fecit plenitudine; id est, sapientia maturam, intellectu dilatatam, consilio prouidam, fortitudine constantem, scientia dissertam, pietate mitem, sancto timore humilem. Non enim Verbũ Deus hoc indigebat vt Spiritu sãcto repleretur, quippe de quo æquè vt de Patre Deo procedit idem Spiritus sanctus: sed anima creata nostræ inopis naturæ creatura, cum carne sua hoc opus habebat, vt acciperet hunc Spiritum, quem & accepit non ad mensuram.] Hic locus, vtcunque præfert, gratiam disposuisse humanitatem ad vnionem cum Verbo. Molliendus igitur est eo modo, quem præmisi. Vel si is minus cuipiam satisfaciat, præstat Rupertum non audire. Nam nullam reuera esse dispositionem vltimam ad vnionem hypostaticam, satis ni fallor, enictum est.

Cur verò vnioni substantiali inter materiam & formam, accidentaria aliqua dispositio assignanda fuerit, non item isti, non est operosum deprehendere. Nimirum prouidè instituit natura, vt agens nunquam producat formam substantialem, nisi præmiserit dispositiones accidentarias, quæ formæ producendæ velut cubile sternant, sintque eius non modò ornamenta, sed & fomenta, hoc est vt propter eas determinatus sit transmutationum ordo, ita vt non cum primùm occurrit passo vnum agens, statim necesse sit trudi è materia formam passi, & induci formam agentis occurrentis. Id enim nimiam in rerum natura confusionem & perturbationem pareret, vt clarum est; & tamen ita contingeret, nisi præsidium inimicum, id est dispositiones in passo, præexistentes, retardarent actionem & impetum

impetum agentis, obstarentque momentaneæ inductioni alterius formæ. Nam cum hæ dispositiones habeant contrarium, mora necessariò interponitur in pugna intercedente, dum noua dispositio aliam pellere nititur, quæ verò præiacebat, stat pro forma, & maleficio quod materia machinatur obsistit. Itaque ob ordinatam generationum vicissitudinem, oportuit accidentia consentanea formæ producendæ præinfundi posse, sicque disponere materiam ad vnionem nouæ formæ cum ea: Quæ omnia patent non habere locum in vnione substantiali, de qua agimus.

Est gemina, sicut partes essentiales humanitatis.

161. Pergo ad huius vnionis multiplicitatē, ex qua etiam aliquid habebimus valdè conducens ad perspiciendam eius quidditatem, de qua hactenus. Nempe an hæc vnio sit entitas spiritualis, an materialis. Sitne igitur vnio vnica an multiplex, ex vnibilibus quæ per eā Verbo colligantur, eruendum est. Ego quia certum est animam & corpus Christi vniri Verbo, duplicem quoque admitto vnionem, comprehendens sub vnione corporis, vnionem quoque humorum, & aliarum partium non viuentium, ad integritatem humanæ naturæ pertinentium, si quæ sunt præter humores, de quo est problema physicum, potiùs quàm Theologicum, septa discussum. Quanquam enim vnio sanguinis ad Verbum non potest esse eadem cum vnione materiæ animatæ, ob diuersitatem & discontinuitatem vtriusque; tamen sicut sanguis & materia Christi animata, non censentur duo corpora, ob connexionem naturalem inter duo illa intercedentem, ita vniones vtriusque ad Verbum pro vna habeo: vnionem verò animæ Christi ad Verbum, numero seorsim, ob diuersitatem subiecti. Validéque idem euincitur ex eo quòd vtraque humanitatis pars in triduo manserit vnita Verbo sicut erat priùs, nec facta est earum noua vnio, vt infra dicam, traditque S. Thomas 3 p.q.50.art.3. vtrique igitur, etiam cum physica vnione copulabantur, constabántque humanitatem, competebas supernaturalis vnio ad Verbum.

Nulla est pro tota humanitate.

163. Aliam præterea tertiam vnionem ad Verbum toti humanitati immediatam, vel vnicam vnionem totius humanitatis, seclusis partialibus partium cum Verbo vnionibus, non admitto. Tribuit eam tertiam vnionem Durando, Pesantius 3.p.q.6.art.6.disp.1. Sed malè. Nam locus Durandi quem profert, nempe in 3. d.2.q.1.n.5. alium facilè sensum admittit vel etiam exigit, iunctis præsertim ijs quæ habet eodem libro d.2.q.2.n.12 de indistinctione totius à partibus vnitis. Qui enim illam totius peculiarem vnionem inuehūt, coguntur adhærere sententiæ distinguenti reipsa totum à partibus vnitis vel (vt cauillos præcidamus,) à partibus & earum vnione; ita vt vltra partes & vnionem, detur tertia quædam entitas, quæ sit ipsum compositum. A qua sententia abest, (vt dixi) Durandus. Sunt verò in ea plerique alij, qui idcirco illam peculiarem vnionem humanitatis ad Verbum vltra vniones partium, videntur debere admittere. Eam tamen sententiam de tertia entitate totius, Soto. 1. physicorum q.3. ait esse hominum Metaphysicissimorum, affirmátque eam neque Aristoteli, neque Diuo Thomæ in mentem veniisse vnquam, & quamuis (inquit) id alicubi insinuare viderentur, credo mihi non persuasissent.

Non me latet, Vasquem 3. p.d.19.c.2. dicere eam sententiam manifestam esse in viuentibus, præsertim in homine: quem ait non esse duntaxat materiam, formam, & vnionem, sed tertiam quandam entitatem, habentem suas proprias passiones & operationes. Tamen fateor me vix capere eam sententiam, sed longè magis mihi arridere oppositam, quam ex D. Augustino confirmat Valdens. l.1.dpctr. præsertim cap.33.& 34. Sanè vt benè ratiocinatur Rubionius in 3.d.5.q.2.art.1. Si compositū accidentale (quod Vasques etiā agnoscit 1.2. d.204.n.67.) nihil aliud est præter subiectum, & formam, ac eius communicationem subiecto factam, quorsum aliter de composito substantiali philosophabimur, saluo tantùm discrimine ad rem non pertinente, nempe vnitatis per se quæ deest composito accidentali, conuenit autem substantiali? Cuiusmodi verò esset illa tertia entitas in homine, adeò manifestat An purè spiritualis? An purè materialis? An partim spiritualis partim materialis? Si primum; necesse erit fateri talem entitatem substantialem à solo Deo produci per creationem; atque ita cum illa entitas tertia, sit formaliter constitutiua hominis, homo dicendus erit produci per creationem, & non produci ab alio homine. Si verò illa tertia entitas, sit tota materialis, ergo non est formaliter homo, quia homo in sua substantia includit aliquid spirituale. Non licet autem comminisci, quod tertia illa entitas, partim sit spiritualis, partim materialis. De hac enim entitate sic compacta, quandoquidem exurgat ex partibus, denuo quæretem an partim sit spiritualis partim materialis, & an à partibus suis differat. Si affirmes differre, rursus quæram idem de hoc toto, & ita semper progrediar, donec admittas tertiam illam entitatem non differre à partibus ex quibus coalescit, quod de ipso primario composito, rationabiliùs primùm dixisses. Nego verò quod aduersarius d.p.illa 19.n.28. in hanc rem vrget nempe verè materiam ex informatione per animam viuificari, aut recipere nouum esse viuum, corporeum, ac corruptibile, ratione cuius teneat se ex parte principij operationum vitalium, ita vt non sola anima eliciat visionem, sed viuens. Hæc inquam omnia, dico falsa; nisi si per esse viuum cum Molina 1.p. q.3.art.4. d.2. intelligatur tantùm anima cū modo informationis materiæ; & per esse viuum corporeum ac corruptibile, intelligatur anima dissolubiliter iuncta corpori seu materiæ, quæ dicitur tenere se ex parte principij actiui actuum vitalium, non ratione vllius effectus aut esse substantialis ab anima in ipsam deriuati, sed tantùm, quia habet in se conprincipia actiua accidentalia & materialia, quibus anima vtitur ad operationes vegetatiuas & sensitiuas. Quare sicut illam tertiam entitatem à partibus vnitis distinctam ablego, ita & tertiam vnionem ad Verbum toti humanitati peculiarem, & distinctam ab vnionibus materiæ & formæ, quæ ea tantùm tertia entitate nititur.

Neque vlla simplex pro ambabus partibus essentialibus.

164. Aliter à nonnullis vnica vnio humanitatis admittitur. Nempe non affirmando totum esse entitatem tertiam, quæ subiectet vnionem vltra vniones partium essentialium, sed dicendo dari in Christo vnam vnionem simplicissimam, afficientem intrinsecè vtramque partem essentialem humanitatis, in ordine ad personalitatem Verbi. Quod non repugnare, nec probabilitate vacare, ita probat Albertinus coroll.9. de substantia concl.2. vnio est nexus duorum extremorum. Ergo eadem vnio debet afficere immediatè & intrinsecè vtrumque extremum. Deinde constat, per triduum mortis Christi, animam eius fuisse Verbo coniunctam, itémque corpus: neque tamen tunc superstes erat vnio humanitatis cum Verbo, quia perierat hæc vnio immediatè ac intrinsecè afficiens animam & corpus, & subrogatæ ei fuerant duæ partiales; altera animæ, altera corpori inexistens. Nihil enim

verat, eam vicissitudinem, & abiunctionem à Verbo, cerni in modis: quamuis de præcipuis partibus, verissimè dictum sit à Damasceno, Verbum nunquam dimisisse, quod semel assumpsit. Negat verò Albertinus pugnantiam vllam occurrere posse in illa intrinseca & immediata coniunctione vnius simplicis modi, cum duobus partialibus modificatis, quæ se habeant tanquam vnum adæquatum: cuiusmodi sanè sunt anima & corpus. Nam punctum continuatiuum, subiectatur in duabus partibus lineæ. Quod si hæc vnica vnio statuatur spiritualis, ait admitti debere eam esse totam in toto & totam in qualibet parte: Quo pacto anima quoque rationalis, recipitur in corpore. Si verò statuatur materialis & corporea, ait nihilominus eam posse affiecre animam rationalem, quoad effectum proprium ac primarium, qui est vnire, quamuis non quoad effectum illum, qui se habet per accidens ad vnionem, nempe quoad extensionem. Nam & Thomistæ, affirmant accidentia naturalia subiectari in toto composito inhæsiuè, atque adeò partialiter in anima rationali. Nec pauci Theologi, statuentes vbi Angelicum diuisibile & extensum, affigant illud Angelo, qui vtique spiritualis est, nec extenditur partibiliter à suo illo vbi partibili & extenso.

Hæc sententia, neque de facto vera, neque de potentia absoluta possibilis mihi videtur. Primum probo, quia frustrà singimus vnionem peculiarem totius humanitatis tot difficultatibus obseptam si nulla necessitas ad id cogat. At tantùm abest vt alicunde vrgeamur ad eam vnicam vnionem admittendam, vt potiùs, qui eam admittunt, cogantur fateri eam in triduo perijsse & duas de nouo procreatas esse, quibus possint corporis Christi, & animæ tunc à corpore diuulsæ, superstitem cum Verbo coniunctionem retinere, vt fides docet. Ea autem vnionis præiacentis corruptio, & duarum subrogatio, non vacat incommodo. Accedit quod eam tantùm vnionem ad Verbum admittere adigimur, quæ sufficiat ad declarandam veram humanitatis cum Verbo vnionem in vnitatem suppositi. Cum ergo humanitas, nihil aliud sit quàm anima & corpus, vinculata per physicum vtriusque nexum, vt suppono ex physica; nexus autem ille naturalis, nec poscat nec possit substantialiter terminari, cum non sit substantia; restat vt humanitas sufficientissimè intelligatur terminari, & homo intelligatur Deus esse, si posito naturali ab illo nexu animæ & corporis, vtraque pars per eam ipsam vnionem, quâ in statu separationis sortita dicitur, coniungatur Verbo ante separationem à comparte sua, ob disruptum naturale vinculum, quo colligebantur ad conflandam humanitatem integram. Hæc cum adeò perspicua sint, & omnibus quæ fides docet, & Patres tradiderunt, tam bellè concinnat; vt quid hoc mysterium nouis illis difficultatibus, quas vnici illius modi tenebricositas ingerit, oneratum velimus? Itaque valeat vnio illa vnica, spectando quod de facto contigit.

Talis vnio, nulla vi dari potest.

165. Repugnare autè vt ea vnica vnio producatur, quod secundo loco affirmabã, inde suaderur, quod vnio non est entitas firma, quæ de potentia saltem absoluta possit intelligi vnibilis pluribus simul subiectis, sed est entitas diminuta; quam repugnat vel simul vel successiuè esse modum plurium, eò quòd essentialiter assigatur vni tantùm modificato, sitque eius determinatio & talitas, vt significantiùs quam latiniùs dicam. At Intelligi non potest, vt quod est essentialiter determinatio vnius, sit simul vel successiuè determinatio alterius. Nec ex punctis continuatiuis tale quid habetur, quia subscudes illæ continui fictitiæ sunt; & licèt admitterentur, non essent entia modalia, sed firma; nec vnirentur intrinsecè vtrique extremo, sed alteri tantùm, ad alterum autem terminarentur. Repugnantia item quam quærimus, liquere videtur ex ea indistinctione & identitate reali, id est ex ea exclusione distinctionis maioris, quæ intercedit inter modum & modificatum. Nam si vnus modus duo simul modificata afficeret, ita esset ab vtroque indistinctus, vt tamen refunderetur in illum distinctio maior, quæ est inter modificata. Hæc enim essent eadem vni tertio, quod attinet ad exclusionem distinctionis maioris, atque adeò etiam inter se non distinguerentur realitate maiori, contra suppositionem. Tandem aduersarius non exhausit repugnantiam quam sibi obiecit. Statuamus enim hanc vnicam vnionem esse spiritualem; tunc iuxta non paucos, repugnat, formam spiritualem posse diuinitùs recipi in subiecto corporeo. Ita Vasques 1.p.d.40.c.2.Salas 1.2.tract 2.d.5.n.5.Suar.t.3.p.q.62. art.4.& to.1.d.31.s.5.Rubion.in 1.d.17.q.2.art.2. qui multa vrgent; ac præsertim improportionem, & defectum habitudinis inter talem materiam, & talem formam; ac intimiorem nexum qualitatis spiritualis cum subiecto spirituali, quàm potentiæ vitalis cum suo connaturali obiecto, extra quod tamen non potest excurrere, iuxta receptissimam sententiam. Verum est, quod hæ repugnantiæ agendo de entitatibus firmis, non difficile eliderentur, ideóque non improbabiliter alij admittunt accidens spirituale de potentia absoluta posse inhærere subiecto corporeo vt Capreolus in 4. dist.1.ad 1. Durandi contra 4. citans Paludanum, nec obscurè Gabriel in 2. d.16. & satis etiam apertè S. Thomas, qui formas brutorum quas censuit impartibiles, affixit materiæ. Et dummodò agatur de puncto materialis subiecti, vel de subiecto materiali totali punctaliter locato; Idem docent Conimbricenses 1. de gener. c.4.q.5. art.2. & 2.animæ c.1. q.8. Hi ergo Autores, quod attinet ad entitates spirituales firmas, verisimiliter astruunt earum receptibilitatem in subiecto corporeo de potentia absoluta. Tamen si agatur de entitate modali, qua suapte natura est tantùm determinatio entitatis, quam afficit, intelligi nequit quod forma impartibilis sit modus entitatis diuisibilis, cum is sit modi genius eáque natura, vt semper debeat modificati conditionem ac naturam redolere, tam parum ab eo abest, tamque ei est intimus, ac penè idem. Eandémque ob causam si alteram partem propositam eligamus, & eam vnicam vnionem statuamus partibilem & corpoream, existimo repugnare, vt efficiat subiectum spirituale ac impartibile; quod non putarem repugnare, si ageretur de firma entitate. Quanquam scio id vniuersè improbari à Sancto Thoma quodl.7. q.4.art.3.ad 3.Ochamo in 4.q.1.*Litera F.* Suestro.1. p.conflati q.25.art.11.& quod attinet ad quantitatem, à Conimbr.1. de gener.c.4.q.5.art.2. Sed sequor Gabrielem in 2.d.16 q.Vnica *Litera F.* negantem occurrere contradictionem in receptione formæ partibilis & corporeæ, in subiecto spirituali & impartibili. Vnde in Angeli albefactione aut calefactione, contradictionem non video. Sed de modo ob diminutam eius entitatem, alia est ratio.

Ad rationes in contrarium.

166. Quæ Albertinus proferebat, vt illam vnicam vnionem hypostaticam, immediatè & corpori & animæ Christi insidentem probaret, inania sunt. Aiebat enim primùm, vnionem esse nexum duorum extremorum, atque adeò etiam vnionem hypostaticam, ac oportere talem esse. Hoc quis negat? Est enim verè vnio hypostatica nexus humanitatis & Verbi, quæ sunt duo disiunctissima extrema. Sed negamus, si ex parte vnius extremi, v.g. ex parte humanitatis, duo subiecta vnibilia illud integrantia intercuniant, vni-

cum

cum simplicem modum duobus illis vmbilibus posse tribui, quod Aduersarij ratio nullomodo probat: quia eum vnio comparatur cum suis duobus extremis, alterum duntaxat habet rationem subiecti siue modificati, alterum verò habet rationem termini cui modus non affigitur, sed duntaxat illud respicit, & ad illud trahit alterum extremum. Addebat secundò aduersarius, argumentum ex dissoluta vnione totius humanitatis Christi per triduum mortis & subrogatis ei partium vnionibus, quia perierat illa vnio totius. Sed hoc pugnare potius contra aduersarium, monstratum est probando nostram sententiam. Rursúsque infra monstrandum erit, quomodo humanitas nulla sibi toti propria vnione hypostatica abiecta, sola autem naturali compartium ad inuicem vnione disrupta, desierit Verbo vniri, saluis præiacentibus partium vnionibus cum eo. Itaque secundum illud Aduersarij argumentum, est vndecunque telum imbelle sine ictu, vel etiam arcus dolosus, telum retorquens in vibrantem.

Posito igitur in sententia, nec vllo sensu, vnicam vnionem hypostaticam admitto, nisi totalem, & compactam ex duobus partialibus modis Verbi respectiuis, pro duplici extremo ex parte humanitatis vniendo. Ita Abul. paradoxo. 2. cap. 42. & sequitur apertè ex dictis. Vnde vlteriùs habetur, vnam partialium illarum vnionum, spiritualem esse, nempe eam quæ animæ insidet; alteram verò quæ corpori inest, esse corpoream & materialem. Quod in sententia agnoscente vnionem esse modalem entitatem, admitti omnino debere, rectè vidit Rubionius in 3. d. 1. q. 2.

Qua corpus vnit, est materialis & partibilis, sed tamen supernaturalis.

167. Displicent autem, qui putant vnionem corporis debere esse spiritualem, ac indiuisibilem, quod affirmat Albertinus coroll. 9. de substantia, n. 15. & videtur annuere Lessius l. 12. de diuinis perfect. n. 51. eo quantúi augurior argumento, quod hæc vnio essentialiter sit supernaturalis, imo in vertice supernaturalitatis. Res autem corporea & materialis, non videatur posse esse entitatiuè ac secundùm substantiã supernaturalis. Vel certè idcirco, quod, hæc vnio spectet extremum spirituale & impartibile, nempe Verbum; ideoque debeat ipsa quoque, spiritualitate & impartibilitate potiri. Hæc duo displicere, quod quamuis nulla occurrat repugnantia quominùs entitas firma spiritualis, communicetur diuinitùs rei materiali atque corporeæ; tamen vt modus spiritualis afficiat subiectũ corporeum, abhorret à natura modi, eáque identitate seu non maiore distinctione, quæ locum habet inter modum & eius modificatum. Deinde si vnio hypostatica corporis esset spiritualis, & (quod Albertinus inde consequi putet,) impartibilis, certè facta quacunque modica resolutione alicuius particulæ corporis Christi per actionem caloris naturalis, atque adeò consecuta eius abiunctione à Verbo, oportuisset totam præiacentem vnionem perire, & nouam totalem subrogari. Cúmque simul & semel ex variis Christi corporis partibus, aliquæ particulæ euaporarent, aliæ autem ex cibis vltimò dispositis aggenerarentur, & Verbo vnirentur; planè oportuisset acquiri simul & deperdi vnionem illam totalem vel etiam plures. Nullo porrò modo satisfacit quod respondet Albertinus coroll. illo. 9. n. 16. & disp. 4. q. 7. n. 7. dicens, vnionem illam tametsi indiuisibilem extensiuè, tamen habere partes intensiuas, quarum accessione vel decessione, retineri possit ea variatio vnionis quam argumentum probabat. Sed quis non videt, partes illas intensiuas, si in vnione darentur, deseruituras tantùm ad firmiùs connectendas eásdem partes, non autem ad vincendas partes diuersas? Hoc enim est planè alienum ab intensione graduali, vt deseruiat extensioni. Alioqui dicere similiter liceret, habitum scientiæ extendi ad nouas conclusiones, per solam eiusdem simplicissimi habitus intensionem. Et in nutritione hominis, dicere liceret, animam firmiùs vniri capiti, accedente pedi noua parte alimenti. Quæ adeò absona sunt, vt satis declarent, aduersarium his proferendis non nisi effugium aliquod quæsiuisse; nectam de dissoluendo, quàm de eludendo argumento fuisse sollicitum.

Quare omnino admitto, vnionem hypostaticam corporis Christi, esse materialem & corpoream, etiamsi Verbi respectiuam. Sicut creaturæ corporeæ essentialiter respiciunt Deum naturæ Autorem, qui vtique spiritus est non corpus: & vnio humana quam vnicam agnosco ex parte materiæ se tenentem, cum Fons. 7. Met. c. 12. q. vnica s. 6. Ruuio 1. phys. tract. 2. q. 6. n. 66. & Albertino disp. 4. de substantia, q. 5. & coroll. 5. n. 3. quamuis quia ab homine efficitur teneat se ex parte materiæ, sitque corporea, tamen respicit animam rationalem, éstque corporis ac spiritus fibula vt Tertullianus dixit l. de resurr. Carnis. Quominùs item vnio hypostatica corporis Christi, licet corporea, possit esse supernaturalis, nihil proferri video, quod persuadeat. Quæ enim repugnantia afferri potest, quominùs ens corporeum possit esse essentialiter, & vt loquuntur, secundùm substantiam, supernaturale? Aut quidni ordo ille ad Deum vt in se est, penes quem tota supernaturalitatis propriè dictæ ratio desumitur, conseri non possit cum ente corporeo, illúdque supernaturale reddere? Sic igitur philosophor de duobus partialibus vnionibus hypostaticis, quas in humanitate agnosco, vt quæ animam afficit sit spiritualis, quæ verò tenet se ex parte corporis, sit corporea, quamuis vtraque sit eminentissimè supernaturalis.

Nulla datur ambarum vnionum hypostaticarum vnio.

168. Partiales voco has vniones per extrinsecam denominationem, quia scilicet afficiunt partes essentiales humanitatis, non autem quod verè vna illarum vnionum comparetur ad aliam vt pars ad compartem, eíque vniatur interiecto modali vinculo vt censuit Suarez t. 1. 3. p. d. 17. s. 5. & Albertinus coroll. 9. de substantia n. 8. qui pro se adducit Capreolum & Caietanum; imo etiam S. Thomam 3. p. q. 50. art. 3. Vbi postquàm dixerat, per triduum mortis Christi in anima & corpore remansisse vniones hypostaticas partium illarum cum Verbo, subdit cum S. Athanasio, humanitatem in resurrectione assumptam denuo fuisse. Nempe propter vnionem vnionum hypostaticarum, denuò tunc consertarum. Sed hæc Glossa videtur textum destruere. Nam S. Thomas ibi agit de iterata humanitatis assumptione, facta in resurrectione Christi. Illa autem vnio vnionum hypostaticarum quam nunc excutimus, non est assumptio humanitatis, vt per se patet, ac ne assumptio quidé est vnionum hypostaticarum corpori & animæ insidentium, sed tantùm est colligatio vnionum illarum. Ergo locus ille D. Thomæ, allegatur planè extra rem: Et si quid probaret, non tum probaret dari vnionem inter vniones hypostaticas corporis & animæ Christi, quàm probaret dari vnionem peculiarem humanitatis & Verbi, distinctam ab vnionibus partium humanitatis, quod ne aduersarij quidem admittunt, & meritò. Rectè enim intelligimus, humanitatem cum desiisset esse ob disruptam vnionem physicam corpus cum anima nectentem, postmodùm ea naturali vnione de nouo restituta cessisse de nouo assumi, non per vllam nouam humanitatis aut partium eius vnionem cum Verbo, sed per solam humanitatis Christi regenerationem, & nouam productionem ex noua vnitione partium eius

essentialium, qua posita & recisо quocunque alio nouo modo vnionis, siue illarum partium cum Verbo, siue vnionum ipsarum hypostaticarum inter seipsas, verissimè dicitur, humanitatem vniri Verbo de nouo, quia de nouo est in ratione formæ totius, quam partes disiunctæ non obtinebant. Et verissimè item dicitur, ea sola physica vnione partium essentialium de nouo posita, Christum de nouo accipere esse Christi hoc est personæ subsistentis in humanitate integra denuo constructa & restituta vt latè contra Vicleffi insanias disputat Vald. l. 1. doctr. c. 43. Nihil ergo proferunt aduersarij, quo illam vnionum hypostaticarum inter seipsas vnionem confirment.

169. Nos autem impugnare eam primùm possumus, ex superfluitate & inutilitate, quæ ex proximè dictis videtur clara. Vrgere præterea possumus, vnionem non dari nisi inter ea quæ se habent per modum actus & potentiæ. Quamuis autem corpus & anima Christi ita se habeant, tamen vniones hypostaticæ partium illarum cum Verbo, non ita se habent, cum neutra ad alteram inclinetur, ordinémve vllam ad eam dicat. Quinetiam subsistentiæ creatæ corporis & animæ rationalis, quibus supplendis hæ vniones deseruiunt tanquam viæ, non se habent ad modum actus & potentiæ, vt fatetur ipse Albertinus disp. 4. de substantia q. 2. n. 4. & 7. idémq; affirmat Vasq. 3. p. d. 32. n. 21. non sine sale & aceto in dissentientes, à quibus tot modos & omnia modis ac modorum modis peragi, rem ait esse valdè ludicram. Annuit item Hurtadius disp. 2. phys. à num. 18 & probatur ex alibi stabilita completione subsistentiæ materiæ, quæ alioqui vbiuis extra hominem esset euidenter. Item probatur ex eo quod si in homine subsistentia animæ se haberet ad subsistentiam materiæ vt actus ad potentiam, fatendum esset subsistentiam materiæ reddi subsistentem: quia quandocunque actus communicatur & vnitur potentiæ, communicat quoque ei suum effectum formalem. Quis autem dicat subsistentiam materiæ esse subsistentem; idque per subsistentiam animæ rationalis?

Quare verissimè negabam, duas subsistentias homini connaturales habere se ad modum actus & potentiæ, inuicémque vniri sub ea ratione. Ac ne verum quidem est eas vniri extensiuè sicut partes integrales eiusdem quanti, vt opinatur Hurtadius supra n. 124. tum quia nulla est necessitas talis vnionis inter duas subsistentias: Tum quia subsistentiæ illæ differant penes materialitatem & immaterialitatem. Vna quippe est spiritualis ac immaterialis, altera verò corporea & materialis. At inter duo entia quorum vnum spirituale sit, alterum materiale, non datur vnio extensiua; sicut neque inter duo differentia specie. Sed si datur vnio aliqua inter huiusmodi entia, non alia esse potest, quàm actus & potentiæ; cuius hoc loco defectum idem autor rectè agnoscit. Sicut igitur subsistentiæ creatæ & connaturales partibus essentialibus humanitatis, non vniuntur inter seipsas per modale vinculum interiectum, maltóque minus per seipsas; (sic enim essent essentialiter coniunctæ, nec possent perstare separatæ:) Ita vniones hypostaticæ, quæ in Christo ijsdem essentialibus humanitatis partibus superueniunt, & tanquam viæ subrogantur subsistentijs earum connaturalibus, non sunt dicendæ vinculari inter seipsas: siue seipsis, ne statuantur indissociabiles, siue interiecto modali nexu. Non refugio tamen quominus dicatur vna totalis vnio denominatione petita ab vna totali humanitate, quam nectunt eidem personæ. Quod addo, quia si Pater assumeret corpus, Verbum autem assumeret animam, nemo diceret esse ibi vnicam assumptionem. Vnde malè quis duas illas vniones denominaret vnam totalem; non defectu vnionis vnionum, quæ æquè posset produci inter duas illas vniones Patris & Filij respectiuas, ac inter duas tendentes in eandem personam: sed defectu identitatis personæ assumentis, & vtramque vnionem hypostaticam terminantis. Cum ergo in Christo, eadem persona Verbi sit extremum quod respicitur ab vtraque vnione hypostatica partibus humanitatis insidente, meritò ambæ illæ vniones vni toti humanitati affixæ, eámque ad vnum diuinum suppositum trahentes, denominari possunt vna totalis vnio.

Quæ huius vnionis dignitas. Quæsitum 3. Est summa, ac primùm entitatiuè.

170. Expedita est vnionis hypostaticæ existentia, & quidditas, ac multiplicitas. Restat tractanda quam præterea excutiendum proposueram dignitas eius & nobilitas, cum ex aliis capitibus, tum nominatim ex firmitate & tenacitate. Est autem vniuersè & indistinctè loquendo, hæc dignitas tanta, vt meritò vnio hypostatica humanitatis cum Verbo, nobilissima habeatur & omnibus vnionibus supereminens. Nec est excipienda vnio inter diuinas personas, vt aliqui excipiunt allegato S Bernardo 5. de consider. c. 8. Vbi prolatis complurib⁹ vnitatibus, & inter eas hypostatica quam, vocat *dignitatiuam*, ait arcem vnitatum tenere vnitatem Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt: secundo autem loco, illam præcellere, qua è conuerso tres substantiæ sunt vna in Christo persona. Non est inquam hæc exceptio admittenda, quia personæ Trinitatis non vniuntur in vna natura, sed sunt vnum simplicissimum cum ea. Vnde D. Bernardus non eam vocat vnionem, sed vnitatem: nec comparat vnionem personalitatum diuinarum & essentiæ, (quæ reuera nulla est,) cum vnione humanitatis & Verbi, dans isti secundum honorem, vt loquitur cap. 9. *initio*: sed confert vnitatem Dei, (quæ summa est non obstante personarũ pluralitate,) cum vnitate Christi, quæ secundum diuinam vnitatem est maxima. Quare agendo de vnione, quæ intra Deum non habet locum, rectè dicitur vnionem humanitatis ad Verbum esse omnium vnionum nobilissimam. Quod malè inficiatus est quidam apud Rubionium in 3. d. 1. q. 3. art. 1. Probatur autem ex eminentia termini, in quem hæc vnio dirigitur, nempe personæ Verbi. Ex ordine quippe essentiali, huic vnioni conferto ad tam excellentem terminum, refunditur in eam summa nobilitas, abundéque compensatur quidquid excellentiæ & dignitatis in alias vniones quascunque deriuari posset ex quibuscunque capitibus. Sed vt veritas proposita dilucidior euadat, distinguenda est in hac vnione duplex dignitas atque nobilitas. Vna entitatiua, quæ est quasi materialis, altera formalis, & in ratione vnionis.

Occupat verticem supernaturalitatis.

171. Ad primum caput, spectat nobilitas generica vnionis hypostaticæ; penes supernaturalitatem; & specifica penes essentiam, & munera huius entitatis, inter quæ aliqui numerant sanctificationem formaliter & immediatè collatam. Et de supernaturalitate quidem dubitare non licet; cum hæc vnio adeò transcendat quamcunque naturæ creatæ capacitatem & exigentiam. Aliquando tamen vocatur à Patribus vnio *physica* siue *naturalis*, nó vt negetur ei supernaturalitas, sed vt excludatur vnio affectiua à Nestorio inuecta, quæ non est vera vnio; asseratúrque verè inter humanitatem & Verbum intercessisse vnionem realem. Sic se ipsum purgauit S. Cyrillus, reprehensus à Theodoreto, quod vnionem humanitatis ad Verbum vocasset naturalem & physicam. Audi enim Anastasium cap. 8. ὁδηγ. [S. Cyrillus, lumen illud Patrum celeberrimum & beatissimum, Apostolos secutus, docet naturam esse veritatem. Quare multis quoque operum suorum locis,

locis, nominat in Christo *naturalem natiuitatem*, & *naturalem vnionem*: quas voces cum Theodoretus reprehendisset, explicat seipsum diuinus Cyrillus in Apologijs, quas pro duodecim Anathematismis scripsit; dicens, se *physicum* seu *naturale* accepisse, Apostolorum more, pro *vero*: cui Ægyptiorum & Alexandrinorum consuetudo maximè consentit, quæ *naturalia* vocare consuevit, *vera rerum*. Hinc cum alter alteri vera loquitur, dicere solet in colloquijs; *physica*, (*naturalia*) tibi dico, hoc est vera.] Simili loquendi vsu sæpè dicimur à quibusdam, Sacramenta nouæ legis causare physicè gratiam, (hoc est verè & reipsa, tametsi supernaturaliter:) & Christi humanitatem, fuisse physicum Verbi instrumentum in patrandis miraculis, quæ tamen supra naturæ vires eliciebantur. Itaque nobilitas vnionis hypostaticæ ex supernaturalitate, & quidem essentiali, ac secundùm substantiam, rata esto. Quin etiam cum tota supernaturalitas essentialis formarum creatarum, petatur ex enectione ad modum essendi diuinum; sicut nulla est creata entitas, per quam homo melius, ac nec æquè bene participet modum essendi diuinum, vt notum est; ita nulla fingi potest in rebus creatis supernaturalitas, quæ cum ista possit de nobilitate contendere.

Specifica eiusdem nobilitas, summa.

173. Nobilitas item specifica quæ ducitur ex differentia essentiali iuncta cum genere, summa omnino est in hac vnione, támque præcellens, vt omnia alia subus depressa & iacentia habeat. Est enim formalis ipse nexus cum Deo, & tam intimè támque è propinquo Deum attingit, vt non possit intimius & propinquius. Qua ex causa non solùm omnia accidentia ordinis cuiuscunque, sed etiam omnes substantias creatas transcendit. Nec creatas tantùm de facto, sed & creabiles quacunque vi. Nulla quippe est creabilis substantia nisi naturalis, vt alibi disputatur. Quare quo fiet hæc vnio ob illum tam vicinum accessum ad Deum, præfertur omnibus substantiis creatis, eodem iure omnibus quoque substantijs creabilibus antepo-nenda est. Non me latet, controuersiam esse inter Doctores, an accidentia supernaturalia sint substantijs naturalibus digniora, ac nobiliora. Et quanquam Molina reclamet 1.p.q.12.art.5.disp.2.ad 2. tamen cõstat receptiorem sententiã, quæ Scoti est in 3.d.13 q.1. *Litera K.* ferè, substantiam etsi ordinis inferioris, esse accidente quocunque etsi supernaturali, & quantumuis eminente, nobiliorem, eo quòd esse substantiale sit natura sua subsistens, magisque participet perfectionem esse diuini quàm esse accidentis. Legesis quæ in eam rem disputant Suares d.32.Met.sect.2 n.31.& 32. (quamquam fuit postea circa hoc ambiguus l.6. de gratia cap.13.n.14.) & Fonseca 7.Met.cap.1.q.2.s.4. Tamen modi substantialis qualis est hæc vnio, alia esse ratio debet, quàm accidentis comparati cum substantijs; nec hærendum est in imperfectione vel potiùs infirmitate esse modalis ratione cuius secundùm quid videtur cedere quibusuis substantijs quæ sunt entia firma, & rata. Eam quippe imperfectionem non esse attendendam, cum quæritur sitne hæc vnio perfectior simpliciter quàm substantia quælibet, ex eo patere potest, quod secundùm illam rationem; hæc vnio cedit quibusuis accidentibus firmis, etiam naturalibus, quibus tamen certum videtur, hanc vnionem (quippe substantialem,) non esse despicatiorem.

Quare, ego quidem, modum hunc supernaturalissimum & substantialem, quamuis quoad generalem modi ac entis infirmi rationem, oblæsionem aliquam subeat; tamen tantæ eminentiæ ex specie sua esse censeo, vt non possit prouehi sublimius. Idque præsertim valet de vnione hypostatica efficiente animam Christi. Nam eam quæ afficit corpus, supra admisimus esse materialem & corpoream, quippe proportionatam modificato quod afficit. Eóque nomine talis modus videtur cedere modis aliis substantialibus spiritualibus, vt subsistentiæ connaturali Angelorum, vel animæ rationalis, & multò magis substantijs ipsis spiritualibus. Sed ea præcellentia, non est nisi secundùm rationem illam generícam. Quæ enim sunt spiritualia, quoad rationem illam generícam, præstant materialibus & corporeis. Eóque ex capite, non substantiæ tantùm ac modi substantiales spirituales, sed & accidentia spiritualia non infirma, sunt nobiliora hac vnione hypostatica se tenente ex parte corporis. At quod est secundùm vnam rationem generícam nobilius, potest attentis alijs rationibus essentialibus, & præsertim vltima ac specifica, esse ignobilius. Quod effatum quamvis à Vasque 1.2.d.111.n.48. reijciatur, petendo apertè principium, hoc est dicendo, eo ipso quod genus aliquod est perfectus, totam latitudinem illius perfectiorem esse; Tamen admittitur à D.Thom.2.2.q.23. art.3 ad 3.& à Valentia ibid.d.3.q.1.p.3. *sub finem*, & ab alijs multis quos nominaui in Mor.dist.4.num.134 Itaque nihil vetabit, quominus hæc vnio tametsi ob materialitatem suã sit secundùm rationem generícam materialitatis despicatior entibus quibusuis spiritualibus, tamen secundùm specificam ijsdem præcellat; so ique vnioni quæ Christi anima Verbo iungitur, in ratione materialitatis cedat, in cæteris sit æqualis.

Non tamen sanctificat formaliter.

174. Spectat præterea ad specificam nobilitatem huius vnionis, iuxta nonnullos, quod formaliter ac seipsa sanctificarit humanitatem Christi, non tantùm vt conditio, seu vt via, & nexus sanctitatis substantialis aduenientis à persona Verbi ab ipso Christi celebratæ Ioannis 10. cum dixit *quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*, sed etiam per modum formæ sanctificantis priùs natura quàm per eam adueniat sanctitas substãtialis. Ita videtur sentire Suares t.1.3.p.d.18.s.1. §. *Sed quares*. Quamuis enim fusè confirmat si agatur de sanctitate propria Christi hominis, vnionem non esse nisi viam, ad eam, & conditionem requisitam ad formam sanctificantem, tamen admittit humanitatem vt naturam, sanctificari formaliter per vnionem, & per eam provt est præcisè donum creatum, sanctificationem, & insignem excellentiam ac veluti consecrationem conferri humanitati; quod esse perinde videtur, ac dicere, vnionem esse quidem viam ad sanctitatem summam & personalem, tamen esse quoque formaliter sanctitatem naturæ.

At concedendum non esse vnioni, munus formaliter ac per seipsam sanctificandi, affirmat Ragusa 3.p. disp.67.§.2 Pesant. q.7.art.1. disp.1.Torres Opusc.6. de gratia, disp.10.dub.2.n.2.Vasques 3.p.d.41.cap.4. Præpositus 3.p.quæst.7.n.5. Sed vix afferunt quod rem conficiat. Tantùm enim adducunt nonnulla, ex quibus habetur vnionem non esse nisi viam respectu sanctitatis propriæ Christi, & perfectè substantialis: & Patres, qui humanitatem hac vnione sanctificatam dicunt, interpretantur de conditione requisita ad infinitam Christi hominis sanctitatem, quæ Deitate confertur. Non tamen excludunt sanctificationem illam humanitatis vt naturæ per vnionem priùs natura in ea receptam, quàm personalitate diuina terminetur, & Deitate perfundatur. Ratio verò quam adhibet Vasques disp.30.cap.3. & optimam censet, videtur admodùm debilis. Ait enim, si vnio esset plusquàm conditio ad sanctificationem prouenientem à Deitate, sequeretur apertè, non posse assumi diuinitùs naturam irrationalem. Nam vbi impossibilis est effectus formalis formæ intrinsecè inhærentis, impossibile est talem

formam inhærere. Natura autem irrationalis, est incapax sanctitatis. Non potest igitur recipere vnionem. Hanc rationem nego esse validam. Falsum quippe est, sequi ex dictis, naturam irrationalem non esse assumptibilem. Nec id probat ratio ex impossibilitate communicandi tali naturæ effectum formalem sanctificationis, si is tribueretur vnioni. Sicut enim nihil est quod obstare videatur, quominùs gratia habitualis collocetur diuinitùs in lapide, isque nihilominus non dicatur sanctus, nec fiat obiectum amoris amicitiæ diuinæ, sed tantùm dicatur habens illam formam quæ in subiecto capaci præstaret effectum illum moralem reddendi sanctum & obiectum dilectionis; ita nihil est quod vetet, vnionem collocari in natura irrationali, & in ea esse modo merè physico. Distinguendi namque sunt in gratia & vnione, effectus formales duplicis generis, physici scilicet & morales. Et quamuis physici non possint suspendi, sed communicata forma, ipsi quoque necessariò communicentur, tamen ob subiecti incapacitatem effectus formales morales facilè possunt inhiberi: & talis est sanctificatio, prout eo nomine intelligitur ratio formalis terminandi amorem amicitiæ Dei, non autem duntaxat, possessio formæ essentialiter idoneæ ad id præstandum, si subiectum sit capax, qui est physicus formalis effectus gratiæ sanctificantis. Et eodem modo philosophari licebit de vnione hypostatica, nisi aliud addatur.

175. Ratio igitur, ob quam diximus modum vnionis non sanctificare humanitatem vt naturam, nec esse formaliter sanctitatem, præcisa personalitate quam aduehit, ea dumtaxat est; quod vnica simplex forma non possit habere duplicem effectum formalem physicum. Atqui vnio habet pro effectu formali esse nexum humanitatis & Verbi. Non igitur potest propterea habere illum effectum formalem, quem certum est gratiæ habituali esse tribuendum, nempe formalem sanctificationem naturæ cui coniungitur. Qua ratione alibi probatum dedimus quòd cum S. Thoma 1.p. q.34.art.1.ad 3. & Scoto in 1.d.13.in.27. quæst.3. *Littera H.* asseruimus circa effectū formalem actionis quæ species expressa pendet ab intellectu; negantes eam actionem reddere intellectum formaliter attingentem obiectum; siue negantes viam illam ad terminum in mente producendum, esse formalem obiecti representationem; sed id soli illi termino producto vindicantes: eo quod actio alium iam effectum formalem præstet, qui est esse dependentiam, siue viam ab agente; nec par sit formis diuersis, eosdem assignare effectus formales; vel eidem simplici formæ plures ac diuersos effectus formales tribuere. Nec occurrit etiam fortior via, ad probādum quod visio beatifica non sanctificet formaliter, contra quàm paucis recentioribus est visū. Quia enim visio est formalis repræsentatio Dei vt in se est, idque habet pro effectu formali intrinseco & essentiali, non possumus ei præterea arrogare munus sanctificandi formaliter. Idemque est de vnione hypostatica, quæ cum suapte natura sit nexus, habeatque pro effectu formali vinculationem humanitatis cum diuino supposito, non est quod ei præterea alium effectum formalem tribuamus, constituendi scilicet per seipsum, sanctum & gratum Deo: ad quod non sufficit eminentia alicuius formæ in ordine supernaturali, sed necesse est vt hoc sit proprium munus formæ ad ordinem supernaturalem spectantis, & suapte natura ad sanctificandum destinatos.

Est physicè nobilior habituali gratia, & visione beata.

176. Cæterùm hæc non obstant, quominùs vnio hypostatica sit simpliciter nobilior physicè, gratia habituali: de quo anceps aliquando fuerat Suares; sed recte l.7.de gratia cap.25.n.3. affirmat vnionem hypostaticam esse physicè nobiliorem, eo quòd vnio sit aliquid substantiale, & habeat effectum formalem longè diuinissimum; nempe constituendi Deum hominem. Quantò ergo differentius nomen est *Deus homo*, quàm *homo sanctus*, tanto altior physice est vnio hypostatica, quàm gratia habitualis. Vlteriùs verò colligere indidem licet cum Scoto in 3.d.2.q.1. *Littera F.* vnionem hypostaticam esse etiam physicè præstantiorem visione beatifica: quod inficiari videtur Durandus in 3.d.1.q.1.n.10. & latè quidam apud Rubionium in 3. d.1.q.3.art.1. argumentatus ex eo quòd visio beatifica sit propria naturæ intellectualis: vnio autem hypostatica respiciat terminum ignobiliorem, & imperfectiorem quàm visio; vnio enim spectat proprietatem relatiuam, visio autem Deitatem. Tandem ex eo quòd visio nostra beatifica, fuerit finis vnionis hypostaticæ, Idcirco enim Verbum caro factum est, vt redempti & abluti bearemur. Quas rationes ita enodat Rubionius in fine primi illius articuli, vt ad primam dicat, non quoties subiectum est necessariò nobilius formam esse nobiliorem: ac proinde quamuis visio beatifica deposcat subiectum intelligens, vnio autem hypostatica possit cadere in subiectum irrationale, negat Rubionius idcirco visionem esse nobiliorem. Eodem sanè argumento probaretur, omnem planè sensationem & vegetationem, esse nobiliorem vnione hypostatica cum actus illi cadant tantùm in substantias viuentes, quod non habet vnio. Ad secundam verò rationem respondet citatus auctor; vnionem hypostaticam non tantùm terminari ad proprietatem relatiuam, sed ad totam diuinam personam quæ essentiam includit, nec verum esse quod Deitas sit perfectior & nobilior proprietate relatiua. Directiùs verò potest responderi, quanquam formalis ac immediatus terminus quem respicit vnio sit personalitas; tamen quod necessariò & indissolubiliter habet rationem termini mediati, esse Deitatem; eamque directam & formalem vnionem cum proprietate relatiua, mediatam autem cum Deitate, esse veram & physicam coniunctionem cum Deo: qualem non præstat visio, tametsi directè & formaliter spectet essentiam, eique coniungat hominem accidentario modo longè dispicatiore, quàm sit substantialis & personalis coniunctio. Tandem ad tertium respondet Rubionius, non semper finem esse nobiliorem ijs quæ ad finem sunt, sed id tantùm valere semper in fine vltimo qui est Deus; alia verò interdum ex diuina voluntate posse ordinari non vltimò ad aliquid ignobilius; & ita in hac re contigisse. De quo plenius cùm de fine Incarnationis, vbi de Christo ipso hæc difficultas agitatur.

Vnio hypostatica an summè nobilis, formaliter, & in ratione vnionis. Pars negans.

177. Satis de entitativa nobilitate vnionis hypostaticæ. Nunc spectanda est nobilitas formalis, quæ vnioni conuenit provt est vnio & nexus duorum. Qua in parte Durandus in 3.d.5.q.5.num.7. quamuis admittat vnionem hypostaticam humanitatis ad Verbum esse maximam secundum dignitatem, nempe entitatiuam, propter nobilitatem extremorum, & excellentiam finis quem respicit; tamen quantum attinet ad rationem vnionis intrinsecam, negat eam esse maximam omnium vnionem. Et probat, quia per vnionem aliqua dicuntur vnum: Ratio autem vnius, est ratio indiuisi; ergo illa vnio est maxima prout vnio, cuius extrema magis & intimiùs efficiuntur vnum per eam. Atqui extrema vnionis materiæ cum forma, & aliarum quarundam vnionum, efficiuntur magis & intimiùs vnum per vnionem, quàm extrema incarnationis per vnionem hypostaticam: constituunt enim vnum per essen-

tiam

tiam, quod est ex natura & supposito vnum ; nec materia potest à forma separari, salua consistentia, & natura sua ; quæ est nota intimitatis magnæ. Extrema autem vnionis hypostaticæ, nec fiunt vnum per essentiam, sed tantùm (supposito ; nec sunt inseparabilia ab inuicem. Igitur vnio hypostatica, in ratione vnionis, non est omnium vnionum nobilissima.

Leuia verò & inefficacia videntur quæ adducit Suarez t. 3. p.d. 9.l. 1. Vt probet, compositum ex hac vnione resultans, esse magis vnum quàm cætera composita, ex materiæ & formæ vnione coalescentia. Argumentatur enim ex maiore Verbi diuini perfectione & simplicitate, quàm sit perfectio, & simplicitas formæ respectu materiæ. Quo enim actus est simplicior, eo putat illum perfectiùs & intimiùs peruadere posse formam, eique penitius iungi ; quod in maiorem compositi vnitatem redundat. Secundò idem probat, ex eo quod vnitas ex suppositalitate & natura, reperiatur etiam in Angelis, qui compositionem ex materia & forma, ac resultantem ex ea vnitatem, non admittunt ; quod est indicium, vnitatem ex natura & supposito esse maximè in creaturis quarum subsistentia non distinguitur plenè ac perfectè à natura, sed tantùm vt modus à modificato. Hæc tamen parum vrgent. Quid enim confert maior extremorum perfectio aut simplicitas vt vnio sit maior, cum æquè sequatur vnio, si extrema imperfectiora & crassiora sint indistantia, & per virtutem æqualem vnitiuam iungantur, ac si sint perfectiora & minùs composita. Potest quidem simplicitas, seu potiùs tenuitas maior, in corporalibus iuuare ad facilius aut melius causandam indistantiam, sicque conducere ad vnionem & vnitatem maiorem. At supposita indistantia & intimitate perfecta, quæ non minor est inter materiam & formam, quàm inter naturam & suppositum extrinsecum ; maior extremorum perfectio aut simplicitas, nihil promouet vnionis perfectionem, aut vnitatem resultantis inde totius. Quin etiam ex maiore vnitate compositi, non sequitur maior perfectio vnionis in ratione vnionis : quia vnitas illa maior, potest sequi ex conditione compositi quod ex pluribus compingitur, cuiusmodi est Angelus præ homine, & modificatum cum suo modo collatum. Et etenim copulatur absque vinculo intermedio, atque adeò est cum eo magis vnum, non tamen magis vnitum. Maior ergo perfectio in ratione vnionis spectanda est penes maiorem vim vniendi, quæ esse potest vbi non erit maior vnitas compositi resultantis. Quod itaque Angeli non sint capaces compositionis ex materia & forma, sint verò capaces compositionis ex natura & supposito, etiamsi fortassis arguit vnitatem ex natura & supposito, vt sic, esse maiorem vnitate ex materia & forma ; non tamen arguit vnionem Angeli cum sua suppositalitate, prout vnionem, esse maiorem vnione materiæ & formæ ; cum ne vnio quidem possit propriè dici, quod item valet, de cuiuscunque subsistentiæ creatæ compositione cum propria natura. Quare nisi aliæ efficaciores probationes adducantur, indemnis abibit Durandus, quoad maiorem illam perfectionem, quam in ratione vnionis, censet inesse vnioni inter materiam & formam, aliasque præ vnione hypostatica.

Eligitur affirmans, & probatur efficaciter.

178. Hoc itaque vt conuellamus, argumentandū est ex maiore virtute vniendi : Nihil enim magis pertinet ad rationē formalem vnionis prout est vnio. Ea autem virtus formaliter vniendi duo extrema, eo est perfectior, quo extrema magis distantia vniuntur. Propterea enim vnio animæ rationalis cum corpore, est simpliciter nobilior quauis alia vnione naturali quia nectit spiritum & materiam. Atqui extrema quæ per vnionem hypostaticam vinculantur, infinitè distant ; Igitur inest ei vnioni vis vniendi perfectissima, & absolutè omnium maxima. Egregiè omnino hanc rationem expressit Rusticus dialo. contra Acephalos *ferè in fine*. Cum enim hæreticus Monophysita qui ibi colloquens inducitur, inde probaret, vnam effici in Christo naturam ex humanitate & Deitate, quod vnio hypostatica maior sit vnione animæ & materiæ, ex qua resultat vna natura, concluserat hunc modum. [Si igitur ex minore vnitione vna natura fit, multò amplius ex maiore ; vna verò hominis est natura. Multò amplius igitur, diuinitatis & humanitatis vna natura est.] Respondet Rusticus. Ante demonstrationem habes obstupescere ; admirando enim ego tecum confiteor, quia maior vnitio est in Domino Christo, & quæ multò maius effecit, & vnam tamen naturam minimè fecit : tanto enim vnitio Deitatis & humanitatis, quæ in Domino Christo facta est, illam quæ fit in homine superexcellit, & ipse vnitionis effectus, quantò longius à se distantia vniuit : multum namque & quantum dici non potest superat, vt Deitatis & humanitatis, vel solum vna possit esse persona : quam vt animæ & carnis non solum vna persona sit, sed & fiat vna quoque natura : Deus enim in infinitè, & quantum dici non potest, superat creaturam, & tantum quod distat vicit vnitio effabilis in vnam personam ducens, tam longè naturæ terminis, seu rationibus separata : anima verò paruum quid carnem excellit : conserua enim sunt vtraque & creaturæ & ex nihilo facta à creatore. Si verò Dei virtus infinita non esset, minimè tanta ex nihilo constare fecisset : ab eo enim quod nullatenus est, distant omnia infinitè. Si igitur Dei quidem virtus infinita est, nostræ autem finita substantiæ, magna illa & superfulgens vnitio est, quæ valuit inter illa tantum discreptantia vnam personam facere : sicut enim superexcellit virtus eius, qui montem suspendit ad cœlum & illi coniungit si possit. vel contingat id fieri, vltra illius qui gelebam monti coniungit, sic vnitio quæ in Christo est facta, eam quæ per singula in communibus hominibus sit. Veruntamen & illud inquio, quia non necesse est à maiore vnitione maius aliquid effici ; alioquin quantò amplius aliqua vniuntur, tanto potentiore vniuntur : sed ea quæ confunduntur, vltra ea quæ minime confunduntur, amplius vniuntur, vt humentia. Rursus anima, minimè confunditur corpori, non tamen maior est eorum quæ confunduntur vnitio, vnitione rationalium animarum ad propria corpora, hanc enim solus facit Deus, illæ verò subiacent etiam nobis. Super hæc verò indefinitè assumpta est maior. Responsio verò sufficiet, & si definitè dicatur, veluti si quis dicat inopinabilior, mirabilius est enim sic fieri vnam personam, & non vnam naturam, quàm illo modo vnam personam vnamque naturam.] Non potuit splendidiùs & dilucidiùs ratione præcellentiæ vnionis hypostaticæ in ratione vnius, & formaliter sumptæ, aperire.

Ad rationes in contrarium.

179. Inde verò eliduntur quæ à Durando opponebantur. Negandum quippe est, vnionem materiæ & formæ esse maiorem vnione humanitatis ad Verbum, vt Rusticus rectè negauit. Quod autem compositum ex materia & forma, sit vnum & natura & supposito ; inprimis non id habet vi vnionis intercedentis inter materiam & formam. Posset siquidem ea vnio deseruire ad compositionem nudæ humanitatis, non resultante inde supposito. Deinde vnitas naturæ & suppositi, non est signum vnionis formaliter perfectioris ; cum possit ibi reperiri, vbi nulla est vnio, vt in Angelis. Cum autem illa duplex vnitas, reperitur ibidem

vbi

vbi est vnio, vt in homine, signum duntaxat est multiplicioris compositionis, quæ longè aliud est quàm maior perfectio vnionis, formaliter vt vnio est. Quid quod composita ex materia & forma materiali, sunt vnum supposito & per essentiam, absque vnione? sanè subsistentia quæ in eis reperitur, cum sit modus, vnitur seipsa & absque vnione intermedia. Forma verò nectitur materiæ per ipsammet aductionem quâ fit ex materia, quia ea actio trahit formam, & affigit eam materiæ, etiamsi nullus alius modalis nexus interueniat. Vt quid ergo Durandus compositionem ex materia & forma vult esse indicium vnionis perfectioris? Non denique videtur ad rem esse, quod addebat Durandus, de inseparabilitate materiæ & formæ ab inuicem in forma pereat, cum tamen extrema vnionis hypostaticæ, sint separabilia, & vtrumque superstes esse possit post separationem, vt patuit in triduo mortis Christi. Inde enim potiùs colligenda est caducitas vnionis naturalis inter materiam & formam, quæ cedit potiùs in depreciationem quàm in decus vnionis illius, & tenacitas ac firmitas vnionis hypostaticæ, ac extremorum quæ ipsa inuicem nectit. Non enim colligat partes hominis essentiales ad inuicem, sed vtramque earum coniungit Verbo. & idcirco quantumuis partes illæ à se inuicem disiungantur, perstat tamen vniuscuiusque earum vnio hypostatica & nexus cum Verbo. Quare Durandus, quantum video, ea profert aduersus perfectionem vnionis hypostaticæ, quæ si quid probarent, eam potiùs euincerent excellentiorem & maiorem. Quod tamen maior illa tenacitas & firmitas vnionis, non spectat ad nobilitatem maiorem vnionis in ratione vnionis, de qua hactenus egimus, seorsim considerandæ est.

Vnionis hypostaticæ nobilitas ex perpetuitate, etiam in triduo mortis.

180. Attendendo itaque ad vnionis nobilitatem secundùm quid, quæ duci potest ex firmitate & indissolubilitate, statuo quoque vt certum, vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo, nullis alijs vnionibus cedere. Est enim perpetua, & ne interuentu quidem mortis Christi destructa: quia quamuis in morte Christi humanitas desierit copulari Verbo, & Deus desierit esse homo; tamen vnio vtriusque partis cum Verbo perseuerauit, solumque destructa est & deperdita vnio naturalis partium essentialium inter seipsas; sine qua, nec humanitas est, nec homo; superstitibus tamen humanitatis & hominis partibus, & pristinam suppositationem retinentibus. Hanc sententiam de perseuerantia perpetua vnionis hypostaticæ, indubitatam esse debere Catholico, tradit Leonardus de Vtino, tractatu de sanguine Christi cap. 6. & mihi videtur de fide, dummodò tamen non intelligatur nisi de vnione cum partibus, quandiu sunt de ratione, & integritate humanæ naturæ, vel corporis ad eam pertinentis: quod addo, propter minutas quasdam partes, quæ vi caloris naturalis erumpebant è Christi corpore, cessabantque pertinere ad integritatem humanitatis & corporis Christi, & idcirco amittebant vnionem cum Verbo, præsertim cum resumendæ vltra non essent intra humanitatem. Demptis ergo minutis hisce partibus, quæ quamdiu intra corpus erant & ad Christum pertinebant, Verbo copulabantur; defecerunt autem Verbo vniri post euaporationem earum è corpore; cæterarum omnium hominis partium, cùm essentialium, tùm integralium, vnionem cum Verbo, aio fuisse perpetuam. ex quo primùm facta est, & nunquam dissolutam fuisse, idque affero certa fide esse tenendum. Sanè si quæ occasio vnquam fuit, suspicandi disruptam fuisse vnionem humanitatis vel partium eius cum Verbo, non fuit maior vnquam alias quàm in Christo morte, & per triduum illud quo anima Christi à corpore diuulsa fuit. At Christi corpus & animam, per tempus illud mansisse vnita Verbo, certissimum est ex illis fidei articulis quibus profitemur Deum esse passum, mortuum, & sepultum, ac ad inferos descendisse. Nihil quippe eorum de Deo in se dici posset, cum Deus in se neque pati, neque mori, neque sepeliri, neque descendere possit. Dicuntur ergo de Deo, partium ratione animæ quæ ad inferos descendit; partium ratione corporis, quod mortuum est abeunte anima, & sepulturæ mandatum.

Suffragium SS. Patrum.

181. Firmat hanc veritatem traditio Patrum. Grego. Nyssenus, orat. 1. de resurrectione, exposita assumptione & corporis & animæ Christi à Verbo, subdit. [Deum qui totum hominem per suam cum illo coniunctionem in naturam diuinam mutauerat, mortis tempore à neutra illius, quam semel assumpserat, parte recessisse. Nunquam enim illum suorum munerum pœnitet. Diuinitas ergo, voluntate quidem animum à corpore disiunxit, sed in vtroque tamen se manere demonstrauit. Nam per corpus, in quo corruptionem ex morte prouenientem non admisit, euertit eum, qui habebat mortis imperium: per animum autem latroni parfecit aditum in Paradisum. Vtrumque autem, eodem tempore perfectum est; Diuinitate, per vtramque hominis partem, hæc bona præstante, vt per corporis incorruptionem mortem ipsam dissolueret, per animi verò in sede propria constitutionem, hominibus aditum in Paradisum aperiret. Quoniam igitur duplex est hominis concretio, simplex autem atque vna diuinitatis natura; cum homo dirimitur atque distrahitur, Diuinitas ipsa, quæ individua est, non separatur, sed contra potius propter vnitatem naturæ diuinæ, quæ vtrique hominis parti ex æquo inest, & quæ seiuncta, separataque erant, rursum coëunt, & coniunguntur. Atque ita ex partium coniunctarum diuisione mors sequitur, ex diuisarum autem coniunctione resurrectio.] Quasi diceret, mors & resurrectio solam humanitatem immediatè & intrinsecè affecerunt, & disruptionem ac reparationem naturalis vinculi quo coalescit aut dissoluitur humanitas affectatæ suot; nihil autem illis, & vnioni hypostaticæ quæ illibata semper mansit, & partes quas solas immediatè & intrinsecè afficit, semper Verbo iunxit, etiam ab inuicem diuulsas. De huius vnionis perpetuitate, videndus idem Nyssenus Epistola ad tres mulieres *pag.* 1092. & 1093.

Nazianzenus orat. 36. n. 20. [Eodem in genere mihi illud quoque esse videtur *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti.* Neque enim quod quidã opinantur, ipse, vel à Patre, vel à sua diuinitate quasi passionem extimescente, ob idque sese à perpetiente corpore colligente atque contrahente, derelictus est. (Quis enim eum vel, primum humanitùs gigni, vel in crucem ascendere coëgit?) Verùm in seipso nostra repræsentat. Nos enim eramus derelicti illi priùs atque contempti, nunc verò per impatibilis illius passiones, assumpti ac seruati. Quemadmodum nostram quoque insipientiam ac peccatum sibi arrogans, quæ deinceps in Psalmo sequuntur, pronuntiat. Si quidem vicesimus primus Psalmus manifestè ad Christum refertur.]

S. Augustinus tract. 47. in Ioann. [Si dixerimus quod Verbum Dei posuit animam suam, & iterum sumpsit eam, metuendum est ne subintret prana cogitatio, & dicatur nobis: ergo aliquando anima illa, separata est à Verbo; & aliquando Verbum illud, ex quo susceptit animam illam, fuit sine anima. Video enim fuisse sine anima humana Verbum, secundùm quod in

principio

principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum. Ex quo enim Verbum caro factum, vt habitaret in nobis, & susceptus est à Verbo homo, id est, totus homo anima & caro, quid fecit passio, quid fecit mors,nisi quod corpus ab anima separauit? Animam verò à Verbo non separauit: si enim mortuus est Dominus, imo quia mortuus est Dominus, (mortuus est enim pro nobis in cruce,) sine duobus, (mortuus est enim pro nobis in cruce,) sine dubio caro ipsius, expirauit animam: ad tempus enim exiguum, anima deseruit carnem, sed redeunte anima resurrecturam: à Verbo autem animam esse separatam, non dico. Latronis animæ dixit, *hodie mecum eris in Paradiso*: fidelem latronis animam non deseruit, & deserebat suam? Absit: sed illius vt Dominus habet, & deserebat suam? Absit: sed illius vt Dominus custodiret, suam verò inseparabiliter habuit.]

182. Autor sermonis de Baptis. apud S. Cyprianum. [Conuenerunt simul sempiterna diuinitas, & temporalis humanitas, & eo tenore vtriusque naturæ facta est vnitas, vt impossibile sit, quod iunctum est ab inuicem separari; sed Verbum & caro sic sunt vna essentia, vt perfectam & integram sincera coniunctio faciat vnitatem. Nec iniuria est, sed gratia Dei si quod minus videtur digniori iungatur; cum inferior natura contumeliam probrumque peccati non contrahat: nec est minoratio majestatis, profectio paupertatis; nec altitudinem Dei in aliquo humilitas dispensator a dehonestat.] Ex eo quod addit, inferiorem naturam, ctruisse in Christo contumelia peccati, vides anteriora illa verba, quibus dixit Verbum & carnem esse vnam essentiam, non sordere errore Monophysitarum. Vnam ergo essentiam dixit, pro vno composito, ex Verbo & humanitatis partibus, quod compositum, agnoscit nunquam fuisse dissolutum.

Capreolus Carthaginensis Episcopus, in nuper edita epistola contra Nestorianos ad Vitalem & Constantium, latè confirmat, nunquam Verbum discessisse ab humanitate Christi, eiuve partibus. Seligo quædam. [Nemo sacrilego spiritu audeat separare, quod videt in cœlo & in terra, vnitate inseparabili permanere. Sicut enim ab omnipotentia Deitatis, homo Christus IESVS esse non potest alienus; ita & ab his quæ in hominem & circa hominem gesta sunt, separati non potest Deus. Natus ergo est homo qui nondum fuerat, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Simili modo passus est impassibilis per passibilem quem suscepit, & immortalis mortuus est, & qui nunquam moritur, resurrexit. Neque enim vel in passione defuit illi homini Deus, alioquin non est Dominus gloriæ crucifixus. An dicimus Deum in suscepto homine, etiam apud inferos non fuisse?] Et infra. [Quis ille est qui petras scindi, terram commoueri, Solem obscurari, diem fugere, velum templi in duas diuidi partes effecit? Nunquid homo tantùm? Nonne etiam Deus? Ergo ei nec in cruce, nec in morte, nec in sepulchro, nec in inferis defuit.] Hæc ille, vt S. Cyrillus in Concilio Ephesino appellauit, *venerandus & multum religiosus Episcopus*, quē Vincentius quoque Lyrinensis cap. 42. commonitorij *sanctum* appellat ac celebrat. Nec est quod quis dicat illum agere de separatione Nestoriana quam ibi ex instituto impugnat. Quamuis enim id verum sit, tamen ad errorem Nestorij pertinet, separare partem essentialem Christi, à Deo; etiamsi ab alia abiunctam per mortem; idque aperte intendit S. Capreolus vniuersa propè epistola.

183. S. Leo serm. 17 de passione tractandum proponit quomodò Psal. 21. Christus se à Patre derelictum contestetur. [Ne simplex & incuriosus auditor ita acciperet verba dicentis, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* tanquam fixo Iesu in crucis ligno, paternæ ab eo Deitatis omnipotentia recessisset, cum in tantam vnitatem Dei & hominis natura conuenerit, vt nec supplicio potuerit diriminec morte disiungi. Manente enim in sua proprietate vtraque substantia, nec Deus dere iquit sui corporis passionem, nec Deum fecit caro passibilem: quia diuinitas quæ erat in dolente, non erat in dolore.]

S. Fulgentius ad q. 1 Ferrandi *sub medium*. [Illo quoque exemplo, inseparabi es personas Patris, & Filij, & Spiritus sancti conuenit vt credamus, quod ipse vnigenitus Deus, sic in vnitate personæ suæ, naturam diuinam humanamque coniunxit, atque vniuit, vt à se omnino non possent separari. In vna enim persona vnigeniti Dei, qui tanquam sponsus processit de thalamo suo, inseparabilis permanet vtriusque naturæ vnitio. Nec ideò debet aliquis æstimare vtramque ab inuicem diuelli potuisse naturam, quia per susceptionem mortis, & caro exanimis in sepulchro iacuit & anima in infernum carne moriente descendit. Quandoquidem etiam cum intercedente morte anima discessisset à carne, inseparabilis in Christo vtraque natura permansit quia nec in inferno animam suam, nec in sepulchro animam suam, Diuinitas immensa deseruit: In tantum autem inseparabilis est in Christo vtraque natura, & ex hoc Eutyches in errorem caderet; & vnam videns in Christo personam, vnam quoque in eo naturam impiè præd caret, volens confundere, quod vidit separari non posse.] Et lib. 3. ad Trasim. c. 25. adducto textu ex c. 19. Ioan. quo narratur Christi corporis sepultura, addit. [Ecce facta distinctione diuinitatis, & carnis, & animæ, quantum ad proprietatem substantiæ attinet, solum corpus Iesu dicit de cruce depositum, aromatibus conditum, & linteis obuolutum. Propter vnitatem verò personæ, quoniam Deus hominem quem ex Virginis vtero suscepit, nec in morte, nec in sepulchro deseruit, propterea secutus Ioannes adiecit: *Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentum nouum: in quo nondum quisquam positus fuerat, ibi ergo propter Parasceuē Iudæorum, quia iuxta erat monumentum posuerunt Iesum.* Vere diuino spiritu plenus, sanctus Euangelista loquutus est, vt primitus, quid in Christo mortuum fuerit, & sepultum, ostendens, diceret acceptum corpus Iesu, & ligatum, linteis cum aromatibus. Et quia quod Deus coniunxit, homo non separat, propterea non corpus Iesu, sed Iesum dicit in monumento positum: sciebat enim quod ille susceptor pleni hominis Deus, totus esset cum carne sua in sepulchro, totus cum anima sua in inferno, totus in mundo, totus in cœlo, totus in vnitate naturæ in Patre, de quo extitit, totus per omnipotentiam diuinitatis suæ, in tota creatura quam fecit.] Tandem c. 34. [In sepulchro secundùm veram carnem Christus mortuus iacuit, & secundùm animam ad infernum Christus descendit; secundùm eandem animam, ab inferno ad carnem (quam in sepulchro reliquerat) redijt; secundùm diuinitatem verò suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima, ac per hoc plenus fuit vbique Christus, quia non est Deus ab humanitate quam susceperat, separatus, qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus ab inferno victrix rediret, & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset.]

184. Anastasius Sinaita cap. 3. *ad 178 in fine*, inter puncta quæ catholicum cum Theodosianis aut Gaianitis actutum vult execrari illud ponit. [Qui diuinitatem Christi à corpore seiunctam dicat in cruce, seu motu merito, seu quouis alio loco.]

S. Damascenus l. 3. fidei cap. 27. [Quanquam mortuus est vt homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata corpore; non tamen diuinitas ab vtroque separata remansit; ab anima inquam & corpore: & neque sic, un a hypostasis in duas defecta est hypostases. Nam & tunc corpus & anima secundùm idem à principio in verbi hypostasi habebat existentiam. Et

ipsis

ipsis in morte ab inuicem separatis, vnum quodque eorum mansit, vnam Verbi habens hypostasim Quare vna Verbi hypostasis, & Verbi, & animæ, & corporis fuit hypostasis: nunquam enim neque anima, neque corpus, propriam habuere hypostasin, præter eam quæ Verbi est hypostasis. Vna enim semper Verbi hypostasis, & nunquam duæ: quare vna semper Christi hypostasis. Quo fit, vt etsi localiter anima à corpore separabatur, hypostaticè tamen per Verbum vniebatur.]

Hesychius in cap. 21. Leuit. exponens quid sibi vellet quod summus Sacerdos vetabatur aperire caput, & vestimenta sua discindere, cum Sacerdotem illum Christi imaginem per alia pleraque esse docuisset, addit de Christo. [Hic caput suum non discooperuit, nec vestimenta sua conscidit. Caput suum non discooperuit, quia à Patre suo, qui eius caput appellatur, nec passiones carnis sustinens, separatur. Sed nec vestimenta conscidit, id est, carnis. Ex quo enim Verbum caro factum est, inest totus suæ carni, & nunquam ab ea, nec à crucifixa, nec à sepulta, nec aliud quidlibet passa, quod ad naturam nostram partinet, se abscidit.]

185. Alcuinus lib. 3. de Trinit. c. 16. [In nulla proprietate operum quæ naturas distinguunt in Christo, diuinitas deseruit humanitatem, nec etiam in ipsa passione. Quod vt facilius intelligi possit, exemplis fides corroboranda est: Verbi gratia, dicamus, securis ictu, arborem cum verberaueris, & splendorem in ea simul percusseris, arbori quidem vulnus infligis, Solem verò cuius & splendorem simul percutis & calorem, impassibiliter derelinquis. Quod si arborem, ictu securis percussam, Sol nõ deserit, quantò magis sanctum suum Dei filius, quod est Verbum, in passione non deseruit? Quamuis ipsa diuinitas, impassibilis semper in sua permaneat natura, sicut Mose, duce populi Dei vidente, rubus flammam habuit, sic verè passa est humanitas Christi. Et sicut verè non incensus est rubus, sic verè non passa est diuinitas. Non tamen alicubi diuinitas humanitatem, ex quo in vnitatem suæ personæ assumpta est, deseruit: verùm etiam de eodem matris vtero, idem Deus, homo factus, exiuit: & in cruce idem Deus, homo factus pependit: & in sepulchro idem Deus, homo factus, iacuit: sed in sepulchro secundùm solam carnem, idem Deus, homo iacuit: & in infernum secundùm solam animam descendit. Quicquid enim in Christi factum esse legitur, ab vno Christo, & ab vno Dei Filio, gestum esse, nullus Catholicus dubitare debet. Hæc verò & omnia, personaliter totus Christus dignatus est agere.]

An profecit Alcuinus ex Arnobio in Conflictu cum Serapione? Illud sanè opus allegat Epistola ad Flauium Merium descripta parte loci in hanc rem insignis ex lib. 2. dicti operis. [Memor esse debes (inquit Arnobius) exempli lanæ & sanguinis conchylis. Cum ergo facta fuerit hæc lana per admistionem sanguinis purpura, cum netur, aut filatur, aut torquetur, lana vtique recipit maiestatem. Nunquid nam quæ torquetur, à purpureo colore deseritur? Addo & aliud exemplum. v. g. d. camus. Securis ictu arborem cum verberaueris, & splendorem Solis si eum simul percusseris; arbori quidem infligis vulnus, Solem verò & splendorem simul percutis, & calorem impassibilem derelinquis. Quod si arborem ad ictum percutientis Sol non deserit, quantò magis sanctum suum nequaquam Dei Filius quod est Verbum in passione deseruit? Et sicut verè rubus flammam habuit, sic verè passus est Filius hominis: Et sicut verè non incensus est, sic verè non passus est Filius Dei.]

Nicephorus Constantinopolitanus in sua profess. fidei ad Leonem Papam, sic præter cætera de Christo habet. [Credo corpus suum sepulturæ contraditum, incorruptum conseruasse, nullo quidem modo ab arcana illa inexplicabilique vnione diuulsum, etsi illud (tridui illo interuallo) anima fuerit spoliatum. Cum qua anima, & ipse quoque ad inferos descendit, ijsque qui in carne erant spiritibus, (quemadmodùm Apostolorum Coryphæus diuinus Petrus exponit,) resurrectionem prædicauit, libertatemque & redemptionem impertiuit.]

Petrus Damianilib. 5. epist. 13. [Si quibus datum est perspicaci mentis intuitu incarnati Verbi penetrare mysterium, veraciter astruxerunt, in tam inseparabilem vnionem, vtramque concurrisse naturam, vt ne in morte quidem Christi, diuinitas à carne potuisset abiungi: alioquin non esset verus Deus, si vel in ipso mortis articulo desineret esse Deus. Hinc est quod ait B. Ambrosius: Caro quidem Christi gustauit mortem, sed impassibilis Dei virtus non exiuit de corpore. Magnus etiam Leo Papa non disparem huius rei protulit in suo sermone sententiam: Nisi verbum, (inquit,) caro fieret, & tam solida existeret vnitas in vtraque natura, vt à suscipiente susceptam nec ipsum breue mortis tempus abiungeret, nunquam valeret ad æternitatem redire mortalitas. Idem quoque alibi: Deitas, quæ ab vtraque suscepti seminis substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit.]

186. S. Bernardus l. 5. de consider. cap. 9. [Tantam tamque expressam vnionis vim in se prefet ea persona in qua Deus & homo vnus est Christus, vt si duo illa de se inuicem prædices, non errabis: Deum videlicet hominem, & hominem Deum verè Catholicèque pronuncians. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne, nisi absurdissimè prædicas, etsi similiter anima & caro vnus sit homo Nec mirùm si non æque potis anima sit sua illa vitali, etsi non parum valida intensione connectere, atque suis affectibus astringere sibi carnem, vt sibi diuinitas hominem illum qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Longa catena & fortis ad astringendum, diuina prædestinatio: Ab æterno est enim. Quid longiùs æternitate? Quid diuinitate potentius? Inde est quod nec morte incidente, vllatenus intercidi hæc vnitas potuit, etsi carne & anima ab inuicem separatis. Et fortassis hoc sensit ille, qui se indignum professus est soluere corrigiam calceamenti huius.] Et continenter cap. 10. [Sed & illa tria fata de Euangelio mixta & fermentata in panem vnum, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videbitur. Quam benè ea mulier fermentauit, vt nec diuisione quidem facta carnis & animæ, à carne vel anima Verbum diuideretur? Manfit & in separatione inseparabilis vnitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit vnitati præscribere, permanenti in totis tribus. Siue coniunctis, siue disiunctis duobus, nihilominus perseuerauit in tribus vnitas personalis. Æquè vnus Christus, vnaque persona Verbum anima & caro, etiam mortuo homine perdurauit. In vtero Virginis (vt sentio ego) commixtio hæc & fermentatio facta est: & ipsa mulier quæ miscuit, & fermentauit. Nam fermentum non immeritò fortasse dixerim, fidem Matiæ. Planè beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Perfecta autem non essen, si quominus iuxta verbum Domini esset fermentatum totum, & perpetuò fermentatum seruans nobis tam in morte quàm in vita pariter, vnum atque integrum mediatorem Dei & hominum, cum sua Deitate, hominem Iesum Christum.]

Locum S. Cyrilli quo *indimobiliter, & indigressibiliter* vnitum fuisse Deum humanitati Christi, profitetur, adducit in hanc rem Palacius Enarrat. 1. in c. 8. Ioan. *in fin.* & habetur apud Cyrillum l. 5. in Ioan. c. vltimo sed Clyctouæi non Cyrilli, constat esse eum locum.

Cur

Cur decuerit vnionem hypostaticam esse perpetuam.

187. De Patrum ergo cõsensu in hoc puncto, dubitare non licet. Rationem congruentiæ, S. Thomas in 3.d.21.q.1.art.1. triplicem profert. Nempe quod cum Deus sit immutabilis, par fuerit coniunctionem perfectam cum eo factam, perstare immutabilem ac perpetuam. Item quod non decuerit Christum in morte quam pro Patris obedientia excepit, amittere dignitatem peculiarem vnionis. Tandem quod ita fuerit necessarium, vt quæ post mortem facturus erat, meritò pro nobis non destituerentur. Postrema hæc ratio non est admittenda; quia Christus veniente mortis nocte, nihil potuit operari, id est, nihil nobis vltra potuit mereri; cæteræ, non malæ sunt. Magis tamen placet ea ratio quam idem S. Doctor adhibet 3.p.q.90.art.2. Eámque nos ex Nysseno iam produximus. Nempe quod dona Dei sint sine pœnitentia, vt dicitur Rom.10. ideóque cum Deus collatam semel gratiam adoptionis nemini eripiat absque culpa sua, multo minùs amouere debuit gratiam vnionis ab anima & corpore Christi sui, qui peccatum non fecit. Accedit quod corpus & anima in triduo, semper retinuerunt illum ordinem ad componendam humanitatem, quem ante habebant; & ad eam denuo conflandam, iterum fuerunt ad inuicem coniungenda. Quare sicut eo titulo ante triduum illud copulabantur Verbo, ita & in triduo coniuncta Verbo manere congruum fuit. Tandem decentissimum fuit, vt quò corpus hominis per peccatum trahitur; nempe sepulchrum, & quò anima demergenda erat eandem ob causam, eò Dei corpus & anima malo nostro meliciam facientia deuenirent; quod ex primo elegantissimis verbis Fulgentij lib.3. ad Trasim cap.30. [Restabat ad plenum redemptionis effectum, vt illuc vsque homo sine peccato à Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus à Deo, peccati merito cecidisset; id est ad infernum, vbi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulchrum vbi consueuerat peccatoris caro corrumpi; sic tamen vt nec Christi caro in sepulchro corrumperetur; nec inferni doloribus anima torqueretur: quoniam anima immunis à peccato, non erat subdenda supplicio, & carnem sine peccato, non debuit vitiare corruptio. Nam quia peccãs homo meruit in seipso per supplicium diuidi, quia maluit à Deo, qui diuidi non potest, præmaricationis reatu disiungi; propterea factum est, vt peccatoris mors, carnem peccati ad sepulchrum corrumpendam perduceret, animam inferno torquendam protinus manciparet. Sed hæc vlciscentis Dei æquitas fecit, quæ ideò taliter peccatorem addixit, quia ne peccaret, ante prædixit. Hæc fuit retributio peccatori reddenda, vt iustè peccati supplicium lueret, qui Deo iusto iniustè peccasset. Vt autem peccator fieret gratuito munere liberatus; factum est, vt mortem corporis, quam à Deo iusto peccator homo pertulerat iustè, Dei filius à peccatore pateretur iniustè, & ad sepulchrum perueniret caro iusti, quousque fuerat caro deuoluta peccati; & vsque ad infernum descenderet anima Saluatoris, vbi peccati merito torquebatur anima peccatoris. Hoc autem ideò factum est, vt per morientem temporaliter carnem iusti, donaretur vita æterna carni, & per descendentem ad infernum animam iusti, dolores solueretur inferni.] Cæterùm non tam his congruentijs, quàm allatis Scripturæ & Patrum testimonijs, certam censeo hanc veritatem: circa quam fœdè impegit quidam recentior, adductus à Palacio in cap.8. Ioan. enarrat.1. *sub finem*. cum dixit animam & corpus Christi, per mortem desijsse Verbo coniungi.

Nonnulli PP. visi sensisse contrarium.

188. In contrarium opponi possunt loca S. Hilarij can.33. in Matth. & Ambrosij l.10. in Lucam, quibus nixum fuisse scriptorem illum refert Palacius. Verba S. Hilarij explicantis magnam Christi vocem in cruce, sunt ista. [Clamor ad Deum, corporis vox est recedentis à se Verbi Dei contestata dissidium. Denique cur relinquatur, exclamat, dicens, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Sed relinquitur, quia erat homo etiam morte peragendus.] Hilarij expressit Ambrosius, cum de eodem Christi in cruce clamore, dixit. [Euidens manifestatio contestantis Dei, secessionem diuinitatis & corporis. Sic enim habes, *clamauit IESVS voce magna dicens; Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti?* Clamauit homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cum diuinitas, mortis libera sit; vtique mors esse non poterat nisi vita discederet, quia vita diuinitas est.] His in locis præter autoritatem dictorum Patrum, ingerit molestiam derelictio illa à Patre quam Scriptura Christi nomine tradit. Cum enim Pater non copularetur, huic humanitati, nisi mediante Filio, planè si Pater eam deseruit, multo magis deseruit illam Filius ipse, qui est formalis terminus coniunctionis.

Addi possunt alia Patrum loca idem ferentia. Eusebius 4. de demonst. c.12. [Tanquam homo ad sepeliendum dedit corpus, à quo tanquam Deus discessit.] Leporius Presbyter in libello suæ emendationis, per B. Augustinum & Africanam Synodum approbato, quémque tanquam Catholicum celebrat Ioannes 2. Episto. ad Senatores, & Cassianus l.1. de incarnatione c.5. ac Facundus Hermian. l.1. pro tribus capit. c.4. in eo inquã libello, Leporius sic scribit, refellens suum olim peruersum sensum de verbis illis *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* [Velut carnis ipsius voce vtens, ponens præteritum pro futuro, quia per mortem crucis necessariò terrenum corpus erat à Deo pro tempore relinquendum, non solùm à Deo, verum etiam ab anima sua, quæ erat vnita cum Deo, hoc ipsum priusquàm fieret, nobis moriens testaretur. Non enim tradito spiritu, caro mortua poterat hoc clamare; alioquin mortuum Christum in veritate, quis crederet? Deus non in passionibus hominem, qui in homine secundùm carnem dignatus est pati, sed corpus in morte, & iuxta legem excessus humani, diuinitas cum vnita sibi anima, non crucifixum hominem reliquit in pœnam, sed exanimem carnem deseruit ad tempus.]

Sed & Vitalis ac Constantius, Epistola ad Capreolum Carthaginensem contra Nestorianos, hæc habent, [Sed & hominem purum dicunt pependisse in cruce comprehensum. Aiunt, recessit Deus ab eo. Quibus paruitas nostra sic dixit. Nunquam Deus recessit ab homine adsumpto, nisi quando dixit de cruce, *Eli, Eli lãma sabactani. Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?*] Neque id in eis postea improbauit Capreolus, dato ad eos responso, sed agnoscit, qui hæc scripserant veram fidem tenuisse, & eosdem ob auersionem à Nestorianis collaudat. Denique apud Nyssenum in orat. catech. c.35. hæc habentur inter exponendum trinam baptismi mersionem. [Quoniam motus nostræ salutis, ad effectum & opus non adeò est deductus ex præeunte doctrina quantũ per ea ipsa quæ fecit qui cum hoc homine subijt societatem, vt qui re ipsa vitam sit operatus: vt per carnem rursus assumptam & simul deificatam, simul afficeretur quicquid est ei cognatum & genere coniunctum; necessariò excogitandus erat aliquis modus, in quo in ijs quæ fiunt, esset cognatio aliqua eius qui sequitur, cum eo qui præit ac ducit.] Hãc cognationem mortis & resurrectionis Christi, nobiscum intercedere monstrat Nyssenus, in Christi sub terram collocatione, & resurrectione, signatis per

nostram intra aquam mersionem, & emersionem. Et hominiquidem, diuinitùs inflictam esse mortem docet, vt cum per mortem vitium effluxisset, postmodum homo nitens ac plane purus resurgeret. Id quod in Christo perfectissimè seruatum tradit. [Nam & per mortem disiuncta fuerunt quæ erant vnita: & rursus coniuncta sunt quæ erant discreta: vt purgata natura in dissolutione eorum quæ naturaliter coïerant, animæ, inquam, & corporis, eorum quæ fuerant separata reditus, ab aliena admistione esset purus.] En carnem rursus assumptam, & ad statum pristinum reditus eorum quæ fuerant separata.

Exponuntur.

189. Nihil hic propositum est, quod difficultatem meritò faciat, præter autoritatem SS. Hilarij & Ambrosij, quos vix excusationi locum dare, affirmat Suares 3 p.q.90. art.2. Eos tamen excusauit Maldonatus Matth.27.v.46. dicens, id tantùm voluisse, ita passum, ita mortuum Christum fuisse, ac si ab eo diuinitas recessisset. Quo recidit responsio Palacij supra, post Magistrum in 3 distin.2. discessisse diuinitatem ab humanitate quoad protectionem, & quatenus noluit obstare morti eius. Et sanè non Verbum sed Pater Filium in eo articulo dereliquisse dicitur: Cùm tamen Filius potiùs dereliquisse humanitatem dicendus fuisset, si de derelictione hypostatica ageretur. Quod si Patres illos in prædicto sensu accipere detrectaremus, fatendum esset, eos censuisse cum Arrianis, diuinitatem fuisse Christo pro anima, atque ita eius abcessione, Christi mortem accidisse: id enim sonat crudè, sic accepta illorum ac præsertim Ambrosij verba. At eum errorem SS. illis Patribus in mentem non venisse, est extra dubium. Tandem, de eadem derelictione humanitatis accipiendi sunt hi Patres, de qua Christus, verbis illis quibus ipsi tantum nituntur, egisse censendus est, cum dixit Patri, *quare me dereliquisti?* Manifestissimum verò est, Christum Dominum eo loco de ea sola derelictione egisse, qua per ipsiusmet Christi voluntatem, permissus est, abysso dolorum ipsique morti subiacere, vt posuit S.Leo serm.16.de passio. & optimè quoque serm.17.c.2. verbis illis [non aberat à Patre Filius, nec à Filio Pater: & illa Deitas incommutabilis & inseparabilis Trinitas, nihil sui poterat à se habere discretum. Quamuis enim susceptæ Incarnationis dispensatio, ad vnigenitum Dei Filium propriè pertineret; sic tamen Pater non abiungebatur à Filio, quemadmodùm caro non diuidebatur à Verbo: Ideo ergo Iesus voce magna clamabat, dicens: *Quare me dereliquisti?* vt notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non eruì, non defendi, sed fæuientium manibus derelinqui; hoc est, Saluatorem mundi fieri: & omnium hominum Redemptorem, non per misericordiam, sed per misericordiam, nec amissione auxilij, sed definitione moriendi.] Et mox. [Tradi Dominum passioni, tam fuit Paternæ quàm ipsius voluntatis, vt eum non solùm Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntariâ cessione. Continuit enim se ab impijs crucifixi potestas; & vt dispositione vteretur occulta, vti noluit virtute manifesta.] Ex his ergo mens Catholica SS. Patrum qui in prima acie aduersariorum locabantur, perspicua videtur.

De Eusebio, minùs solliciti esse possemus, cum fuerit inter Amianos eminentissimus, vt optimè reuincit Billius l.1. obseru.sacrarum cap.27.& 29. & iam olim Epiph.in 2.Nicæna Synodo actio.6. ac 5.Hieronymus non semel, ne quicquam hunc æthiopē lauante Trapezuntio in præfatione ad suam librorū de præparatione Euāgelica interpretationē aut veriùs interpolationem. Arrianos autem, mortem Christi per abscessum diuinitatis exposuisse, inde constat, quod diuinitatem dicebant Christo fuisse pro anima. Nihilominus locus qui ex Eusebio adductus est, nihil vrget. In eo enim tantùm ait Eusebius, Christum non obijsse inuitum aut metuentem, sed voluntarium & alacrem; & idcirco non ait, Deitatem deseruisse corpus Christi, sed Christum discessisse à corpore tanquam Deum. Et rationem hanc reddit, quæ interpretationem propositam clarè exhibet. [Quum enim altiùs vocem emisisset, & Patri dixisset, *Commendo spiritum*; solutus à corpore abijt, neutiquam expectans dum mors ad ipsum accederet, sed illam cunctantem ac veluti cessantem, ac potiùs conijcientem se in pedes & fugitantem, ipse à tergo insequens atque impellens, æternásque abditiorum tenebrarum portas refringens, & mortuis qui illic catenis mortis impliciti erant, remeandi ad vitam iter, retrorsum aperiens. Hac sanè ratione, ipsius etiam corpus mortuum, excitatum est.]

Cæteri qui obijciebantur, non sunt explicatu difficiles, vixque est quod nos remorentur. Leporius, quod attinet ad animam, disertè profiterur catholicam veritatem propositam. Quantum verò ad corpus spectat, quod ait, Verbum deseruisse carnem ad tempus, accipiendum est de desertione protectionis, vt mors in illam posset irruere, alioqui sibi intra paucas lineas contradiceret; cum expresè addat, tam Deum in sepulchro iacuisse, quàm ad inferos descendisse, quod nisi salua vnione Verbi cum corpore exanimi, nullo modo intelligi potest. Eodem modo exponendi sunt Hispani illi, scribentes ad Capreolum, qui videtur eos sic intellexisse, cum tam disertè támque fusè tradat, Verbum neque corpus neque animam dimisisse: neque tamen alijs ad quos scribit, contrarium sensum etiam pro mortis triduo impingat, sed tantùm Nestorianis. Denique apud Nyssenum, caro rursus assumpta, non est caro Christi, post triduum vnita denuò personæ Verbi, sed ibi illud *rursus*, ab interprete positum est, pro *ac etiam*; locatumque est intra periodum cum adiectiuo *assumptam* non absque ambiguitate & errotis periculo; cum meliùs locari potuisset in membri illius fronte; qua ratione, nullum ex verbis Nysseni patrocinium aduocatur errori de quo agimus. Multò minùs fauent eidem errori postrema Nysseni verba, quæ ad iteratam corporis & animæ confertionem pertinent, non ad iteratam corporis & animæ cum Verbo copulationem.

Vnio præputij, & sanguinis Christi, quàm diuturna.

190. Non potest igitur esse dubium, quin vnio hypostatica inter corpus Christi exanime, & Verbum; ac etiam inter animam separatam & Verbum, perpetua fuerit, ac ne Christi quidem morte sit disrupta. Itaque ex eo capite, hæc vnio nulli alteri cedit ea nobilitate secundùm quid quæ ex firmitate, & tenacitate vnionis petitur. Superest tamen dubitatio, an nonnullæ corporis partes quas certum est fuisse aliquando à Verbo assumptas, & postea à reliquo corpore sunt abiunctæ, manserint Verbo vnitæ. Nec ago de minutis illis particulis animatis, quæ per actionem caloris naturalis è Christo euaporabant: (eas enim iam dixi dimissas à Verbo fuisse:) sed ago de alijs quibusdam partibus sensibilibus quas à Christi corpore abiunctas liquet & manserintne Verbo vnitæ, supposito, quod resumptæ postea in Christi corpore non sint, aut quamdiu abiunctæ manserunt, controuersia esse potest. Eiusmodi sunt, præputium infanti Christo abcissum in circumcisione, ac sanguis & in circumcisione & in passione effusus. De præputio certatum iam olim, esse, constat ex Bostreno Lucæ 2. De sanguine autem quantæ sint excitatæ tragediæ tempore Pij II. nemo

in

in rebus Ecclesiasticis adeò hospes est, vt ignorer. Ego de vtroque puncto sic breuiter statuo.

Præputium, nunquam resumptum, ideóque statim destitutum vnione.

191. Præputium à Christo infante recisum, non esse vnquam postea corpori Christi consertum ac ne post resurrectionem quidem, communissima est persuasio, ijs præsertim nixa narrationibus, quæ de eo præputio eiusve particula quapiam certis locis nunc asseruata, circumferuntur in sacris historijs. Romæ namque in Basilica Lateranensi, eo loco quem vocant *Sancta Sanctorum*, asseruatum fuisse præputium Christi, iactatum scribit Innoc. III. l. 4. de Myst. c. 30. nihil tamen definente ausus. At diserte affirmat S. Brigitta l. 6. reuelationum c. 112. ex reuelatione Deiparæ. Inde anno 1527. in deprædatione vrbis Romanæ, furto à milite sublatũ, & calcatum, agri Romani pagum in Ecclesiam SS. Cornelij ac Cypriani tandem delatum, ibique custoditi illustre ingentibus miraculis, scribit Toletus in c. 1. Lucæ annot. 31. At Gerso p. 4. serm. in festo Paschæ ad illud, *pax vobis*, in 3. (vt vocat) q. *curiositatis*, ait, vulgò referri Christi præputium Patrisijs in palatio, & Brugis (nempe per partes,) seruari. Rursus Franciscus Costerus, meditatione 4. ex 50. quas de vita Deiparæ edidit, testatur vrbem Antuerpiensem priusquàm à Geusijs hæreticis anno 1566. occuparetur, hoc thesauro gloriatam esse. Non dispari casu amissse diuinum hoc pignus Abbatiam quandam Pictauiensem, cui ab eo nomen est *Carofitij* vulgo *Charols*, scribit Belleforestius t. 1. Cosmog. Anicensis quoque, Christi Domini præputium inter sacra lipsana visendum exhibent, vt scribit Odo Gissæus l. 1. historiæ Aniciensis c. 17. prolatis perantiquis versibus peruetustæ reliquiarũ theçæ inscriptis quos Petrus Exquilinus l. 2. c. 17. & Syln. in rosa aurea tract. 2. circa Euangelium diei Paschalis Romæ scriptos, déque seruato Romæ tunio thesauro testes producunt. Tandem idem Gissæus visa abs se scribit petantiqua monumenta Abbatiæ Conquensis in diœcesi Ruthenensi, quibus narratur concreditum à Carolo magno ei Abbatiæ præputium Christi. Non hæreo scrutans an conciliari veritas tam variis narrationibus queat; siue per factas subinde translationes, siue per diuersas particulas eiusdem præputij, aut (quod mihi ob perpetui miraculi magnitudinem improbabile videtur, asseritur tamen à Vendelino in supplem. Gabrielis in 4 d. 44. q. 1. *in fine*) per replicationem in diuersis simul locis diuinitùs factam. Vt etiam vna aliqua illarum narrationum falsitatis insimularetur, ferti vicunque posset. Omnino tamen ex tam multis narrationibus effici videtur, particulam illam sanctissimo Christi corpori quandoque adnectam, nunc in terris retineri. Vt enim omnes illæ narrationes reijciantur tanquam falsæ, nec Christiana modestia sinit, nec miracula ad pietatis fomentum, etimque cultum infigendum alicubi diuinitùs patrata permittunt. Perseuerat ergo in terris, præputium infanti Christo abscissum; neque tamen deest Christo præputium, vt rectè statuunt Titus Bostrenus Lucæ 2, & ibidem Theophilactus. Medina 3. p. q. 54. art. 4. Suar. t. 2. 3. p. d. 47. s. 1. Collius l. 5. de sang. Christi disp. 7. c. 1. tametsi ambiguo circa hoc Origene 1. Periar. ac Gerſone supra, & Turrecremata cap. *inuitat.* de consecrat. dist. 2. verum ambiguitas illa dispellenda est, quia ita fere integritas debita corpori Christi resurgentis. Nec difficile fuit Deo, salua veritate resurrectionis, & identitate corporis resurgentis, efformare Christo præputium ex alia quapiam materia. Quia dummodò præcipuæ partes, ac ferè omnes aliæ, sint eædem, mutato in aliqua exili particula, cuiusmodi est præputium infantis, non officit identitati morali corporis, quæ ad veram eius resurrectionem sit satis. Idque planè necesse esset admittere, etiamsi resumptum esse præputium infanti Christo abscissum concederemus. Non enim particula infanti abscissa, posset aptari corpori, personæ ad perfectam magnitudinem prouectæ, quale fuit corpus Christi cum resurrexit. Iuxta propositam ergo doctrinam, non difficile intelligitur, quomodò & Christus resurgens præputio non caruerit, & tamen verum esse possit, seruari alicubi in terris præputium infanti Christo abscissum, aliquámve eius particulam.

Consequenter verò addendum est, præputium ex quo à reliquo corpore fuit abscissum, nõ mansisse vnitum diuinitati. Deest enim fundamentum id affirmandi, cum per abscissionem, desierit esse pars corporis nec (vt supposui,) retinuerit ampliùs ordinem ad integrandum denuò corpus Christi. Ex quo principio, philosophatur. D. Thomas circa sanguinem à Christo fusum, vt statuat an vnionem retinuerit cum Verbo, vt videre est in 3. d. 2. q. 2 art. 1. quæstiunc 3. sanè si præputium abscissum nec à Christo resumendum mansisset aliquamdiu vnitum Verbo, fatendum esset, & postea quoque mansisse vnitum, & semper retenturum esse vnionem, quod est incommodum. Hinc tamen nihil decedit firmitati illi vnionis hypostaticæ, quam asserebam. Neque enim ratio habenda est huiusce exiguæ particulæ; præsertim quia in Iudaïco populo, vnde Christus secundum carnem fuit, à die octaua post infantis natiuitatem, omnibus ex lege decrat; vnde moraliter rem spectando, ab eo tempore non erat de integritate humanæ naturæ in Hebræis.

Idem de sanguine fuso in eius abscissione, statuendum.

192. Venio ad Christi sanguinem, qui vel in circumcisione, vel in passione ab agonia ad mortem vsque effusus est. Priorem, fateor non fuisse à Christo rediuiuo resumptum: Id quod rectè agnoscit Collius l. 5. de sangu. Christi disp. 6 c. 3. Nõ enim vt Christus posset idem numero resurgere necessariũ fuit resumi exignum illum sanguinem qui ex tantulæ particulæ resectione profluxit: præsertim cum etiamsi daremus præputium fuisse à Christo resumptum, (quod inficiati supra sumus,) certum tamen sit, sanguinem qui tũc ex ea particula manauit, non suffecturum pro ea parte restituenda Christo, in ætate prouectiore, qualis Christi resurgentis fuit. Quare ne miracula, quæ in resumptione sanguinis in circumcisione fusi, támque alia quàm sanguinis forma donati, admittere necesse esset, gratis inuehamus; præstat resumptionem illam diffiteri. Vnde consequenter addendum est, cum communi sententia recentiorum quos refert & sequitur Collius supra disp. 8. cap. 6. sanguinem illum non mansisse vnitum Diuinitati, contra Valentiam 3. p. d. 1. q. 5. p. 1. qui omnem à Christo fusum sanguinem vbicunque fuerit vel sit, perseuerasse aut etiamnum perseuerare Verbo vnitum pronunciat; ideóque afficiendum fuisse & esse cultu latriæ. Sed hoc quidem de cultu latriæ tali sanguini debito quandiu perstitit, verissimè affirmatur, quiquid secus visum sit Richardo in 3. d. 2. art. 2. q. 1. quem desero: non tam quia eam sententiam damnatam esse hæreseos à Clemente VI. affirmat Bzouius anno 1352. (vacillat enim fides illius damnationis; & esse confictam contendit Dermitius in Nitela Franciscana. Relig.) quàm quia propter coniunctionem quam sanguis alias cum Christo habuit, nihil procliuius est, quàm vt Christus in eo adoretur, multò magis quàm in cruce: quæ tamen ob solum Christi contactum extrinsecum, & quia eius cruore perfusa est, adoratur cultu latriæ. Inde tamen non sequitur, post effusionem perseuerasse vnionem sanguinis illius cum Verbo. Ille quippe

quippe sanguis nunquam resumendus fuit, vt dictum est. At iuxta doctrinam D.Thomæ in 3. d.2.q.2.art.1. communiter probatam, ea tantum retinebant vnionem hypostaticam si Christo auellerentur, quæ seruabant ordinem ad Christum: id est,quæ denuò Christi corpori coniungenda erant, eò quòd ita necessarium esset ad veritatem humanæ naturæ eiúsque integritatem Christo rediuiuo vendicandam. Accedit quod sanguis in Circumcisione fusus,non ita multò post effusionem, aliam quàm sanguinis formam habuit. Cum autem hypostasis Verbi sit duntaxat supplementum supernaturale, collatum ijs Christi partibus quæ erant de veritate & integritate humanæ naturæ, cuiusmodi non est amplius sanguis, cum primùm aliam quàm sanguinis formam suscipit; mirum non fuit Verbum abscedere à substantia illa post abiectam sanguinis formam,iam non debita corpori suo, nec ad eius integritatem pertinente.

Neque verò, admittere substantialem mutationem in tali sanguine, pugnat cum Psaltis oraculo, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Id enim ita cadit in Christi corpus vniuersum, vt tamen facta sit in eo substantialis mutatio. Nam corpus Christi verè corruptionem non vidit, quatenus non abijt in puluerem, nec versum est in aliud sensibiliter;sicut videmus contingere ijs quæ vulgo dicuntur corrumpi. Mutatum tamen est substantialiter, quia subintrauit in illud exanime forma cadaueris, vt rectè statuunt Fonseca 7. Met.c.12.q.vnica sect.10. Suares t.2.3.p.d.38.sect.3. & Palacius in 3. d.21. disp. vnica, refragantibus licèt Ægidio 3.p.q.76.n.14. & Ragusa d.60. §.2. coroll.3. qui coguntur ingens miraculũ inuehere, affirmando materiam corporis Christi nudatam omni forma substantiali contra vniuersum naturæ ordinem perseuerasse, quamdiu anima abfuit. Snppono enim præter animam rationalem non dari aliam in homine viuente substantialem formam, quæ abiecta anima possit materiam cadaueris informare. Si ergo hæc mutatio substantialis, & insensibilis corruptio, in partes corporis Christi quandoque animatas cecidit; multò magis cadere potuit in sanguinem, qui nunquam animatur, & maximè in eum qui nunquam fuit resumendus, cuiusmodi fuit sanguis in circumcisione fusus, de quo nunc agimus.

De diuturnitate vnionis, sanguinis in passione fusi, varia placita.

193. Restat statuendum de sanguine per Christum fuso in passione;quem fuisse Verbo vnitum cum Christo inexisteret, suppono ex supra dictis sect.2.c.1. mansisse tamen Verbo vnitum ex quo separatum est à Christi corpore, negant Mayro in 4.d.43. quæst.1. Suppl.Gabr.in 4.d.44.q.1.*Litera M.*& ipse Gabr.lect. 53.in cano. *Litera K.*Rich.in 3.d.2.art.2.q.1.ad 2.Robertus de Licio serm.71.Quadragesimæ, Franciscus de Runere,postea Sixtus IV. libello de Christi sanguine, qui refert idem fuisse Academiæ Parisiensis iudicium. Argumentum Mayronij est, quia ratione eorum quæ in triduo manebant vnita Verbo, verum fuit affirmare, Deum aliquid subijsse, aut fecisse, v.g. esse sepultum, & descendisse ad inferos, quia anima Verbo iuncta descendit ad inferos; & corpus Verbo vnitum, sepulturæ datũ est. Similiter ergo si sanguis effusus mansisset vnitus Verbo, licuisset dicere,Deum esse in cruce, aut effusum super terram iacuisse, quia sanguis aliquis Christi adhærebat cruci,& alius iacebat humi vbi effusus fuerat. Cæteri DD. allegati fere videntur inniti ijs narrationibus quæ sanguinem verè à Christo fusum in tertis superesse testantur, quæ plurimæ sunt, & naturaliter indubitatæ, vt mox dicam. Cum ergo in partibus à Christo non resumendis non debuerit perstare vnio, vt supra monstrauimus; sequitur sanguinem à Christo fusum quandiu resumptus non est, mansisse absque vnione ad Verbum; esto is qui resumptus est, cum delectus & sepositus est ab alio extra Christum rediuiuum in tertis relicto, consertus denuò fuerit Verbo.

Alij acerrimè contendunt, sanguinem effusum fuisse Verbo vnitum, æquè ac priùs cum Christo inexistebat. Addunt verò mox, ideò post triduum, fuisse à Christo intra suam humanitatem resumptum. Quod si pancæ aliquæ sanguinis Christi particulæ, sunt extra Christum rediuiuum relictæ in terris, (quod fatentur esse verisimile, vt videre est in Sylueſtro tract.3. rosæ aureæ q.31.& in Leonardo de Vtino tract. de Christi sanguine c.21.dub.2.) negant eas fuisse vnquam Verbo vnitas, eò quòd non spectarent ad sanguinem illum Christi qui Verbo copulatus est, sed ad nutrimentalem, qui non est de humanæ naturæ veritate & integritate; atque adeò non coniungitur Verbo. Vel certè aiunt,eas nullo modo in Christi corpore fuisse ne sub ratione quidem imperfecti illius sanguinis quem appellant nutrimentalem; sed aiunt esse sanguinem miraculosum, collectum ex imagine Saluatoris percussa Berryti, & per varias Orientis ac Occidentis Ecclesias distributum, vt habet Rom. Martyrologium 9. Nouembris, & latè Baron. anno Christi 765. qui similia de alijs imaginibus transfixis & sanguinantibus refert anno 446. & 560. Vtraque pars huius doctrinæ habetur ex D.Thoma 3.p.q.54.art.3. ad 3. & quodl.5.q.3. art.1. Nominatimq; posterior pars quæ sanguinem in terris relictum,ait non esse Christi sanguinem,sed miraculo ex imagine transfixa collectum, tribuitur S.Athanasio in libello de passione imaginis dom. c.7. vbi post narratum Berytense miraculum, subduntur hæc verba. [Hæc est vera & vehementer credula ratio, de cruore lateris Domini nostri Saluatoris, qui profluxit de sancta imagine eius, quæ crucifixa est in Syriâ, in Beryto Ciuitate. Hic est sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec aliter æstimandum est à verè Catholicis, præter id quod scribitur à nobis: quasi ex carne & sanguine Christi,aliquid possit in mundo inueniri, nisi illud quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.] Ex transfixione quoque specierum Eucharistiæ, sanguinem sæpe fluxisse, proditum est historijs, quarum nonnullas annotauit Solarus l.2. de sacra sindone c.3.de vtriusque sententiæ hactenus propositæ fundamentis, videndus qui duorum Ordinum circa eas dissidentium concertationem describit Gobelinus (id est Pius II.) commentar.l.11.& Vvadinghus anno 1351.

Tertiam sententiam circa hoc punctum, iniuisse videtur Leonardus de Vtino tract. de sanguine Christi cap.20. & 21. distinguens duplicem vnionem ad Verbum in Christi sanguine perfecto, & non nutrimentali. (Nam nutrimentalem, supponit nunquam fuisse Verbo coniunctum.) Vna illius sanguinis non nutrimentalis, iámque à Christi corpore per effusionem abiuncti vnio cum Verbo, esse potest personalis; ratione scilicet personæ Verbi: Alia verò esse potest in ratione diuinæ naturæ. [Stat enim (inquit c.21.) diuinitatem alicui vniri sub ratione naturæ diuinæ, non tamen sub ratione personæ. Nam Pater æternus,communicat Verbo & Spiritui sancto suam diuinitatem, in qua vniuntur: non tamen suam personalitatem. Sic etiã potuit illi sanguini effuso remanere vnita Diuinitas Verbi,quamuis non remaneret illi vnita Verbi personalitas. Et hoc est quod in quæstione vertitur.] Nimirùm in quæst.an sanguis effusus reinuerit vnionem cum Deo, de qua tunc contentiones efferuescebant. Vnionem ergo personalem cum sanguine effuso, hic Autor initio capitis 20. putat esse incertam,& de suggesto facto non proponendam. At vnionem naturæ

diuinæ

diuinæ cum tali sanguine, statuit vt certam, & probat ex D.Thoma 3.p.q.71. art.3. vbi virtutem passionis Christi, aut virtutem diuinitatis in Christi passione demonstratam, tradit vnitam fuisse prædicto sanguini effuso. Ex quo item S.Doctore 3. p. q.66.art.3. ad 3. Idem autor probat, diuinitatis virtutem, atque adeò diuinitatem fuisse virtualiter vnitam Sacramentis nouæ legis, in quibus vis passionis & sanguinis Christi continetur tanquam in instrumentis.

Explosa sanguinis illius vnio cum sola Deitate.

194. Ex his tribus sententijs circa vnionem hypostaticam sanguinis Christi in passione effusi, hæc posterna, prout sonant verba, est planè absurda, & reijcienda. Tantum enim abest, vt dicere liceat, sanguinem effusum vnitum fuisse diuinæ naturæ non personæ, vt potius verissima sententia superiùs stabilita fatetur, eam vnionem ad naturam diuinam esse impossibilem. Quicquid verò sit de ea impossibilitate, certum est eam de facto nulla ratione admitti posse. Sic enim Pater & Spiritus sanctus, æquè vniti essent illi sanguini ac Filius, è cuius solius corpore profluxerat; & cui soli directè & formaliter vniebatur dum sanguis corpori inexisteret. Vnde nouam vnionem hypostaticam, sublata perseuerantia prioris, (quam tamen hic inuestigamus,) admittere necesse esset, nullo ad eam inuehendam suppetente idoneo fundamento. Ratio verò qua Leonardus eam sanguinis effusionem cum diuinitate non cum persona possibilem esse suadere tentat, est planè ridicula. Non enim si Pater communicat Verbo diuinitatem, dicendus est vniri cum eo in natura, non in persona. Ea quippe communicatio, vt est notissimum, non est vnio duarum illarum petionatum in natura diuina; sed est identitas in ea. Itaque frustra vnitas & identitas essentiæ inter diuinas personas, profertur ad stabiliendam possibilitatem vnionis substantiæ creatæ cum diuina natura. Insulsissima item est probatio, quæ adhibetur ad probandum intercessisse de facto eam vnionem diuinæ naturæ cum sanguine fuso. Non enim si virtus quæ originaliter diuina est, nec potuit nisi ex meritis personæ diuinæ per humanitatem operantis dimanare, concinsa est in Sacramentis nouæ legis, & in sanguine fuso, sequitur diuinitatem esse vnitâ substantialiter, siue sanguini fuso, siue nostris Sacramentis. Hoc ne refelli quidem debet; estque adeò absurdum, vt non sit verisimile, hunc Autorem per eam vnionem cum natura diuina intellexisse quod verba sonant, quódque prima eius probatio ferre videtur; sed verisimilius videtur, eum intellexisse duntaxat, coniunctionem moralem diuinitatis cum sanguine, in effusione tantoperè meritoria, quia erat sanguis Dei: Vt vt sit, negari non potest, Autorem cum quo agimus, præterquàm quod vniuersè negat vnionem personalem sanguinis fusi, admodum implexè & confusè esse locutum: nec benè perspexisse statum quæstionis quæ tunc agitabatur. Ait enim, quæsitum hoc, fuisse de hac sua vnione cum diuinitate, non autem de vnione personali. At hoc falsum est. Lis quippe erat de vnione personali sanguinis ad Verbum, non autem de vnione ad naturam, quæ est impossibilis; vel de vnione morali proximè explicata, quæ statim ab actu effusionis, & maximè durante triduo, aberat à sanguine, nec illud vltra afficiebat nisi per extrinsecam denominationem à merito sanguine consecto in puncto effusionis voluntariæ, siue per Christum acceptatæ. Explodatur ergo tertia sententia tanquam absona, & inutilis ad quæstionem propositam. In vtraque duarum primarum est aliquid verum, & aliquid falsum, poteritque ex ambabus aliquid decerpendo, vera resolutio concinnari.

Reiecti, qui totum illum sanguinem, illicò à Verbo abiunctum volunt.

195. Prima, falsò affirmat vniuersaliter & absolutè sanguinem fusum non fuisse vltra Verbo coniunctum: quod vniuersè loquendo, nullo modo est admittendum, improbatúrque latè à tribus Thomistis coram Pio II. disputantibus, conclu. 2. eius libelli quem refert Sylu. in Rosa aurea tract. 3.q.30. Improbatur item à Vasque 3.p.d.36.c.4. Suare t.2.3.p.d.47.sect.3. Hieronymo à Rua. controu.4. Scolast.in 2.p.controu. Collio l.5.de sanguine Christi disp.2.c.5.& 6 (sintque qui contendant id damnatũ esse à Clemente VI. (vt referri aiunt in Direct. Inquis.2.p.q 10.) & à Pio II. Sed nihil ab his Pontificibus statutum esse quod huc pertineat, multi annotarunt. Pius enim, expressè contestatus est, se rem indecisam relinquere, vt testatur qui Pio proximè successit Sixtus IV. in libello de Christi sanguine. Clemens autem, tantùm tradidit vnionem sanguinis Christi cum Verbo, nulla facta mentione sanguinis post effusionem spectati, de quo nunc disputamus. Optima porrò ratio aduersus primam illam sententiam ex eo petitur, quod certum est, sanguinem, loquendo indefinitè, pertinere ad veritatem & integritatem humanæ naturæ, ideóque à Christo resurgente debuisse resumi, & in triduo retinuisse habitudinem ac ordinem ad corpus viuum intra quod condendus erat exacto triduo. Sicut ergo anima Christi, itémque corpus, quia in triduo retinebant illum ordinem ad denuò compingendum Christum, manserunt vnita Verbo Dei, vt suprà demonstrauimus, ita & sanguis effusus qui denuò resumendus à Christo fuit, mansit Verbo vnitus, per triduum separationis à Christi corpore.

Argumentum verò quo id impugnabat Mayronius, inane est; quia sanguis est tantùm pars integralis cum qua non fieri communicationem idiomatum, infrà dicemus: ideóque ratione sanguinis, tametsi vniti, dici non potuit *Deus in terra*, aut *Deus est in cruce*. Argumentum item cæterorum quos Mayronio adhæsisse dicebam, facilè soluitur. Nam admitto paucas quasdam particulas sanguinis è Christo effusi esse in tertis relictas, sub alia paulò pòst forma quàm sanguinis: atque adeò consequenter ad suprà dicta, fateor eas non mansisse Verbo vnitas. Inde tamen non licet concludere, etiam sanguinem qui resumendus fuit, amisisse vnionem cum Verbo, per triduum illud quo extra Christi corpus effusum mansit. Nec argumentari licet ex permistione sanguinis resumendi, cum eo qui non erat resumendus: quasi eam ob causam, vsque ad factam vtriusque illius sanguinis sepositionem, nenter debuerit esse Verbo coniunctus. Deo enim semper notum fuit, quis sanguis resumendus esset, quis relinquendus in tertis. Vnde posito quod aliquæ vtriusque sanguinis particulæ fuissent in oculis hominum permistæ, (quod non videtur posse cum fundamento asserti,) fuisse tamen Deo perfacilè, superstite semper vnione ad Verbum in ijs solis particulis quæ resumendæ erant, eximere eas suo tempore; (hoc est in puncto resurrectionis,) ab alijs non resumendis: atque adeò iam à puncto effusionis & separationis à corpore, abiunctis à Verbo.

Et qui in eâ copiâ sanguinis, nutrimentalem nunquam assumptum agnoscunt.

196. Secunda sententia, falsò inprimis distinguit in Christo, sanguinem nutrimentalem nunquam assumptum, à sanguine assumpto, & non nutrimentali. Eam quippe sanguinis distinctionem, commentitiam esse, superiùs demonstratum est sect.2.c.1. Perperam item

contendit hæc sententia, si aliquis Christi sanguis superesse hic dicatur, eum nunquam fuisse Verbo vnitum, nec fuisse nisi nutrimentalem, & ad integritatem humanitatis Christi nunquam pertinuisse. Hoc enim, etiamsi daremus eam distinctionem duplicis sanguinis, vanam non esse, non posset nisi diuinando affirmari. Vnde enim constare potest quod sanguis ille non fuisset nisi ex nutrimentali? Omitto argumentationem Baconi in 3. d.21.q.vnica. art.1. qui fuse persequitur, tempore passionis nullum in Christo fuisse sanguinem, qui ad veritatem humanæ naturæ non pertineret; atque adeò qui à Christo post resurrectionem resumendus non esset. Tandem quod ea tertia sententia tribuebatur S. Athanasio, duplici sordet errore. Primus est, quod Autor libri illius de passione imaginis Saluatoris, sit Athanasius, Episcopus Alexandrinus, quem constat anno Christi 372. fuisse defunctum, tanto ante miraculũ Berytense, quod anno 765. contigit, Fatendum ergo est, Athanasium illum longè differre ab Alexandrino: quod item fatendum est de Autore quæstionum ad Antiochum, & aliorum quorundam librorum magno Athanasio ob nominis communitatem, vel ob librariorum imperitiam adscriptorum. Sed neque iste qualiscunque Athanasius, sententiæ aduersariorum suffragatus est: éstque hic, error 25. propositus. Quod enim Card. Baronius anno 781. & Bellarminus l. de Script. *in Athanasio*, rectè monuerunt, verba quæ pro aduersariis retulimus, sunt manifestum assumentum libello illius Athanasij additum, post tempus litis de sanguine Christi, excitatæ tempore P j II. Esse enim assumentum, demonstrat cùm styli varietas, & ingens disparitas à reliquæ scriptionis stylo, quem manus interpolatrix, (tam perita fuit,) æmulari & satis ementiri nequiuit; tum maximè & ineluctabiliter, quod liber ille in Synodo 2. Nicæna actione 4. exhibetur absque eo additamento in Græco codice: quo item additamento destituitur antiqua versio Anastasij Bibliothecarij; vt satis appareat interuenisse fraudem, & quæsitum præconceptæ sententiæ patrocinium à libri illius vitiatione & falsatione.

Verus aliquis sanguis in passione fusus, mansit Verbo vnitus; éstque postea resumptus.

197. Quare neutra ex propositis sententijs probanda est, sed ex vtraque aliquid decerpendum, & conflanda quarta ac vera sententia, quæ sanguinem aliquem à Christo fusum, post emissionem è corpore mansisse Verbo vnitum, affirmat: in quo ex parte conuenit cum secunda sententia, & dissidet à prima; cum qua tamen contendit, aliũ aliquem verum sanguinem quandoque Verbo vnitum, post separationem amisisse vnionem, & ad fidelium solatium, relictum esse à Christo in terris. Hæc ferè sunt ex dictis perspicua. Monstratum enim est superiùs in reiectione primæ sententiæ, sanguinem aliquem à Christo effusum, nempe eum qui ad integritatem humanæ naturæ pertinebat, & idcirco in resurrectione resumendus erat, mansisse vnitum Verbo. Non fuit tamen necesse, omnem sanguinem à Christo in passione effusum, resumi: quia quamuis Christus non abundaret sanguine superfluo, (is enim morbosus est, & à Christi constitutione vndecunque sana abhorrebat;) tamen in sanguinis mensura sano corpori consentanea, est aliqua latitudo. Vnde etiamsi modica aliqua portio sanguinis ad veritatem & integritatẽ humanæ naturæ pertinentis, supponatur Christo nõ reddita in resurrectione; non idcirco Christus erit homo imperfectus, dummodò reddita illi fuerit ea sanguinis mensura, quæ ad constituendum hominem perfectum erat sufficiens, quamuis nonnihil minor ea quantitate sanguinis, quæ Christo inerat paulò ante agoniam. Et ita omnino factum oportuit, supposita perseuerantia alicuius sanguinis Christi in terris, quæ indubitata videtur, vt mox dicam. Ad eum modum de Christi sanguine in terris perseuerante, philosophatur Gerso 4.p.serm.in die Paschæ, *ad 3. quæstionem curiositatis*. Quanquam video etiam dici non incommodè posse, redditum esse Christo resurgenti tantundem planè sanguinis, quantum ante agoniam habebat, supplendo eam modicam mensuram, quæ in terris ad fidelium consolationem, & ad testimonium cruentæ mortis, relinquenda erat. Quo pacto philosophati supra sumus de præputio Christi, restitutæ in resurrectione; non resumpto tamen eo quod præcisum fuerat à Christo infante. Hinc ergo perspicuum est, id in quo à prima sententia dissidemus, & cum secunda conuenimus.

Aliquis amisit vnionem, nec est resumptus.

198. Alterum verò punctum in quo conuenimus cum prima sententia, & à secunda dissidemus; nempe quod aliquis Christi sanguis, & quidem verus, & Verbo antea vnitus, fuerit in terris relictus absque vnione, & à Christo resurgente non sit resumptus; hoc inquam pronunciatum, accepit (vt sic dicam,) liberi commeatus sygrapham à Pij II. decreto, quod habet Robertus de Licio serm.71. Quadragesimæ, & Henricus Spondanus in Ecclesiasticæ historiæ supplemento anno 1462. num.12. diuersum ab eo quod Leonardus de Veno tract. de sanguine Christi c.10. & Dermitius in Nitela Franciscanæ Relig. pag.454. passimque alij referunt. Eo decreto edixit Pontifex, non esse contra fidem, asserere aliquid sanguinis à Christo effusi, perstare in terris. Annuúntque & perstare affirmant, præter Scotistas allegatos, Vasques 3.p.d.36.c.8. & Suares t.23 p.d.47.s.3. Agaffinus Solarus l.2. de Sindone Euang.c.1. & 2. & iam olim Baconus in 3.d.21.q.vnica art.3. quàm cõformiter ad ea quæ articulo 2. habet, non laboro. Accedunt narrationes innumeræ, quæ falsitatis omnes damnari ab homine cordato non possunt; & tamen ex ijs, superesse aliquam sanguinis à Christo fusi portionem, (sub alia tamen quàm sanguinis forma,) fit extra dubium. Eiusmodi est, quod rubor in plerisque instrumentis passionis Dominicæ, adhuc cernitur. Qui rubor nõ est nudus color ex sanguinis aspersione relictus: nã qualitates secundæ non propagantur eo modo; sed est vera sanguinis substãtia, quæ primùm instrumentis illis adhæsit, eisque affixa perseuerat. Vt de spina sacelli Regij Parisiensis; & de ferro lanceæ, olim Nurimbergæ nunc Romæ asseruato; & de sacra Sindone Taurinensi, ac vultu sancto Romano, siue linteo Veronicæ, refert à Rua contro.4.Scolast.p.4. Sanè quoad sindonem tunc Camberiensem, nunc Taurinensem, declarauit Iulius II. & fusè cõfirmat Agaffinus Solarus l.2.de sindone Euangel.c.4. ruborem qui in ea nunc cernitur, esse reliquias sanguinis fusi.

Idémque de Veronicæ sudario habent qui latè de ea agunt Bzouius anno 216. à n.16. Gretserus.1. de cruce c.97. Chiffletius l.de sacra sindone Bisunt. c.34. Malonius ad c.1. Palæoti n.12. Non dissimilis narratio est, quod conseruatas per Deiparam in vasculo particulas fusi è Christi latere sanguinis, memorat Nicephorus, l.11.c.30. Tetram ad S.Maximinum seruari colore rubrũ ex Christi sanguine quo olim perfusa est; inque ea ebullientẽ cerni sanguinẽ in die Parasceues scribit Sylvester tract.2. rosæ aureæ ad Euang.feriæ 5. intra octauam Paschæ, & neminem in his partibus later. Sanguinem qui Mantuæ visitur non fuisse ex imagine Berythensi collectũ, sed ex vero Christi sanguine, declarauit Leo III. vt habent Baron. anno 804. & Bellarmin. l.de Script. in Athanasio, reclamante licet Ciaconio Dominicano in Leone III. Itaque nõ omnem sanguinem à Christo in passione fusum, fuisse ab eodem resurgente

resum

resumptum, videtur debere esse extra controuersiam. Eam tamen Christi sanguinem hic ad nostram consolationem relictum, non ampliùs perstare vnitum Verbo, sicut ante fuerat, suppono ex supra constitutis. Nec puto ad abijciendam vnionem præhabitam, fuisse exspectandum, tempus triduj mortis Christi exacti, vt censuit Syluester. q. illa 31. *in fine*, & Solarus l. 2. de sinodone c. 5. Nam quandoquidem sanguis ille resumendus non fuit, amisit ius omne retinendæ ad tempus aliquod vnionis, potiùs quàm ad diuturnius.

Concluditur quanta sit nobilitas vnionis hypostaticæ penes firmitatem.

199. Non erit nunc operosum de nobilitate vnionis hypostaticæ, quoad tenacitatem & firmitatem pronunciare. Vidimus enim vnionem partium essentialium humanitatis, firmissimam semper ac perpetuam fuisse. Nam semper anima Christi adhæsit Verbo: semper item corpus, demptis tantùm paucis particulis, quæ actione caloris naturalis euaporabant, & vniri Verbo desinebant: semper denique sanguis mansit Verbo vnitus, ijs paucis particulis eius exceptis, quæ resumendæ in Christi resurrectione non fuerunt, vt essent in signum fusi cruoris pro nobis, & in solatium ac consolationem nostram. At hæ siue substantiæ solidæ euaporantis, siue sanguinis non resumpti particulæ, modicum quid fuerunt, præ reliquis partibus quarum vnio perseueranit indissmpta. Vt proinde liceat simpliciter profiteri, vnionem humanitatis Christi & partium eius ad Verbum, etiam ex hoc capite nobilitatis quod expendimus, nempe nobilitatis secundùm quid penes firmitatem, nulli alteri concedere, essèque præcellentissimam. Attigerat verò, (vt hoc obiter aduertam,) extremum fatuitatis verticem muliercula à Gerssone commemorata p. 1. tract. de examinat. doctor. p. 2 consider. 2. quæ gloriabatur obtigisse sibi cum Deo mirabiliorem vnionem, quàm esset vnio Verbi cum humanitate. Hoc ne refelli quidem debet, & fortassis vel commemoratio tantæ fatuitatis, pollutio est.

Summa, & vsus doctrinæ capitis.

Summella fusioris de vnione hypostatica disputationis, hæc est. Modale vinculum soli humanitati affixum, diuini autem Verbi essentialiter respectiuum ac pro numero essentialium humanitatis partium multiplex, nec in vnum totale noui vinculi interiectione coalescens, nectit verbo humanitatem, extrema longè distantissima. Vt iure ea vnio, & nobilissima entitatiuè; & in ratione vnionis, omnium maxima habeatur. Quamis negandum non sit, minutas quasdam materiæ particulas, caloris interni actione restitutas, & sanguinem in Circumcisione fusum, & modicum quid ex eo sanguine qui in passione emissus est, in terris relictum, nec à Christo resurgente resumptum; cum primùm ad corpus Christi pertinere desijt, item Verbo vniri desisse.

Vsus doctrinæ de vnione humanitatis cum Verbo, ad compingendam ex ambobus vnam personam quæ posset pro nobis Deum placare, debet inprimis esse, suspectio adinuentionum Dei, quas celebrari mandabat Isaias c. 12. ad hanc diuinæ sapientiæ machinationem spectans. Fuit enim verè diuina adinuentio quæ in nullius creaturæ oculos cecidisset, Deum sic vniri ad conflandum vnum substantiale nobiscum. Deinde quando ad hoc vocati sumus, vt quod Christus est per naturam, id nos per gratiam simus; enitendum nobis studiosissimè est, vt Deo vniamur per affectum; & quidem quantum fas est, seruatis vnionis hypostaticæ prærogatiuis, præsertim indissolubilitate, quam ne mors quidem intercidat.

SECTIO IV.

De Composito ex duabus proximè expositis Compositionibus resultante, ad consummandam enodationem Catholicam diuino ænigmati adhibitam.

200. DVas in Christo cõpositiones hactenus considerauimus, nempe naturalem ex corpore & anima, vnde resultat humanitas Christi; ac supernaturalem ex humanitate sic compacta, & persona Verbi Dei. Vnde resultat benedictum illud totum, & geminæ gigas substantiæ, cuius nobis inuestigatio & expositio fuit proposita. Neque aliud ad expositionis illius complementum superest, quàm vt de ipso toto siue composito ex ambabus prædictis compositionibus simul adunatis coalescente, déque eius proprietatibus dicamus aliqua, ijs non omissis quæ spectant ad denominationes in vtramque naturam adiunctam redundantes. Multa enim de vtraque natura provt conjuncta, & concurrente ad compactionem huius totius, licitè ac verè enunciantur, quæ de ijsdem seorsim vel secundùm se spectatis falsò proferrentur. Quis enim diuinitatem ab humanitate abiunctam attendens, Deum passum ac mortuum, sine horrore audiat? Aut quis non percellat omni cum detestatione eam propositionem, si ratione nudæ humanitatis promeretur, homo est omnipotens, immensus, æternus? Vtraque tamen illa propositio, attentis ambabus naturis intra huius compositi compagem, verissima est. Vnde illa existebat plusquàm ænigmatica complexitas ex prædicatis repugnantibus in compositum istud cadentibus; de qua obiter, ac per superficiariam duntaxat tractandi rationem, actum est initio huius libri; nunc autem stirpitùs & radicitùs est vestiganda.

CAPVT I.

Christus verum compositum, & quale; Eiusdem notio, & quomodò ad ea vnde resultat comparetur.

POnimus vt certum, ex super constitutis aduersus Nestorium, vnicam in Christo esse personam, eamque diuinam. Item ex constitutis contra Eutychetem, volumus fixum esse, duas in Christo reperiri naturas, diuinã scilicet & humanã, ita vt non modò ex duabus naturis vnitioni præuijs, quod volebat Eutyches, sed etiam in duabus naturis, quarũ altera duntaxat (nempe diuina,) vnionẽ antecesserit, subsistat diuina illa personalitas, quã vnicã esse in Christo diximus. His ita suppositis nec vltra ad examen vocatis, quod sufficienter stabilita fuerint superiùs, restat hoc loco inuestigandum, aliquódne compositum, & quale, ex duplici illa Christi natura, & vna eius personalitate exurgat? Quod perinde est ac quærere, qui sit Christus: Hoc enim nomen composito illi; (si verè compositum est,) in Scripturis & Patribus est inditum: de cuius germana notione, infrà pleniùs, cum de compositione, quæ primùm in controuersiam vocatur ritè constiterit.

Non esse Christum, personam compositam, qui censuerint.

201. Esse igitur Christum personam compositam, non pauci veterum admittere renuerunt, subueriti latentem anguem, Eutychianum inquam venenum, aut imperfectionem Verbi; à quo tamen, quippe Deo, næuum omnem ac labem exulare necesse est. Negant ergo quod dixi, S. Bonau. in 3. d. 6. art. 1. q. 2. & ibidem Richardus art. 2. q. 3. ac Scotus eadem distin. q vltima. Dur. q. 3. Almainus q. 1. concluſ. 2. & passim alij anti-

qui ex variis tamen fundamentis. Aliqui argumentantur ex independentiâ personæ Christi, quæ vtique diuina est & à se. Atqui compositum pendet ex componentibus, per quorum causalitatem accipit esse. Igitur persona Christi non est composita, ne vel à Deitate, vel quod detetiùs etiam sonaret, ab humanitate, pendens statuatur. Alij vrgent rationem partis, & Deo & humanitati concedendam respectu personæ huius compositæ, & tamen manifesta imperfectione sordentem; cum vel rationem actus vel rationem potentiæ sortiri debeat; quarum vtraque est intra imperfectionem immersa. Quid quod partem necesse est minùs continere quàm totum? At nihil est in humanitate quod diuinitas non contineat, & quidem multò luculentiùs eminentiusque. Eodem recidit quod alij dicunt, compositum cum ex ambarum partium coalitu resultet, debere esse qualibet parte perfectiùs. Hæc enim est causa, cur sanctus Thomas 1.p.q.3.art.8. negat Deum posse venire in compositionem cum alio. Et tamen Christus exurgens ex humanitate & Deitate in quibus vna Verbi personalitas subsistit, non est quid perfectius Deitate sola. Tandem alij vrgent iuxta sententiam hanc fore in Christo duplicem personam, quæ est Nestorij blasphemia. Nam ex humanitate & subsistentia Verbi, vna persona composita exurgit in tempore, & de nouo, iuxta hanc sententiam. Est autem insuper in Christo persona simplex & æterna. Docet enim fides, esse in Deo tres personas simplices & æternas, quarum vna est persona Verbi quæ in Christo reperitur. Essent igitur in Christo duæ personæ, si sententia proposita niteretur veritate. Hæc ferè sunt, quæ priscos Scholasticos auocarũt ab ea sentẽtia quæ Christum admittit esse personam compositam, vt D. Thomas in 3.d.6.q.1. art.3. refert; addens quod est de ratione perfectæ compositionis non habere in hac re locum, nec simpliciter dicendum videri Christum esse personam compositam, quod Asturic. select. de gratia Christi q.7. ita temperat, vt censeat quidem Christum ex humanitate & diuinitate componi, neget tamen esse personam ex humanitate & Verbi subsistentia compositam.

Contrarium asseritur, & probatur ex PP.

202. Contraria sententia est D. Thomæ 3.p.q.2.art. 4. vbi suffragantur communiter recentiores, vix vllo reclamante. Est autem adeò exploratè à Patribus tradita, vt mirum sit, secùs vnquam sensisse vllum Theologum; nisi quod multi, præsertim antiquiorum Scholasticorum numero, dum Theologiam solis tricis ac cauillis philosophicis ad Christiana mysteria aptatis metiuntur, nec è limpidis Conciliorum ac Patrum fontibus puros veritatis & eruditionis latices hauriunt, à vera solidorum Theologorum laude plurimùm abcesserunt. Proferamus ergo è Concilijs aliqua, & è Patribus paucos, quorum testimonio, Christum personam compositam iure appellari, demonstretur.

In 5. & 6. Synodo, passim agnoscitur compositio in Christo secundùm subsistentiam, & Christus ipse persona composita nominatur: præsertim in Epistola Sophronij quæ habetur in 6. Synodo. actio. 17. Nec dissimiliter statuit Conc. Lateran. sub. S. Martino I. can. 8. antiquiusque his omnibus decretum Concilij Antiocheni paulò pòst dabo. Vel hic gustus videtur posse satis esse, ad sani palati ingenia cum eo loquendi modo quem tot Synodi probarint, concilianda; perspiciendumque nihil in eo venenatum, nihil periculosum esse. Sed pergo ad Patres.

S. Dionysius c. 1. de diu. nom. ait in Scripturis diuinitatem sanctè prædicari vt singularem, ob summam Dei vnitatem: celebrari porrò cum vnitate Trinitatem, propter fœcunditatis diuinæ expressionem in tribus personis. Prædicari item Deitatem vt causam omnium, vt sapientem, vt pulchram, præsertim verò vt benignam [quia in vna personarum suarum, infirma nostra integrè verissimeque suscepit, ad seipsam reuocans atque astringens humilitatem nostram, ex qua ineffabiliter compositus est, simplex Iesus; æternusque temporales subijt metas; atque intra naturæ nostræ terminos venit, qui omnem totius naturæ ordinem eminenter excedit, suis proprietatibus immutabiliter atque inconfusè subnixus.] Idem insigni planè loco ex c. 3. Ecclesiasticæ Hierarch. p. 5. quo analogiam Eucharistiæ & Incarnationis persequitur, hæc interserit ad rem præsentem facientia [Vnum illud, & simplex, atque secretum Iesu diuini Verbi nostræ humanitatis assumptione, ad compositum vsque visibile sine immutatione sui, per summam clementiam, benignitatemque processit.]

203. Origenes l. 2. contra Celsum tractans locum ex c. 1. Ioan. & ex 28. Matth. sic scribit. [Non separamus à IESV, Filium Dei. Vnita est enim post dispensationem anima IESV, corpusque cum Verbo Dei. Nam si iuxta Pauli doctrinam, dicentis, *qui cohæret Domino, vnus est spiritus*, quisquis intelligit quid sit cohærere, eique cohæret vnus fit cum eo spiritus, quomodo non multò diuinius & præstantius vnum est, id, quod cum Dei verbo est compositum?]

S. Athanasius dial. 5. de Trinitate, ita loquitur, [Christus est vnica persona, composita ex Deo & humana natura: sicut quiuis homo communis, constat ex animali parte, & ex eo quod est rationis particeps.]

S. Aug. in Enchir. c. 14. vocat Christum, [mirabili & ineffabili modo adiunctum atque concretum vnigenito Dei.] Quod idem est atque compositum.

S. Maximus centur. 4. ex varijs c. 56. eandem doctrinam apertè tradit verbis illis [Mysterium incarnationis diuinæ, præter naturalem diuersitatem eorum è quibus constat, non simul etiam introducit in hypostasi varietatem: tum ne quid accessionis capiat Trinitatis mysterium, tum vt cum Deitate nihil sit eiusdẽ natura generis atque substantiæ. Nam ad componendam hypostasim, fit concursus duarum naturarum, non autem ad componendam vnam naturam: vt & quod vnum est secundùm hypostasim, concurrentium inuicem naturarum vnione consummatum declaretur, & diuersitas concurrentium ad inseparabilem vnionem, citra vllam conuersionem & confusionem, in sua naturali proprietate manere credatur.]

204. S. Cyrillus l. de S. Trinit. c. 18. *initio*, sic scribit. [In Christo vnam personam compositam colimus; ex duabus naturis, humanitate scilicet & diuinitate, sibi inuicem secundùm personam vnitis compositam. Quæ sanè etiam causa est, quod hanc vnionem secundùm personam dicimus: quod vna ex tribus diuinitatis personis, quæ est Filij, duas natutas inter se inuicem in seipsa & secundùm seipsam, citra confusionem vniuit. Neque enim humanitas Christi vel momentum substitit per se, vt ipsa persona diceretur: (neque enim etiam opus erat. Quid enim nobis lucri inde foret, si vt, vna persona consideraretur?) sed totam humanitatis naturam Deus Verbum in seipso assumpsit, vt omnium nostri rationem haberet. Vnde Christum vnius personæ prædicamus, ex duabus naturis sib inuicem citra confusionem arctissima vnionis vnitis.]

Anastasius Sinaita l. 7. (vel potiùs 8. fallit enim in omnibus editionibus tituli appositio) hb. inquam 8. comtemplat. in Hexam. subtiliter de more & explicatissimè hanc veritatem proponit, sed tam multis vt referre quidquam in particulari pigeat. Existimat autem, quod in c. 1. genes. dicitur, *Dominum Deum fecisse hominem*, cum in primo capite dictum tantùm esset, *Deum fecisse hominem*, spectare ad designandam personam

Christi

Christi compositam: similiterque illam Beati Thomæ confessionē, *Dominus meus, & Deus meus*, ad duplicem Christi naturam compositamque eius personam pertinere affirmat: quia censet nomen *Dei* sonare Deitatem nudam; nomen verò *Domini*, adiunctam Verbo humanitatem. Sic enim subdit nō ita multò pòst. [Qui priùs nominabatur Deus, quando factus fuit homo, statim appellatus fuit & Dominus & Deus; carnis susceptæ Dei Verbi dispensationem, scriptura perspicuè nobis præsignificante. Nam quod de humanæ naturæ ab eo susceptione accipiatur hac nomē, *Dominus*, audi Dauid dicentē; *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & apparuit nobis.* Et rursus: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*; nempe post susceptam carnem; sedere enim est proprium corporum.] Addensat annotata subtiliter pleraque huiusmodi loca, & rationem etiam attexit prædictæ appellationis Deo tributæ per Incarnationem, quā de re suo loco cum de Christi titulis. Nunc satis sit eruere quod ad rem præsentem facit; nempe Christum ab Anastasio diserè & frequentissimè, compositum. & personam non simplicem nominari.

Damascenus l.3.c.3. post latè reiectā vnam Christi naturam compositam quam inuehebant Monophysitæ, post explosos quoque varios modos quibus vnio naturarum in Christo à variis hæreticis exponebatur, ait, secundùm fidem Catholicam admitti oportere in Christo vnionem [secundùm compositionem; id est secundùm hypostasim, inuertibiliter, inconfusè, inalterabiliter, indiuisè, & indistanter, & in duabus naturis perfectis, habentibus vnam hypostasim. Confitemur Filium Dei incarnatum, eandem hypostasin dicentes Deitatis eius & humanitatis, & duas naturas confitentes in ipso saluas, integrasque manere post vnionem; non seorsum & particulatim ponentes vnamquamque, sed vnitas ad inuicem in vna composita hypostasi. Substantialem enim dicimus vnionem; hoc est, veram, non secundùm phantasiam apparentiamque fallacem: substantialem autem, non quòd ex duabus naturis vna perficiatur natura, sed quòd vnitæ sint ad inuicem secundùm veritatem, in vnam compositam Filij Dei hypostasim.] Similiter c. 4. [In Domino nostro Iesv Christo, quia duas naturas agnoscimus, & vnam hypostasin ex vtraque compositam, quando naturas respicimus, Deitatem humanitatemque vocamus. At verò quando ex naturis coniunctam hypostasin, quandoque ex vtrisque simul, Christum nominamus, & Deum, & hominem secundum idem, & Deum incarnatum; quandoque verò ex vna partium, id est, naturarum, Deum solùm, & Filium Dei, & hominem solùm & Filium hominis.] Tandem c.5. [In diuina, & ineloquibili, & mentem omnem, comprehensionemque omnem, excedenti dispensatione vnius sanctæ Trinitatis Dei Verbi, & Domini nostri Iesu Christi, duas naturas confitemur, diuinam & humanam coniunctas ad inuicem, & secundùm hypostasin vnitas, & vnam hypostasin ex duabus naturis perfectam ac compositam. Saluari etiam dicimus duas naturas post vnionem in vna composita hypostasi, id est in vno Christo.]

S. Bernardus serm. 2. in Cant. [Sit os osculans, Verbum assumens; osculatum caro quæ assumitur; osculum verò quod pariter ab osculante & osculato conficitur, persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei & hominum homo Christus Iesvs.] Sic ille aptans ad incarnationem verba sacri Cantici, *osculetur me osculo oris sui*, quæ æstum priscorum Patrum erga Christi aduentum exhibere arbitratur. Subdit verò in eandem sententiam.] Felix osculum ac stupenda dignatione mirabile: in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini vnitur. Et ibi quidem contactus labiorum, complexum significat animorum; hic autem confœderatio naturarum diuinis humana componit, quæ in terra sunt, & quæ in cœlis pacificans. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum.]

Petrus Diaconus l. de Incar. c. 3. [A sanctis Patribus, adunatione ex diuinitate & humanitate, Christus Dominus noster compositus prædicatur quod nolens Paulus Samosatenus confiteri, damnatus est ab Antiocheno Concilio, Malchione presbytero eiusdem Antiochenæ Ecclesiæ viro per omnia eruditissimo, & ab vniuersis Sacerdotibus, qui contra eundem Paulum conuenerant tunc electo: qui summum disputationis certamen à Concilio memorato suscipiens, ita eundem hæreticum inter cætera redarguit, dicens: Ex simplicibus fit certè compositum, sicut in Christo Iesu, qui ex Deo Verbo, & humano corpore quod est ex semine Dauid, vnus factus est, nequaquam vltrius diuisione aliqua, sed vnitate subsistens. Tu verò videris mihi secundùm hoc nolle compositionem fateri, vt non substantia sit in eo filius Dei, sed sapientia secundùm participationem. Hoc enim dixisti, quod sapientia dispendium patiatur, & ideò composita esse possit.]

Tandem Iustinianus, explicatissimè, & sæpissimè repetit in fidei suæ edicto. Christum esse personam compositam. Satis ergo firmatum autoritate videtur, Christum rectè & citra vllum periculum appellari personam compositam.

Idem probatur ratione.

295. Suffragatur authoritati manifesta ratio. Christus siquidem persona composita dicitur, non quidem ratione subsistentiæ, quæ est formale constitutiuum personæ, sed ratione naturarum, vnicæ illi ac simplicissimæ personalitati substratarum. Ad personam enim concurrunt, & personalitas, & natura. Vnde quia in Christo cum simplicissima Verbi personalitate reperiuntur duæ naturæ, meritò Christus dicitur persona composita. Impossibile quippe est dari vnum non simplex, absque compositione. Atque Christus est quid vnum: neque tamen est simplex, cum sint in eo personæ vna & duæ naturæ. Est igitur persona composita. Nec tantùm est persona composita ex duabus naturis, sed etiam quod Asturicensis negabat, latè repulsus ab Albertino coroll. 3. ex prædicam. substantiæ dub. 2. verè dicitur Christum esse personam compositam ex personalitate Verbi, & humanitate. Nam hic quoque locum habet ratio quæ suadet Christum esse compositum ex pluribus naturis; nimirùm quod vbi plura realiter distincta & vnita interueniunt, ita vt ex eis exurgat vnum, ibi necessariò admittenda est compositio. Atqui considerando in Christo naturam humanam & personalitatem Verbi, rectè dicimus ea esse plura & vnita, vnumque inde exurgere Christum. Ergo exurgit inde vnum compositum: quod cum non sit vna natura, dici iure poterit vna composita persona. Et disertè sanè in 5. Synodo actio. 8. can. 3. & 4. definitur compositio ex humanitate & subsistētia Verbi. At ex compositione exurgit compositum. Non licet igitur diffiteri quod Christus sit ex humanitate & Verbi personalitate compositus. Ac proinde siue duas Christi naturas in vna Verbi subsistentia adunatas, siue humanitatem & Verbi personalitatem nexu hypostatico vinculatos attendamus, verè & Catholicè Christus Dominus persona composita asseritur.

Nonnulla in contrarium, ex Abucara.

206. Videri possit repugnare veritati hactenùs propositæ, Theodo. Abucara opusc. 2. nam quamuis disertè admittat, sæpeque iteret, Christum esse vnam personam compositam, tamen subijcit quæ id euertere videantur. Sic enim habet. [Compositam quidem dupliciter

pliciter esse æterni Filij Dei hypostasin dicimus. Dicitur enim composita ex diuinitate, & humanitate: & dicitur rursus composita, ex anima & corpore, sicut vnusquisque homo. Sed ex Deitate & humanitate non dicitur propriè composita, sed metaphoricè, siue translatè. Omne enim quod propriè compositum est, non erat priusquam copulata essent, ea ex quibus compositum est. Christum verò non dicimus simpliciter, & absolutè non esse Christum, ante diuinitatis cum humanitate, à quibus componitur, coniunctionem: sed dicimus non esse Christum, cum determinatione, priùs scilicet quàm in eo congressum haberent diuinitas & humanitas, quibus congressis in vnionem confusionis, & mutationis expertem, translata est in eum compositio à vera compositione; & modo metaphorico vocata est composita ex Deitate, & humanitate. Quod enim propriè ex re compositum est, alio quodam nomine, quàm nomine earum rerum ex quibus compositum est, nominatur. Homine enim composito ex anima & corpore, non nominatur nomine hominis anima, neque corpus. Christus tamen quodammodò compositus ex æterno Filio, & humanitate, ipse æternus Filius est Christus; tametsi non est appellatus Christus ante incarnationem suam.]

Expediuntur.

Hæc nego pugnare aduersus propriè dictam personæ Christi compositionem; quæ scilicet in eo sita est, quod plura ad idem suppositum cõstituendum vniantur. Tantum itaque remouent à Christi persona, compositionem illam quæ communicationem idiomatum excludat; seu quæ duas substantiales naturas sub eadem suppositalitate non inferat: cuiusmodi sunt omnes personarum quarumuis pure creatarum compositiones. Quod autem non plus intenderit, vel saltem non plus probarit Abucara, perspicuum erit rationes eius librando, consequenterque satisfaciemus rationibus suprà propositis aduersus hanc compositionem.

207. Prima fuit, quâ dixit Abucara, Christum non esse propriè compositum ex Deitate & humanitate, quia nullum propriè compositum, priùs est quam essent componentia ex quibus exurgit ipsum compositum. Christus autem cum determinatione tantùm, hoc est quatenus homo, dicitur non fuisse ante incarnationem; absolutè autem semper fuisse dicitur. Hæc ratio illa ipsa est quam Almainus in 3.d.6.q.1.conclu.2.profert, vt neget Christum esse personam compositam. Facilè autem euertitur, negando Christum fuisse ante incarnationem. Quamuis enim persona Verbi ad Christum componendum concurrens sit æterna, tamen Christus ipse æternus non est, sed de nouo ac in tempore cœpit: & quod aliquando Christus æternus dicitur; pertinet tantùm ad idiomatum communicationem, qua prædicata vnius naturæ, ratione vnius in vtraque subsistentis, transferuntur ad alteram. Audi Vigilium l.4.contra Eutych. [Cum antequam à Verbo forma serui esset accepta, nondum fuerit Christus, sed tantummodò Verbum, id est antequam esset homo, nondum erat homo, sed tantummodo Deus: nondum erat Christus antequam nostri habitus similitudine, homo esset inuentus: & tamen Christus est in forma Dei, Christus in forma serui, Christus æqualis Patri, Christus inferior Patre, idem Deus, idem homo. Vnde constat & diuinitatem humanitatis habere vocabulum, id est, Verbum dici carnem, & carnem dici Verbum: non quia in se vtrumque mutatum sit, sed quia vtrumque, vna persona, id est, vnus Christus sit.]

Itaque Christus excluſa idiomatum communicatione, & præcisè spectanda quod formaliter & directè prædicandum est de hoc composito prout compositum est, non est æternus, sed temporalis, vt suprà ex Anastasio l.8.in Hexam. diximus quamuis eius persona prout simplex ac diuina; sit ab æterno. Sicut composita omnia materialia, quoad aliquid, nempe quoad materiam, atque adeò agendo de pure materialibus quoad illud quod solùm subsistit in eis, sunt ab initio conditi orbis; ab eo enim tempore creata est vniuersa materia sublunaris quæ nunc perstat post immensam vicissitudinem generationum varietatemque formarum illi subinductarum. Nemo tamen propterea negat, veram compositionem huiusmodi suppositorum.

Altera Abucaræ ratio fuit, quod Christus appelletur nomine vnius extremi ipsum componentis, hoc est *Verbum*, vel *Deus*, cum tamen homo qui propriè ex anima & corpore componitur, neque dicatur *corpus* neque *anima*. Sed hæc quoque ratio, imbecilla est. Idcirco enim homo non dicitur materia vel anima, quia inter partem & totum non habet locum communicatio idiomatum, quæ ob personæ identitatem locum habet inter hominem ac Deum in Christo. Itaque ad excludendam veram compositionem in Christi persona prout ex Verbo & humanitate, vel ex vna personalitate & duabus naturis coagmentata, nihil refert quod aliquid à ratione compositionis extraneum, nec in alijs compositionibus locum habens, in Christo tamen habeat locum, & concomitanter adiungatur rationi compositionis, ob peculiarem componentium conditionem; seu quia vnum eorum, est persona subsistens ex duabus naturis.

Ad rationes pro parte negante, capitis initio propositas.

208. Ad eundem scopulum naufragant quoque aliæ rationes superiùs aduersus hanc compositionem propositæ. Quod enim in alijs compositionibus, extrema ita causent compositum vt habeant rationem partis, itemque potentiæ vel actus, minusque singula perfectionis contineant quam totum; inde inferebatur, Christum non esse compositum. Sed huiusmodi illatio, est planè cassa: quia ob peculiarem conditionem componentium possunt aliqua peculiaria rationi compositionis extranea, cerni in hac compositione, quæ in alijs locum non habent. Inter hæc non numero independentiam totius compositi à componentibus; verè enim Christus in ratione totius pendet ab humanitate, & personalitate diuina, tanquam ab internis causis suis. Vnde nulla in personalitatem Verbi dependentia detiuatur, nullaque causatio passiua in Deitatem, sed tantùm in totum ex vtrisque constitutum, quod sicut verè accepit esse in tempore, ita alicunde illud accipit, ac proinde inde verè dependet. Numero igitur interea quæ sunt huic cõpositioni peculiaria, nec in alijs compositionibus locum habent, quod componentia non sint partes, sed extrema; itemque quod non habeant ad inuicem rationem actus & potentiæ; ac etiam quod vtrumque extremum, neque à toto, neque ab altero extremo pendeat, sed vnum duntaxat, nempe humanitas à Verbo.

Nego humanitatem ac Verbum in hac compositione debere vocari *partes*, secutus D. Augustinum lib.3. contra Maximinum c.10. vbi vt probet tres personas diuinas, non esse partes augustissimæ Trinitatis, adhibet exemplum Christi qui [Vna persona est, geminæ substantiæ, quia & Deus & homo est: Nec tamen Deus pars huius personæ dici potest, alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam serui non erat totus, & creuit cum homo diuinitati eius accessit. Quod si in vna persona absurdissimè dicitur, quia pars rei vllius esse non potest Deus, quantò magis pars Trinitatis esse non potest, quicunque vnus in tribus?] Quod si Deus, vel Deitas, aut persona Verbi, non potest dici

pars

pars Christi, certè neque humanitas. Nõ enim pars potest esse absque cõparte. Itaque cõponentia Christum non sunt vocanda *Partes*, sed *extrema*. Nisi si nomen *partis*, sumatur prout designat quidquid in alterius compositionem venit. Sicut enim compositum solet dici totum, ita & componentia, ad sensum prædictum, possunt partes appellari. Et hoc spectauit Iustinianus in edicto fidei suæ, cum dixit. [Ex vtraque natura, id est, ex diuinitate & humanitate vnum Christum compositum dicentes, confusionem vnitioni non introduximus. Et in vtraque autem natura, id est in diuinitate & humanitate, vnum Dominum nostrum Iesum Christum Dei Verbum incarnatum, & hominem factum cognoscentes, diuisionem quidem per partes, vel inciſionem non ferimus vni eius subsistentiæ. Differentiam autẽ naturarum, ex quibus compositus est, significamus non interemptam propter vnitatem, quoniam vtraque natura in ipso est. Cum enim compositionem dicamus, necesse est confiteri, & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci.] Eodem modo partes in hoc mysterio vsurpauit Nicetus ad orat. 42. Nazianzeni. Sumendo autem in rigore nomen *Partis* quia sonat incomplexionem, & perfectibilitatem per compartẽ, quæ est imperfectio à Verbo diuino elongatissima, negandum est, Verbum diuinum habere in hoc mysterio rationem partis. Et quanquam est hæc lis de vocibus, vt rectè aduertit Billius l. 2. tract 4. c 11. n. 8. tamen præstat voce *Partis* abstinere, & loco eius vsurpare vocem *extremi*, quæ æquè cohæret cum Christi compositione, nec tamen infert vllum æquiuocationis periculum, quale vox *partis* posset inducere.

209. Cæteræ imperfectiones quas alijs compositionibus dicebam adiungi extra rationem cnmpositionis, exclusæ hinc manent, succisa ista de qua nunc agimus. Si enim extrema Christum componentia non sunt partes propriè, consequenter ad inuicem non habent rationem actus & potentiæ, nec à toto vel ab inuicem ambæ pendent. Hæ namque imperfectiones affectantur rationem partis præsè sumptæ, quam ab hoc composito exulare diximus. Consequenterque addendum est, cum Durando in 3 d. 6. q. 3. n. 5. hanc compositionem non esse *huius ex bis*, sed *huius ad hoc*, quia non est ex partibus habitudinem mutuam ad se dicentibus, & essentialiter ad totius compactionem ordinatis, sed ex duobus extremis quorum vnum respicit aliud tanquam terminum à quo habet esse suppositale, citra vllam termini illius potentialitatem aut imperfectionem. Hoc tamen, ad veram cõpositionem est plusquam satis; quia de ratione compositionis non est, vt extrema concurrant ad constitutionem vnius tertij, substantialiter perfectioris & completioris quam sint extrema; quo pacto Deus non potest venire in compositionem cum creatura: sed de ratione compositionis tantùm est, vt plura non habentia formaliter eandem perfectionem, cuiusmodi sunt Verbum & humanitas, iungantur ad conflandum vnum tertium; quod in re presenti non potest dici intensiuè perfectius vno ex componentibus; tamen continet plures perfectiones formaliter & actu; seu vt passim loquimur, extensiuè perfectius quàm solum; sicut Deus & creatura, extensiuè dicuntur esse aliquid perfectius quàm Deus solus, non tamen intensiuè quia Verbum eminentissimè cõtinet perfectionem quamcunque humanitatis: vnde ex accessu humanitatis, abyssus perfectionum eius non fit auctior quasi exaggeretur & cumuletur: quamuis negari non possit, ad purissimam & actualissimam Verbi perfectionem, addi formaliter potentialem perfectionem humanitatis; & ex ea simul cum diuinitate purissima eidẽ subsistẽtiæ subsistãribus, exurgere de nouo personam cõpositam de qua disputamus. Neque verò si persona Christi secundum se est æterna, & prout cõposita habet esse de nouo, sequitur duas esse in Christo personas, vt postremò opponebatur. Verè enim vnica est, varias illas denominationes subiens in varijs temporibus, ac prout terminat vel non terminat humanitatis habitudinem.

Christus, compositum substantiale. Non ens per se, quæ docere videantur.

210. Habemus ergo, terminum totalem incarnationis esse aliquid compositum. Nunc exponendum superest, quale compositum sit, nempe an substantiale, an alterius rationis; & an sit ens per se, an per accidẽs. Verùm ex dictis superùs satis superque liquet, hoc compositum esse substantiale. Exurgit enim ex natura humana & Verbo substantialiter coniunctis; hoc est nexis per vnionem hypostaticam destinatam ad suppositi substantialis constitutionẽ, & naturæ substantialis incompletæ terminationem ac completionem in genere substantiæ. Quod voluisse Alexandrum III. c. *cum Christus*, de hæreticis, definientem. Christum secundùm quod homo, esse aliquid, censuerunt nonnulli; sed minus appositè, vt monstraui suprà, sect 1. c. 1.

Videbimur hoc ipso satisfeciſſe alteri interrogationi, sitne Christus ens per se. Omne quippe ens substantiale, est ens per se. Hæc tamen resolutio, quoad Christum videtur validè eo argumento impeti, quod quicquid aduenit enti iam completo, facit cum eo ens per accidens. Atqui humanitas aduenit Verbo, quod ex se est ens completissimum. Ergo humanitas & Verbum, faciunt ens per accidens. Aliter proponunt hoc argumentum alij, sub his videlicet terminis. Ex duobus entibus completis, non exurgit vnum per se; atqui Verbum & humanitas sunt entia completa; non potest igitur ex eorum adunatione existere vnum per se. Sed argumentum sic propositum, nullius est momenti. Neque enim humanitas est aliquid completum cum destituatur essentiali suo complemento siue suppositalitate. Ex quo liquet, insultissimè Appollinaristas apud Nazian. orat. 52. *sub medium*, vt humanam animam Christo eriperent, inde esse argumentatos, quod duo completa, siue vt ex interprete loquitur Naziazenus *duo perfecta*, non possint conuenire in vnam hypostasim. Hoc dico insultissimè ab eis fuisse oppositum, ad excludendam à Christo animam. Si enim humanitas, quæ est integra natura, non est ens completum nisi terminetur sua personalitate, quantò minus anima, quæ non est nisi substantia dimidia, & in Christo, non modò est essentialiter incompleta quia est essentialiter actus physicus, sed etiam in ratione substantiæ dimidiatæ aliam habet incompletionem, quia caret suo connaturali termino, siue sua subsistentia connaturali? Argumentum ergo prout à nobis propositum est, longè acriùs pungit, videturque probare, Christum non esse ens per se, atque adeò esse ens per accidens.

Contrarium approbatur.

211. Nihilominus certum esse debet, Christum esse ens per se, non autem ens per accidens. Contrarium enim, saperet Nestorij blasphemiam, iuxta quam vnio humanitatis ad Verbum est accidentalis tantùm. Sic igitur argumẽtari licet. Tale est compositum, qualis est vnio partium, vel extremorũ constituentium cõpositũ illud. Atqui vnio humanitatis & Verbi, non est accidentalis, sed substantialis, vt definitur in 2. Conc. Constantinop. & suprà probatum est. Igitur Christus non est ens per accidens, sed ens per se. Quod non negant Vasque 3. p d 68. n. 16. & alij qui dicunt, hominem esse Deum, esse quoddam ens per accidens; & propositiones istas *homo est Deus, Deus est homo*, non esse per se, neque in materia naturali; sed tantùm in remota & accidentaria. Sed neque Scotus, Bassolis,

Palu

Paludanus, & alij qui in 3.d.7.negant hanc prædicationem *Christus est homo*, aut illam *Christus est Deus*, esse prædicationem per se, eò quòd Christus non sit ens per se, reuera aduersantur doctrinæ propositæ. Hi quippe Autores,non idcirco vocant Christum ens per accidens quòd vnio extremorum conflantium Christum sit vnio entium completorum, cuiusmodi sunt paries & albedo, homo & risibilitas: quo duntaxat sensu neganimus Christum esse ens per accidens, & voluimus Christum esse ens per se. Sed idcirco dicunt, Christum esse ens per accidens, quia contingens fuit Christum produci: sicut etiam dicunt hominem esse Deum per accidens quia verè contingens fuit, quod Deus humanitatem sibi copulatet, atque adeò vt homo fieret Deus. Atque ita Autores prædicti non refragantur doctrinæ à nobis propositæ; quidquid sit, an modus loquendi eorum, probandus sit quod mihi certè non videtur. Nam prædicationem illam, *Christus est homo*, vel illam, *Christus est Deus*, non minùs puto esse per se in primo modo quàm sit illa quæ citra omne dubium est per se, *homo est animal*, vel *homo est rationalis*. Similiter enim ista, *Christus est homo*,& ista *Christus est Deus* sunt de prædicato quod est essentiale subiecto. At hoc est propositionem esse per se, in primo modo dicendi per se.Et hac in parte Vasques supra c.3. admittit quod dicimus. Dissentit tamen quoad illas propositiones, *Deus est homo*; *homo est Deus* & rectè sentit, si propositiones illæ resecentur ad inuicem, ita vt extrema earum vsurpentur in rigorosa notione vocibus subiecta. Sic enim neque homini vt sic,est essentiale Deum esse; neque Deo est essentiale, esse hominem. Vsurpando tamen subiectum illud *Deus* in propositione priore, prout in communi vsu sumitur in tali propositione post peractum hoc mysterium, nempe pro persona Filij composita, verè propositio est per se, & in materia naturali vt liquet; quia personæ Filij compositæ, est essentiale esse hominem. Similiterque propositio posterior, est per se, si subiectum *homo* spectetur secundum communem notionem, quæ fert, vt *homo* in tali propositione sonet diuinum supositum in humanitate subsistens; cui sanè supposito essentiale est esse Deum. Itaque in quæstione illa de nomine, quia loquendum est vt plures, admitto propositiones prædictas esse per se. Et quidquid tandem de illis prædicationibus statuatur, consentaneè ad tricas Logicas, quoad rem tamen præsentem indubitatum esse debet, Christum attenta vnione ex qua resultat, esse ens substantiale: nec dicendum esse ens per accidens, sed ens per se.

Enodantur, quæ Christum statuebãt ens per accidens, sitne substantia prima, disquiritur.

212. Argumentum verò quod in contrarium proponebatur, facilè eliditur. Nego enim, omne illud quod aduenit enti completo, facere cum eo ens per accidens, vt optimè ex D.Thoma obseruat Ferrar.l.4. contra gentes c.49. *in fine*. Potest enim contingere, vt quod aduenit enti iam completo, non sit completum, sed sit substantialiter perfectibile ab ente illo iam completo. Tunc autem, ex coniunctione talis perfectibilis substantialis cum suo perfectiuo substantiali iam completo, non exurget ens per accidens, sed ens per se: quia quotiescunque plura se perficiunt intra idem genus; totum quod inde exurgit, non est ens per accidens. Manifestum verò est, humanitatem ita accedere ad Verbum, iam in se completum, vt tamen humanitas in genere substantiæ imperfecta sit, accipiatque perfectionem & completionem suam à Verbo illam terminante. Quare Christus qui est totum inde resultans, non potest dici ens per accidens, quod versat pluribus Fonseca 5. Metap.c.8.q.7.s.6. Ægrè autem adducor, vt illis me dialecticis Aristis distentum velim, quibus idem Autor anterioribus sectionibus occupatur; quærens, sitne Christus inter primas substantias prædicamentales recensendus; Et pro parte negante adducens Scotum, & Scotistas omnes in 3.d. 7.ac 22. insuperque Durandum & Maiorem ibidem. nec non Ochamum in 3.q.9. ipsumque etiam D.Thomam in quodlibetis & in 3. quem tamen mox cum Thomistis omnibus, & Alberto, ac Alensi, & Bonauentura, nec non Marsilio, atque Richardo, laudat pro contraria sententia, cui ipse quoque subscribit, & meritò. Nam quamuis humanitas contingenter Verbo sit copulata, quod vnum opponit Scotus, ideóque per accidens sit, quòd Verbum factum sit homo, tamen contingentia connexionis illius quoad existentiam, non obstat quo minùs homo de Christo prædicetur essentialiter & necessariò. Sicut quamuis per accidens sit, quòd Petrus existentiam actualem sortiatur, est tamen necessariò & essentialiter homo categoricus indiuiduus, de quo videlicet homo specificus enuncietur tanquam de indiuiduo sibi essentialiter subdito. Idem ergo in Christo contingit. Fateor in Christi notione includi formaliter personalitatem Verbi, quæ per se sumpta,ac prout in diuina natura subsistit categoricis finibus non clauditur. Sed quia personalitas non est ratio collocandi personam in categoria, sed natura humana quæ finitæ perfectionis est, nihil est quod impediat, quominùs persona humanæ naturæ quæ spectari in Christo potest, substantijs primis prædicamentalibus annumeretur. Et hoc sensu, sermone de Christi Bapt. apud Cyprian. *sub med.* Christus dicitur vna essentia. Aliter verò Christum spectauit D.Damascenus.3.fidei.c.16. cum dixit non licere iumere in Christo communem speciem. Spectauit enim Christum,prout compactum ex humanitate & diuinitate, voluitque dicere, nulli præter ipsum, eam rationem substantialis compositionis competere. Negare autem quo minùs Christo inadæquatè sumpto,id est prout est persona humana, ratio hominis categorici tribuatur, nec voluit, nec potuit Damascenus. Sed de dialectico isto minutiloquio plus satis,

Christus, quid?

213 Ex dictis possumus germanam & quidditatiuam Christi notionem efformare. Vel enim Christus spectatur præcisè vt persona humana; & sic est diuina personalitas Verbi in humanitate subsistens; vel spectatur adæquatè & completè, quoad omnia quæ eius nominis significatione comprehendi legitimè possunt; & sic est compositum substantiale ac per se, ex diuinitate & humanitate in vnam substantiam concurrentibus,& ab ea vna terminantis substantialiter. Expressit pulcherrimè eam Christi notionem S.Cyrillus l. contra Antropomorph. c.22.verbis illis [qui Christum nominat, neque nudum Verbum significat, neque hominem vulgarem, vel tanquam vnum ex nobis; sed vt dixi,tanquam incarnatum, ex Deo Patre, Verbum & vnctum in Apostolatum. Neque enim homo, vt quidam volunt, Deus est effectus, vnitus Verbo: sed Verbum ipsum carne assumpta, homo factum, mansit etiam ita Deus.] S.item Fulgentius l.de incarnatione & gratia Christi c.10. perpulchrè in hanc rem sic disserit. [Illud verò quis facilè Christianus aut ignoret aut dubiret,quod Verbum Deus, priusquàm caro fieret, non fuit Christus, sed tantùm Deus? Tunc autem idem Deus Verbum, quod semper in forma Dei erat, Christus esse cœpit, cum Deus semetipsum exinaniens, formam serui absque diminutione plenitudinis naturalis accepit. Deus ergo factus est Christus, vt Christus esset Deus homoque perfectus: quia Verbum dignatum est caro fieri, vt caro posset, Verbi,hoc est Dei

nomine

nomine nuncupari. Neque enim caro Christi, priusquàm à Verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit, neque ipsa caro, id est ipse homo in se formam Dei viuentis accepit. Sed Deus qui in forma Dei erat, formam serui accepit. Et Deus æqualis Patri, in similitudinem hominum factus, habita est inuentus vt homo; & qui dives fuit, propter nos pauper factus est, vt illius paupertate nos ditaremur. Verbum itaque caro factum, vnus est Christus.]

Si vocis corticem spectemus, *Christus* idem est ac *vnctus*, falque neminem fidelium latere, affirmat autor libri de vitâ Christiana c.1. apud Augustinum t.9. Hebraicè, Christus dicitur Messias, vt plenè prosequitur Gelasinus l.3. de arcanis c.2. dicemúsque inferiùs cum de Christi titulis. Dimissis autem varijs sacris vnctionibus, penes quas nomen Christi huic homini, æquè ac multis alijs, imo multò potiore jure quàm quibusuis alijs tribui poterat, titulo scilicet Regiæ & Prophetiæ ac Sacerdotalis dignitatis; primarius & sublimissimus titulus, est vnctionis illius diuinæ quæ ad substantialem Christi compactionem ex humanitate vncta, & Deitatis vnguine per communem vtrique naturæ subsistentiam humanitati applicato, pertinet. Oleum enim lætitiæ quo Christus præ participibus omnibus vnctus est, & vnguentum quod huic humanitati infinitam fragrantiam coram Deo conciliauit, ita vt eius opera infinitæ fuerint dignitatis, & valoris supra omne pretium, non aliud fuit quàm diuina natura substantialiter nexa cum hac humanitate, per subsistentiam Verbi, de quo plenius tractando Christi titulos. Nomen igitur vncti siue *Christi*, provt Antonomasticè tribuitur composito de quo agimus, apertè sonat structuram eius ex diuina personalitate, & duabus naturis integris atque totalibus.

Dicendusne, ex tribus naturis, substantialíve constare.

114. Hoc addo, quia quamuis passim spectantes ad naturas integras in genere naturæ, dicamus Christum ex duabus & in duabus naturis consistere, quod infinities tradunt Concilia contra Eutychetem; tamen aliter loquendum esset, si nomen *naturæ*, vt non rarò aliàs usu venit, vsurparetur provt commune est partiali substantiæ. Qua ratione Anastasius Sinaïta in fragmẽto operis aduersus Philoponum quod exhibet Gretserus in præludijs ad eiusdem Anastasij viæ ducem, negat hominem dici debere vnius naturæ, nisi natura idem sit quod species communis: Cæteroqui enim aliam esse animæ, aliam corporis naturam; ac proinde hominem ex duabus naturis constare. Quis verò nescit, naturam ab Aristotele definitam 2. phys. cap. 1. de substantia partiali, hoc est, de forma substantiali affirmari; vt rectè statuunt Vasq. 1.2. d.25. n.21. Valesius controu. 11. & Zabar. lib. de natura cap.7. Alij item quos Aristoteli inhærendo minùs probo, ad materiam, nomen naturæ extendunt, vt Scotus in 2.d.18.q. vnica *circa medium*. Soto 2. phys. q.1. Rub. q.2. & Perer. l.7. physiol. cap.17. quorum argumenta nihil nunc attinet excutere. Saltem verò probant, in alio sensu quàm eo quem Aristoteles in sua definitione expressit, nomen *naturæ* quadrare posse materiæ. His igitur modis Christus ex triplici natura compactus dici potest; nempe ex diuina in ratione naturæ integræ, & ex duplici partiali humana. Quod sæpè significant Patres impugnantes Monophysitas, & proportionem inter exemplum carnis & animæ in eandem humanitatem concurrentium, ac Verbum & humanitatem Christum compingentia, stantentes in eo quòd sicut sunt in homine duæ naturæ, nempe partiales, ita sunt in Christo duæ naturæ; vna bifida, nempe humanitas; altera planè simplex, quæ est diuinitas.

Simile planè est, quod plerumque Patres tradunt Christum coalescere ex tribus substantijs, nempe ex anima, & corpore, ac diuinitate. Ita disertè D. August. 13. Trinit. c.17. ac Isidorus lib. de differentijs c.6. & Etherius & Beatus l.1 contra Elipandum pag.351. Eodémque spectat quod dixit Blesens. serm.2. [Veniens Dominus ad nos, vt innocaret nos, nouum fecit super terram; Trinitatem scilicet temporalem quæ Trinitati æternæ tanquam è contrario responderet.] Quod ait esse, sanctuarium exterius ab Ezechiele c.44. descriptum, cuius porta clausa vito, sedente in ea solo principe. Admittit ergo in Christo Blesensis, Trinitatem; substanciarum vtique, aut naturarum. Et eodem modo loquitur S. Bernardus hom.3. in vigil. Natiuit. Audi & Goffridum Vindocin. serm.4. de Natali Dom. [Ex tribus substantijs Christus in vna persona subsistit, diuinitate scilicet, carne, & anima. Sicut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt tres personæ, & trium personarum est vna substantia, sic Verbum, caro, & anima, sunt tres substantiæ, & trium substantiarum est vna persona, Deus & homo.] Quamuis autem nomen *naturæ* plerumque angustius sit quàm substantiæ; nempe quoties natura sonat substantiam integram in genere naturæ, substractæ suppositalitati; tamen plerumque nomen *substantiæ*, & nomen *naturæ* æqualiter patent, vt in prædicto exemplo de duplici in nobis partiali natura & substantia; triplici autem natura æquè ac substantia Christi Domini; quem modum de Christo loquendi, vsurpauit, & ex Patribus confirmauit Conc. Toletanum 15. quod post 14. item Toletanum Concilium ita assignauit Christo duas tantùm naturas, nempe in ratione naturæ integras, & totales, vt tamen concedat Christo tres substantias, vsurpata voce *substantiæ*, provt ad naturam quoque partialem, hoc est ad vtramque humanitatis partem essentialem fundi potest. Quæ est germana Patrum illorum interpretatio, adhibita à Mariana l.6. histor. Hisp. cap.18. vbi plura de notato per Benedictum II. Papam eo loquendi modo tanquam in speciem duriore, nec apud Patres satis frequentato; déque prolatis per Patres Toletanos, antiquorum Doctorum testimonijs quibus eam duritiem prætensam mollirent. Vnde factum est, vt Pontifici, aut successori, sit satisfactum. Videndus Baron. anno 685. & minutè Vasq. 3. p.d.37. c.3.

215. Quanquam autem iuxta propositam interpretationem, dicere Catholicè liceat, esse in Christo tres naturas, & tres substantias; præsertim cum aduersus Apollinaristas aut Manichæos agitur, qui veritatem partialium illarum Christi siue substantiarum siue naturarum inficiantur, vt proinde expediat veritatem Catholicam ad eum modum aduersus eos distinctiùs ac expressiùs profiteri: tamen in communi vsu & simpliciter loquendo, retinenda est communis loquendi ratio, quæ duas Christi naturas atque substantias, nempe totales, in Christo agnoscit. Quod accuratè prosequitur S. Damascenus 3. fidei cap.16. & Paulinus Aquilo. in sacro syllabo *sub finem*; eáque ratione sufficienter confirmatur, quod cum simpliciter agitur de numerandis alicuius compositi partibus, non habetur ratio nisi partium proximarum ex quibus totum immediatè compingitur; sic enim hominem ex duplici parte substantiali compositum dicimus; nempe ex anima & corpore, neglectis *partibus* partium corporis quæ plures secerni ac numerari possent cùm dissimilares tum similares. Quia ergo substantiæ Christum proximè & immediatè constituentes, non sunt nisi duæ totales, nempe diuinitas & humanitas. eidem substantiali termino personalitatis Verbi substantes; meritò passim affirmamus, Christum ex duabus tantùm naturis & vna personalitate coalescere, ac conflari in vnam personam compositam. Breuiculus historiæ Eutychianistarum nuper editus titulo Gestarum de no-

mine Acacij *ferè initio*. Vnam essentiam Christi, resultantem ex duabus naturis & vna personalitate, id est, vnam personam compositam ad modum propositum, agnoscit. Similitérque Autor libri de operibus Christi Card. serm. de Baptismo Christi, illam vnam essentiam admittit, quod eo sensu est accipiendum. Verba eius sunt. [Conuenerunt simul sempiterna diuinitas, & temporalis humanitas, & eo tenore vtriusque naturæ facta est vnitas, vt impossibile sit quod iunctum est ab inuicem separari, sed Verbum & caro sic sunt vna essentia, vt perfectam & integram sincera coniunctio faciat vnitatem.]

Num sit diuinitas & humanitas.

216. Est verò hic præterea quæstiuncula ferè de nomine, sed propter Vvicleffum non omittenda; nimirùm an ita Christus ex duabus illis naturis totalibus componatur, vt liceat dicere, *Christus est Diuinitas, & humanitas*, id quod Vvicleffus affirmabat, vt habetur ex Valdensi l. 1. doctr. à cap. 39. sic porrò vsurpabat nequam ille eam propositionem, *Christus est diuinitas & humanitas*, vt coniunctio *Et*, sumeretur copulatiuè non copulatim; id est provt vinculum duarum propositionum, essétque sensus. *Christus est diuinitas diuisim*, & *Christus est humanitas itẽ diuisim*. Qua ratione ea Vvicleffi propositio, in discipulo eius Ioanne Husso, damnata est in Constantiensi Conc. sess. 15. Et meritò, nam totum non est vna pars duarum è quibus constat; atque adeò neque Christus est vna è naturis vel substantijs concurrentibus ad eius constitutionem. Si tamen sensus prædictæ propositionis esset copulatus; & significaretur, Christum esse illa duo simul & vnita; quo etiam pacto diximus, quinque esse duo & tria, nempe simul sumpta; sic dicere rectè liceret, *Christum esse diuinitatem, & humanitatem*, aut si non materialiter & identice sed formaliter loquendum sit, *Christum esse Verbum simul & humanitatem*. Qua ratione animaduerto probatam esse Gregorio eam locutionem in 1. d. 28. q. 2. ad 13. imò tanto ante Iustino in expositione fidei, verbis illis. [Christus non è diuinitate & humanitate Christus effectus est, neque aliud est quàm duo ista; vtraque, videlicet, hoc est Deus & homo.] Placuit item ea locutio Anastasio c. 13. ἐκ δύο. [Totum illud, (inquit) quod Christus appellatur, crebrò vocamus Deum, idque propter summam vnionem; at non vocamus diuinitatem: sed diuinitatem & humanitatem simul, propter diuersitatẽ naturarum.] Et c. 22. *sub finem*. [Catholica Ecclesia, docet Christum esse duas naturas vnitas.] Annuit D. Aug. serm. 58. de verbo Dom. vbi ait, Christum esse suas duas substantias simul. Et c. 38. Enchir. ait, vtramque substantiam, diuinam & humanam, esse vnicum Christum, Dei Filium: quo ferè modo loquitur etiam l. de dono perseuer. cap. 24. & S. Leo epist. 11. & expressimè Dam. 3. fidei c. 19. & l. 4. c. 7. ex editione Fabri, Græco contextui consona. Vides, propositionem quam excutimus, tradi totidem verbis ab his Patribus. Itaque mirandum est, Petrum Vvliardum non inerudituum Theologum, qui Lutheri furente scribebat, in impugnatione secundæ formalis propositionis Lutheri, hanc quam nunc excutimus, acceptam in sensu quem nunc admittimus, reijcere tanquam horrendissimam hæresim, ex qua scaturiant pestilentissimi errores: id est, quod Christus non sit Deus, cum nullum aggregatum sit vna partium illarum è quibus coalescit 2. quod Christus non sit ens, quia nulla diuersa, nisi se habeant informatiuè aut continuatiuè faciunt vnum ens. Similia illata, multiplicata. Sed vtinam nunquam aliter errasset Lutherus, si non in sensu Vvicleffi & Ioannis Hussi, sed in eo quem admisimus, eam propositionem vsurpauit. Neque enim ex ea sic intellecta, sequitur Christum non esse Deum, vel ens, etiam vnum. Quia diuinitas in propositione illa ad sensum propositum accepta, sumitur pro Verbo subsistente, & in Deitate & humanitate, quod ens vnum ex pluribus quorum est creatum hypostaticè vnitis coalescens. Mirandum præterea est, eandem propositionem à Medina & Aluare. 3. p. q. 17. art. 1. pronunciari erroneam, & damnatam in Concilio Constantiensi: cuius tamen mentem vidisti esse planè aliam, quandoquidem Concilium illud, damnauit eam propositionem in sensu quo per Vvicleffum asserta fuerat, & in quo Ioannes Hus eam à Vvicleffo hauserat. At Vvicleffum Valdensis supra c. 42. docet spectasse quod dixi, non autem eum sensum quem admisimus cum Patribus adductis, suffragante ratione efficacissima. Siquidem non aliter se habet Christus ad humanitatem & diuinitatem, vel (vt non nisi materialiter, & identicè verum, modum loquendi dimittentes, assumamus formalem,) non aliter se habent Verbum & humanitas vnita, quam anima rationalis & caro ad hominem. Atqui anima rationalis, & caro ei vnita, vnus est homo: Ergo Deus, & homo & vnio vtriusque, vnus est Christus. Sicut iuxta verissimam sententiam physicam, compositum naturale nihil aliud est quàm partes vnitæ. Neque video quid discriminis quoad hoc excogitarit Galatinus l. 3. de arcanis c. 2. inter extrema naturalis compositi ipsúmque compositum ex vna parte; & extrema huius supernaturalis compositi, ipsúmque compositum ex altera; dicens naturale compositum aliud quidem esse à componentibus, non item Christum ab extremis ex quibus exurgit. Sanè si proportio seruetur, est omnimoda paritas.

Christus, homo signatus. Vsus doctrinæ.

217. Ex antedictis liquet, Christum ita esse hominem, vt verè sit homo signatus, sicut habetur Ioann. 6. vbi D. Aug. tract. 25. [Signare quid est, nisi proprium aliquid ponere? hoc est enim *signare*, imponere aliquid quod non confundatur cum cæteris. Signare, est signũ rei ponere. Cuicunque rei ponis signum, ideò ponis signum, ne confusa cum alijs, à te non possit agnosci. Pater ergo eum signauit. Quid est signauit? Proprium quiddam illi dedit, ne cæteris comparetur hominibus. Ideo de illo dictum est, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis*. Ergo signare quid est? Exceptum habere, hoc est, præ participibus tuis. Itaque nolite, (inquit,) me contemnere, quia Filius sum hominis, & quærite à me cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. Sic enim Filius hominis sum, vt non sim vnus ex vobis: sic sum Filius hominis, vt Pater Deus me signaret. Quid est *signaret*? Proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, sed per me liberaretur genus humanum.] Proprium quod Christo datum est, intelligere debemus, quod Christo peculiare est, & nulli alteri commune; habere videlicet Deitatem cum humanitate: quæ duo, Christi compositi nomine inuolui diximus.

Hic esto eximius sanè, propositæ doctrinæ vsus, vt Christum, non vt qualemcunque hominem cogitemus, sed vt extraordinarium & signatum: ex quo fiet, vt dignè eum cogitantes, dignis quoque prosequamur affectibus. Quod fuisse Isaiæ consilium cum Christum quem præmiserat esse hominem cuius spiritus in naribus eius, fragilem inquam & quassatu facilem, addidit, excelsum esse reputarum, ideóque reuerendum, ac honorandum, non præ externa specie abiecta & humili dispiciendum, dixit egregiè Cassianus lib. 5. de incarn. c. 5.

CAPVT

CAPVT II.

Ex Christi compositione, nullam inter naturas componentes realem alterutrius proprietatum, cum alia, communicationem exortam esse.

EXposita est Christi compositio. Nunc quid eam consequatur, est vestigandum. De duobus autem dumtaxat, moueri dubitatio potest. Primum spectat ad realem proprietatum vnius naturæ transfusionem in aliam. Sunt enim, qui ob vnionem vtriusque naturæ in eadem hypostasi, talem aliquam transfusionem admittendam cõtendant. Secundum spectat ad transfusionem quoad modum loquendi, seu verbo tenus, quantum attinet ad ipsas naturas, quam vocant *communicationem idiomatum*; siue *idiomata* pro *idioratis* hoc est proprietatibus, sint vsurpata: siue vt manuit Genebr. ad Symbolum Athan. n. 40. vóxque ipsa sonat, adhibeantur idiomata pro locutionibus, sicut & *idiotismos*, solemnis dicere. Hoc capite, prior transfusio excutienda est, quam Nouatores pro sua in res Theologicis ruditate, inuexerunt.

Status quæstionis, de reali attributorum transfusione, Christi structuram consequente.

218. Agam porrò de sola transfusione proprietatum, quia quamuis non defuerint, qui ex compositione Christi, consecutam quoque esse finxerint æqualitatem naturarum; (quod Abassinos hodiéque fabulati, testatur Antonius Fernandius apud Godignum de rebus Abassinorum l. 1. cap. 28.) tamen certum esse debet eos ita sentire, quia ertotem Eutychetis combiberunt à maioribus. Vnde satis supérque reiecto superiùs Eutychete, non est quod in eam propaginem venenatæ stirpis denuò stringamus stylum. Idem dicendum de Manuele Imperatore, si verum esset quod ei Nicetas Choniates l. 7. histor. affingit, de infirma hic æque passibili humanitate Christi, post ascensionem erecta ad diuinæ naturæ æqualitatem. Sed imposuisse Nicetam Manueli, eúmque potiùs Monophysitas constitutione sua ex qua illi calumnia struitur fuisse infestarum, prosequitur latè Genebr. ad Symb. S. Athanasij n. 33. sic igitur reiecta aliò confutatione mixturæ, & transfusionis naturarum, quæ ex compositione Christi proximè constituta non sequitur, sed eam potiùs euertit, ad examen dumtaxat vocemus, transfusionem realem attributorum vnius Christi naturæ in aliam; nempe attributorum diuinitatis in humanitatem, quam Sectarij nuperi sunt commenti. Attributorum autem humanitatis transfusionem in Deitatem, si infortunatum Eutychetem, eiúsque viperinam sobolem excipias, non fuit qui inueheret, nec ipsi quoque Eutychiani inuexissent, si Deum cogitassent actum punum, & vel vicissitudinis obumbrationis incapacem: contra quam ill. Deum sibi effingebant passibilem, ac substantialiter quoque alterabilem; id est falsum numen pro Deo vero.

Error Sectariorum, circa illam transfusionem.

219. Nouatorum ergo nonnulli, quamuis recedant à cæteris eiusdem furoris, Brentio præsertim ac Smidelino, quod cum eis non admittant, essentiam vnionis hypostaticæ consistere in reali communicatione attributorum diuinorum facta humanitati, addunt tamen ex vnione hypostatica consequi eam realem communicationem; ac proinde contendunt, Christi humanitatem esse verè & realiter omnipotentem, omniscientem, cæteráque huiusmodi, sed nominatim omnipræsentem, pérque loca omnia & spatia à Deo ipso occupata, diffusam. Fautores huius erroris quoad vbiquitatem, sunt antiquiores seculo superiore. Nam Ioannes de Mechlinia Begardus, apud Conradum de mente puellarum t. 13. bibl. ita disertè sentit. Representant alios recentiores eiusdem erroris assertores, Bellarminus l. 3. de Christo c. 9. & Genebr. ad 5. Athanasij Symbolum num. 40. ac Becanus de incarnatione cap. 7. Cum ijsdem erroribus, verbo & scripto cominùs sæpè conflixit Valentia, cum in opere de rebus fidei contro. varijs locis, tum 3. p. d. 1. q. 2. p. 3. sed Smidelinum præsertim & alios è Lutheri popina insectatur, qui tametsi inconstanter admodum, tamen ferè solent hanc transfusionem realem attributorum diuinitatis humanitati factam, statuere pro essentia huius mysterij: nec dicunt eam consequi ad vnionem & compositionem Christi, qui est error hoc loco excutiendus, sed vnionẽ directè ac formaliter in tali transfusione constitui volunt, quod est superiùs impugnatum. Quare hæreamus cum aliis, qui transfusionem attributorum diuinitatis consequi dicunt ad vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbi persona.

Fundamentum vnicum huius erroris fuisse videtur, quòd duorum quorum vnum sit indiuisibile ac plane simplex, impossibile sit fieri vnionem veram & realem, quin totum quod inest ei indiuisibili, imo quod est illud indiuisibile ac simplex, vniatur alteri extremo, cum quo ei supponitur intercedere realis coniunctio. Atqui Verbum diuinum, cum Deitate & omnibus diuinis attributis, est vnum quid indiuisibile ac simplex, vniturque realiter humanitati Christi. Ergo impossibile est, quin omnia attributa Deitatis consequenter ad Verbi vnionem vniantur realiter humanitati. Et nominatim impossibile est vel concipere, quin immensitas Dei competat humanitati Christi. Nam quæ realiter vniuntur, debent ibidem existere; & vbi est vnum, debet etiam esse alterum. Atqui humanitas Christi vnitur realiter Verbo, quod vbique est. Igitur humanitatem quoque, necesse planè est, vbique esse. Huic fundamentariæ rationi, assuunt de more Sectarij centones Scripturarum & plagulas: veriùs Scripturæ plagas, nec non corruptelas è quibusdam Patrum locis quæ referre inutile sit. Attingam tamẽ postea, quæcunque aliquo cum colore aduersus veritatem Catholicam ab istis obtenduntur, dimissis innumeris quæ nullo iudicio in hanc causam conspirant, tantumne sobriè errantes, aut verborum parci videantur.

Obteritur.

220. Hic error crassissimus est, & in multis Concilijs ptidem confossus. Disertè verò in Chalcedon. act. 5. vbi definitur, in Incarnatione non obstante vnione hypostatica, saluas manere vtriusque naturæ proprietates, ita vt in Christo omnia sint duplicia, vt tradit Agato Papa approbante 6. Synodo act. 4. At quomodò verum esse posset, proprietates duarum Christi naturarum manere inconfusas & duplices, si quemadmodum per communicationem diuinæ subsistentiæ exclusa est personalitas Christi humana, ita etiam per formalem diuinorum attributorum communicationem ex vnione hypostatica consecutam, proprietates humanæ abactæ essent, & exclusæ ab humanitate? Non enim potuit communicari humanitati, vt formaliter esset infinita, & increata, & immensa, sicque de cæteris diuinis attributis, quin exueretur connaturalibus suis affectionibus, finitate, dependentia, localitate &c. Quam verò infeliciter & casso nisu, extricare se ab his Conciliorum decretis laborent aduersarij, piget referre. Sed eorum acumina omni pistillo retusiora, apud citatos Autores prostant, vnde etiam eorum plena depulsio peti poterit.

Accedit ratio ineluctabilis. Nam diuina attributa

non possunt vniri humanitati vt forma; sic enim essent potentialia : multóque minùs fingi possunt vniri vt subiecta, quia vnio subiecti imperfectior est quàm vnio formæ : cum subiectum se habeat passiuè & perfectibiliter, forma verò actuet, & perficiat potiùs quàm perficiatur ipsa. Non possunt item diuina attributa, vniri humanitati ad modum termini substantialis. Id enim solius subsistentiæ est proprium. Et quamuis diuina subsistentia sit idem realiter cum attributis, ideóque materialiter & identicè, per vnionem subsistentiæ, vniantur quoque attributa eidem identificata; tamen quia subsistentia diuina, & diuinæ naturæ attributa, differunt virtualiter, mirũ nõ est quod vnita formaliter humanitati subsistentia diuina ad modum termini substantialis, tamen attributa non nisi materialiter, & identicè, ac remotè vniantur; proximè autem immediatéque & formaliter, non item : cum tamen ea sola vnio sit quæ formaliter & aliter quàm per suppositum reddere potest humanitatem omnipotentem, & omniscientem, cæterisque diuinis proprietatibus immediatè ac in seipsa collucentem. Tandem ne qua imaginabilis vnio diuinorum attributorum cum humanitate præteruolet indiscussa, certissimum quoque est & per se euidens, Dei attributa non posse vniri humanitati tanquam substantialiter terminabilia per humanitatem. Id enim summam habet potentialitatem & imperfectionem adiunctam, & pugnat cum immutabilitate diuina, beatáque securitate quæ Deum nullis bonis suis excidere patitur, atque adeo neque subsistentia. Præterquàm quòd humanitas, termino suo substantiali spoliata supponitur. Quomodò ergo completionem substantialem alteri tribueret, qua ipsamet destituitur? Fortissima igitur ratiocinatione concluditur, nullam planè humanitatem inter ac Verbum intercedere posse vnionem, præter suppositalem, qua Verbum substantialiter complet ac terminat humanitatem quoad modum existendi. Ibi enim præcisè sistit complerio ac terminatio naturæ per subsistentiam. Ac proinde ex Christi compositione, & vnione hypostatica duarum eius naturarum, nihil diuinum in humanitate consequitur (quod quidem realiter & formaliter ac immediatè ei adiungatur,) præter diuinam subsistentiam.

Ad calumnias queis Sectarij, Patres grauant hac in parte.

221. Miseret verò me dementiæ aduersariorum, qui in scriptis Patrum legendis monoculi, vt scitè eis opponit Anastasius cap. 12. ὁδηγῷ cum toties ac propè ad fastidium ingeri à Patribus sciant, vel scire certè possint ac debeant, infirmitatem ac paupertatem carnis nostræ, omniúmque eius naturalium consectariorum, diuinæ infinitati fuisse coniunctas; id quod directissimè hunc ipsorum errorem exscindit; conquirant tamen studiosè è libris Patrum plagulas aliquas, quibus à reliquo corpore auulsis ac detruncatis, Patres stupori huic suo astipulatos confirment. Eiusmodi est, quod ex Damasceno proferunt 3. fidei c. 18. vbi asserit, humanitatem Christi, secundùm naturam quidem non fuisse omnipotentem, sed tamen prouè per vnionem erat Dei Verbi, omnipotentem fuisse. Hoc à Damasceno verissimè dictum, nequiret planè ab aduersarijs ad formalem vnionem omnipotentiæ cum humanitate detorquetur. Damascenus enim attendens ad vnitatem personæ Christi, rectè per communicationem idiomatum, quod est Deitatis, tribuit non humanitati vt sic, (quod faciunt aduersarij,) sed personæ in humanitate subsistenti; quæ diuina est, & in alia sua natura habet formaliter illud attributum. Vnde humanitati, non in abstracto sed in concreto sumptæ, id est homini huic qui Deus est, per vnam Deitatis personalitatem competit formaliter significatio nominis attributalis; nempe æternitas, omnipotentia, omniscientia, & sic de cæteris. Accedit quod ad omnipotentiam attinet, de qua sola sermo erat Damasceno, quod quæ per amicos possumus, censemur & ipsi posse; ita vt etiam Apostolus ausus sit profiteri se omnia posse in eo per quem confortabatur. Non absre itaque, Christi humanitas censeri potuit omnipotens, quia facilè illi fuit diuinitatem inflectere ad quæcunque efficaciter voleret: atque adeò diuinitatis quam habet amicissimam, infinita vi vti pro amicitia potest, etiamsi vim agendi suam ac propriam habeat finitam, sicut & ipsa est finita.

222. Iuuat Gregorium Nyssenum audire *sub finem* Orationis quartæ (verius quintæ) contra Eunomium, vbi talem calumniam qualem ab his patitur Damascenus, passum ab Eunomio Basilium sic purgat, vt quamuis longiuscula sit eius disputatio, hîc tamen repræsentanda videatur, tanquam huic loco congruentissima. [Quomodò nos ad duos Christos fidem dispertiri per calumniam dicimur? Qui superexaltatum ex passione, cum Dominum & Christum factum esse asserimus, per vnionem cum vero Domino & Christo, scientes ex ijs quæ didicimus, quod diuina quidem natura, semper vna eadémque, & eodem modo se habet: caro verò per semetipsam hoc quidem est, quod de ipsa ratióque & sensus assumit : sed cum diuinitate temperata non amplius in suis terminis & proprietatibus manet, sed ad id quod prævalet & supereminet assumitur. Carnis tamen & diuinitatis proprietatum inconfusa permanet contemplatio, quandiu in se ipsis horum vtrumque spectatur, tale quid dicens : Verbum ante sæcula erat : caro verò in extremis temporibus facta est. Nec quis retrouertens dixerit, vel hanc ante sæcula fuisse, vel in nouissimis temporibus Verbum factum esse. Caro patibilis est naturæ: Verbum autem est agentis. Neque ipsa est eorum quæ sunt opifex siue conditrix; neque diuinitas vim patibilem habet. In principio apud Deum erat Verbum, in mortis experimento est homo. Neque ab æterno humanitas est, neque diuinitas est mortalis. Et alia omnia eodem modo spectantur : neque humana natura viuificat Lazarum, neque iacentem plorat impatibilis potestas. Sed hominis propria est lachryma : vita verò est vitæ quæ reuera est. Non humana mendicitas pascit multa hominum millia; non ad ficum currit omnipotens potestas. Quis fatigatur ex itinere, & quis absque labore vniuersum mundum verbo subsistere facit? Quis gloriæ splendor? Quid quod clauis est transfixum? Quæ facies in passione colaphis infligatur? Et quæ ab æterno glorificatur : Hæc enim sunt clara, etiamsi quis sermone non explicet : quod plagæ & verbera sunt serui, in quo Dominus : honores autem Domini, circa quem seruus : ita vt per compagem & nexum naturalem, communia fiant vtriusque vtraque, Domino seruiles vibices assumente, & seruo, Dominico honore glorificatos : ob eam causam enim & Domini gloriæ crux dicitur, & omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus, in gloria est Dei Patris. Quod si oportet reliqua etiam eodem modo distinguere, consideremus quid quod moritur, & quid quod mortem dissoluit : quid etiam id quod renouatur, & quid quod exinanitur. Exinanitur enim diuinitas, vt capi possit in humana natura : renouatur verò quod humanum est, cum fit diuinum per temperationem cum diuinitate. Quemadmodum enim aër, siue spiritus in aqua non continetur : cùm aliquo grauiori corpore concluſus & contractus in aquæ profunditate relictus fuerit, sed ad cognatum sibi recurrit principium. Aqua autem sæpè cum recursu spiritus attollitur, in subtili quadam & in modum membranæ tenui superficie aërio circulo incuruata : sic etiã vera vita in carne sita, ad seipsam post passionem cum recurrit : etiam caro quæ circum ipsam

sam à diuina immortalitate in altum sublata est, à corruptione ad id quod est incorruptibile sursum compulsa. Et quemadmodum in ligno, ignis intra superficiem conditus & sopitus, videntium vel tangentium fallit sæpè sensum : suscitatus autem apparet : sic in morte, quam fecit pro sua potestate, quia animam suam à corpore disiunxit, cum ad Patrem dixit : *Pater tibi in manus commendo spiritum meum.* Qui sicut dixit, potestatem habet iterum ipsam sumendi : hic confusione quæ ab hominibus est contempta, quia sit Dominus gloriæ : veluti vitæ in natura corporis contecto suscitabulo, siue igniculo in dispensatione secundùm mortem rursus accédit, & suscitauit potentia suæ Deitatis, quod mortificatum erat refouens, & sic in diuinæ potentiæ infinitatem, breue illud naturæ nostræ libamentum cum infudit, quod quidem ipse erat hoc & illud fecit, seruilem formam, Dominum : & hominem ex Maria natum, Christum : & crucifixum ex imbecillitate, vitam, & potentiam. Atque omnia quæcunque in Deo Verbo pié considerantur, etiam in assumpto à Verbo faciens. Ita vt non per diuisionem peculiariter in vtroque hæc videantur esse : sed cum diuinitate temperatione, secundùm id quod præpotentius est recreata corruptibilis natura, potentiæ Deitatis particeps facta sit ? vt si quis dicat, aceti guttam vasto mari immixtam, per huiusmodi mixtionem matis qualitates induisse, quia non amplius secundùm naturam huius liquoris qualitas in immensitate præpotentis immaneat. Sic nostet sermo non numerum Christorum, vt criminatur Eunomius, sed vnionem hominis cum Deo affirmans, mortalis cum immortali, serui cum Domino, peccati cum iustitia : execrationis cum benedictione : hominis cum Christo transmutationem, facturam nominat. Quis igitur Sycophantis relinquitur sermo ?] Nihil aptiùs vel fortiùs, in hos Patrum corruptores ac tortores dici possit. Fusiùs verò eadem iterat & confirmat idem Nyssenus, , sequenti oratione *ab instio.*

Sigillatim impugnata Vbiquitatis transfusio.

223. Hæc vniuersè dicta contra Sectarios illos, qui consequenter ad vnionem hypostaticam, contendunt omnium diuinorum attributorum transfusionem realem fieri in humanitatem Christi ; specialiter quoque impetunt eos qui id asseruerunt de immensitate, siue de locali coextensione ad omnia spatia, quam vocant *Vbiquitatem.* Non est tamen præterea difficile, pinguissimum hunc errorem, specialibus & Scripturæ testimonijs & rationibus conuellere. Disertè sanè Ioan. 11. Christus Dominus profitetur se quoad humanitatem alicunde abfuisse, dicens *gaudeo propter vos vt credatis, quia non eram ibi.* Et Marci 16. Angelus de Christo iam redimino ait, *surrexit, non est hic.* Quid quod infinities legimus, Christum accessisse, abijsse, recessisse, ascendisse, descendisse : At hæc aliaque huiusmodi, si propriè accipiantur (vt sanè debent ,) nec ad metaphoricas locutiones diuertamus, quales de Patre & Spiritu sancto sæpiùs in Scripturis occurrunt, vt S. Fulgentius latè versat l. 2. ad Trasim. c. 10. & 11. non possunt cum immensitate & vbiquitate, cohærere : manifestè quippe inferunt finitatem localem, excluduntque diffusionem ad omnia spatia.

Patres ferè frustra proferendos video. Vnum duntaxat aut alterum attingo. Augustinus serm. 104. de temp. exponens locum paulò ante adductum ex Ioannis 11. sic habet. [Aduertamus & hîc mysterium, quomodo non se illic Dominus fuisse dicit. Cum enim dicit manifestò, *Lazarus mortuus est*, præsentem se illic fuisse, euidenter ostendit. Neque enim hoc dicere Dominus potuisset, nullo sibi nuntiante, nisi præsens fuisset. Quomodo enim, in loco vbi Lazarus mortuus est, præsens non erat Dominus, qui omnia loca totius mundi diuina potestate circumuenit ? sed hic quoque Dominus ac Saluator noster Sacramentum in se carnis ac diuinitatis ostendit. Non erat ibi secundùm carnem, hic erat secundùm diuinitatem, quia Deus vbique est.]

S. Fulgentius l. 2. ad Trasimundum c. 17. & 18. disertissimè confirmat hanc veritatem, de humanitate Christi & ante & post resurrectionem, locali ; id est certo concluso loco, nec vbique existente. Præclarè verò ex c. 17. inde conciliat pugnantes in speciem Scripturas, quarum aliquibus, Christi (nempe tanquam Dei,) immensitas tribuitur ; alijs, eiusdem Christi finitas localis, (vtique quoad humanitatem,) asseritur, quibusdam item existentia Christi in cœlo prædicatur, in alijs absentia à cœlo, eandem ob causam, siue per respectum ad diuersas naturas quibus constat.

D. Damascenus orat. de Transfig. *sub medium.* [Corpus illud (inquit,) sanctum, circumscriptum & definitum erat. Neque enim cum Thabor staret, extra montem pertingebat : at Deitas vltra omnia erat.] Prætereo innumeros alios qui adduci in hanc rem possent. Selegit plerosque Coccius. 2. l. 1. art. 6.

Rationes aduersus hunc errorem, totidem propè adduci possunt quot sunt fidei mysteria. Verissimum quippe est, omnia propè fidei mysteria, per hoc figmentum euerti. Nam quomodò natus Christus, si eius humanitas mansit in vtero matris ? quomodò corpus dicitur iacuisse per triduum in sepulchro, nec ad inferos descendisse, si vbique fuit ? quomodò exijt de monumento & intrauit ad discipulos, si vbique extendebatur ? quomodò item ascendit in cœlum, si per totum interiectum spatium, perque cœlos ipsos totos, iam erat ? quomodò denique inde venturus expectatur, si iam hîc est, & omnia per quæ fingi posset venire, occupat spatia ? Hoc argumentum eiusmodi est, vt plura fastidiam. Si quis plura auet, adeat Bellarminum l. 3. de Christo à cap. 11. Sanctesium repetentem 4. de Euchar. à c. 8. Valétiam 3. p. q. 2. p. 3. & q. 5 p. 1. quibus locis contraxit in pauca, quæ fusius tradiderat iusto opere contra hanc hæresim : in quo etiam peregruditam aduersus hunc errorem Franciscì Turriani Epistolam descripsit.

Scriptura, Vbiquitarijs non fauet.

224. Aduersariorum fundamenta, non erit difficile quatere ac euertere. Multus est in eis diruendis. Bellarminus proximè laudatus, à cap. 15. ad 20. Quædam ad Scripturas pessimè detortas, nonnulla ad Patres, vnum ad rationem pertinet, quod initio proposuimus. Sed inter scripturas missæ sanè fiant pleræque insulsissimè ab aduersarijs obiectæ, vt Becanus refert c. 7. de incarnat. q. 4. Vnus duntaxat ex Apostolo locus, & alter ex Marci vltimo, quibus aduersarij Catholicas aures perpetuò obtundunt, non videtur prætereundus. Apostolus ergo Ephes. 4. ait. Christum *ascēdisse super omnes cœlos vt impleret omnia.* Hoc Nouatores, ad suum de vbiquitate humanitatis errorem trahunt. Sed ineptissimè. Nam si Christus verè super cœlos ascendit, igitur ibi non erat. Nec est tergiuersandum circa ascensum, vt faciunt aduersarij, quærentes verbi illius inanes glossas, quibus splendorem huius veritatis obnubilent ; vt Sanctesius supra c. 9. & 10. latè refert & refellit. Perspicuè enim Scriptura, verum humanitatis in cœlos ascensum describit, his adhibitis adiunctis quæ dubitare non sinant, veram fuisse & propriè localem ascensionem quam proponit. Quare nullum supereſt aduersarijs perfugium, nisi vel Scripturis id narrantibus fidem abrogent, easque assumentum cuiuspiam esse dicant, quod aliàs sæpe effutiunt, cum libet : vel certè nisi vbiquitatē humanitati aduenisse dicant, duntaxat post ascensionē : At qui id garriunt, miserè seipsos iugulant.

Non enim vident, admittere se, (contra quam contendunt,) vbiquitatem non consequi ad vnionem hypostaticam. Sic enim vbiquitas à momento primo conceptionis Christi, humanitatem diffudisset per omnia spatia, non autem duntaxat post ascensionem, vt fert illa responsio. Ascendit ergo Christus super omnes cœlos vt impleret omnia, non per expansionem & diffusionem à summis cœlorum vsque ad terminos eorum; sed vt impleret omnia; id est omnes prophetias, & omnia quæ de ipso prædemonstrata diuinitùs ac prænunciata erant.

Iam verò S. Marcus c. vltimo ait, Christum post Ascensionem sedere ad dexteram Dei, id quod etiam in Symbolo Apostolorum profitemur. Hanc aduersarij habent pro potentissima machina aduersus Catholicam veritatem. Sed planè ridiculè. Nam illa Christi sessio, verè & commodè multis modis exponi potest, non aduocato figmento vbiquitatis. Non pauci, ea sessione designatam putant Christi beatitudinem. Quæ explicatio si admittatur, nihil ibi vbiquitati feritur aut meritur. Est autem ea explicatio non inuerisimilis, quia quamuis beatitudo Christi quoad animam fuerit perpetua, quoad corpus verò cæperit à puncto resurrectionis, tamen per quadraginta illos dies quibus Christus rediuiuus versari in terris voluit, beatitudo Christi caruit externo illo apparatu quo in cœlis exornatur. Vnde non immeritò Christus cœlos subijsse dicitur, sessurus ad dexteram Patris; id est versaturus in plena & vndecunque consummata beatitudine. At si cum Suare t. 2. 3. p. d. 51. s. 4. nominè sessionis Christi ad dexteram Patris, designetur eius supremus in omnia dominatus tranquillissimus, nihil quoque hoc ad vbiquitatem. Christo enim quoad humanitatem vnicum duntaxat finitum locum occupanti, conferri potuit dominatus ille supremus. Tandem si sessio ad dexteram Patris, designet æqualitatem Christi cum Patre, vt Bellarminus supra c. 14. affirmat, poterit id verissimè dici absque vbiquitatis præsidio; nimirùm quia Christus, ratione suppositi ac naturæ diuinæ, est Patri æqualis, licèt quoad humanitatem, sit Patre minor, vt S. Athanasius in Symbolo dixit, alludens ad ipsiusmet Christi dictum, *Pater maior me est*. Quo pacto Genebrardus ad eum locum Symboli prædicti, alios præterea multos, illum Christi locum accepisse demonstrat.

Non item Patres.

225. E Patrum locis, vnus pro omnibus sat esse potest, qui è S. Ambrosio habetur in c. 1. Lucæ ad illud *hic erit magnus*, sub initium libri secundi. Conferens enim S. Ambrosius, quod ibi dicentem de Christo Angelum expendit, *hic erit magnus*, cum simili eiusdem de Baptista vaticinio; ait, & Ioannem quidem dictum magnum, & Christum, sed aliter Christum, quàm Ioannem. [Late enim funditur Dei virtus, latè cœlestis substantiæ magnitudo porrigitur. Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur. Dedit quidem Dominus Iesus hominibus magnitudinem. *In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorũ.* Non in fines tamen mundi, non in fines cœli, non vltra cœlos. At verò in Domino Iesu, omnia condita sunt in cœlo & in terra, visibilia & inuisibilia; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Cœlum aspice; Iesus illic est. Terram intuere; Iesus adest. Ascende verbo in cœlum, descende verbo in infernum: Iesus adest. Etenim si ascenderis in cœlum, Iesus illic est; si descenderis in infernum adest. Hodie cum loquor, mecum est intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et si in Armenia nunc loquatur Christianus, Iesus adest. Nemo enim dicit Dominum Iesum, nihil in Spiritu sancto. Abyssos opinione si penetres, illic quoque videbis operari. Scriptum est enim: *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere, aut quis descendit in abyssum; hoc est Christum à mortuis reducere?* Vbi ergo non est, qui cœlestia, inferna, terrena cõpleuit? Benè ergo magnus, cuius virtus mundũ repleuit, qui vbique est, & erit semper, quia regni eius non erit finis.] Quid in speciem expressiùs pro vbiquitate? Reipsa tamen nihil ibi pro vbiquitate humanitatis, sed suppositi tantùm, quod in Christo diuinum est, ideoque à nullo planè spatio abesse potest. Simile emplastrum omnibus planè Patrum locis quæ Eranistæ noui corrogant, mederi poterit.

Sed neque ratio, ex indistantia vnitorum.

226. Restat argumentum ex ratione ductum, quod initio proposuimus. Nempe quod extrema vnionis, indistantia esse oporteat, atque adeò vbicunque vnum est, alterum item adesse, sit necesse. Atqui humanitas vnitur realiter Verbo quod vbique est. Debet igitur & ipsa vbique esse. Proposuit subdubitans hoc argumentum Dardanus Diuo Augustino, vt liquet ex huius epistola 57. *initio*, vbi refertur Dardanum petijsse exponi sibi, quomodò Christus qua die pendebat in ligno, dicere potuerit latroni, *hodie mecum eris in paradiso*, & an id de aliqua cœli parte sit à Christo dictum; aut quia vbique Deus sit, hominem quoque illum qui in Deo sit, vbique fuisse diffusum. Ad hoc Dardani quæsitum, respondet D. Augustinus: primo Christum ea die quoad carnem in sepulchro, quoad animam in inferis fuisse, & tamen fuisse in paradiso: quia paradisus est, vbicunque bene est, etiamsi locus ille materialiter sit ipse infernus, in quo Christi anima eo die fuit, sed beata. Secundò respondet D. Augustinus fuisse Christum ea die in ipso cœlo materiali, sed prout Deum. Subdit deinde S. Pater. [Sicut potuit rectè dici Dominus gloriæ crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret; ita rectè dici potuit, *hodie mecum eris in paradiso:* cum iuxta humanã humilitatẽ, per carnẽ in sepulchro, per animam in inferno illo die futurus esset; iuxta diuinam verò immutabilitatem nunquam de paradiso, quia vbique est semper, recessisset. Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Iesum Christum, vnde venturus est; memoriterque recole & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quam inde venturus est ad viuos mortuosque iudicandos. Et sic venturus est, illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est in eadem carnis forma atque substantia, cui perfectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis verissima Scriptura dicit, *quod in illo viuimus, mouemur & sumus*; nec tamen sicut ille, vbique sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniã aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo.]

En D. Augustinus apertè tradit; non sequi, si quid Deo vnitur, debere esse localiter vbicunque est Deus: diserteque negat, ex eo quòd Christi humanitas est vnita Verbo, consequens esse, vt æquè latè diffundatur ac Verbum. Habemus palpabile huius rei exemplum in humanis. Anima nostra simplex est ac impartibilis, totaque vnitur digito; neque tamen digitus, diffunditur per totum corpus, ad quod totum spatium occupandum anima rationalis porrigitur: Duorum ergo

ego vnitorum, potest dari inadæquata vnio; & talis, vt vnum extremum excedat localiter alterum, nec sint vtraque vbicunque est vnum.

Noua Vbiquetistæ appendix, obiter explosa.

227. Erroris hactenus impugnati, noua appēdix nuper emersit, nec ab hæreticis, (quod minùs mirū esset, cum eorum proprium sit noua semper errorum monstra fundere,) sed à Catholicis, ex eorum numero qui Hypermystici & Transpirituales audire affectant. Inter eos quidam, humanitatem Christi, ad omnem planè locum diffundunt quoad substantiam suam, in quo fuerint aliqui in nomine Christi congregati, iuxta Christi promissum Matth. 18. quod de præsentia corporali & substantiali humanitatis Christi, accipi volunt; ioculatissimè profectò, (vt quam mitissimè dicam,) & omnino præter, ac contra Christi mentem. Agebat ibi Christus Dominus de aliquibus super terram consentientibus, quos affirmat, quidquid petierint impetraturos. *Vbi enim sunt,* (inquit,) *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nimirū quia ipse eorum ore loquitur pro illis, agitans & mouens illos, cum vt Deus cooperans & præueniens, tum quatenus homo per impetrationem auxiliorum ac elargitionem, ad petendum quæ deceant sintque iure impetranda. Qui sensus loci prædicti, vides quàm non exigat localem humanitatis Christi præsentiam, in omni loco vbi fuerint duo vel tres in nomine Christi congregati. Malóque minùs eum sensum fert locus ille, iuxta interpretationem aliorum, qui censent reddi verbis illis rationē, non versus immediatè præcedentis quem nunc proposuimus, sed anterioris; hoc est decimi octaui, quo dictum fuerat, quæcunque ab Ecclesiasticis iudicibus soluerentur & ligarentur in terra, eadem & in cœlo solui, ac ligari, Christo sententiam eorum firmante, quam in ipsius nomine pronunciant. Et hæc quoque interpretatio locum illum ita accipit, vt nullo modo suffragetur placito illi nouo. Apertiùs etiam Origenes l. 2. contra Celsum, ea loca ad sensum planē diuersum infecit, cum accipienda putet de præsentia diuinitatis Christi. Nouum hoc placitum, robustiùs suo tempore erit exagitandum, cum non iam in angulis insurrabitur, vt nunc fit, sed palam & publicè prosciſſo rubore efferet caput. Hoc item loco dimittenda est eius plena exagitatio, quòd nouitatis istius Autores, non dicant eam adeò variam, & vbiquismo conterminam valdéque affinem præsentiæ Christi prout hominis multiplicationem, consequi ex compositione Christi, & vnione hypostatica, quod est huius loci institutum: sed dicant eam oriri ex libera Christi voluntate, qui ita voluerit secundùm humanitatem præsto esse omnibus super terram in nomine eius adunatis, vt putant eo Matthæi loco quem protulimus, significari; cum tamen reuera eo loco non aliud significetur quàm moralis assistentia Christi, & prouidentia nunquam intermittenda. Quo eodem sensu S. Cyrillus l. de sancta Trinitate cap. 16. accipienda docet non dissimilia verba apud Matthæum c. 27. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* &c. Negat enim S. Cyrillus hæc ad corporalem & realem Christi præsentiam pertinere. Hæc igitur in hæreticis spiritualibus plenè excutienda, nunc missi facio. Interim tamen aduertat prudens Lector, quò dedocat, etiam spirituales viros, prurigo nouandi, vt eo nomine ingeniosorum decus, & plausum imperitorum emercentur.

CAPVT III.

De idiomatica siue verbali attributorum vnius naturæ in alteram transfusione; Christi compositionem & vnicam in vtraque natura subsistentiam consequente.

228. NVnc cōmunicatio idiomatica sequitur exponenda, quo nomine, vt cum Genebrardo initio superioris capitis notabam, designatur communicatio verbalis prædicatorum vnius naturæ Christi, cum alia eiusdem natura concretè sumpta. περιχώρησιν vocat Damas. l. 4. fidei c. 19. Item lib. 3. cap. 4. ἀνεπίδοτον nominat. Quia enim natura in concreto sumpta inuoluit suppositum, & in Christo vnicum suppositum duas naturas terminat, rectè omnino ac verè quod de tali supposito vnam naturam habente affirmatur, de eodem sub denominatione habentis aliam naturam asseritur: quia nulla (vt suppono,) adijcitur particula quæ determinet prædicationem ad suppositum præcisè vt in alterutra natura subsistens. Vnde materialiter & identicè, prædicatio est vera, ratione eiusdem suppositi de quo sub nomine terminantis aliam naturam enunciatur, quod formaliter ei non competeret nisi provt terminat aliam. Sed quia ad affirmationem veram sufficit identitas aliqua inter prædicatum & subiectum, eáque non deest in re præsenti, prædicationes quoque veræ sunt: quia sensus tantùm est, illud ipsum suppositum quod terminat vnam Christi naturam, terminare aliam cui attributum respondet, & esse idem habens vtramque.

Communicatio idiomatum, quid.

Alij hanc vocant *communicationem idiomatum*, sumpto *idiomate* pro *proprietate*, itémque sumpta *proprietate* pro quouis attributo, etiamsi non sit præcisè proprietas, sed partus & functio proprietatis aliquódve adiunctum alterutrius naturæ. In tanta enim latitudine viderunt sumpta in hoc negotio *proprietas*, ab ijs qui per communicationem idiomatum, intellexerunt communicationem proprietatum: alioqui non exhausissent hoc negotium, nec proposuissent quæcunque ad illud spectant. Constat enim non solas proprietates alterutrius naturæ præsè acceptas, sed quæcunque vni quomodolibet tribuuntur in concreto, de altera itidem in concreto posse affirmari, idque passim per communicationem idiomatum factum accipi. Cæterùm qui primi per *idiomata* in hoc negotio intellexere *proprietates*, quanquam re ipsa idem quod alij dicant, eos tamen Genebrardus deceptos putat affinitate Græcæ vocis, sonantis proprietates, (ἰδιότητας Græci appellant) cum voce idiomatis; quætametsi Syllabarum extimo cortice alteri illi voci affinis, significatione tamen ab ea distat quam plurimùm. Idem quippe sonat, quod *locutionem*. Ita vt attributum aliquod vnius naturæ Christi, tribui alteri naturæ in concreto, idem sit, quod, attributionem illam quantum attinet ad alteram naturam cui fit attributi illius communicatio, esse merè verbalem, nec pertinere nisi ad modum loquendi, licèt sit vera & realis prædicatio ratione suppositi. Ita quidem Genebrardus. Quidquid tamen Autori idiomatum peregrinorum peritissimo visum sit, Anastasius Sinaïta c. 2. ὁδηγῷ. Duplici titulo de idiomate, vocem idiomatis exponit *proprietatem*: vnde quamuis ratio communicationis idiomatum assignata à Genebrardo, mihi non displiceat, non tamen reijcio vulgarem.

Firmatur autoritate, & ratione.

229. Sic explicatam communicationem idiomatum, aut *incidentiam proprietatũ vtriusque naturæ*, vt loquitur Valdensist. 1. l. 1. c. 42. n. 6. agnoscunt passim Scripturæ, Conciliáque, & Patres. Nihil enim frequentius est, quàm vt legamus, in Christo ob concursum diuinæ & humanæ naturæ sub eadem Verbi personalitate, & humana de Deo, & diuina de homine enunciari. Deum sanè natum, passum, mortuum, & sepultum, & rediuiuum, passim celebrant Scripturæ ac regulæ fidei, & vicissim hunc hominem affirmant Dominum gloriæ, & antequàm Abraham fieret, imò ante sæcula, existentem. Quæ omnia per solam communicationem idiomatum valere, notum est. Iuuat ex nonnullis Patribus id illustrare.

S. Athanasius dialo. 5. de Trinitate n. 26. egregiè planè rem hanc confirmauit, & illustrauit exemplo hominis. [Sicut homo (inquit,) ex animali & ex eo quod ratiocinatur compositus, vna est persona; ita etiam vna persona ex Deo & forma serui existit: ideóque non dicit, *hæc dicit Dominus*; sed *ego dico vobis*: & *Ego sum vita & veritas*. Itaq; veluti si pars ratiocinatrix quæ homini inest, dicat, *Ego sum ille ad imaginem Dei factus, ita comparatus vt interire non possim*: & rursum pars eadem illa ratiocinatrix dicat, *Ego sum terra & cinis*, nõ loquitur modò animal, modò id quod ratiocinatur, sed idipsum quod ratiocinatur, modò quæ sibi propria sunt, modò quæ animali conueniunt, loquitur: ita homo, & Deus sermo, vnica existens persona, quum ait, *qui videt me, videt Patrem*, significat suæ Deitatis contemplationem. Nec enim quisquis carnem vidit, Patrem vidit: sin minùs & Pontius, & Herodes, & qui colaphos ei impegerunt, & qui clauis ipsum confixerunt carnifices, comperirentur Patrem vidisse. Et quum inquit, *dorsum meum flagris præbui*, non significat Deitatis dorsum: neque cùm ait, *Quispiam me tetigit*, Deitatis contactum dicit. Quinam enim Deitatem contigerit quispiam? Sed qui fide præditus, corpus illud tetigerat, vtrumque tetigerat: manu quidem corpus, fide verò Deitatem; quandoquidem vtrumque vnica est persona, Christus, omnia factus omnibus vt omnium misereretur. Itaque non loquitur interdum Deus, interdum homo, nam, (vt antea dixi,) ne id quidem dici potest, modò quidem animal à parte ratiocinatrice seiunctum, modò verò partem ratiocinatricem ab animali separatam loqui: sed pars ratiocinatrix in animali loquitur. Idem etiam dico de eo quod cum hoc comparaui, nempe de Dei & hominis vnica persona, vt vndequaque vnitionem noris.]

S. Hilarius in Psalmum 54. *ad titulum*. [Eum de quo & per quem omnis prophetia est, ex Dei Filio hominis filium natum meminerimus, & Dei naturam omnibus ante sæculis manentem, in naturam hominis esse ex partu Virginis genitam: ita vt naturæ posteriotis adiectio, nullam defectionem naturæ anterioris afferret, neque qui iam homo esse cæperat, id quod ante hominem manebat, Deus scilicet, esse desineret. Hic ergo assumens carnis nostræ fragilitatem, & manens suus atque noster, ita agit, orat, profitetur, expectat omnia illa quæ nostra sunt, vt in his admisceat etiam illa quæ sua sunt; loquatúrque interdum ex persona hominis, qua & homo natus, & passus & mortuus est; interdum autem omnis ei secundùm Deum sermo sit, quia ex Deo homo, & ex Dei Filio, hominis Filius extitisset: naturæ scilicet eius confidentiam non oblitus in verbis, qua in assumptione licet hominis non carebat, & ita ex nobis atque ex infirmitate nostra humani sermonis consuetudine vsúque loquens, vt ex se atque virtute sua, quæ Deo sunt propria & digna loqueretur.]

230. Nazianzenus orat. 51. [Illud, *secundus homo de cœlo, & qualis cœlestis, tales & cœlestes*, &, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis*, & si quid aliud eiusdem generis, propter cœlestem vnionem dici existimandum est: quemadmodum & illud, *Per (christum omnia facta esse*, & *Christum in cordibus nostris habitare*, non secundùm eam Christi partem, quæ in oculos cadit, sed secundùm eam quæ intellectu percipitur; commixtis videlicet, vt naturis, ita etiam nominibus, atque ob arctissimam coniunctionem inter se vicissim commeantibus.]

S. Ambrosius l. 2. de fide c. 4. [Vnde illud quod lectum est, Dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus: sed quia idem Deus, idem homo: per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Iesus Christus: Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est humanæ atque diuinæ, in natura hominis subijt passionem: vt indiscretè, & Dominus maiestatis dicatur esse qui passus est, & Filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cœlo. Per naturam igitur hominis & dubitanit, & tæduit, & resurrexit. Quod enim cecidit, hoc resurrexit per naturam hominis.]

S. Augustinus 1. Trinit. c. 13. [Nisi ipse idem esset Filius hominis propter formam serui quam accepit, qui est Filius Dei propter Dei formam in qua est, non diceret Apostolus Paulus de Principibus huius sæculi, *si enim cognouissent, nunquam Dominũ gloriæ crucifixissent*. Ex forma enim serui crucifixus est, & tamen Dominus gloriæ crucifixus est; talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum: quid tamen propter quid, & quid secundùm quid dicatur, adiuuante Domino, prudens & diligens & pius lector intelligit. Nam ecce diximus, quia secundùm id quod Deus est, glorificat suos; secundùm hoc vtique quod Dominus gloriæ est: & tamen Dominus gloriæ crucifixus est, quia rectè dicitur & Deus crucifixus, non ex virtute diuinitatis, sed ex infirmitate carnis, sicut diximus, quia secundùm id quod Deus est, iudicat; hoc est ex potestate diuina non humana; & tamen ipse homo iudicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est.]

231. S. Cyrillus tam frequens est in hac veritate, vt frustra sint designanda certa loca. Legatur præ cæteris Anathematismi quarti explicatio itémque eius defensio. Sed illustrissimè l. 5. de Trinit. c. 27.

Nicephorus Constantinopolitanus Epistola ad Leonem Papam. [Totus toti humanæ naturæ coniunctus, inconfusam, indiuisam, supernaturalémque vnionem operatus est: diuina enim & humana natura inter se coëuntes in naturali sua proprietate indemnitatè persistunt perseuerántque, nec vlla ex parte in se mutuò transformantur: veruntamen propter naturalem illam coitionem, & copulam, nominum quoque communicationem mutuámque reciprocationem, piè concedendam existimamus: quandoquidem propter physicam illam admirandámque coëuntium naturarum inter se vnionem, non re, sed sola imaginatione, vnius eiusdémque quandam hîc distinctionem statuimus.]

Omnium verò distinctissimè & explicatissimè idem tradit S. Damascenus. Sic enim habet 3. fidei c. 3. *in fine*. [Verbum porrò ea quæ humanitati conueniunt, sibi vendicat (ipsius enim sunt, cùm sanctæ ipsius carnis sint) ac vicissim carni, quæ sua sunt, impertit; communicationis videlicet ratione, ob mutuam partium inter se commeationem, ac personalem vnionem; & quia vnus & idem erat, qui & diuina & humana efficiebat, & in vtralibet forma alteram sociam asciscebat. Eóque nomine etiam Dominus gloriæ, cruci affixus esse dicitur, quamuis alioqui diuina ipsius natura, minimè perpessa sit: & rursus Filius hominis, ante passionem in cœlo esse dictus est, quemadmodum Dominus

ipse

ipse asserit ; Erat enim idem ille Dominus gloriæ, qui etiam naturâ ac verè Filius hominis, hoc est homo,exiliit.] Sed optimè planè ibidem cap.4.postquàm in Christo abstracta & concreta distinxisset, subdit. [Cum ab vna parte , Filius Dei & Deus nuncupatur, continuòque naturæ, hoc est carnis, proprietates recipit. Nam & Deus passibilis nominatur, & Dominus gloriæ in crucem actus,non quâ Deus est,sed quâ idem etiam homo est. Eodémque modo cum homo & Filius hominis appellatur , diuinæ essentiæ proprietates atque ornamenta suscipit. Puer enim æuo omni antiquior dicitur, & homo principij expers : non id quidem qua ratione puer & homo est , sed qua Deus , æuo omni prior , ad extremum puer factus est. Atque hic communicationis modus est, vtraque videlicet natura proprietates suas cum altera communicante , propterea quod vnam eandémque personam constituunt , mutuóque in se immeant.]

Ex hoc Damasceni loco , habetur efficax ratio huius veritatis superiùs tacta ; nempe quod idcirco liceat in Christo diuina de hoc homine, & humana de hac persona diuina, siue de hoc Deo enunciare , quia fundamentum enunciandi vnum esse aliud,est identitas. Atque inter subiecta & prædicata prædicta , est identitas vera: quia cum sumantur in concreto , consignificant vnum & idem suppositum in vtrisque. Igitur verè vnum affirmatur esse aliud ; dummodò tamen extrema,& prædicationis forma,eiusmodi sint,vt illam subiecti & prædicati identitatem ratione diuini suppositi nequaquam tollant. Cum enim illa identitas sit totum fundamentum veritatis harum prædicationum , profectò nisi ei consulatur & illæsa planè seruetur , ruet prædicationum veritas. Duo verò attigi , quæ si negligerentur, identitatem illam possent euertere, atque adeò veritatem huiusmodi propositionum labefactare.

Cauenda exclusio diuini suppositi, per extrema propositionis.

232. Primum est,vt extrema propositionis non excludant diuinum suppositum. Sic enim implicaret in adiecto , vt vnum extremum de altero enunciaretur, v.g.in illa propositione *Verbum est homo purus*,vel *Verbum est Filius Dei adoptiuus*:vel *Verbũ est homo peccabilis*, prædicatum remouet identitatem cum Verbo, quia peccabilitas , & adoptio , ac puritas prædicta, sunt aliquid supposito creato annexum. Vnde quia in Christo nullum tale suppositum cernitur , sed sola Verbi personalitas,cui ea suppositi creati adiuncta repugnant ; implicat planè in adiecto , enunciare talia de Verbo. Ob contrariam verò causam , nonnulla prædicata creata cadentia in naturam humanam , etiam provt substantem diuinæ personalitati , nec excludentia diuinum suppositum licitè affirmatur de Verbo,quantumuis sapiant conditionem creaturæ, & à Deitate secundùm se sumpta , abhorreant. Tametsi hanc ob causam , & ne simplicibus ingeneretur scandalum , adhibenda semper sit limitatio & restrictio idonea, quæ denotet prædicatum non tribui subiecto nisi ratione alterius naturæ. Ita ferunt illa Nazianz. orat.42. [O nouam & inauditam mixturam ! ô admirandam temperationem ! Qui est,fit ; qui increatus est,creatur.] Sic etiam S.Aug.4.Trinit. c.19.& Damasc.orat.1. de imaginibus in professione fidei , ac 4. fidei capite 19. admittunt, Christum seu Verbum esse creaturam , sed in humana natura. Quo eodem modo accipiendum est illud Ferrandi epistola ad Seuerum *sub medium*.[Creator factus est creatura.] Et illud Ruperti lib.de voluntate Dei c.9. [Christum esse creaturam Deo comparem ; [Nempe ratione Verbi quod denominat creaturam. Similitérve temperandæ sunt locutiones illæ , *Verbum incæpit esse*,*Verbum est minus Patre*.Verè enim Verbum,secundum humanam naturam etiam provt à Verbo personatam,est minus Patre,& incœpit esse , (vt disertè habet Nazianz. orat.38.) estque creatura.Nec ea naturæ prædicata excludunt diuinum suppositum, ita vt in illud prout talem naturam terminat cadere nequeant, vt malè cẽsẽt Aluares 3.p.d.70.& 71. idcirco repudians has propositiones tanquam in rigore & sermonis proprietate falsas.*Christus est creatura*,*Christus incæpit esse*; quia putat , *creari* & *incipere esse* conuenire supposito per se primò ; at suppositum in Christo diuinum est, cui & creatio , & inceptio repugnat. Nos autem negamus , *creari* & *incipere esse*, conuenire supposito per se primò : vnde non admittimus , prædicata opposita excludere à propositionibus prædictis suppositum diuinum ; nec concedimus restrictionem quæ adhiberetur , cum additur *in humanitate* , esse diminuentem, siue remouentem suppositum ; sic enim propositio in concreto falsa esset , quia deesset extremorum identitas : sed dicimus , illam restrictionem siue determinationem, esse notam specificantem qua designatur natura , ratione cuius suppositum habens naturam illam, subit prædictam denominationem. Sanè eiusdem est, fieri, & incipere esse, cuius est destrui & amittere esse. Atqui Verbum in rigore sermonis , vt Aduersarius admittit , verè & Catholicè dicitur mori , quod est destrui & amittere esse : & hoc prædicatum cadens in Verbum ratione humanitatis , non excludit diuinum suppositum , sed rectè cadit in humanitatem, etiam provt Verbo substantem,& ab eo personatam,vt fides docet. Igitur hæc quoque prædicatio, *Christus est creatura*,vel *Christus incæpit esse*,vel *Verbum in humanitate incæpit & creatum est*, vera est in virtute sermonis. Nec additamentum illud *in humanitate* excludit diuinum suppositum , sed tantùm est determinatio naturæ secundùm quam ea attributa in Verbum cadunt. Quod si adhiberetur talis loquendi modus , quo significaretur prædicata prædicta cadere per se & directè in suppositum , sic negandæ essent propositiones inde compactæ, qua de re plenius lib.5.

Itemque ne forma prædicandi, tollat suppositi identitatem.

233. Alterum quod monebam vitandum esse , vt communicatio idiomatum sit salua & prædicationes attributorum vnius naturæ de alia valeant in concreto, erat , ne prædicationis forma conuelleret identitatem suppositi , atque adeò etiam pessundaret identitatem extremorum,quæ totum est prædicationis eorum fundamentum. Sic additio particulæ reduplicantis, vitiaret affirmationem attributi diuini de hoc homine, v.g. falsò diceretur , *hunc hominem*, designato Christo, *esse omnipotentem quatenus hominem*,vel *vt sic*, *esse æternum*. Nam sensus esset , rationem ob quam ei homini tribueretur omniporentia vel æternitas , esse humanitatem eius,quod falsissimum esse nemo non videt. Tota quippe ratio , cur hic homo æternus & omnipotens dicatur , petenda est ex diuina eius suppositalitate. Quare si inter extrema propositionis illius , *hic homo est æternus aut omnipotens* , tollatur identitatis fundamentum per appositionem particulæ reduplicantis, exscindetur eo ipso veritas propositionis , tolleturque idiomatum communicatio.

Similiter quia modus denominatiuè prædicandi, ex communi vsu importat accidentalitatem formæ quæ attribuitur subiecto , reijciendæ meritò sunt in re nostra omnes prædicationes denominatiuæ ; quia euerterent identitatem extremorum de quibus agimus, fundatum in supposito quod substantiale est,nec accidentaliter se habet ad naturam quam terminat. Sicut ergo prædicatum concretum quod est rei essentiale,

non

non est idem cum ☛, eo modo quo accidens concretum est idem cum natura cui accidit, vt per se patet; nec potest eo modo de re enunciari; ita neque prædicatum substantiale potest enunciari de re cui substantiale est, perinde ac si esset accidens eius.

Cur perperàm, Verbum, humanatum; Christus verò homo Diuinus, aut Deifer, Dominicúsve dicatur.

234. Quæ est germana ratio, cur quædam humana prædicata, illegitimè enuncientur de Verbo, & quædam diuina de hoc homine, seu Christo. Malè enim quis cum Durando in 3.d.4.q.2.a.n 9. diceret, *Verbum, esse humanum*, vel *humanisatum*; prout vox *humanisatum* cadit in humanitatem, non autem in actionem qua humanitas sit Verbo coniuncta, vt aliquando contigit. Tunc enim Verbum rectè dicitur *humanisatum*, id est, *factum homo*. At cum humanisatio cadit in substantiam solam humanitatis, falsa est prædicatio, quia est denominatiua, & sapiens accidentalitatem, ac nexum non substantialem inter extrema, imo verò quemuis nexum remouens. Nam prædicatio denominatiua, quamuis cum fit de accidentibus, significet inexistentiam intrinsecam formæ in subiecto, tamen cum fit de substantijs, designat meram adiacentiam extrinsecam, absque vera & physica vnione. Cum enim nigredo dicitur *humana*, significatur nigredinem inexistere homini: at cum vestis dicitur *humana*, denominatur mera adiacentia extrinseca, absque vnione. Quia ergo Verbum substantialiter se habet ad humanitatem, eique physicè vnitur, propterea modus prædicandi denominatiuus, alienus est ab hoc mysterio, quoad ea prædicata humana de Verbo, quæ veritati coniunctionis Verbi & humanitatis officerent. Parique ratione, & eadem ex causa, pleraque diuina prædicata illegitimè enunciantur de homine. Sic reijciuntur propositiones illæ *Christus est homo Dominicus*, vel *homo Diuinus*, aut *homo Deifer*. Hæ namque prædicationes, sunt denominatiuæ, & accidentariæ, designántque formam non vnitam subiecto, cum sint de entitate substantiali. Constat autem, hunc hominem, siue suppositum subsistens in hac humanitate, esse realiter ac substantialiter coniunctum prædictæ naturæ humanæ. Igitur non debet dici *homo Dominicus*, vel *Diuinus*, vel *Deifer*; sed *Dominus* & *Deus*. Humanitas quidem ipsa, vel caro, rectè dici potest *Dominica* vel *Diuina*, vt loquitur S. August. in c.28. Iob. & Fulg. l. de incarn. c.6. & Petrus Damiani serm. 60. ac Ferrandus epist. 1. ad Anatolium, nec non S. Cyrillus lib. 2. pentabili c.8. & epistol. 1. ad Successum *sub finem*; vel *Deifera*, vt dixit S. Basilius in Psalmum 59. nimirū quia humanitas & caro, sunt nomina naturæ totalis aut partialis, non autem suppositi. Naturæ autem humanæ si remoueamus personalitatem Verbi, accidentaria est Diuinitas, planéque extrinseca; vnde rectè potest denominari *Diuina* vel *Dominica* aut *Deifera*. At homo est nomen suppositi: proindéque hic homo, non *Diuinus*, vel *Dominicus*, aut *Deifer* dicendus est, sed *Deus*, & *Dominus*. Refert ex Nestorio, & reijcit, eā Christi hominis Deiferi nuncupationem, S. Cyrillus l. 1. pentab. c. 2. aitque esse contra fidei traditionem.

Laxatio aliqua illius rigoris.

235. Non tamen me latet, hunc vocum rigorem sæpè negligi, & prædicata quæ à Christo excluimus, plerumque ei à Patribus tribui, vsurpata essentialiter, non denominatiuè. Qua ratione Pater, aliæque duæ personæ augustissimæ Trinitatis, dicuntur diuinæ; non sanè accidentario (vt cum Scripturæ, aut leges vocant diuinæ,) sed essentialiter; sunt enim essentialiter Deus. Et hoc sensu S. Dionysius c.4. Eccles. Hierar. vocauit Christum, *hominem diuinissimum*. Eadem prædicati secundùm communem vsum denominatiui commutatione in essentiale ac substantiale. Cassianus perpetuò ferè appellat Christum, *hominem Dominicum*; qui item loquendi modus apud D. Athanasium vsurpatus est in disputatione Nicæna cum Ario sæpéque ab Epiphanio in Ancorato, & à S. Augustino q.36. ex 83. & in Psal. 4. ac l. 2. de serm. Domini in monte, alibíque aliquoties; sed id castigauit 1. retract. c. 19. verbis illis. [Non video vtrùm rectè dicatur homo Dominicus, qui est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; cum sit vtique Dominus: Dominicus autem homo, quis in eius sancta familia non potest dici? Et hoc quidem vt dicerem, apud quosdam legi tractatores Catholicos diuinorum eloquiorum. Sed vbicunque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi, non esse dicendum, quamuis nonnulla possit ratione defendi.] Editio Erasmi, post illas voces, *sancta familia*, apponit negationem, legítque *non potest dici*. Quam particulam negantem, alij codices missam fecêre. Vtraque lectio eodem recidet, si apposita particula negante, adiungatur in calce periodi nota interrogationis: alioqui lectio Erasmi esset contra mentem D. Augustini, qui significare voluit, quemlibet sanctum virum vt dici solet, *vir & homo Dei*, ita dici posse hominem Dominicum: at de Christo, qui non seruus in Dei familia, sed naturalis Filius est, sublimiùs esse pronunciandum. Apertè tamen tradit, eum loquendi modum, posse aliqua ratione defendi: nempe ea quam proposuimus; seu sumpto prædicato non denominatiuè, sed essentialiter. Quanquam quia vsus ille talis prædicati, minùs frequens est, consultius censuit eo abstinere: ac fortassis etiam ne adhiberet modum loquendi Apollinaristis familiarem, & alio licèt sensu, apud eos receptum ad erroris sui expressionem. Testatur enim Nazianz. orat. 51. *ferè initio*, & Hieron. l. 2. aduersus Rufinum, Apollinaristas, sic appellare solitos Christum.

Similiter Concilium primum Nicænum, vocauit Christum, *hominem Deiferum*, longè alio sensu quàm Nestoriano à nobis improbato, vt intelligitur ex his verbis Athanasij serm. de SS. Deipara. [Sanctificata igitur superuentu Spiritus sancti Virgo & corroborata, & virtute altissimi grauida, eum gestabat qui ex sua propria essentia, Dei erat Filius, pro vnica eius diuinitatis natura, & gignit eundem incarnatum, & hominem factum secundùm duarum naturarum proprietatem: eundémque duplicem, & vnum ex duobus constantem, inconfusè, immutabiliter, atque indiuisim credi oportere statuimus: non quidem Deiferum hominem, sed carniferum Deum: cæterùm neque hoc pro hæreticorum more intelligentes authores. Nicæni Concilij, sed, vt diximus ex operatione Spiritus & virtutis Altissimi, & imprægnatione Virginis, Deiferum hominem eum qui ex Virgine prodijt, credendum esse statuerunt, gestasse eam Dei virtutem, & energiam Spiritus, quæ operata est coram Pharaone & omnibus, Filijs Israël. Eadem ratione Principis Apostolorum, verba in actis Apostolorum de Christo prædicantis, rectè quidem ab eo esse dicta accipiunt, sed quæ ab istis tortuosè & malitiosè deprauentur, quum ita loquitur. *Iesum Nazarenū, quem vnxit Deus Spiritu sancto*, quæ verba ita nostri interpretantur, Deum scilicet in vtero Virginis creasse hominem sine vllo semine per operationē Spiritus, eúmque vnxisse virtute Altissimi, quasi oleo exultationis præ consortibus suis (vti scriptum est.) illum ipsum Filium Altissimi nominauit Scriptura, quemadmodum & in Psalmis refertur, loquente Christo ad multitudinē. *Et ego dixi, Dij estis, & Filij Altissimi omnes.* Nos igitur talia hæreticorum dogmata intellectúsque, reprehendere & corrigere desiderantes, per præsentem Euangelij interpretationem asserimus, non Deiferum hominem esse Christum, sed carniferum Deum,

Deum, quatenus Deus hominem gestat integrum, absolutumque: Deus interim perfectus, & homo perfectus, vnus ratione vnius personæ, duplex tamen natura.]

Infertur, inter quædam extrema vetari communicationem idiomatum, vt inter abstracta.

236. Seruatis itaque ijs quæ diximus, vt scilicet forma enunciandi concreta alterutrius Christi naturæ attributa, de alia natura in concreto sumpta, legitima sit, & talis quæ extremorum debitam identitatem non tollat, vt hactenus explicatum est, rectè ac verè humana prædicata de Deo, & diuina de homine enunciantur. Comparari duntaxat concreta cum concretis; & quidem concreta vnius Christi naturæ totalis, cum concretis alterius. Nam prædicationes omnes abstractorum vnius naturæ cum abstractis alterius, vel abstractorum vnius cum concretis alterius, aut viceuersa, itémque prædicationes quarumcumque partiū humanitatis de Verbo, & è contrario, itémque partium ipsarum inter se; quomodocunque partes sumantur, hoc est siue abstractè siue concretè: omnes inquam huiusmodi prædicationes, falsæ sunt & reijciendæ, propriè loquendo. Et ratio ducenda est ex defectu identitatis debitæ, planè requisitæ ad fundandas prædicationes legitimas. Nam vt iam tetigi, ad veritatem propositionis affirmantis vnum esse aliud, exigitur vt prædicatum proue enunciatur per propositionem, sit aliquid idem cum subiecto; alioqui interueniret falsitas in ea vnius extremi affirmatiua enunciatione de alio: quia enunciare affirmatiuè, seu prædicare, est asserere vnum esse alterum.

Atqui inter diuina & humana prædicata abstractè sumpta, vt ab istis initium faciam, nulla est identitas: Per abstractionem enim, præscinditur ab habente, seu à supposito, ratione cuius interueniret extremorum identitas, si in concreto efferentur. Sicut ergo prædicationes illæ *dulcedo est albedo, quantitas est color*, reijciuntur vt falsæ, defectu identitatis extremorū, & tamē in concreto admittuntur vt veræ, quia cum dicitur *dulcis est albus, quantum est coloratum*, sensus tantùm est, idem suppositum quod dulcedinem habet, albedinem quoque habere; & suppositū habens quantitatē, habere quoque colorem: ita in præsenti negotio, prædicationes humanorum attributorum de Deo, & diuinorum de homine, admittuntur: prædicationes verò eorumdem extremorum in abstracto spectatorum, repudiantur. Quis enim propriè dicat, *Deitas est passa?* Vel quis eam locutionem ferat, *humanitas est omnipotens?* Hanc posteriorem prædicationem, in qua concretum diuinum prædicatur de abstracto humano, nego ferri posse; nec idem dico de ea prædicatione qua concretum humanum prædicatur de abstracto diuino, quam tantùm dico non esse propriam; quia est magna diuersitas inter extrema prædicta. Nam inter diuina prædicata concreta, collata cum abstractis humanis, nulla prorsus interuenit identitas, atque adeò prædicatio est planè falsa: & ne remota quidem ac mediata identitas materialis, intercedit inter extrema, quæ possit esse fundamentum affirmandi vnum de alio. At in prædicatione concreti humani de abstracto diuino, vel abstracti diuini de concreto humano, vt *Christus est Dei verbum, & Dei sapientia, vel hic homo est Deitas*, potest materialis aliqua identitas mediata & remota deprehēdi, quæ non excludet quidem improprietatem, ac insolentiam prædicationis vnius extremi de alio, tamen non prorsus eliminabit veritatem affirmationis, cum sit aliqua tandem identitas. Qua ratione vtcumque valent prædicationes illæ, *Deitas est passa, Deitas est crucifixa*; Quæ propositiones eatenus trahi possunt ad verum sensum, quatenus Verbū est materialiter idem cum Deitate: Verbum autem in natura sua humana, rectè affirmatur passum, & crucifixum. Confirmat ex varijs Scripturis & Patribus eos loquendi modos, Fulgentius ad q. 2. Ferrandi.

Item inter humanitatis partes, ac Verbum; ipsasque inter se partes.

237. Tandem inter quascunque partes humanitatis, hoc est siue essentiales, siue integrantes, collatas cum Verbo aut Deitate; vel inter seipsas; prorsus exulat identitas, atque adeò neque valent prædicationes. Si quæ enim identitas interueniret, partes inter & Deum aut Deitatem, non alia certè esset quàm suppositi diuini; ea verò deest: non quidem quoad formale significatum suppositi, siue quoad subsistētiam, quæ eadem est in quibusuis Christi partibus & Deo Verbo; sed quoad totum significatum suppositi; quia suppositum est aliquid completum, non item partes. Quare sicut ob eam causam non dicimus, *homo est pes*, vel *homo est anima*, ita non licet dicere *Verbum est anima Christi* vel *pes Christi*: tametsi verum est, subsistentiam Verbi, eas partes in genere partialis substantiæ complere. Denominatiuè tamen dicere licet Verbum esse capitatum, aut oculatum, &c. Quod item de puris hominibus affirmamus, quia sensus eorum locutionum duntaxat est, Verbum aut hominem, esse idem cum habente oculos, & caput. Video opponi posse dictum Euangelistæ. *Verbum caro factum est.* An non enim caro, est duntaxat pars humanitatis, & tamen de Verbo enunciatur? Sed facile est percipere, in huiusmodi locutione *carnis* vocē vsurpari Synecdochicè, pro toto homine, qui carne & anima constat: vt idem sit, *Verbum caro factum est*, ac si diceretur *Verbū factum est homo*, quod pulchrè tradit Nazianz. orat. 51. *sub finem*, probatis plerisque Scripturis, in quibus *caro* sumitur pro integro homine. Eas item ad hoc ipsum profert latè S. Fulg. l. 1. ad Trasim. c. 17. & l. de incarnatione c. 9.

Iam verò inter ipsas Christi partes, vt animam, & corpus, vel pedem & caput, non valet prædicatio, eandem ob causam ob quam rejecimus prædicationes inter Verbum & partes: ridiculúsque est Ochan in Centilogio concluſ. 13. cum eas prædicationes admisit, argumento ducto, ex eo quòd communicatio idiomatum locum habeat inter naturam humanam & diuinam, propter assumptionem humanitatis ad subsistentiam Verbi: atque adeò locum etiam habere debeat inter Deitatem & partes humanitatis, quæ æquè assumptæ sunt à Verbo, ac tota humanitas. Ex quo denuo infert, debere etiam locum habere inter partes, ob communitatem subsistentiæ Verbi, quæ vnica terminat omnes Christi partes. Sed hoc argumentum ruit conuulso fundamento, & monstrata disparitate inter humanitatem, & partem quamcunque. Nam humanitas est natura totalis, de qua concretè accepta, rectè prædicatur suppositum Verbi. At de parte quacunque humanitatis, non prædicatur suppositum, cum sit incompleta: suppositum autem sit quid completum.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

238. Appono breuiculū fusioris disputationis de cōmunicatione idiomatum, seu quomodò in Christo, ob cōcursum diuinitatis & humanitatis in eandem Verbi subsistentiam, prædicata humana de Deo, & diuina de homine enuncientur. Prædicata humana concreta, de hoc Deo seu Verbo, & vicissim diuina concreta de hoc homine, verè enunciantur: salua tamen prædicationis forma, quæ huiusmodi extremorum debitam identitatem non tollat: hoc est, dummodò nec sit implicantia in adiecto, & absit reduplicatio; nec essentialia denominatiuè prædicentur. At abstracta vnius naturæ, de abstractis alterius; vel concretum de abstracto; vel

pars

pars humanitatis de Deo, aut è contrario, vel ipsæ inter se partes, falsò & illegitimè enunciantur.

Vsum huius doctrinæ permagnum, eruit Theodoretus, Hebr. 2. agens de Dei Verbo. [Non erubescit, (inquit,) propter hominum salutem, vel humilibus vti verbis, præter suam dignitatem.] Est planè hæc dignitio infinita, quòd Deus paupertatem nostram ea quoque in parte sibi adoptare voluerit. Non possunt satis sufficere Chrysost hom. 15. in ep. ad Rom. *in Morali*, & Saluianus 4. ad Ecclesiam, *sub medium*, quod Christus voces in se, pauperum, nudorum, vinctorum, cæterorúmque egentium transferat ex charitate. Hic verò non ex mero affectu, sed cum reali fundamento, abiectiones nostras omnes in se transfigurat. Docemur nos quoque, aliorum abiectiones & miserias, compatiendo nostras dicere, vt Augustinus notauit hom. 15. ex 50.

SECTIO V.

Enodationis Catholicæ diuini ænigmatis, hactenus propositæ ac discussæ, illustratio, subiectis emblematis sacris & allegorijs.

239. Siue primæuam spectes emblematis notionem, pro accessione ornandæ rei causâ, vt est apud Vlpianum l. 19. ff. *de auro, argen.* &c. siue vulgarem, pro delineatione amœna & ad persuadendum minùs operosa, iure his quas subijcio mysterij propositi expressionibus, emblematum nomen indere posse videor: Quòd & anteriori mysterij huius propositioni ænigmaticæ, accedant ad ornamentum, & non exiguis sacris amœnitatibus conuestiantur, sintque intellectu longè faciliores & clariores. Verum ne infinitam vim, huiusmodi expressionum huius mysterij cumulem; exiguum dumtaxat repræsentabo earum numerum, ex ijs quæ in Scripturis aut Patribus sunt frequentiores, aut quæ è re nostra magis esse videbuntur. Cuiusmodi sunt quas sequentes tituli exhibent, Verbum prolatum, scriptum, vestitum calceatum, obumbratum, effusum, insitum, abbreuiatum, inequitans, negotians, hamatum, fermentans.

CAPVT I.

Verbum prolatum.

NVllam esse aptiorem scalam, qua ad Deum & diuina subuehi liceat, consideratione attenta animæ nostræ, dixit S. Basilius serm. in illud *Attende tibi*, & optimè S. Anselmus c. 64. monol. vt non immeritò, esse hoc *ostium contra ostium*, de quo Propheta, censuerit S. Greg. hom. 17. in Ezech. itaque huius mysterij per typos manifestiores exhibendi, initium faciam ab eo typo quem suppeditat anima nostra. Neque verò consilium est reuolui in ea quæ superiùs proposita sunt, de analogia mysterij huius & vnionis animæ nostræ cum corpore: quo exemplo tam multos Patres ad huius mysterij elucidationem aliquam vsos vidimus, éstque appositissimum; quandoquidem iuxta Nyssenum in qq. de imagine, sicut anima nostra nuda & per se sumpta est Dei imago; ita effigies Dei cum carne iuncti, est anima nexa corpori. In hæc denuò relabi non placet. Possumus enim alia ratione, & quidem optima, valdéque accommodata, typum verbi Diuini, & in seipso, & carni nostræ conflibulati, ex nostra anima ducere, cum varijs Patribus quos mox proponam, & cum S. Thoma opusc. 6. ad artic. 3. Symboli.

Præludium ad expositionem analogiæ prolationis verbi mentalis, cum Incarnatione Verbi Dei.

240. Huius rei gratiâ supponendum est, quod est apud Patres vulgatissimum, esse in anima nostra Trinitatem quandam, ratione cuius non modò simus ad imaginem Dei vt vnus est, sed etiam prout est trinus. Agnoscit eam Trinitatem creatam Gregor. Nyssenus opusc. de imag. Et S. Augustinus 9. Trinit. c. 2. & plerisque sequentibus, & passim alij Patres. Et est sanè in nobis memoria fœcunda, quæ quoties ad recogitandum accingimur, efformat verbum nostrum mentale, illudque ex se depromit, ex verbo siue notitia, affectus & amor procreatur. In quo processu aliquam Patris Filium gignentis per intellectionem, & Verbi ea via geniti, & Spiritus sancti per viam voluntatis & amoris ex vtroque procedentis, cernere licet: vt S. Anselmus fusè prosequitur in monologio à c. 45. ac si ipse est Autor libri de cognitione veræ vitæ, longa apud eundem tractatio habetur analogiæ prædictæ à c. 14. libri illius. Apud S. Athanasium q. 4. ex nouis, loco memoriæ fœcundæ quam Patri respondere diximus, aptiùs assignatur substantia ipsa animæ, quæ est fons potentiarum, & via substantialis. Quod ad rem nostram parum refert qui nunc Verbi nostri vnionem & productionem, eiúsque cum Diuino Verbo analogiam obiter tantùm attendimus.

Illud potiùs nunc spectamus quod eadem q. 4. egregiè prosequitur Athanasius, & Gennadius Scholarius in via salutis, qua coram Turcorum Principe de rebus nostræ fidei disseruit; Nempe, præter eum verbi nostri mentalis statum, quem habet in anima vi productionis quam eo modo accipit, alium spectari posse eius statum, quo verbum, priùs merè spirituale & nobis immanens, foras quasi prodit, & veluti corporatur atque erassescit. Quod duobus modis potest contingere, prior est per verbi nostri communicationem cum alio per verba vocésque materiales. Nam quando alteri colloquimur, verbum nostrum de sinu nostro profunditur & eructatur, illigatum sono. Hanc S. Athanasius, ait esse generationem verbi per labia, eámque accuratè in hunc modum distinguit à priore generatione. [Sermo hominis duplicem habet generationē, & in duabus lationibus generatur: vnam quidem lationem habet ab anima, altera autem à labijs. Et nascitur quidem sermo hominis ab anima, cum quis cogitat quid dicere: Cogitatio enim prima generatio est rationis, quia cogitat pronunciare illum sermonem: non profert autem illum per labia: sed sermonem eum sermonem anima in sinibus suis, & est cogitatio illa prima generatio sermonis ab anima. Ille enim, etiamsi nascatur ab anima, primam generationem habet, quando cogitat illum anima: sed non profert illum, sed diligenter conseruat eum. Quando autem vult aperire sermonem, tunc profert eum ex labijs, & hæc est secunda generatio ex labijs. Ipsa autem ex labijs secunda generatio sermonis, aperit sermonem omnibus, nec ampliùs sermo obscurus est, sed apertus. Quando autem profertur sermo per labia, tunc omnes audiunt eum: & manifestus fit omnibus: & hæc generatio dicitur, quæ per labia exit secunda generatio sermonis, adeò vt duæ sint generationes sermonis nostri: vna quidem animæ, quando cogitat de enunciando sermone, quæ & prima generatio dicitur.] Altera verò est generatio per labia. Similiter de prima verbi mentalis corporatione, philosophatur S. Fulgentius ad sermonem Fastidiosi, c. 16. Posterior modus quasi corporandi verbi mentalis, est is quo mentalis conceptio, Scripturæ illigatur. Vterque hic modus, egregiam omnino expressionem cōtinet mysterij incar

incarnationis. Dicamus de vtroque aliqua, ac primùm hoc capite de priori modo.

Agnouêre eam analogiam Patres.

241. Analogiam verbi mentalis, sono quasi vestiti & per eum foras transmissi, cum Verbo per incarnationem ad nos misso è sinu Patris, agnouit Origenes hom. 1. in diuersos, & sæpè S. Augustinus 15. Trinit. c. 11. his præter cæteras. [Verbum quod profertur carnis ore, vox verbi est; verbumque & ipsum dicitur propter illud à quo foris vt appareret assumptum est. Ita enim verbum nostrum, vox quodammodò corporis fit, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum: sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam in qua & ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem: ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit vt mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non in eam se consumendo, & hoc nostrum vox fit & illud caro factum est.] Et 1. doctr. Christ. c. 13. exponens aduenum Verbi ad nos. [Quomodò (inquit,) venit nisi quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis? sicuti cum loquimur, vt id quod in animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, sit sonus, verbum quod corde gestamus, & locutio vocatur: nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra conuertitur, sed apud se manens integra, formam vocis, qua se insinuet auribus sine aliqua labe, sine mutatione assumit: ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, vt habitaret in nobis.]

Egregiè Gennadius Scholarius in via salutis. Vbi in primis præmittit duplicem sermonis humani formationem, ijsdem propè verbis quibus eam paulò ante ex Athanasio descripsi: Tum subdit. Aspice igitur quemadmodum sermo hominis duas origines habet vnam ex anima, alteram ex labijs, ita & Verbum Dei duas generationes habet; vnam ex Deo Patre, quæ & prima dicitur generatio, & alteram ex carne, quæ & secunda dicitur generatio. Et quemadmodum sermo noster etsi formatur, primam originem habet ab anima, attamen non est clara nec manifestatur, sed iterum post formationem, manet in gremio animæ, sic & Verbum Dei, quamuis natum est ante sæcula à Deo Patre, non fuit tamen manifestum hominibus, sed fuit in paterno gremio, quemadmodum sermo noster, quando volumus, formatur ex labijs nostris, & manifestatur omnibus astantibus. Ita similiter & Verbum Dei quando benè placuit natum primò esse, ex labijs Prophetarum fuit prædictũ: Deinde natum est ex sancta Virgine Maria, & tunc manifestatum fuit toti orbi. Quemadmodum enim manifestatur sermo noster cum sit natus ex labijs nostris, ita & Verbum Dei natum est ex carne sanctæ Virginis, ac manifestatum est toti orbi, & qui credunt in eo salui sunt. Et quemadmodum sermo noster, quando formatur à labijs, nec ab anima deest, nec à labijs nostris; & in auribus audientium, nusquam deest, etsi mille millia audirent sermonem, non diminuitur sermo, sed semper sermo noster integerrimus est: Ita Verbum Dei natum ex Virgine Maria, vt ex Prophetarum labijs fuerat prædictum, attamen nec à Patre defuit, nec à carne, nec ab omnibus hominibus, nec ab vniuerso orbe; sed vbique erat, & non diminutum est, verùm amplissimum ex; ita intellige & de Verbo Dei, quod duplicem habet generationem, vnam ex Deo Patre ante sæcula; à carne verò alterum in nouissimis dierum. Quemadmodum sermo noster primùm producitur ab anima, secundò autem à labijs.]

Profecit haud dubiè Gennadius ex Athanasio, qui plenius & multis notatis circumstantijs, eandem analogiam prosequitur q. illa 4. post expositam duplicem verbi nostri generationem vt proinde operæ pretium videatur eum adscribere. [Discе (inquit) accuratè. Quemadmodum sermo hominis duas habet generationes, vnam ex anima, & alteram ex labijs: ita etiam Dei Verbum duas generationes habet, vnam quidem ex Deo Patre, quæ & prima generatio dicitur: & alteram ex carne, quæ & secunda generatio dicitur. Et quemadmodum sermo noster quando natus est secundum primam generationem ab anima obscurus est, & non aperitur: sed potius post generationem manet in sinibus animalibus: Ita & Dei verbum, quantumuis ante secula à Deo Patre natum est, non tamen manifestabatur hominibus. Manebat enim in sinibus paternis. Et quemadmodum sermo noster, quando volumus nascitur ex labijs nostris, & aperitur ijs quibuscum versamur; ita & Dei Verbum, quando ei visum fuit, natum est ex labijs Prophetarum, & ex ter castissima Maria, & tunc factum est manifestum in toto mundo. Sicut enim aperitur sermo noster, natus ex labijs nostris; ita sanè & Dei Verbum natum ex carne, quam ex Maria Virgine assumpsit, manifestatum est toti creaturæ, & qui credunt in illud seruantur. Et quemadmodum sermo noster natus ex labijs nostris, quandò à labijs generatur non relinquit animam, neque labia propria, neque aures audientium; sed est etiam in anima, & in labijs nostris, & in auribus audientium, & minuitur nunquam, etiamsi multa millia audiant sermonem; nec dificit, sed semper in nobis plenissimus est: ita & Dei Verbum, etiamsi natum sit ex Maria Virgine, & ex labijs Prophetarum: non tamen neque à Patre discedit, neque à carne, neque ab omnibus hominibus, neque à tota creatura, sed vbique præsto est nec minutum est sed plenissimum. Atqui ita cogita de Deo & sermone, quod duplicem habeat generationem, vnam ex Deo & Patre, & vnam ex carne: & hæc quidem, quæ ex Patre est, ante secula est: quæ verò ex carne, ab vltimis temporibus: quemadmodùm & sermo noster primùm nascitur ab anima, & deinde ex labijs.]

Verbi ad nos venientis immanentia apud Deum ex eo exemplo expositа.

242. Quod aiebat Athanasius, Verbi permanentiam in sinu Patris cum ad nos per incarnationem exiuit expressam esse exemplo verbi mentalis, quod per locutionem effertur. Et immanet, distinctiùs à Chrysostomo expressum est sermone de dicto Abrahæ, *pone manum tuam.* Sic enim scribit. [Quemadmodum sese habet sermo ad mentem; sic Vnigenitus Deus Verbum, sese habet ad Patrem. Quod quidem mirabile est. Nam vt aliqua paulò ante dicta repetam; priùs dicebamus, quòd ex ijs quæ in nobis eueniunt, altiora quædam perdiscere & cognoscere liceat. Sermo itaque noster, intrinsecus cum mente quæ ipsum procreauit, coniunctus est: Num visibilis est, cum visibili? inuisibilis est, cum inuisibili, intelligibilis cum intelligibili, incorporeus cum incorporeo: sed cum edendus est sermo, ad os accedit: & quidem illic vocem sibi induit, quum non alia res eidem vocem suppediter, sed illa ipse sermo sibi dictionem contexat. Et inuisibilis natura cum Patre, mente dico, coniunctus; postea inducta voce, se profert, & omnibus innotescit, qui paulò ante latuerat: Deinde se prodit, & omnia explet, nec à mente quæ ipsum procreauerat, separatur. Quis enim ex hominibus cum prolocutus fuerit, aliosque edocuerit, seipsum doctrina exhaurit? Anne, si quid loquor, quod ad aliorum aures perueniat, ideò mentem penitus exprompsi? an non foràs quidem hæc doctrina exijt, & intùs mansit? Nonne infinitas aures circumsonuit, neque tamen mentem procreatricem destituit? Iam verò cum humanus quidem sermo à

mente quæ ipsum procreauit, emissus, foràs prodiens, authorem suum non relinquat ; Deus Verbum qui nostri gratiâ in hoc mundo apparuit, paternos sinus inanes reliquit ? Nequaquam.]

Elegantissimum in hanc rem Eucherij locum ex homil. 1. de Natiu. præterire religioni haud iniuria duxerim. [Accedere (inquit) ad nos misericordia potuit, recedere à se plenitudo non potuit. Qui enim excedit omnia, quò recedit ? ac sic Vnigenitus à Patre missus est, non amissus. Et ideò dixit Propheta : *Eructauit cor meum verbum bonum* ; Sicut enim ex vsu prolatiuum hominis verbum, ita ad audientem à loquente transfertur, vt nihilominus in eo de quo progreditur corde teneatur : sicut sermo quem loqueris, & à te exijt, & tecum est ; nouo & stupendo genere, & transit & remanet ; transfunditur, nec elabitur ; & quò dirigitur peruenit, & vnde emittitur non recedit : Ita & Dominus noster Iesus Christus, qui in principio erat Verbum, Deus apud Deum, ad nos prodijt, à Patre non exijt ; illic astitit, huc processit : & quia ad cælos remeans dixit. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, ad nostra descendens in suis remansit, sicut ad sua regrediens nobiscum remansit. Et ad nos ergo Verbum incomprehensibile cucurrit, & à Patris pectore non recessit.]

Idem optimè in hunc modum tradit Amedeus Lausanensis hom. 3. de Deip. quæ est de incarn. [Hoc fuit illi egredi à Patre, quod tempora nostra susciperet, quod foris visibiliter apparere ; & fieri, quod ex Patris natura non erat. Quod verò dictu mirabile est, venit ab eo à quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remanebat ; vt sine interuallo totus esset in æternitate, totus in tempore ; totus inueniretur in Patre, quando totus in Virgine ; totus in sua, & Patris maiestate, quando totus in nostra humanitate. Si quæris, quomodo ? Collige viritatem ex imagine, verbum in corde gentium, aliquando integrè exit in voce, vt perfectè veniat ad alios & totum in corde remaneat. Sic verbum bonum de corde Patris eructatum, & in campum exijt, & Patrem non reliquit.]

Pulchrè item Basilius Seleuc. orat. 39. [Aluum sanctam Deique receptricem ! in qua disruptum est peccati chirographum ; in qua Deus factus est homo, permanens Deus, & gestari vtero sustinuit, & ad nostræ generationis humilitatem se deiecit, non exinanito gloriæ patritæ sinu, quo maternos amplexus oppleret. Non enim in ea, quæ sponte agenda suscipit sese partitur Deus : quin potiùs manens in omnibus indiuisus, salutem mundo confert. Equidem Gabriel, non sine cæli desertione venit ad Virginem Dei matrem : At Dei Verbum omnia complectens, dum in ipsa incarnatur, cælesti adoratione non caret. Vt enim verbum chartæ inscriptum, in charta totum inest, & totum in mente generante, & totum in legentibus : sic Deus Verbum, meliùs etiam, quod ipsi verbo cognitissimum est, totus proprio corpore & totus in Deo & Patre, & implens cælum & terram ambiens, & creata contrectans omnia.] Quod de verbo chartæ inscripto habet, ad verbum prolatum & voce conuestitum, debet accommodari, vt in proposita analogia persistamus.

Solius Verbi Incarnatio, indidem monstrata.

243. S. Fulgentius ad sermonem Fastidiosi, ex hac quoque analogia monstrat, qua ratione Verbum solum potuerit incarnari absque Patre & & Spiritu sancto, etiamsi & Pater & Spiritus sanctus aliquid effecerint circa Filij solius incarnationem. Eius hæc est oratio, c. 17. [In ipsa imagine Dei hoc, est in ipsa mente hominis, cogitatio quæ ex memoria nascitur, atque formatur, & rectè verbum dicitur, solam corpoream vocem accipit, vt audiri corporeis auribus possit. Sic ergo in illa sancta ac diuina Trinitate, solum Patris Verbum, quod est speculum sine macula, & imago bonitatis Dei, splendor scilicet & figura substantiæ eius. *Cum in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Solus ergo Filius accepit carnem, vt posset corporeis oculis videri, manibus contrectari : solus humanam naturam sic accepit, vt suam faceret, & per illam diuinitatis quoque suæ notitiam misericorditer infunderet. Qui tamen reuelans seipsum, in seipso vtique reuelauit & Patrem. Tribuens quippe agnitionem suæ diuinitatis, simul agnitionem donauit & Patris. Diuinitas enim quæ vna est Patris & Filij, facit & Filium sine Patre, & Patrẽ sine Filio non agnosci. Inde est quod ait : *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistu me ? Philippe, qui videt me, videt & Patrẽ.* Sic ergo Filius qui carnem solus accepit, in seipso Patrem iure vnius diuinitatis naturaliter ostendit : sic sermocinator, dum veritatem, quam meminit, loquitur, quod à se prolatum indicat, hoc intus in mente repositum monstrat. Vox autem illa corporea, qua spirituale verbum induitur, vt ad audientium notitiam proferatur, simul fit à memoria, & à cogitatione & à voluntate : sed à sola cogitatione, id est, interiore suscipitur verbo, vt ad corporeas circumstantium aures interioris cogitationis procedat augurio. Illud autem verbum, sicut habitu corporeæ vocis accepto, totum ad audientes egreditur ; sic in corde totum cum memoria, & voluntate spiritualiter inuenitur. Proinde quisquis hanc imaginem in mente hominis conspexerit, hæreticorum vaniloquia citiùs irridebit.]

Eadem bina capita analogiæ proposita, magis illustrata.

244. Vtrumque proximè propositum, nempe & Verbi in sinu Patris permanentiam incarnatione, & Verbi solius incarnationem, ex eodem exemplo declarat egregiè Augustinus serm. 23. de temp. [Quando (inquit) Deus est infirmitate carnis indutus, virginali vtero receptus est non inclusus, vt nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, & nos gustaremus quàm suauis est Dominus. Quid hoc miramur de Verbo Dei, cum sermo iste quem promimus, ità liber sensibus influat, vt eum & recipiat, & non includat auditor ? Nam nisi reciperetur neminem instrueret si includeretur ad alios non veniret. Et vtique sermo iste verbis syllabisque diuiditur, nec tamen ex eo tanquam ex cibo ventris singulas particulas tollitis, sed omnes totum auditis, totum singuli capitis. Nec timemus dum loquimur, ne totum audiendo vnus absumat, nec alter possit habere quod sumat ; sed ita vos attentos esse volumus, nullius aurem mentemque fraudantes, vt & totum singuli audiatis, & totum ad audiendum cæteris relinquatis. Neque hoc fit alternis temporibus, vt cum sermo qui dicitur ad te primò intrauerit, exeat à te, vt ad alium possit intrare, sed simul ad omnes venit, & totus ad singulos peruenit. Etsi totus memoria teneri voluisset, sicut ad totum audiendum omnes venistis, ita cum toto singuli reditetis : quanto magis Verbum Dei per quod facta sunt omnia, & quod in se manens innouat omnia, quod nec locis concluditur, nec temporibus tenditur, nec moris brevibus, longisque variatur, nec vocibus texitur, nec silentio terminatur ? quandò magis hoc tantum, & tale Verbum, potuit matris vterum assumpto corpore fœcundare, & de sinu Patris non emigrare ; Hinc ad oculos humanos exire, inde mentes Angelicas illustrare : hinc ad terras procedere

dere, inde cælos extendere hinc homo fieri, inde homines facere. Nemo ergo credat Dei filium coæternum, & coæqualem, conuersum & commutatum esse in hominis filium; sed potiùs credamus, & non consumpta diuina, & perfectè assumpta humana substantia, manentem Dei Filium factum hominis filium. Neque enim quia dictum est, *Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est*; sic Verbum caro factum est, vt esse desineret Deus, quando in ipsa carne, quod Verbum caro factum est, Emanuel natum est nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox, cum id ore profetimus; nec tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in qua procedat, assumitur: vt & intùs maneat, quod intelligatur, & foris sonet, quod audiatur. Hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita verbum cum sit vox non mutatur in voce, sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce, procedit ad audientem, & non deserit cogitantem. Non cum ipsa vox in silentio cogitatur, quæ vel Græca est, vel Latinæ, vel linguæ alterius cuiuslibet, sed cum ante omnem linguarum diuersitatem res ipsa, quæ dicenda est, adhuc in cubili cordis quodammodo nuda est intelligenti, quæ vt inde procedat, loquentis voce vestitur. Veruntamen vtrumque hoc, & quod cogitatur intelligendo, & quod sonat audiendo, mutabile atque dissimile est. Neque illud inanebit cum oblitus fueris, neque hoc cum silueris. Verbum autem Domini manet in æternum, & incommutabiliter manet. Et cum carnem assumpsit ex tempore, vt ad tempora illam vitam nostram procederet, non in carne amisit æternitatem, sed etiam carni præstitit immortalitatem: ita ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam.]

Astipulatur Autor libri de cognitione veræ vitæ cap. 16. verbis illis. [Sicut sempiterna virtus diuinitatis per ea quæ facta conspiciuntur, potest intelligi, sic hoc profundum mysterium & occultum, per ea quæ in nobis geruntur, ratione perscrutante poterit inspici. Notum est enim quod humana mens verbum communis locutionis ex se cogitando gignit, & idem verbum in mente & in memoria simul vna essentia existit. Cum verò mens, verbum suum alijs innotescere cupit, cum eadem cogitatione, quæ nihil aliud est, quàm verbum suum, & cum memoria disponit, quod idem verbum corpus vocis induit, & auribus audibile, & cordibus audientium visibile procedit. & etiam literis corpus suum ligari & videri permittit, & tamen inuisibile manens, de essentia mentis & memoriæ non recedit. Non ergo mens neque memoria, sed solum verbum singulariter sonuit per corpus vocis sensibile, & tamen inseparabiliter mansit in essentia mentis & memoriæ inuisibile. Sic summus Pater, Verbum sum, seipsum cogitando genuit, quod in Patris, & Spiritus sancti essentia simul coessentiale subsistit: sed tamen nec Pater nec Spiritus sanctus, sed solum Verbum quod est Patris Filius, singulariter humanum corpus induit, sed hominibus sensibile exhibuit, corpus sumptum indigna pati permisit, & ipsum inseparabiliter in essentia Patris & Spiritus sancti inuisibile & impassibile permansit.]

Magnalia Dei per Christum, ex eadem analogia.

245. Addit Gregorius Nyssenus ad calcem libelli de imagine, vbi hanc itidem verbi mentalis per sonum conuestiti, cum Verbo diuino carne amicto analogiam versat; addit inquam, ex hoc quoque exemplo innotescere magnalia Dei per Christum. [Ne prætereas (inquit) hoc etiam ad similitudinem tuam; cum Dei imagine explicandam, quòd inquam ex hac corporali verbi ex labijs generatione, virtus & sapientia, & prudentia, & potentia, & profunditas animæ tuæ ac mentis, omnibus innotescit & diuulgatur; cum hoc quoque tibi exemplo declaretur, eam ad imaginem & similitudinem Dei, creatam esse. Etenim per Dei Verbi generationem secundùm carnem, virtus & potentia, & sapientia, cæteraque omnia Spiritus sancti bona, in mundo manifesta sunt reddita. Vide enim quanta, qualiaque sint verbi, in figuram Dei Verbi in mundo præclara facinora, quaque ratione per verbum omnia condantur & constituantur: verbo producti sunt Angeli: Verbo concelebrant Conditorem: verbo, quæ sub aspectum cadunt, esse cæperunt; verbo illuminatur creatura: verbo quæcunque sunt, innotuerunt: solo verbo in lucem edita sunt; verbo, producta sunt elementa: verbo creatorem collaudamus: verbo, Dei cognitio promulgata est: per verbum, Deum agnouimus, per verbum, constituta sunt omnia. Et quemadmodum mutus infans, brutus est ac sine mente apud homines, quousque verbum labijs genuerit, ita per Dei Verbi generationem in carne, omnis brutalitas naturæ nostræ deleta est, cùm Deus Verbum, Patrem suum, creaturæ palam, & Spiritum sanctum reuelasset.]

Esse porrò hæc Verbi per humanitatem opera, Verbo, non nudæ humanitati tribuenda, sic ex hoc ipso exemplo infert Hippolytus Martyr in excerptis de Theologia & Incarnatione contra Beremem c. 3. (extant t. 3. bibl. Colon.) [Mihi vt exemplo planum faciem, quod de Saluatore dictum est, ratio mea naturalis cognata est, & congruens, qui sum ratione præditus, & anima intelligente, cuius est operatio, qua è se anima mouetur & prima potentia semper mobilis ratio naturalis ex ipsa manans, quæ cum verbum à me factum est, & lineis bene signata, lingua quidem instar instrumenti aliquando eam profero, & literis artificiosè per dissimilia non mutatam ostendo, vt audiatur: non enim ratio mea naturalis est linguæ & literarum, etsi per linguam & literas eam profero; sed ex me est, qui secundùm naturam loquor. & eam per linguam & literas promo; ex mea quidem anima intelligente naturaliter semper manantem, per linguam verò meam corpoream organicè; vt dixi quando oportet prolatam, Sicut igitur in nobis quoad licet assimilare quod penitus assimilari non potest, per linguam nostram corpoream, immutabiliter facultas rationalis secundum naturam animæ profertur: sic in Dei corporatione, siue incarnatione, quæ supra naturam est, per ipsius sanctam carnem in ijs, quæ diuinè operabatur, citra mutationem omnipotens, & omnium effectrix diuinitatis operatio ostendebatur, extra omnem circumscriptionem secundum naturam remanens, quamuis per carnem natura finitam elucebat. Non enim potest per naturam creatam circumscribi, id quod natura sua est increatum, quamuis vnitum est, ei in conceptu omnem mentem circumscribente, neque potest vnquam fieri in eàndem naturam, & operationem naturalem, dum vtraque natura intra suam naturalem immutabilitatem manet. Eorum enim solùm quæ sunt eiusdem naturæ est motus idem operans, qui substantiam declarat, cuius est potestas naturalis, quæ nulla ratione potest esse proprietas diuersæ substantiæ citra mutationem.] Descripsit cum cum alijs eiusdem operis locis, istum quoque Athanasius Bibliothec. Epistola ad Theodosium presbyterum Gangrensem.

Alia Verbi Dei per voces corporatio, hic dimittenda Vsus doctrinæ.

246. Cæterum non diffiteor, præter eam Verbi Dei corporationem quæ cernitur in carne Verbo adiuncta in Christo alias quoque pleraſque Verbi Dei corporationes in vocibus prolatitijs aſſignari poſſe. S. Auguſtinus ſerm. 23. ex 40. nouis qui eſt de S. Ioanne Baptiſta, multus eſt in hac analogia exponenda. Ibi *omnes animas pias prædicatrices*, (ſic appellat,) ad Verbum Dei non ſecus ſe habere docet, ac vocem ad verbum: omnes Prophetas & Patriarchas Chriſti venturi prænunciatores, huiuſmodi vocum nomine inſignit, ſed maximè S. Ioannem: quem idcirco ait, omnes voces quæ præceſſerunt, repræſentaſſe. Et ideò propriè dictum eſſe vocem, tanquam omnium vocum ſignaculum atque myſterium. Verumtamen nulla talis vox fuit, qualis vox carnis Chriſti, de qua ibidem ſic Auguſtinus. [Verbum manens, voces miſit; & poſt multas præmiſſas voces, vnum ipſum Verbum venit, tanquam in vehiculo ſuo, in voce ſua, in carne ſua.] Iuuit nihilominus huius quoque corporationis diuini Verbi in vocibus propoſitis meminiſſe, vt cõſtaret qua ratione vſum doctrinæ toto capite propoſitæ, exprimere in ſeipſo vnicuique liceat, exhibendo ſe vocem Verbi Dei, & analogiã Verbi ac vocis quæ in Chriſto ſingulariſſimè emicuit, quantum magna paruis componere fas eſt, repræſentando.

CAPVT II.

Verbum ſcriptum.

HAbemus perilluſtrem Incarnationis imaginem in verbo prolato. Eſt tamen (vt verum fatear,) huiuſmodi analogia minùs idonea ad perſpiciendam Verbi pro nobis deiectionem. Nam verbum prolatum, accedit maximè ad ſpiritualia; quia ob viciniam cum mente, à qua immediatè manat, aliquid (quantum accidente corporeo licet,) de verbi perfectionibus retinet; ideoque eſt vbique totum, (vt S. Auguſtinus pulchrè diſſerit ſerm. 84. de diuerſis *ſub finem*. Et in audientis intellectum ſine corruptione ac læſione per aures illabitur.

Scriptio Verbi per incarnationem, Iuxta Patres.

247. S. itaque Chryſoſtomus, aut quiſquis alius autor ſermonis de ſigillis librorum, (qui habetur t. 6. Græcolat.) aptato ad proceſſionem æternam exemplo verbi prolati; addit, aliam inſuper ex verbo noſtro prouiſam eſſe diuinitùs imaginem, ad perſpiciendum Incarnationis myſterium. Nimirum per ſcripturam, verbum noſtrum quaſi corporati & tractabile fieri obſeruat. Eius hæc eſt ratiocinatio. [Hoc noſtro ſermone, cum Deus multò ante adumbraret, & depingeret œconomniam Diuini Verbi, imaginem quampiam admirabilem, floribus quos terra ex ſeſe fundit, pulchrè reſplendeſcentem, antecedente quadam conſideratione ſermonis, adhibuit. Itaque ſermonem quidem noſtrum, qui & inuiſibilis & incorporeus eſt, neque teneri poteſt, Deus alio quodam modo ſapienter ita conformauit, vt & aſpici poſſet, & teneri. Quid enim ille facit? Cùm ille oculis quidem cerni non poſſet, Deus ipſum literis, velut corpore veſtiuit; eique, ceu carnem literas aſpectabiles appoſuit: & quem tu aliquando audiens, non cernebas, eum dum legis, conſpicis: In quem incidere non poteras, in libro circumfers. Verùm ſermo quidem, literarum beneficio quaſi corporeus euadit: non autem literis includitur, ſed cum legente & cum dicente coniunctus eſt. Nam licèt aliquis arrepto libro eum diſcerpat, corpus ille quidem ſermonis diſcerpſit, non autem orationẽ diſcerpſit.] Confirmat hoc, exemplo libri quẽ Rex Ioachim vt eſt apud Hieremiam c. 27. diſciſſum in ignẽ abiecit. Deus enim per Prophetam renunciari Regi iuſſit, ipſum quidem literas diſcidiſſe, orationem tamen nõ diſſecuiſſe. Subdit deinde Chryſoſtomus. [Imaginẽ igitur intellexiſti; porrò verò animum tuum ad res ſublimiores & altiores erige. Vnigenitus ille Dei, ipſe Deus carnem induit, vt, qui antè non apparebat, nunc appareat: qui antea non contrectabatur, nunc contrectari poſſit: Ioannes ergo exoptato illo oraculo inuento; quod quidem fando aliquando à nobis percipiebatur, poſtea verò his oculis aſpeximus, ita: *Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audiuimus, & manus noſtræ contrectarunt*. Carnem igitur velut veſtem diuinitatis circumferebat; ſed veſtem decentem: *Dominus enim regnauit, decorem indutus eſt*. Iudæi certant cum eo qui apparebat: eum, qui non apparebat, non noſcebant: & carnem illi quidem crucifigunt, diuinam autem illius naturam non tollunt. Nam ſi meus ſermo cum litera quæ veſtis eſt ſermonis, non perit, & euaneſcit: Deus Verbum, fons ille vitæ, non vnà cum carne obijt: ſupplicium illud ad corpus pertinebat, ſed vacuitas omnis perpeſſionis, erat circa dignitatem.]

248. Verùm quia ex inſtituto, & admodùm accuratè hanc verbi ſcripti cum Verbo incarnato analogiam proſecutus eſt Theodotus Ancyranus homil. in natale Saluato. quæ eſt in Concilio Epheſ. t. 6. editionis Petrani c. 10. iuuabit aliqua inde excerpere. Poſt expenſam ergo huius myſterij inacceſſam nobis altitudinem, præfatus Theodotus, placere exemplo aliquo ſenſibili monſtrare quomodo incorporeum craſſeſcat; & inuiſibile viſibile fiat; & ſecundùm ſe impalpabile, tractabile euadat, propria natura non demutata ſed ſenſibili tantùm ſchemate aſſumpto, quæ eſt huius myſterij explicatio & adumbratio aliqua, interlocutus nonnulla contra fatuam Photini de verbo prolatitio incarnato opinionem, ſubdit. [Verbum hoc quod proferimus, quoque in mutuis colloquijs vti conſueuimus, verbum eſt incorporeum, nullo neque viſu, neque factu percipi natum. Atqui ſimulatque verbum hoc, literas induit, elementaque ſuſcepit, mox viſibile, palpabileque factum, tam viſu hauritur, quàm tactu deprehenditur. Pone enim quempiam cum quopiam verba facientem; verba ipſa effuſa, nemo vtique neque cernere, neque manibus contrectare poteſt. Quod ſi verò quæ dicebantur calamo & charta exceperis, iam ſtatim quod priùs videre nequibas, videbis; & quam ſermonis formam antea contrectare non poteras, eam per chartam & characteres iam contrectabis. Quid ita? Quia verbum antea incorporeum; corpus chartaceum, elementorumque figuras inducit.

Eſſe verò hanc Verbi Diuini ſecundam quandam generationem, nempe in carne, ſic exponit. [At quanam, (inquis,) ratione cùm Vnigenitus natus ſit ex Patre, rurſum naſcitur ex Virgine? Ex Patre natus eſt ſecundum diuinitatis naturam, ex Virgine naſcitur ſecundum carnis diſpenſationem. Hinc vt Deus, iſthinc naſcitur vt homo: Nam & tuum quoque verbum, quædam mentis tuæ proles eſt. At poſteaquàm verbum iſtud, quod mens tua peperit, elementis & literis volueris exprimere, & in chatta efformare, manu literas deſcribis, & certa quadam ratione verbum tuum per manum denùò eniteris. Non quod tum eſſe ſui exordium ſumat, cùm per manum exaratur; aut quod tunc demum, quando manus literas effingit, exiſtere incipiat: iam ante enim ex mente enatum erat: ſed quòd tunc tandem verbum per manum, vt cerni queat, accipiat. Cum ergo exemplum

hoc

hoc euidens existat, expressamque imaginem gerat, agedum similitudinem hanc ipsi prototypo adaptemus. Hic itaque cernis mentem; ibi Patrem. Hic verbum ex mente productum agnoscis; ibi Verbum essentiale subsistensque ex Patre natum vides. Hic manum per literas Verbum parientem conspicaris, ibi Verbum per corpus Virgineum generatum. Non quòd ea suo patru aliquod diuinitati initium subministrarit; Absit; sed quòd Deum inhumanatum, humanis aspectibus conspicuum visibilemque reddiderit: Quia enim id factus est, quod ergo, necessariò meam naturam induitus, natus est sicut ego.]

249. At ne quis inde inferat, Verbum in carne esse quid despiciendum & abiectum, quippe corporatum, & adeò vili tegmine obductum; instat è contrario Theodorus, ex hac ipsa analogia, Deum esse qui sub hoc tegmine obijcitur, atque adeò cui inhonoratio & probrum infertur. Hoc ita declarat. [Fingimus Regem quempiam, eiusmodi sermonem depromere, qui libertatis, vel aliorum regalium munerum, quibus oportet, imperticndorum, decretum in se contineat: illudque decretum chartæ, quam *sacram* vocant, insertum, literisque expressum, ad hanc vel illam ciuitatem amandare. Sacram hanc porrò Latinè appellatam aliquis perfidus, aut rebellis, aut ciuitatis alioqui, vel Regis inimicus intercipiat, interceptamque dilaceret. Iam dic mihi quid hic laceratum est, chartáne sola, an etiam decretum Regium? Atqui si sola charta dilaniata dicatur, paruo admodùm ipsa laceratio potest redimi, tenebiturque hac ratione violator, aut nulli, aut sanè vix quinque obolorum multæ obnoxius. Eiusmodi autem, supremum supplicium dependit, pœnaque afficitur capitali, nec iniuria; vt qui non solùm chartam diruperit, sed Regium quoque decretum violauerit. Atqui imperiale Verbum secundùm se impatibile, taleque est, quod sua ipsius natura, neque manibus contrectari, neque discindi potest; & tamen hoc non obstante, & ipsum quoque discissum dicitur. Quid ita? Quia chartæ & literarum passionem, tanquam propriam, in se transfert. Cernis hinc quo pacto id, quod non vlli secundùm se passioni obnoxium est, eo ipso passioni subijciatur, quod cum patibili natura communicationem sortiatur? Neque enim Regius sermo, quod ad propriam naturam attinet, dilaniatus est; & nihilo tamen minùs, tam chartæ, quàm elementorum passionem rectè in se excepisse dicitur. Ne igitur iactet se Iudæus, tanquam qui purum hominem in crucem egerit: Nam quod cernebatur, charta quidem erat, quod verò in charta abditum latitabat, Verbum erat Regium non lingua sed natura productum. Siquidem Vnigenitus Dei Filius Verbum dicitur: non prolatum, sed substantiale subsistensque, neque propria rursum natura patibile; sed illius quod cernebatur, patique poterat, passiones veluti proprias in se transferens. Et quemadmodum Verbum Regium, simultaque literatum naturam in se suscepit, chartæ passionem sibi ipsi appropriat; ita Vnigenitum Dei Verbum, claues confixi corporis, perpessiones proprias sibi æstimat. Quare vt is, qui sacram Regiam violauit, veluti qui ipsum Regis verbum discerpserit, vltimo afficitur supplicio; sic Iudæus quoque, id quod forinsecus cernebatur crucifigens, perinde pœnas luit, ac si in ipsummet Dei Verbum impius extitisset.] Præclarè in hanc rem totam disserit S. Hipolytus contra Bernen. serm. 3. adductus ab Anastasio Apocrisiario epistola ad Theodosium Presbyterum Gangrensem.

Verbi per Incarnationem deiectio, monstratur ex proposita analogia.

250. Explorata videtur verbi mentalis & scripti, cum Verbo diuino eiusque corporatione analogia, ex plerisque capitibus quæ Patres adducti tetigerunt: mihi autem addendum præterea occurrit, posse ex hoc insuper exemplo deprehendi statum Verbi in carne, & quantopere se nostri causa Deus abjecerit: quod vbi attigero, chartam cui hæc scriptura commissa est, & calamum, & scribam, non prætermittam. Vt tamen status Verbi in carne ex hoc exemplo deprehendatur, necessarium planè est, statum verbi nostri mentalis, cum statu quem scriptione accipit componere; vt facta vtriusque contentione, analogia quam in re præsenti quærimus liquidò perspiciatur.

Verbum itaque nostrum mentale, è mente nostra incorrupta & illæsa, absque sordibus & illuuie vlla, progignitur. [Hoc est verbum, (ait D. August. 15. Trinitat. c. 11.) quod neque prolatiuum est in sono, neque cogitatiuum in similitudine soni, quod alicuius linguæ esse necesse sit, sed quod omnia quibus significatur signa, præcedit & gignitur de scientia, quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur sicut est: similima est enim visio cogitationis, visioni scientiæ. Nam quando per sonum dicitur, vel per aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri, audiriue per corpus. Quando ergo quod in notitia est, hoc est in verbo, tunc est verum verbum, & veritas, qualis exspectatur ab homine vt quod est in ista, hoc sit & in illo: quod non est in ista, non sit & in illo: hic agnoscitur est est, non non. Addit præterea, hoc debere considerari in verbo mentali; initium omnis operis nostri, vt habetur Ecclesiastici, 37. verbum esse, quia potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus, opus autem esse non potest, nisi præcedat verbum. Itaque verbum est actiuum. Imo vsque eò eius actiuitatem celebrat Richardus Victor. l. 3. de contemplat. c. 13. & 21. & l. 4. c. 20. vt quandam in eo omnipotentiam & vim creatiuam agnoscat. Possunt enim mundi infiniti, verbo nostro accipere mentaliter esse; moxque illud eiusdem verbi virtute deperdere. Est item mentale verbum nostrum, quasi immensum iuxta Macarium hom. 12. qui animam per verbum suum quocunque libuerit auolantem; & cœlo terræque ac ipsi quaquauersum vniuersitati mundanæ ac etiam innumeratis supra cælos spatijs imaginarijs insidentem describit. Quidni verò similiter quandam in verbo nostro æternitatem agnoscamus, quando æquè potest ad omnia tempora, eorumque differentiam extendi, atque ad loca & spatia quæcunque; Tandem mentale verbum nostrum, in imo abditum, vita præditum est, imo est flos vitæ, & vita ipsa actualis. Est enim expressio & imago viua obiecti, hominem formalissimè & vltimò constituens viuentem vita nobilissima; hoc est intellectuali; quæ cum sit quædam obiecti expressio, ac potentiæ cum obiecto assimilatio, & aliqua in illud transformatio, vt Philosophus quoque dixit; verbum in totidem formas componit, quot sunt obiecta repræsentabilia.

Hic est verbi nostri mentalis status in anima, sanè nobilis & admodùm pretiosus; præ quo admodùm miserandus & planè abiectus censeri potest eiusdem verbi status, cum chartæ illigatur per scripturam Quod enim in animo spirituale, & prorsus, immateriale erat, fit crassum: quod inuisibile erat, fit visibile, & quidem fœdum in modum. Quàm enim atra & tetra est Scripturæ facies? Nec visibile tantùm efficitur, sed & palpabile, præ crassitie. Emortuum est, quod erat flos vitæ. Tempore & loco definitur, jacetque obstipum & omnis

actiu tatis expers, quod æternitate quadam, & illocabilitate, ac immensitate, nec non omnipotentia, potiri intra mentem vidimus. Denique adhæresci chartæ, quod à terrena materia liberum erat. Heu quantum ab illo mutatum, quod intra mentem supra quæque nostratia splendens & eximium, suspiciebamus. In hanc status pristini deiectionem, verbum mentale nostrum deuenit per corporationem & alligationem ad chartam, scriptionis interuentu.

251. Gemina planè est deiectio diuini Verbi per adhæsionem ad carnem. Quantum enim erat Verbum Dei in sinu Patris? [Quis hoc explicet verbis (inquit S. Augustinus. serm. 84. de diuers.) quis hoc videat? Quo documento vobis probabo quod dico? Homo loquor, hominibus loquor: infimus loquor, infirmioribus loquor. Et tamen fratres mei, audeo dicere, quod vobis dico, vel per speculum vel in ænigmate, vtcunque video, vtcunque intelligo, est in corde meo de hac re verbum. Sed quærit exire ad vos, & dignum non inuenit vehiculum. Vehiculum verbi, sonus est vocis. Quod dico apud me, quæro vobis dicere, & verba deficiunt. Volo enim dicere de Dei Verbo. Quanto Verbo, quali Verbo? omnia per ipsum facta sunt. Opera videte, & operatorem expauescite. Omnia per ipsum facta sunt. Redi mecum humana infirmitas; Redi ergo, humana ipsa comprehendamus si possumus. Homines sumus & nos qui loquimur, & hominibus loquimur, & sonum vocis edimus. Ad aures hominum, sonum nostræ vocis perducimus, & per nostræ vocis sonum, etiam intellectum quomodocunque per aurem in corde ponimus. Hinc ergo quod possumus vt possumus eloquamur, hoc comprehendamus, si autem neque hoc comprehendere valuerimus, ad illud quid sumus?] Hoc itaque tantum ac tale Verbum, immortale, immutabile, insectile, æternum, quale ibidem S. Augustinus, & alibi infinities describit, omni perfectionis genere supra quàm vel cogitare possumus instructissimum; ad eam egestatem deiectum est per incarnationem, vt locale, temporale, infirmum, mortale, omnibusque abiectionibus nostris obnoxium euaserit. Et cum in se esset inuisibile; ac non sensus tantum nostros effugiens, sed etiam mentes superuolans; nunc dispicatissimo sensuum subiacet, vsque adeò vt potuerit vsurpare illas voces, Ioannes Apostolus. *Quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ cõtrectauerũt de Verbo vitæ.* Nam etiamsi Vigilius l. 4. contra Eutychem *ad finem*, negat hanc contrectationem de qua Apostolus, esse sensus functionem, tamen in sensu proposito potest admitti: Pulcherrimum in se Verbum, ac splendidissimum, & si quid eloqui digniùs possumus, attratum est ac denique ratum. Nam & S. Ambrosius de incarn. Dom. sacr. c. 5. *atramentum naturæ nostræ*, nominat humanitatem. Verbum vocalissimum & sonantissimum, quo vno Deus semel omnia dicit; Verbum in quo simul sunt omnia, non diuersa, non separata, non inæqualia; mutum & elingue iacet in libro, cui per calamum est immissum. En verè Verbum abbreuiatum, quod facturum esse Dominum super terram, prænunciarat Esaias c. 10. De Verbo incarnato id exponunt S. Anacletus Epistola 2. *sub finem*. Et S. Cyprianus l. 2. contra Iudæos c. 3. Coërcet sanè Verbum immensum, modicus liber.

Liber cui Verbum est inscriptum, humanitas Christi.

252. Quis hic liber? quis calamus; Librum Verbi Diuini per incarnationem scripti, non nemo sanctissimam Christi Domini humanitatem censuit. Hic enim est liber, siue cortex & forma exterior diuinæ illius arboris plantaræ secùs decursus aquarum iuxta Chrysostomum in Psalmum 1. Hic est liber, in quo salutis nostræ syngrapha Scripta est. Sicut enim iuxta Proclum homil. de natiuit. Dom. t. 6. conc. Ephes. c. 7. Diabolus falsarius, corpore nostro veluti Charta vsus, nostræ venditionis chyrographum confecerat, quod per Adamum vt addit Adrianus Papa, Epistola ad Episcopos Hispaniæ, veneno vsus pro atramento, in nostris corporibus conscripserat; Ita Deus è contrario, in Verbi sui humanitate liberationis nostræ scripturam expressit. Hic est liber signatus sigillis septẽ, vt fusè prosequitur S. Bern. serm. 1. de Pasch. Audi etiam pro hac expositione Rupertum l. 11. de victor. Verbi Dei c. 23. [Natura humana de virgineæ carnis substantia sic est assumpta velut membranula munda ac bene accurata, scriptorioque operi accommoda, & ipsa lingua Patris, id est Spiritus sanctus, velociter percurrit, velociter tanquam calamus scribæ totam perscripsi, totam Verbi substantia repleuit, nihilque residui fuit; sed totum quod erat in corde Patris, illi animæ inscripsit, totamque sapientiam, totumque intellectum, totumque consilium, totamque fortitudinem Dei, totam scientiam, totamque pietatem Dei, & totum timorem Domini, vt nihil esset, quod non sciret, nihil quod non posset, nihil in Deo Patre, quod non haberet humana pueri huius natura, vnde & Deus est.] Nec omittendus Paschasius Corbeiensis l. de corp. & sang. Dom. c. 4. vbi tractans locũ Pauli Hebr. 1. *qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius*, priora verba ait spectare diuinitatem Christi, posteriora humanitatem. [Vnde (inquit) vnam rem sumit ad demonstrationem duarum substantiarum, quam figuram substantiæ & characterem nominauit. Quia sicut per characteres vel figuras literarum, infantia nostra priùs gradatim pertingit ad lectionem, deinde ad spirituales Scripturarum sensus & intelligentiam: sic ex humanitate Christi ad diuinitatem Patris peruenitur, & ideò iure figura vel character substantiæ illius vocatur. Quid enim aliud sunt figuræ literarum quàm characteres earundem, vt per eas vis & potestas, ac spiritus prolatio, oculis demonstretur? sic itaque formatur Verbum caro, vt per carnem nostra infantia ad diuinitatis intelligentiam nutriatur.]

Hi Patres, librum cui Verbum est inscriptum, accipiunt humanitatem Christi: Vnde Christum ex humanitate & Deitate compactum, tanquam librum ex charta & literis, exponunt Etherius & Beatus l. 1. cõtra Elipandum *à pag.* 363. latè præsertim versantes illud de hoc libro prænunciatum *Scriptus intus & foris*. De quo etiam ad Christum aptato, agit plenissimè autor epistolæ de vera Circumcisione, apud Hieron. t. 9. & breuiter sed piè admodum Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone c. 20. *sub initium*. Vt proinde videas fuisse Christum, Opistographon, iuxta germanam vocis illius notionem de qua pluta Corrasius l. 1. miscell. c. 18. num. 3.

Vel certè Deipara.

253. Possumus etiam cum alijs plerisque Patribus, hunc librum cui Verbum inscriptum est, intelligere Deiparam: quæ non est diuersa à priore, libri acceptio; cum sanctissima illa humanitas, sit portio aliqua Deiparæ, & segmentum ex eius substantia, quoad primigenias & fundamentarias eius partes. Facit planè ad hunc libum, insignis doctrina S. Epiphanij Her. 30. qui maternum vterum collatum libro, productionem inscriptioni assimilatam ab Isaia, his verbis docet. [Isaias ex persona Domini dixit, *Accipet ibi frustum chartæ nouæ magnæ*: frustum quidem, propterea quod sit Virgo ex semine viri; resecta autem sit à mixtura viri, & quòd resecta sit à naturali hominum consuetudine. Omnes enim homines ex semine viri gignuntur. Christi verò natiuitas, secundùm naturam quidem ex muliere Virgine

gine Maria incarnationem habuit : præter naturam verò resecta est à consequentia secundùm humanitatem: velut etiam Iacob de ipso dicit: *Ex germine fili mi prodisti:* & non dixit, *ex semine prodisti.* Et hac de causa dicit sanctus Esaias Propheta, imò potiùs Dominus ipsi dicit. *Accipe tibi fruſtum chartæ*: speciem consuetudinis significans, in qua omnia scribunt filij hominum, velut etiam in centesimo trigesimo octauo Psalmo dicit; *in librum tuum omnes scribentur, dies formabũntur, & nemo in ipsis.* Libro enim, assimilauit vterum.] Fruſtum cuius hic ex Epiphanio per interpretem meminimus, Græcè est ῥάβδον. Quo nomine, Græcos passim libros nuncupare, notum est, & nos quoque volgo sic nuncupamus libro magnos. At magnus reuera liber Deiparæ: Audi ibidem Epihanium non ita multo post. [Cæterùm per librum, & fruſtum, vterus significatur. Et non dixit, *ſume tibi ipſi chartam*, sed *fruſtum*, ob proprietatem præter hominum consuetudinem: *chartæ* propter aptitudinem vteri, adhoc vt inseritur: *nouæ* propter nouitatem Virginis, & impollutam integritatem: *magnæ*, magna enim reuera est Maria sancta Virgo coram Domino & hominibus. Quomodò enim non dixerimus hanc magnam, quæ incomprehensibilem concepit, quem cælum & terra capere non potest? Ipse autem cùm incomprehensibilis sit, secundùm proprium propositum ac voluntatem volens comprehensus est, & non necessariò, nec coactus. Quapropter magnum est fruſtum, & nouum: magnum, propter miraculum: nouum, quia Virgo. *Et scribe* (inquit) *in ipſum ſtylo hominis.* Et non dixit, *ſcribet in ipſum quis ſtylo hominis*; neque dixit *ſcribet in ipſum homo*, vt ne prætextum reperiret Ebion. Si enim dixisset, *ſcribet in ipſum homo*, habuisset quod diceret; homo Ioseph seminauit, & ex semine viri genitus est Christus. Verùm Esaiæ ante septingentos quinquaginta tres plus minus annos, dixit; *ſcribe* vt à tempore interualli omnis veritas conspiciatur, quod nemo potuit ante septingentos quinquaginta tres annos seminare eum qui gigni deberet. Num igitur fruſtra dicit Prophetæ, *ſcribe*? Non; sed vt ostenderet. Spiritum sanctum, qui erat in Propheta, ipsum effectorem fieri conceptionis aduentus Christi in carnem, in veritate.]

Astipulatur Epiphanio, de Deipara exponẽti librum grandem, & Diuini Verbi in eo scriptionem, quod continenter subdit Isaias de suo ad Prophetissam accessu Hoc enim de mystico accessu per contemplationem & Spiritum propheticum, interpretatur S. Basil. in c. 8. Isaiæ: qui item negat, vllum fore qui contradicat, dicenti, prophetissam ad quam accessit Isaias, esse Deiparam. Et ita sanè diserte Eusebius 7. de demonst. *testimonio* 2. S. Epiphanius, Chrysostomus, atque Cyrillus. Nisi quod hic, eum accessum non Isaiæ, sed Spiritui sancto tribuit; nec scriptionem illam de productione prolis per ipsum Prophetam quæ nomine suo alijsque compluribus adiunctis esset Christum expressura, sed de ipsius Christi productione per Spiritum sanctum interpretatur. Vnde vbi nos legimus *& accessi ad Prophetiſſam & concepit & peperit*; S. Cyrillus in tertia persona legit. *Et accessit π. ὀ.* Locus est adscriptu & lectu dignissimus. [Quod non ex sanguine (inquit) & carne, neque ex voluntate viri, Christi nationitas secundùm carnem peracta fuerit, sed & insolita & vltra leges humanæ naturæ extiterit, Deus Prophetæ reuelauit. Etenim ipse, (inquit,) qui dixit, *cape tibi librum nouum magnum*, accessit ad Prophetissam. Considera verò quo pacto, hominis penicillo Christi mysterium, nostrisque verbis scribatur. Illud autem. *Accessit* pro *coijt* vel *coniugali ritu communicauit*, ex more suo dicit Diuina Scriptura. Videt ergo Propheta etiam congressus formam cum sancta Virgine, quam Prophetissam quoque dicit, rem veram docens. Dein & conceptionem factam ait, filiumque editum. Illud enim sanctissimum corpus, ex Spiritu sancto, & supernis Verbo formatum esse, cui dubium esse poterit? Quocirca Spiritus virtus ac vis, per quam illud corpus in sancta Virgine formatum est, hoc congressus habitu ac figura obliquè significatur. Primitiæ siquidem factus est hinc Christus, eorum qui sanctificati sunt in Spiritu, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt. Natus ergo est ex Sancto Spiritu iuxta carnem ipse ante alios, vt & nos quoque per illum nasceremur. Hic enim notandum, quòd Vriam & Zachariam testes adhiberi iusserit, vt citò diripiat spolia. Apposuit etiam: *Adeſt enim*: testatur etenim lex, & porrò sanctorum Prophetarum prædictio, Christum natum Satanam spoliasse, & vasa eius diripuisse, hoc est qui Satanæ aliquando adoratores erant, suos fecisse.]

In eundem Isaiæ locum, per occasionem incidens idemmet S. Cyrillus homil. 17. Pasch. hæc insuper habet. [Nouus & magnus est liber, quia ipsum quoque nouum est Christi mysterium, atque omnium confessione magnum, vt ait beatus Paulus. Scribitur deinde hominis stylo: sermoni siquidem habendo de diuinitate, si nuda per seipsam, & à carne seiuncta spectetur, facultas dicendi nostra minimè sufficit, quæ nec ea percipit quæ supra mentem sunt, nec ea quæ supra orationis facultatem posita sunt, explicare nouit. *Gloria namque Dei celat sermonẽ.* Postquam verò factus est homo, Vnigenitus Dei Verbum, & in nobis habitauit, stylo nostro quæ ad ipsum pertinent scribuntur. Illud quoque iam age scilicet contemplemur. Cùm enim præcepisset Prophetæ Deus, vt librum caperet, quæque in ipso erant stylo nostro conscriberet, ad Prophetidem accessit. Quid porrò est illud, *Accessit*? Hoc congrediendi legem, figurata similitudine expressit. Prophetidem verò sanctam Virginem apellat. Prophetauit enim concepto Christo. Subijcit deinde; *& concepit & peperit filium*: cui etiam imponit nomen, non quod rursum proprie in hominem quadret, sed quod ex præstantissimis actionibus soli conueniat Deo. *Voca*, enim ait *nomẽ eius, velociter ſpolia, citò prædare.* Namque vt confestim genitus est cælestis ac diuinus Infans, adhuc quidem detinebatur in cunis, & sinu Matris, ob humanam naturam: sed cum esset etiam natura Deus, infinita eius vis detraxit illicò Satanæ vasa.] En igitur vt S. Cyrillus, Deiparam agnoscit pro libro grandi, in quo Dei Verbum stylo hominis à Spiritu sancto est exaratum. Eo etiam respexit S. Ephrem initio laudationis Deiparæ, eam vocans *chartam diuinissimam.*

Verbi in eo libro scriptor, Spiritus sanctus.

254. Scripsit sanè in hoc libro Spiritus sanctus. Neque enim viri vllius opus est hæc scriptio: Communiter quidem homines scribuntur in maternis libris à patribus: Vnde etiam homo deleri dicitur cum moritur, quasi exarati quidam per Scripturam apices, vt S. Ambrosius l. de Noë & Arca c. 13. pulchrè notauit, Non ita Christus à Patre quopiam terreno scriptus est in materno libro. Hoc si quis effutiat, mendacij arguetur ab eodem Isaia c. 29. Quod enim ibi Isaias ait de libro signato, quem cum dederint scienti literas dixerintque, *lege iſtum, reſpondebit; non poſſum, ſignatus eſt enim; & dabitur liber neſcienti literas, dicetur que ei; lege, & reſpondebit neſcio literas*: Hoc Gregentius in disputatione cum Herbano Iudæo, in colloquio secundæ diei *initio*, sic interpretatur. [Quid aliud liber sigillo obsignatus, quam Virgo & Dei genitrix? Quis ille vir? Iosephus faber. Quid quod & litera scienti, id est, qui alijs nuptijs cum aliâ coniuge congressus est, de qua liberos sustulit; Quid autem quod is diuinam tabulam, nempe librum legere non potuerit; id est, cum ipsa Virgine commiscere non potuit, ex Deo intelli-

gens, quod hæc Domino Iesu esset clausa & reseruata incorrupta, & integra, vt de Spiritu sancto Deus carnem ferens, & mortalis hic secundùm essentiam ex ipsa nasceretur.] Verùm errat Gregentius quoad Ioſephi alterum coniugium. Meliùs absque ea labe eundem Isaiæ locum, interpretatus est de B. Iosepho Damascenus orat. 1. de Natiu. Deip. sic enim scribit. [Is qui omnia efficit Deus Verbum, quod Pater è pectore eructauit, librum nouum condidit, Dei lingua à Spiritu, tanquam calamo quodam in ipso conscribendum: qui quidem homini literarum perito datus est, nec tamen ab eo legitur. Neque enim Ioseph Mariam cognouit, neque ipsius mysterij potentiam.] Admittit Ioſephum dici literarum peritum, id est idoneum ad opus nuptiarum. Negat tamen in illud opus incubuisse vnquam, quia Virgo semper mansit, & quidem ex voto, vt alibi est dicendum. Orat. item 2. de Assumpt. idem Damascenus, Deiparam vocat [librum nouum, cui inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manûs operam inscriptus est.] Manum vocat, viri operam, nam tametsi habuit Deipara virum, is tamen vt iam ex Damasceno diximus, nesciebat formare literas, seu scribere. Et accipi *manus* pro opere nuptiarum in scripturis, obseruat S. Hieron. epistola 21. Præiuerat Greg. Taumat. orat. 3. de Annunc. qui eodem prorsus modo, librum, & libri obsignationem & traditionem eius homini nescienti literas, hoc est Iosepho à coniugij opere abhorrenti, interpretatur.

Calamus, & liquor ad scribendum.

255. Scripsit itaque in libro Deiparæ Verbum hominem, Spiritus sanctus, idemque scriptor fuit & calamus. Quidni enim idem statui queat manus & calamus, si idem est apud Dauidem Psal. 44. lingua, & calamus? Quod si calamum quoque Verbum dicas, non refugio. Et dixerunt sanè Cyrillus & Ambrosius, ille libri primi de adorat. *pag. 6.* Deum Patrem, scriptorem; digitum, Spiritum sanctum; calamum, Verbum interpretatur; nostrum omnium pectora, epistolas quibus Deus sensa sua & placita inscribit, non atramento, sed spiritu, vt 2. Cor. 3. dixisse Apostolum obseruat Cyrillus. Ambrosius etiam concinniùs l. 6. in Lucam ad illud, *arundinem vento agitatam*; calamum enim illum velociter scribentem cuius est Psal. 44. mentio, interpretatus hominem ex Dei motione operantem, subdit, alios id ad Christum referre maluisse; nimirum S. Atanasium cuius hoc fragmentum in Nicetæ Catena Græca in Psalmos, legitur ad Psal. 44. [Christus est Rex ille, cui opera sua pater exponit. Potrò quem *Verbum* dixit, hunc *linguam suam* quoque appellat: eò quòd nihil aliud quàm Patris voluntatem loquatur. Nam etiam inter homines, lingua mentis sensa alijs quasi transfretat. Dicitur quoque *Calamus scribæ citi*, quod quæ loquitur, illicò etiam in effectum deducit: quemadmodum produnt illa, *Mundare*, & statim mundatus est: *Iuuenis, dico tibi surge*; & statim exsurrexit. Quamquam etiam in cordibus nostris inscribat voluntatē Patris. *Voluntas* autem *Patris est*, vt ipsemet ait, *vt omne quod mihi dedit, nihil pĕrdam ex eo* Velox verò est calamus Patris. Lex namque Mosis, per ductus literarum perobscurè significauit ea, quæ ad vtilitatem hominum faciunt. Saluator verò communis, in compendio demonstrauit nobis voluntatem Patris.] Huic interpretationi, ipse quoque S. Ambrosius quem adducebam, non grauatè accedit, subdens. [Vno igitur loco, & Verbum, & calamus legitur & scriba. *Verbum*, quia de genitali Patris processit arcano. *Eructauit cor meum, Verbum bonum. Calamus*, quia cato Christi paternæ seriem voluntatis expressit, & linguæ mandata Diuinæ sacri effusione cruoris implenit. *Scriba*, quia calamo suo diuidua quadam distinctione, Noui & Veteris Testamenti, vel diuinitatis & carnis, paternæ nobis dispositionis mysteria reuelauit.]

256. Vides calami Christi crenam; duplicem inquam naturam, vno calami trunco, vni inquam personæ consertam? vides etiam liquorem ex hoc calamo defluentem, non atrum esse, sed rubrum. Nam & Imperialis ac Regia charta est, quæ hoc calamo conscribitur; quam pro veteri Imperatorum more, encausto conscribi oportuit; id est liquore ex conchylij cruore ad id munus trito, decocto, & variè aptato, vt habetur l. *sacri* C. de diuers. rescript. & apud Niceram declaratur lib. 1. & 6. de vita Manuelis Imperatoris & apud Brissonium V. *encaustum*. Cinnabarim à coloris similitudine, vocat Gregorius II. scribens ad Leonem Isaurum. epistola 1. Reuera tamen erat ex cocti muricis & triti conchylij mixtura, purpuramentum veriùs quàm atramentum, asseruatum in caniculo id est atramentario specie caniculi: Vnde *præpositus caniculi* primarius à secretis, qui illud quod dixi purpuramentum ministrabat, & scribebat phœnicias literas, id est si quid ad nomen adscribendum erat, manu sua exarabat, vt habet Anastasius ad octauam Synodum actione 10. Verbi igitur calamus, in Deiparæ libro, non minùs quàm Spiritus sanctus scripsit rubro liquore, id est humano sanguine ex quo Christus per Verbum & Spiritum sanctum compactus est; quatenus Verbi Diuini & Spiritus sancti, vna & communis est operatio externa; cuiusmodi est ista; etiamsi solennius sit, eam peculiariter tribui Spiritui sancto, quia opus est insignis amoris & charitatis in humanum genus: cuiusmodi opera Spiritui sancto, quia via amoris procedit, peculiariter tribuuntur iuxta communem vsum, hausturn ex ipsis Scripturis. Calamum & eius crenam, Zeno sermone de somnio Iacob, ad duo Testamenta Christum vnum exhibentia scitè refert, quòd vt duplici calami fissi capite, vna litera ita pingitur, vt alterutrum caput non sit ad pingendum satis, sic duplici testamento Christus conscribatur in cordibus. Sed quod dixi, est valdè commodum.

Nolo circa calamum scribentem velociter, præterire Rupertum. Eius hæc est concinnissima sanè ratiocinatio in hanc rem lib. de læsione virginitatis cap. 13. [De opere illo mirabili gratuletur atque glorietur rectè Pater laudabilis. *Eructauit*, inquiens, *cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea regi; lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quod ita rectè valet intelligi, secundùm similitudinem alicuius boni & sapientis hominis, qui dicere possit. Sapientiam meam occultam esse nolui, sed assumpta & benè polita pelle ouis aut vituli, atque adhibito calamo, qualem habēri sensum, vel scientiam tacito corde conseruatam, diligenter conscripsi, vt videre & legere possent alij quique dociles ac beneuoli, qualibus prodesse potest thesaurus desiderabilis qui requiescit in ore sapientis. Secundùm inquam hanc similitudinem fecisse Deus Pater intelligitur, ex præscripto capitulo Psalmi. Nam vt est Omnipotens, omnipotenter naturam humanam, id est, corpus hominis, & rationalem animam formauit in vtero S. Virginis, & optimè poliuit, id est, ita concipi fecit, vt nihil hispidum aut pilosum haberet illa naturæ nostræ pellicula de vetustate peccati Originalis. Tunc adhibita lingua sua, id est mirabili opifice Spiritu suo, tanquam calamo scribæ velociter scribentis, totum Verbum suum. Verbum bonum, Sapientiam suam, sapientiam sibi coæternam, illi creaturæ, id est rationali animæ, penitùs inscripsit; tam velociter, tam plenariè, tamque veraciter, vt nihil sibi desit de omni thesauro illo, qui requiescebat, & requiescit adhuc in corde eiusdem Patris sapientis. Nam licet illuc intromissum sit, nihilominus tamen remānsit omne Verbum & permanet in corde Patris multò certiùs, atque constantiùs,

stantiùs, quam remanet in corde tuo verecundus tuus, postquam illum ceræ vel membranæ inscripseris.]

Stylus hominis quo liber conscriptus est, iuxta Isaiam.

257. Vnum est quod considerandum restat in Isaiæ proposita prophetia; nempe *stylus hominis*, quo conscribendum librum dixit Propheta *stylo hominis*. S. Epiphanius hæres. 30. dictum putat, *imagine hominis*; quod scilicet homo expressus sit in hac charta. Neque verò imagine nuda, quæ mera esset repræsentatio. Sed adiunctam habente veritatem. Possumus etiam conscriptum librum stylo hominis accipere, de scriptione facta vsu nobis naturali, & humano more: verè enim si viri operam iam excusam remoueas, & tarditatem quam Spiritus sancti interuentus abiecit; Christus quod ad materæ cooperationem attinet, productus est humano more ac ritu, qua de re suo loco infra plenius lib. 3. Addo etiam, stylum hominis seu naturalem scriptionis modum in hac verbi scriptione seruatum esse. Scribendi enim modus naturalis, non est à latere ad latus, siue à sinistra ad dexteram, vti nos scribimus Latinorum & Græcorum vsu; siue à dextera ad sinistram vt Ægyptijs & Hebræis mos fuit βόστροφον dixere Græci ex Sexto Pompeio; siue lineas nunc dextrorsum nunc sinistrorsum agendo, & verè versus conficiendo vt aratores, quod à quibusdam populis incommodissimè præstitum tradit Pausanias: sed naturalis scribendi modus esse videtur, à summo ad imum, quod ingeniosum Iaponem in B. Xauerij Epistolis dicere memini, cum rogatus eccur ipsi nostrum scribendi morem non vsurparent; nec in latum, sed in longum scriptionem producerent, quod etiam Chinenses faciunt; respondit, quidni verò vos potiùs nostrum scribendi modum quippe naturæ conformem amulamini? stylo igitur hominis, & admodùm secundum naturam, scriptum est Dei Verbum in carne, eum à summo deorsum processit scriptio, quod tanta Verbi depressio plus satis confirmat.

Alia Verbi Dei scriptio, dimissa. Vsus doctrinæ.

258. Considerani hoc loco eam duntaxat verbi scripti analogiam, quæ cortici nudo scripturæ inædificatur. Aliam præterea instituit Orig. initio homiliæ 1. in Leuit. quam eius verbis expressisse, sat fuerit. [Sicut in nouissimis diebus Verbum Dei, ex Mariæ carne vestitum processit in hunc mundum; & aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur; carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & delectis dabatur diuinitatis agnitio: ita & cum per Prophetas vel legistatorem, verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur, vt litera quidem aspiciatur tanquam cato: latens verò intrinsecùs spiritalis sensus, tanquam diuinitas sentiatur.] Affinia habet S. Bern. serm. ad Milites Templi cap. 7. Verùm optimè S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 12. §. 9. tanto antecellere ait scriptionem Verbi Dei in libro Deiparæ, scriptioni verbi Dei in sacris Codicibus, quanto liber viuens antecellit emortuis apicibus. Agnoscit tamen (& meritò) laudabilem analogiam inter vtrumque hunc librum; cum ex eo capite quod proximè ex Origene retigimus, tum ex alijs quæ apud eum legere licet.

Quomodocunque verò spectetur Christi cum libro analogia, en verè quod de S. Pauli pectore scriptum est à Chrysostomo hom. 32 in ep. ad Rom. *Volumen charitatis*. Planè enim aliud non est Christus, quàm liber, digitalibus literis expressam continens Dei erga nos charitatē. Exponit de Christo S. Bernardus serm. 1. de Paschate. librum sigillis septem obsignatum, de Christo Domino & multiplicibus incarnati Verbi mysterijs. Hic verè liber vitæ agni, in quo quisquis conscriptus non fuerit, extraneus habebitur à populo Dei. Legamus assiduè librum hunc, & per singulos gradus nostros pronuntiemus illum. Emendemus ad hunc librum quippe emaculatissimum, conscientiarum nostrarum libros, ne fortè in vltima discussione abijciantur & exurantur si sic emendati non fuerint. Monitum est autoris libri de conscientia apud S. Bernardum c. 9.

CAPVT III.

Verbum vestitum.

259. Ad huius emblematis propositionem, præmittendum est, Adamum protoplastum, fuisse Verbi incarnati imaginē. Eò enim spectat quod Rom. 5. Adam dicitur *Forma futuri*; hoc est Christi: qui etiam ideirco dicitur *Adam secundus*, vel *homo secundus*, quod eum multipliciter expresserit Adam primus; partim per dissimilitudinem partim per similitudinem vt Gugneius benè obseruat in c. 5. citatum. Per dissimilitudinem quidem, aut vt D. Augustinus loquitur l. 2. de nupt. c. 27. *a contrario*, quia sicut Adam est fons mortis, ita Christus est fons vitæ. Et sicut per proprium Adæ peccatum maligne in nobis fructificans, etiam exclusa voluntate propria, nascimur natura filij iræ, sic per Christi gratiam, etiam nostris meritis exclusis, ad primam gratiam sanctificantem admittimur. Per similitudinem verò, quia sicut Adam fuit caput & vir Euæ, ita & Christus Ecclesiæ. Et sicut omnes sumus in Adamo generati, sic & omnes in Christo regenerati. Adam procreatus est de terra virgine nondum vomere compressa, nondum à semente subacta, nondum maledicta; Christus ex Virgine benedicta. Eleganter in hanc rem disserit S. Iren. l. 3. c. 31. & Tertull. lib. de carne Christi c. 17. [Dormit Adam, vt fiat Eua; moritur Christus, vt fiat Ecclesia: fit Eua de latere, mortui Christi lancea perforatur latus, vt profluant Sacramenta quibus formatur Ecclesia. Vnde meritò Apostolus, ipsum Adam, dicit formam futuri.] Est sententia apud Prosperū 329. deprompta ex Augustini tract. 9. & 15. in Ioan. Hæc quod vbiuis prostent, non placet fusiùs persequi.

Adam post peccatum vestitus, Verbi carne amicti, imago.

260. Illud potiùs spectandum & expendendum est ad rem propositam, quod præclarè ab Anastasio Sinaita expressum est l. 9. & 10. Hexaēm. præter alias pleraſque Christum inter & Adamum similitudines ac antitheses quas proponit. Adamum scilicet dupliciter consideratī posse. Primò nudum, qualis erat ante peccatum. Secundò vestitum, qualis fuit posito peccato. Deus enim miseratus, hominis iam obnoxij tot incommodis, sortem deterrimam, vestiuit eum tunica pellicea. Priorem statum ait Anastasius, fuisse statum Verbi ante Incarnationem. At vbi propter peccatum facta est incarnatio, ventum est ad vestimentum & posteriorem statum Adami. Laciniam vnam & alteram, ex longiore Anastasij oratione decerpo.

Libro 9. *ferè initio*, monstrat imprimis Anastasius, hærendo in solo literæ cortice, ægrè exponi posse de primo Adam, quæcunque habet sacer textus. [Cum latitudo paradisi sit magnitudinis incōprehensibilis, adeò vt abundantia eius irrigationis, efficiat quatuor fluuios vniuersam propè terram irrigantes, quomodo ille cum sit solus, ligone, rastro, & aratro exercuerit terræ operationem? Quomodo autem custodiebat, cum

cum neque essent fures, neque viri, & bestiæ omnes & reptilia iussa essent simul cum eo vesci, & omnibus, fructibus qui nascuntur è terra, vt quæ à Deo factæ, sint cum homine participes & cohæredes fructuum, sicut à nobis breuiter iam antea dictum est?Sed & omnes bestiæ & volucres subijciebantur Adamo.] Hinc ita ad Christum delabitur. [Quando ergo audieris quod Deus infert Adamum ex quodam loco ignoto, & qui nec potest explicari nec comprehendi, solum nudum & incompositum in paradisum, & induit eum intus pellicea tunica carnali: & ad eum adducit bestias intrà, quæ ante eius ingressum erant foris; per hæc omnia nihil est aliud prædictum, nisi quod Deus Verbum, qui priùs erat nudus, & incompositus, Patris voluntate & cooperatione, ex loco ignoto, & qui explicari non potest, nempe Cherubino throno, ingressus est in paradisum Ecclesiæ, ad operandum ipsum & custodiendum; & carne suscepta accepit tunicam nostræ essentiæ, nempe hominem quem finxit & vnitus in hypostasi. *Non enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, quando accepto carnis linteo seipsum accinxit, non ab alio ei impositio: Seipsum enim carne induit, absque semine humano.]Rursus optimè l.10. *non multum ab initio*, in expensione illius loci: *Et erant ambo nudi*, sic scribit. [Quomodo nulla alia natura à Deo facta nuda, opus habuit tegumento, nisi solus homo? Nam & Angeli, & feræ, & iumenta, & volucres, & quadrupedes, & maximè reptilia à Deo creata sunt nuda. Neque vllum ex ijs à Deo fuit indutum, nisi solus homo. In ipsis ergo protoplastis nudationem intelligis? idque simul & typicè, & præfiguratiuè à Deo factum esse in Christo & Ecclesia in initijs. Non enim qui omnem essentiam tam ratione præditam, quàm expertem rationis, est fabricatus per se indutam, non poterat facile efficere hominem non egentem integumentis. Sed quoniam Deus Verbum qui erat ab initio nudus, & incompositus, à Deo erat componendus, & induendus pelliceam nostræ carnis tunicam, caro factus & habitans in nobis, ideò Deus Adam hominem secundi Adami prototypum nudum condidit, & eius coniugem mulierem.] Subdit paulò pòst, id factum esse occasione peccati: sicut enim Adam ante peccatum nudus erat, & nisi peccasset nudus permansisset; ita Verbum quia positum est peccatum, pudoris materiam subijt, & nostra pellicea tunica se vestiuit. [Concinit S.Bernardus serm.28. in Cant. tractans illud de pellibus Salomonis. [Habet & Salomon nigredinem sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intùs. Alioquin omnis gloria eius filiæ Regis ab intùs. Intùs diuinitatis candor, decor virtutum splendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tegit hoc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus eius & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Agnosco denigratæ formam naturæ. Agnosco tunicas illas pelliceas, protoplastorum peccantium habitum. Denique semetipsum denigrâuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.] Quidni verò huc referre liceat, quod Deus circumdata Adamo veste pellicea, dixisse refertur. *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis:* Nam quamuis ad sarcasmum & amaram derisionem humanæ insaniæ quæ sicut Deus esse quæsierat, plerique ea verba adhibeant, & contrarium sensum grauiter damnet Prosper l. contra collatorem c.21. tamen Tertull.l.2. in Marcio. cap.25.& Richardus Victorinus l.1.de Emanuele c.19. accipiunt ea verba tanquam seriò dicta, ad prænunciationem & expressionem Incarnationis, qua posita Adam futurus erat similis Verbo incarnato.

Corpus, vestimentum animæ, in quouis homine.

261. Hæc vt meliùs disspiciantur, constetque meritò Adamum vestitum, proponi pro emblemate Verbi incarnati, statuendum est nouum non esse in Scripturis, vt caro nostra & corpus, vestimenti nomine signetur. Versat id latè S.Gregorius 9. moral.c.29. tractans illud Iobi 9. *abominabuntur me vestimenta mea.* [Quid enim (inquit) vestimenti nomine, nisi hoc terrenum corpus exprimitur, quo induta anima tegitur, ne in subtilitatis suæ substantia nuda videatur. Hinc etenim Salomon ait: *Omni tempore sint vestimenta tua candida:* id est membra corporis à sordibus actibus munda. hinc Esaias ait; *Vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem.* Sanguine quippe vestimentum miscere, est desiderijs carnalibus corpus inquinare. Quibus nimirùm se pollui Psalmista formidauerat, cum dicebat. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Hinc voce Angeli ad Ioannem dicitur: *Habes pauca nomina in Sardis quæ non inquinauerunt vestimenta sua.*] Egregiè S. Ambrosius l.5. in Lucam tractans laudem Ioanni à Christo depactam, eò quòd mollibus vestimentis indutus non esset, negat aliud ibi vestimentum quàm corpus à Christo propositum. [Non hic (inquit) Domini sermo de vestibus, quanquam pleroſque mollioris cura vestis effæminet, qui quasi lanæ onus ferre non possint, sericas vestes tectis per terram verrunt vestigijs, vúque faciunt, vt amictus honori sit. Sed tamen alia videtur hic indumenta signare, & nisi fallor, humana corpora, quibus anima nostra vestitur.] Origenem enotat de Deo sartore & pellifice erubescentem, tunicas pelliceas quas Scriptura à Deo confectas primis coniugibus memorat, interpretatum esse, corpora quibus post peccatum vestitæ sint animæ: quod tametsi ad literam falsò dicitur, reijciturque decem rationibus à Methodio apud Anastasium lib.11.Hexaëm. & à Ruperto l.3. in Genes. c.27.tamen confert ad intelligendum, quod hic agimus: dici scilicet corpora, indumenta & vestes animorum.

Humanitas vestimentum Verbi, in Christo.

262 Ista generatim. Specialiter verò sanctam Christi carnem, dictam esse vestem, non animæ modo, sed & Verbi, ipsamque integram Christi humanitatem, vestimentum Verbi in Scripturis & apud Patres nominari, est frequentissimum, S.Ambrosius pulcherrimè id tradit loco proximè signato ex l.5.in Lucam, verbis illis. [Ioseph tunica ad speciem Dominici corporis cruentata est.Et Apostolicũ illud, *Exuens se carne, principatus & potestates omnes traduxit*, quid aliud ostendit nisi vice indumenti corpus fuisse, quo se ita expoliauit Dominus in passione, vt diuinitas libera immunisque maneret iniuriæ?] Apostolus quidem, eo loco quem refert S.Ambrosius, ex Colosſ.2. iuxta vulgatam editionem sic loquitur. *Tollens quod aduersus nos erat chirographũ decreti, ipsũ tulit de medio affigens illud cruci & expoliãs principatus & potestates, traduxit cõfidenter palam triumphans illo in semetipso.* Iuxta hanc lectionem, sensus est, Christum spoliasse principatus tartareos arrogata sibi in genus nostrum potestate: Et plurima ignominia affectos, ostentasse omnibus, palamque traduxisse iam prostratos. Ambrosius tamen & loco notato, & l.3.de fide c.2. spoliationem illam Christo tribuit; quem ait triumphasse de hostibus, exuentem se carne; vtique tanquam vestimento Verbi.

Petrus Dam. ser.46.rubrum indumentum cuius est apud Isaiam mentio c.63 interpretatur Christi carnem, sanguine illitam. [Hunc (inquit) vindemiatorem, cruentum per crucem passionis sanguine, longè ant Esaias prospexerat, cum prophetico plenus spiritu, sub

inter

interrogatione clamabat; *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Et paulò pòst: *Quare ergo rubrū est indumentū tuum, & vestimentū tuum sicut calcantium in torculari?* Indumentum quippe Christi, nihil est aliud nisi corpus quod sumpsit ex Domina & Virgine Maria. Nec tamen aliud est vestimentum eius, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum, caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro qua vestimur. De hoc vestimento per Ioannem dicitur: *Habebat in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum & Dominus dominantium.* Per femur quippe, propagatio carnis fit. Qui ergo per propagationem generis humani in mundum hunc venit ex Virgine, & per incarnationis suæ mysterium, quia Rex esset & Dominus, cunctis gentibus indicauit, in vestimento, & in femore scriptum habuit, Rex Regum & Dominus dominantium. Vnde enim mundo innotuit, ibi scientiam suæ Maiestatis inscripsit. Hoc autem indumentum, rubrum Prophetæ apparuit, quia Redemptor noster proprium pro redemptione nostra sanguinem fudit.]

Euthymius Matth. 27. vestem desuper contextam per totam, à B. Virgine vt fert traditio, elaboratam, interpretatur Christi humanitatem, qua Verbum vestitur.

Veteres varij in eam rem typi.

163 Neminem verò fugit, qua ratione grauissimi Patres, hœdinas pelles, quas non ad mendacium, sed ad mysterium ex Augustino l. de mendacio c. 10. mater Rebecca Iacobo filio circumdedit, inter pretentur corpus Christo aptatum; ita vt per alienas illas vestes hœdinas, signatum sit, quorsum Christus humanitate se vestiuerit, & in similitudinem carnis peccati amictus apparuerit. Sanè D. Augustinus suprà, opertum hœdinis alienis pellibus Iacobum interpretatur Christum, qui non sua sed aliena peccata portauit. Appositissimè ad rem præsentem Prosper l. de promiss. parte 1. c. 21. minutè & fusè omnia facti illius adiuncta Christo accommodat. S. Bernardus optimè serm. 28. in Cantica. [Agnosco sub pelle hœdi (qui peccatum significat,) & manum quæ peccatum non fecit, & collum per quod mali cogitatio non transiuit: ideoque non est inuentus dolus in ore eius. Noui quod sis lenis naturâ, mitis & humilis corde, blandus aspectu, suauis spiritu. Et quidem vnctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vnde ergo nunc instar Esau pilosus & hispidus? Cuiusnam rugosa & tetra imago hæc, & vnde hi pili? Mei sunt. Nam pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris. Meos agnosco hoc pilos, & in pelle mea videbo Deum Saluatorem meum. Non tamen Rebecca sic illum induit, sed Maria; tantò digniorem qui benedictionem acciperet, quatiò sanctior quæ peperit. Et benè in meo habitu: quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hæreditas. Siquidem audierat; *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionē tuam terminos terræ.* Tuam, inquit, hæreditatem, tuamque possessionem, dabo tibi. Quomodò dabis ei, si sua est? Et quomodò suam mones vt postulet? Aut quomodò sua, si necesse habet vt postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, vt suscipiat causam. Quippe disciplina pacis nostræ super eum, dicente prophetâ; *Et Dominus in eo posuit iniquitatem omnium nostrum.* Vnde debuit fratribus per omnia similari, sicut ait Apostolus, vt misericors fieret. Propterea vox quidem, vox Iacob, manus autem, manus sunt Esau. Suum est quod auditur ex eo; quod in eo videtur, nostrum. Quod loquitur, spiritus & vita est: quod apparet, mortale & mors.]

Sed breuiter ac penè S. Isidorus Peluſiota l. 1. epist. 193. [Iacob (inquit) hœdorum pellibus contectus, ac paternam benedictionem consequutus, Dominum ac Saluatorē nostrum significauit, qui peccato obnoxiam naturam citra peccatum suscepit, ac vitiosos ipsius affectus, in seipso interemit; (hoc enim mortuarum pellium indumentum designat.) Quandoquidem nihil iam hœdinum, ac sinistro latere atque condemnatione dignū, in natura reliquit: Verùm terrenis ipsius membris morte affectis, Patris, perpetua salutis nostræ fame flagranti, gratum ac suauem cibum obtulit, nobisque in seipso nunquam eripiendam benedictionem, fontis in morem protulit.]

Vestem etiam polymitam Ioſephi, S. Ambrosius l. de Ioseph. c. 3. carnem interpretatur, indumentū diuinitatis. [Vt Dominicæ (inquit) passionis figuram aduertas, ait Iudas Patriarcha. *Tradamus Ioseph Ismaëlitis; manus autem nostræ, non sint inuectæ super eum.* Et bene superiùs dixerat: *manus autem nolite inferre illi.* Quod Iudæi in Domini Passione dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquā, vt sermo Iesu impleretur, significans qua morte moriturus esset.* Iam tunc ergo futuræ crucis præfigurabatur insigne, simul & quod exutus est tunicam: id est, carnē quam assumpsit, exutus est, decoram diuersitate virtutum. Ergo tunica eius, id est, caro, non diuinitas, cruentata est; & indumentum ei carnis, non immortalitatem vitæ auferre potuerunt. Hanc tunicam Iudaicæ bestiæ cruentauerūt, illæ de quibus dicit: *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.*

Ad idem, loca illustria ex nouo Testamento.

164 Sed quid hæreo in Scripturæ locis non adeò manifestis, cum extent apertissima, in quibus caro Christi, siue eius sanctissima humanitas, vestimentum Verbi appellatur, non iam Per ambages, sed in actu signato, & verbis conceptis? Nonnulla signat, Armacanus l. 5. de qq. Armenorum c. 16. Vnum dumtaxat præterea aut alterum signabo. Apostolus Hebr. 10. cohortans fideles ad fiduciam in Christum concipiendam, sic eos affatur. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamē, id est carnem suam; & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde.* Abusos esse *veli* nomine aptato humanitati Christi quosdam hæreticos, vt humaniratem esse quid imaginarium dicerent habetur ex Theophane Nicæno ad calcem epistolæ primæ, vbi Cōsaluus Ponicius hos hæreticos existimat fuisse Eutychianos. Eo tamen impio sensu ablegato humanitatem & carnem Christi dici velamen diuinitatis, receptissimum est. Scio S. Thomam ibi lect. 2. existimare, hæc verba quibus caro Christi *velamen* appellatur, accipi posse de carne Christi data nobis sub velamento specierum: quæ est etiam interpretatio Turriani l. 2. de Euch. c. 10. tacta antea à Theodoreto ad hunc locum, & in S. Iacobi liturgia. Quia tamen caro Christi in Eucharistia, velatur potùs per species, quàm velet quippiam; simplicius videtur, (quod etiam habet D. Thomas,) existimare, carnem Christi extra Sacramentum, significatam esse ab Apostolo nomine velaminis Verbi: ita vt quemadmodum sacerdos per velum intrabat in Sancta Sanctorum, ita nobis per Deitatis velum, siue per Christi carnem quæ verè est via noua & viuens; (nisi viuentem interpretari malimus, herbidam & mollem,) subeundum sit in gloriā, & vera Sancta Sanctorum. Locum præterea ex Apocal. 19. quo Verbum dicitur apparuisse vestitum veste aspersa sanguine, S. Hippolytus contra hæresim Noëti de carne Christi interpretatur.

365 Illustrissimus, idemque celebertimus, quippe quo omnem hæresim contritam, speciatim monstrat ibi Theodoretus; planè verò eximius in rem nostram locus, habetur Philipp. 2. vbi Apostolus Christianos vrgens ad ponendum tumorem, & consec-

tan

ctandam ex animo demissionem, omnesque superiores sibi inuicem arbitrandos, vt Isido. Pelus. l.4. epist. 22. rectè vidit, proponit exemplum Verbi incarnati, dicens. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsũ exinaniuit formã serui accipiẽs in similitudinẽ hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.* *Habitus* hic, idem est ac vestimentum, vt grauissimi Patres tradunt: Quanquam S. Chrysostomus, eumque de more sectati Theophilactus & Oecumenius, *habitum* sumi hic dicunt pro externa specie ac figura; ita vt sensus sit, Christum spectata sola figura corporis exteriore, visum fuisse vnum de turba, cum tamen esset Deus: Aut visum esse verum hominum, idque potuisse ex figura verè humana. Quò accedit quod Elias Cretensis ad 1. Nazianzeni orationem *habitu inueniri vt hominẽ*, sic interpretatur. [Hæc dictio σχήματι, idem est quod *in carne*; carnis enim proprium est, figuratum esse.] Nihilominus vox græca *schematis*, fert aptissimè vestimenti notionem, vt agnoscit S. Cyrillus l. 11. in Ioan. c. 14. & perspicuè idem voluit vulgatus interpres, qui eam vocem vertit *habitu*; voce in communi vsu vestem signante. Estque ea vocis illius acceptio, communis Latinorum hujus loci interpretum, & Patrum attingentium eum locum: quos inter accuratè S. Augustinus q. 73. ex 83. vbi Græcam vocem σχῆμα qua hîc Apostolus vsus est, rectè expressam esse ait eo *habitus* nomine, quod in res extrinsecùs accõmodatas, cõflantesque vnum quoddã genus habitus, ibi memoratum eadit; hoc est, non eorum quæ non mutantur à nobis, sed ipsa nos mutant, vt habitus animi; nec item eorum quæ & mutant & mutantur, vt cibis accidit; nec denique eorum, (si tamen vlla sunt eiusmodi,) quæ nec mutant nec mutantur: sed eorum quæ non mutant, mutantur tamen; cuiusmodi est vestis. Nam induta, accipit formam quam nõ habebat exuta, membris in suo semper statu manentibus. Cum ergo Apostolus (ait ibi S. Augustinus) de Vnigenito Dei Filio loqueretur, quantum pertinet ad eius diuinitatem, secundùm id, quod verissimus Deus est, æqualem dixit esse Patri; quod non ei fuit tanquam rapinam, id est, quasi alienum appetere. si semper manens in ea æqualitate, nollet hominem indui, & homnibus vt homo apparere: sed semetipsum exinaniuit, non formam suam mutans, sed formam serui accipiens: neque conuersus, aut transmutatus in hominem, amissa incommutabili stabilitate, sed tanquam verum hominem suscipiendo, ipse susceptor in similitudinem hominum factus, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit; habitu inuentus est vt homo: id est habendo hominem, inuentus est vt homo. Non enim poterat inueniri Deus, ab ijs qui cor immundum habebant, & Verbum apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiendo quod possent videre, & per quod ad illud lumen interius, ducerentur.]

266. Quare Christum in forma Dei priùs existentem, inuentum esse habitu vt hominem, idem est quod Christum quatenus Verbum, non rapinam arbitratum, esse se æqualem Deo, voluisse seipsum exinanire, formam serui accipiendo, & similitudinem nobiscum per vnionem humanitatis nostræ ad suum suppositum acquirendo. Quamuis enim ob vnionem naturæ nostræ ad Verbum, nihil Deo decedat, maneatque Deus semper plenus & exuberans, in forma sua diuina; tamen suppositum quod à tanta plenitudine, ea licet non abiecta, transit ad tantam inopiam quanta est in humanitate; ita vt verè quæ hominis sunt ei tribuantur, rectè dicitur exinanitum, quatenus vt humanitatis egentissimæ quam sibi habet copulatam egentissimum euadit, si in hac duntaxat despicatiore natura sua spectetur, in qua caret ijs prædicatis quæ retinet in altera natura. Nam de supposito Verbi ratione suæ carnis, rectè dicitur non esse inuisibile, non esse immortale, non esse æternum, & denique non habens alia diuinæ plenitudinis insignia. Itaque non est quòd recentiores, tam multa sine causa profundant, vt antiquam & receptam tot Patrum interpretationem euertant, qui exinanitionem eo loco, de Verbo ratione alterius naturarum quas terminat, accipiendam esse dixerunt. Præclarè S. Greg. 2. mor. c. 2. [Nec Maiestati iniuriam intulit assumpta humilitas carnis, quia & vt seruanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec diuina humanitate minuit, nec humana diuinitate consumpsit: quia etsi per Paulum dicitur, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*, ei semetipsum exinaniuisse, est, ab inuisibilitatis suæ magnitudine, se visibilem demonstrasse; vt serui forma tegeret hoc quod incircumscriptè, omnia ex diuinitate penetrarret.] Exscripsit hic Gregorium, Hernæus.

Annuit Isido. Pelus. l. 1. epist. 139. qui de Christo ait dici, eum non rapinam arbitratum esse se æqualem Deo, ad differentiam Iouis, qui abdicato per vim Patre, æqualitatem cum eo tapuerat. Hunc ergo natura Dominum omnium, siue Patri æqualem Deum, exinanire seipsum, idem esse ait, quod accessisse ad nos? & omnibus indignitatibus quibus natura per eum assumpta subiacet, obnoxium fieri voluisse; quod quam potens sit huiusmodi humilitatis incentiuum, inxta Apostoli eo loco scopum, idem Isidorus egregiè librat l. 4. epist. 22. Et sanè multo magis arridet mihi ea rapina, quàm aliæ plures ad quas allusum ab Apostolo fuisse, volunt plerique adducti ab Antonio Perez. select. de cruce, parte 1. cap. 5. & 6. Optimè verò inde habitur, quomodò is qui natura sua Deo erat æqualis, exinaniuerit seipsum. Sed & Cyrillus Alex. l. 2. in Ioan. c. 3. exinanitionem Verbi dictam ait, ob carnis susceptionem quod confirmat epist. 1. quæ est ad Solitarios, & in expositione Symboli Nicæni, ac sæpè alibi. Fulgentius item optimè l. de fide ad Petrum c. 2 [Formam ergo serui accepit; neque enim aliud fuit illa summi Dei exinanitio nisi formæ seruilis, id est humanæ naturæ susceptio?]

Vnde petenda humanitatis, quasi vestis, analogia ad Verbum

267. Est igitur exinanitio illa Verbi, idem quod humanitatis susceptio tanquam vestis & habitus. Quod tamen non est ita accipiendum, quasi sicut vestis extrinsecùs tantùm circumdat vestitum absque adhæsione, ita etiam humanitas non adhæreat Verbo aut copuletur cum eo; sed merè extrinsecè ad illud se habeat, qui fuit error Nestorij, quem ex his locis confirmabat quibus humanitas indumentum Verbi nominatur. Putaque Bellarminus l. 2. de Christo c. 7. in hoc Nestoriano sensu, Theodoretum Philipp. 2. dixisse, Verbum non esse factum hominum, sed induisse hominem. Hæc adaptatio vestimenti, ad expressionẽ habitudinis carnem inter & Verbum intercedentis, fusè reijcitur ab Armacano l. 5 de qq. Armen. à cap. 17. per plura capita, disjciturque omnibus illis machinis quibus Nestorij error suprà euersus est. A quo tamen errore purgandum censeo Theodoretum loco qui allegabatur; nempe in expositione verborum illorum *in similitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.* Sic enim scribit. [De Deo Verbo hæc dicit, quod cum Deus esset, Deus non videbatur; vt qui humanam naturam induisset: Ei ergo conuenit illud *vt homo*; susceptа enim natura, verè hoc erat: Ipse antem hoc non erat, sed hoc induerat.] Quod ait Theodoretus, ipsum verbum hoc non fuisse, nempe *hominem*; non spectat ad sensum Nestorianum, quo Deus negabatur esse homo, sed ad excludendam identitatem naturæ Verbi & naturæ

naturæ humanæ ; si enim hæc verba in alio sensu sumantur, pugnabunt manifestè cũ illis alijs verbis. *Suscepta enim natura* (in casu auferendi, hoc est *Incarnatione facta*) *verè hoc erat. Ipsum autẽ Verbum*, in se sumptum & ptovt præexistens assumptioni, *hoc non erat.* Nec damnari iure potest ob ea verba Theodoretus, nisi D. quoque Augustinus damnetur, qui planè gemina habet ad calcem sermonis 23. de temp. sic enim scribit. [*Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, sed vt propter nos fieret quod nõ erat, semetipsum exinaniuit, non formam Dei perdens, sed formam serui accipiens, & per hanc in similitudinem hominum factus, nec propria substantia, sed habitu inuentus vt homo. Hoc enim totum quod sumus, vel in anima vel in corpore, nostra natura est, illius habitus. Nos nisi hoc essemus, non essemus. Ille si hoc non esset, esset vtique Deus, & cum hoc esset, cepit quod non erat; homo factus est, permanens Deus, vt non vnum horum sed vtrumque verissimè diceretur.]

Accommodatio itaque habitudinis indumenti ad vestitum, sumenda est penes alia quædam obseruata ab Herueo Philipp. 2. & à S. Thoma ibidem lect. 2. & 3. p. q. 2. art. 6. Et à Durando in 3. d. 6. q. 4. n. 9. Post S. Athanasium oratione 3. contra Arrianos cũ agit de veste Pontificia Aaronis. Nempe penes accessum ad Verbum absque vlla eius mutatione, sicut vestis applicatur vestito, membris statum suum & formam retinentibus. Item penes hoc, quod humanitas accedit personæ Verbi completæ, eique non inhæret, vt neque vestis vestito. Insuper penes hoc, quod vestis conformatur vestito, & eius formam ac figuram accipit, salua essentia & specie sua. Nam vestis in brachio, est brachium, in thorace thorax. Similiter enim humanitatis ad Verbum adunatione, homo factus est Deus, vel potius vt castè loquamur, vitemúsque correctionem D. Ambrosio adhibitam l. 3. de fide c. 2. Deus factus est homo. Præterea penes hoc, quod per vestem homo videtur; ipsa enim est quæ fere abscondita carne, partim ob necessitatem, partim ob decentiam, vt expendit Rupertus l. 3. in Genesim c. 27. obijcitur contemtum oculis. Homo autem nudus, & incommodissimè haberetur ab aëris cœlique incommodis, & ob naturalem verecundiam progredi in publicum non auderet, quia nec deceret. Pulchrè Hilarius Diaco. apud August. tom. 4. in q. 47. ex Veteri Testamento, tractans locum illum ex c. 4. Isaiæ, *& vestimentis nostris operiemur*: id est (inquit) Creatoris nostri nomine censebimur: quia hoc vnusquisque indutus dicitur, quod est, & profitetur. Denique Senatores vel Officiales, ex vestibus intelliguntur quid sint.]

Fines vestimenti, in humanitate ad Verbum comparata.

268. Verbum igitur, per carnem ipsi vnitam, factum est visibile. Et duos illos, ob quos, vt dixi, vestimenta nobis applicamus, fines expleuit. Nam necessitatem quidem aliquam assumẽdi huius vestimenti, in Verbo, agnoscere licebit in nuditate nostra, quæ aliter tegi nó poterat, iuxta illud S. Athanasij oratione de Ascensione. [Fingit iterum alterum Adamum. Ex natura excitat præfectum naturæ, & materiam ex Virgine mutuatum formatum ad vetissimam imaginem, à seipso effectum fœtum effingit manénsque texta stola in vtero, velut in thalamo regio, inducit imaginem vt imaginis nuditatem velaret;] Quæ nimirum aliter tegi & velari nequibat. Quod manifestum erit, si consideremus, posito quod Verbum satisfactionem pro nobis exhibendam receperit apud Patrem, non potuisse aliter quàm interuentu susceptæ humanitatis id præstare, de quo infrà plenius. Et ipse Christus per Dauidem Psalm. 39. interprete Apostolo Hebr. 10. cum necessitatem hanc agnouisset, dicit Patri ingrediens mundum; *Sacrificiũ & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi: holocaustũ, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.* Apostolus pro verbis illis *aures perfeciſti*; legit *corpus aptasti*: Quæ verba Syrus ita expressit, *corpore vestiuisti.* Iam decentia assumptæ humanæ carnis, potiùs quam Angelicæ vel alterius cuiuspiam naturæ, tacta optimè est à Chrysologo serm. 147. verbis illis. [Si de cœlo sumpsisset Angelum, nihilominùs inuisibilis haberetur. Si de terra minùs homine, & diuinitatis esset iniuria, & deiecisset hominem, non leuasset.] Quare congruentissimè ac decentissimè. [Deus, ad homines per hominem venit, & assumpsit ex nobis, vnde videretur à nobis.

An ea vestis, sit contra decorum, tanquam vilis & sordens.

269. Ex eo tamen capite videri potest, violatum hac in parte decorum, quòd supposita necessitate vestium, seruiendum esse honestati, prudenter censent sapientes; vt idcirco alia vestis diuiti, & viro Principi, alia pauperi ac plebeio sit conueniens. Quæ sensim fuit, vt in cibis, & ædificijs, aliisque, luxus & ostentationis ac superbiæ per hanc necessitatis rimulam subitio, vt egregiè philosophatur Gregorius Nyssenus orat. de mortuis *in fine*: & hom. 3. in Ecclesiasten, & Gregorius Magnus 20. moral. c. 12. & ante eos Philo altero libro de somnijs. Dum enim quilibet consectari se putat quod statum suum ac gradum deceat, nihil prochiuius est quàm vt fines honesti prætergrediatur, & in luxum deficiat. Ex eo igitur capite videri potest non satis in hoc negotio seruitum decori, quod cum vnumquemque pro conditione ac statu suo splendida aut vilior vestis deceat, Imperatorem purpura, Senatorem latus clauus, alios alius amictus conueniens; Deum exquisitissima & supra quam cogitare aut eloqui possimus, pretiosissima & nitentissima vestis decuit, si amiciendus fuit: At quàm sordet vestis nostra carnea? quàm vile & indignum Deo huiusmodi tegumentum? An huc respexit Dauid Psal. 88. agens cum Deo, & humiliter expostulans quod quem toties promiserat de semine suo edendum Christum Domini, præmonstrasset in statu abiectissimo, collisa in terram sede eius, ipsóque ab emundatione destructo; id est pretiosa & nitente ipsique consentanea veste destituto, ac confusione vndecumque perfuso? Sanè quod Zacharias cap. 3. de Iesu Filio Iosedech vestes sordidas præferente retulit, graues Autores ad prænunciationem vestium ignobilium quibus Verbum Dei propter nos indui voluit, pertinere censuerunt. Sic enim Tertullianus l. contra Iud. c. 14. [Apud Zachariam, in persona ipsius, imò & in ipsius nominis Sacramento, verus summus Sacerdos Patris, Christus Iesus, duplici habitu in duos aduentus delineatur. Porrò sordidis indutus est, id est, carnis passibilis & mortalis indignitate.] Origenes quoque hom. 14. in Lucam, vestes sordidas de quibus in hoc loco Zachariæ est mentio, ait esse humanitatem assumptam, de qua etiam exponit illud Luc. 2. *Cum completi essent dies purgationis eorum*: ita ipse legit, & ad Christum æquè ac ad B. Mariam pertinere docet locum illum: non quod in Christo fuerint vlla peccata, sed quod fuerint sordes, id est humanitas nostra passionis cruore oblita, quæ Deo fuit offerenda. Quanquam corrigendus est Origenes, cum paulò pòst ait, has esse sordes de quibus Iob. 15. dicitur. *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram*: Negat enim, peccata in paruulis rationis vsu nondum potientibus esse posse: Et tamen ait, paruulos baptizari in remissionem peccatorum, quatenus à natiuitatis sordibus emundantur. Hic est error exploratus. Verè enim paruuli in remissionem peccatorum propriè dictorum abluuntur baptismo eáque peccata sordes sunt, à paruulo, cuius vel vnius

diei vita sit, detergendæ. Sed hæc alibi. Nunc satis est, quod Origenes Zachariæ locum, & vestes sordidas, accipit in sensu quem tradidimus. Lactantius item 4. Instit.c.14.monstrat,eam prophetiam in Iesum Filium Iosedech cadere non posse, sed omnino esse de Christo, quem Propheta [ostendit primò in humilitate & carne esse venturum. Hæc enim est vestis sordida.]

Imò pretiosissima & nitentissima est, atque adeò Verbum non dedecet.

270. Nihilominùs Prophetam eo loco, vestes sordidas, non ipsam carnem, sed peccata nostra quibus carnem suam quasi grauauit, intellexisse; censuit Iustinus in dialogo cum Tryphone, & Hieronymus Zach.3. ac fusè Eusebius l.4.de demonstr.c.vltimo. Et sanè quamuis omnia nostra, præ Deo, & in comparatione ad eum, sordida ac immunda censeri possint, præsertim caro ac cœnum humani corporis de immundo concepti semine; Tamen Christi carnem, quam Verbi indumentum esse dicimus, mundissimam esse & nitentissimam, ac inter omnia creabilia, supposito Incarnationis scopo,dignissimam Verbo, non difficile erit declare, attentis eius causus internis & externis, quas Proclus laudatione in S.Mariam egregiè complexus est, sic in Deiparæ laudem differens. [Sacra Deipara Maria in vnum nos coëgit. Hæc impollutus, & purus ille illibatæ Virginitatis thesaurus, decúsque & ornamentum; hæc spiritalis secundi Adami Paradisus; hæc vnitarum inter se naturarum officina; hæc salutaris reconciliationis panegyris; hæc thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsauit; hæc animatus naturæ rubus, quem diuini partus ignis non combussit; hæc verè leuis illa nubes, quæ super Cherubin sedentem in corpore suo gestauit; hæc vellus mundissimum cœlesti pluuia madens, ex qua pastor ouem induit; hæc ancilla est & Mater, Virgo & cœlum; hæc sola, pons est per quem Deus ad hominem descendit; hæc admirandæ illius Oeconomiæ tela, ex qua, & in qua, ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta est. Cuius quidem textor extitit Spiritus sanctus,netrix Virtus ex alto obumbrans; lana, vetusta villosáque Adami pellis: trama, impolluta Virginis caro;radius textorius, immensa gestantis gratia;artifex, Verbum per auditum illapsum.]

Eadē ex causa,B.Mariam,ouem sanctā ex cuius vellere procreatus sit Christus,qui nobis est indumentum incorruptibilitatis, nominat S.Epiphanius hæres.78.in quem etiā sensum S.Ambros.sermone altero de natiui. *In fine*,Mariā interpretatur vellus illud de quo Psal.71. Dauid prænunciat,*descendet sicut pluuia in vellus*. Appositissimè. [Quid enim tam silenter & sine strepitu fit, quàm cū imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat,nullus corpus humore repercussionis aspergit:sed sine inquietudine hominum, totū imbrem per multiplices effusū partes, toto corpore in se trahit, vnius meatus scissuram nescions,solida mollitie plures præbens meatus; & quod clausum videtur per densitatem,est patulū per tenuitatē. Rectè ergo Maria velleri comparatur,quæ ita cōcepit Dominum,vt totum eum hauriret corpore,nec eius discissurā corporis pateretur; sed esset mollis ad obsequium,solida ad sanctimoniam. Rectè, inquam, Maria velleri comparatur de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius, agnus egressus est, qui & ipse Matris lanicium, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus, Christi lana suffunditur. Christi fouetur sanguine, & vt sanitatē recipiat, Christi indumento vellitur.] Eo inquam indumento quo in Christo Verbū induitur, sitque sensibile;quodque in vsum nostrū, & vt nostra nuditas operiretur,sibi circumdedit verè salutis vestimentum, & indumentum iustitiæ: Huius vestis in Deiparæ officina consuendæ, acus & filum, peti potest ex S.Paulino epist. 10. Acum ille interpretatur dominicam Crucem; filum salutare Verbum. Idcirco enim confecta est hæc vestis, vt locus esset Cruci; pérque arctum illud foramen, ad Verbi Dei diffusionem peruenireturr, ac genus nostrum interuentu Mediatoris, assueretur Deo, vt ibi Paulinus loquitur. Disserit de hac acu, elegantissimè Paschasius lib.8.in Matth.

271. Quamuis igitur vestes omnes nostrates, ex quacumque tandem conficiantur materia, non immeritò à Chrysostomo hom.30. in ep.ad Rom. *in morali*, [vili fœni onus] dicantur: tamen vestis qua Verbum diuinum à Deipara conuestitum est, pretiosissima & nitentissima haberi debet, iuxta illud Psaltis de Dei Filio, *decorem indutus est*. Quod sic glossat D. Chrysostomus homil. de vno legislatore. [Nos quidem veste induimur, vt quidquid naturæ minùs esset decorum,occultaretur.Quare igitur Deus naturam,quæ & corpore vacat, & plenissima lucis est, imò quæ luce coruscat, contegit? Atqui appellat ille corpus Christi vestem suā. *Dominus regnauit,decorem indutus est*: Decorem vocat,carnē Christi. Erat enim illa sanè decora, nec vlla peccati turpitudine fœda. Neque enim peccatum fecit vnquā,nec inuentus est dolus in ore eius.Indutus est decorē, & præcinxit se. Namq; zona Regem quidem exornat;sed & indicium & Symbolum Regis zona est, & Iudicis.] Inde vero præsertim augescit huius pretiositas, quod ob affusam vnguentorum & oderatorum abundantiam, afflet eam fragrantiam quæ nobilissimas quásque & verè regias animas ad Dei obsequium & Christi admirationem pronocent. Hæc enim sunt illa vestimenta de quibus ait Dauid Psal.44. alloquens sponsum Christum, *Myrrha & gutta & casia,à vestimentis tuis*.Et propterea *filiæ regum*,regales inquam animæ obsequio tuo addictæ, *latificauerunt te in honore tuo,à domibus eburneis*; aut (vt ex Hebræo vertit Hieronymus epist.140.) à templo dentium. Sic enim vocis laudem, quod ore cudatur interuentu præsertim dentium, nominauit Psaltes. Coadoratur hæc vestis cum Verbo iuxta illud Damasceni l.3. de imag. [Cum hoc Rege & eodem Deo, purpuream adoto trabeam assumpti corporis, non quasi vestimentum, neque vt quartam personam; absit: sed perinde ac simul nuncupatam Deum quam inuestibiliter perunxit gratiæ plenitudo.] Huius vestis pretiosissimæ delineatio aliqua, fuit vestis Pontificia vt S.Cyrillus l.11.de ador. fusissimè prosequitur. Quod enim in eam vestem omne artificij & opum genus congestum esset, veréque splendissima esset & micantissima, aptissimè indumenti humani quo Verbum in Christo circumamictum est, dignitatem exhibet: Additque pulchrè idem Cyrillus l.3. glaphiro. */sub finem*, idcirco summum Sacerdotem iussum vestem Pontificiam exuere, quoties pro ignorantijs & peccatis suis sacrificabat, quod pat non esset, vestem quæ Christum & Verbi indumentum sanctissimum præsignabat, eum amicire qui pro peccatis suis hostias offerebat Deo: proindéque tunc, communi cæterorum Sacerdotum veste vti iubebatur.

Quare vestimentum quo Verbum Dei indutum est à Deipara, pretiosissimum & nitentissimum fuisse, dubitare non licet, potéstque sanè ab huius vestis pretio ac specie, Adeodatus noster Bethleemites polymitarius commendari, non minùs quàm à pulchra veste qua se suorū virtutibus conuestit, provt locum ex 2.Reg.21. ad Christum transfert Petrus Damiani opusc.37. parte 1.dub.4. Fuisse purpureū atque adeò regium vestimentum, ait his verbis Damascenus orat.2. de natiu. Deip. [Vestem enim verè diuinitus contextā,hoc est carnem nostram,indnit quā ex immaculatis ac virgineis sanguinibus tinctam in Spiritu.regio modo tanquam in conchilium efformauit;ac velut regiam purpuram subiens, massam

tuſſam noſtram induit.] Trabeam vocat S.Chryſoſtomus hom.3.in ep.ad Epheſ.*in morali* : & ipſe Damaſcenus orat.3. de imag.

Vtilis & ſordida eſſet,eo plus deberemus Deo.

172. Licèt autẽ datemus hoc Verbi veſtimentũ vile fuiſſe ac ſordidum, eo eſſet commendabilior Verbi Dei caritas in nos;quòd noſtri cauſa,vili ſe ac ſordido indumento obtegere nõ ſit dedignatũ. Optimè planè S Hilarius 2.de Trinit.quãto plus Deo obſtringamur ob hãc maioſẽ noſtri cauſa deiectionẽ ſic aperuit.[Hæc ſi quis ingrata Deo recolet, tãtò ſe maioris beneficij obnoxiũ cõſtrebitur, quantò minus hæc Dei conuenerint Maieſtati. Non ille egait homo effici, per quẽ homo factus eſſe id non eguimus,vt Deus caro fieret,& habitaret in nobis,id eſt,aſſumptione carnis vnius interna vniuerſæ carnis incoleret.Humilitas eius,noſtra nobilitas eſt;cõtumelia eius, honor noſter eſt : Quod ille eſt Deus in carne cõſiſtens, hoc nos viciſſim in Deũ ex carne renouati.]Monet etiã Caſſianus 2.de incar.c.3. nõ eſſe quod in nobis honorem Maieſtatis infringat humilitas corporis : [Cum vtique augere in nobis affectum eius & cultum debeat,vel dignatio tam humilis natiuitatis,vel pietas tam benigna patientis : quia maximum vtique, & immaniſſimum ſcelus eſt, vt ideò apud nos minus honoris habeat,quia plus amoris impendit.]

Sed & illud conſiderandum eſt, quod S.Bern.ſerm. 4.de natiuit. Domini,egregiè conſiderauit:hanc ſcilicet quæ videtur detrita Chriſti veſtis & ſordida,fore ſuo tẽpore multo ſplendore perfundendam. [Agnoſco certè, inquit,) agnoſco Ieſum magnum Sacerdotem,ſordidis operum veſtibus,dum altercaretur cum diabolo. Scientiũ Scripturas loquor,& quibus nõ ignota eſt prophetica viſio Zachariæ. Vbi verò exaltatũ eſt caput noſtrũ ſuperinimicos noſtros,ex hoc planè mutauit veſtẽ,deuoẽ induit,amictus lumine ſicut veſtimento.Exemplũ dedit nobis, vt & nos eadẽ faciamus. Vtiliot ſiquidem in cõflictu lorica ferrea,quàm ſtola linea, licèt oneri ſit illa,hæc honori. Erit cũ & membra ſequentur caput;vt corpus tã vniuerſũ vno pſallat ſpiritu & dicat;*Cõcidiſti ſacẽ meũ, & circumdediſti me lætitia.*] Nunc ſic indui oportuit Dei Verbũ,vt poſſet nobis fieri indumentũ ad ictus Aquilonis depellẽdos,vt philoſophatur S.Eulogius apud Photiũ Codice 230.ad ſecundã quæſtionem Chriſtophori.Itaq; ſin minus ex materia qua conſtat,at ſaltem ex fine ob quem ſic contextũ eſt,pretioſum nobis videri debet ; præter pretiũ eius ſupra omnem æſtimationem ex attexta maſtrucæ noſtræ diuina purpura.

Vſus doctrinæ.

173. Induamus ex crebro Apoſtoli monito pretioſam hanc veſtem,dignam ait S.Baſilius in Pſal.44. cohoneſtare ac redimire hominem, qui ad ſui conditoris imaginem creatus eſt, iuxta Verbum Apoſtoli : *Exuti veterẽ hominem,& induti nouum,qui renouatur ad agnitionem ſecundùm imaginem ſui Conditoris.* Et qui induit ſe viſcera miſericordiæ, bonitatem, humilitatem, longanimitatem, manſuetudinem ; talis interiore amiculo redimitus eſt, & ſecundùm interiorem hominem probe adornatus,& exultus. Paulus item monet : *Induite Dominum Ieſum.* Nõ ſecundùm exteriorem hominem, ſed mens noſtra Dei memoria circumamiciatur.]

Id quomodo præſtituri ſimus, docemur ex Chryſoſtomo hom.25. in ep.ad Rom.*in mor.* [Chriſtũ induamus,cùmque illo perpetuò ſimus,quandoquidem iſtud demũ eſt indutum eſſe, nunquã ab ipſo deſeri,ipſúmq; vndique in nobis per noſtram ſanctimoniam, manſuetudinẽmque conſpicuum eſſe. Ad eum modum , & de amicis dicimus, Is illum prorſus indutus eſt , multam dilectionẽ,itremiſſúmque conuictum ſignificantes Indutus ſiquidem, id eſſe videtur quod indutus eſt. Apparcat itaque in nobis vndique Chriſtus, & quomodò apparebit : ſi quæ illius ſunt feceris. Quid verò ille fecit ? *Filius,* (inquit,) *hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Iſtud tu quoque æmulare.Si quando cibus ſumendus fuit , hordeaceis panibus vſus eſt. Si peregrinandum illi fuit,nuſquam equi,nuſquam iumenta, ſed tantùm itineris pedeſtris confecit, vt fatigaretur etiam. Dormiendũ ſi quando fuit,ſuper puluinari in prora nauigij iacuit. Accumbendũ fuit,in fœno proſterni iuſſit. Veſtimenta verò erant tenuia. Sæpè numero & ſolus converſatus eſt , neminem ſecum ducens. Deinde & quantũ ad Crucem, quantúmque ad conuicia pertinet, & omnia illius in ſumma perdiſcens,æmulare. Ita ſcilicet Chriſtum indutus es,ſi carnis curam ad concupiſcentias non feceris.] Plenè & egregiè hoc Chriſtiani per Chriſtum indumentum, perſequitur Ioannes Heſſelius in probatione veritatis Euchariſtiæ c.42.

Felices qui hoc indumentũ ſeruauerint in perpetuũ. Infelices qui eo abiecto, circũdare ſibi pannos veteres quos ſapiẽter exuerãt, induxerint in animũ.Sapientiſſima eſt Gregorij Nylleni cõmentatio hom.11. in Cant. quã appono & cõcludo. [Veteri ergo exuto homine,& ablato cordis inuolucro,Verbo aperuit aditũ, quod ingreſſa,indumentũ ſibi facit anima, conuenienter expoſitioni Apoſtoli, qui iubet exuto pannoſo hominis indumento,induere nouã tunicam,quæ ſecundùm Deum eſt creata in ſanctitate & iuſtitia.Ieſum autem dicit indumentũ. Sponſæ autẽ proceſſio quòd quam exuit nõ ſit rurſus acceptura tunicam;ſed contenta ſit vna tunica, cõgruenter Legi datæ diſcipulis,quam per regenerationẽ renouata induit anima;confirmat conuenienter ei quod dixit Verbũ;non oportere eos qui ſemel diuino ſanguine ſint ornati,peccati tunicam induere,ſed vnam ſolã innocentiæ,ne duas cõtrarias inter ſe inuicem cõiunctas habeant tunicas. Quæ eſt enim ſocietas obſcuræ & tenebroſæ tunicæ,cum luminoſa,expertéque materiæ? Non ſolùm autem Lex hoc iubet,non oportere habere duas tunicas,ſed nec nouum pannum veteri veſtimento aſſuere ; ne eius qui hoc induit, maior ſit deformitas ac turpitudo : cum neque maneat id quod eſt aſſutũ,& veteris ſit figura deterioratadeò vt ex eo aperta ſit deformitas. Propterea dicit, *Exui tunicã,quomodo induam eam?* Quis cum vel ipſo Sole clariorem Domini aſpexerit tunicã contextam per putitatem, & incorruptionẽ, qualem oſtendit in Transfiguratione in mõte , mendicorum veſtem pannoſam lubenter induerit, cuiuſmodi eſt fornicatoris ſicut dicit Prouerbium?]

CAPVT IV.

Verbum Calceatum.

174.Seorſim à veſtib⁹ cæteris,ſpectandus eſt calceus. Nã plerique nudipedes cenſentur nihilominus veſtiti. Cuius rei argumentum ſuppeditat ipſe Chriſtus. Eius enim veſtimẽta,ſæpe in Euãgelijs produntur,& tamen ſine calceis ac nudipes de multorum ſententia ſuo loco inferiùs diſcutiẽda inceſſit.Chriſtianos quoq; olim excalceatos fuiſſe , produnt illa Luciani in Philopatore Chriſtianũ deſcribentis. [Pallium putre,ſine calceis,& tegmine capitis,incedẽs detõſa coma.]Sicut tamen pedes queis aptãtur calcei,ſubnectuntur alijs mẽbris quibus circumdantur veſtimenta ; ita non immeritò Verbi calceatio,eiuſdem conueſtitioni ſubnectetur. Cõtinet enim hæc quoque allegoria inſigne & illuſtre emblema myſterij , in quo exornando verſamur.

Humanitas Chriſti, calceamentum Verbi.

Inprimis verò nõ defuit,qui diceret,hunc eſſe calcaneũ ſiue(vt ipſe expoſuit)*pedem calceatum* cui ſerpens inſidiaturus dicitur Gen.3.Verùm tametſi calcaneus de Chriſti carne aut etiã de Chriſto ab aliquibus & Patribus,& tractatoribus ſit intellectus;ea tamẽ *calcanei* acceptio pro pede calceato , Metonymiã continet admodùm inuſitatã,nec Patribus quod ſciam probatam.Imo Rupertus Cant.7.ad morſum Euæ calcaneum à ſerpente notat,quia nudus erat : Non igitur nomine calcanei,

pes calceatus signatur. Atque ita ei loco Geneseos, nihil ad rem præsentem faciens, inædificari potest.

275. Non desunt tamen cõcepta loca, quibus Christi humanitas cum calceamento Verbi cõponitur. Sic enim S. Basilius in Psal. 59. exponens illud, *In idumæam extendam calceamentũ meum*, ita habet. [Diuinitatis calceamentũ est, caro Deũ ferens per quã descendit ad homines.] Plene ibidem S. Bruno, tribuens Christo verba Psalmi relata, & exponens ea hac paraphrasi. [Per hoc acquirã mihi Gentilem populũ, quia in Idumæam extendã calceamentũ meum, id est, in notitiam Idumeæ, (Gentilis populi, scilicet,) extendã notitiã calceamenti mei, id est, humanitatis meæ : vt me qui Deus erã, hominem esse factũ pro totius mundi salute cognoscens, mihi spontanea subijciatur. Calceamentũ autẽ ex pellibus mortuorum animaliũ cõficitur ; ideóque pro humanitate Christi ponitur, quæ per multas tribulationes, ad vltimum passione Crucis mortificata est. Vnde Ioãnes Baptista. *Post me* tẽporaliter *venit vir*, Christus scilicet, *qui ante me factus est*, secundùm humanitatem, non tẽporaliter sed dignitate. Quod est dicere : Qui factus est dignior me, cũ sit posterior tempore, secundùm quod homo. Corrigã calceamenti eius non sũ dignus soluere, id est minimã particulã mysteriorũ eius humanitatis nõ sum dignus explicare. Quod est dicere. Nec etiã dignus sum, & sufficiens, ad explicandum aliquod minimũ secretum eius humanitatis, nedũ aperire sufficiam mysteria ineffabilia eius diuinitatis: Corrigia verò quia minima pars est calceamẽti, pro minima parte mysteriorũ humanitatis Christi, iure ponitur. Vel sic, non sum dignus soluere corrigiã calceamẽti eius, id est quæstionẽ humanitatis eius: hoc scilicet quod à quibusdam quæritur, qualiter ille qui Deus erat, homo sit effectus. Quæstio quoque conuenienter corrigia dicitur : quia sicut corrigia nectit calceamentum, sic & quæstio ligat illud vnde fit.] Videsquàm variè hic Autor Verbum agnoscat humanitate fuisse calceatum. Adiungo paucos alios idem opinatos.

S. Ambrosius serm. 17. in Psalm. 118. v. 5. [Per femur insigne generationis agnoscimus, iuxta illud, *Accingere gladiũ tuum, circum femur, potentissimè*; quo significatur quod Filius Dei cum semetipsum exinanisset, Verbi sit accinctus diuinitate, & generatione calceatus humana prodierit ex Virgine, omnibus daturus salutem.]

Blesẽsis ser. 1. [Missus à Patre ad oues Israël quæ perierãt, legatus ; Datæ sunt ei quinq; regiones, vt in singulis proprio fungeretur legationis officio. Regiones verò illas sic determinare possumus: vterũ Virginis, mediũ orbis, patibulũ Crucis, domũ fortis, extrema maris. In prima regione calceauit se ; circumligauit sibi ligaturã calceamentorum suorum, (cuius explanationis se non esse dignum Baptista confessus est,) visibiliter ad nos egredi volens tanquam sponsus de thalamo suo.]

Alanus Cant. 7. quem Delrius ibi in interpretatione mixta descripsit ad ea verba, *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*, de æterna sapientia eum locum interpretans, eius calceamenta in quibus pulchritudinem gressuum celebrat Scriptura, ait esse carnem Domini. [Per calceamenta (inquit) figuratur incarnatio diuina. Calceamentum enim solet fieri de pelle mortui animalis, nec tota pellis cedit in calceamẽtum hominis, sed potiùs pars pellis. Humana autem natura mortificata erat per pœnas & culpã. Hanc pellem humanæ pœnæ, assumpsit Christus, quantũ ad humanæ naturæ circumstantiam : sed non totam, quia ita assumpsit pœnã, quod non culpam. Sic ergo quasi calceamentum applicuit, quando humanã naturam assumpsit.] Ad eundem locum non pauci idem dixerunt.

Petrus Damiani serm. 60. qui est in vigilia natiuitatis Domini ; post descriptos septem riuos fluminis Ægypti, sic exclamat. [O flumen malum, riui pessimi, riui exterminantes ! Hac nocte Dominus eos calceatus transiuit, cum in virginali substantia putam carnem, & omnium prætaxatione pestium immunem accepit, illo calceamento calceatus, quod in Idumæã extendit, cuius corrigiam soluere non potuit magnus ille Baptista, *dixit de summo* Filium suum, *& accepit me* in vtero Virginis, & sic tandem *assumpsit me de aquis multis*.]

276. Sed nihil frequentius, quàm vt Christi humanitas verbi calceamentũ appelletur, ab ijs qui illud Baptistæ de Christo responsũ tractãr. Non sum dignus vt soluã eius corrigiã calceamenti. Quò etiam aliquos ex prædictis Patribus alò licet intentis, obiter respexisse vidimus. Ita planè illud Baptistæ responsum accepit S. Greg. hõ. 7. in Euãg. [Quis nesciat (inquit) quod calceamẽta ex mortuis animalibus fiunt ? Incarnatus verò Dominus, veniẽs, quasi calceatus apparuit: quia in diuinitate sua, morticina nostræ corruptionis assumpsit. Vnde etiã per Prophetã dicit : *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Per Idumæã quippe Gentilitas, per calceamentum verò assumpta mortalitas designatur. In Idumæã ergo Dominus calceamentũ suum se extendere asserit: quia dũ per carnem Gentibus innotuit, quasi calceata ad nos Diuinitas venit.] Tum pleraque addit, quibus propositũ responsi Baptistæ sensum, cõfirmet ac illustret. Adduxi in eã rem sect. superiori, c. 2. Bernard. Ambrosium & Nazianzenum. Et addendus est Origenes tom. 8. in Ioan. vbi sic ait. [Ioannes ostendere volens quanto inferior esset Christi magnitudine, ne quis de se cogitaret aliquid supra id, quod videt, aut audit à semetipso, dicit etiam illud : *Non sum ego dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti* ; illud innuens, se minimè idoneũ esse, qui de ipsius Christi incorporatione, rationem, quæ veluti ligata est, & occulta non intelligentibus soluat, explicétque dignum aliquid dicendo de tanto aduentu in tantam breuitatem contracto.]

Quare supposita ex his, accõmodatione calceamenti ad humanitatem respectu Verbi, inquirenda est accommodationis illius ratio, addendúmque aliquid de huius calceamenti ad pedem appressione per corrigiam.

Calcei materia, structura, & finis.

277. Causæ cur humanitas calceus Verbi appelletur, repetẽdę sunt ex analogia humanitatis ad calceum, quæ ex multis capitibus duci potest. Nõnulla proponit Ludou. Fidelis lib. 2. de militia spirituali c. 17. Ego ea ex Patribus promã & illustrabo. Inprimis calceus pedem includit, & obuoluit. Quanquã Iudæorũ calcei, supernè patebant magna ex parte: sic enim eorum caliga est accipienda : ea obuolutione & conclusione, pes obligatur & vincitur, ac aliquatenus irretitur, ita vt nõ sit expeditus ac liber : vt propterea apud Stobæum, Musonius Philosophus, calceationẽ tanquã pedis impeditionem, vitandã esse conetur persuadere, eo præter cætera argumento, quod athletæ & cursores, ad expeditionẽ pedũ, excalceati procederent. Quæ etiam causa est cur Clemens Alex. 2. pædago. c. 11. Autor sit omnibus, vt calceos abijciant, & nudipedes incedere assuescant. Præterea illa pedis per calceũ inclusione & obuolutione efficitur, vt quæ incommoda à luto, à spinis ac tribulis, à muricibus pedẽ malè habitura fuissent, calceis excepta, ad pedem minimè pertingerent. In calceũ incurrunt calor & frigus, aliáque externa à cœli iniurijs damna ; vt propterea, mysticè calceus pro tutela plerúmq; sumatur. Notauitq; Naz. orat. 42. hac ex causa cum sanctã terrã calcanti Mosi dicatur *Solue calceamentum*, è contrario exeuntibus de Ægypto, quia per tribulos incedendum erat, mandetur calceatio. Suffragatur Hieronymus ep. 146. exponens calceamentum datum filio prodigo reduci, iussu patris. A pede motum accipit calceus, eique sic coaptatur & conformatur, vt possit quasi coriaceus pes haberi, sitque cum eo vnũ quid, vt propterea plurima quæ de calceo & pede dicuntur, non seiunctim de pede, aut seiunctim de calceo, sed coniunctim

de

de vtroque dicãtur: vt cũ quis pedes iubetur attollere, aut remouere, vel eo aut alio loco figere, quæ æquè in pedem obuolutũ, quàm in calceum obuoluentem cadunt. Tandem calceus est instrumentũ viatorũ. Cæteris quippe incommodis pedum, haùd ægrè alia ratione prospiceretur, v.g. non foret difficile fomentum aliud accendo frigori curare. Quare directè ac per se primò, calceorum vius est ad viam capessendam.

Quadrant humanitati per ordinem ad Verbum.

178. Hæc omnia in Christi humanitatem ad Verbum comparatam cadunt bellissimè. Ac primùm, hic calceus Verbum absondit & occulit, vt meritò apud Isaã c.45. Deus in carne, dicatur *Deus absconditus*. Semper habent; *vere tu es Deus, & nesciebamus*. Quod scilicet obuoluente & occulente carne, abditum Verbũ nõ appareret. Propterea medius steuit, quẽ nesciebant: quamquam non vsque adeò hoc calceamentum diuinitatem obtexit, vt nulla ratione proderetur. Erat enim hic calceus vt Iudaïca caliga, apertus supernè, talem ex parte vt videre est in Icone calcei Honorij primi exhibita ab Angelo Rocca opusc. de imaginibus S. Gregorij, eiúsque parentum. Idipsum exprimere censeri meritò potest, Pontificum solemniter celebrantium, calceamentum superne patens: Est enim hoc calceamentum, vt Innoc. 3. l. 1. de mysterijs Missæ c.34. piè dixerit, calceatæ propter nos diuinitatis Symbolum: atque ita Deitatem obductam signat, vt tamen quod c.35. addit Innocentius, per hoc calceamentum innotescat. Nam opera quæ in carne Christus est operatus, diuinitati eius attestabantur. Quod notatum dicebam ea calcei Pontificij apertione sursum versùs, adinstar Iudaïcæ caligæ quæ erat calcei genus, vt susè versat Iulius Nigronius dissertatione quam suis horis subseciuis intexuit Lælius Bisciola t.2. *in fine*. Confirmat eandem caligæ notionem Angelus Rocca suprà, exponens imaginem Gordiani Patris S. Gregorij, nec non interpretes Actorum ad ea Angeli verba, *calcea te caligas tuas*. Quanquam Iuo Carnotensis serm. de mysterijs indumentorum Pontificalium, & Fulbertus item Carnotensis Præsul epist. 63. aliter exponunt eam Pontificij calcei sursum versùs apertionem; accommodántque ad designandam eius erga cœlestia erectam & intentam mentem, à terrenis planè anulsam. Eóque ferè modo S. Aug. l.2. de consensu Euang. c.30. interpretatur Euangelicum calceamentum, quo neque pes tectus sit, neque nudus ad terram.

Iam quod sordes pedi affricandas, & offensacula pedem inter incedendum violatura, in calceos incurrere dicebam illæso pede, eò pertinet vt agnoscamus, Verbum in seipso vsquequaque nitens ac mundum perstare, nec inquinari vel sordere ijs sordibus quæ naturam nostram luteam affectantur, quod frequentissimè aduersus Marcionem, puriſſimæ diuinæ actualitati à carnis sordibus malè timentem, vrgent Patres. Quanquam non fuerunt hæ veræ sordes, quas ab humanitate quoque abesse par fuit: vt propterea S. Ambros. serm. 17. in Psal. 118. v. 5. neget Christo dictum *solue calceamenta*, [vtamur ergo, (inquit,) corpore tanquam calceamento ad inferioris opera virtutis; ad ministerium, non ad præcipitium; ad obsequium non ad delectationem; ad obedientiam non ad dissensionem; & in via sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua conculcet. Ideo ad Mosem dictum est, *solue calceamentum*. Dictum est & ad Iesum Naue. De Christo autem dictum non est, sed magis scriptum est, dicente Baptista: *Post me venit vir, cuius non sum dignus calceamenta portare*. Quia illi bene admonentur vt soluãt calceamentum suum, qui sine peccato esse non poterant. Hic autem non solùm calceamentum non solvit, sed etiam calceamenta aliorum absolvit; quia non solùm corpus suum à peccatis immune seruauit, sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum.] Cum igitur illimis & à sordibus nostris puta fuerit Christi humanitas, multò magis Verbum diuinum. Similitérque non compungitur vel configitur diuinitas aculeis dolorum, quos caro excipit non secùs ac calceus indemnem à spinis ac tribulis pedem præstat, ipse transfixus. Quo nonnulli Patres superiùs adducti accommodant ignem rubo applicitum, nec contumentem: quia diuinitas carnem à passione non excluſit citra læsionem vllam suam, neque spinis & igni conuenit. Ea quidem fuit, (vt dicebam,) carnis & Verbi coniunctio vt (quod de pede & calceo præmisi,) velut vnum computarentur: & quæ de carne dicuntur, ob suppositi identitatem, de Deitate quoque in concreto enunciarentur; vnde Deum passum, mortuum ac sepultum, dicimus: sed ipsa in se diuinitas, illæsa & ab his omnibus libera mansit. Tantùm passus est, & mortuus, ac sepultus, in carne sua Deus.

Tandem quod vsum calcei primarium ac directum, esse dicebam ad viam conficiendam, optimè omnino in hanc rem cadit. Neque enim Verbo ad aliud quippiam necessaria vel opportuna fuit caro, quàm vt esset viator, & pro nobis viæ huius iter asperum ac laboriosum decurreret. Quare priusquàm itineri se accingeret Deus, cum esset in sinu Patris, calceari non indignit: Cum autem quasi colonus futurus esset in terra, & quasi viator declinans ad manendum, calceari eum par fuit.

Item significata calcei: ac primùm libertas.

179. Videor vtcunque aperuisse, causas humanæ Christi naturæ cum calceamento Verbi collatæ, ex materiæ, structura, & fine calceamenti. Iuuat tamen vt res tanta pleniùs ac dilucidiùs innotescat, aliunde id confirmare: nempe ex moralibus effectibus humanitatis Christi, qui tales sunt, vt eorum Symbolum aptissimum, sit calceamentum. Quæ erit amœna quam initio recepi, huius veritatis manifestatio, multiplicis doctrinæ sacræ obseruatione, tanquam decerptis hinc inde floribus, exornanda. Est igitur calceamentum, libertatis ac dominij Symbolum, itémque compositionis ac eidem adiunctarum accessionum puta compositionem consequentis mortalitatis, cùm physicæ tum moralis: hoc est peccati ac moralium defectuum. Hæc omnia comprobare, & carni Christi Verbum calceanti accommodare, non erit operosum.

Calceos aiebam, libertatis esse Symbolum. Hoc à contrario ex c.20. Isaiæ, possumus colligere. Ibi enim in signum captiuitatis consecuturæ, Isaias iubetur calceamenta de pedibus tollere, & incedere excalceatus. Simile argumentum huius rei, habetur ex eo quod Michael de Palacio enarrat. in cap. 19. Ioannis, exponens piarum mulierum fletum pro Christo ad crucifixionem abeunte, affirmat Iudæos vbinis ob Christi necem iugo aspetrimæ captiuitatis premi. [Vnde (inquit,) in Africa calceorum vsum illis non permittunt Satraceni, nisi sint Regis aut militum quæstores. Et quando illis transeundum est per domum Regiam, excalceari illis incumbit calceos, si qui eos habent, & pedibus nudis viam calcare, vbi sita est Regia domus.] Apud Romanos idem viguit vsus. Vnde quia mancipia quæ exponebantur venalia, nudis pedibus, iisque gypso sine creta conspersis prostabant; perinde erat, mancipium aut captiuum, ac hominem pedibus albis, vel gypsatis aut cretatis dicere. Hinc est illud apud Iuuenalem Saty. 1.

Nuper in hanc vrbem, pedibus qui venerat albis.

280. Hoc est mancipium. [Creta enim vilissima (inquit Plinius l.35.c.17.) pedes venalium trans mare aduectorum denotare, instituerunt maiores.] Vbi ex Tibullo & Ouidio, gypsatos pedes memorat Dalechampius. Et pulchrè Persius, ambitionem eorum qui seruiliter decrescebant, & ad omnia indigna vt ad honores ereperent, ignauè ac mancipiorum in morem demittebantur, vocat *cretatam*, cum ait Saty.5.

Ius habet ille sui, Palpo quem ducit hiantem
Cretata ambitio?

Erat ergo seruitutis & deperditæ libertatis argumentum excalceatio. Atque adeò è contrario, calceus Symbolum est libertatis: vt propterea Exodi 12. filij Israël de ferrea Ægypti fornace euadentes, comedentésque agnum, transeuntes in libertatem, iuberentur calceamenta habere in pedibus.

Meritissimò itaque sanctissima Christi Domini humanitas, *calceamentum* dicta est, tanquã & in se liberrima, nullíque vnquam peccato, quo sola vera seruitus infertur obnoxia, & libertatis nostræ vindex. Asserti enim per eam sumus in libertatem à triplici tetterrima captiuitate, ac durissima seruitute: nempe Legis, quam Apostolus *iugum seruitutis* nominauit peccati, & Sathanæ; nósque aptauit ad plenam libertatem gloriæ filiorum Dei, in altera tantum vita consummandam quibus omnibus titulis, liberti Christi dicimur ab Apostolo 1. Cor.7. quem prudentissimè locutum, obseruat S.Ambros.l.1. de Iacob. cap.3. eò quòd non liberos simpliciter, sed libertos nos appellans, fontem libertatis nostræ, vnde manauit libertas illa nostra insinuauerit.

Nec non potestas, atque dominium.

281. Quia verò libertas & est dominium suæ voluntatis, & fundat dominium expeditum in alia, vt D.Thomas rectè disserit, meritò calceamentum quod libertatis Symbolum esse diximus, dominij quoque & potestatis est nota. Vulgaris locus est Psal.59. quo Dauid suam de Idumæis victoriam, & dominium quo eos pressurus erat, verbis illis expressit, *in Idumæam extendam calceamentum meum.* Ipse Danid vt se regno cedere & abdicare dominium in populum Dei (quantum in ipso erat,) significaret, fugiens à facie Absalon, nudis pedibus & excalceatus incessit; vt interpretatur Feuard. in c.4. Ruth. Ex quo item loco egregium in hanc rem testimonium à prisco Iudæorum vsu petere licet. Sic enim ibi describitur cessio juris, in bona & vxorem Mahalon. *Hic erat mos antiquitus in Israël inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iure cedebat, vt esset firma concessio; soluebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israël.* Et specialiter de cessione iuris in vxorem fratris absque liberis defuncti, per excalceationem facienda, præceptum fertur Deuter.25. vbi additur, nomen domus illius, postea fuisse, *domum discalceati.* Sicut igitur excalceatio cessionem dominij aut potestatis, ita calceatio dominij comparationem denotat, aut est retentæ potestatis argumentum. Quo spectat, quod de Arabe insigni narrat Iustus Lipsius l.2. exemplo polit. cap.16. Rahus (nomen est proprium Arabis aut Turcæ,) cum in Marochiensi agro ab itruentibus ex improuiso Lusitanis vxore & bonis spoliatus esset, vxori ante arcem qua se maritus abdiderat abductæ, ignauiam ac perfidiam exprobranti, calceum illicò suum abiecit; quasi recuperandæ coniugalis potestatis tesseram: móxque fidem datam liberaturus, copiolis suis raptim collectis, insiluit in Lusitanos tam generosè ac fortiter, vt victores vinceret, & prædam opimam, vxorémque inprimis, (vt fidem jacto calceo dederat,) reduceret domum. Liquet ergo, calceamentum dominij partí, aut restitutæ potestatis, esse Symbolum.

Nihil aptius ad signandum effectum carnis Verbo adiunctæ. Idcirco enim calceata eo modo est Diuinitas, vt tyrannus qui in hominem sibi nullo iure arrogarat potestatem, deijceretur; & diuina in hominem, pérque eum in orbem dominatio, velut oblæsa ab huius mundi principe, eo potenter deiecto, repararetur; omnibus in suam priſtinam dispositionem restitutis. Quare per hoc mysterium, iniqua prorsus alienatio qua homo sese Deo subductum tetterrimo hosti manciparat, rescissa est; & dissoluto ære alieno quo pessimè ac impronidissimè grauati & seruituti addicti jacebamus, excussimus jugum potestatis alienæ, & ad lene ac leue veri Domini ac Dei nostri jugum reuenimus; felices si nunquam illud excutiamus. Per Deum certè non stabit. Nam adeò potenter ac validè contriuit sceptrum dominantium, & impiorum virgam, malleúmque vniuersæ terræ, vt nunquam reparationem sperare possint. Gratulabatur hoc Isaias c.26. alloquens suauissimè Dominum, verbis illis. *Domine Deus noster, possederunt nos Domini absque te: Tantum in te recordemur nominis tui. Morientes nõ viuant; Gigantes non resurgant*, hoc propter voluntatis nostræ vertiginem, qua possunt restitui in integrum *propterea visitasti & contriuisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.*

Tandem compositio atque mortalitas.

282. Addebam tertio loco, calceum esse compositionis ac mortis & mutabilitatis Symbolum. Sanctè S. Dionysius c.13. cœl. Hier. causam exponens cur Angeli per sacros scriptores & pictores, excalceati & nudipedes exhibeantur, sic philosophatur. [Quo à nudi & discalceati describuntur sancti Angeli, hoc significat, quod liberi & absoluti, ac expediti, atque exteriores omnis adiectionis labe sint puri, & ad diuinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant.] Et inuditatem pedum in argumentum simplicitatis: Ac proinde calceatio, argumentum est compositionis. Hanc verò sequitur mutabilitas, vt est perspicuum ex Nazianzeno & Damasceno, alibi adductis: confirmátque Romanorum vsus, quos lunulas in calceis gestasse, vt humanæ mutabilitatis admonerentur, obseruat Plutarchus. Et ex eo Paschalius de coronis lib.9.c.20. Atque quia mutabilitas damno summo nostro in profundendis mortuis operibus proditur, idcirco calceatio, eam quoque mortuorum operũ profusionem præfert, conferente ad id non parum calceamenti materia; Quod Origenes hom. vnica in librum Regum, ac D.Augustinus serm. 42. de Sanctis obseruant, exponentes interdictum Christi de calceamentis non ferendis. [Calceamenta (inquit Augustinus) quibus vtimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo iubemur renunciare mortuis operibus.] Hoc in figura Moses admonebatur, quando ei Dominus loquens, ait: *Solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Ad eandem mentem Nyssen.orat.11.in Cant. hæc habet. [Non rursus admittit, pedes qui gradiantur in passibus terrenæ cogitationis. *Laus enim*, (inquit) *pedes meos quomodò inquinabo eos?* Neq; enim Moses cum iussu diuino liberari set pedes, à mortuo pellium indumento, quando terram ascendit sanctam, & illuminatam, narratus est rursus pedes induisse calceis. Neque quando vestem sacerdotalem, congruenter figuræ quæ ostensa fuit in monte, affabrè est fabricatus, auri & purpuræ, & byssi, & hyacinthi, & cocci in textura contemperatis splendoribus, vt refulgeret

pulchritudo

pulchritudo commixta ex omnibus, vllum ornamentum fabricatus est pedibus: sed sacerdotalis pedis erat ornamentum, esse nudum, & liberum ab omni indumento. Oportet enim sacerdotem, semper ingredi super terram, super quam non fas est ingredi cum pellibus mortuis. Et ideo Dominus quoque Discipulis interdixit calceis, quando eos iubet non ire in viam gentium, sed ad terram sanctam accedere. Sanctam autem viam omnino non intelligit, per quam iubentur currere Discipuli, qui non didicit ab eo, qui dicit; *Ego sum via*, quam non licet tangere eum, qui homines mortui non soluit indumentum.] Non dissimiliter Nazianzenus orat. 42. & Christi ad Discipulos, & Dei ad Mosem mandatum de calceamentis abijcendis exponit. [Iam (inquit) qui terram sanctam ac diuinis vestigijs impressam contacturus est, calceamenta soluat; quemadmodum & Moses ille in monte, vt nihil mortuum ferat, nec inter Deum atque homines intermedium. Consimili modo si quis Discipulus ad prædicandum Euangelium mittitur, frugalitati ac simplicitati studeat: quippe quem, præter id quod nec æs, nec baculum, nec duplicem tunicam habeat, etiam nudis pedibus iter facere oporteat, vt pulchri pedes euangelizantium pacem, atque omne bonum appareant.]

Hinc manauit vsus apud Hebræos, loca sancta subeundi nudis pedibus, vt Lyranus ad c. 3. Exodi his verbis refert. [Modus erat antiquorum, & specialiter Hebræorum, non ingredi sancta loca pedibus calceatis. Et inde est quod Sarraceni, nō audent intrare locum orationis nisi discalceati.] Quod antiquos idipsum seruasse, ait Lyranus, confirmat his verbis S. Cyrillus l. 2. de Ador. cum dixisset iussum Mosem reliquias corruptionis ac mortalitatis, calceamentis denotatas, abijcere. [Id (inquit) à Gentilium consuetudine, diuinus ille Moses didicerat. Neque enim hi templa adibant pedes induti calceis, exanimatorum animantium pelle confectis. Id enim eorum legibus inter immunditiæ genera recensebatur.] Specialiter autem id curasse Hebræos, vt Lyranus itidem affirmabat, inde quoque ostenditur; quod in descriptione templi quam exhibet Arias Montanus l. de fabrica templi, notatur locus in quo sacerdotes, rigentes pedes calefacturi, vrebantur. Sacrificantes item sacerdotes, nudipedes erant, vt liquet ex c. 30. Exodi. Hæc sanctorum hominum aut sancta frequentantium excalceatio, eam quam dixi mortuorum operum, compositionem nostram consequentium, abiectionem signabat. Neque enim Deo in antiqua, vel Christo in noua lege, curæ fuit de materialibus calceis abijciendis, vt notauit S. Augustinus serm. 42. de Sanctis; ex eo quod Christus ipse, calceatus incederet. Ferè tamen prisci Monachi, vt quod moribus enitebantur præstare, externo habitu præferrent, calceamenta refugiebant, vt habetur ex Nazianzeno orat. 1. de pace vbi inter Monachorum exercitia, numerat pedes nudos; itemque ex Hieronymo, qui Iouiniano post nudipedalia ante apostasiam, non calceos modò, sed & ornatos calceos exprobrat, l. aduersus eum 2 ad propositionem quartam. Disertè item Cassianus l. 1. de Instit. renuncian. cap. 10. Monachos Ægyptios calceamentis abstinuisse testatur; (his inquam quæ simpliciter calceamenta, ὑποδήματα dicuntur;) caligis tantùm plantas muniuisse, & has quoque cum ad celebranda aut percipienda sacra mysteria accederent abiecisse ait; seruantes ad literam quod Mosi Exodi 3. & Duci populi Iosue c. 5. de calceamentorum solutione præceptum legimus. Horum locorum crassa intelligentia hæresim peperit nudipedum, quam memorat Philastrius, & Augustinus hæres. 68. Deus tamen, (vt dixi,) aliud quærebat, & abiectionem mortis notum, ac expeditionem à rebus terrenis, & carnis cura, spectabat. Vnde quia cura carnis in desiderijs, coniugium solet affectari, & implicantur pedes affectuum applicatione coniugij: frequenter S. Hieronymus, mandatum de abijciendis calceamentis vertit in adhortationem abstinentiæ à coniugij fœdere, vt l. 1. in Iouinianum & Epistola 24. *in fine*, & pulchrè epist. 21. verbis illis. [Et Moses, & Iesus Naue, nudis in sanctam terram pedibus iubentur incedere: & Discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium, ad prædicationem noui Euangelij destinantur: & milites, vestimentis Iesu sorte diuisis: caligas non habuere quas tollerent, nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis.] Satis de mortuorum operum Symbolo, in calceamentis.

Hæc in Christi carnem Verbum calceantem, eatenus cadunt, quatenus Verbum ex se simplicissimum, accessu carnis venit in compositionem & structuram diuini illius compositi ex Deitate & humanitate subsistentibus in vna Verbi persona. Hoc Verbum, vita ipsa, mortalitatis nostræ exuuijs circumdatum, & nostris morticinis calceatum, morti in humanitate sua obnoxium, euasit; & reipsa in carne passum est, ac mortem subiuit, factum pro nobis peccatum: id est omnibus peccatis ac sceleribus nostris operum; ita vt quamuis in se nitentissimum & sanctissimum esset, tamen disciplina pacis nostræ super illud fuerit, & peccata nostra portauerit.

Quàm pretiosus Verbi calceus, humanitas.

283. En igitur Verbi calceamentum, si accuratè omnia pensamus, in speciem vile & ignobile, at reipsa pretiosissimum, supra illos quos memorant antiquorum pretiosissimos calceos, aureos margaritis distinctos, C. Cæsaris ac Demetrij, item Antigoni filij aureos, & fœminarum auteis velùti donarijs collucentes ex Clemente Alexand. 2. pæd. cap 11. auro tursus ac gemmis ornatos Diocletiani, & gemmatos Heliogabali & Caroli Magni, ac etiam aliorum, quorum cupientes de luto in peronibus emergere vniones, describit Tertullianus de hab. mul. c. 7. & Plin. l. 9. c. 35. Calceos Desporæ describit Codinus l. de offic. Constant. cap. 3. [Bicolores coloris nimirum purpurei & albi, habentes ad latera & in vtroque calcaneo seu calce aquilas ex margaritis confectas, siue supra ipsos calceos quasi de musiuis pictos.] Supra hæc omnia pretiosum est Verbi calceamentum propositum, vt in sequentibus demonstrabo, agens de concursu naturæ & gratiæ ad perfectionem illius. Sit sanè in plerisque mortalium, culpa illorum, calceamentum eorum vel iuncum quale olim Hispanorum apud Plinium l. 19. c. 2. vel ex arborum libris, quale Indorum apud Philostratum l. 2. c. 9. & parricidarum qui Romæ plectebantur, ex Turnebo l. 13. aduers. c. 13. vel æreum aut ferreum, cuiusmodi fuisse Empedoclis, habet Tertull. c. 5. de pallio, & de Aser significatur c. 33. Deuteron. vel ferreum candens, & ignitis clauis confixum, æmulum eius quo S. Basiliscus Martyr, (vt habent Ecclesiasticæ tabulæ 22. Martij) calceatus & excarnificatus est. Hoc de quo egimus Verbi calceamentum, omnibus virtutibus, (quarum singulas totidem esse animæ calceamenta, dixit S. Ambrosius serm. 17. in Psal. 118.) eximiè exornatum est, & suprà cretatos illos calceos quorum Tertullianus meminit cap. 4. de pallio, purum ac nitens. Vt in huius sanè significationem, recens eluti baptismi sacro fonte, albos calceos pedibus inducerent, vt Rupertus l. 7. de diu. offi. c. 1. & Vicero. l. 5. de bapt. c. 18 ex antiquo Ecclesiæ vsu factum referunt.

Eóque etiam reculerim primum vsum, cuius mentio est apud Tertullianum l. de cor. mil. cap. 3. nempe frontem crucis signaculo terendi ad calceatum, vt scilicet Deum pelle nostra calceatum, & pro nobis mortuum in carne nostra, meminisse iuuaret. Quamuis

inficias non jerim, illud insuper ex consequenti inde profectum, vt vanæ pleræque inter calceandum obseruationes Christiano indignæ, auerterentur: qualis eorum quos arguit S. Chrysost. hom.25. ad pop. qui ex Alexandri imagine calceis appressa, bene sibi ominabantur; aut eorum quos memorat Clem. Alex. 2. pædag. cap.11. amatorias salutationes impressisse calceis; item eorum qui sinistro pedi calceum dextrum immittere, vel è contrario, ducebant religioni: quo in genere Augustum supra modum fuisse superstitiosum, prodit Sueton.cap.92. & Plin.lib.1.cap.17. Nec non aliorum qui præsentissimum ad omnia venena remedium, censebant spuere in calceum dextrum, priusquàm eo calcearentur, teste Plinio l.28. cap.4. Fuerunt etiam qui redirent ad lectum, si inter se calceandum sternutassent, vt S. Augustinus est Autor, lib.2. de doctr. Christ.cap.20. Alij disruptionem corrigiæ cum calcearentur, pessimi ominis arbitrati, desistebant à cœptis, vt est apud Tullium 2.de diuin. Et apud Glossam Isaiæ 5. ad illa verba, *non rumpetur corrigia calceamenti eius*. His omnibus ineptijs, aut etiam peruersitatibus, salutaris signi impressio mederi potuit. Sed vsurpatio vsus prædicti, etiam vbi aniles illæ nugæ locum non habebant, ritus illius finem quem proposui, haud mediocriter firmant.

Verbum calceantis humanitatis corrigia.

284. Supereſt attingenda calceamenti noſtri corrigia. Hanc grauiſſimi Patres, diſertè produnt eſſe humanitatis Chriſti copulationem cum Verbo. Ita Gregorius Magnus hom.7. in Euang. & Bernardus 5.de conſid. c.9. *in fine*: qui hanc corrigiam, fortem adeò ad ſtringendum Verbum eſſe ſtatuit, vt nec morte incidente vllatenus intercidi potuerit, etſi carne & anima ab inuicem ſeparatis. Huc tamen reſpexiſſe Baptiſtam, cum ſe indignum profeſſus eſt corrigiam calceamenti Chriſti ſoluere, quod Bernardus coniectat, non poſſum admittere. Quæ enim ea eſſet demiſſio, profiteri ſe indignum qui vnionem hypoſtaticam abrumperet? Commodiùs S. Gregorius, alluſum putat à Ioanne, ad vſum Hebræorum, ſoluendi calceamentum eius qui nollet propinqui viduam ſibi ex lege debitam ducere vxorem; vt perinde fuerit dicere Ioannem, *non ſum dignus corrigiã calceamenti eius ſoluere*; ac ſi dixiſſet, *non ſum dignus, ſponſam quæ ei debetur, mihi loco eius arrogare, néq; Meſſiã dicere*: Quam expoſitionem adhibet quoque S. Ambroſius l.3. de fide cap.5. & l. de bened. Patriarch. cap.4. Quanquam ex cap.4. Ruth, haberi videtur, eum qui ſoluebat calceamentum, fuiſſe illum qui renuebat ſuperſtitem cognati vxorem ducere, non autem qui ducturus erat, vt Ambroſius & Gregorius videntur ſupponere; ex eo fortaſſis ad ita ſentiendum adducti, quod mulier ſic abiecta, cognati eam ducere recuſantis calceamentum ſoluebat, ex Denter. c.25. Commodiſſimè denique in rem noſtram idem Gregorius eodem loco, ſpectari putat à Baptiſta ligaturam myſterij, id eſt implexitatem vnionis hypoſtaticæ; quam enodare & expedire, ſupra vires ſuas eſſe agnoſcebat Ioannes. Quid verò mirum terreſtrem illum & corporatum Angelum, ad huius vnionis arcanum penitiſſimè perſpiciendum nequaquam peruaſiſſe, cum etiam Angeli in cœlo, (per ſuas quidem naturales vires, tametſi perſpicaciſſimas,) planè circa hoc cæcutiant?

Vſum doctrinæ de Verbo calceato ſuggerit Petrus Damiani ſerm.60. monſtrans ſicut Verbum calceatum tranſiuit ſeptem riuos fluuij Ægypti iuxta Iſaiæ vaticinium c.11. ita nobis aſſumenda eſſe calceamenta denſa & ſubtiliter cõſuta aquas excludentia, cuiuſmodi præſertim eſt calceus quem ſibi Verbum aptauit. Nos quoque aptemus eum nobis, vt calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, ſecuri procedamus.

CAPVT V.

Verbum Inumbratum ac Tenebratum.

285. VIdebor egiſſe incõmodè, qui in Lege noua, & plenitudinis per Chriſtum inuectæ tẽpore, vmbram cogitem atque perſonam. *Vmbram habuit lex futurorũ bonorũ*, teſte Apoſtolo Hebr.10. & *exemplaria vmbraſq; cœleſtium*, vt c.8. præmiſerat. Nimirum vt eſt apud S. Macarium hom.32. [Quomodo corporis vmbra ortum habet ab ipſo corpore, carnis tamen officium implere nequit; nam alligare vulnera, eſcam præbere, vel loqui, non poteſt vmbra, etſi manat à corpore, præcedénſque declarat corporis præſentiam: eodem modo Lex vetus, eſt vmbra noui Teſtamenti. Prænunciat autem vmbra veritatem, non tamen ſuppeditat ſpiritum. Non poterat enim Moſes carnem indutus penetrare cor, & auferre ſordida veſtimenta tenebrarum: ſed ſpiritus dũtaxat à ſpiritu, & ignis ab igne, tollit vim peruerſæ calignis. Itaque circumciſio quæ vigebat in vmbra legis, innuit appropinquantem veram cordis circumciſionem; & baptiſma legis, eſt vmbra rerum verarum.] Huc reſpexiſſe Apoſtolum, cum dixit, in Chriſto corporaliter inhabitaſſe Deitatis plenitudinẽ, affirmat S. Auguſtinus 12.de Gen.ad lit.c.7. his verbis. [Satis eſt ſcire, corporaliter aliquid vel propriè dici cũ de corporibus agitur, vel etiam tranſlato vocabulo, ſicut dictũ eſt, *quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Neq; enim diuinitas corpus eſt, ſed quia Sacramenta veteris Teſtamenti appellat vmbras futuri, propter vmbrarum comparationem, corporaliter dixit habitare in Chriſto plenitudinem Diuinitatis, quod in illo impleantur omnia, quæ in illis vmbris figurata ſunt; ac ſic quodam modo vmbrarum illarum ipſe ſit corpus, hoc eſt, figuratum, & ſignificationum illarum ipſe ſit veritas.] Sed & Hieron.q.10. ad Algaſ. Chriſtum dici *corpus*, ad diſtinctionem ab vmbris Iudaïcis, affirmat. Videbor igitur, peiperàm vmbras in legem gratiæ, & ipſum Chriſtum inducere.

Etiam in Lege noua, vmbræ complures.

286. Nihilominus eſſe etiam in lege gratiæ vmbras, argumento eſt, quod tantùm in cœlo alpirare dies dicitur, & inclinati vmbra; id eſt amoueri iuxta Gillebertum ſerm.27.in Cant. Vnde hæc, tametſi vmbræ minores ſunt quàm olim per hyemen veteris legis, tamen non prorſus nullæ ſunt: de quo latè & optimè S. Ambroſius 4.Hexaëm.c.5. itémq; ſerm.3.in Pſ.118. ad illud *retribue ſeruo tuo*, ſic enim ait. [Hic in vmbra viuimus. Ergo iſta vita in corpore, vmbra eſt vitæ atque imago, non veritas. Denique in imagine ambulat homo, & in regione vmbræ mortis conſiſtimus. Sed ſi quis non ad terrena oculos mentis intendat, ſed ad ſpiritalia erigat, vt poſſit dicere, *ſpiritus, ante faciẽ noſtrã Chriſtus Dominus*; dignus erit qui dicat: *in vmbra eius viuemus*. Chriſtus enim vita eſt; & ideò qui in vmbra Chriſti viuit, in vmbra vitæ eſt. Meritóque alibi dicit Sanctus Domini, *in vmbra alarum tuarũ protege me*. Omnes ergo, etiam ſancti, in vmbra ſunt, quamdiu ſunt in corpore: non perfectè vident, ſed ex parte cognoſcunt. Ipſe Paulus ait; *ex parte enim cognoſcimus*. Ipſe vas electionis, cui Chriſtus oculos reddidit, & ſua illuminauit gratia, non facie ad faciem, ſed per ſpeculum videbat. Et Dauid reuelari oculos ſuos petit, vt temoneretur vmbra, quæ integrum oculorum impediebat obtutum. Regionem autem hanc, mortuorum eſſe quis dubitet, cum Sanctus ipſe dicat: *Placebo Domino in regione viuorum*. Quia perfectè hic placere nemo poteſt, vbi etiam ſi fieri poſſit vt ſua peccata non habeat, in ipſa tamen mortuorum

regione

regione viuendo, purificatione indiget, quæ à conragione eum regione huius absoluat. In vmbra igitur hîc viuimus, & ideò in vmbra custodimus verba Dei. Et vt exemplo vtamur, vtique ante eramus sub vmbra legis, quando custodiebamus homines sabbata, quæ sunt vmbra futurorum: sicut hodiéque Iudæi, qui verum sabbatum non vident, qui exemplari & vmbræ seruiunt. Nos quoque secundùm Euangelium nunc viuentes, vmbram sequimur verborum Dei. Nathanaël sub arbore fici videtur; Dauid in vmbra alarum Domini Iesu, spetate se dicit; Zachæus in arborem Symorum ascendit, vt Christum videret. Nobis quoque expandit manus suas Iesus, vt rorum mundum obumbraret. Quomodò non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? quomodò non sumus in vmbra, quos crucifixus à malignitate seculi, & corporis adoge defendit?]

Pulchrè item Bernardus serm. 48. in Cant. his præter cætera. [*Sub vmbra eius quem desideraueram sedi.* Et Propheta: *Spiritus*, (inquit) *ante faciem nostram Christus Dominus, in vmbra eius, viuemus inter gentes.* In vmbra, in gentibus; in luce cũ Angelis. In vmbra sumus, quandiu per fidem ambulamus & non per speciem. Et ideò iustus in vmbra, quia ex fide viuit. At qui vinit ex intellectu, beatus est: quia non in vmbra iam, sed in lumine. Iustus erat Dauid, & ex fide viuebat, cum dicebat Deo: *Da mihi intellectum vt discam mandata tua, & viuam*: sciens succesſurum fidei intellectum, intellectui seruandum lumen vitæ, & luminis vitam. Priùs est venire ad vmbram, & ita ad id cuius vmbra est pertransire; quoniam *nisi credideritis* (ait,) *non intelligetis.* Vides fidem, & vitam esse, & vitæ vmbram?] Et serm. in natiu. Deip. de Aquæductu. [Signanter de Christo Propheta loquitur, dicens: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in vmbra eius viuemus inter gẽtes.* Nã inter cœlestes quidem beatitudines, non in vmbra viuimus, sed potiùs in splendore. *In splendoribus sanctorum* (inquit) *ex vtero ante luciferũ genui te.* Verum id quidem Pater: At Mater sanè eundem ipsum in splendore non genuit, sed in vmbra, nõ nisi ea tamen qua obumbrauit Altissimus. Meritò proinde canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia Sanctorum, quæ in excelsis & in splendore est; sed quæ interim peregrinatur in terris. *Sub vmbra eius* (ait,) *quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Lucem quippè meridianam vbi petit sponsus, sibi petierat indicari, sed repressa est, & pro plenitudine luminis, vmbram; pro satietate interim, gustum recepit. Denique non ait, *sub vmbra eius quam desideraueram, sed sub vmbra eius quem desideraueram, sedi.* Neque enim ipsius expetierat vmbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno.] Non absimilia Philippus Abbas lib. 3. in Cantica cap. 22.

Audi denique Origenem hom. 8. in Iosue *sub medium.* [Aduentus Christi vnus quidem in humilitate completus est, alius verò spetatur in gloria. Et hic primus aduentus in carne, mystico quodam sermone in Scripturis sanctis *vmbra eius* appellatur, sicut & Hieremias Propheta denunciat dicens. *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui nos diximus, in vmbra eius viuemus in gentibus.* Sed & Gabriel cum euangelizaret Mariam, de natiuitate eius, dicit, *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Propter quod intelligimus, quàm plurima primo hoc aduentu eius adumbrari, quorum completio atque perfectio, in secundo consummetur aduentu. Et Apostolus Paulus dicit, quia *resuscitauit nos cum eo, simulque sedere fecit in cœlestibus.* Et vtique nondum videmus credentes, aut resuscitatos esse iam, aut in cœlestibus consedisse: sed adumbrata sunt quidem hæc nunc per fidem, quia mente & spe à terrenis, & moribus operibus eleuamur, & quotidie cor nostrum erigimus ad cœlestia & æterna: implebitur autem hoc in secundo eius aduentu: vt ea quæ nunc fide & spe præsumpsimus, tunc etiam rerum effectu corporaliter teneamus.]

Si licet dicere, vmbra nostra simplex est, Iudæorum gemina fuit. Nam nunc vmbræ nostræ, rerum duntaxat cœlestium quas adulta felicitatis die conspicabimur, adumbrationes sunt, quales in Ecclesiastica Hierarchia describit S. Dionysius c. 5. Iudæi verò & remotè earumdem cœlestium rerum, & proximè ac immediatè nostrarum, vmbras habebant. Idem alijs verbis sic dixit Method. lib. de castitate apud Photium Cod. 237. [Lex, figura & vmbra est imaginis, hoc est Euangelij; Euangelium verò imago futuræ in secundo Dei aduentu veritatis.] Origenes insigniter idem versat hom. 2. in Psal. 38. ad illud *in imagine pertranſit homo*, qui ex Apostolo Hebr. 10. egregiè id eruit.

Nominatim Eucharistia, & passio.

287. Harum legis gratiæ vmbrarum prima & præcipua, ad hoc mysterium spectat. Non me latet Bernardum loco proximè notato, & sermone in Natiu. Virg. de Aquæductu, Eucharistiam proposuisse tanquam vmbram Verbi Dei sub qua viuimus in gentibus, quod ipsum Origenes hom. 3. in Cant. affirmat. Et quidem longè diuersissimo sensu, ab eo quem Bruno Andegauensis Episcopus, & Berengarius eius Arch. diaconus, (referente Durando Episcopo Leodiensi, Epistola ad Henricum Regẽm Francorum cuius mentio est in annalibus Ecclesiasticis anno 1035. ac referẽte etiam Guitmundo l. 3. de Eucharistia *sub finem*,) peruersissimè cõmenti sunt, asserentes non esse in Eucharistia verum & reale Christi corpus, sed eius vmbram duntaxat. Patres igitur prædictos, & post eos S. Bonauenturam sermone quodam de cœna Domini in illa verba Thrẽ. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus*, &c. Fateor vmbram quãdam primariam legis gratiæ in Eucharistiæ mysterio agnouisse, probè cohærentem cum vera & reali corporis Christi præsentia. Nihil tamen inde decedit primatui quem inter omnes nouæ legis vmbras, dedimus vmbræ quæ in mysterio Incarnationis interuenit. Nam Eucharistia est tantùm extensio quædam mysterij Incarnationis, vt alibi ex Chrysostomo dicendum est: vnde quidquid de Eucharistia dicitur, in mysterium Incarnationis suo modo æquè cadit.

Admitto præterea passionem & mortem Crucis inumbrationem Verbi fuisse, nec tenuem: passim enim illa diuini splendoris quasi detritio, & in Scripturis & in Patribus *vmbræ* nomine, quæ Verbi lucem nobis temperauerit, expressa habetur. In hunc sensum accipi video à S. Ambrosio celebrem illum locum ex c. 4. Threnorum *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, cui diximus, in vmbra eius viuemus in gentibus.* Ita enim habet serm. 15. in Psal. 118. in literæ Samech expositione. [Passionem Domini Saluatoris, prophetati liquet & defleri ab Hieremia, non excidium Iudæorum: quod cùm ex alijs, tùm ex illo intelligi potest, quia in posterioribus habet, *Spiritus ante faciem nostrã Christus Dominus, comprehensus est in interitu nostro, sub cuius vmbra, diximus, viuemus inter gentes.* Quid hoc manifestius, quando & nomen expressum est, & comprehensio inter manus persequentium perfidorum est declarata, & vmbra viuificans, & gratia gentibus conferenda, descripta est?]

Præiuerat Iustinus Apolog. ad Anton. *post medium*, qui monstrans vbique insignia Crucis in rerum natura prostare, etiam in hominis facie designationem quandam Crucis ad modum literæ T. expressæ, atque adeò etiam passionis exhiberi, confirmat ex prædicto

cto loco Threnorum ; in quo secutus Symmachi & Aquilæ interpretationem, non legit, *Spiritus oris nostri* ; sed *flatu narium nostrarum*. Verba eius sunt ; [Hominis figura non aliter à brutis differt, quàm quòd erecta est, & manus expandit, & in facie à fronte protensum nasum præfert, per quem fit respiratio ; vt planè forma crucis videatur, quod & Propheta sic indicat : *Spiritus ante faciem nostram, Christus Dominus.*]

Et detestandum quidem est Mahumetis delirium, quo finxit non Christum, sed eius vmbram pependisse de ligno, vt Codinus refert in Sarracenicis pag. 60. Tamen salua facti veritate quam nequam ille ad vmbram & inanem imaginem reuocauit, verum est, vmbram Verbi Diuini in cruce suffixam fuisse, ibique expirasse. Nihilominùs hæc Verbi inumbratio tametsi permagna, nec satis vnquam suspicienda, eam de qua agimus, quàmque primariam vocauimus, in Incarnatione factam, non æquauit. Longè quippè maior facta est diuinæ lucis quasi decessio & inumbratio per Incarnationem, quàm per passionem : quia multò plus distant Deus & Incarnatio, quàm hominis iam facti passio. Egregiè hoc ponderauit S. Chrysostomus adducendus cap. 11.

Sed præsertim Incarnatio.

288. Primaria ergo, nec tantùm ordine temporis prima, Verbi inumbratio, est Incarnatio. In quem sensum accipi à non paucis video, illud Angeli, Lucæ 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Signo nonullos. Hilarius Diaconus qui creditur Autor qq. Veteris & Noui Testamenti, in 51. [Altissimi Virtus, sine dubio Christus est : hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superueniens ergo Spiritus sanctus in Virginem, sanctificauit eam, opere suo, efficiens corpus sanctum ex ea in quo Virtus, quæ dicitur Dei Filius, nasceretur : cuius obumbratio in Virginem, hoc est vt de immensitate diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur, Virtus Dei esset, qui Dei Virtus, necnon & Deus.]

Origenes hom. 8. in Iosue *sub medium*. [Aduentus Christi, vnus quidem in humilitate complexus est, alius verò speratur in gloria : & hic primus aduentus in carne, mystico quodam sermone in Scripturis sanctis vmbra eius appellatur : sicut & Hieremias Propheta denunciat, dicens : *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui nos diximus, in vmbra eius viuemus in gentibus.* Sed & Gabriel cũ euangelizaret Mariã de natiuitate eius, dicit. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Propter quod intelligimus, quàm plurima primo hoc aduentu eius adumbrari, quorum adimpletio atque perfectio in secundo consumabitur aduentu. Et Apostolus Paulus dicit, *Quia resuscitauit nos cũ eo, simulq; sedere fecit in cœlestibus.* Et vtique nondum videmus credentes, aut resuscitatos esse iam, aut in cœlestibus consedisse : sed adumbrata sunt quidem hæc nunc per fidem, quia mente & spe à terrenis & mortuis operibus eleuamur, & quotidie cor nostrũ erigimus ad cœlestia & æterna : implebitur autem hoc in secundo eius aduentu, vt ea quæ nunc fide de spe præsumpsimus, tunc etiam rerum effectu corporaliter teneamus.]

Nyssenus orat. de Christi natiu. [*Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid significat arcanus hic sermo? *Christus Dei virtus est, & sapientia.* Vt ait Apostolus. Virtus igitur Altissimi, quæ Christus est, per aduẽtum Spiritus sancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur ; sic forma & indicium diuinitatis Dei in virtute ipsius, qui patitur, ostenditur, & imago, & signum & adumbratio, & splendor exemplaris per admirabilem rerum affectionem demonstrabitur.]

S. Ambrosius serm. 3. in Psal. 118. v. 2. [An nescimus quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut Verbum aduenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens ? Venit in nube leui : & cum esset Virtus Altissimi, obumbrauit Mariæ, vt transfiguraret corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori gloriæ suæ.] Et ibidem serm. 5. v. 5. [Hæc vita, in vmbra est. Ideò vt homo Christus Iesus ex Virgine nasceretur, obumbrauit Virtus Altissimi matrem futuram, quia in vmbra descendit, ab vmbra incipiens operari salutem hominis, & consummaturus claritate Solis æterni.

289. Fateor obumbrationem de qua Gabriel Lucæ 1. loquitur, non esse obumbrationem Verbi de qua agimus ; sed obumbrationem Deiparæ ; cui Spiritus sanctus eo verbo significetur futurus maritus ; vt benè ad eum locum tractat Franc. Lucas, & nos infrà alia addemus, agentes de Christi effectione physica. Ideóque negari non potest, Patres prædictos qui eam obumbrationem ad Dei Verbum aptant, & in Incarnatione factam dicunt, minùs consentaneè ad sensum verborum Angeli, esse locutos. Tamen eatenus in rem præsentem adduci potuerunt, quatenus quidquid sit de germano sensu loci Lucæ, eum ipsi traxerunt ad sensum quem nunc intendimus ; hoc est ad Verbi inumbrationem per Incarnationem, diuino iubare per carnis opacitatem attemperato ac velut diluto ; quod commodissime de obumbratione ad Virginem, sed alio sensu quàm diximus accommodata, tradit Amedæus Lausan. hom. 3. de Deip. *in fine*. [Obumbrabit (inquit,) tibi Christus Dei Virtus & sapientia. Ille humanam ex te naturam suscipiet, & plenitudinem diuinitatis, quam ferre non posses, habebit in carnis susceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia luci se inaccessibili assumpta à Verbo humanitas obijciet, cuius obiectu lux illa temperata, castissima viscera tua perfundet.] Pulchrè item Richard. à S. Laurentio lib. 3. de Deip. titulo 1. [Obumbrabit tibi, (inquit,) id est vmbram in te accipiet, hoc est carnem leuem, & à peccato immunem. Peccatum enim pondus est, vmbra autem habet figuram corporis, sed non ponderositatem. Caro enim Saluatoris fuit illa nubes leuis super quam Dominus ascendit in sua Incarnatione, Isaiæ 19. quæ Solem lucis æternæ tegebat instar nubis, & lippientibus oculis mortalium temperabat.] Hoc fusè & eleganter versat Laur. Iustin. l. de casto Connubio Verbi & animæ cap. 2.

Alij Patres egregiè hanc Verbi inumbrationem aut attigerunt, aut tradiderunt, non iam nixi loco illi Lucæ, & verbis Gabrielis, sed alijs locis, & considerationi vmbræ. Origenes hom. 17. in Numeros, tractans populi Dei mansionem in Selmon, sic scribit. [Selmon interpretatur *vmbra portionis*. Illam puto vmbram dici, de qua & Propheta dicebat, *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus : in vmbra eius viuemus in gentibus.* Sed & illa similis huic vmbra est, de qua dicitur ; *Spiritus Domini obumbrabit tibi.* Vmbra ergo portionis nostræ, quæ nobis opacitatem præstat ab omni æstu tentationum, Christus est.] Eodem ferè modo de Selmon eiúsque notione philosophatur S. Augustinus in Psal. 67. ad illud, *Nive dealbabuntur in Selmon* : & addit rationem pulcherrimam, cum Verbum per Incarnationem dicatur inumbrari. [Constat (inquit,) vmbra, luce & corpore. Proinde illud quod in principio erat Verbum, lumen illud verum, vt vmbraculum meridianum fieret nobis, Verbum caro factum est & habitauit in nobis. Deo scilicet homo, tanquam lumini corpus accessit : & in eum credentes, vmbra protectionis

operuit

opertuit. Non enim de quali vmbra dicitur, *transierunt illa omnia tanquam vmbra*; nec de quali vmbra dicit Apostolus, *nemo vos iudicet in cibo, aut in parte diei festi, aut neomœnia, aut sabbatorum, quod est vmbra futurorum*; Sed de quali vmbra scriptum est, *sub vmbra alarum tuarum protege me.*] Eadem breuiter id eum locum Hieronymus.

Analogia inter Incarnationem ac inumbrationem, capita quædam.

290. Sed optimè quoque S. Gregorius l. 33. mor. c. 3. qui varias vmbræ in Scripturæ acceptiones recensens, & monstrans Incarnationem in Scripturis quandoque *vmbra* nomine fuisse designatam, rationem reddit. [Quia enim vmbra non aliter exprimitur nisi per lumen & corpus, virtus Altissimi, Virgini obumbrauit, quia in eius vtero lux incorporea corpus sumpsit.] Eleganter idem tradunt Etherius & Beatus l. 2. contra Elipandum *sub finem* pag. 380.

Idémque voluisse videtur Marius Victorinus *sub finem* libri primi cõtra Arium, sic de Christi formatione scribens: [Necesse fuit liberationis gratia, omne diuinum, hoc est seminarium spirituum omnium vniuersaliter existentium, & id quod est esse primum hoc est vniuersalem λόγον, ab infestore hyle & corruptione animi incarnari, in mortificationem omnis corruptionis & peccati. Tenebræ enim & ignoratio animæ, diuisæ ab hylicis potestatis, eguerunt lumine æterno in auxilium, vt λόγῳ animæ, & λόγῳ carnis, mysterio mortis detrusa corruptione, in reuiuiscentiam & animas & carnes per sanctum Spiritum administratam ad diuinas & viuefacientes intelligentias erigerent cognoscentia, fide, amore. Respondit igitur Angelus Mariæ, & dixit illi: *Spiritus sanctus aduenietin te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc duo in mente, quæ sunt λόγῳ & sanctus Spiritus, ad id vt grauidaretur Maria, vt ædificaretur caro à carne, Dei templum & domicilium aduenerunt: Sanctus quidem Spiritus, potentia in motu; generationis enim principium motus: Virtus autem Altissimi, ipse λόγῳ est. Virtus enim & sapientia Dei, λόγος Iesus. Sed de λόγῳ, hoc est de Filio, *obumbrabit tibi*, dixit. Perfectum enim, diuinum, & splendidè vt est clarum, non capit humana natura. Et hoc significat, & λόγος: *caro factus est.* Magis autem obumbrationem significat, quod dictum est: *Exinaniuit semetipsum.*]

Sanè quod idem Marius l. contra Manichæos, scitè multa ens creatum, ex sua ratione est proprissimè vmbra, quia est ens luce entitatis, & tenebricositate aliqua permixtum, continuè à Deo pendens, vt vmbra à suo corpore: & vt addit S. Chrysostomus, ser. 2. in Psalm. 43. quia eo maior videtur creatura, quo à Deo magis elongatur: ei verò approximata, aut nulla est, aut modica; sicut in vmbra, Sole non dissito contingit. Apte ergo vmbræ rationem habere dicitur, quidquid inter nos est, ac proinde etiam Verbum ex quo per humanitatis assumptionem ad nos venit. Nimirum vmbra vt vidimus, neque est lux mera, neque meræ tenebræ, sed aliquid ex vtriusque adunatione conflatum, ac proinde pendoneum ad rei creatæ sublunaris significationem. Quod enim S. Bernardus serm. 72. in Cant. ad illud, *donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, optimè tetigit, & pulchrè etiam prosecutus est Guerricus serm. 3. de natali Apostolorum, quo de vmbra laté disserit, hæc regio est regio vmbrarum. In cœlo est mera & pura lux: in inferno, meræ tenebræ. Vnde Iob. c. 25. vocat eum, *terram miseriæ & tenebrarum.* In quæ verba S. Greg. 9. moral. c. 46. obseruat, ipsum quoque inferni ignem, fore tenebrosum, quod probat ex tenebris exterioribus in quas exlex & improuidus omnium proiectus est: id est, in obscurum ignem: itemque ex Psalte, qui de damnatis ait, eos non vidisse Solem, *quia supercecidit ignis.* S. Basil. conc. 1. in Psal. 28. eodem aptat verba illa, *vox Domini diuidentis flammam ignis.* Inter hæc duo extrema, meram scilicet lucem, & meras tenebras, est status noster, qui est status vmbrarum, hoc est lucis & tenebrarum permixtim: vt propterea Iob ibidem, vocet hunc statum, lucis & tenebrarum: *Terminum* (inquit) *circumdedit aquis donec finiantur lux & tenebræ*: id est vsque ad finem præsentis status, qui ex luce & tenebris permixtus est. Alibi vocat *lucem sparsam.* Quæ enim dispersa sunt, non continuantur, sed interpolantur; eóque pacto accepit S. Gregor. 29. moral. c. 13. illud eiusdem Iobi *per quam viam spargitur lux?* Quare non incommodè, Verbum ad nos veniens, inumbrari dicitur.

Sigillatim, pars vtraque humanitatis Christi, vmbra Verbi.

291. Hactenus generatim de hac Verbi per humanitatem inumbratione. Possumus verò eandem sigillatim astruere, considerando seorsim vtramque humanitatis Christi partem; corpus inquam & animam: vtraque enim harum partium, in Scripturis & Patribus, rationem vmbræ per comparationem ad Verbum diuinum habere censetur. De corpore ita disertè S. Ambros. ser. 19. in Psal. 118. *Initio.* [Quasi ostendens Christum Propheta, dicit, *spiritus ante faciem nostram Christus Dominus comprehensus est in interitu nostro. In vmbra eius viuemus inter gentes.* Et infrà: *Bibes* (inquit,) *& inebriaberis, adhuc visitabit iniquitates tuas, reuelabit super peccata.* Quàm breuiter aduentum & passionem eius expressit, remissionémque omnium peccatorum; quam apertè congregationem futurarum gentium declarauit. Hinc illud Apostolicũ *quia cæcitas ex parte in Israël contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.* Veni Domine Iesu, sed iã non in vmbra, sed in Sole iustitiæ. Si vmbra profuit, si passionis tuæ vmbra protexit, si corporis vmbra saluauit, quantùm conferre poterit claritas aperta virtutis? per vmbram, lepra curata est. Per vmbram quoque, illius feminæ quæ fimbriam vestis Dominicæ attigit, sanguis stetit. Per vmbram te vidimus, quando non habebas speciem neque decorem. Vmbra tua, caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigerauit cupiditatum; quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restrinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ diuersarúmque passionum incẽdia temperauit. Et quid dicam de vmbra Domini, quando & Apostolorum vmbra sanabat? Veniente enim Petro, vnusquisque offerebat ægros suos, quos transeuntis Apostoli vmbra, reddidit sanitati. Audi quia caro Domini vmbra erat. *Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptũ.* Dauid dicit: *Sub vmbra alarum tuarũ protege me.* Factus est igitur, exinanitus vmbra mortis, quos Sol iniquitatis exusserat.] Nobis quidem, vmbra facta est Christi caro, quoad vmbræ effectum: id est ad arcendum cupiditatum æstum, ac ne velut Sole sub nube torrente propago fortium marcesceret funditus. Priùs tamen illa eadem caro vmbra fuit in seipsa, respectu diuini Verbi, quod ea exinanitione & abiectione, decoloratum est, ac inumbratum.

292. Animam verò Christi à carne eius inumbrari, ex eo liquet, quod docet Origenes hom. 3. in Cant. affirmans idcirco dictum esse à Iobo, quod *sicut vmbra dies nostri sunt super terram*, [Quia anima in hac vita, velamento huius crassi corporis obumbratur.] Verùm quia non agimus, an anima Christi inumbrata sit, sed an ipsa ad Verbum cui copulata est, habuerit rationem vmbræ, audiendus est Autor libri secundi de Incarnatione apud Augustinum tom. 4. vbi de Christo & eius animæ sanctitate disputat, his præter cætera. [Arbitror sanè

sanè Hieremiam Prophetam intelligentem quæ sit in eo natura Dei sapientiæ, quæ etiam hæc quam pro salute mundi susceperat; dixisse, *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus, quod in vmbra eius viuemus in gentibus.* Pro eo enim quòd sicut vmbra corporis nostri inseparabilis est à corpore, & indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit & gerit; puto eum, animæ Christi opus, ac motum qui inseparabiliter inhærebat, & pro nutu eius ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, vmbram Christi Domini hanc vocasse, in qua vmbra nos viueremus in gentibus. In huius namque assumptionis Sacramento, gentes viuunt, quæ imitantes eam per fidem veniunt ad salutem. Sed & Dauid dicit, *Memor esto opprobrij mei Domine quòd exprobauerunt me in cõmutationem Christi tui.* Similia mihi videtur ostendere. Et Paulus quid aliud sensit, cum dicit; *Vita nostra abscondita est cum Christo, in Deo.* Et quid etiam in alio loco dicit, *an experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Et nunc Christum in Deo dicit absconditum: Cuius rei intellectus est difficilis, nisi talis aliquis indicetur, qualem per vmbram Christi à Propheta significatum esse suprà diximus.] Hæc Autor ille, exscribens Origenem 1. periar. c. 6.

Vmbra horologij Achas, typus inumbrationis Verbi.

293. Ex his ergo perspicuè habetur, Verbi Diuini per adiunctam ei humanitatem obumbratio aliqualis; imò propè infinita, vt optimè intelligi potest ex egregio discursu Petri Damiani serm. 20. quo in Incarnatione vmbram decem lineis progressam, tandémque Solem Iustitiæ renatum, depulsam abiectionem, & vmbram deiectam, sic demonstrat post expositos varios Verbi Dei quasi saltus pro nobis è cœlo ad Virginis vterum, crucem, mortem, ipsúmque etiam infernum. Sic igitur ait. [Planè vt nos post se currere faceret, istos pro nobis gradus manifestata per carnem veritas ad nos descendendo disposuit, & quodammodò cuiusdam mystici horologij Sol Iustitiæ Christus, hæc ad nos se inclinando momenta distinxit. Qui nimirum exultauit vt gigas ad currendam viam, vt nos ei ex corde diceremus: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorũ tuorum.* Et fortassè isti sunt gradus illius horologij, in quo Rex Ezechias vmbram reuerti decem lineis petijt. Quod videlicet Esaias Propheta in signum recuperandæ salutis illius, Dominum inuocans, protinùs impetrauit. Descenderat itaque Sol, emensis iam decem gradibus horologij, sed per eosdem gradus iterum redijt. Quod videlicet signum esset, per quod se Rex Ezechias saluti pristinæ restituendum esse consideret: Enimuerò nec genus humanum ad incolumitatem, quam amiserat, de sui langoris ægrotatione conualuit, quandiu lux vera Christus, decem eos quos enumerauimus mystici horologij gradus, ad occasum se humiliando percurrit.]

Hæc est vna ratio, quam init hic Autor exponendi vmbræ descensum in horologio hoc mystico. Subdit verò aliam rationem; hunc item optimè spectantem, quam placet non premere. [Quanquam (inquit,) per vmbram decem graduum, & aliter supernæ dispensationis possumus intelligere Sacramentum. Diuersitates quippè temporum quasi quædã distinctiones sunt in horologio linearum. Soli námque Iustitiæ Christo, primus ad nos descensionis gradus fuit, de Deo in Angelum. Vnde est, quòd & per Esaiam magni consilij Angelus dicitur: Et qui cum Iacob loquebatur Deus, Angelus nuncupatur. Hinc est, quod per eundem Iacob dicitur: *Dixit Angelus Domini ad me in somnis: Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & vouisti mihi.* Nimirum vt idem ipse, qui loquitur, & Deus simul & Angelus ostendatur. Secundus descensionis gradus fuit in Patriarchis, per quos scilicet ipse Dominus, vnius Dei cultum, ac veræ fidei fundamenta constituit. Tertius in promulgatione Legis, quam & ipse priùs, audiente populo, protulit; & post modum in lapideis tabulis, proprio digito exarante, descripsit. Quartus in Iesu Naue, in quo, sicut nomine, sic & opere degens, in terram repromissionis, populum introduxit. Quintus fuit gradus in Iudicibus, per quos nimirum Israëlitica plebem & ipse regebat. Sextus in Regibus Iudæorum, quia in eis principaliter ipse regnabat. Septimus in Prophetis, quia per eos ipse & annunciatus est, & loquutus. Octauus in Pontificibus, in quibus ipse, qui summus est Pontifex, veri, & æterni sui Sacerdotij mysterium figurauit. Nonus autem gradus designatus est in homine. Decimus in Passione. Per hos itaque decem gradus, quasi per vmbram Veteris Testamẽti, Sol Iustitiæ Christus in nostræ mortalitatis descendit occasum: & per eos iterum, post resurrectionem suam in cœlum victor ascendit, omnémque illam vetustæ Legis vmbram, veritatis suæ, ac nouæ gratiæ radijs illustrauit; obscura reuelans, clausa reserans, & omnia sub velamine literæ tecta denudans. Et sicut tunc Sũ, lineatim quidem, ac morosè processerat; repentè autem ad ortus sui est reuersus originem; sic nimirum, sic Redemptor noster, ea quæ de Incarnationis suæ mysterio per longa temporum interualla signauerat, in sola resurrectionis, atque ascensionis suæ gloria subitò patefecit.]

Quæ Galfridus ad c. 18. Isaiæ in Tilmanni allegorijs Veteris Testamenti, de huius vmbræ cremento et cõmentatus, iucundum fuerit audire. [Reuersus est, (inquit) Sol decem lineis per gradus per quos descenderat, sicut legitur in Esaia. Et quidem quod ad litteram pertinet, magnum id fuit & singulare: quod ad Spiritum longè ampliùs, vbi de Sole ipso, vt arbitror, nemo iam dubitat. Neque enim est qui se abscondat à calore eius. Quærendæ igitur lineæ istæ decem, per quas descenderit & ascenderit. Nam qui descendit, ipse est & qui ascendit. Et fortassis ordines decem creaturæ rationalis, liceat suspicari linearum nomine designari: nouem scilicet Angelorum, hominum vnum. Quemadmodum autem per easdem lineas descenderit vel redierit, diligentioris eget inquisitionis. Nam quod descenderit & ascenderit, omnibus iam fidelibus est manifestum. Vsque adeò siquidem semetipsum exinaniuit, vt nõ modò minoratus ab Angelis, sed opprobrium hominum & plebis abiectio videretur. An non infrà visus est homines descendisse, cum ad inferos vsque peruenit? Vnde etiam (vt quidam ait,) mirum non erat apud superos tenebras esse, cum Sol descendisset ad inferos. Cæterùm redijt, & ascendit vnde descenderat. Neque inter homines, vel in vno quolibet Angelorum ordine stetit. Sic decem lineis creuit vmbra, dum inclinatus est sol.] Quæ subijcit de solis reditu, & vmbræ decremento, quia non spectant ad præsens negotium, missa facio. Sed non est omittendum quod postea addit, quærens cur sol per decem tantùm lineas descenderit. [Sed quærendum (inquit,) videtur, cum constet duodecim horis diurnum solis cursum constare; cur decem tantùm lineas in eodem signo descendisse vel ascendisse dicatur. Fortè enim præter has decem, duæ quædam sunt lineæ, quarum in altera semper stetit, ad alteram non peruenit. Prima siquidem, congruè Diuinitas intelligitur, initium diei, fons luminis, & totius deinceps claritatis origo. Hanc igitur nunquam transijt, nunquam ab ea descendit Christus Deus noster. Hæc quidem prima linea rationalis substantiæ, non creaturæ, sed creatricis. Ex qua deinceps prodiêre, quas diximus lineæ decem, per quas sol descendens, transijt & ascendit. Nam earum nouissima spiritibus fortè malignis congruè

bonigrè deputatur, in quibus velut crepusculū quoddam diei imitatur & noctis perspicax sensus; sed malignos affectus nec omnimodò luce carens intelligentia, sed voluntas nimirùm tenebrosa. Cæterùm nunquam ad eiusmodi lineam sol peruenit. Nunquam enim & nusquam, vt ego arbitror, vel corporeus sol in crepusculo noctis apparuit, nec modò malignis spiritibus spiritalis sol illuxit; sed nec hominibus in eorum sorte damnatis.] Vno verbo sensus est, dimissas illas duas lineas, quia duplici ordini intellectualis substantiæ, non profuit Verbi exinanitio atque descensus sollis. Non enim Deo, cui nihil deest, ac proinde nemo illi prodesse propriè potest; Sed neque damnatis spiritibus, & eorum partiarijs improborum animabus. Mox etiam duas illas lineas prætermissas, interpretatur creaturas insensibiles, & sensibiles rationis expertes, quia illis nihil propriè contulit Christi aduentus: Atque adeò neque ijs qui in plantas, vitæ soli vegetatiuæ addictas transibunt; aut insensibili obstinatione laborabunt; vel pecuabuntur vt bestiæ, quicquam proderit diuini Verbi inumbratio, vt Galfredus rectè contemplatur. Aliter eum Christi descensum & regressum per lineas decem prædictas prosequitur Gilleberti (si is autor) in altercatione Synagogæ & Ecclesiæ cap. 17.

Quàm bona Verbi incarnati vmbra, & gratiæ pro ea.

294. Absit verò à mentibus & vocibus nostris, impissima insolitas hominis, cui pepo pro corde fuit, (Marcionē dico,) quem S. Chrysostomus hom. 7. in ep. ad Philipp. Verbum dixisse refert in similitudinē hominum factum, *vmbram indutum*. Vmbra quā induimus Verbum volumus, est ipsa humanitas, & ex huius fidei ductu exacta vita, vmbra nobis est in gentibus. S. Bernardus serm. 3. in Cant. *ad finem*, id pulchrè prosequitur verbis illis. [*Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in vmbra eius viuemus inter gentes*: quod scilicet videamus nunc per speculū & in ænigmate, & nondum facie ad faciē. At istud sanè donec viuimus inter gentes. Nam inter Angelos aliter: quando iam indifferenti omnino felicitate cum ipsis, videbimus eum & nos sicuti est, hoc est in forma Dei, & non in vmbra. Quomodo namque apud veteres quidē vmbram figuram que dicimus extitisse: nobis autem per gratiam Christi in carne præsentis, ipsam per se illucescere veritatem: ita nos quoque respectu futuri seculi in quadam interim veritatis vmbra viuere non negabit, nisi qui non acquiescit Apostolo dicēti: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Et illud, *Non arbitror me comprehendisse*. Quomodò enim non est distinctio eius qui per fidem ambulat, & illius qui per speciem? Ergo iustus ex fide viuit, beatus exultat in specie. Et ideo sanctus homo vinit interim in vmbra Christi, sanctus Angelus in splendore vultus gloriæ gloriatur. Et bona fidei vmbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim; *Fide mundans corda eorum*. Fides itaque fidem non extinguit, sed cubacit. Quicquid sanè est istud quod videt Angelus, hoc mihi vmbra fidei seruat, fideli sinu repositum, in tempore reuelandum. An non expedit tenere vel inuolucrum, quod nudum non capis? Denique & mater Domini vinebat in vmbra fidei, cui dictum est *& beata quæ credidisti*. Habuit & de Christi corpore vmbram, quæ audiuit: *Et Virtus Altissimi obūbrauit tibi*. Nec enim vilis vmbra, quæ de Virtute Altissimi formatur. Et verè Virtus in carne Christi, quæ Virgini obumbrauit, & quod impossibile erat mortali fœminæ, obiectu tamen inuolucri vinifici corporis ferret præsentiam Maiestatis, & lucem subsisteret inaccessibilem. Virtus planè ista qua omnis contraria fortitudo debellata est. Et virtus & vmbra fugans dæmones, tutans homines; aut certò virtus vegetans, vmbra refrigerans. Viuimus proinde in vmbra Christi, qui per fidem ambulamus, & carne ipsius pascimur vt viuamus.] Non dissimilia habet serm. de aquæ ductu *initio*.

Agamus Deo nostro pro hac inumbratione gratias, verbis Nysseni hom. 4. in Cant. ad illud, *Lectus noster vmbrosus*, quod sic glossat. [Hoc est te cognouit aut cognoscet humana natura, vmbrosa facta dispensatione. Venisti enim (inquit,) tu pulcher & decorus patruelis meus, ad lectum nostrum factus vmbrosus. Nisi enim ipse teipsum obumbrasset serui forma, operto mero radio Diuinitatis, quis tuam sustinuisset apparitionem? Nullus enim vnquam videbit faciem Domini & viuet: venisti ergo speciosus, sed talis effectus, vt te possemus suscipere. Venisti adumbratis radijs Diuinitatis, integumēto corporis. Quemadmodum enim potuisset mortalis natura & in quam cadit interius, comungit cum ea quæ interitui minimè est obnoxia, & ad quam non patet aditus, nisi nobis viuentibus in tenebris, vmbra corporis fuisset interiecta inter lucem? Lectum autem nominat vt sponsa, tropica significatione interpretans humanæ naturæ cum diuina contemperationem. Quōmodō etiam magnus Apostolus despondet nos virginem Christo, animamque ornat tanquam sponsam, & deducit duorum coniunctionem ad vnius corporis vnionem: & magnum dicit esse mysterium ac Sacramentum vnionem Christi cum Ecclesia. Cum enim dixisset, *Erunt duo in vnam carnem*, subiunxit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Propter hoc ergo Sacramentum, lectum anima Virgo, nominauit cum Deo coniunctionem ac societatem.]

Præsuppositio ad exponendam Verbi in Incarnatione tenebrationem. Deus lux vera.

295. Exhibuimus hactenus Verbum inumbratum. Nunc subiungenda est eius tenebratio, quæ inumbrationis consummatio est, cum vmbra portiunculam lucis admittat, quam prosus excludunt tenebræ. Vt autem Dei Verbi obtenebratio per coniunctionem cum humanitate fiat perpicua, recolendum est, Verbum Dei cum sit Deus verus, non posse commodiùs à nobis in hac vita concipi, quàm specie lucis. Quod enim Autor Theolog. Ægypt. lib. 11. cap. 4. rectè perspexit; nullum est è sensibilibus, quod commodiùs delineare nobis vtcumque possit superiora quàm lux, ob summam illius qualitatis puritatem, quâ è corporibus cœlestibus non excluditur, sicut cæteræ inferiores qualitates. Cum ergo hic quamdiu anima corpori colligatur, non possumus in spiritualia ferri absque interiectu corporei alicuius simulachri; (id enim est quod Isido. Pelus. ait lib. 2. epist. 3. & 5. sapientiam propinare hic nobis vinum mixtum, & quod ait S. Dionys. diuinum radium hic non affulgere nobis nisi velatum:) propterea intelligentes Deum, speculamur phantasma lucis, sequentes Scripturæ ductum, in qua Deus vt loquitur S. Chrysost. balbutiendo nobiscū, diuina & superiora omnia, *Lucis* vocabulo exponit: *Deus lux est*, ait de Deo Ioannes; & de Verbo *Erat lux vera*. Angelos *lumina* appellat Scriptura. Vnde Deus *Pater luminum* dicitur; & boni, *Filij lucis* appellantur: Hoc imitati sacri Doctores, Deum specie lucis immensæ solent exhibere. Agit de huiusmodi imagine Dei Simon Magus 2. recognit. approbante ibidem S. Petro. Agit ibidem de ea S. Dionys. cap. 2. & 4. Diu. Nom. tria adiuncta, lumen scilicet, splendorem, & calorem secernens, quæ tribus sacræ Triadis personis respondere docet. Hoc est lumen trifulgidum iuxta Nazianz. orat. 43. cuius conscij Græci, referente Ioanne Cypariſſiota, decade 6. cap. 9. Ves-

peri cum instante nocte lumen accendebatur, pro salutatione & fausta serotini temporis apprecatione inter nos recepta, acclamabant: *Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto.* Hic est splendor supra omnes fulgores, gloria supra omne præconium, ait Cassiod. l. de anima cap.10. probans Deum esse lucem. Et alia quidem nonnulla præter lucem dicere licet esse lucida, esse autem lucem, de nullo siue homine siue Angelo, quantumuis perfecto, fas est dicere. Imò de quouis infra Deum, fatendum est cum Euangelista *non erat ille lux* (inquit S.Thom.1. Timo.6.) Sed de diuinæ lucis infinitate videndus Autor libri de cognitione veræ vitæ cap.8. quem deflorauimus in Natur. Theol. distinct.7. num.145.præmissis num.144 prermultis, de analogia Dei ac Solis: quam nominatim quoad diuinum Verbum, fusè exhibet Iustinus l. de Trini. Et vtcumque adumbrasse visus est Plato, vocans Solem *Filium boni.*

Fabula Manichæorum, de luce tenebrata.

296. Sic splendens apud Deum, Deus Verbum, vt nobis esset salus, tenebrari quodammodò per nostræ fuliginis assumptionem dignatum est. [Figmenti sui misertus Deus (ait Gregorius 2.Epistola 1. ad Leonem Isaurum.) de cœlis descendens in ventrem Virginis Mariæ ingressus est, cum in eius vtero verum lumen eluxisset, & seminis loco lumen factum est caro, & in Iordane fluuio baptizatus est & nos quoque baptizauit.] An alludit ad lucem igneam ex aquis emergentem in Christi baptismo, vt Iustinus in Tryphone testatur? Vt vt sit, lumen in vtero factum est caro atque adeò tenebratum est. Rem expono allegatione fabulæ quam ex Manichæis refert S.Aug. Hær.46. & distinctiùs Damascenus dial. contra Manich. locum ex parte dabo cum de Christo victore. Scio Manichæismum, *Marcorem Ecclesiarum* dictum à S.Basilio hom.2. Hexaëm. Nec me latet S.Leonem serm.5. de Ieiun. & S.Cyrillum Catech.6.& 16.Manichæos tanquam errorum & fabulamentorum omnium sentinam traducere: iuxta Isidorum verò Pelusiotam lib.1. epist.413.ipsum Diabolum impietate longè superarunt Manichæi. Sed quid vetat ex rubis flores speciosissimos, & ex tribulis ficus legere, quando scriptura quoque, vt notauit Nyss. hom.9. in Cant. à fabulis Ethnicis, cum ita nostra interest, non abhorret? Et profert cornu Amaltheæ de quod apud Iobum.& emissiones cinnamomi Cant.4. iuxta fabulam de vi cinnamomi ad ahenum feruens restinguendum. Id ipsum alter item Gregorius confirmat 9. mor.c.9. proferens Arcturum, & Orionas, & Hyadas, & interiora Austri, de quibus apud Iobum. Quia ergo exactis per Christum fabulis Ethnicis, successerunt hæreticorum fabulæ, vt philosophatur Philotheus initio encomij trium Patrum, ipseque Apostolus disertè ait hæreticos ad fabulas conuerti; non refugiam narrationem Manichæorum plusquàm fabulosam ad mysterij in quo versamur adumbrationem. Sic enim quod factum volebat S.Hilarius, *Mentientium absolutiore dedecore, mendacia proficient veritati.* Manichæi ergo fabulati sunt, Deum & materiam per infinita sæcula hæsisse in sedibus suis. Deum vocabant plenam & puram lucem, vitam & motum. Materiam verò tenebras, mortem, & stuporem ipsum. Post infinita sæcula, contigit emoueri loco materiam, & inter eius partes concitari tumultum intestinum, ac seditionem longè maximam, quibusdam partibus alias insequentibus,ad regionem vsque lucis, quam Deo inhabitanti conecedebant Manichæi. Inhibitutus itaque Deus progressionem seditionis motæ inter partes materiæ, emisit à se formam cui nomen fecerunt *Matri vitæ*; vnde elementa & homo, quibus cum forma prædicta tenebras aggredi & conflictu decernere aggressa est; sed ferè in cassum; Imò non absque dispendio ingenti. Nam homo,primarius matris vitæ eommilito, inter confligiendum, tenebris implicitus est & inre belli captiuatus. Quare hominis captiui perpetua interpellatione fatigatus Deus, alterum contra tenebras belli ducem submisit, cui nomen *Spiritus viuens.* Hic à Deo cum descendisset ad hominem, eumque ex potestate tenebrarum eripuisset, dispendium tamen aliquod Deo intulit: Nam Dei partem tenebris permisceri ad conflictum peragendum necesse fuit. Eam verò sui partem Deus, in tenebris ad tempus relictam, voluit obtenebratam & caliginosam, donec tenebrarum plena clades & integrum exitium consequeretur. Hactenus fabula Manichæorum, quam tametsi portentosis mendacijs scatere nemo non videt, tamen quod Athenagoras initio libri de rusurrectione, & Lactant. lib.1. instit. cap.11. rectè obseruauerunt, lolet fabulis aliqua semper veritas substerni, cuius interpolatione & adulteratione, concinnatur fabula.

Accommodatur ad Incarnationem.

297. Quod ergo de Deo lucem inaccessibilem inhabitante, & in summa quiete apud seipsum degente habet hæc fabula, admitto Metaphoricè vt verissimum, & ab Apostolo traditum; itemque à Philone l. de Cherub. vbi à summa Dei quiete, dictum sabbathum Domini philosophatur. Partes materiæ quæ post sæculorum infinitatem conflixerunt, intelligo Angelum tenebrarum, & hominem, Nam tametsi Angelus spiritus est, tamen præ Deo, corpus & materia dicitur. Compactus quippe est potentialitate quæ materiæ & corporis rationem habet. Idque voluisse videtur Faustus, cum negauit creaturas vllas esse incorporeas, Captiuauit rector tenebrarum miserum hominem: sed misertus tandem hominis Deus, post legem, (quæ licet optima, cessit homini in mortem & exitium, tantum abest vt cum captiuitate exemerit,) submisit Filium suum qui Domini virtus & brachium dicitur in Scripturis, cuius aduentu homo captiuitate erutus est; sed cum diuini Verbi obtenebratione aliqua: quod significatum à Psalte verbis illis, *Caligo sub pedibus eius*, affirmat S.Chrysostomus Psal.17. [Caligo (inquit) sub pedibus eius. Operuit enim eos tegumento carnis.]

Idem ænigmaticè expressum à Propheta fuisse, censuit Richardus Victorinus l. de incarnatione Verbi rogatus à S. Bernardo interpretationem oneris Duma. Iuxta Richardum quippe, interpellatus Deus custos hominũ, *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* Quid tandem hac tam densa & terra nocte, hocque tenebrarum regno fiet? Respondet, in proximo esse, vt hominem liberet, aduentu illius qui cum lux esset, admixtione tenebrarum offundendus erat. *Venit* (inquit) *mane & nox*, coniungendas diuino lumini per incarnationem tenebras significans. Qui videtur item esse commentarius, perilluſtris prophetiæ quæ habetur Michææ 4. vbi Propheta prospiciens Christi aduentum in tanta nebulositate ac tenebricositate, alloquitur turrim Ader in qua primùm Deus tenebris latibulum suum positurus, erat conspiciendus, defixusque hæret admiratione quod tantus splendor maiestatis atque ad illas tenebras & vilitatem ac obscuritatem ob salutem nostram demittendus esset sponte sua. *Et tu* (inquit) *turris gregis nebulosa filiæ Sion, vsq; ad te veniet; & veniet potestas prima, regnũ filia Hierusalem.* Turrem Ader quæ erat in Bethleem, vbi Dauid præscius inuenit locum Domino, iuxta S.Cyrillum r.6. conc. Eph. cap.4. ait filiæ Sion fuisse nebulosam, id est interpiete Hieronymo, carnalibus Iudæis despectam, tanquam locum nihili, & minimum in millibus,

brus, siue familijs Iuda. Vsque ad illam obscuritatem venturam incarnatum Dei Verbum quod est potestas prima & regnum promissum filiæ Ieusalem demirantur Prophetæ: & cum primò pronunciasset venturum Dei Verbum ad eam vsque obscuritatem, quasi veritus lectorum diffidentiam, confirmat iterata pronunciatione, omnino illuc vsque venturam potestatem primam propter nos. Censuerim quoque, hanc esse diem illam quæ nota est Domino, Zach. 14. quæ neque est dies neque nox. Nam quamuis eum locum S. Cyrillus Catech. 13. & Theodor. ibi. ac Clemens Romanus 5. Constit. cap. 13. ad tenebras passionis Christi referant: tamen totus contextus aptiùs cadit in diem ipsius Verbi quod est dies ex die, vt S. Fulgentius homilia de duplici Christi natiuitate, interpretatur. Dei ergo lux commixta est tenebris nostris, vt absorbeatur quod mortale est à vita: ea inquam vita, quæ erat lux hominum & à qua alienatos pronunciat Apostolus, eos qui tenebris obscuratum habent intellectum.

Videlis verò an non subitionem nostræ huius tenebrosæ lucis per incarnationem, significare voluerit Clemens Alex. lib. 5. Strom. cum illud Psalmi tertij, *Ego dormiui & somnum cœpi*, ad incarnationem accommodat, quod vt somnus nocte capitur, ita per incarnationem ad nostras tenebras deuenerit Verbum. Clementis oratio eo loco huiusmodi est. [Rursus autem Plato quoque in septimo de Republica eum qui est hîc diem, nocturnum appellauit, propter mundi Principes, vt sencio, harum tenebrarum. Somnum autem & mortem, animæ descensum in corpus, eo modo quo Heraclitus. Numquid autem de Seruatore hoc prædixit Spiritus, dicens per Dauid. *Ego dormiui & soporatus sum; excitatus sum quoniam Dominus me suscipiet.* Non solam enim Christi resurrectionem, ex somno exsitationem, sed etiam Domini in carnem descensum, somnum vocat allegoricè.] Quod Plato dies nostros, nocturnos appellabat, ei nostræ quam dicebam noctis adumbrandæ, peraccommodatum est, spectatque ad hanc rem antiquus vsus Gallorum & Germanorum, quos ex Cæsare & Tacito obseruat Sirmondus ad l. 2. epistolarum Goffridi Vindoc. in 27. spatia temporis non numero dierum (vti nunc assolet) sed numero noctium definire solitos.

Quomodò Incarnationis tenebræ tandem discussa. Vsus doctrinæ.

298. Perstitit in tenebris & caligine Dei Verbum, ad exitum vsque suum ex hac vita per ascensionem. Gregorius quidem Nyssenus Epistola ad tres mulieres hæc demonstrat, Dei lumen ita iunctum esse nostræ caligini vt tamen semper manserit splendidissimum, potiusque tenebras carnis suæ illuminauerit. Nihilominus quoad nos, lux Dei aliquatenus pressa mansit vsque ad ascensionem. Tunc enim quamuis carnem quam semel assumpsit nunquam dimisit, tamen tabernaculum hoc suum in Sole posuit. Vnde S. Gregorius 27. mor. cap. 11. ad Christi ascensionem refert illud Iobi 36. *Annunciat de ea* (luce) *amico suo quod possessio eius sit, & ad eum possit ascendere.* Hoc autem in suo nobis exitu annunciat Sol iustitiæ, annunciatione longè illustriori quàm sit ea quæ soli materiali attribuitur in exitu suo, Eccle. 42. Annunciat inquam de se in exitu suo Sol Christus, quod lux sit eius possessio: non minùs quia omni tenebrarum nostratium siue ignobilitatum terrestrium admixtione quantum superstite vera humanitate fieri potest liberatus est; sed etiam quia lucem possidet longè veriùs quàm Oromasdes ille Perficus, cuius anima veritas, corpus autem lux esse fingebatur. Et dicuntur sanè edi in lucem libri, cum vulgantur; dicuntur item educi ad lucem qui è carcere vel spelæo tenebricoso emergunt; dicitur puer è materno vtero prodiens emitti in lucem. Magistratus denique dicitur versari in luce Reipublicæ, quæ est lux illa quam ab impijs auferendam cõtestatur Iob. Christus igitur cœlos subiens, possessionem lucis accepit, quia & liber grandis est, tunc omnibus ad legendum expositus: & è mundo exijt, quem carceris specie exhibet I. ad martyres Tertullianus: nec aliter se habet ad nos præ cœlo, quàm maternus vterus ad puram auram, vt Seneca quoque vidit epistola 102. & melius S. Chrysostomus hom. 20. in Acta, & Nyssenus orat. de mortuis. Vnde nomen *natalis sanctorum*, cum hinc exeunt, vt notat S. Bernardus serm. de S. Ioanne Bapt. & Nicol. I. ad Const. Bulgar. cap. 5. Potestas autem publica Christi, verbis illis eius sub discessum expressa est. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Speret post tenebras lucem Verbi Dei imitatione, quisquis tenebras quas Deus in incarnatione latibulum suum posuit, adamauerit. Nam quod Esther 11. post diem tenebrarum, exortam lucem proditur, ad omnes æquè iustos, pertinet. Planè exorietur in tenebris lumen omnibus rectis corde, dummodò non ante lucem & tempus discutiendarum tenebrarum, surgere ac attolli velint. Et hic esto lectissimus & optatissimus huius doctrinæ fructus, de quo frequenter S. Gregorius.

CAPVT VI.

Verbum effusum.

299. SVb typo duplicis effusionis, expressam in Scripturis, iuxta Patres, Verbi cum humanitate coniunctionem inuenio. Altera est vnguenti seu olei, altera aquæ.

Prior Verbi effusio, specie olei.

De prima est locus celeberrimus Cant. 1. vbi sponsa compellans sponsum, ait illi. *Oleum effusum nomen tuum.* Et quamquam interpretes, vt videre præsertim est ibi apud Delrium, in literali interpretatione, altercentur de quo nomine id dicatur; communiusque sit, vt id de Christi seu Messiæ nomine accipiatur, potiùs quàm de nomine Iesu de quo id exponit S. Bernardus: tamen res eodem recidit, quia notio vnguenti, seu olei effusi, quam nomen *Christi*, siue *inuncti* præfert in actu quasi signato, continetur in actu exercito in nomine Iesu, quo significatur salus humana, non comparabilis nisi per hominem, qui simul Deus sit vnguine Deitatis delibutus; quod verè habuit Christus Dominus: in quem proinde oleum sanctum rectè pronunciatur effusum, & nomen eius, effusum oleum rectè dicitur. Audi Petrum Cellensem l. de panibus c. 24. cum agit de pane inuncto. [Quis cognoscit vnguentum bonitatis Domini, in consilio disponentis se incarnati? aut quis in conficiendo ipsam assumptionem nostram, consiliarius ei fuit? aut quis in redemptione humani generis, pigmentarias species saluationis nostræ dedit illi? Ex odore quidem huius vnguenti repleta est, & Ecclesia quæ in terris peregrinatur, & sequitur sponsum in odore huius vnguenti; & ipsa aula cœli: quia in initio viarum Dei, cum diceretur *Fiat lux; & facta est lux*, genere sublimiori, bonitate excellentiori, vsu & munere propensiori, ditata est creatura cœlestis, id est Angelica diuinæ cognitionis dono, & in ipsa nostra reparatione, restaurata pleno numero. Aliter portò vngitur vel vritur delicijs Paradisi Dei, ipse Filius olei: sed, qualitet; non est nosse alicuius, præter te Domine, cuius nomen oleum effusum, & de cuius cornu (id est humanitate glorificata,) supereffluunt impetu redundanti ad homines, emissiones gratiarum. Totum siquidem cornu olei (id est, gratiæ plenitudo effunditur in capite filij hominis, quia

benedictio Domini effusa est super caput Iusti iustificantis omnes iustificatos; totaliter & originaliter, non particulariter. Totum (inquam) effunditur vnguentum cui non ad mensuram dat Deus spiritum.] Hæc planè est olei diuini effusio in humanitatem? id quod præter cæteros Philo Carpathius Cant. 1. optimè vidit & expressit.

300. Attamen S. Epiphanius in Ancorato, videtur aliter legisse locum illum Canticorum. Sic enim scribit. [Verùm quoniam euacuauit seipsum, forma serui assumpta, non plenitudo imminuta est, sed vt ostenderet à cœlo transuacuatum in humanam naturam, hoc est in officinam Mariæ. *Vnguentum enim euacuatum, nomen tibi est*, (inquit,) non dixit *effusum*, sed *euacuatum* de cœlo in terram quo à terra in Mariam, & à Maria caro fiens conciperetur. In Bethleem enim gignitur, à Bethleem transit ad Nazareth, à Nazareth in Capernaüm, à Capernaüm in Hierusalem, & mare, dum vadit super aquas, & ad partes Tyri & Nain, & in Iudæam & Ierico, & ad Bethphage, & Bethaniam Ierusalemque ad templum & montem Oliuarum, & Gethsemani, & ad domum Caiphæ, & ad prætorium, & ad Herodem, ad locum Golgotha, ad monumentum & vsque ad infernum, ad terram rursus post resurrectionem, & ad cœlos. Vnguentum enim euacuatum à vase in vas, omnia vasa vnguentum redolere facit. Et Christi aduentus è cœlo, totam terram sanctificauit, eos qui ipsum suscipiunt in veritate.]

Vtramque loci illius lectionem, (non enim duorum locorum vt videntur arbitrati,) prosequuntur pereleganter Etherius & Beatus l. 2. contra Elipandum verbis illis. [Odor vnguenti istius, sacrosancti Chrismatis gratiam manifestauit, quæ super omnia Synagogæ, flagrat & redolet. Illa enim habebat vnctionem de vnguentis factam odoriferis. Christi vnguentum ex septiformi sancti Spiritus suauitate descendit. Vnde & subiungit: *Vnguentum exinanitum, nomen tuum*, Quare, itaque exinanitum, breuiter indicabo. Priscæ legis Reges, & Sacerdotes, qui ex cornu Chrismatis vngebantur, Christi dicebantur in lege, eò quòd similitudine vnctionis Chrismatis notam ipsam perfectionem acciperent: & proinde vmbra potiùs quàm veritate, Christi nomine vtebantur. Sed vbi plenitudo diuinitatis, secundùm Apostolum in Christo completa est, tunc exinanitum est nomen eorum Regum, qui Christi dicebantur: ne vlteriùs hoc censeretur vocabulo. Et verum permanet nomen Christi, quod ex vero vnguento, id est, sancti Spiritus plenitudine est effusum, Verùm quod alibi ait: *Vnguentum effusum nomen tuum*: eò quòd suauissima veri Christi nominis gratia super omnes credentes diffusa est, & omnem odorem notitiæ suæ fidelibus cunctis effuderit: Vnguentum effusum appellatum. Vnde & orationes Sanctorum, in Apocalypsi, thymiamati sunt comparatæ.]

Effusionis Verbi sub aquæ specie, typus prior, ex 1. Reg. 7.

301. Cæterùm quamuis hæc siue transfusio siue effusio, illustre Symbolum continet vnitionis Verbi cum humanitate; vnde *Christus* siue *Messias* denominatur, qui sic inungitur; tamen quia de Christi seu Messiæ titulo alibi est dicendum, nunc potiùs hærebo in alterius effusionis consideratione. Incarnationem ergo Verbi, sub nomine effusionis aquæ, duplici tipo exhibet S. Cyrillus hom. 18. Pasch. Prior est aquæ effusæ in terram per Samuelem 1. Reg. 7. Posterior aquæ fluminis, effusæ per Mosem in terram ibique versæ in sanguinem, Exodi 4. quam propositionem duorum typorum accommodabo non ordini temporis quo acciderunt, sed quo à S. Cyrillo describuntur.

Oppresso igitur per Philistæos populo Dei, indixit comitia Samuel in Maspha ad orandum Dominum in commune, cui hæc vis per coitionem in cœtum grata est *Et conuenerunt in Maspha, hauseruntq; aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt; peccauimus Domino.* In hac serie piorum operum, Tertullianus l. de ieiunio aduersus physicos c. 7. nihil magis probasse videtur quàm ieiunium, eique maximè conciliationem populi cum Deo, & consecutam de Philistæis victoriam tribuit. Sic enim scribit. [Deliquerat Israel; in aquatione apud Maspha congregatus à Samuele, ita statim delictum ieiunio diluit, vt periculum prælij simul fugerit. Quam maximè Samuel offerebat holocaustum, in nullo magis procuratam audimus Dei clementiam, quam abstinentia populi. Et Allophyli prælio admouebant, ibidem Dominus intonuit voce magna super Allophylos & confusi sunt, & corruerunt in conspectu Israelis: &, processerunt viri Israel ex Maspha, & persecuti sunt Allophylos, & vsque Bethear cæciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hæ erunt vires ieiunantium Deo, cœlum pro eiusmodi militat.] Cæteri quotquot eum locum versant, multò magis reliquis operibus tribunt; præsertimque illi aquæ effusioni in terram. Effusionem dico, non potum: perspicuè enim hallucinati sunt, qui referente Tostato 1. Reg. 7. q. 28. censuerunt Samuelem hausisse aquam qua potauerit filios Israel, vt eos qui per idololatriam, à vero cultu auersi fuerant, non secus internosceret ac plecteret, quàm vir zelotypus vxorem de cuius fide coniugali ambigeret, explorabat, imò neci certæ debebat, propinata zelotypiæ aqua. Hæc est manifesta sacri Cõtextus enersio. Perspicuè enim in eo habetur, effusam esse à Samuele aquam, non populo propinatam.

Effusionem ergo illam aquæ, Caietanus ibi, refert ad perfectam populi ad Deum suum conuersionem, per orationem ac pœnitentiam: Ac si contestatus esset aquam illam effundens populus, quod de se postea Dauid Psal. 141. *Effundo in conspectu eius orationẽ meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.* Optimè porrò per aquæ effusionem significari perfectam animæ pœnitentis conuersionem, annotauit egregiè S. Hieronymus, obseruata conditione aquæ effusæ. Non enim aqua effunditur eodem modo quo liquores cæteri, vase contenti. Vinum siquidem si effundas, residuus erit in vase odor: si oleum aut mel, multæ supererunt particulæ, adhærescentes vasi. At aqua cum effunditur, ita prodit è vase, vt nec odorem, nec vllum prorsus sui vestigium in vasa derelinqnat. Quæ est germanissima veræ pœnitentiæ expressio, omnem veterem vitam abijcientis, & noua commutantis. Non improbabilis interpretatio.

Quomodò adumbrata per aquam à Samuele fusam, Verbi effusio & Incarnatio.

302. At S. Cyrillus hom. 28. Pasch. cum præmisisset effusionem illam aquæ in terram, fuisse certum quoddam, tametsi insolitum sacrificium, (reclamante Tostato, qui sacrificium ad animalia malè restringit,) adumbratam eo fuisse Incarnationem existimat: atque adeò censet Samuelem, vt erat spiritualis homo atque Propheta, altiora cogitasse quam oculis obijceret? & ea aquæ effusione contestatum esse Deum, vt per mysterium incarnationis suæ quandoque exhibendæ, misereretur populo tanta calamitate oppresso. Verba Cyrilli ex parte sunt. [Dicimus itaque ipsum cum Propheta esset, mentemque sancto Spiritu plenam gereret, Vnigeniti Filij Dei magnum & venerabile incarnationis mysterium procul dubio non ignorasse. Cogitabat porrò ipsam quoque veritatis vmbram, ijs qui in periculo versarentur salutem afferre posse.

posse; vim salutis per Christum obtinendæ sibi veluti meditando depingens. Quanam verò ratione velut in umbris veritas perficeretur, age pro viribus explicemus. Cum naturâ vita sit Vnigenitus, Dei Verbum, ad exinanitionem seſe voluntariam demisit, factusque est nostri similis, nempe homo; non quo mutationem aliquam ex propria natura, in terrenam carnem subierit, (haeret nimirum, stat que inconcussa divina natura, suis immixa bonis;) sed quia nostrum corpus è terra concretum, rationalique anima præditum induit. Hoc antiquoribus Propheta Samuël velut in aqua describens, aquam effudit in terram. Est aqua nempè, Symbolum vitæ, carnis verò terra. Ergo Verbum caro factum est, ve Ioannes Theologus asserit, coaluerunt que in vnitatem, inexplicabili pariter atque imperceptibili modo, Divina simul, vivificans, & humana, ex terra coagmentata natura. Atque hoc pacto, vnum deinceps ex verisque intelligimus Emanuëlem.] Subdit, incarnationi subintegendam fuisse mortem, nec eam præterijsse Samuelem. [Atque hoc ipsum (inquit) antiquis diuinus Samuel indicans, cum pro Israële funderet preces, non tantùm ipsis velut in vmbra & ænigmate, perfectam incarnationis figuram exhibuit, aquam telluri superinfundens; verùm illicò, quod præteretà reliquum erat, adumbrans; scilicet, pro totius orbis salute mactatam hostiam. *Accepit enim* (inquit) *Samuel agnum lactantem vnum, & obtulit ipsum in holocaustum: cum omni populo, Domino. Et clamauit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudiuit ipsum Dominus.* Audis immolasse agnum, imaginem scilicet & figuram veri? Quem etiam beatus Ioannes, propemodùm intento digito commonstrauit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Est namque Christus, immaculatum Sacrificium, cuius eximio sanguinis pretio, saluati & sanctificati sumus.] Vt insignem hanc mysterij incarnationis expressionem penitùs peruadamus, considerandum est, terra cui aqua superfusa est à Samuële, & aqua superfusa, ipsaque superfusio.

Notio. 1. Perfusa Verbo terræ in Deipara; Et quomodò, si Cœlum dicitur.

303. Terram hicipsam Deiparam intelligere possumus, cuius substantiæ portiunculam, affusum Verbum rigauit. Sic enim Psalmo 84. terra nostra quæ fructum suum dedit, passim accipitur Deipara, cui terræ nomen ob humilitatem datum, cò quod terra sit infimum elementum, censet Hugo Card. ibi. Et potè quoque cum Richardo à S. Laurentio lib. 8. de Deipara, censeri spectata stabilitas Deiparæ, ad peccatum non inclinandæ in seculum seculi. Est ergo Deipara, terra. Nec est quod quis succenseat ob vilitatem & abiectionem illius appellationis, contemnatque solere potiùs Patres, nomine *Cœli* insignire Deiparam. Sic enim Damascenus orat. 2. de Assumpt. vocat Deiparam, *Cœlum animatum.* Nam quamuis qui vulgò dicuntur cœli, facti sint sine intellectu, nec ea censura liceat affirmare cœlos istos visibiles pollere anima; tamen Deipara materialibus quibuslibet & corporeis cœlis superior, animatum cœlum est. Sic Greg. Neocæsar. hom. 3. de Annunciat. inducit Deum mandantem Gabriëli in hæc verba. [Abi ad alterum cœlum, quod est in terra.] Idem habet S. Germanus Constantinop. orat. de natiuit. Deip. qui ad id profert illud Psaltis, *De cœlo prospexit Dominus.* Et illud *Cœlum cœli Domino.* Consentit in cœli denominatione tribuenda Deiparæ, Petrus Damiani serm. 63. Deiparam enim Ioanni Apostolo commissam, regno cœlorum quod Petro traditum est, componens, sic scribit. [Dicit Dominus Petro, Tibi dabo claues regni cœlorum Numquid & B. Virgo, fratres mei, cœlum fuit, in cuius vtero virginali, nouem mensibus tota diuinitatis plenitudo permansit? Ex ipsius quippe castis, mundisque visceribus, Dei Verbum per quod facta sunt omnia, immaculata se carne vestiuit. In angusto scilicet latebat aluo conclusus, sed totius orbis iura regebat immensus. In breuissimo, inquam, virginalis vteri domicilio constitutus, & cœli gubernabat imperium, terrenorum omnium non amiserat principatum. Non ergo præsumptiuè cœlum dicitur venerabilis Virgo Maria: atque ideò beatum Ioannem Dominus quodammodò cœli clauicularium esse constituit, cum beatæ Genitricis suæ eum decreuit esse custodem.] Apud Philippum Abbatem lib. 1. in Cant. cap. 18. multa in hanc rem habentur. Profero quædam. [Quis digniùs, quis potest conuenientiùs cœlum appellari quàm Virgo quæ meruit tot virtutum syderibus adornari, quorum fulgor varius molestas mitigat tenebras huius vitæ, dum ad scientiam reuocat errores multitudinis imperitæ? Ipsa lunam protulit quæ nocte caligantibus eluceret, cum Ecclesiam exaltauit, vt se cunctis lucidam exhiberet; cum forma & doctrina sanctos Apostolos erudiuit, quorum conuersatio lumen necessarium terrarum habitatoribus impertiuit. Ipsa denique Virgo, siue cœlum illud, maius protulit luminare, quod mundo languescenti remedium plenius contulit salutare: quod quia solus Deus est, nec ei potest alius coæquari, dignè Sol appellatus est quodam priuilegio singulari Sola itaque & non alia tantam genuit Virgo prolem, cœlum istud mirabile, miro modo protulit solum Solem.]

Deiparæ quoque *cœli* appellationem tribuunt S. Epiphanius hom. de laude Deip. Bernardus serm. 3. super *Salue Regina*; & pulchrè Ioannes Geometra hymno 2. in Deiparam, sic eam compellans:

Salue cœlum homines lustrans, Solemque reducens.

Moxque ibidem.

Salue mille oculis pole prædite, sydera circum
Solem clara regens.

Rursus ibidem, non ita multò pòst.

Salue ornate globis pole, septemisque decore.
Zonis, insignis spiritibus sophiæ.

Denique in hunc quoque modum, salutat Virginem,

Salue versicolor cœlum, Iridis instar, amœnas
Virtutum formas, floriferasque ferens.

Proclus homil de Transfigu. idem etuit ex illis Christi verbis, Ioann. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Nam cœlum de quo descendit Christus Dominus, non esse cœlum visibile quod mundanæ moli vniuersæ incumbit, contra Valentini delirium carnem Christi inde decisam fingentis, supponit Proclus: certissimumque est, Christum multò ante in terra fuisse, quàm in cœlo materiali, vt propterea Anastasius Sinaita 1. Hexaëm. idcircò dicat terram fuisse exornatam ante cœlum, (terra quippe die tertio, cœli quarto die sunt exornati,) quia terra Christum ante cœlos erat exceptura. Cœlum ergo de quo descendit Dominus, iuxta Proclum, est cœlum Virginis. De quo itidem Synodus Francoford. epistola ad Episcopos Hispaniæ, accepisse videtur locum ex 1. Cor. 15. Sic enim habet. [Sed & hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis Pater, qui de terrra virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus. Si seruus, quomodò tunc imago Dei? Si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine? meliore quidem terra, etiam animata & immaculata, Spiritu sancto operante, factus est homo, dicente Apostolo; *Factus est primus homo, de terra terrenus, secundus homo de cœlo celestis.* Si

terrenum, liberum conditum confitemur, quare non multò magis cœleſtem liberum confitemur?] Manifeſtè ſupponit, B. Virginem eſſe illud cœlum de quo ſecundus homo prodijt, quodque terræ in Adamo maledictæ contraponit. Latiſſimè cœli nomen Deiparæ vendicat Richardus à S. Laurentio l.7. de laud. B.V. Mariæ *initio*. Quod ſi S. Paulus iudice S.Chryſoſtomo hom.18.in ep.ad Rom.*in morali*,cœlum fuit, & quidem longè illuſtrius cœlo viſibili, nullis vnquam obſcuratum nubibus, virtutum aſtris coruſcum, admirationem pulchritudine ſua excitans; quanto magis idem de Deipara dici poteſt? Fuit ergo Deipara cœlum quoddam. [Quia Sol ex iſtis (ait Heſychius homil. 2. de Deip. alloquens Chriſtum,) neceſſariò Virgo vocabitur cœlum.] Pleniſſimè in hanc Deiparæ appellationem, diſſerit Richardus à S. Laurentio l.7. de Deip. *ipſo initio*.

Cohæſio myſticarum cœli & terræ notionum in Deipara.

304. Hæc tamen non obſtant,quominùs Deiparam rectè appellemus *terram*. Nam & cœlum, Stoici referente Clemente Alexandrino 5.Strom.*in fine*,[Terram ex aduerſo ſitam] ἀντίχθονα nominabant: & vt idem addit l.4. aiebant in ea terra eſſe veras vrbes, cum hîc non ſint niſi vrbium imagines. Terram cæleſtem ab hac vt vocat valleſtri diſtinctam, agnoſcit quoque S. Ambroſius in Pſal. 36. & S. Aug. lib. 3. de doctrina Chriſt. c. 35. Plato item apud Origenem l. 7. contra Celſum,cœlum nominat[Terram puram in puro ſitam æthere.] Vnde garrit Celſus, Chriſtianos deprompſiſſe illam cœli apud ipſos frequentem nomenclationem, *terra viuentium*. Alibi non ſemel,*terra* nomine in Scripturis expreſſum cœlum,norunt qui vel leuiter eas deguſtarũt.Tertullianus ſanè l.de reſurr.car.c.26.de cœlo & cœli bonis accipit illud Iſaiæ,*Si volueritis & audieritis me,bona terræ comedetis*.Indignũ enim putat, bulbos & tubera in bonis terræ deputari: quaſi de his, non autem de cœleſtibus bonis,locutus ſit Dominus. Hanc fuiſſe terram,non ſublunarem ſed cœleſtem, quam diuidere negatum eſt Moyſi,aſſirmat Origenes hom.21. in Num. Sed egregiè idem de hac cœlesti terra diſſerit hom.5.in Pſalmos ad hæc verba Pſalmi 36. *Expecta Dominũ & exaltabit te,vt hæreditate capias terram*. Adſcribo locum lectu digniſſimum. [Frequenter diximus de terra ſancta, & terra quæ in hæreditatem promiſſionum cœleſtium nominatur; cuius naturæ etiam ſitus,paulò euidentiùs in hoc verſiculo deſignatur. Nam iſta terra in qua nunc viuimus,deorſum eſſe dicitur. Secundùm illud quod ſcriptum eſt. *Deus in cœlo ſurſum, tu autem in terra deorſum*. Illa autem terra quæ in hæreditatem Iuſtis promittitur, non deorſum ſed ſurſum eſſe promittitur. Propterea ad eum qui exſpectat Dominum, & cuſtodit viam eius, ait repromiſſionis ſermo, *Exaltabit te vt hæredites terram*.Niſi enim quis exaltetur, & aſcendat in altum, & efficiatur cœleſtis, non poteſt hæreditatem terræ illius conſequi. Vnde ego arbitror, quia ſicut cœli iſtius, id eſt firmamenti, inferius ſolum, arida hæc in qua nos habitamus, terra eius dicitur; ita & illius ſuperioris quod principaliter cœlum dicitur, inferius ſolum,in quo habitatores illi cœleſtes conuerſantur, & vt ita dicam dorſum ipſum firmamenti huius, meritò (vt dixi) terra illius cœli eſſe dicitur: ſed terra bona, terra ſancta, terra multa,terra viuorum,terra fluens lacte & melle: & ideò dicit nunc ſermo diuinus, *Exaltabit te,vt hæredites terram*.]Videndus inſuper ibidem hom.26.vbi de terræ & aridæ diſtinctione, perelegantèr & fusè.

De Deipara terra myſtica, Scripturæ complures.

305. Quamuis igitur Deipara ſit cœlum quoddam, tamen rectè quoque *terra* dicitur,ſed terra pura,& benedicta, & virgo, cuiuſmodi erat terra ex qua primus Adam formatus eſt, vt bene aduertit hanc primi & ſecundi Adami antitheſin expendens, S. Irenæus lib.3. c.31.nec non S.Ambroſius ſerm.37.& his verbis Tertullianus l.de carne Chriſti c.17. [Tota natinitas iſta, ſicut & in omnibus, de veteri figurata eſt, rationali per virginem diſpoſitione, homine Domino naſcente: Virgo erat adhuc terra,nondum opere compreſſa, nondum ſementi ſubacta; ex ea hominem factum accipimus à Deo in animâ viuam.Igitur ſi primus Adam, de terra traditur,meritò ſequens, vel nouiſſimus Adam vt Apoſtolus dixit, perinde de terra, id eſt carne nondum generationi reſignata, in ſpiritum viuificantem, à Deo eſt prolatus. [Perpulchrè eandem Deiparæ & terræ (vt ita dicam)adhuc Virginis analogiã, proſequitur Theodotus Ancyranus homil. altera de Natiu. Dom. Extat in append.5.tomi 6.Conc.Epheſ.edit.Peltani.

Habemus alia, Deiparæ in Scripturis *terræ* nomine diſertè expreſſæ, teſtimonia Patrum complura. Amedeus Lauſan.hom.5.de Deip. ex inſtituto id confirmat. [Terra (inquit) Virginem demonſtrat, terræ nomine appellatam, propter quandam ſimilitudinem. Sicut enim vetus Adam, de terra incorrupta, nullumque paſſa contagium formatus eſt, ſic terris terra virgo nouum Adam procreauit. Si non credis mihi prædicanti ortum noui hominis de terra; crede Pſalmiſtæ dicendi, *Veritas de terra orta eſt*. Quæ maior nouitas, quàm vt oriatur de terra, ille qui eſt veritas? Crede etiam tubæ ductili Iſaiæ, producentis gracilem, & ſuauem admodùm ſonum, ac dicentis; *Rorate cœli deſuper,& nubes pluant Iuſtum,aperiatur terra,& germinet Saluatorem*.Qui iterum dicit:*Erit germẽ Domini in magnificentia,& gloria,& fructus terræ ſublimis*.Sermo Domini, in magnificentia & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu ſancto, & ortum de radice Ieſſe in ſummitate Virgæ totum effloruit, imo flos fuit. *Et requieuit ſuper eum Spiritus Domini,ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectus,ſpiritus conſilij & fortitudinis,ſpiritus ſcientiæ & pietatis,& repleuit eũ ſpiritus timoris Domini*.Fructus verò terræ ſublimis fuit, quia benedictus fructus Mariæ, diuinitatis celſitudine meruit ſublimari. Hæc idcircò dicimus, vt terræ nomine Mariam intelligi debere, monſtraremus.]

Auguſt.ſerm. 100.de temp. agens de botro aduecto è terra promiſſionis. [Sicut vua illa Chriſtum Deum figurauit, ita & terra repromiſſionis in qua natus eſt, ſanctæ Mariæ videtur imaginem prætuliſſe. In ipſa enim impletum eſt, *Veritas de terra orta eſt*. Quomodò autem Beata Maria non fuit terra repromiſſionis, quæ per Prophetam multo ante promiſſa eſt? Nam per beatum Eſaiam Dominus, eam ante multa annorum ſpatia repromiſit. Si enim ait, *Ecce Virgo in vtero concipiet,& pariet filium*.Exhibita eſt enim vna de terra repromiſſionis. Ipſe eſt enim de qua legimus,*Suxerunt mel de petra,& oleum de firma petra*.]

Petrus Damiani ſermone de S. Victore,duo huc loca aptat, alterum ex Pſal.78. alterum ex Gen. 2. ſic ſcribens de filio. [Eſt & in medio Virginis, ipſius vtero ſubſtantialiter illapſus, qui medietatem ſtateræ comprehẽdit humanæ.*Deus enim noſter Rex ante ſæcula,operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Terræ vtique illius, de qua ſcriptum eſt;*Nemo erat,qui operaretur terram*.] Idé ſerm. 46. [Poteſt per terram repromiſſionis, non incongruè Beatiſſimæ Dei genitricis corpus intelligi, ex quo Redemptor noſter, velut ſingularis Botrus, voluit humanitus germinari, iuxta illud quod ſcriptum eſt; *Veritas de terra orta eſt*. Et bene caro Beatiſſimæ Virginis,

Virginis, terra repromissionis est dicta, quæ longè ante parturit Saluatorem mundi, à Prophetis multifariam est promissa; Quæ verò lac, & mel manauit; idem Deum, & hominem intemerata Virginitate profudit.]

Christum, puerulum de hac terra, & veluti Borametis mysticus

306. Sed illud inprimis testimonium splendet quod 6. Synodus Constantinop. actione 8. *sub finem*, de Deipara expressè exposuit petitum ex c. 53. Isaiæ. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Exprimo loci illius sententiam, verbis Eusebij lib. 3. de demonst. cap. 2. vbi præfatus, Isaiam miraculum ortus Saluatoris, nunc clarè nunc obscurè expressisse, subdit. [Obscurè quidem vbi ait, *Domine quis credidit auditui tuo, & brachium Domini cui reuelatum est? Annunciauimus coram eo, quasi puerulus, quasi radix in terra sitienti.* Pro quo Aquila quidem sic interpretatus est, & *prædicabitur tanquam quod vbere nutritur, in facie eius, & tanquam radix de terra inuia.* Theodotion verò; *Et ascendit sicut quod lacte alitur coram eo, & sicut radix in terra sitiente.* His enim verbis quum mentionem fecerit Prophetæ de brachio Domini quod erat Dei Verbum, *Coram eo,* (inquit), *annunciauimus quasi puerulum lactentẽ, & qui vbere nutritur, & quasi radicẽ de terra inuia;* Vbi puerulus quidem ille, qui vbere atque lacte nutritur, planè ortum Christi declarat. Terra verò inuia & sitiens, Virginem quæ illum enixa est, quam scilicet nullus vir adijt: de qua quamuis inuia, laudata illa radix prodijt, & qui vbere lacteque nutrietur puerulus.]

Itaque Christus Dominus iuxta hanc dicti prophetici interpretationem, est puerulus ex terra inarata & sulcis nouis natus, quasi humanus borametis. Describunt plerique hoc plantanimal agni figura nascens è terra, Sigismundus liber Baro, in commentarijs Moscouitis, Cardanus l. 6. de variet. c. 21. & in istum Scaliger exercit. 181. num. 19. & pulchrè his versibus Chuetant l. 1. Zodiaci.

Sarmatas iuxta, memorant floreſcere plantam,
Cuius lanigerum fructus tibi pendulus agnum.
Effarget penitus, referâque per omnia, molli.
Obductus corio, capiti velamina vulgo.
Vnde parant: carnem decocti albiſſima cancri.
Pulpa refert, dulciſque è vulnere ſanguinis inſtar.
Punicei manat ſuccus: ſe ſubrigit ipſa.
Pube tenus radix, tellure exerta viventi:
Graminibus ſeptus, (dictu mirabile,) fructus.
Lanu vt agnus, agri per pinguia paſcua viuit:
Graminibus verò euulſis, tabeſcit, & ager.
Occidit.

Nascentem è terra virginea Christum agnum Dei, puerulum de terra exilientem tanquam radicem, huic agno videri à Propheta assimilatum, non incongruè quis dixerit. Neque enim vel referre huc placet, modum illius nascitatis hominum è terra sub æquatore, quem commentus est superiore sæculo delirus Philosophus: aut quæ de Theage olim Etrusco, & de duobus paruulis suo tempore è terra prosciſſa extantibus, commentatur Neubrigensis: quæ vel falsa, vel spectra & indibria sensuum, sunt habenda. Exemplum agni illius Scythici, quia veritatem continet, & Christus est verus agnus, opportunius est. Sed agnus ille Scythicus ex semine in terrâ iacto existit: hæc terra, è qua agnus Dei extitit, nullum semen excepit de foris. Vnde & *fientes* dicitur, quia nullo virili opere rigata. Et omnes quidem nos, iuxta Clementem Romanum 8. recog. vt plantæ, ac vt loquitur Basil. Seleuc. orat. de Cain vt spicæ rationales formamur in inferioribus terræ; non tamen terræ sitientis & aridæ, sed rigatæ. Radix nostra, & puerulus, de sitiente terra prodijt, id est de Deipara.

Terræ matris Deorum, cum vera Dei matre, contentio.

307. Quid si verò Satan diuinorum semper operum æmulus ac simius, vt est apud Tertullianum cap. 14. de corona milit. eo consilio (quod D. Cyrillus Catech. 15. vniuersè notauit,) matrem falsorum Deorum *terram* dixit, vt veram hanc terram veri Dei matrem figmento illo dehonestaret, & vtrumque æquè ad fabulas pertinere persuaderet? Legimus sanè apud Augustinum 2. Ciuit. cap. 4. & apud Iulianum Imperatorem orat. 5. matrem illam Deorum, & matrem simul habitam, & Virginem: quod affectati figmenti ad hanc veritatem decolorandam, auget planè suspicionem. Nec defuisse qui ea terræ Deorum parentis, & matris Deiparæ nominum communitate, motus sit ad distinctionem Cybeles & Mariæ percontandam, intelligimus ex Isidoro Peluſiota l. 1. epistola 54. Verùm tot sordes quot matri Deum tributæ sunt à Gentilibus, vt attigit S. Isidorus ibi, & plenè tradunt Arnobius l. 5. Aug. 7. Ciuit. Clem. Alexan. in protrept. Theoph. 1. ad Autol. & alij, quos alibi profero, satis superque monstrant, infinitis omnino parasangis, terram nostram, à spurca illa & maledicta Tellure, discriminari. Hæc est terra pluſquàm sancta ait Damasc. orat. 2. de imag. *in fine* expendens illud Dei ad Mosem, *Locus in quo stas, terra sancta est.* Ex quo infert Damascenus, sicut rubus erat tantùm imago Verbi incarnati, ita terram illam fuisse tantùm imaginem veræ huius terræ. Si ergo terra illa veræ terræ imago, adeò sancta visa est, vt excalceari in ea oportuerit Mosem; [quanto magis ipsa vera terra, non modò sancta, sed ausim dicere, sancta sanctorum est? Ita rectè infert Damascenus.

308. Verùm nomen *terræ*, diuino prorsus consilio spurcissimæ illi Numinum Ethnicorum parenti tributum est, vt Augustinus optimè obseruat 6. Ciuit. c. 8. vt vel ipsum nomen doceret mortales delusos, cuiusmodi & vnde essent numina quibus colendis dementabantur; nempe ex terra, & homines quondam terrigenæ. Nostræ autem, nomen *terræ* inditum mysticè in Scripturis videtur, ob eximias pleraſque terræ dotes quæ in ea splendent luculenter. Tria proponit eximia terræ decora Trismegistus cap. 11. Pimandri; nempe quod sit mediũ mundi, atque adeò immobilis sit, & in æternũ stet: secundo, quod sit pulchrũ orbis subsellium: tertiò quod sit nutrix omnium. Splendent hæc omnia in Deipara: nam & medium est vt optimè tradunt Bernardus serm. 2. de Pentec. & Anast. l. 2. Hexaëm. expendẽtes illud, *Operatus est salutẽ in medio terræ.* Hoc ad summam & centralem Deiparæ humilitatem pertinet. Vnde consecuta est eiusdem summa speciositas, & inconcussio, ac immobilitas ad quæcunque peccati flabra. Neque enim fuit vti nos, qui arundines videmur vento quocunque agitatæ, nusquam & numquam consistentes. Est item Deiparæ terra pulcherrima & intùs & extrà nam neque corpore, neque animo quicquam in eo indecorum vel immundum notari vnquam potuit. Terra quidem sublunaris, præsertim verè, ait Theodoretus orat. 2. de prouid. vndecunque renidet, & speciositate constituit amœniſſima; sed fœnea & quæ mox marceat. At hæc, immarcessibilibus amaranthis æternam præfert amœnitatem ac speciem. Prosequitur plenè sub alio schemate hanc huius terræ in bono firmitatem Rich. Vict. l. 2. de Eman. c. 29. belle vsque ad finem terræ ablata prosequens, & arcus contritos, armaque confracta adaptans terræ Deiparæ. Tandem terra *& nostra mater* à nobis appellatur, longè alio iure quàm cœtera elementa vt expendit Plinius lib. 2. c. 63. Est enim in nos semper benefica, tametsi calcetur, & malè semper habeatur per nos. Ideò Pandoram dici notat Philo l. quod mundus sit incorrup. Verè

nutrix vt idem ait in Cosmop. & fluens nobis lac & mel quid enim aliud tanta fructuum feracitas, quid tot fontes in terræ superficie erumpentes, quàm mammæ è quibus necessarius omnibus humor sugitur? Ex his fontibus, plerique medicati & depellendis morbis vtiles, vt & plantæ pleræque è terræ seplasia omnibus paratæ. In visceribus autem eadem terra, varias venas metalliferas & thesauros abdit, quos in bonum mortalium depromit, nunquam satiganda. Hæc in Deiparam appositissimè cadere, nemo non videt. Est enim verè terra fluens lac & mel, quia Christus Dominus qui est sublimis fructus huius terræ, nihil aliud est quàm lac & mel. Lac quippe fructus est carnis, mel labitur de supernis, vt philosophatur in hanc rem Petrus Damiani opusc. 50. cap. 3. proficiens apertè ex S. Gregorio 15. mor. cap. 9. qui illud Iobi c. 20. *Nõ videat riuulos fluminis, & torrentes mellis & butyri*, de Christo interpretatur: [quia mel desuper cadit, butyrum verò ex animalium lactè colligitur. Mel itaque ex aëre, butyrum verò ex carne est. Summi autem Principis Vnigenitus, cum sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia. Qui cum nos dulcedine diuinitatis suæ & mysterio incarnationis repleuit, melle nos pariter & butyro satiauit.] Hacque ipsa ex causa, iuxta Damianum, sponsæ Christi piæ animæ, quæ eius corpore & sanguine in Eucharistiæ mensa appositis cibatur & potatur, dicitur per sponsum Cant. 4. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Est ergo Christus lac & mel; atque adeò Deipara, est terra fluens lac & mel. In huius terræ visceribus, venæ sunt pretiosissimorum metallorum. Optimè namque Ricardus Victorinus in Psal. 71. ad illud *Descendet sicut pluuia in vellus*, acommodat Deiparæ illud Iobi *auro locus est in quo conflatur*. Hæc verè est terra de qua Altissimus creauit medicinam, inquit Cæsarius l. 7. cap. 15. miracul. narrans innumeras curationes quæ in Monte Pessulano ad templum Deiparæ perficiebantur, non sine peruersa Medicorum æmulatione, quam ibi describit. Ex hac terra creatam ab Altissimo medicinam, ait quoque Richardus à S. Laurentio l. 1. de Deip. c. 4. *sub finem*, addens Christum esse eam medicinam omnium in festinatione nebulæ, qui ideirco Eccles. 24. de se ait, *Exiui quasi fluuius dioryx*, quod interpretantur, *medicamentum generationis*, quod exiuit de paradiso virginei vteri.

Tandem hæc est terra benedicta, & terra Dei, vt pulcherrimè tradit Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 11. conferens terram ex qua primus Adam formatus est, cum hac terra ex qua secundus Adam Christus, est formatus. [Hominem illum terrenum, (inquit,) cum isto cælesti homine conferentes, hoc primùm in factus illius abesse perspicimus, quod terram ipsam quum de limo formaret eum, non benedixit Deus. Ecce autem in ista cœlestis hominis factura noua, dicit Archangelus, imò qui in Archangelo loquitur Spiritus sanctus. *Benedicta tu in mulieribus.* Et Psalmista per propheticam huc adductus gratiam succinit, & dicit; *Benedixisti Domine terram tuam.* Amplius autem & in hoc terra ista præpollet, quia terra Domini est. Non enim illic dixit Scriptura. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ suæ*, sed tantùm, *de limo terræ.* Hic autem non tantùm. *Benedixisti Domine terram*, sed *benedixisti*, ait, *Domine terram tuam* & c. Qualis enim illa, & qualis terra ista? Terra illo nullo modo seminis Dei perceptibilis, vtpotè irrationabilis; insensibilis, inanimata, immobilis. Terra autem ista, animata, sensibilis, rationalis, & quod optimum est, fidelis: & propter fidem, Spiritus sancti, & seminis Dei perceptibilis.]

Notio altera terræ perfusæ, in Christi Domini humanitate.

309. Hactenus de Ila prima acceptione mystica terræ, cui aqua superfusa est à Samuele. Quæ tamen terræ acceptio, non videtur vsurpata à S. Cyrillo, cuius vestigijs insistebamus in hac incarnationis expressione: sed *terram* vsurpauit pro ipsa Christi humanitate. Nec præter vsum Scripturarum. Nam in capite libri, interprete Anastasio Sinaita lib. 1. Hexaëm. cum dicitur in principio Deum creasse cœlum & terram, Christus nomine *Cœli & Terræ* designatus est: nomine quidem *Cœli*, propter diuinitatem; *Terræ* verò, propter humanitatem: quorum adeò dissitorum extremorum structura, in principio facta est, quia Christus in mente Dei, & æterna prædestinatione conditus est, antequàm diuina manus quicquam faceret à principio. Hæc est verè promissa terra iuxta Tertullianum l. de resurr. carnis c. 26. verbis illis. [Iudæi terrena solummodò sperando, cœlestia amittunt, ignorantes & panem de cœlesti repromissum, & olenm diuinæ victionis, & aquam Spiritus & vinum, animæ vigorantis ex vite Christi. Sicut & ipsam terram sanctam, Iudaicum proprie solum reputant, carnem potiùs Domini interpretandam, quæ exinde & in omnibus Christum inducis sancta sit terra; verè sancta per incolatum Spiritus sancti, verè lacte & melle manans per suauitatem spei ipsius; verè Iudæa, per Dei familiaritatem.] Sed & S. Gregorius 9. mor. c. 21. *Terram datam in manus impij*, humanitatem Christi interpretatur, permissam impiorum malignitati. S. quoque Gaudentius tractatu in die suæ ordinationis *in medio*. [Non iam videbitur perfunctoria ista auditio, quæ bonorum terræ præmijs honoratur, & non cuiuslibet tertæ, sed illius olim promissæ, illius fluentis lac & mel. Promissionis enim terra, Christi caro est, ex massa humani generis de terra formati suscepta, ac dulcibus diuinæ gratiæ succis exuberans, cuius putissimo doctrinæ lacte alimur & nutrimur, cuius cœlestium charismatum suauitate reficimur, cuius vbertate credentium corda, pinguescunt, cuius bonis obedientium corda mentes animæque fidelium, & in hoc & in futuro sæculo saginantur.] Subscribit Autor imperfecti homil. 41. nam terram promissam, fluentem lac & mel, negat fuisse terram Iudæam. sed ait, fuisse [terram rationabilem quam Christus susscepit. De illius enim incarnatione, lac & mel processerunt. Lac enim opus est miraculorum quoniam & sine labore dentium & cum suauitate comeditur, per quod rudes in fide quasi pueri sustentantur. Mel autem eloquia doctrinæ dicuntur, sicut ait Propheta, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo? Ergo incarnatio Christi promittebatur, qui lacte miraculorum & lacte doctrinæ nutriturus erat gentes rudes in fide.]

Vigilius Christum esse terram siue agrum thesauro abscondito diuitem, pulchrè prosequitur, *in fine* tertij libri contra Eutychem. [Thesaurus (inquit) in agro absconditus, Deus est, latens in carne sua. Audi Apostolum dicentem de Christo, *In ipso*, (inquit,) *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Et ideò omnis est prorsus inutilis & impia confessio, quæ Dominũ Iesum Christum, aut Deum tantummodò non & hominé, aut hominem solùm, non & Deum fatetur. Agrum autem carnem Christi figuraliter nominari, & præsens indicat locus, & superiùs illata testimonia docent. De hoc enim agro maximè, Isaac in suis benedictionibus prophetauit. *Ecce*, (dicens,) *odor filij mei, sicut odor agri, cui benedixit Deus.* Corpus enim Dominicũ, magnis diuersarũ virtutũ fragrat odoribus, & sui benè olẽtia superante diuersa pigmenta, infirmos quosque viuificat. Vnde Apostolus

Christi

Christi, (inquit:) *Bonus enim odor sumus, de vita in vitam, his qui salui fiunt*, cuius tam præcipui & saluifici odoris suauitate, illecta in Cantico Canticorum ad eum dicit Ecclesia: *Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* De huius agri pulchritudine, & ipse loquitur in Psalmo quadragesimo nono, *Et species agri mecũ est.* Per huius agri gloriam, Ecclesia, in prædicto Salomonis libro, sodales adiurat dicens; *Adiuro vos in gloria & virtutibus agri.* Agrum illum, fortis & sapiens in Prouerbio Salomonis mulier, id est Ecclesia introducitur, compatisse enim de ea dicitur: *Agrum vidit, & emit illum.* Pretiosa est huius agri possessio, quæ Christi intra se ablconsam retinet Deitatem. Duplicis enim natura est Christus, & ideò vt dixi, nec thesaurus sine agro, nec agre sine thesauro potest ab aliquo possideri.] Sed pulcrè Petrus Damiani l. 2. epistola 5. tractans quam terram Naaman onere duorum burdonum à Propheta petierit, ostendit esse Christum, prædicatione Principum Apostolorum credendum, è qua terra altare conficitur, vbi Deus propitiatur.

Itaque Christus *terra* dictus est. Et est sanè terram inter & humanam substantiam, analogia non modica, quam Tertullianus l. de carne Christi cap. 9. exprimit, his præter cætera. [Quid est sanguis, quàm rubens humor? quid caro, quàm terra conuersa in figuras suas? Considera singulas qualitates, musculos vt glebas, ossa vt saxa, etiam circum papillas calculos quosdam. Aspice neruorum tenaces connexus, vt traduces radicum, & venarum ramosos discursus, vt ambages vinorum, & langines vt muscos, & comam vt cespitem, & ipsos medullarum in abdito thesauros, vt metalla carnis.] Ex aliis alia in hanc rem protuli, in scalis à visibili creatura ad Deum, Gradu 11. *ferè initio.* Quare meritissimò S. Cyrillus, sanctissimam Christi humanitatem, terram illam esse censuit, cui Samuel aquam superfudit.

Anba, mystica terræ notiones, coincidunt.

310. Non est tamen hæc terræ acceptio, contraria illi quam proximè proposui de Deipara. Nam vt superius quoque iam monui, terra illa cui Verbum copulatum est, portiuncula fuit substantiæ Deiparæ, ita vt cum immediatè ante momentum incarnationis ea substantia in solidum spectaret ad Virginem, subitò facta sit Christi, operante Spiritu sancto. Quæ causa est, cur esse Deum in B. Virgine per identitatem, affirmet, Petr. Damiani serm. 44. qui est primus de natiuit. Deiparæ. Exponens enim illud 3 Reg. 10. *Vestituit eum* (Salomon thronum suum eburneum) *auro fuluo nimis*, aurum ait esse diuinitatem; eburneum autem thronum, sanctissimam Deiparam. Tum subdit. [Quid est autem quod dicit *fuluo nimis*. Hic aliquid requirendum reliquit nobis Spiritus ille multiplex; & vtinam possim explicare quod sentio. Quatuor modis inest Deus omnibus creaturis. Primo modo essentialiter, tam bonis, quàm malis nihilque intercludit Deitatis essentiam, per quam esse omnia acceperunt. Inde est quod nusquam, & in omni loco esse legitur, cum omnibus præsentialiter assistat, & à nullo comprehendatur. Habent etiam & mali Dei præsentiam, sed non gaudent, cum inanimata quælibet hoc possint priuilegio gloriari. Secundo modo inest bonis operatione; agit enim in eis virtus operatiua, vt operentur opera Dei; nec otiosè etenti sunt inter creaturas, sicut & mali qui elegerunt arcessere vt sempiternis ignibus alimenta ministrent. Inest & plerisque bonis illuminatione, quos de futurorum cognitione nobilitat, & participes suorum efficit secretorum. Quarto modo inest vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini, identitate, quia idem est quod illa.] Nimirum quia illa ipsa substantia quæ immediatè ante erat Deiparæ, in momento efformata est in Christi substantiam, Deo hypostaticè adhærentem. Quare siue *terram* pro Deipara quoad partem aliquam substantiæ eius, siue pro sanctissima Christi Domini humanitate vsurpemus, eodem recidit.

Verbum, aqua terræ prædictæ superfusa.

311. Pergo ad superfusam terræ aquam, quæ an fontana, an fluuiatilis, puteana, an è cisterna, & collectiua ex imbribus fuerit, (mare aberat,) Scriptura non exprimit. Potuit verò omnibus illis modis parari; quare indiscriminatim eos adhibebimus. Verbum igitur vt aiebat S. Cyrillus, nomine *aquæ superfusæ* significatum meritissimo est. Est enim emanatio è profunda aquarum abysso; hoc est ex Patre, quem idcirco Philosophi apud Alex. Clementem 5. Strom. c. 5. *profundum* nominatunt. Pater iuxta multorum interpretationem à D. Ambrosio relatam, l. 1. de Spiritu sancto c. 19. Fons vitæ est, idque ferunt illa Danidis, *Apud te est fons vitæ.* Ex eo fonte, duo procreantur fluuij amplissimi; nempe Filius & Spiritus sanctus. Nam Spiritus sanctus, est *Fluuius christallinus manans de sede Dei & agni*, vt habetur Apocal. 21. iuxta expositionem S. Ambrosij l. 3. de Spiritu sancto c. 21. cui ibidem l. 1. c. 20. plurima in hanc Spiritus sancti appellationem disputat. Verbum verò Fons sapientiæ apertè dicitur, & in illud potiùs cadere verba illa Danidis Psal. 35. *Apud te est fons vitæ*, opinatur S. Ambrosius l. 1. de Spiritu sancto c. illo 19. annuítque S. Athanasius l. de humana natura suscepta contra Apollinarium cum ait, Dauidem dixisse, *Apud te est fons vitæ.* [quia nouerat apud Patrem, Filium esse, fontem S. Spiritus.] Hæc est sapientia quæ quasi fluuij diorix, & sicut trames aquæ immensæ de fluuio describitur c. 24. Ecclesiastici. Eidem Petrus Damiani serm. 67. aptat locum ex c. 4. Cant. & ex Psalmo 45. [Verbum Dei (inquit) tanquam riuus aquarum viuentium cum impetu venit, & sicut torrens cuncta doctrinarum ardentium inquinamenta subuertit. Vnde & in Canticis Canticorum dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.* Hinc & Psalmista: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.*]

Egregie quoque serm. 11. huc aptat illud Isaiæ 59. *Dominus Deus noster fluuius gloriosus exiliens in terram sitientem.* Itémque illud ex c. 2. Genes. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam vniuersam superficiem terræ.* Hunc fluuium eiúsque egressum sic exponit Damian. [Locum voluptatis, Patrem esse censemus; cum Deus illocalis sit; sed efficientias rerum, nisi per vulgatos sermones explicare non possumus. In ipso autem omnem voluptatem esse intelligit, qui legit Apostolum dicentem, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*; & alium ex illo duodeno apice similiter eructantem; *Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Ipse etiam Filius dicit: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum verum Deum.* Cognitio igitur Patris, vita æterna est: & vbi vita æterna, ibi sempiterna voluptas; quia gignitur de vtero Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, de Domino Dominus. Egreditur autem identitate, quia idem est quod Pater: Idem dico secundùm substantiam, non secundùm personam. Egreditur & æqualitate, quia pari omnipotentia respicit generantem: cum omnia quæ potest Pater, possit & Filius sicut ipse testatur: *Omnia quæ facit Pater, facit & Filius: nec potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Egreditur & æternitate, quia licèt generetur, non est posterior generante: sed ambo vnius antiquitatis sunt, si tamen vocabuli nouitatem non exhortes. Quod licèt quoquo modo significet quæ dicuntur, longè tamen est à sententiæ Maiestate. Egreditur similitudine, quia similis est Patri, Patris imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Egreditur æternitate, quia ali⁹ est ab illo; alius dico

non

non aliud. *Ego*, (inquit,) *& Pater, vnum sumus. Vnum* dixit, non *vnus*: quia *vnum* significat substantiæ vnitatem, *sumus* verò, personarum proprietatem. Sic igitur, & longè excellentiori modo de Patre Filius egrediens, inundat Angelicas stationes: quia iuxta Salomonem, *Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis.* Citharedus puer, de hoc fonte pleno ventre potauerat, cum diceret, *Apud te est fons vitæ*; quia non solùm tu vita, sed & Filius tuus, fons vitæ est; Et vt patenter, quid sentiebat, ostenderet, subjunxit: *in lumine tuo videbimus lumen.*]

312. Eum paradisi fontem quem Verbo Dei in excelsis aptauit Petrus Damiani, Nicol. I. epistola ad Michaëlem Imperat. ait fuisse pluuiam aut vaporem, quorum vtrumlibet optimè cadit in Verbum. Quem enim latet illud Dauidis de Verbo, *Descendit sicut pluuia in vellus?* Eius loci egregiam paraphrasim profero ex Epiphanij Anchorato. [Pluuia cum arboribus & plantis in eandem naturam transiens, corpus efficit, & singulos fructus iuxta similitudinem. Et in olea quidem oleum pingue fit, assumpta ex ipsa essentia. In vite verò vinum dulce incorporatur. In fico ficus dulcescit. Et in singulis seminibus ad speciem ipsorum augescit ac nascitur. Sic arbitror Dei Verbum in Maria caro factum est, & in semine Abraham homo inuentus est iuxta passionem. Inuenimus enim Messiam de quo scripsit Moses. Et dixit sanè Moses, *Descendat sicut pluuia eloquium meum.* Et Dauid. *Descendat, sicut pluuia in vellus, & sicut gutta stillans in terram.* Lana itaque suscipiens rorem, velleris fœcunditatem auget. Terra verò suscipiens pluuiam, auget fructum ex præcepto Domini contribuens naturam promptiorem, & vt accipiat, ab ipso amplius studium habet. Sic sanè etiam Virgo Maria, *Vnde cognoscam hoc*, (inquit) *quod erit mihi istud:* (& audiuit,) *Spiritus Domini superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod nascetur ex te, sanctum erit, & Filius Altissimi vocabitur.* Christus in Angelo loquitur, efformat autem seipsum Dominus in sua ipsius formatione, forma serui assumpta. Et Maria quidem hautit sermonem ad conceptionem, velut pluuiam terra. Verùm Verbum Dei, seipsum sanctum fructum ostendit, assumens mortalis naturam. Sic igitur ex ipsa hauriente, velut terra & vellere, veræ spei fructus, & Sanctorum expectatio: velut Elizabeth dixit, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*; vnum assumpsit ex humana natura, quod passioni obnoxius fuit, quum passionis exors sit Dei Verbum.] Eundem locum Psaltis pulcherrimè de Verbo carni adiuncto exponit Vigilius *sub finem* tertij contra Eutychem, eodem referens illud Isaiæ 55. *Quomodò descendit imber aut nix de cœlo, & inebriat terram.* Concinnè de morte Chrysologus serm. 142. [Singulis gratia se est largita per partes: Mariæ verò simul se totam dedit gratiæ plenitudo. *Omnes*, (inquit Euangelista,) *de plenitudine eius accepimus.* Vnde & Dauid dicit, *Descendit sicut pluuia in vellus.* Vellus cum sit de corpore, nescit corporis passiones: sic virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Cœlestis ergo imber, virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota Diuinitatis vnda, bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluuiam salutis effunderet, *Sicut stillicidia stillantia super terram*, Vt vitalibus partita stillicidiis tempora, fecditigarent germine, non necatent.] Eundem locum S. Ambrosius serm. 15. ad humilem descensum, & materni pudoris inuiolata signacula retulit, ex quo Ruffinus ad Psalmum 71. apertè profecit.

Præterea verò idem Dei Verbum Sap. 7. dicitur *Vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera.* In quem locum Verbo diuino exactè accommodandum, diligenter incumbit Autor libri primi de incarnatione apud Augustinum à c. 13. per multa capita; præsertim verò obseruat, dictam esse sapientiam, vaporem [non gloriæ omnipotentis neque æternæ lucis, neque inoperationis Patris nec bonitatis eius: Neque enim conueniens erat alicui horum ascribi vaporem; sed cum omni proprietate ait (Sapiens) virtutis Dei vaporem esse sapientiam. Intelligenda est ergo virtus Dei, qua viget, qua omnia visibilia & inuisibilia vel instituit, vel continet, vel gubernat, quæ ad omnia sufficiens est quorum prouidentiam gerit, quia velut vnita omnibus adest. Huius ergo totius virtutis tantæ & tam immensæ vapor, & vt ita dixerim, vigor ipse in propria subsistentia effectus, quamuis ex ipsa virtute velut voluntas ex mente procedat, tamen & ipsa voluntas Dei, nihilominus Dei virtus efficitur. Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, vt ait sermo Scripturæ. Vapor quidem primæ & ingenitæ virtutis Dei; hoc quidem quod est inde trahens, non est autem quando non fuerit.] Vides quadrate in hanc aquam, notionem vulgarem nominis *aqua à quâ omnia.* Verè enim Deus, omnia in sapientia sua fecit, & omnia per Deum Verbum facta sunt.

Superfusio Verbi tanquam aquæ per Incarnationem.

313. Hæc aqua cum in sinu paterno, & in loco altissimæ voluptatis per æterna spatia delituisset, tandem effusa est per incarnationis mysterium *super terram.* Et hæc est effusio, ob quam Samuel obtestabatur Deum, vt populi, calamitate propè obtriti misereretur. De hac ipsa effusione accipere primùm possumus quod quatuor Doctores de Christi sanguine disputantes coram Pio II. (descripsit eorum disputationem Sylvester in Rosa aurea tractatu 3. q. 30. fol. 294. col. 4.) acceperunt de victima effusione siue de morte. Ita enim interpretati sunt illud à Dauide Psal. 21. prolatum in persona Christi. *Sicut aqua effusus sum*, vt sensus sit, humanitatem Christi fuisse dissipatam, & esse desijsse, eo modo quo fluida cum effunduntur. Nec sanè verba illa, vt ibidem rectè notatur, soli sanguini Christi aptari possunt: quia sanguis cum non sit nisi pars integrans, non fundat communicationem idiomatum. Non incommodè tamen effusio illa ipsi Verbo tribuitur, quatenus humanitati nostræ superfusum est in Christi humana substantia. Eam verò effusionem consecuta est mors, & offium omnium dispersio, consequenter memorata in Psalmo proposito.

Expresserat hanc effusionem Verbi in humanam substantiam, typus alter; nempe effusio roris anteluceani, seu pluuiæ in vellus Gedeonis. Audi Bernardum hom. 1. super missus est. [Quid illud Gedeonis vellus significat quod vtique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento virginitatis? Cui vtique distillantibus cœlis, tota se infudit plenitudo Diuinitatis: adeò vt ex plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illa non aliud quàm terra arida sumus. Huic quoque Gedeonico facto, propheticum dictum pulchrè satis conuenire videtur, vbi legitur; *Descendet sicut pluuia in vellus*; nam per hoc quod sequitur, *Et sicut stillicidia stillantia super terram*: idem datur intelligi, quod per inuentam rore madidam aream. Pluuia quippe voluntaria quam segregauit Deus hæreditati suæ, placidè priùs & absque strepitu operationis humanæ suo se quietissimo illapsa virgineum demisit in vterum: postmodum verò vbique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non iam sicut pluuia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam vtique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Siquidem recordatæ sunt nubes illæ quæ portabant pluuiam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur; *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine,*

minum & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quod & fecerunt. Etenim *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum.*

Fusissimè Richardus Victorinus ad Deiparæ lanam de cœlestis vndæ effusione, Verbi inquam diuinæ vnione perfusam, refert Gedeonis historiam, & illa Psalmi verba *Descendet sicut pluuia in vellus & sicut stillicidia stillantia super terram*: nec posteriorem partem, vt à Bernardo factum est, refert Richardus ad prædicationem Apostolicam; sed vtraque expressam censet incarnationem. Pro longissimo eius discursu, repræsento pauca verba Amedei Lausanēsis ex hom. 3. [Pluuia (inquit) descendit in vellus absque strepitu, sine motu, sine vlla scissione, aut diuisione, leniter infunditur tranquillè suscipitur, suauiter bibitur. Sic stillicidia sensim & paulatim infundunt terram tam mirabili decursu, tantaque subtilitate, vt in introitu vix pateant, & in exitu germina producant. Ita imber veniens de vltra super cœlestes aquas, descendit in gremium Virginis, sine humano opere, absque motu concupiscentiæ; salua integritate, & claustris Virgineis obseratis, leniter infusus est, tranquillè susceptus, incarnatus ineffabiliter. Stillauit quoque super terram eius, in introitu non comparens, & in exitu prodiens manifestè.] Egregiè omnino hanc ipsam loci illius Dauidici interpretationem prosecutus est S. Chrysostomus homil. 2. in Psalmum 50. tanctans illud, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Quàm mira & læta nobis hæc effusio.

314. Quicunque verò esse dicantur huius effusionis typi, nemo satis explicet quàm sic hæc effusio admirabilis, & ingens pro nobis consolationis argumentum. [Non me capio præ lætitia.] Ait Autor sermonis de natiuit. Dom. inter Damiani sermones 61. describens hanc effusionē. [Non me capio præ lætitia, quod illa maiestas naturā suam exinaniens, in naturam meæ carnis, & sanguinis superueniat, & me miserum in diuitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternum includat. Fit frater meus, Dominus meus, & timorem Domini, fratris vincit affectus.] Et mox. [Vide effusionem. Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cœlos, & fit consiliarius hominum. Maiestatium nomen in pietatium effunditur, & qui mirabilis est in cœlis, consulere venit in tertis, abscondit purpuram sub miseriæ vestimentis, & ad lutum, vbi jacebam, inclinatus, non mergitur. Is audeo dicere, infixus in limo profundi, operi manuum suarum porrigit dexteram.] Sic ille de prima fluminis diuini effusione. Sub quo verborum cortice optimè exprimitur Verbi deiectio. Aquæ enim effusio, eius abiectio est, vt propterea Ethnicis olim inter sacrificandum nefas esset effundere aquam, quippe eo vsu sacram redditam. Et idcirco excogitarant genus vasis (futile vocabant) quod perpetuò gestandum in manibus esset vt vitaretur aquæ effusio, quod ex Donato notauit Marsilius Columna sect. 1. hydrag. c. 6. n. 6.

Exclamat hic quoque meritò S. Ambrosius l. 10. in Lucam c. 22. *initio*, ad illud *Occurret nobis homo amphoram aquæ portans*, Considerans primum totius Christianæ legis mysterium, ipsius inquam Christi efformationem & incarnationem Verbi, in aqua expressam esse. [O aqua quæ humano aspersum sanguine, vt præsentium lauacrorum figura præcederet, orbem terrarum lauasti! ô aqua quæ Sacramentum Christi esse meruisti; quæ lauas omnia, nec lauaris! Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria. A te principium, in te finis: vel potiùs tu facis vt finem nesciamus. Per te fœtor tabidæ carnis aboletur, & peremptia situ viscera aspersio sale in multam seruantur ætatem. Per te aduentibus æstu corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, suauis ad voluptatem potus infunditur. Tu nomen Prophetis & Apostolis, tu nomen Saluatori dedisti. Illi nubes cœli, illi Sol mundi ille fons vitæ est, Quæ montibus pressa, non clauderis, quæ scopulis illisa, non frangeris, quæ tertis infusa non deficis, sed intimis scaturiens venis, aut spiritum incluſa vitalem inhalas, aut succum diffusa fertilem præstas, aut rigatum superfusa accommodum subministras; ne siccatis exanimata vitalibus, solemnes neget terra prouentus. Omnium elementorum substantia, cœlum, aër, mare, & terra, te reddunt. Te prophetico percussa tactu, vt silentium rigares corda populorum, vomuit petra; te, cum de latere Saluatoris erumperes percussores viderunt, & crediderunt: & ideò regenerationis nostræ de tribus vna es testibus. Tres enim testes sunt, aqua, sanguis, & Spiritus: Aqua ad lauacrum, sanguis ad pretium, spiritus ad resurrectionem.]

Aquarum Euangelicarum vbertas, ex hac effusione.

315. Hæc postrema spectant ad effusionem Verbi posteriorem. Verbum enim carne vestitum, suo tempore de loco voluptatis, id est de vtero Virginis exijt, vt mellitissimè philosophatur Petrus Damiani. serm. 11. exijt inquam per quatuor orbis partes ad irrigandam vniuersæ terræ atiditatem. Vnde Christus *Caput fluminum* à S. Augustino in Psal. 92. appellatus est. Et hic est fluuius irrigans torrentem spinarum, vt S. Hieronymus ex Ioële c. 3. affirmat in Apolog. ad Pammachium pro libris contra Iouinian. Perpulchrè S. Ambrosius in Psal. 45. [Est & fluuius qui de Edem exit, & circuit vniuersam terram, Verbum Dei quo Paradisus intelligibilis irrigatur, & omnis anima vocatur ad gratiam Christi, dicente ipso Dei Verbo; *Si quis sitit; veniat ad me. & bibat. Cui ego dedero aquam, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ex illo enim vnico Dei Verbo, quatuor fluuiorum prudentiæ & fortitudinis, temperantiæ quoque & iustitiæ fluenta manarunt. *Alij enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij fides in eodem Spiritu: alij gratia curationum in vno Spiritu: alij operatio virtutū. Hæc enim operatur omnia vnus atque idem Spiritus, diuidēs singulis prout vult.* Hi sunt impetus fluminis, cum se in gratiam ministeriorum operationis atque virtutis, spontanea diuisione transfundit.] Hæc item est nubecula paruula quasi vestigium hominis de mari. Audi Augustinum serm. 20. de temp. [Nubecula carnem Christi figurabat, qui in mari mundi istius nascitura erat. Quamobrem ne fortè aliquis dubitet, nubem illam *vestigium hominis* habuisse, dixit: illius vtique hominis qui dixit, *Quem dicunt homines esse filiū hominis?* Sicut ergo orante Helia post tres annos, & sex menses, pluuia de cœlo descendit, ita & in aduentu Saluatoris, tribus annis & sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluuia verbi Dei totum mundum fœliciter irrigauit.] qua de re plenius cum de Iride Symbolo Christi.

Typus alter effusionis Verbi sub aquæ specie, ex Exodi 4.

316. Altera aquæ effusio quam initio memorabam tanquam alterum incarnationis typum, ea est qua Moses ad populum durissimæ seruitutis iugo pressum allegatus, & iussus miracula patrare, signum tertium cui crediturī essent qui primo ac secundo nō credidissent, accepit effusionem atquæ super aridam, mox vertendæ in sanguinem, ad tellutis contactum, vt habetur Exodi 4. De hoc ergo signo; sic philosophatur in rem nostram S. Cyrillus hom. 18. Pasch. postquàm Patrem, fontem & fluuium esse, ex quo existat Filius, præmisit & ex Scripturis firmauit. Ex fonte seu fluuio Dei & Patris, velut aqua viuifica existit Filius, qui viuificat omnia

omnia,& in ipso viuimus, mouemur,& sumus. Et hoc idem nobis rursum quasi per figuras indicans, & veluti per humilia quædam exempla declarans Deus, ita Mosen sapientissimum affatus est: *Et accipies aquam ex fluuio, & effundes ipsam super terram.* Fluuio namque, vt dixi, perquam appositè, Patris natura comparatur. Aquæ verò, qui ex ipso secundùm naturam genitus est Filius. Hæc igitur aqua ex fluuio prosiliens, terræ admixta est. *Verbum enim caro factum est*, per vnionem, prouidentiæ consilio destinatam. Futurum porrò vt postquam semel homo factus esset, non dubiè mortem quoque pro nobis in assumpta carne oppeteret, indicauit, dicens: *Et erit aqua quam acceperis a flumine, sanguis super aridam.* Significat autem nobis, nihil aliud hoc loco *sanguis* præter mortem. Donec enim caro nondum erat Verbum, non fuit sanguis. Libera namque à conditione mortis est ipsa viuens, vitæque parens natura. Postquam verò factus est nostri similis, tunc sanè suæ carnis mortem sibi veluti propriam vindicat, ipseque pro nobis mortem subijsse dicitur, suoque sanguine hanc quæ cœlo subest naturam acquisiuisse.] Eadem habet l.de incarnatione Vnig c.26.

Sed quod non exponat his locis S.Cyrillus, quomodò hæcaquæ super aridam effusio, eiusque in sanguinem conuersio, fuerit signum tertium cui crediturі essent veri Iudæi, id suppleo ex l.2. de adorat. vbi aptato ad incarnationem miraculo virgæ, per Mosis apprehensionem in colubrum versæ; & miraculo curationis manus, quæ educta è sinu apparuerat leprosa, tertium signum in effusione aquæ in sanguinem versæ patratum, sic explicat. [Vltimum mundo signum Christi mors fuit, & illa per aquam, & sanguinem ablutio, adiunctio nimirùm etiam sancto corpore, quod per aridam significatur.] Subdit mortem Christi meritò appellari signum, nam id est signum datum generationi prauæ atque peruersæ, signum ionæ Prophetæ. Est autem hoc signum tertium per comparationem ad duo signa antecedentia quibus incruduli cum fuissent Iudæi, interueniente hoc tertio signo, permoti sunt ad credendum. Primum ergo signum Iudæis datum iuxta S.Cyrillum fuit Mosaicæ legis promulgatio: Secundum, prædicatio Prophetarum atque Baptistæ: Tertium, denique aduentus Verbi per incarnationem ad subeundam pro nobis mortem; quæ fuit effusio cruenta, ob aquæ commutationem in sanguinem.

Habuit effusio hæc aquæ cœlestis in terram, effectus longè alios quàm illa aquæ effusio in minori Britannia, vt memorat Iacobus de Vitriaco in historia Orient. c.92.& ex testibus oculatis Cantip.l.2.apum c.57.n.28. Eam enim effusionem tantæ tempestates ac procellæ consequebatur, vt vniuersa terra ad aliquot miliaria aquis obrueretur. Cœlestis aquæ effusionem, non procellæ excepерunt, sed summa serenitas est consecuta.

Collatio Incarnationis, & effusionis sub aquæ specie, concluditur.

317. Claudo effusionem hanc Verbi diuini, ex Petro Damiani serm. de S.Victore. [Sic (inquit, agens de Verbi incarnatione) distillauerunt cœli misericordiam, sic Verbum Dei transfusum est, & effusum vbique totum, sine quo nihil totum. Felix effusio, quæ currentes adolescentulas ad odorem suauitatis inuitat.] Iure *distillationem* appellat. Et hoc nomen in frequenti est Scripturæ vsu, cum de incarnatione est sermo. Audi Origenem hom.2. in Cant. interprete Hieronymo *ferè initio*. [Si videris Saluatorem meum ad terrena, aut humilia descendentem; videbis, quomodò virtute magna & maiestate Diuina, ad nos modica quædam stilla defluxerit. De hac stilla & Propheta cecinit, dicens: *Et erit, destilla populi huius cõgregandus congregabitur Iacob.* Et sicuti secundùm alium sensum, lapis erat præcisus è monte sine manibus, nostri in carne Saluatoris aduentus: (neque enim totus mons fuit, qui descendit ad terras: nec poterat humana fragilitas totius montis magnitudinem capere: sed lapis ex monte, lapis offensionis, & petra scandali descēdit in mundum:) sic secundùm alium intellectum *stilla* nuncupatur. Oportebat quippè, vt, quia omnes gentes in stillam situlæ reputatæ sunt, is, qui pro omnium salute factus est omnia, etiam *stilla* fieret ad eas liberandas. Quid enim pro nostra salute non factus est? Nos inanes; & ille exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Nos populus stultus, & non sapiens; & ille factus est stultitia prædicationis; vt fatuum Dei, sapientius fieret hominibus. Nos infirmi; infirmum Dei, fortius hominibus factum est. Quia igitur vniuersæ gentes, vt stilla situlæ, & vt momentum stateræ reputatæ sunt; Idcircò factus est stilla, vt per eum à vestimentis nostris odor stillæ procederet, iuxta illud: *Myrrha,& stilla, & casia à vestimẽtis tuis, à domibus elephantinis, ex quibus lætificauerunt te filiæ Regum in honore tuo*, quæ in quadragesimo quarto Psalmo dicũtur ad sponsam.] Hoc esse ait Origenes quod in Canticis iuxta lectionem quam vsurpat, scriptum habemus, *Fasciculus stillæ, patruelis meus mihi.* Quomodò enim Christus dicatur Patruelis, id est Synagogæ, sororis Ecclesiæ filius, Pulcherrimè ibidem continenter exponit. Sed de hac effusione, plus satis.

Transitum ad effusionem Verbi, specie niuis.

318. Effusioni Verbi specie imbris, affinis admodum est Verbi effusio specie niuis. Nam quid aliud est nix, quam aqua sicca, vt Poëta de puero Cæsare agens dixit? Cum enim mortuo pusione Domitiani, niuis effusio esse consecuta, sic cecinit.

Qui siccus lasciuit aquis, & ab æthere ludit:
Suspicor hæc pueri Cæsaris esse nives.

Pulchrè S.Paulinus natali 6.sancti Felicis *ferè initio.*

Cernite lætitiam mundi in splendore diei
Elucere sacris insignibus; omnia lætus
Candor habet, siccus teneris à nubibus imber
Fonitur & niueo tellus velatur amictu
Quæ niue tecta, solum niue, silua, & culmina, colles:
Cuncta senis, sancti canos testantur honores;
Angelicaq; docent & luce & pace potiri
Felicem placida clarum in regione piorum,
Lactea quæ tacito labuntur vellera cœlo.

Græcus interpres in Catena Iobi, nõ dissimiliter aquas vocatas niues à Iobo significat, verbis illis alioqui subobscuris: *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinges me.* Aquas niuis Græcus interpres, vertit *niues.* [Si niue (inquit) lotus fuero.] Estque ea interpretatio admodùm commoda. Nam qui legunt *aquis niuis*, fidem omnium codicum & editionum lacessunt. Qui verò *aquas niuis*, aquas è niue resoluta accipiunt, quas & ad abstergendum validiores, & in ora quam Iob incolebat, multò putiores aquis fontanis & fluuiatilibus fuisse volunt; diuinant profectò, & quod ad expositionem corticis vocum Latinæ editionis opportunum esse vident, obtrudunt tanquam ex historiæ fide prolatum. Sunt qui manus lotas aquis niuis, accipiunt pro manibus exquisitè albis, vt columbæ, lacte lotæ dicuntur, quæ exquisitè candent. Quæ interpretatio, si aquas niuis pro aquis in niues concretis accipias, bellè consentit: non item si aquas niuis accipias de aquis niuis solutæ. Nam lac cum sit album, ea quibus adhæresci, colore suo impertit: at aqua ex niue soluta, non candet: vnde ea quæ contingit, purgat quidem, sed albore non donat. Quare aquas niuis apud Iobum, dictas censeo aquas quæ sunt nix, siue aquas addensatas in niuem: Vnde

effusio

effusio niuis, est aquæ effusio. Ac proinde meritò post propositam aquarum liquentium effusarum comparationem cum Verbi Dei illapsu in terram nostram, suscipimus tractandam effusionem Verbi sub aquæ siccæ effusæ typo.

Scripturæ nonnullæ, eò aptatæ.

319. Visus est hanc effusionem attingere David Psal.71. verbis illis superiùs propositis: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Nam Apollinaris in illorum verborum Metaphrasi, *Stillicidia stillantia*, interpretatur de niue, sic exprimens verum prædictum. [Ex alto sensim, sicut pluuia in vellus veniat: sicut terram niuibus quando cœlum tacitè serit.] Similiter ac S. Ambrosius lib.7. in Lucam ad illud, *Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*, quod Vulgata Deuter.32. habet, *Sicut stillæ super gramina*, ipse legit, *vt nix super fœnum.* Itaque siltem posteriora illa verba, de S. Ambrosij & Apollinaris sententia, non ad stillas pluuiæ liquentis, sed ad niuis floccos pertinent. Et cum multi existiment, posteriorem partem illius versiculi apud Psaltem, esse explicationem priorís, vt alibi frequentissimè, non obscurè videri potuerunt annuere, vt descensus quoque pluuiæ in vellus, de niuis effusione accipiatur. Si sola verba Latinæ editionis spectaremus, nihil esset procliuius quam pluuiam in vellus descendentem, accipere de niue, quæ verè est pluuiæ in vellus conformata; & idcircò sæpe nix, lana aut vellus nominata legitur, vt apud Martialem lib.4. Epig.3.

Atque quàm densum tacitarum vellus aquarum
Destinat.

Item apud S.Paulinum natali 6. S.Felicis, *ferè initio*, cum conigisset die sancto Felici sacra ningere, retulit hoc S.Paulinus ad lætitiam colore candido expressim, quasi luce & pace potiti docerent sanctum vtum,

Lactea quæ tacito labuntur vellera cœlo.

Apud Prudentium carmine de S. Eulalia *sub finem*, niues in eius sacrum cadauer demissæ, dicuntur fuisse, [Pallioli vice linteoli.] Græcum tamen idioma ac Hebræum, eam notionem descensus pluuiæ in vellus non ferr. Quare analogia Incarnationis Verbi cum defluxu niuis, non potest ei Psalis loco inædificari, iuxta talem vocum notionem: sed ad summum iuxta communem verbonam vsum; quo retento, plerique primam partem versiculi illius Dauidici, aiunt id ipsum significare quod secundam. At istam aliqui Patres, ad niuis effusionem significandam censuerunt adhibitam, vt videmus.

Fuit qui ad eam Incarnationis expressionem per niuis effusionem, referret illud Isaiæ 55. *Quomodo descendit imber & nix de cœlo? &c. Sic erit verbum meũ.* Id enim de Verbo personali accipit Richardus à S.Laurentio lib.12. de S.Maria pag.897. Sed hoc mysticum est, Nec aliter pronunciandum de loco illo Prouerb.25. *Sicut frigus niuis in die messis, sic legatus fidelis ei qui misit illum, animam eius requiescere facit.* Quem locum Beda ibi, de quolibet doctore Apostolico accipit. Multò autem magis vatem de Christo, qui & Dei legatus ac Apostolus fuit super omnes fidelis Deo; & inter æstuosissimos mysticæ caniculæ ardores descendit sicut nix super terram: sicque animam Dei de salute nostra solliciti, requiescere fecit. Hæc fuit nix facta à Deo in tempore serotino, iuxta Zachariam cap.10. vbi Cyrillus, & Hieronymus Iobi 28. tempus serotinum interpretantur tempus æstiuum, quando messis & fructus matureſcunt. Sanè niuem in Ecclesia dici homines cœlestes, & qui vitam viuunt dignam cœlitibus, interpretatus est S.Gregorius 32. mor.cap.23. accipiens in hunc sensum illud Threnorum, *Nazaræi candidiores niue*, id est, ijs qui in Ecclesia velut Angeli & cœlestes homines habentur, nitentiores & puriores. Multo potiore igitur iure, Christus Dominus qui homo cœlestis est, iuxta Paulum, *niuis* appellatione donari poterit.

Fundamenta analogiæ Christi cum niue.

320. Causas aliquot huius denominationis Christo tribuendæ, constipat his verbis Richardus à S. Laurentio lib.12. de S.Maria (pag.857.) sub verbo *nix.* [Isaiæ 54. *Quomodò descendit imber & nix &c. Sic erit verbum meum*, id est Filius, dicit Pater, Eccles.43. *Imperio suo accelerauit niuem*, id est, in electis refrigerium, contra feruorem vitiorum tentantium. Quia natiuum & purissimum habet candorem. Eccles.43. dicitur de niue ad literam; *Pulchritudinem candoris eius, admirabitur oculus.* Sap.7. *Ipse est candor lucis æternæ*, &c.Cant.5. *Amicus meus candidus & rubicundus.* Natus est enim de purissima Virgine, totus candidus & purus, Isaiæ 35. *Gloria libani data est ei*, qui interpretatur candor, quia de sursum venit. Ioan 3. *Qui de sursum venit, super omnes est.* Quia minuta descendit. Philipp.2. *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*, &c. Item, *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* Psalm.8. qui non sunt carnei nec possunt mori, Quia terræ immunditias operuit in cruce, id est, peccata terrenorum, nec coram Patre apparent ad vindictam. Vnde *operuisti omnia peccata eorum*, Psalm.84. pallio scilicet misericordiæ, vel carnis crucifixæ. Vnde & dicit Eccli.24. *Sicut nebula texi omnem carnem.* Quia vitum disgregat. Quia frigida est, & tangentes se infrigidat. Beatissima enim caro Christi, carnis humanæ non sensit incentiuum. Vnde vestimenta eius, id est, membra, de quibus dicit matri suæ, Iob.10. *Pelle & carnibus vestisti me*; apparuerunt sicut nix in Transfiguratione. Matth.17. Marci.9. Luc.9. Christus etiam, tangentes se per veram dilectionem, & puram orationem refrigerat ab æstu vitiorum, vnde de Christo dicitur, Eccles.43. *Imperio suo accelerauit niuem*, id est refrigerium contra æstum vitiorum. Quia feruore Solis & tepore auræ, dulcis citò in aquam resoluitur. Caritas enim quæ per Solem signatur, & pietas quæ per teporem, fecerunt Christum pati, qui in sua passione effusus est sicut aqua, vt dicit Psalm.21. Quia resoluta in aquam, nunquam iterum fit nix, &c. Sic Christus in passione effusus sicut aqua, resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.]

Distinctiùs de eadem analogia, considerando in se & niuem, & Christum.

321. Mihi vt hæc Verbi Incarnati cũ niuis effusione collatio liquidior sit, duo considerանda videntur: nempè, & quid sit nix in se, & quid sit terra cui superfunditur. Et nix quidem in se sumpta, perspicuè exhibet Symbolum diuini Verbi humanitatem assumentis. Nam formatur per subuectionem materiæ terrestris ad locum superum, vbi tamen non hæret; sed candefacta & firmior, descendit ob bonum terræ quam descensu suo fermentat & aptat ad feraciratem, iuxta illud Iobi 37. *Qui præcipit niui vt descendat in terram.*

Ad quæ verba S.Gregorius 27. moral.cap.18. egregiè ex eo capite virum quemlibet ſanctum cum niue cóponit, quòd ſubuectus ab ima terra per calorem deſuper immiſſum, donatus firmitate & ſoliditate aliqua, deſcendat ad ſubtus iacentes, proportionalem eis exhibiturus caritatem cum ea quam ipſe à calore cœleſti & diuini ſpiritus benefico afflatu accepit, cum ſubuectus ſurſum eſt. Quæ omnia multò magis valere de Chriſto, ex humanitate cum Verbo nexa compacto, eſt apertiſſimum. Nam & humanitas eius ex ima terra per amorem quo Deus dilexit mundum ſubuecta eſt ad conſortium vſque perſonæ Verbi; eáque ſubuectione materia ex ſe ſordens & fluxa, facta eſt nitentiſſima, & firmitatem accepit qua in bono ſolidè conſiſteret. Sicque inſtructus & exoratus homo ille, non elegit ſedem habere in cœlis, vel inter Angelos, ſed inter homines ad eorum procurandam ſalutem verſatus eſt, eundem illum cœleſtem amorem erga homines exprompturus, ex quo ipſe in humanitate prædeſtinatus eſt Filius Dei. Hinc ſufficienter intelligitur niuis in ſe ſpectatæ proportio, cum Chriſto Domino.

Item niuem ad terram; & Chriſtum ad nos, referendo.

322. Proportio autem niuis comparatæ ad terram ſuper quam effunditur, ac Chriſti ſpectati per ordinem ad nos, exponi meliùs non poteſt; quàm oſtendendo, quæ bona nix terræ affert, eadem nobis Chriſtum contuliſſe. Et nix quidem deſcendens in terram inebriat eam, ac infundit, & germinare facit, ſicque dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, vt Iſaias cap.55. affirmauit. Cauſam reddunt Theophraſtus lib.2.de cauſis plant. *initio*: & Plin.lib.17.cap.2. qui Theophraſtum apertè expreſſit. Præfatus ergo qui dixit, hyemes ſerenas optandas, non pro arboribus feciſſe vota, ſubdit paulò pòſt. [Vota arborum communia ſunt, niues diutinas ſedere. Cauſa, non ſolùm quia animam terræ euaneſcentem exhalatione, includunt & comprimunt, retróque agunt in vires frugum atque radices: verùm quod & liquorem ſenſim præbent, purum præterea leuiſſimúmque, quando nix aquarum cœleſtium ſpuma eſt. Ergo humor ex his non vniuerſus ingurgitans diluénſque; Sed quodammodo ſicut diſtillans, velut ex vbere, alit omnia quæ non inundat. Tellus quoque illo modo fermenteſcit, & ſucci plena ac lacteſcentibus ſatis non effœta, cum tempus aperit, tepidis arridet horis; ita maximè frumenta pingueſcunt.] Quod niuem, aquarum cœleſtium ſpumam nominat, vt cum vera phyſiologia conſentiat, accipiendum eſt de parte tenuiore, & dilutiore vaporis ſurſum ſubuecti per calorem: Nam quod eſt in vapore illo craſſius, in alias metereologicas impreſſiones conformatur. Vel certè referendum eſt ad alborem niui aduenientem, eo modo quo ſpuma albeſcit: nam ea ex cauſa niuis alborem exponit Ariſtoteles l.2.de gener. anim. cap.2. Quamquam S.Baſilius hom.3. Hexaëm. & in c.1.Eſaiæ ad illud, *Si fuerint peccata veſtra*, &c.niuem cenſuit verè ſpumam eſſe liquidi humoris, per agitationem vehementem ventorum attriti, ac ſpumeſcentis. Sed hoc cum phyſica de niuis ortu doctrina, minimè cohæret. Quare quod nix ſit ſpuma aquarum cœleſtium, id eſt aquarum in mediam aëris regionem ſubuectarum, accipiendum eſt eo modo quo dixi, vel certè repudiandum. Cætera à Plinio propoſita de niuis commodis, ſunt veriſſima, & elegantiſſimè à S.Ambroſio mox referendo traduntur lib.7. in Lucam ad illud, *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*; Et ex parte à Theodoreto orat.2. de Prouid. *ſub finem*, vbi frigidas impreſſiones, inter quas nix numeratur, ait eſſe terræ opportuniſſimas. [Quia dum frigora ciet naturæ conditor, plantas ſimul & & ſemina in altum germinare prohibet, & vegetatiuam vim in radices diſtribuit, eamque in altum eluctantem frigore, ceu flagello quodam ad inferiora compellit. Idem reptilium quoque, quæ & plantis & ſimilibus nocent, corpora perdit: ſimúlque tibi alumno ſuo animum genera exhibet.]

Sancti niues mortalibus, ſed Chriſtus maximè.

323. Ob hæc commoda niuis in terram cui ſuperfunditur, S.Gregorius 27. moral. cap.17. & 18. viros ſanctos qui ex proximi charitate ſe impendunt eius ſaluti, componit cum niue, tractans illud Iobi 37. *Qui præcipit niui, vt deſcendat in terram.* [Quid (inquit) hoc loco niuem, niſi per lucem inſtitiæ candida accipimus corda Sanctorum? Aquæ autem ductæ in ſuperioribus, conſtipantur, vt niues fiant: ſed cum hæ ipſæ niues ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorem vertuntur. Aquæ igitur ſunt prædicatorum mentes, quæ dum ad contemplanda æterna ſe erigunt, altiori intellectu ſolidantur. Cúmque in ſumma conſideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiunt. Sed quia adhuc in terris fraterna dilectione retinentur, ſemetipſas ab alto intellectu modificant, & infirmis humiliter prædicantes, more niuium, corda arentium, liquatæ rigant. Niues ergo ad terram de cœleſtibus veniunt, cum ſublimia corda Sanctorum quæ iam ſolida contemplatione paſcuntur, pro fraterna caritate ad humilia prædicationis verba deſcendunt. Sicut enim nix terram cùm iacet operit, cum verò liquatur, rigat; ita Sanctorum virtus per firmitatem ſuam, apud Deum vitam peccatorum protegit, & per condeſcenſionem ſuam, quaſi liquefacta, arentem terram vt fructus proferat, infundit. Et quia aqua priùs ab infimis trahitur, vt pòſt à ſuperioribus ſparſa reddatur; Sancti quippe etiam cum in virtutis arce conſiſtunt, vnde eleuati ſunt, conſiderant; ne alienæ infirmitatis abiecta contemnant. Quaſi ergo aquæ, ad terras de quibus ſubleuatæ ſunt, redeunt; dum condeſcendentes iuſti peccatoribus, reminiſci non deſinunt, quod fuerunt. Certè aqua in terris adhuc Paulus fuerat, cum legem carnaliter ſapiebat: ſed ductus ad cœleſtia, in ninem verſus eſt: quia quod priùs infirmum ſapuit, ad ſoliditatem veræ intelligentiæ commutauit, & tamen condeſcendens fratribus, quaſi nix ima repetijt: quia & poſt virtutum culmina, quàm fuerat indignus agnoſcit.]

Hæc multo potiore iure in Chriſtum cadere, nemo non videt ſi reſecentur quæ ſunt Pauli propria, & tantùm ſpectetur modus quo terræ commodat nix; cum qua & ille, & inſuper reliqui in agrum mundanum benefici, ſunt collati à S. Gregorio: ídque eſſe Chriſti maximè proprium, diſertiſſimè tradit S.Ambroſ. lib.7. in Lucam ad illud capitis noni. *Veſtimenta eius, facta ſunt alba ſicut nix.* Sic enim ſcribit. [Audiui duorum prudentium facundiam, niui & apibus comparatam. Inueni quoque dixiſſe Dauid: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; ſuper mel & fauum ori meo.* Et infrà. *Lucerna pedibus meis verbũ tuũ Domine, & lux ſemitis meis.* Verbum Dei lux eſt, Verbum Dei nix eſt. Super mel quoque & fauum, Dei eſt Verbum, quòd ore diuino melle dulcior fluxit oratio, & perſpicuæ niuis ritu molliotibus, cadunt verba ſententijs. Verè hic ſolus ſermo niuibus comparandus, qui de cœlo miſſus in terras, ieiuna noſtrorum arua pectorum fœcundauit. Quod non vſurpatoriè præſumptum,

ptum, sed ex lectionis serie deriuatum, Deus ipse te-statur dicens: *Expectetur sicut pluuia eloquium meũ, & dependant velut vos verba mea, sicut imber super gramen, & sicut nix super fœnum.* Vtinam Domine Iesu, mens mea pluuiæ tuæ humore virideſcat; vtinam terram meam niuis istius candore respergas, ne præpropero calore vernantis corporis arua luxurient, sed potiùs soto niuali semina Verbi cœlestis pressa fœcundent. Nix cum cadit, aues cœli vbi inhabitent non habent, & lætior solito tritici prouentus exuberat.] Videtur S.Ambrosius in ea fuisse sententia, quam postea Magnus Albertus & Louanienses tradiderunt; non esse niuis alborem verum; sed lucem, vt in alijs nonnullis concretionibus aëreis, specie coloris apparentem. Certè præter S.Ambrosium Prosper in Psal.147. pto eodem accipit, *Esse amictum lumine sicut vestimentum, & vestimenta fulgere ac albere sicut niuem.* Abulensis autem in cap.17. Matth. q.45. disgregationem visus quam experiuntur qui niuosa loca peragrant non præterito oculis vitore, refert ad natiuam radiositatem niuis, coniunctam albori exquisito. Vt vt sit, vidisti qua ratione S.Ambrosius niuis effusæ effectus circa terram, Christo Domino ad nos comparato adscribat.

Effectus quatuor, supernaturalis per Christum Prouidentiæ, cum niue compositi.

324. Verùm vt hæc distinctiùs perspiciantur, operæpretium est monstrare, effectus omnes Diuinæ supernaturalis Prouidentiæ erga Sanctos per Christum exhibitæ, optimè significati per niuem, & niuis effusionem super terram. Nihil enim præterea deflorari poterit, vt intelligatur Christus nix esse intelligibilis, & eius aduentus, effusio niuosa super terram. Recolendæ verò sunt quatuor illæ supernaturalis Prouidentiæ partes, quas S. Paulus Rom.8. appellauit Prædestinationem, Vocationem, Iustificationem & Glorificationem: vbi duo beneficia æterna, cõcludunt duo temporalia, vt S.Bernardus mellitissimè obseruauit epistola 107. quæ est ad Thomam Præpositum Betneiæ vel Beuerlæ, sic differens ex loco Psalmi 120. [*Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.* Ab æterno, propter prædestinationem, in æternum propter beatificationem. Altera carens principio, altera nesciens finem. Siquidem quos ab æterno prædestinat, in æternum beatificat, intercedente sanè media vocatione vnà cum Iustificatione, duntaxat in adultis. Sic ad ortum Solis Iustitiæ, Sacramentum absconditum à sæculis de prædestinatis & beatificandis, emergere quodammodò incipit ex abysso æternitatis; dum quisque vocatus per timorem, iustificatus per amorem, præsumit se quoque esse de numero Beatorum, sciens nimirum, quia quos iustificauit, illos & magnificauit.] Vtique in cælo, *Vbi solummodo magnificus est Dominus Deus noster*, vt Isaias cap.33. scitè dixit. Si igitur quatuor illa quibus continetur vniuersa supernaturalis per Christum Prouidentia; Prædestinationem inquam, Vocationem, Iustificationem, & Glorificationem, cum niuis effusione ritè componi demonstrauerimus, apparebit quorsum Christus, nix, eiúsque aduentus, niuis effusio denominetur.

Prædestinatio.

325. Prædestinatio quomodò nobis per Christum obtingat, tractandum est cum de Christo capite, vbi ostendo eam aliqua tandem ratione optimè Christo tribui, in quo, *sorte*, quantũ ad nos attinet, *electi sumus*. S.Augustinus in Psal.147. ad illud. *Qui dat niuem sicut lanam*, multa præfatus de frigore & torpore nostro, subdit. [An verò ille quamuis ex torpore in infima depressos deseruit? Nonne ipse prædestinauit nos, antequam in toto mortali & pigro corpore nasceremur? Qui ergo prædestinauit nos, dedit terræ niuem, ipios nos. Iam enim veniamus ad illos Psalmi versus subosemos; incipiant illa inuolucra euolui, quoniam vos Verbum Dei, quanto magis per nos dicitur, tanto auditores inuenit. Ecce nos pigri in hac terra, quasi congelauimus hic; Et quomodo contingit niuibus: sursum enim gelant & in ima dicidunt: sic frigescente caritate, decidit humana natura in has terras, & pigro corpore inuoluta, velut nix facta est. Sed in ista niue, sunt prædestinati filij Dei. Dat enim illic, niuem sicut lanam. Quid est *velut lanam?* Id est de niue quam dedit, de istis pigris adhuc spiritu, & frigidis, quos prædestinauit adhuc facturus est. Lana enim, materies vestis est. Lana cum videtur, veluti præparatio aliqua est ad vestem. Ergo quia prædestinauit hos qui ad tempus frigidi repunt in terra, & nondum feruent spiritu caritatis, (de prædestinatione enim adhuc loquitur;) veluti lanam dedit hos Deus, & facturus est inde vestem. Meritò in monte, vestis Christi fulsit sicut nix. Fulgebat vestis Christi sicut nix; tanquam de illa lana, iam facta erat tunica: De qua lana? idest, de niue quam dedit sicut lanam. Adhuc prædestinati, pigri erant: sed expecta; vide quid sequatur: Quia sicut lanam dedit eos, sic inde tunica. Quomodo enim dicitur Ecclesia corpus Christi, dicitur & vestimentum Christi ipsa Ecclesia. Inde est illud quod ait Apostolus, *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Ergo exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Faciat sibi vestem de illa lana quam prædestinauit in niue. Adhuc in hominibus incredulis, & frigidis, & pigris, faciat vestem de lana: vt abluatur à maculis, mundetur fide: vt rugam non habeat, tendatur in cruce.]

Ago de hac Christi veste ex prædestinatis contexta, suo loco, tractans de Christo pacis Principe. Quia enim per electos, Christus vt homo per vestem agnoscitur, meritò dicuntur vestis eius, vt habet S. Ambros. in c.19. Apocal. Ipséque S.Augustinus, qui hanc de Christo sanctis vestito cogitationem iniecit, epistola 49.q.5. locum ex capite 30. Prouerb. quem Vulgata sic legit, *Quis colligauit aquas quasi in vestimento?* legit paulò aliter; nimirum hoc modo: *Quis conuertit aquam in vestimento?* Refertque ad baptizatos qui Christo induuntur, & vicissim fiunt eius indumentum, iuxta illud: *His omnibus velut ornamento vestieris.* Igitur dat Deus per Christum, niuem sicut lanam, quatenus ex frigidis & torpentibus mortalibus, eligit aliquos è quibus conficiat sibi vestem palmatam ac regiam; qui quamdiu non aptantur in vestem, sed sunt eius materia remota, qualis est lana respectu vestis, prædestinationi tantùm subsunt, diciturque de eis, *Dat niuem sicut lanam.*

Alio sensu, eadem Psaltis verba ad prædestinationem aptari possunt, ex doctrina Richardi Victorini in cap.1. Apocal. circa illa verba *Capilli eius, candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Niuem ille exponit Angelos, quia nix de supernis est. Lanam ad homines refert, quia lana de terrenis animalibus oritur. Quod autem prædestinati ad Christum se habeant sicut capilli ad caput, haurientes videlicet à Christo esse & crementum, eique inhærentes tanquam principio, alibi disputo. Nam quamuis Nyssenus hom. 13. in Cant. cincinnos capitis Christi, pulchertimúm-

que illud sertum Christi capillorum, de quo scriptum putat, *Posuisti in capite eius, coronam de lapide pretioso*, specialiter ad Apostolos accommodet : tamen de omnibus electis idem planè dici potest. Quia ergo in negotio gratiæ & prædestinationis, vno tenore proceditur cum hominibus & cum Angelis, (nam *mensura hominis quæ & Angeli*, vt dicitur Apocal. 21. quod glossa Christo aptat, tanquam mensuræ donorum gratuitorum in quacunque rationali creatura :) idcirco dictum est, *Qui dat niuem sicut lanam*, quantum attinet ad diuinæ prædestinationis & electionis negotium.

Vocatio ad pœnitentiam.

326. Æternæ prædestinationi, primum quod in tempore subiungitur supernaturalis ordinis beneficium, est vocatio, de qua sic Augustinus loco citato Psalmi 147. [Iam si prædestinati sunt, vocandi sunt. *Quos enim prædestinauit, illos & vocauit.* Iam quomodò vocantur ex languore corporis illius vt sani fiant ? quomodò vocantur ? Audi Euangelium. *Non veni vocare Iustos, sed peccatores in pœnitentiam.* Incipit iam prædestinatione nix illius cognoscere torporem suum, accusare peccatum suum : incipit vocatione venire ad pœnitentiam. Meritò ergo qui dat niuem velut lanam, propter confectum tunicæ saturæ, etiam propter vocationem in pœnitentiam, nebulam velut cinerem spargit; *Nebulam*, (inquit,) *velut cinerem spargit.* Quis? *Qui dat niuem sicut lanam.* Quos enim prædestinauit, vocat in pœnitentiam, quia *quos prædestinauit, illos & vocauit.* Cinis autem, ad pœnitentiam pertinet.] Sic quidem Augustinus, vt primum temporale supernaturalis prouidentiæ beneficium, vocationem inquam, eo Psalmi loco deprehendat.

Possumus verò non deflectendo à niuibus, vocationem ad pœnitentiam, in ijsdem agnoscere. Nam niues hyeme cadunt, vnde apud Tertullianum l. de spectac. color albus Deæ hyemi iuxta Ethnicos addicebatur propter niues. At hyems, vt sæpè disserit D. Augustinus tractans illud, *Mortui estis, & vita vestra abscondita est*, Symbolum est status pœnitentium. Item potest nix notare pœnitentiam, quia est veluti pœnitentia montium, iuxta illud Plinij lib. 19. cap. 4. [Pœnas montium, in voluptatem gulæ vertunt.] Et iuxta Theodoretum *in fine* sermonis secundi de Prouidentia, niuatio est quasi flagellatio terræ, & gramina & plantæ, intra eam coërceantur.

Non inficior, niues argumentum potiùs luxuriæ fuisse, quandoquidem niues esitabant ad voluptatem, ex Seneca lib. 4. natur. qq. cap. 13. Passim verò intra niues refrigerabant aquam priùs decoctam, vt meliùs refrigerationi pateret : vnde illud Iuuen. Saty. 5. *Frigidior Geticis peritur decocta pruinis.* Colũ niuarium in eam rem adhibitum, memorat Pomponius Iurisc on. & Martialis lib. 14. Epigr. 103. vbi Rodetus, & Sauaro ad lib. 2. Sidonij, epistola 2. & Langius lib. 1. epistola 31. qui colum niuarium, pumicem quo aqua niualis percolaretur, interpretatur, minùs commodè. Vt vt sit, inde habetur, niues luxuriæ instrumentum & argumentum fuisse, in eo voluptati persimiles, quod sicut nix & niualis aqua æstuanti est suauissima, & simul nocentissima, vt Aristoteles apud Gellium tradit lib. 19. cap. 5. non secùs voluptas, hominem simul delinit & perdit ; tandémque ab aquis niuium & delicijs ex vsu talium aquarum, transfertur ad calorem nimium, vt habetur Iob. 24.

Quamuis autem id ita sit, veréque niues ob causam propositam possint luxuriæ Symbolum videri ; tamen vt plurimùm, ob frigus & alborem, aliáque adiuncta, pœnitentiam commodè significant. Atque ita S. Gregor. 9. moral. cap. 28. aquas niuis quibus quis lotus, mundissimas habet manus, interpretatur pœnitentiam humilem. [Aquæ enim niuis, (inquit,) sunt lamenta humilitatis. Quæ profectò humilitas, quia ante districti iudicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni meriti colorem candent. Sunt námque nonnulli, qui lamenta habent, sed humilitatem non habent ; quia afflicti plangunt ; sed tamen in ipsis fletibus, vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem conditoris eriguntur. Hi nimirùm aquas habent, sed niuis aquas non habent : & mundi esse nequeunt, quia humilitatis fletibus minimè lauantur. Aquis autem niuis à culpa se lauerat, qui confidenter dicebat : *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Qui eum lamentis affliguntur, sed murmurando rebelles sunt, mentem quidem conterunt, sed humiliari contemnunt.] Huc facit, quod pœnitentia humilis iuxta D. Augustinum in Psal. 50. est Hyssopus tumorem tollens ; Vnde sequi ait, dealbationem super niuem. Adhibet verò ibidem S. Gregorius aliam præterea interpretationem, cur pœnitentia legitima cum niue & niualibus aquis sit collata. Sic enim subdit. [Aqua fontis & fluminis ex terra oritur, aqua verò niuis ex aëre proruit. Et sunt plerique qui per orationum lamenta se cruciant : sed tamen totis lamentorum laboribus ad sola terrena desideria exudant : compunguntur in precibus, sed felicitatis transitoriæ gaudia requirunt. Hos itaque niuis aqua non abluit, quia eorum fletus ab imis venit. Quasi enim ex terræ aqua perfusi sunt, qui pro terrenis bonis in precibus compunguntur. Qui verò idcirco plorant, quòniam præmia æterna desiderant, aqua niuis hos diluit, quia cœlestis compunctio infundit. Nam cum perennem patriam per lamenta appetant, eiúsque accensi desiderijs plangunt, à Summis accipiunt vnde mundentur.]

Possumus denique eodem aptare, physiologicam doctrinam de ortu niuis. Nam nix tunc efficitur, cum vapor cœlesti calore sursum subuectus, per frigus temperatum mediæ regionis aëreæ (nam frigus nimium, corripiens vaporem, grandinem potiùs efficeret,) crassescit & cogitur in niuem. Similiter enim pœnitens, diuina vocatione tanquam cœlesti calore subuectus ad recogitationem status sui, & Deum agnoscendum ; corripitur timore sancto, non actus in desperationem, sed iusto & moderato tactus dolore : vnde nix pœnitentiæ, quam consequitur lipothymia illa atque defectio : βάλιμον vocat Plutarchus 8. Sympos. q. 8. malè à Gellio lib. 16. cap. 3. exprimi vocem illam per famem caninam, monstrant Gastaudius ad s. 8. problem. 7. & Langius lib. 2. epistola 28. qui scrutantur causas illius defectionis niuem consequentis, qualis in Bruto Apolloniam tendente apparuit ; eíque panem mederi confirmant. Prorsus ad eum modum, pœnitens in se deficiens, cœlesti pane Eucharistico roboratur, & panis cor hominis confirmat.

Iustificatio, cùm prima.

327. Vocationé ad pœnitentiam, excipit Iustificatio, quam Scripturæ passim cum niue componunt. Optimè Psal. 67. discretis super Ecclesiam Regibus, dispersis inquam quaquauersum Apostolis, populi *niue*, id est quasi nix, (est enim ille ablatiuus nota similitudinis ; sicut infrà, *qui probati sunt argento*, id est *sicut argentum* : quasi nix inquam, candificantur & dealbantur in Selmon : qua voce vmbram sonante, expressam optimè esse gratiam Christi, qui vmbra est ; siue lumen admixtis tenebris dilutum, insigniter ibi disserit S. Augu-

stinus

stinus: qui huc quoque refert illud Isaiæ 1. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum*, per affusum videlicet ex Sacramentis cruorem Christi, vt Tertullianus attigit contra Marcionem disputans, quasi nix dealbabuntur, accedente Iustificatione. Isidor. Pelus. l. 3. epistola 198. ninem significare summam sanctitatem ad quam à mediocribus malis per Christum deueniatur, existimavit. Sicut lanam censuit significare sanctitatem etiam mediocrem, ad quam à coccino, id est, summis malis quis pertingat. Hæc est nix intelligibilis, ait S. Ambr. in apolog. Dauid. c. 12. *sub finem*, eóque refert illud de vestimentis Christi niueis, eò quòd nitentissima & semper peccati expers fuerit cato eius. Mirari Angelos eorum candorem animæ cui Iustificatio obuenit, confirmat idem S. Ambros. l. 4. de Sacram. cap. 2. Neque enim anima iustificationis beneficium adipiscens, eluitur dumtaxat à culpis, sed etiam candore & sanctitate donatur, vt fides docet, & egregiè expressit S. Chrysostomus hom. 1. in ep. ad Ephes. ad illud. *In qua gratificauit nos.* [Non dixit (inquit) ὃς ἐχαρίζατο, id est, *quam gratis donauit*: sed ἐχαρίτωσεν, id est, *gratis fecit*. Hoc est, non solùm liberauit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodò enim si quis acceptum quempiam scabiosum, & peste à morbo, senióque & paupertate ac fame confectum & perditum, statim formosum fecerit iuuenem, omnes homines pulchritudine vincentem, & genis quidem splendorem valdè emittentem, & micantium oculorum eiaculationibus fulgores occultantem: Deinde eum constituerit in ipso flore ætatis, & posteà eum purpura induerit, & diadema imposuerit, & omni ornatu ornarit; Ita nostram infirmitè & ornauit animam, pulchrámque fecit, desiderabilem & amabilem. (Cupiunt enim Angeli talem aspicere animam, Archangeli, omnésque Sancti:) Ita nos etiam fecit gratiosissimos & sibi desiderabiles. *Concupiscet enim*, (inquit,) *Rex tuam pulchritudinem.*] Hoc perbellè respondet affusioni niuis. Nam nix non tantùm purgat vt aqua, sed etiam dealbat ea quibus apponitur. Sic Iustificatio non est sita in sola remissione peccati, sed etiam in spirituali albore, & candefactione animæ per gratiam sanctificantem.

Tum secunda, siue per aduersorum perpessiones.

328. Quia verò nix, quamuis sit candida, citò aliqua sorde nigrescit atque corrumpitur (verba sunt S. Ambrosij cap. illo 2. libri quarti de Sacram.) primæ Iustificationi adiungatur necesse est secunda, qua homo & Iustificationem priùs partam augeat, & peccatorum labeculas excutiat. Efficitur id maximè duabus vijs, quas vtrasque optimè refert nix; eiúsque formatio & effusio. Prior est tribulationum & infectationum. S. Basilius in cap. 1. Esaiæ, tractans similitudinem à Prophetà adhibitam de peccatis dealbandis in specimen niuis & lanæ, præclarè omnino id expositit, his præter cætera. [Qua tandem ratione inter alba, nix lanáque ad hanc exprimendam similitudinem assumptæ sunt? Quod lana suapte natura alba quum sit, sordi tamen diligentia tractata, redditur quàm per se erat, albior. Sanè etiamnum humanæ vitæ ratio per alidnam exercitationem perficiens naturæ subsidia, ad auctiorem ac multò cumulatiorem virtutem progredi potest, & pertingere. Atqui nix cum suo subiecto sit aqua, aëre accedente inalbescit, quando violenta aspiratione ventorum, liquidus humor qui in nubibus diffingitur, per vehementem motum in spumam intumescit, refugiente autem aëre addensatur & concrescit, acceptáque ea concretatione simul & grauitate, siquidem naturali instinctu deorsum fertur. Ad eundem modum anima se habet.]

Quomodò lana multipliciter contundi & vexari debeat vt albescat magis, neminem latet. Ea ipsa portrò similitudine, purgationem pleniorem & incrementum iustitiæ in anima fieri, expressérunt præter S. Basilium, Synesius perpulchrè epistola 44. Nilus l. de oratione cap. 134. & S. Chrysostomus l. ad scandalum passos c. 21. Nec omittendum illud Augustini in Psal. 147. supra iam adductum. [Faciat vestem de hac lana, vt abluatur à maculis, mundetur fide, vt rugam non habeat, tendatur in cruce.]

Ad alteram verò similitudinem facere potest, quod de S. Ambrosio prodit Paulinus, eum sub mortem in lecto iacentem, cum dictaret Commentarium quem ab eo habemus in Psalmum 43. ventúmque esset ad eum locum quo de tribulatione differit, globo igneo primùm fuisse circumtectum vt scuto: tum eodem igne os subingressso, faciem eius albuisse in niuis formam: quo viso exterritus notarius Paulinus, abrupit scriptionem: vnde ea lucubratio, quæ postrema fuit veréque cygnæa vox tanti Antistitis, mansit imperfecta. Significare videtur voluisse Spiritus sanctus, hominem in tribulatione versantem, albefieri vt niuem. Addi insuper ad incrementum iustitiæ, per tribulationes niue exprimendum potest, quod nix calcata, minùs friget vt notat Seneca lib. 4. nat. qq. *sub finem.* Idem plane accidit mysticè. Qui enim vexatur, minùs friget, & calore maiore charitatis ac gratiæ potitur, vnde minor rigor.

Siue per opera charitatis in proximos.

329. Sed nullomodo potiùs ac meliùs crescit gratia semel acquisita, quàm illa altera via augendæ Iustificationis, de qua superiùs: nimirùm, exercitatione operum charitatis in proximum, per doctrinæ sacræ dissemination em & animarum pastum. Huc S. Gregorius 27. moral. c. 17. refert descensum niuis, quæ priùs infernè iacuit aqua: postmodùm subuecta in superiorem locum, & in niuem conformata, iteratò descendit ad bonum telluris, ex Dei præcepto, iuxta illud Iobi 37. *Qui præcipit niui, vt descēdat in terrā*, quod sic ibi glossatur S. Gregorius, vt aptissimè exhibeatur quid ex charitate à sanctis Dei ministris, erga alios fiat, iam suprà retuli. Et addendum est quod idem S. Gregorius l. 29. moral. c. 11. & 12. habet, exponens, qui sint apud Iobum thesauri niuis & grandinis, quos Deus paratos sibi esse in tempus hostis & in diem pugnæ ac belli, gloriatur. Clausulam longioris disputationis, hæc pauca continent. [In niue ergo vel grandine habentur thesauri, quia plerique iniquitatis torpore frigidi, à superna gratia assumpti, in sancta Ecclesia, iustitiæ luce fulgescunt, & prauam aduersariorum scientiam, doctrinæ suæ ictibus tundunt. Vnde & aptè subditum est: *Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli.* Nix quippe vel grando fuerat Saülus per frigidam insensibilitatem, sed nix & grando contra aduersariorum pectora factus est, vel candore iustitiæ, vel districti eloquij correptione.]

Ningebat profectò, & subitò candore vestiebatur terra, ad prædicationem & Pauli, & cæterorum Apostolorum ex charitate oberrantium, & circumientium vniuersum orbem. S. Chrysostomus in Psal. 147. in secunda expositione, accipit in hunc sensum illud Dauidis. *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius.* Sic enim id aptat ad niuis effusionem mysticè intellectam. [Quisnam sermo currit? Qui prolatus per Apostolos quauis penna leuiùs omnia peruolabat. Quocirca Dauid quoque alicubi hoc significans dicit, *Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa.* Si quis autem insipiens dubitet ex ijs quæ fiunt in elementis, sumat probationem, & discat quomodò nix simul, & acernatim, & repentè aduenit, & momento temporis totam terram operit, non longo temporis curriculo eius faciem inua-

dens, sed repentè totam eam complectens. Quoniam ergo erat Prophetа, & consentaneum erat futura prædicentem, & per anagogem significantem hæc dicere, par fuit vt immoraretur in eo quod djcebatur de elementis. Quod autem dicit, est eiusmodi; futurum est vt vniuersa terra, Dei verbo resonet, idque cum maxima celeritate, & breuissimo tempore. Deinde ne quis dubitaret, si Iudæi, gens vna, in quam tanto tempore, tantum studij & diligentiæ collatum est, non fuit proba: quo pacto ij, qui vniuersum orbem terræ habitant, poterunt breui tempore componi, bonique & modetati effici? Ad confirmandum id quod dicit, sumit exempla ex elementis, niuem, nebulam, glaciem, quæ breuiter fiunt vno momento temporis.]

330. Possimus sanè nec immeritò, de quolibet in proximorum cura intento, vsurpare illud Pisidæ de Sergio Patriarcha Constantinop. quem in Cosmopeïa v.1846. describit studiosissimum salutis animarum.

Largo imbre terram irrorat, atque oculis pluit,
Ningit frequenter, lachrymarum cum impetu.

Sic chrystallus mittitur sicut buccellæ, vt habetur Psal.147. velut legit S.August. ibi: *Sicut frusta panis*, quod sic explicat. [Quid est ergo, *Mittit chrystallũ suã velut frusta panis?* Quomodo nix illa ipsius? Quia prædestinatorum est. Quomodo nebula illa ipsius? Quia ipsi vocantur ad pœnitentiam, qui prædestinati sunt ad salutem: sic est quodam modo crystallum ipsius. Quid est crystallum? Multùm obduruit, multùm congelauit, non iam sicut nix facilè solui potest. Nix multorum annorum tempore durata & serie seculorum, crystallum dicitur: & hoc mittit velut frusta panis. Quid hoc sibi vult? Fuerunt nimis duri, non iam niui sed chrystallo comparandi. Et ipsi prædestinati sunt, & vocati, & quidam eorum ita vt pascerent alios, & essent vtiles & alijs. Et quid opus est vt numeremus multos fortè quos nouimus, illum, aut illum? Occurrit vnicuique cogitanti ex ijs quos nouit, quàm fortè duri & pertinaces & obnitentes aduersus veritatem fuerunt, & modò prædicant veritatem, facti frusta sunt panis. Quis ille vnus panis? *Multi* (inquit Apostolus,) *vnum corpus sumus in Christo.* Vnus panis, vnũ corpus: multi sumus, ipse dicit. Ergo si vnus panis totum corpus Christi, membra Christi frusta panis sunt: de quibusdam duris, facit membra sua, & vtilia ad alios pascendos. Quid imus per multos? Notissimum illum Paulum Apostolum intueamur, nihil nobis isto viro notius, nihil suauius, nihil in Scripturis familiarius est. Etsi fuerint qui ex tanta duritia conuertantur, in quanta ipse fuit, panis fient.]

331. Non exigo ad rigorem physiologicum quod ait D.August. de crystallo procreata ex niue antiqua, quod falsitatis insimulat Anselmus Boods lib.2. de gemmis, c.73. & Georgius Agricola l.6. de fossilibus cap.7. Et præter argumentum quod afferunt de resolutione crystalli, non in aquam, sed in puluerem; constat niuem longa annositate rubescere, ex Aristotele 5.historiæ animal.c.19. & Plinio l.11.cap.35. rubore ibi vsurpato, pro flauedine, vt ebur antiquum, dicitur rubere Threno.4. id est interprete Pineda l.6. de Salom.c.4.num.5. ad flauum colorem accedere: Quæ rubedo niui annosæ aduenit ob dissipationem spiritus calidi, quo nix recens turgebat & albebat. Deberet igitur chrystallus rubere si è niue annosa existeret. Constat tamen chrystallum non rubere, atque adeò perperàm dicitur effici ex niue annosa. Quo argumento vrgeri item videntur, qui duplicem illum modum procreationis chrystalli, agnoscunt. Quamuis autem non posset duplex ille modus generationis chrystalli, iuxta veritatem physicam approbari, tamen quia receptus loquendi modus, & vulgi sensus, cui plerumque Scriptura in huiusmodi rebus se accommodat, neglecta seueritate castigatissimæ veritatis; vt videmus in narratione de pelicano & de aspide surda, aliisque; fert chrystallum existere ex niue perantiqua: non immeritò D.Augustinus, ex ea vulgari de chrystalli ortu sententia, exposuit quod apud Psaltem habetur de chrystallo Dei, missa ad modum buccellarum & frustorum panis. Quantoperè autem hac pastione diuinæ familiæ perficiatur hæc chrystallus, siue cibus datus in tempore; quantum in eo fiat gratiæ & sanctitatis crementum, non potest meliùs intelligi quàm si attendatur ad exercitationem præstantissimæ omnium virtutis, quæ est charitas impensa animabus, quas Deus amat, ac proinde præstitum illis subsidium, cumulat vberrimis prouentibus.

Ac denique Glorificatio.

332. Iustificationem eiúsque accrementa, excipit postremo loco Glorificatio, quam niue optimè exprimi, tradunt passim Patres ad illud Matth.17. *Vestimenta eius facta sunt alba, sicut nix*: Et Richardus ad illud Apocal.1. *Caput autem eius, & capilli, candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Est sanè nix, Symbolum splendoris & gloriæ, vt patet ex versibus illis S.Paulini de S.Felice natali 6. *ferè initio.*

Nam cui fas hominum cui Christus amorque timorque
Non gaudere hodie, & vacuum procedere voti.
Cœlicolas Christo quando adgaudere ministros
Ipsa etiam festo produnt elementa colore?
Cernite latitiam mundi in splendore diei.
Elucere sacris insignibus, omnia lætus
Candor habet, siccus teneris à nubibus imber
Ponitur, & niueo tellus velatur amictu
Quæ nine tecta, solum niue, sylvæ & culmina, colles
Cuncta senis sancti canos testantur honores
Angelicáque docent & luce & pace potiri.
Felicem placida clarum in regione piorum
Lactea quæ tacito labuntur vellera cœlo.

Sed & profani, cœlites specie niuearum Virginum exhibebant, vt monstrat quod de Bremij exercitu per niueas Virgines oppresso superingesta mole niuium, habet Tull.2.de diuin.

Probatum igitur perspicuèest, effectus supernaturales quos Christus circa nos operatur, ritè conferri cum niuis effusione, ac proinde ex hoc item capite commodè Verbi Incarnationem cum hac effusione componi.

Vsus doctrinæ.

Vsus doctrinæ esse debet, vbertas magna fructuum iustitiæ, & omnium lætas huiusmodi segetes impedientium, remotio. Nam quoniam eo fine Deus Verbum, specie niuis terræ nostræ illapsum est, vt quod nix terris præstat, hoc & ipse nobis conferret, nix autem & fœcunditatem conciliat agris & bestiolas frugiperdas necat, idque eo pleniùs præstat quo descendit copiosior, vt in proœmio libri de aquæ refrigeratione per niuem ex Gellio & Hispato adagio monstrat Monardes, par omnino est, vt tanta niue intelligibili in terram nostram effusa, fructificemus iustitiæ, non quomodocunque, sed vberrimè.

CAPVT VII.

Verbum insitum.

333. NVllum quidem Incarnationis exemplum extare in rebus creatis omni ex parte perfectum, agnoscit Dur.in 3.d.1.q.1.11. Si tamen aliquod non vsquequaque inidoneum perferri possit, illud esse censet idem Durandus, quod à S.Iacobo c.1. expressum esse notat, vocibus illis *Verbum insitum.*

Optimus

Optimus Incarnationis typus, iuxta Durandum, insitio, & quæ.

Id in hunc modum exponit Durandus. Cum enim Incarnatio, nihil aliud sit quam vnio naturæ humanæ cum diuina subsistentia, nullam putat Durandus extare in his inferioribus, vnionem viciniorem vnioni incarnationem constituenti, quam insitionem. Sanè quædam vniuntur constituendo vnam naturam, aut ex corruptione vnibilium, vt aqua modica coniuncto multo vino & potenti; aut saluis omnibus vnibilibus, vt materia & forma incompletæ, conflant compositum complerum. Qui omnes modi vnionis exultant ab incarnatione, etiam tertius, ob completissimam Verbi rationem. Quædam verò vniuntur, non constituendo vnam naturam: siue coniugantur per vnionem accidentariam aut inhærentiam, vt subiectum & accidens: quam vnionem constat ab incarnatione abesse, cum sit tendentia ad ens substantiale, & inhæsionem ad Deum, qui purissimus actus est, inferre nequeat: siue coniungantur per coniunctionem substantialem absque nouæ naturæ constitutione, quo pacto inseritur ramus stipiti. Non enim constituitur noua natura, nisi continuatione præexistentium. Sicut è contratio, cum continuum diuiditur in plura eiusdem rationis, interuenit sola præexistentis diuisio, absque generatione noua. Hic vnicam dissimilitudinem inter vnionem incarnationis & hanc insitionis, agnoscit Durandus supra n. 13. nempe quod in insitione sit vnio similis cum simili, ratione cuius est ibi continuatio & plusquàm contactus: quæ similitudo non reperitur inter diuinam subsistentiam & naturam ex vna parte, & humanitatem ex altera. Ea disparitate secluſa, quæ negligi facilè potest, supplente diuina perfectione illimitata similitudinem vnibilium hic deficientem, in reliquis hanc vnionem quadrare cum vnione incarnationis, affirmat Durandus, quia sicut ex insitione non exurgit vna natura, sed tantùm mediante contactu ramus inseritur arbori, & efficiuntur vnum secundum suppositum; ita natura creata apposita diuino supposito, mediante ordine, qui ex Augustino hoc facit in spiritualibus, quod situs & contactus in corporalibus, contingit quodammodò Deum, & ei inseritur, ac in ipso substantificatur. Quod Durandus iis Scripturis expressum putat, quibus Christus dicitur *Radix Dauid*, Apocal. 5. & 22. quasi docente Spiritu sancto, sicut ex radice & ramo fit vnum per insitionem, sic ex natura diuina tanquam ex trunco & radice, & ex humanitate vt ramo insito, per incarnationem vt per insitionem, fieri vnum Christum; qui idcirco Iacobi 1. vt ibi Glossa expendit, *Verbum insitum* appellatur.

Insitio alia magis propria, quomodò Incarnationem exhibeat.

334. Accipit alio modo insitionem hîc Durandus, quàm passim fiat, etiam ab iis quibus hoc exemplo adumbrare incarnationem placuit. Hi enim per insitionem, intelligunt adiunctionem dissimilis surculi in truncum dissimilem; & quidem boni surculi, in agrestem truncum, per quandam vt Ouidius & Columella appellant, *adoptionem*, factam vno è quatuor modis quos memorant Plinius l. 17. c. 14. & Clem. Alexand. 6. Strom. c. 6. tractans illud Rom. 11. *Ex oleastro excisus, insertus es in bonam oliuam*; Quod enim insitum est, pro terra habere arborem in quam inseritur, & sic euadere nouo modo fructiferum, obseruat Clemens: siue ea insitio fiat inter lignum & corticem; siue ligno fisso & generosa planta in ipsum immissa, siue vtroque surculo falce acuta deraso donec medulla nudetur sed non vlceretur, tum vtroque surculo deuincto; siue denique per inoculationem [qua à generoso trunco circumciditur oculus ei quoque cortice vna in orbem circumscripto vnius palmi magnitudine. Deinde eraditur truncus oculo, æquali circumscriptione, & sic immittitur circumligatus & luto circumlitus, integro seruato & illæso oculo & minimè inquinato.] Elegantissimè id describit doctus Poëta 2. Georgic. à Plinio c. illo 14. laudatus; à quo etiam c. 16. additur, visam abs se iuxta Tiburtes tiliam omnibus illis modis insitam, omni pomorum genere onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, punicis, malorúmque generibus.

335. Hæc quidem est magis propriè insitio, deéstque in ea defectus quem Durandus causabatur: nam dissimile accedit ad dissimile. Itaque poterit sanè vnio Verbi cum humana natura, hoc exemplo exponi. Sùntque multa perbellè respondentia incarnationi, in hac insitione. Nam vtraque natura perstat salua & integra, & ambæ in vno veluti supposito coniunguntur; quatenus truncus & ramus insitus, adhæresciunt continuitate perfecta quoad quantitates, & substratas eis materias, quidquid secus senserit Soto 5. phys. q. 3. art. 2. ad 8. malè mandans corrigi sensum per intellectum, quod non videtur hîc posse fieri, cum partes firmiter cohæreant, vt rectè obseruant Valesius controuers. 31. *in fine*. Tol. 5. phys. q. 3. ad 3. & Palac. in 3. d. 1. disp. 1. *sub finem*. Traditque apertè S. Thomas 5. Metaph. lect. 7. & 3. p. q. 77. art. 8. ad 2. Ea autem perfecta & vera continuitas, superans adhæsionem absque vnione qualis tantùm efficitur adhibito glutino sapit vnitatem suppositi & nonnihil eam refert; nam idcirco duæ illæ naturæ trunci & rami inserti, dicuntur vna arbor; éstque inter duo illa vnibilia vnitas substantialis, & eiusdem succi vitalis transmissio & immeatio mutua: diceréque licet, pyri surculo tiliæ inserto, tiliam pyra producere. Benè video quid hîc præcipuè deficiat. Nec ignoro hanc vnitatem duarum naturarum dissimilium non esse verè suppositalem, sed tantùm esse continuitatem quantitatum & materiarum. Tamen quia omnia exempla temper claudicant, & cernitur hic aliquid non incongruè referens vnitatem suppositi in duabus naturis, & aliquoties ad eam accedens, non malè adhibetur hoc exemplum ad incarnationis expressionem. Id quod factum ferunt à Concilio Viennensi, etiamsi ego quidem nihil in eo inuenio ad ista spectans.

Vsurparunt verò exemplum illud ad hanc rem, Hugo Card. & Thomas Anglicus Iacobi 1. Quamuis enim manifestum videatur, aliud ibi velle Apostolum, nec de insertione Verbi in naturam nostram egisse, sed de insitione Verbi Dei in animam per prædicationem: tamen accommodare quoque eum locum Christo voluerunt, eò quòd sicut prædicatio Euangelica fidem inserit, generosam vtique plantulam, naturæ agresti; ita Verbum diuinum, trunco syluestri humanæ naturæ, in horto Virginei vteri, operante cœlesti plantatore, insertum est; vt ex vtrisque fieret vna persona præciso ab humanitate proprio termino, & substituto diuinæ subsistentiæ surculo. Et congruit tempus insitionis plantarum, quam constat verè fieri, & commodissimè (vt aiunt) Austro flante similiter enim plantula generosa diuinæ subsistentiæ, nostro agresti trunco inserta est tempore veris, & Spiritu sancto, qui in Scripturis appellatione Austri significatur, superueniente in Deiparam.

Quomodò Christus radix Dauid, si Verbum inseritur.

336. Nec obest, quod humana illa natura cui Verbum insertum est, id est natura Abrahæ & Dauidis,

aliquando in Scripturis, non truncus cui fit insitio, sed radix appelletur, vt Apocal. 5. & 22. & Isaiæ 11. Hæc enim non eripiunt Christo denominationem surculi; sed idcirco dicuntur, vt intelligatur, Christum qui secundum humanitatem prodit à Dauide & Abrahamo, & quatenus Deus substantiæ ex ijs deriuatæ consertus est, eundem prout Deum esse radicem eorum quoad esse naturale, & prout hominem Deum, esse radicem fidei, & sanctificationis vniuersæ qua potiuntur. Quod Rupertus vtroque Apocalypsis loco allegato pulchrè expressit, & concinnè S. Bernardus serm. 1. de Pasch. vbi expendens locum Apocalypsis citatum, hæc habet. [*Radix* (inquit) *Dauid*: Non Dauid radix eius, sed ipse radix Dauid, quia portat & non portatur. Meritò Dauid sancte, Filium suum vocas Dominum tuum, quia non tu radicem portas, sed radix te. Radix fortitudinis tuæ & desiderij, radix desiderabilis, radix fortis. *Vicit leo de tribu Iuda radix, Dauid, dignus aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Apocalypsis verba sunt hæc. Discant qui non legerunt, recolant qui nouerunt.] Possumus etiam cum Ribera ad eundem locum & Gabriele Aluares in c. 11. Esaiæ ad v. 10. dicere nomen *radicis* eo loco, pro germine & succrescente è terra stipite, vsurpari: quod in alijs quoque Scripturis cerni, prolatis exemplis monstrant ijdem interpretes. Itaque ita Christus radix est ac genus Dauidis & Abrahæ, vt simul quatenus Deus, conseratur & implantetur substantiæ humanæ ex eorum substantia desumptæ, & ad modum surculi ad eam se habeat.

Verbum est surculus, humanitas truncus, non contrà.

337. Consultò Verbum comparo cum surculo, quia Verbum est quod inseritur, non autem humanitas. Ita semel ac iterum, tametsi tandem subdubitare visus est, qui pereleganter hanc Incarnationis adumbrationem tradidit S. Ephrem serm. de margar. pretio, verbis illis. [Deus diuersorum egregiorum operum fons est, & quantam quis vim habet intelligendi, tantum se extendit; & simul inuenit quoties quis intelligere potest. Inseuit naturæ Diuinitatem, ac tanquam in rimam quandam ac scissuram, suum inclusit Filium: vt qualitatem participans, naturam redderet communem in assumptione hominis. Fuit igitur Maria patri arbor, Filio mater, hominibus fons spiritus æterni, & pudicitiæ atque incorruptionis præceptum. Habet porrò pro vinculis hæc insitio, Prophetarum testimonia; & oculus siue rimula, pro spatio habet naturæ distinctionem. Agricola falcem habet, quæ mundat & expolit, virginis animo prius & corpore præparato, ac virtutem in se continet Spiritus sancti: arbórque ad melioris naturæ susceptionem facta, sanctæ mulieris fidem habet.] Et mox. [Cæterùm antedictis fidem habere, nam & ipse ait Saluator: *Ego sum vitis, & vos palmites.* Pater autem meus, agricola. Possum porrò tibi etiam ex eorum arte, qui plantandi studio sunt dediti, confirmare antedicta. In amygdalis quippe, optimarum arborum germina inserunt: alij etiam ramos cum frondibus inserunt, & in vitibus similiter faciunt. Cur ergo præter fidem sit, si etiam Deus in ijs quæ sub aspectum non cadunt, simili arte vtatur? Siue in Verbo, cum assumptionem inseuit, siue in assumptione Deum?] *Assumptionem*, Metonymicè vocat humanitatem assumptam: significárque, aut Verbum humanitati insertum esse, aut humanitatem Verbo.

338. Sed analogiæ accurata obseruatio, potiùs postulat vt Verbum carni insertum dicatur, cum generosus surculus deteriori trunco inseratur, vt fructus suaues existant ex consertione illa, non contrà. Apostolus, quidem, cap. 11. ad Rom. oleastrum in bonam oliuam insertum dixit: sed vt ibi Origenes lib. 8. notauit, [Apostolica auctoritate ordine commutato, res magis causis, quàm causas rebus aptauit.] Intendens videlicet ad mysterium de quo agebat, non autem solbicitus de seruanda rei rusticæ veritate, eiúsque vsu prodendo, qui vt Glossa ibidem admonet, contrarium fert, quàm quod habet Apostolus. Quis enim miti arbori agrestem inserat, pro suauibus fructibus lecturus insuaues? Idque miror non vidisse Palacium, qui in 3 d. 1. disp. 1. *sub finem*, latè Incarnationis & insitionis analogiam contra Caietanum 3. p. quæst. 2. art. 6. defendens; ita instituit comparationem, vt Christus sit instar arboris insitæ, cuius truncus sit Diuinitas, ramus verò insertus, sit humanitas; vnde existant diuini fructus operum humanorum redolentium Diuinitatem. Hoc ab eo factum est, minùs aptè. Nam inseritur (vt dixi,) planta mitis, agresti; & fructus quæruntur, qui surculo inserto, non agresti trunco respondeant. Ideò Rupertus l. 4. de oper. Spir. sancti c. 3. Christum specie ligni insiti describens, sic loquitur. [Ecce nouæ creaturæ plantabatur paradisus de vnius & solius ligni vitæ virgultis siue radicibus; id est, vnius Mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi virtutibus, & fide, quem & Psalmista commendans loquitur. *Et erit tanquã lignum, quod plantatũ est secus decursus aquarũ, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Secus decursus aquarum plantatum est hoc lignum, quia secundã plenitudinem omnium gratiarum semper viuens, ad omnia valens, carnis naturæ insitum est Deus Verbum, & hic talis homo nouæ plantationis est initium, germen sanctum, vitæ lignum. Primæ huius emissiones Apostoli erant, plantatio eius, paradisus radicum eius.] Breuiter sed pulchrè S. Augustinus serm. 9. de tempo. [Diuina (inquit) operante potentia, credentis viscera fœcundantur, & in ligno mortali, vitæ arbor inseritur, & portans in se omnia virtus ab infirmitate portatur; & qui terra, mari cœlóque non capitur, intra vnius corpusculi membra susc ipitur.]

339. Iuuat quoque adscribere, perpulchrè in hanc rem, differentem Richardum à S. Laurentio l. 12. de Deip. in expositione versus tertij qui hic fuerat, *Consitus, excultus, plantatus, & agricola.* [Consitus (inquit) tempore Dominicæ Incarnationis, quando nobilis ille surculus, scilicet Verbum caro factum, insertus est trunco nostræ humanitatis in horto vteri virginalis. De insitione dicitur Iacobi 1. *Cũ mansuetudine suscipite insitum Verbum, quod potest saluare animas vestras.* Illud scilicet Verbum quod erat in principio apud Patrem & per quod omnia facta sunt. Sicut enim in surculo consistit tota spes & floris & fructus, & non in trunco; sic in Verbo assumente, nõ in homine assumpto nisi rationis assumentis. Vnde dicit Ecclesiastici 24. *In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.* Et hoc est quod dicit Iacobi 1. de verbo insito quod potest saluare animas vestras. Et nota quod insitio dicitur, cum trunco surculus fœcundæ arboris, sterili inseritur. Benè autem dixit, *insitum Verbum*, quia ramus insitus & suam seruat naturam, & ad se trahit saporem trunci: quod patet si pirus oleæ inseratur. Non enim mutat naturam fructus, sed oleæ saporem ad se trahit. Sic & Christus diuinam naturam seruauit assumens hominem; sed ab infirmitate naturæ mortalis, saporem traxit, scilicet famem, sitim, fatigationem, & huiusmodi.] Tandem Abelardus serm. de die Annunc. tractans illud. *Quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur Filius Dei*, concinnissimè in hanc rem scribit monstrans totam personam ex Verbo & humanitate compactam dici Filium Dei. [Nam & surculus (inquit) trunco alterius naturæ insertus, toti arbori propriæ naturæ confert vocabulum. Vt si esculus coctano inseritur, esculus non coctanus tota arbor dicetur, à digniori scilicet parte quæ fructum affert ita nominanda, sicut

ſicut & ex fructu ſuo cognoſcenda. Quædam autem inſertio Diuinitatis in humanitate facta eſt hodie, & tanquam vna arbor facta eſt ex duabus naturis in vnam ſibi perſonam conuenientibus. Scriptum quippe eſt de Sapientia quæ Verbum Dei intelligitur, quia *lignum vitæ eſt, his qui apprehendunt eam.* Quid autem humanitas niſi arbor maledicta, & tanquam lignum mortis antea erat? Quaſi ergo lignum vitæ ligno mortis inſertum intelligite, cum in Virgine velut in bona terra hæc inſertio ſit facta. Cuius quidem inſertionis, ipſe Spiritus in eam ſuperueniens, operator fuit, tanquam illam præuidens diem quæ ad inſerendum commodior videtur, ſicut communis hominum opinio tenet qui inſerendi peritiam habent, & longa hoc experientia didicerunt. Vnde & confidenter aſſerunt, vix aut nunquam, aliquam inſertionem quæ hac die fiat, inutilem eſſe.]

Inſitionis impropriæ, initio ex Durando propoſitæ, accommodatio ad Incarnationem, qua Chriſtus ex germine aſcendit.

340. Quamuis autem hæc inſitio quam propoſuimus, magis quadret cum myſterio incarnationis, quàm illa altera qua ramus inſeritur, id eſt naturaliter continuatur trunco, aut radici à qua ſuccreſcit; tamen quia eam Durandus adhibuit myſterij adumbrationem, agè eam quoque perſequamur; ſi priùs illud obſeruauerimus, non rectè Durandum ad perfectam ſimilitudinem huius vnionis cum vnione incarnationis, ſolam diſſimilitudinem naturarum depoſcere. Nam reuera hæc vnio, vt Caietanus 3.p.q.2.art.6. rectè monet, non eſt niſi continuitas partium eiuſdem rationis: quam continuitatem cenſere ſimilem vnioni hypoſtaticæ, ridiculum meritò pronunciat Caietanus.

Nunc prædictam incarnationis expreſſionem, inſinuatam, vel etiam traditam in Scripturis eſſe, doceamus, vt taceamus Rabbinos quorum multos profert Galat. l.3. cap.16. Pulcherrimè in traditit Origenes hom.17. in Geneſ. tractans illud, *Ex germine fili mi, aſcendiſti.* Mouet enim citra hoc dubitationem, quia [Germen in Græco βλαστὸς dicitur, quod magis *Virgultum*, vel *ramus* rectiùs interpretatur, qui de radice repullulare, vel de ipſo robore arboris ſolet. Ex quo ergo virgulto, vel ex quo ramo Iudas aſcendiſſe dicitur?] Tam nonnihil agitatâ difficultate, & inſinuatâ expoſitione quæ de Iuda eum locum accipiat; ſubdit multò conuenientiùs eſſe eum de Chriſto accipere qui eſt verè catulus leonis. [Iſte catulus ergo, aſcendit ex germine: ex virgine enim natus eſt. Non ex ſemine, ſed ex virgine abſque concubitu viri, & abſque ſemine natali naſcitur Chriſtus, velut virgultum ſiue ramus. In quo manifeſtiſſimè & veritas carnis aſſumptæ ex virgine declaratur. In ſacro-ſancto germine, contagio humani & carnalis ſeminis excuſatur.]

En Virginem tanquam Dauidis radicem, & truncum propè emortuum, ex quo non interuentu ſeminis, ſed abſque eo, vt fit in germinatione, erupit germen & gemma, in ramum eximium mox prouehenda: vnde arbori, qui abſceſſerat vigor & viror, ac decus priſtinum florum & fructuum reueniet. Videtur autem S. Ambroſio l. de bened. Patriarch. cap. 4. & Diuinitatem Chriſto eo loco Geneſeos expreſſam eſſe, & humanitatem: Diuinitatem quidem, (id quod etiam S. Hilarius tradidit luculenter in Pſal. 131. ad illud *Si dedero ſomnum*,) quia ibi Chriſtus dicitur leonis catulus, & leo: quia Rex ex Rege proceſſit, & fortis ex forte. [Audiant, (ſubdit S. Ambroſius,) quia & leonem & catulum appellauit: leonem quaſi perfectæ plenæque virtutis; catulum quaſi Filium, ne quis cum audiret, æqualem Patri, non putaret Filium. Non ſic laudatur filius, vt ſeparetur à Patre. Ille probat æqualem, qui Filium confitetur. Mirificè autem & incarnationem eius expreſſit dicens: *Ex germine mihi aſcendiſti*, eò quòd tanquam frutex terræ in aluo Virginis germinauit; & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi totus maternis viſceribus in ſplendore nouæ lucis emiſſus aſcenderet, ſicut Iſaias dicit: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos ex radice eius aſcendet.* Radix familia Iudæorum; Virga, Maria, flos Mariæ Chriſtus eſt, qui fœtorem mundanæ colluuionis aboleuit, odorem vitæ æternæ infudit. Habes ergo incarnationem.] Idem notauit S. Auguſtinus lib.12. contra Fauſtum cap.41. vbi relata tota illa Iudæ benedictione, & ad Chriſtum aptata, monſtrat verbis illis: *Catulus leonis Iuda; de germinatione, Filius meus, aſcendiſti*; (ſic enim legit) fortitudini leonis adiunctam eſſe germinationis teneritudinem, vt pateret illum qui catulus leonis eſt vt Deus, germinatione incarnationis factum eſſe paruulum & infirmum.

Dictúſque etiam, Germen iuſtum, & Oriens.

341. Alter egregius in hanc rem locus habetur Ierem.23. verbis illis *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit*: Quem locum non poſſe de vllo alio accipi quàm de Chriſto, conuincit Euſeb. lib.7. de demonſtr. Euang. demonſtr.9. Dauidi ergo ſuſcitandum promittitur germen iuſtum, quia ex eius trunco iam arido & propè emortuo, pullulaturum erat in Deipara, tanquam in virga ex radice Ieſſe ac Dauidis, germen pulcherrimum, Chriſtus. Et rectè ſanè Chriſtus, appellatur *Germen*: quod nomen, de ramis ſponte adnaſcentibus ac ſuccreſcentibus trunco propè emortuo, propriè dicitur. Deus itaque, idem Dauidi & regno eius euenturum denunciat, quod in alia viſione monſtratum eſt de regno Nabuchodonoſoris. Nempe exſcindendum quidem regnum illius, ſed tamen germen radicum eius in terra ſinendum; ex quo germine repullulatura poſtea eſſet interuentu pœnitentiæ, priſtina gloria. Idem Dauidi & regno eius euenturum prophetat Ieremias c. illo 23. Et cùm in prioribus capitibus deſcripſiſſet regni & populi attritionem, ac inter cætera in fine capitis 22. de Iechonia dixiſſet, *Scribe virum iſtum ſterilem*, ne videretur euanuiſſe diuinarum promiſſionum veritas, & euacuata eſſe fides Dei; ſubdit: *Suſcitabo Dauid, germen iuſtum.* Non ſimpliciter germen, (inquit ſuprà Euſebius,) ſed germen iuſtum, tanquam eum qui de iuſtitiæ Sole ſit conſtituendus, & in cuius diebus oritura ſit iuſtitia. Et ſunt quidem inter nos quotidiana germina, ſed iniuſta & in iniquitatibus concepta, multíque inde ſuccretutis iniquitatibus & iniuſtis operationibus fœdata. De hoc ſolo dictum eſt ad eius radicem, & Beatam Matrem, *Quod naſcetur ex te ſanctum.* Quamquam non ſunt propriè, aliæ humanæ plantæ, germina, cum ſeminentur; quod eſt à ratione germinis preſsè ſumpti alienum, vt vidimus: hoc autem de quo agimus, eſt verè & propriè germen.

342. Vocem Hebræam *ſemach*, Septuag. hîc, & ſemper alibi, vertunt ἀνατολὴν quam vocem Interpres Latinus, aliquando *Germen*, vt hîc, & apud Eſaiam c.4. aliàs autem *orientem* ſiue *ortum* & *ſuccreſcentiam* vertit: vt apud Zachariam c. 3. *Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem.* Et c.6. *Ecce vir, Oriens nomen eius*; Vbi Hieron. tres cauſas profert cur Chriſtus denominatus ſit germen, quarum prima ſpectat diuinam è Patre generationem: tertia effloreſcentem ex eo ſanctitatem & iuſtitiam in Orbe vniuerſo priùs corruptiſſimo. Secunda huc propriſſimè ſpectans, pertinet ad Verbi incarnationem, & Chriſti ex Matre Virgine abſque viri opera exortum, Verbo per ſeipſum vnito, & enato inde Chriſto. Alluſit ad hæc loca, alter Zacharias Baptiſtæ pater, cum dixit, *Viſitauit nos Oriens ex alto.* Vbi nomen

nomen *Oriens* non est participium, quo significetur Christum exortum esse ad illucendum mundo, vt plerique quos sequitur Fernand. visione 31. sect. 4. n. 2. censuerunt, decepti consequentibus verbis quibus Christi munus describitur: *Illuminare iis qui in tenebris & vmbra mortis sedent.* Sed est nomen substantium, vt Ribera optimè prosequitur Zachar. 3. Nam in Græco est ἀνατολὴ quod *ortum* seu *germen* significat. Neque ea Græca vox, cadit propriè in Solis ortum, quidquid eo loco Toletus contendat: & magis inclinat Franc. Lucas ibi v. 78. Sed vt ex Surda tradit Aluares Isaiæ 4. duntaxat significat ortum eorum quæ è radice pullulant & succrescunt, quod passim dicimus *progerminare.* Et verò Fernandius tractans illud capitis 6. *Ecce vir, Oriens nomen eius*, cogitur visione 35. sect. 3. mutare notionem vocis *Oriens* apud Zachariam, & fateri sumi pro germine, quod expressè ferunt verba sequentia: *Et subter eum orietur*, id est, de illo germinabit & succresset messis: vnde eneruantur omnia quæ pro altera explicatione Orientis in illo alio Zachariæ loco proferri possunt. Quamquam quod Christo germini, illuminandi munus tribuatur, non debet nouum videri: cum nulla appellatio aptè respondeat vniuersis Christi perfectionibus. Ideóque quod circa Deum notauit S. Dionysius, coniunctis & consociatis vt possumus nominibus, non ita cohærentibus in creatis, habentibus vires & perfectiones definitas, nitamur exponere quod nulla vnica voce possumus.

Germen hoc Domini quomodò in magnificentia, & fructus terræ sublimis.

343. Hic itaque est Oriens, siue Germen, quod Deus se adducturum pollicebatur. Hoc est *Germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israël.* Vt Isaias cap. 4. prænunciarat. Germinis quidem rationem, habuit Christus in Incarnatione: cætera in Ascensione, & æterna vita complentur, vt pereleganter in hunc modum tradit S. Bernardus serm. 2. de Pentec. [Germen Domini Iesus Christus, solus de mundissimo conceptus semine: quia etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Etsi Filius carnis Adæ, non tamen Filius præuaricationis Adæ: quia non fuit naturâ Filius iræ, sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt concepti. Istud ergo germen quod de virga Iesse virore virgineo pullulauit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset à mortuis, quia tunc Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendentis gloria, cum medius Angelorum & animarum sanctarum ad Patrem deduceris, triumphatrice palma cœlis inuectus, susceptum hominem in ipsa diuinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis in confessu ad dexteram Patris, quod vtique cœlestium oculos reuerberat naturarum, quod Angelicus intuitus contremit, non attingit? Veniat ergo exultatio Domine Iesu his qui saluati sunt de Israël, Apostolis tuis quos elegisti ante mundi constitutionem.] Præclarè in eandem sententiam & prædictum Isaiæ locum & alia attingens, philosophatus est Guerricus Abbas serm. 2. de Annunc.

Sed quod Isaias, Germen illud Domini continuò nominet fructum terræ sublimem, non deerit qui de alia germinatione interpretetur; quæ scilicet non ex radice & trunco sicco, sed ex terra immediatè fiat: Qua ratione exoriturum Messiam idem Isaias c. 45. profitetur, cum optat vt aperiatur terra & germinet Saluatorem: Idque propriè esse germinare, obseruauit Christophorus à Castro in cap. 23. Ieremiæ de hoc Christi nomine latè disputans. Non cogimur quidem, germen illud, & sublimen fructum terræ, de quo Isaias c. 4. loquitur, illa germinatione productum affirmare, de qua agitur in secundo loco; proposito: nam germen ex trunco propè sicco progerminans, & enatus inde ramus, est saltem mediatè fructus terræ sublimis. Si cui tamen placeat illud germen de quo in eo quarto capite, per germinationem immediatè ex terra absque seminio exortum dicere; addat id factum eo modo, qui exprimitur in posteriori loco, quo terra aperta esse & germinasse dicitur, rore in eam delapso cœlitus, & nubibus pluentibus Iustum. Quibus verbis, cùm cœlestem siue diuinam Christi naturam, tum humanam atque terrenam describi, notauit perpulchrè Vigilius l. 3. contra Eutychem *sub medium*, his præter cætera, post egregiè tractatam populi benedictionem *In rore cœli & terræ pinguedine*, id est, vt ipse exponit, in Christo, ex cœlesti & terrena substantia compacto: quam etiam esse ait, *Benedictionem cœli desuper & benedictionem vberum & vulua*, à Iacobo expetitam Iosepho. [Quæ est terra quæ fructum benedictionis dedit, nisi Maria, cui dicitur: *Benedicta tu, & benedictus fructus ventris tui.* Et in Genesi, *Benedictiones*, (inquit,) *vberum & vulua.* Et in Psalmis: *Filij merces, fructus ventris.* Et *de fructu ventris tui ponam super sedem meam.* De quo fructu, hic idem sacri carminis Author in alio Psalmo concinit: *Veritas de terra orta est, & Iustitia de cœlo prospexit; Et enim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* In quo euidenter vtriusque naturæ confessionem prædicans, perfidorum ora obtundit, dum Veritatem de terra ortam, & Iustitiam de cœlo asserit prospexisse, quia Christus ex vtraque substantia habens, de cœlo scilicet, quia de Patre genitus de terra autem, quia & de matre natus est, vtriusque habet parentis geritque naturam: *A summo* enim *cœlo egressio eius*; Summum cœli Patet est, & processio eius tanquam sponsi de thalamo vteri virginalis, quod mysterium vtriusque naturæ etiam Esaias iisdem significationibus pandens cœlis & terræ, sic loquutus est, dicens: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Vide quàm consonis veritas muniatur, prophetica auctoritate, sententiis? Quod enim Dauid ait, *Iustitia de cœlo prospexit*; Hoc Esaias dixit, *Nubes pluant Iustum.* Et quod ille subiunxit, *Et terra nostra dabit fructum suum:* Hoc iste addidit, *Aperiatur terra & germinet Saluatorem*; perspicuo satis & aperto, imò proprio Filij Dei nomine vsus, vt fructum & germen terræ sæpiùs in Prophetia nominatum, naturitatem Christi ex Maria esse, nullus audeat dubitare, de quo germine vel fructu, idem adhuc Esaias loquitur, dicens: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & in gloria fructus terræ sublimis*; Relictúsne est vllus ambigendi locus, quin clarè & germinis & fructus nomine Christum apertissimè significari constet, qui in tanta gloria & magnificentia sublimatus est, vt *In nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris?* Vnde quod ait Apostolus, *propter quod & Deus exaltauit illum*; Et nũc Propheta: *Et erit fructus terræ sublimis*, manifestissimè id, quod de terra, id est ex Maria sumpti, exaltatum & sublimatũ intelligi voluit. Cæterũ id quod de Patre est, semper sublime fuit. Sed nec de rore cœli quod in verbi Dei figura sit positũ, vlla dubietatis paterit occasio, cum ipse Esaias dixerit: *Et nubes pluant Iustum.* Et alibi satis apertiùs, imbri cœlesti Verbũ suum patrem comparasse, descripserit.] Videtur ad hunc è terra Christi exortum pertinere locus ex Ieremiæ 31. iuxta interpretationem Septuag. adductã à S. Athanasio in expositione fidei *sub finem.* Nam quod Aquila vertit, *Creauit Deus nouum in fœmina*; Vulgatus verò, *Nouũ faciet Dominus super terrã, fœmina circumdabit virum*, Septuag. sic expresserunt, *Dominus nobis creauit ad plantationem, salutẽ nouã.* Qui

locus

locus iuxta eam interpretationem, redolet sensum propositum.

Vsus doctrinæ.

344. Vsus doctrinæ is esse debet, vt Deo naturæ nostræ insito, deinceps diuina opera producamus, & deposita agresti conditione mansuescamus. Constat tales ferè ex insitis plantis fructus existere quales sunt plantæ è qua petitus est surculus. Sic pyrus excepto malis surculo, mala profert non pyra. Sic pendent interdum è Iuglande nuce, vuæ; & ex salice persica. Cicurari quoque insitione arbores, ita vt etiam aculeos amittant, quibus armantur, fructúsque ferant & meliores, & grandiores atque celerius, notat Costeus lib. 2. de vniuersa ftirp. natu. cap. 55. Idem vt per hanc supernaturalem insitionem contingat, curandum est.

Nyssenus concinnè homil. 4. in Cant. ad illud, *Sicut malus inter ligna siluarum*, obseruat Christum id habuisse propositum, vt nos omnes tanquam agrestes syluæ ramos sibi inserens, efficiat bonæ frugis ac mites arbores, quod assequemur si Christi imitatione pars nostri potiot ac diuina, terrenam ad se vertat, & diuinorum fructuum capacem reddat.

CAPVT VIII.

Verbum Abbreuiatum.

VErbi abbreuiati mentio est apud Isaiam c. 10. cum ait: *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam, Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israël, quasi arena maris, reliquæ conuertentur in eo: consummatio abbreuiata vndabit iustitiam. Consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Hunc locum adducit Apostolus Rom. 9. *Isaias* (inquit,) *clamat pro Israël: si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient: Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate; quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Eam verbi abbreuiationem, non pauci ad Verbi diuini quasi contractionem, per incarnationem, referunt. Alij quãuis ad Christum referant, non tamen ratione incarnationis: Sunt etiã qui nullo modo ad Christũ pertinere putent.

Varia per Deum Verbi abbreuiationes, non de Christo.

345. Negant ea verba ad Christum spectare, qui vocem λόγος quam interpres reddidit *Verbum*, aiunt significare *rationem* siue *ratiocinium* aut *supputationem*; quasi voluerit Apostolus, etiamsi numerus Israëlitarum esset vt arenæ maris, hoc est immensus, tamen reliquias fortutas saluas, quia qui rationes subducit, qui iniquam rationem consummat & abbreuiat, est Deus ipse. Vnde omnes Filios Israël exquisitissimè numerabit, & paucissimos illos qui inter immensam perennium multitudinem electi fuerint, subducet, & salute potiri, faciet. Salutem paucorum Israëlitarum inter innumerabiles pereuntes ex ea gente, Arabes ac Syri in sua loci illius Apostolici interpretatione, propositam fuisse Apostolo agnouerunt; sed aliter acceperunt Verbum abbreuiatum. Nempè ita vt idem sit, quod *Verbum definitum ac fixum, licet substrictum oratione.* Quo ferè modo Galli dicũt, vno verbo sic placet; *Il ny a qu'vn mot, ie le veux, cela sera.* Quam interpretationem loci Apostolici, maximè approbat Plorauen. lib. 1. de Trinit. cap. 3. *in fine*, ad 3. argumentum Arrianorum contra Filij diuinitatem.

Non pauci item, ad Euangelij breuitatem præantiquæ legis laciniosa amplitudine, Verbi breuiationem ab Isaia & Apostolo propositam, referunt; iuxta illud S. Bartholomæi relatum à D. Dionysio l. de mystica Theologia c. 1. [Theologia plurima & minima; Euangelium latum & magnum; paruúmque & concisum.] Vbi Theologia *plurima & minima*, D. Dionysio interprete, idem est quod expressio Dei maiestatis, & multorum & pauciss morum, vel etiam nullorum verborum indiga. Euangelium verò *amplum & breue*, dicitur ob eam quam dicebam tam multorum complexionem in tam pàucis præ Lege veteri. Neruose pro more Tertullianus l. 4. contra Marcio. cap. 1. citato Isaiæ loco prædicto. [Quoniam (inquit) decisum sermonem faciet Dominus in terra. Compendiatum est enim nouum Testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum.]

346. At S. Cyprianus l. de orat. Dom. num. 79. ad formam breuiatam orationis & legum a Christo propositam, hæc loca retulit, sic scribens. [Quid mirum fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breuiauit? Hoc iam per Esaiam Prophetam fuerat antè prædictum, cum plenus Spiritu sancto de Dei maiestate ac pietate loqueretur. *Verbum consummans*, (inquit) *& breuians in iustitia quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ.* Nam cum Dei sermo, Dominus noster Iesus Christus omnibus venerit, & colligens doctos pariter, & indoctos, omni sexui & ætati præcepta salutis ediderit; præceptorum suorum fecit grande compendium, vt in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret. Sic cum doceret quid sit vita æterna, Sacramentum vitæ magna & diuina breuitate complexus est, dicens: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum ac verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Item cum de lege & Prophetis, præcepta prima & maiora decerperet: *Audi* (inquit.) *Israël Dominus Deus tuus, Dominus vnus est. Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, de tota anima tua & de tota virtute tua; hoc est primum & secundum simile huic; Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Et iterum. *Quæcunque volueritis, vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis.*]

Ruffinus initio explicationis in Symbolum, per Verbum abbreuiatum à Deo factum super terram, intelligit regulam fidei siue Symbolum Apostolorum, tam paucis tam multa complexum. Idem egregiè habet Cassianus lib. 6. de incar. cap. 3. [Symbolum quippe (inquit,) vt scis, ex collatione nomen accepit. Quod enim Græcè, σύμβολον dicitur, Latinè *collatio* nominatur. Collatio autem ideò, quia in vnum collata ab Apostolis Domini, totius Catholicæ legis fide, quidquid per vniuersum diuinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in Symboli colligitur perfecta breuitate; secundum illud Apostoli; *Verbum*, (inquit,) *consummans, & breuians in æquitate: quia Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Hoc est ergo breuiatum Verbum quod fecit Dominus; fidem scilicet duplicis Testamenti sui in pauca colligens, & sensum omnium Scripturarum in breuia concludens, sua de suis condens, & vim totius legis compendiosissima breuitate perficiens: consulens scilicet in hoc, vt pijssimus Pater, vel negligentiæ quorundam filiorum suorum, vel imperitiæ; vt non laboraret vtique quamuis simplex, & imperita mens capere, quod possit facilè etiam memoria contineri.]

Sed hoc non est regulæ fidei particulare. Nam S. Ephrem serm. de margar. pretiosa, demiratus quod ex vno margaritæ nomine, tam multa de Deo & Apostolo & regno cœlorum docuisset, ait: [Deum patrem, agricolam, & opificem, & mercatorem, & figulum, Mediatorem, accreditorem, præmiorum distributorem, & munificum, nostra appellauit oratio. Magnum

gnum sanè Domini verbum, duobus verbis tantam scientiæ vim concludens. Rursúsque margarita sit nobis Euangelium, quia simplici ac minuta litera tantam mysteriorum vim continet; & in vili atque abiecta chartula, cœlestis continetur scientia. Asseruntque Hæretici, Filium Dei indignum censuisse assumere naturam humanam. Cœlum Deus chartæ commisit: & Filium, humanam sumere naturam non permisit?] Chartulam & chartam appellat Euangelij locum, quo margaritæ nomen tot sœcum mysteriis, tot grauidum Sacramentis, reperitur adscriptum. Itaque de toto Verbo reuelato aptiùs quàm de solo Symbolo sumitur ea abbreuiatio, vt præter citatos fecit S. Athanasius in Psal. 44. cuius hic locus refertur à Niceta Heracleensi in Catena Psalmorum: [Velox est calamus Patris; Lex namque nobis per ductus literarum perobscurè significauit ea, quæ ad vtilitatem hominum faciunt. Saluator verò communis, in compendio declarauit nobis voluntatem Patris. Est enim magni consilij Angelus. Et *Verbum* (inquit) *abbreuiatum faciet Dominus in vniuerso orbe.*]

Abbreuiatio Verbi de Christo, alia ab Incarnatione.

347. Tot igitur sunt, Verbi illius abbreuiari cuius Isaias & Apostolus locis allegatis meminerunt, expositiones; quæ non æquè omnes præsenti instituto inseruiunt. Ac ne illorum quidem interpretationes, qui Verbum abbreuiatum ad Christum ipsum referunt, omnes ad rem nostram faciunt. Nam S. Chrysostomus hom. 1. in ep. ad Ephes. *in fine*, eodem pertinere censet hanc Verbi abbreuiationem, quo illud Apostoli cap. 1. Ephes. *Redemptionem quam proposuit in ipso, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo.* Ita vt idé sit abbreuiatio verbi in Christo, quod omniũ in eo instauratio. Locus Chrysostomi sic habet, ἀνακεφαλαιώσασθαι? ait. Quid est ἀνακεφαλαιώσασθαι? coniungere. Cæterùm studeamus quàm proximè accedere ad ipsam veritatem. Nam à nobis quidem, vt etiam in more est positum, dicitur ἀνακεφαλαίωσις, quæ prolixè dicta sunt, compendiosè dicere. Nam hoc quoque ita habet. Quæ cui longo tempore dispensabantur in ipso ἀνακεφαλαίωσαι. Hoc est, in summam redegit & compendium. Verbum enim consummans, & in iustitia abbreuians, & illa comprehendit, & alia addidit. Hoc est ἀνακεφαλαίωσις, & reductio in summam.]

Recidit propè hæc abbreuiatio, in proximè propositum Euangelij compendium; nisi quod non de lege noua à Chrysostomo traditur, sed de ipso Christo, in quo Deus breuiter & summatim complexus sit quæ omnibus retroactis seculis in cœlo & in terra perfecerit. Quod fert illa loquendi formula: *In dispensatione plenitudinis temporum.* Hoc est, cum ea quæ dispensarat & constituerat effici, completa edat, voluit omnia recapitulare in Christo; in quo omnia anteriùs gesta, velut longiores numeri in breuem summam redacti, cernuntur. Et verè quicquid in priscis sacris historiis illustre fuit, quicquid in lege venerandũ, in templo sacrum, in sacrificiis pium, in Patriarchis, Prophetis & Iustis præclarum, in ipsis etiam cœlestibus spiritibus præcellens, multò illustrius & venerabilius in Christo est proditum breui compendio. Eam ob ipsam causam dictum esse Christum Rom. 9. *Finem legis*, Τέλος, consummationem, perfectionem: Item *Consummationem sermonum in omnibus*, Ecclesiastici 5. censent nonnulli, adducendi lib. 5. s. 3. cap. 1. Consummationem námque ac finem sermonum, exponunt *compendium*. Vt videri sanè possit Deus, iuxta eos, illas ipsas vtilitates compendiorum quas celebrant qui breuiatores audiuerunt, consectari hoc compendio conficiendo voluisse. Apud Solinum in præfatione in Polyhistorem ad Auctium, sic exprimitur compendij vtilitas [Liber est ad compendium præparatus, quantúmque ratio passa est, ita moderatè repressus, vt nec prodiga sit in eo copia, nec damnosa concinnitas: cui si animum propiùs intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quàm bracteas eloquentiæ deprehendes] Perpulcrè item Photius Cod. 216. ex Oribasij epistola ad Iulianum Apostatam, cuius iussu Galenum contraxerat in compendium, vtilitatem compendiorum ex eo aperit, quod per ea & temporis lucrum fiat, & facilitas non exigua pateat ad ediscendum, vel recolendum quæ quis anteriùs didicerit. Ea facilitas addiscendi omnem veritatem, & omnia per legem longis circuitibus & magno sæculorum ductu prodita, cogendi in arctum, & vno obtutu perspiciendi, ac omnia breuissimè recolendi, habetur per Christum eximia. Idque spectasse Deum, cum hoc nobis compendium confecit, dubitare non licet.

Germanissima Verbi abbreuiati notio in Incarnatione.

348. Placet, ita non spernere propositas interpretationes Verbi abbreuiati, vt tamen multò magis probem aliam quæ Patrum plurimorum est, & Verbum abbreuiatum accipi de Verbo Dei ad humanitatem assumptam velut contracto. Vnde fortissima ratio deducitur ad Prophetæ & Apostoli intentum, quod erat probare, reliquias populi Israëlitici etiamsi obduratissimi, saluas fore. Nihil enim potuit ad eam rem confirmandam proponi aptius, incarnatione Verbi, ac redactione in angustum ad operis illius executionem. Est profectò Deus, infinitè protensus quomodocunque: siue spatia loci, aut temporis, siue dignitatem spectemus; & tamen arctauit se in infinitum. [Discе (inquit Chrysostomus homilia in Euttop.) quæ sunt Diuinitatis, & sapienter intellige quæ humanæ sunt dispensationis. Nimirùm, vt scias quis erat, & quis factus fuerit tui causa, & ne res ipsas confuderis; neque assumptionem tantæ erga nos benignitatis, veritas in occasionem blasphemiæ. Eius natura sublimis erat, & eadem facta est humilis: sublimis non loco sed natura, nulla poterat labefactari violentia mortis. Essentia nulli erat obnoxia internecioni, aut corruptelæ patens natura, incogitabilis, inuisibilis, incomprehensibilis, semper existens eodem modo; transcendens Angelos, supernis illis virtutibus superior. Cogitationem vincit, intelligentiam transgreditur, videri non potest, fide tantùm potest apprehendi. Cernebant Angeli, & intremiscebant. Cherubim agmina omnia cum timore alas suas submittebant; Super terram ipsam aspiciebat; & eam tremore concutiebat; Minas intentabat mari, & exiccabat, fluuios ex deserta terra educebat, montes statuit in pondere, & colles in statera. Quoniam modo singula eloquar? Qua loquendi formula, omnia repræsentabo? Maiestas eius, finem non habet, sapientia eius nullo concluditur numero, iudicia eius imperuestigabilia, vitæ eius inscrutabiles. Atque hic tantæ, imò immensæ maiestatis, (siquidem hoc citra periculum dici potest,) tantus talisque est. Sed quid tandem faciam? Homo sum, & hominum more eloquor. Tantillam possideo linguam. Ignosci mihi efflagito à Domini benignitate. Hisce dicendi formulis neutiquam vsus sum per arrogantiam, sed eò sum adductus perplexitate infirmitatis & ingenitæ hebetudinis linguæ nostræ. Propitius mihi esto Domine. Non enim intolentia animi vsus, has pronuncio sententias. Atqui alias non habeo. Verumtamen non acquiesco isti qualicumque elocutioni, sed præpete ala intelligentiæ, ad superiora conscendo.] Tantus támque expassus vndecunque & quomodocunque Dei Filius, quàm in arctum se redegit ac breuiauit.

Non

Non potuit sanè maior vlla breuiatio tam ampli tamque expassi verbi Dei concipi, quàm vt idem qui expassus erat & diffusus per omnia loca, arctaretur ad vnius corpusculi angustias: velut qui omnibus sæculis erat anterior, fieret infans vnius diei super terram: Is denique cuius erat honor & gloria, ad stabulum & præsepe indecorus & inglorius deijceretur. Et quamuis ipsum in se Verbum, sit semper & immensum, & æternum, & gloriosissimum; tamen illa ipsa persona in quam omnes prædictæ amplitudines cadunt, verè dicitur contracta & abbreuiata, quoad alteram naturam in qua præter Deitatem subsistit. Vides insignem breuiationem, & cui nulla excogitari, nedum dari queat similis. Est enim hæc, vt alia occasione dixit S. Hilarius in Psal. 14. *Breuitas locuples & infinita.*

Celebrantur sanè, vel huius vel anterioris ævi, breuiationes quædam: sed quæ nihil, prorsus inquam nihil ad istam. Franciscus Alumnus, vt scribit Genebrardus in Carolo V. Et Adrianus Iunius lib. 1. cap. 7. in denariolo, sine notis scripsit Symbolum Apostolorum, & principium Euangelij S. Iohannis. Addit que Iunius, vidisse se cerasi nucleum, in modum quasilli exsculptum, quo continerentur quindecim paria tesserarum affabrè distincta suis punctis. Horologium rotatum, annuli pala inclusum, in Caroli V. digito suspexit sæculum superius. In nuce inclusam Iliada Homeri in membrana scriptam, tradidit ex Tullio Plinius lib. 7. cap. 21. vbi etiam de Myrmecide, à quo quadriga est fabricata ex ebore, quam musca integebat alis: & nauis cum vniuerso apparatu, quam apicula pinnis abscondebat. Quemdam suo tempore, in annulo perexiguo Phaëtontem quatuor inuectum equis sculpsisse, scribit Galenus lib. 17. de vsu partium *in fine*, eiusque *fuisse spectaculum sanè incredibile.* Verùm quid hæ contractiones & abbreuiationes omnes, ad diuini Verbi abbreuiationem, illæsa & nullatenus secta summa ejus amplitudine & infinita expansione.

Suffragia Patrum de hoc sensu Verbi Abbreuiati.

349. Fuit (vt dixi,) ea Verbi abbreuiati interpretatio plurimorum Patrum, è quibus paucos annotabo. Idacius Clarius aduersus Varimadum disputans, sic habet.] Verbum breuiatum quod Dominus faciet super terram, non imminutionem Deitatis in Filio Dei significat, seb dispensationem susceptæ carnis adnunciat. In qua dispensatione, non solùm Patri hominis Filium, sed etiam Angelis legimus minoratum. Paulo Apostolo protestante: *Eum autem qui modicè, & minus quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Et infra: *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Et in Psalmo octauo: *Minorasti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum.* Et vt Verbum Dei Patris, breuiatum non esse in Filio deceamus, ex Esaiæ Prophetæ volumine sententiam approbamus. *Nunquid abbreuiatus factus est sermo meus, aut paruus, vt non possim redimere. Aut non est in me virtus ad liberandum, dicit Dominus omnipotens?* Et iterum: *Hæc dicit Dominus Deus omnipotens: nunquid abbreuiata est manus mea, vt saluare non possit? Aut non potest viuificare cor humilium, & spiritum contritorum?* Et vt brachium Patris quæ manus est, Filium esse doceret, intulit dicens: *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ, salutare eius.*] Non potuit explicatius docere breuiationem diuini Verbi secundùm Deitatem, esse explodendam. Eiusdem tamen breuiationem ratione humanitatis assumptæ, agnosci ac celebrari in Scripturis: addit Idacius, ad Verbum breuiatum pertinere quoque paruum & exiguum tempus, quo Christus tam multa aduersus satanam & peccatum pro salute nostra perfecit: nec non breuiationem in oratione, docens orare præciso multiloquio: Explodit que sensum Arrianorum, qui Verbi breuiationem aiebant designare Verbum Dei esse minus & inferius Patre, non tantùm quoad humanitatem assumptam, sed etiam in Diuinitate.

Eadem Arrianorum quoad rem hanc impugnatio, & Verbi abbreuiati expositio, totidem propè verbis quibus in prædicto opere ab Idacio est tradita, legitur apud Anacletum epistola 2. *in fine:* Sitem Cyprianus lib. 2. testimoniorum aduersus Iudæos num. 3. Abbreuiationem de qua agimus, in ipsummet Christum cadere, in loco Isaiæ prolato, atque adeò etiam in loco Apostoli Isaiam adducentis, apertè agnoscit. Nam Christum esse Dei Verbum, siue Sermonem, probat cùm ex alijs locis, tum nominatim ex hoc loco Isaiæ quo Deus dicitur facturus Sermonem abbreuiatum. Ex S. Bernardo, eumdem Verbi abbreuiati sensum, pulchrè omninò prosequente, panca dumtaxat adducam. Ita habet serm. 1. de natiu. Dom. [Grandis quidem est, dilectissimi, hodierna Dominicæ nativitatis solemnitas, sed dies breuis cogit breuiare sermonem. Nec mirum, si facimus nos breue verbum, quando & Deus Pater, Verbum fecit abbreuiatum. Vultis nosse quàm longum, quàm breue fecit? *Cœlum* (inquit hoc Verbum,) *& terram ego impleo* Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est. *A sæculo* (ait Propheta) *& vsque in sæculum tu es Deus:* Et ecce factus est infans diei vnius.] Similiter Verbum abbreuiatum accipit serm. 3. de Annunc. Idemque habent Etherius & Beatus lib. 1. contra Elipandum pag. 347.

Contractio ad foramen prædictæ Abbreuiationis adumbratio.

350. Hoc planè fuit, manum omnia comprehendentem per foramen angustissimum mittere. Quod Gregorius Nyss. hom. 11. in Cant. ad hoc mysterium accommodat, tractans illud: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus contremuit ad tactum eius.* [Arbitror (inquit) per sponsæ domum, intelligi totam vitam humanam. Et conditricem illam rerum omnium manum, quasi peregrinatione suscepta, in hominum vitam exilem, & nullius momenti, seipsam velut arctiùs contraxisse, idque in eo quòd per omnia naturæ nostræ particeps fieret, excepto peccato. Itaque posteaquàm ad nos accesserit, consternationem quamdam, & admirationem, rei nouæ in animis excitasse. Quî fiat vt Deus in carne manifestò conspiciatur? Quî Verbum illud fiat caro? Quî partus in virginitatem, virginitas in matrem cadere possit? Quî cum tenebris lux misceatur, cum morte vita temperetur? Quî pusillum vitæ foramen, possit continentem vniuersum hoc, manum capere. Quæ cælum omne metitur, teriam omnem, & omnem aquam complecti? Quare consentaneum est, Euangelij gratiam, per manus ænigma, nobis à sponsa quasi vaticinante significari. Quo enim tempore conspectus in terra Dominus, & inter homines versatus est, puritatem & pulchritudinem sponsi expertem

terum crassarum , itemque Verbi Diuinitatem & veri luminis splendorem , per manum illam effectionum agnouimus. Manum enim intelligimus , vim miraculorum perfectricem , qua mortuis vita donabatur , oculi cæcorum restituebantur in integrum, lepræ morbus fugabatur , omne genus incurabilis ac grauis ægritudinis solius imperij vi corporibus excedebat.] En quanta manus illius immensè patentis contractio , quanta ad angustissimum humanitatis foramen breuiatio.

Eodem modo foramen illud angustum ad quod se Dei Verbum per incarnationem redegit , exponunt plerique apud Delrium ibi.Et concinit quod S.Gregorius ad illud Cant.2. *In foraminibus petræ*, ea foramina esse incarnationem annotauit. Origenes verò hom. 4. in Psal.36.hoc esse ait , quod Deus Mosi promisit cum dixit : *Ponam te in foramine petræ.* Hoc enim foramen breuissimum , petræ quæ Christus est, ait fuisse incarnationem, per quam conspiciendus erat Deus , qui in se manens, mansisset inuisibilis. Idem repetit hom.12. in Ierem.

Sed maximè contractio Eliæ ad orandum , & Elisæi super puerum.

351. Quantum arbitror , præsignauit hanc Verbi Dei breuiationem , ea contractio qua se Elias 3. Reg. 18. composuit ad precandum cum *pronus in terram, posuit faciem suam inter genua sua.*Eam enim orationem & visionem nubeculæ , quæ tandem post sextum Ministri prospectum in mare apparuit ; spectasse ad incarnationem fusissimè prosequitur Ioannes Hierosol. (quisquis demum sit,) l. de institut. Monach. cap.32. & seqq. Ea verò compositio , cùm sit similis ei qua infans intra materna viscera componitur , spectat ad expressam à Propheta Verbi breuiati speciem , vt ea Dei humanati imagine , Deum facilius exoraret.Sicut etiam Samuel , effusione aquæ in terram, Verbi incarnationem præsignante , exorare adnisus est populi leuamen. Et verò quorsum alioqui Elias , in eam formam se composuisset ad orandum ? Nam attentiõ & collectio quam captasse dici posset vir sanctus, non erat admodùm operosa in vertice Carmeli , quo vir sanctus cum puero solus ascenderat : & connisus ac labor in situ illo retinendo , collectioni animi potiùs incommodasset , quam eam iuuisset , vt notum est.

352. Est item præter cæteras celebertima illa breuiatio , qua se in typum breuiandi quandoque ad nos viuificandos Verbi diuini , Elisæus Propheta , vt habetur 4. Reg.cap. 4. ad puerum mortuum contraxit : non modò proijciens se vt mortuum erigeret , eique condormiens vt frigido vitæ vaporem restitueret ; quæ magna & mysteriorum plena Symbola , in eo Elisæi facto aperit S. Ambrosius in instit. Virg. cap. 11. & epist.17.aliàs tract. in cap. 4 Ecclesiastis : sed etiam quod alij plerique Patres graues prosequuntur , coarctans & abbreuians se ad pueri vita functi mensuram : vnde consecutum est , vt quod Prophetæ puer cum baculo præmissus perficere nequiuerat ; (Moses inquam cum legis terrificæ propositione ,) excitatus sit mortuus , aspirata nouæ gratiæ lenitate. Signo in hanc rem nonnullos Patres. S. Hieron. in Psal. 97. [Mirabilia fecit. Vultis scire , quoniam mirabilia fecit ? Filius viduæ iacebat in cænaculo. Venit Elisæus , & contraxit se , & os ad os posuit , & manus ad manus , & pedes ad pedes. Si enim expandisset se , non reuersus esset filius viduæ. Ideò se contraxit , vt viuificaret. Cùm esset in forma Dei , ideò accepit formam hominis : ideò se contraxit, vt nos faceret latiores.]

S.Gregor. 9. mor. cap. 32. [A peccati morte, timor nos suscitare non valuit , sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Quod benè in Elisæo Sunamitis filium suscitante signatur ; qui cum baculo puerum mittens , extincto filio vitam minimè reddidit ; per semetipsum verò veniens , seseque super mortuum sternens , atque ad eius membra se colligens , huc illucque deambulans , & in ore mortui septies aspirans , hunc ad rediuiuam lucem protinùs per ministerium compassionis animauit. Autor quippe humani generis Deus , quasi mortuum puerum doluit , cum extinctos nos iniquitatis aculeo , miseratus aspexit. Et quia per Mosen terrorem legis protulit , quasi per puerum virgam misit. Sed puer cum baculo , mortuum suscitare non valuit , quia Paulo attestante ; *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ipse autem per semetipsum veniens , & super cadauer se humiliter sternens , ad exæquanda sibi mortui membra se colligit : quia *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo , sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens,in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Huc illucque ambulat, quia & Iudæam iuxta , & longè positas gentes vocat. Super mortuum septies oscitat , quia per apertionem Diuini muneris , gratiæ septiformis spiritum in peccati morte iacentibus aspirat. Moxque viuens erigitur , quia is quem terroris virga suscitare non potuit,per amoris spiritum puer ad vitam redijt.] Descripsit verbatim S. Gregorium Rupertus lib. 4. de offic. cap.22.

Prosper de promiss. 2. p. cap.31. [Agit verò Elisæus quæ sunt Dominicæ actionis Sacramenta. Mittit per seruum suum baculum , qui supra exanime corpus positum , mortuum vitæ restituat. Misit & Dominus per Mosem seruum suum , legem , quæ mortuum mundum , sicut ille baculus viuificare non potuit, quia *si data esset lex , quæ posset viuificare* , vt Apostolus dicit,*omninò ex lege esset iustitia*:quia litera occidit , spiritus autem viuificat. Posteà ipse Elisæus descendit, magnus ad paruum , Saluator ad saluandum , viuus ad mortuum. Descendit & noster Dominus : *Qui descendit,ipse est,& qui ascendit super omnes cælos,vt adimpleret omnia* , quæ mysticè gessit Elisæus. Vt enim mortuum parulum suscitaret, iuuenilia membra contexit. Et Dominus Iesus seipsum exinaniuit formam serui accipiens , paruum se illi paruo coaptauit , vt efficeret istud corpus humilitatis nostræ, conforme corpori gloriæ suæ. Iacens subter se frigidum , suo calore succendit. Similiter & noster Saluator Dominus mundum, à cuius calore non est iam qui se abscondat. Insufflauit ille tertiò iacenti , vt trina confessio infunderetur credenti. Sic suscitatus est mortuus,dum à morte perpetua iustificatus est impius.]

353. August.serm. 11.de verb. Apost.[Attende Elisæum in magno altoque mysterio , tanquam Prophetam , agendo prænunciantem , non solùm loquendo. Mortuus erat filius hospitæ ipsius. Quid significauit mortuus puer , nisi Adam ? Nunciatum est sancto Prophetæ , gerenti in Prophetia typum Domini nostri Iesu Christi ; misit per seruum , baculum suum , & ait illi : *Vade , pone supra puerum mortuum.* Perrexit ille tanquam seruus obediens. Sciebat Propheta quid fecerat. Posuit baculum supra mortuum ; nõ surrexit.*Si enim data esset lex quæ posset viuificare omninò ex lege esset iustitia.*Non ergo potuit lex viuificare. Venit ipse grandis ad paruulum,Saluator ad saluandum, viuus ad mortuum,venit ipse, Et quid fecit? Iuuenilia membra

membra contraxit, tanquam seipsum exinaniens, vt formam serui susciperet. Iuuenilia ergo membra contraxit; parum se parno coaptauit, vt efficeret corpus humilitatis nostræ, conforme corpori gloriæ suæ. Itaque in isto typo Christo propheticè expresso, cum susceptus est mortuus, tanquam iustificatus est impius.] Sic ibi Augustinus. Nec dissimiliter Conc. 1. in Psal. 70.

S. Chrysost. in Psal. 22. tractans illud: *Virga tua, & baculus tuus*; Baculum intelligi pro lege Mosaica, subdit: [Giezi ille puer sancti Heliszi, cùm mitteretur ad filium cuiusdam mulieris defunctum, baculum illi dedit sanctus Heliszus, vt resuscitaret puerum. Sed non potuit illum resuscitare baculo, nisi ipse veniret, & breuiaret corpus suum, vt oculos suos ad infantis oculos, os ad os, manus ad manus, pedes ad pedes, proijciens se super puerum mortuum, & sic resuscitauit eum. Quid ostendebat de baculo, qui suscitare non potuit, nisi legis ostensionem? Et in Heliseo significabat Christi natiuitatem, qui se habuit minorare, assumens quod non erat, non amittens quod erat, vt susciteret mortuum, id est genus humanum, quod acceperat sententiam primi hominis, *Morte morieris*, Nam baculus, sustentatio est senectutis. Et quia populus qui legem acceperat, senectutem literam intelligebat, & tremula membra in ipso baculo incumbebant: quia litera occidit, spiritus autem viuificat: in senectute mundi venit veritas, vt figura auferretur, & adimpleret legem, non item solueret.]

354. S. Bernardus multus est in hac re, cùm serm. 15. in Cant. *in fine*, tum sermone 16. *sub initium*: vbi quò pertinuerit illa verbi contractio, & quomodò ad viam motus redonandam contulerit, egregiè sic exponit. [Non paruum fiduciæ robur præstat mihi, quod magnus ille vir, Propheta potens in opere & sermone, de excelso monte cælorum descendens, visitare dignatus est me, cum sim cinis & puluis; misereri motuo, inclinare se iacenti, contrahi & coæquari paruo, cæco partiri lumen oculorum suorum, & os mutum oris proprij osculo soluere, debilesque manus huius roborare contactu. Suauiter rumino ista, & impleuntur viscera mea, & interiora mea saginantur, & omnia ossa mea germinant laudem.] Et mox. [Oculus suus tetigit meos; interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide & intellectu, Ori meo amouit suum, & mortuo signum pacis impressit: quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliauit nos Deo, iustitiæ mortuos. Os ori applicuit, iteratò inspirans in faciem meam spiraculum vitæ: sed sanctioris quàm primò. Nam primò quidem in animam viuentem creauit me, secundò in spiritum viuificantem reformauit me. Manus suas meis superposuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ. Aut certè manus suas misit ad fortia, vt doceret manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. *Et osculauit*, (inquit,) *puer septies*. Sufficiebat ad gloriam manifestandi miraculi, osculasse semel: sed multiplicitas, & insignis numerus, mysterij admonent. Si illud ingens vniuersum, humani generis primum quidem examine corpus attendas; vides vbique Ecclesiam (ex quo vitam Propheta incumbente recepit,) quasi septies osculare: quia septies in die laudem dicere consueuit.] Denique vt plerosque dimittam, Apud Hildebertum in prosa de natali Domini, rythmice in hanc veri Eliszi abbreuiationem, habentur quamplurima & optimè quoque apud eundem epist. 48.

Effectus Verbi Dei Abbreuiati.

355. De ipsa Verbi Dei abbreuiatione, plus satis. De effectu autem hanc abbreuiationem Verbi Dei consecuto in mortuo, planè concinnè de more Basilius Seleuciæ orat. 10. his verbis. [Eliszum producamus in medium, & quæramus, cur Sunamitidis filium non ad vitam erexerit oratione, vt Dorcadem Petrus: sed pueri cadaueri, se ipsum instratum applicauerit: Nam pueri ori, suum os imposuit, nasum naso aptauit, faciem facie fulcijt, cum pedibus pedes contendit, pectus imposuit pectori, oculis oculos admouit, paruis denique membris sigillatim applicata Prophetæ membra vitam conferebant. Cur non orationis præsidio mortuum vitæ restituit, sed seipsum reliquis iniecit? Hæc in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Quæramus cuius figura fuerit Eliszus, cuius Sunamitis, & Sumitidis filius mortuus. Eliseus, Christi figuram gerit. Populus autem gentium, erat ille mortuus vi peccatorum. Venit spiritalis Eliszus, & vniuersa eius membra mortua deprehendit, os, oculos, manus, pedes, & vniuersè mortuus erat. Os quod ad laudandum Deum non poterat aperiri, sed ligno dicebat: *Pater meus es; & lapidi, tu me genuisti*: mortui oculi, qui in Deum vniuersi non figebantur: verùm prætermisso Creatore colebant creaturam: mortuæ manus, quæ dæmonibus fructus offerebant: mortui pedes, qui vt adoraretur diabolus, flectebantur. Putridum erat corpus vniuersum, egebat Medico præpotente; Medico qui vel mortuos excitare posset. Venit exquisitus Medicus spiritualis Eliszus, Christus Dominus; inuenit corpus mortuum. Quid agat? seipsum totum imposuit toti corpori. Quid est quod dicimus? Tota plenitudo Deitatis, totum nostrum gestauit hominem, *In quo habitauit*, vel loquitur Apostolus *corporaliter omnis plenitudo Diuinitatis*. Oculos habuit more hominum, similiter manus, pedes similiter. Imaginarium visum non erat, sed tota res quæ videbatur. *Non* enim *rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*: Et vita, mortuum gestauit indumentum, vt immortalitate sua mortem commutaret. Cùm autem Deitas deuenisset in corpus, omnes artus posteà sanctificati sunt, & ad vsum melioiem traducti. Os quidem doctum dicere: *Domine labia mea aperies; & os meum annunciabit laudem tuam*. Oculi Dei laudem didicerunt: *Oculi omnium in te sperant, & tu das escam illorum in tempore opportuno*. Manus ad Dominum suum expassæ, benedicunt ei noctu: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino*: Et, *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Pedes in Ecclesia stantes, gratiarum vtuntur actione, dum dicunt: *Stantes erant pedes nostri in sancta*. Et iterum: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem* Retulisti laudem à partibus externis profectam: quid ergo internæ? an immunes manserunt? nequaquam. Rursus anima cum intimis partibus ad Dominum clamabat: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.*]

Cautio circa locutiones hîc adhibitas. Vsus doctrinæ.

356 Caueris autem, hanc abbreuiationem aliquod infinitati Verbi detrimentum inuehere arbitreris. Optimè id amolitur Petrus Cellensis l. de panib. c. 21. his præter cætera. [Fiunt sponsus & sponsa, vna caro, vna anima, & vnus spiritus. Sponsus refundit in spon-

sam quicquid in se habet dulcedinis, quicquid honoris & potestatis. Denuò mutua vicissitudine in se ipso resumit, quicquid ab ea paupertatis, quicquid amaritudinis, quicquid contumeliæ est & passionis. Hac commutatione, ipsa proculdubio ditatur, sed ipse non minoratur; ipsa melioratur, nec ipse sua Maiestate priuatur. Nam amarum nostrum, vertit in dulce suum; opprobrium in gloriam commutat; de spinis nostris colligit ficus; de rubro vindemiat vuam; de morte vitam; de passione mercatur gloriam. Sponsus iterum, quia gigas est, magnitudine, sol pulcritudine, leo fortitudine, abyssus scientiæ profunditate, Deus æternitate. Sponsa verò puella ætate, paruula quantitate; Æthiopissa coloris nigredine, semina debilitate, fatua in omni prudentia & arte: Idcircò in thalamo contraxit se, paulò minus minoratus ab Angelis: Exuit se vestimentis gloriæ, accinctus cilicio. Deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate. Abscondit sapientiam, vt (iumentum factus,) in derisum esset tota die omni populo; æterniratem dissimulauit, factus sub sole, vt quasi cum tempore temporaliter curreret, nec deficeret. Os illud Altissimi, collatum & coarctatum est modicitati oris sponsæ: manus tornatiles, quæ cælos tetenderunt, affixæ sunt, manibus vulneratis convulneratæ; pedes pedibus compeditis adhæserunt; venter ventri conglutinatus est. Res equidem pia, cum infinitè immensus adbreviatur ad deiectum, sed nihilominùs mira, cum reparatur ad vnitatem personæ Filij Dei, natura filiorum Adæ.]

Descripserat hanc Verbi Dei abbreuiationem S. Bernardus serm. 1. de natiu. Dom. Tum addit fructum quem par sit Christianos omnes ex abbreuiati Dei contractione in angustum, colligere. [Ad quid hoc fratres, aut quæ necessitas fuit, vt sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreuiaret se Dominus Maiestatis, nisi vt vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo quod postmodùm prædicaturus est verbo: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: Vt verax inueniatur, quid dicit: *Cœpit Iesus facere & docere*. Obsecro proinde, & plurimum rogo, fratres, non patiamini, sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosque virtutum. Sectamini illam, quæ sola potest saluare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vlrrà apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est vt vbi sese exinaniit Maiestas, vermiculus infletur, & intumescat. Hoc igitur est propter quod exinaniit se, formam serui accipiens, qui in formâ Dei patri æqualis erat.]

CAPVT IX.

Verbum Inequitans.

357. INsidens humanitati assumptæ tanquam equo diuinum Verbum si exhibere aggrediar, verendum est, ne quos nimbos ante paucos annos, ob huiusmodi comparationem vsurpatam, Lutetiæ aduersus P. Franciscum Garassum inhorruisse constat, eos in me deuocem. Pereruditus hic scriptor, mole insignium operum quæ partim iam prodierunt, partim cudenda supersunt, apud æquos lectores clarus, sed morte posteà in caritatis ministerio obita longè clarissimus, opus scripserat vernacula lingua, cui titulus est *Summa Theologica*. Quod & verbo in Concionibus, & scriptione multiplici, Athæis occultis è Theophili Viaudi ganea acre bellum indixisset, tantæ in illud opus conclamantium efferbuêre iræ, tot vndecunque brutarum censurarum fulmina vibrata sunt, vt non atrociùs configi pestilentissimus liber ex Caluini aut Lutheri incude potuisset. Inter ea verò quæ immedicabiliter ægra in eo opere sunt notata, præcipuum, aut de præcipuis vnum, illud fuit, quod obiter Autor lib. 3. tract. 2. sect. 6. Insidens humanitati Verbum, tanquàm iumento inequitans exhibuisset. Hunc esse apertum Nestorianismum, quo Diuina personalitas secum in Christo admittere creatam humanitatis personalitatem asseratur, æquè ac eques & equus cui insidet, duo sunt suppositа, tanquam exploratum quodque extra omnem controuersiam esse deberet, non ab hostibus modò, sed & ab ijs qui cæteroqui infensi non erant, esseque saltem non debebant, passim iactatum, ipsimet vidimus. Et disertè quidem Autor ibidem sect. 2. & alibi infinities, non esse in Christo subsistentiam creatam tradit, tamen adeò tetra visa est comparatio illa, hinc equitis & equi, inde Verbi & humanitatis assumptæ, vt nullam vel interpretationem vel benignam excusationem visa sit admittere.

Verbum humanitati velut inequitare, Catholicissimè dicitur.

358. Hæc reputanti mihi, subijt animum egregia illa Bernardi, (vel potiùs Guilielmi à S. Theodotico) monitio ad fratres de monte Dei. [Intentioni seruit lectio. Si verè in lectione Deum quærit qui legit, omnia quæ legit, cooperantur ei in bonum, & captiuat sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum. nihilque tam sanctum, tam pium inuenit in Scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per prauum intellectum, non applicet vel malitiæ vel vanitati. In omnibus enim Scripturis, legentis initium debet esse timor Domini, vt in eo primò solidetur intentio legentis, & ex eo ordinetur & exurgat totius lectionis intellectus, & sensus.] Non agit de Scripturis tantùm canonicis, sed vniuersè de quauis scriptione: & rectè ait, pro affectu legentis fragrare aut putere quod legitur; id quod mihi in hac re est manifestissimum. Et vt præteream insulsitatem illam de Autoribus, ex vno verbulo neglectis adiunctis pronunciandi; meritò castigatam ab Eulogio apud Photium Cod. 225. sed illi ipsi comparationi quæ tantoperè in inuidiam vertatur insistam; quæ ista non dico equinitas, sed asinitas fuit, similitudinem in Scripturis & Patribus adeò protritam, damnare tanquàm errore immedicabili & Nestorianismo sordentem? Age igitur & Catholicam, & valdè accommodatam esse, hinc equi & equitis, inde humanitatis & Verbi comparationem demonstremus.

Quia Verbum se habet ad humanitatem, vt anima ad corpus, cui velut iumento insidet.

359. Erit cui petenda inde videatur probatio, quod non secùs se habeat Verbum ad humanitatem, quàm anima ad corpus suum, iuxta illud, *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus*: Quæ comparatio, non modò quoad exurgentem ex anima & corpore substantialem vnitatem valet; (idem etiam est inter Verbum & humanitatem cum sit vtriusque vna substantialis vnio, & ex ambobus illis existat vnum suppositum substantiale:) sed etiam valet quoad alia, vt quoad directionem quam anima corpori debet, & humanitati quoque à Verbo debetur. Item quoad innumera bona quæ ab anima in corpus deriuantur, vt docet mors; in qua apparet quid

quid anima corpori conferret cum ei consereretur, iuxta egregiam S. Bernardi doctrinam serm. 2. de natiu. Dom. similiter autem Verbum, innumeris bonis humanitatem sibi vnitam ditat. Est ergo illa comparatio non indonea, & pluribus confirmata in superioribus. At non secus se habere animam ad corpus, quàm equitem ad equum cui insidet, vulgatius est quàm vt longa confirmatione egeat. Plenè eam collationem prosequuntur Origenes, Basilius, Augustinus, addacendi in capitis calce.

Approbat planè eam comparationem, eique singulari quodam modo veritatem in qua versamur inædificat S. Gregorius 31. mor. cap. 17. Animam enim ad corpus suum vt equitem ad equum se habere docet, ipsi verò animæ quæ equitis munere per comparationem ad corpus fungitur, sessorem alium in Christo tribuit: perinde ac si eques super equitem ascendat, ad eumque non secùs se habeat, ac eques substratus ad equum. Qua ratione è contrario, apud Origenem Autor libri commentatiorum in Iob ad illud: *Equites fecerunt tres turmas*, dæmones equitibus; malos, equis confert. Similiter ergo in Christo, iuxta S. Gregorium, persona diuina fuit velut eques; humanitas vt equus. Tradat S. Gregorius verba illa cap. 39. Sancti Iob. *Deridet equum & ascensorem eius*, quæ ad Antichristum ita accommodat. [Quia non solùm humanitatem Domini, sed ipsam etiam Diuinitatem despicit, non tantùm equitem, sed ascensorem etiam equitis irridet. Nam custodita vnitate personæ, valet intelligi; quia Verbum Dei tunc equitem ascendit, quando animatam carnem sibi intra vterum Virginis condidit. Tunc equitem ascendit, quando humanam animam propriæ carni præsidentem, diuino cultui semetipsum creando subiugauit. Carnem quippe Diuinitas anima mediante suscepit, & per hoc totum simul equitem vexit, quia in semetipso non solùm illam quæ regebatur, sed hanc etiam quæ regebat, astrinxit. Iudæa igitur per aduentum superbientis Antichristi, laqueo seductionis capta, quia Redemptorem nostrum humilem fuisse inter homines despicit, deridet equitem: quia eius in omnibus Diuinitati contradicit: deridet nihilominùs & ascensorem. Sed Redemptor noster vnus idemque, & eques & equitis est ascensor.]

De humanitate vt equo, Verbo vt sessore, Scripturæ complures, ac Patres.

350. Non est hæc propositæ comparationis stabilimo, vel infirma vel vana. Sed quod suppetant Scripturæ expressiores, quibus directè traditur quod quærimus, placet hic pedem non figere. Ac primùm innumeri Patres, exponentes vel attingentes Parabolam Samaritani, propositam Lucæ 16. Iumentum illud in quod impositus est à pio Samaritano qui iacebat semiviuus, à Sacerdote & Leuita præteritus, interpretantur sanctissimam Christi humanitatem, cui insidebat diuinum Verbum. Auspicabor à Græcis. Origenes hom. 34. in Lucam. [Eum (inquit) qui fuerat vulneratus, imposuit iumento, id est proprio corpori, iuxta id quod est hominem dignatus assumere.] Elegantissimè idem tradit, qui vniuersam illam Parabolam luculenter & fusè exponit Asterius in catena Corderij in Lucæ c. 10. compendio expressus apud Photium Cod. 271. in breuiculo homiliæ Asterij de Samaritano. Reliqua cætera, & illud vnum quod in hanc rem facit referamus. [Quid autem (inquit,) est iumentum quo seruatur ac animam agentem, ad hospitium Saluatorem deduxit, nisi caro in qua ad nos venire dignatus est, quæ fuit quasi vehiculum quoddam aut diuini Verbi iumentum; in qua & per quam omnia sustinens, ac tolerans, pro plena morbi depulsione, ad hospitium Ecclesiam, vbi perfecta vulnerum curatio consummatur, deducit.] Titus Bostrenus pla è similiter ad cap. 10. Lucæ. [Vbi ille, qui per matiæ nostræ primitias, vniuersam naturam humanam induerat (in ea enim cuiusque gentis, hoc est, Iudæi, Samaritani, Græci, & vt paucis dicam, omnium hominum pars quædam inerat;) corpore, quod iumenti vice ipsi erat, loco hominis sauciati aff. &c. afflictoque sese applicuit, omnis mox vulnerum dolor, & sanies è medio facessiuit. Verè hic enim erat, qui ibat, sed non præteribat: quin imò studio ob id iter isthac faciebat, quò eos inuiserat, propter quos è cœlo in terram descenderat, & apud quos rursum veluti hospes diuerteret.]

Inter Latinos idem perspicuè habet S. Augustinus lib. 2. qq. Euang. cap. 19. vb. eandem Parabolam interpretatus ait. [Iumentum Samaritani, est caro in qua ad nos venire dignatus est. Imponi iumento, est in ipsam incarnationem Christi credere.] Et serm. 24. de diuers. *in ipso fine.* [Ille carnem suam non solùm tenuit vt nasceretur, viueret, ageret, sed etiam mortuam suscitauit. Vt vehiculum quoddam in quo processit ad nos, ad Patrem leuauit. Vestem dicas carnem Christi, vehiculum dicas, & quomodo fortè ipse significare dignatus est, iumentum ipsius dicas: quia in ipso iumento leuauit eum qui fuerat à latronibus sauciatus.] Contentit S. Ambrosius lib. 7. in Lucam ad cap. 10. vbi tractans quomodò pius Samaritanus semiviuum imposuerit in iumentum suum, sic scribit. [Audi quomodò te imponat. *Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet:* Et, *Pastor imposuit ouem lassam super humeros suos.* Homo enim iumentis similis factus est: & ideò supra iumentum suum nos imposuit, ne nos essemus sicut equus & mulus, vt per nostri corporis assumptionem, infirmitates nostræ carnis aboleret. Denique duxit nos in stabulum, qui eramus iumenta.] Sed amœnissimè & pijssimè de more S. Paulinus epistola 4. [Spoliatos nos Zabuli latrocinio, & vulneratos in via, præterierat frater in Leuita, frater in Sacerdote, quos lex nec sacrificijs redemerat, nec Propheris. Sed non præteriuit ille Samarites, qui propter nos huius etiam nominis suscepit iniuriam; Non præteriuit, quia non erat mercenarius, sed verus & bonus pastor, qui animam suam pro ouibus posituras adnenerat. Hic hominem sauciam, prætermissum à prænijs, nec curatum, miseratus accessit, & iumento suo, hoc est Verbi incarnatione suscepit: & oleo gratiæ, & vino passionis suæ, commendatum stabulario, profectò illi magistro gentium, in duobus testamentis denarij mercede sanauit, redditurus illi, & beatæ virginitatis de innumeris huius boni fructibus vberes gratias, & innumerabiles coronas, quia hoc consilium præcepto adijciens, de suo supererogauit.]

Nectit propositum Lucæ locum cum alio nõ minus luculento Rupertus l. 4. in Apocal. ad illud: *Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincẽs vt vinceret*, quod sic exponit. [*Et vidi*, id est intellexi. Et reuera omnis qui venit, id est, qui fideliter credit, ipse intelligit incarnationis Christi mysterium, sic esse velut equũ. & sedentem super illum. Intelligit non hominem tantùm, aut Deum tantùm, sed hominem simul, & habitantem in homine Deum, hominem Deo, vel Deum homini in vnitate personæ coniunctum. Nam quomodò equum, & super eum sedentem hominem vnum equitem dicimus; sic hominem hunc, & inhabitantem Deum vnum confitemur Christum. Attamen Deus huic homini multò coniunctior est, quàm equo homo, qui illi insidet; quia homo ex equo descendit, ab homine isto Deus qui illum assumpsit, nunquam discedit. Semel tantùm caro mortua in sepulchro iacuit, sed ab anima Diuinitas nunquam discessit. Resurrexit caro anima resumpta cum virtute Diuinitatis; & deinceps tam caro quam

anima cum Verbo permanet vnus Christus inuisibilis. Itaque album equum, & eum qui sedebat super eum, vnum intelligimus Christum; & hunc equum, illud esse iumentum, de quo in illa Parabola de homine qui inciderat in latrones, sic dictum est: *Et appropians*, videlicet Samaritanus, *alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, imponēsque illum in iumentum suum, duxit in stabulum.* Samaritanum illum sedentem super iumentum suum, vnum intelligimus Deum, & hominem Christum. Qui profectò vulneratum hominem super iumentum suum imposuit, quia peccata generis humani ipse in corpore suo pertulit. Et rectè hic equus albus dicitur, quia quod certum tenet fides Catholica, hic homo de Spiritu sancto conceptus, sine peccato de Virgine est natus.] Ratam habet eandem doctrinam, & humanitatem denuo confert cum equo albo, Verbum cum sessore, lib. 11. eiusdem operis, ad illud cap. 18. *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus.* Quem locum aliam expositionem non pati, sed necessario ibi humanitatem Christi, equo; Verbum diuinum equite insidente expressum, accipiendum esse, affirmat ibidem Blasius Viegas sect. 1. num. 2. quia paulò pòst de sessore subiungitur: *Vocabatur nomen eius, Verbum Dei.*

361. Et quamquam alij, non inverisimiliter aliò accommodant prædictum locum, quia Verbum diuinum mysticè agitat quosuis equos mysticos, tamen mens Ruperti aperta est; nec non aliorum plurimorum, qui similiter de humanitate tanquam equo, & de Verbo tanquam sessore, interpretati sunt locum illum. Annumerandus ijs est S. Ambros. in Psal. 40. ad illud: *Magnificauit super me supplantationem.* Accómodat enim ad Antichristum illud Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, mordens vngulas equi?* Tũ subdit. [Et quia similiter Iudas amplificasse super Christum legitur supplantationem; videtur hoc loco ipse signari, quod mordere haberet calcaneum equi, quo Christus Dominus vehebatur. Vnde dictum est: *Equitatus tuus salus*, quòd caro eius, mundi totius erat susceptura peccatum, vt salus pro exitio, & vita æterna pro morte succederet. Vulneratus est ergo equus, non mendax solus ad salutem. Vulneratus est equus, qui mundi totius peccata suscepit, & onera nostra portauit, & non fuit fatigatus. Vulneratus est equus, qui ad furorem concubitus adhinnire nescit. Et ideò fortassis Ioanni Euangelistæ cælum apertum, & albus equus est demonstratus, super quem sedebat habens in capite diademata, & in femore suo nomē scriptum, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Albus erat, qui erat immaculatus, quia nulla peccati inquinamenta cognouerat. Nam si libido tenebrosa est, rectè sanctimonia relucet & spendet. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cũ ipso vulnere de tumulo resurrexit, & cucurrit ad cælum, supra omnes Angelos & Archangelos, velocior omni equitatu militiæ cœlestis inuentus: supra equos etiam illos igneos quibus Elias raptus est. Et meritò velocior, qui super omnes cœlos, & supra cœlum cœlorum ad sedem Dei omnipotentis ascendit, & sedet, vt Scriptura nos docuit, dicens: *Videbitis abhinc Filium hominis sedētem ad dexteram virtutis.* Hic itaque equus, in figura & ante est demonstratus tempore Machabæorum: quem cædebat dux ille militiæ cælestis aureis armis refulgens, qui Heliodorum depeculatorem illum depositi vidualis, cæterorumque, quæ sacræ fuerant commendata custodiæ, & strauit, & perculit, & prostratum Oniæ Sacerdotis precibus, vitali vsui reformauit. Vnde verè in eo arma aurea refulserunt, quia solus equum hunc cædit, & vicit, in quo nullus culpæ immunis euasit.]

Origenes quoque, hom. 2. in Cant. eodem modo accipi posse tradit locum illum. [Et forè quidem dicet, quam assumpsit Primogenitus omnis creaturæ, & de qua diçebat: *Potestatem habeo ponendi eam, potestatem habeo iterum sumendi eam.* Alius verò vtrumque simul corpus atque animam, quasi ibi peccatum non fuerit, equum dici album putabit.] Addit alium insuper interpretationem, qua equus ille albus inteligatur Ecclesia. Non retractat tamen, aut vllatenus improbat quæ præmiserat, sed planè rata habet.

Astipulatur S. Hieronymus in cap. 66. Esaiæ, ad illud: *In equis & in quadrigis*, tantumque discrepat, quoad equi colorem, proposito enim eo Apocalypsis loco, addit. [Equo ruffo sedebat Dominus atque Saluator, humanum corpus assumens, cui dicitur: *Quare rubra sunt vestimenta tua?* Et, *Quis est iste qui ascēdit de Edom fulua vestimenta eius de Bosra?* Et sequebantur eum varietum colorum equi, vel in martyrio rubri: vel sturnini in volatu, vel varij in virtutibus, vel candidi in virginitate. Equo autem sedebat albo, quando post resurrectionem, immortale & incorruptum corpus assumpsit. Et quicunque eum sequebantur candidis vtebantur equis, incorruptis videlicet immortalibusque corporibus.] Equum album, quem cæteri ob vitæ innocentiam in Christo etiamnum viatore, agnoscunt esse sanctissimam eius humanitatem; S. Hieronymus ob passionem mauult dici equum ruffum, seruata equi albi denominatione humanitati rediuiuæ, & glorioſæ post passionem & mortem discussam: contra quam Rupertus lib. 11. in Apocal. de cap. 19. humanitatem Christi, primò ob nitorem equo albo, postea ob mortem cruentam, equo ruffo vult expressam; quod discrimen ad rem præsentem nullum est, vt per se liquet.

362. In eundem sensum S. Hieronymus in cap. 1. Zachariæ, accipit illud, quod ibi habetur de viro ascendente super equum ruffum, & stante inter myrteta. Equum enim ruffum, ait esse humanitatem assumptam, quæ insidente Verbo, ruffa est exhibita eo loco, quia visio Zachariæ captiuum populum per Christi passionem liberandum spectabat. At in Apocalypsi. eandem humanitatem candido equo expressam esse censet, ob resurrectionis gloriam. Stabat autem eques ille inter myrteta quæ erant in profundo, quia Angelicæ potestates per myrteta expressæ, Domino etiam in carne posito, ministrarunt. Equi vero ruffi, & varij, & albi consequentes equitem, partim Martyres sunt per ruffos equos adumbrati; partim virgines quibus respondet equus albus; partim operibus & doctrina & varietate signorum conspicui, insidere dicuntur equ s varijs. Exscripsit Hieronymum, Glossa ibi. Egregiè autem in hunc Zachariæ locum, ad rem nostram scripsit Petrus Cellensis l. de panibus cap. 23. sic scribens. [Zacharias Propheta vidit, inter myrteta virum ascendentem super equum ruffum, & post eum sequebantur equi ruffi, varij, & albi. Mysticè igitur vir qui ascendit super equum, Christus est, qui corpus assumpsit humanum, supersedit enim in corpore suo, tanquam in equo, Dominus: quia vallem nostram visibiliter non visitaret, vel perambularet, nisi corpore assumpto, Deus. Aptauit autem Pater, Verbo, corpus non cuiuslibet coloris, vel habitudinis, sed quale Deum decuit; sed quale ad paragendum cursum, necessarium fuit; sed quale nostra redeptio postulauit. Inde namque est illud in Psalmo: *Corpus aptasti mihi*, vel *aures perfecisti mihi:* Aptauit inquã, equũ, equiti, vt nobilissimo corpori nobilior associaretur anima, & super vtrũque sederet Diuinitas. Fortè equus iste, idcircò ruffus est, quia dignitatem sessoris non sine verecundia contuetur: & ita propter suam reuerentiam rubore perfunditur. Imò equus iste ruffus est, quia *Factus in agonia, prolixius orabat, & facta sunt guttæ eius, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sed hoc parum forte est. Vide & vbi prorsus non sparsim, sed toto corpore, à planta pedis vsque ad verticem sit ruffus. Chlamydem coccineam in passione sua circumdederunt ei milites; & hic ruffus est, Clauis tandem affixus est, & latus lancea apertum,

tum, vnde exiuit sanguis & aqua. Ecce quomodò vermiculatus est; ecce quomodo rufus est equus noster. Sicut est David, iuuenis erat rufus & aspectu decorus. Ioannes verò Euangelista aliàs, hunc eundé equum vidit album; vtique sub alio Sacramento. Videliet, quia agnus sine macula peccati erat, & vt diceretur ei in Canticis, qui sedebat super equum, totum quidem album propter immunitatem culpæ, sed & rufum propter afflictionē pœnæ; *Dilectus meus candidus & rubicundus*: Et in Euangelio: *Exiuit Iesus portans Spineam coronam, & purpureū vestimētū, & ait; Ecce homo.* Sequebantur autem eum equi rufi, varij & albi. Rufi sunt Martyres, semper mortificationem in corpore suo pro nomine Iesu vsque ad finem substinentes: Albi, Confessores, semper in pace Ecclesiæ virtutibus & doctrina florentes: Varij, qui aliquando cruciabantur, aliquando relaxabantur, nec continuè persecutionem patiebantur, nec assidua pace vtebantur.]

In quo claudicet sessoris & equi, cum Verbo & humanitate comparatio.

361. Videor satis superque omnem labem expurgasse comparationis propositæ Verbi cum equite sessore, & humanitatis assumptæ cum equo. Nam quis mussare audeat, comparationem esse periculosam, vel erroribus fordentem, quam in Scripturis tam multis, Spiritus sanctus de tot Patrum mente expressam voluit? Quia tamen comparationes omnes sunt comparationes, non identitates; & idcircò semper claudicant, non est hæc comparatio accommodanda ad institutum quoad omnia: alioqui duas in Christo personas agnosceremus, sicut sunt equitis & equi duo suppositа. Verùm idem periculum alijs omnibus huius mysterij comparationibus immineret: neque tamen idcirco eas abijcimus tanquam erroneas, v.g. humanitatem cum indumento contulit Apostolus, Verbum cum vestiente se, eo amictu. Similiter templum cum humanitate, ipsemet Christus contulit, Verbum cum inhabitante templum Dei. Inipso vestibulo Euangelij Ioannis, humanitas Christi confertur cum tabernaculo, in quo Verbum caro factum inhabitet: nam illud *Habitauit in nobis*, Græcè est ἐσκήνωσεν, quod habitationem in tabernaculo designat. Cōstat autem indumentum, templum, tabernaculum, differre suppositо à vestito, & habitatore: vnde illis comparationibus in Scriptura crebris, Nestorius eiusque asseclæ abutebantur ad erroris veterrimi patrocinium: neque tamen Catholici, vitiositatem vllam earum comparationum aptè accommodatarum agnouerunt, sed quod in eis erat opportunum ad mysterij huius expressionem, vsurparunt dimissis reliquis: vt in omnibus exemplis & comparationibus vsu venit, vt notauit S. Chrysostemus hom. 16. in epistolam ad Rom. ad illud: *Num dicet figmentū.* Quanquam Rupertus in c. 1. Ioannis ad illud: *Et ego vidi & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.* In præclara quam instituit Nestorianismi cōfutatione, statuit vt ratum, equum & equitem non haberi vt duas personas, sed vt vnam: [Ita vt persona sedentis in equo, equi personam absumat; vt cum ipso equus, cui tamen vnitus non est, personarum numerum facere non possit.] Sumitque personam non prout est suppositum intellectuale, sed adsolutè pro supposito. Et eodem modo philosophatur omninò luculenter lib. 11. de officijs cap. 13. iuxta quam suppositionem, nihil est in hac vniuersa comparatione periculi.

Præcluderetur autem geminæ supppositalitatis suspicio, si quis equum & equitem cum quo conferret humanitatem ac Verbum, vnde resultat Christus; diceret se habuisse, non vt vulgares insessores ad equos quibus insident, sed vt cētauros illos, & quos in equis, ac temporibus illis planè insolita, ad Peneum amnem aquantes, speciem biformis mōstri procul spectantibus præbuisse, produnt Mythologi. Similiter enim Christus, ex duplici substantia, diuina scilicet humanaque verè in vnum suppositum adunatis compingitur: sicut etiam quod initio operis vidimus, Gigas geminæ substantiæ ab innmeris Patribus est appellatus, eò quòd exurgat ex duabus naturis in vnam personam coniunctis: sicut Gigantes de priscorum fabulonum sententia, ex humana supernè, at infernè ex anguina substantia, in vnum totum, vnumque suppositum adunatis, resultabant.

Christus, an cum Centauro componi queat.

364. Apage, inquis. Christum cum monstris componis, quodque detestabilius est, cum ijs monstris quæ delusa vario errore Gentilitas, commenta est in fabulis; nec ad rei honestæ expressionem, sed ad hominum sceleratissimorum qui propè in bruta degenerassent, adumbrationem. Quod enim notauit maximus Tyrius dissert. 34. num. 200. Centauri figmenta sunt idcirco conficta, vt intelligeremus quotquot belluinis succumbunt cupiditatibus, euadere in belluas, & semihominēs semiferos viuere; vel simul specie externa & physica constitutione homines esse, morali belluas pro vitiorum varietate diuersas: id quod confirmant notationes nominum quibus centauri sunt designati, quæ omnes flagitium sonant. Recenset eas Delrius in notis breuioribus ad Senecæ Herculem Oetæum v. 505. Quid ergo est, Christum centauro componere, nisi peccati insimulate ipsam innocentiam, ipsamque sanctitatem, & bruteicentem affectum Christo imponere? Et idem opponi potest de comparatione humanitatis Christi cum equo. Esse enim equum in Scripturis, intemperantiæ Symbolum, constat ex ea monitione, ne fiamus sicut equus & mulus.

Hæc retundere non est operosum. Imò vix est quod difficultatem solidam injiciat. Non est sanè qui Christum peccatoris specie exhibet, damnabilior quàm Apostolus, qui eum pro nobis, peccatum & maledictum esse factum, pronunciauit. Qui item Christum aliquatenus cum centauro fabuloso præcisè prout ex duplici substantia compacto conferat, non plus criminationi iure pateat, quàm tot Patres, qui Gigantis naturæ geminæ compositi, anguinæ & humanæ ac Christi contentionem fecerunt. Eo namque demisit se Deus nostri causa, vt quò nos ipsi descenderamus volentes, ipse opiculator aduenerit. Itaque quia homines infelici consociatione extraneam sibi naturam mysticè asciuerant; adjunxit sibi reipsa Deus naturam extraneam, vt in ea, & per eam, nos liberaret, quod alioqui congruè non poterat. Christum ergo ita conferri patior cum composito fabuloso è duplici natura, vt veritas quæ centauro poëtico competere nullomodo potuit, vnde & monstrum & figmentum est, & appellatur, re ipsa absque monstrositate, pleniſſimo stuporis diuino opificio cernatur in Christo: Deo duas naturas in vnius suppositi societatem vinculante ordinatissimè ac per se; substantialiter atque adeò non monstrosè significatio autem mystica centauri poëtici, prorsus à Christo abfuit, æquè ac probrosa equi significatio ab eius humanitate. Quod enim D. Augustinus egregiè obseruauit, & tanquam rem vtilissimam, & quæ multùm ad intelligentiam Scripturarum conferat, commendat serm. 20. de diuersis cap. 6. & 7. non semper eadem significantur certis quibusdam rebus: sed quod nunc ad aliquid prauum significandum assumitur, vt verè de centauro ex Tyrij sententia est dictum, & de equo intemperantiæ Symbolo ex multis Scripturis probari potest, alibi aliud planè designat.

Doctrinam perillustrem & admodùm latè pertinentem iuuat luculento testimonio firmare. [Non

semper(inquit) D. Augustinus) *Mons* Dominum significat, non semper *Lapis* Dominum significat, non semper *Leo* Dominum significat, non semper bonum, non semper malum; sed pro locis Scripturarum quò pertinent cæteræ circumstantiæ ipsius lectionis. Quemadmodùm literæ in tot millibus verborum atque sermonum, ipsæ repetuntur, non augentur; verba infinita sunt, finitæ tamen sunt literæ. Verba numerare nemo potest: literas quiuis potest: vnde multitudo verborum est. Cum vna litera varijs in locis ponitur, & pro loco valet, non vnam rem valet. Quæ tam diuersæ res, quàm Deus & diabolus? Tamen in capite. D. litera est, cum dicimus *Deus* & cum dicimus *Diabolus*. Sicut ergo litera pro loco valet; errat autem & nimis absurdus est, & intra puerile cor; qui cum, legerit v.g. D. literam in nomine *Dei*, timet illam ponere in nomine *Diaboli*, ne quasi Deo faciat iniuriam: sic etiam qui imperitè audit diuinas Scripturas, vt de isto modò exemplo non recedamus, cum audit v.g. in Allegoria positum *Fluuium*, eo loco vbi dictum est: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. Dictum est autem de inundatione Spiritus sancti, de qua alio loco ait Prophera: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Cùm ergo sic acceperit fluuium in bono, & laudauerit & delectatus fuerit: quando pro loco dicitur ei, quod fluuius significet homines fluentes, & temporalibus deditos, cum transeuntium amore transeuntes, expauescit: quia in alio loco acceperat fluuium in bono significare aliquid, & perturbatur: Ita fit in Scripturis mutus, quomodò in literis mutus efficitur, si noluerit transferre ipsas literas ad alia verba, sed in his solis eas tenuerit, in quibus eas primò didicerit.]

Quare tametsi quoad cõpactionem ex duplici substantia, cerni possit rudimentum aliquod similitudinis inter Christum & substantias illas geminas; itemque inter equum & humanitatem Christi, multa sint affinia; tamen significatio mystica qua substantiæ illæ geminæ apud Poëtas & Mythologos brutescentem hominis impietatem; equi verò intemperantiam designant, nullatenus in hoc geminæ substantiæ composito, vel in Christi humanitate reperitur: sed tantùm realis ac verus, Dei, superstite Deitate, transitus in hominem, siue ἐνανθρώπησις, & inhumanatio ac coniunctio cum humanitate sanctissima. Ad eam namque realem & substantialem cum natura extranea coniunctionem, ordinatissimus Dei amor adduxit Deum: sicut inordinatus & peruersus hominum amor, per merum affectum, nec nisi mysticè, eos adducit ad transitum in bruta, superstite physicè humanitate. Nec plura de iure vsurpandi citra notam & labem, equum & equitem sessorem in Symbola Verbi & humanitatis assumptæ.

Equus & eques, apta Symbola humanitatis ac Verbi.

365. Addendum verò est, congruentissimè Spiritum sanctum Verbi diuini ad nos saluandos aduentum, eo Symbolo delineatum voluisse. Quod enim pluribus prosecuti sunt alij, equus & eques, notæ sunt salutis aduentantis: Id quod ex plerisque Scripturis habetur, quibus salus ab equis, tametsi sæpè ad salutem fallacibus, sperata dicitur. Nec non ex Romana historia, qua Castor & Pollux adiutores & liberatores, in equis apparuisse referuntur. Fabulis abstineamus. In lib. 2 Machab. cap. 3. Angelus sospitator in equo visus est. Et ibid. cap. 10. quinque viri subsidiarij, in equis apparuerunt. Historiæ item Hispaniæ, sublimem in equo S. Iacobum, Catholici exercitus præsidem apparuisse, in salutis & certæ victoriæ indicium, produnt. Picturam S. Georgij equo insidentis, & draconem hasta transfigentis, sicque virginem supplicem liberantis, Symbolum esse prouinciæ aut ciuitatis cuiusdam B. Georgij precibus ac meritis salutem consecutæ, & à diaboli infectatione ereptæ, Card. Baro. ad Rom. Martyrol. Aprilis 23. pronunciauit. Nec nisi proportionalis subesse sensus potest alteri Allegoriæ quam ei picturæ inædificat Villauic. l. 3. de ratione studij Theol. cap. 7. Nam vt tota pictura sit symbolica ipseque etiam S. Georgius sit quid symbolicum, & confictum ad commodam morum doctrinam, quod Villauicentio tribuit Molanus l. b. 3. de imag. cap. 14. & à multis Nouatoribus cum ibidem, tum apud Serarium lib. 2. litaneutico prolatis, est traditum, nemo Catholicus ausit vigilans effutire. Sed quòd in vsu veterum Christianorum fuisse, vt symbolicas huiusmodi notas veræ alicui personæ adiungerent in picturis, liquet ex Eusebio lib. 3. vitæ Constantini c. item 3. hoc in ea quoque S. Georgij equestri pictura vsurpatum est, vt salus eius meritis vrbi alicui aut prouinciæ collata, eiusdem in equo sublimis expressione adumbraretur. Tale ergo Symbolum aduentantis ob salutem nostram diuini Verbi, equum cum equite sessore, exhiberi voluisse Spiritum sanctum, non inuerisimilis est coniectura.

Vsus doctrinæ.

366. Non alio autem ex fine Verbum Dei specie se equitis humanitati nostræ imposuit, quàm vt discamus nos quoque, fræno circumducere nos ipsos, & iumentum carnis nostræ benè regere. Hortantur ad id frequenter Patres. Pulchrè Origenes hom. 6. in Iudices, tractans illud: *Potentes populi benedicite Dominũ qui ascendistis super iumenta*, quæ sint ea jumenta, percunctatus, respondet: [Corpus hoc meum, iumentum est: ad adiumentum enim animæ, & ad ministerium datum est, ego autem sum (id est interior homo,) qui ascendi super iumentum hoc, cui dicitur, vt benedicam Dominum. Si ergo verè ascendisti supra corpus, & superior effectus es corporalibus desiderijs, & motus corporis tui freno mentis, & interioris hominis moderamine gubernantur, de te dicitur quia ascendisti super iumentum hoc, cui dicitur vt benedicat Dominum. Quid autem est quod sequitur? *Super vehicula*, (inquit,) *sedentes, & super asinas refulgentes*. Quid tibi videntur esse *asinæ refulgentes*? Dicit enim Scriptura quia oporteat benedicere Dominum, eos qui sedent super vehicula, & super asinas refulgentes. Mihi velut in locis ita difficilibus tale aliquid videtur: cùm iumentum hoc, id est corpus meum sub iugo venerit Verbi Dei, tunc vehiculum corporis mei resplendere, incipiet; & asina hæc, id est, caro mea, tunc refulgere dicitur, cùm castitatis ac pudicitiæ fuerit splendore decorata. Et ita rectè dicitur, anima sedens super asinam resplendentem, Dominum benedicere, & in medio lætantium laudare eum.]

Idem habet S. Basilius in constit. Monast. cap. 2. *Ad finem*, [Vt luculenta (inquit) quædam res & per se bona equus est, & quo is natura ferocior est ac vehementior, eo præstantior haberi solet: sessore tamen perito eget, moderatoreque, nempè, qui ipse rationis sit expers. Enim verò in eum vbi moderator ascenderit, ille quidem conabitur vti ingenio suo: Hic si naturales rector iumenti motus rectè ac ratione insidens gubernet, præterquàm quòd ipso vtiliter vsus est, etiam ad finem quem sibi proposuit, peruenit; nempè, qui & ipse incolumis seruatus sit, & iumentum ad vsum sibi commodissimum esse intellexerit. Contra verò, vbi pullum qui in frenando præest, vitiosè instituerit, & pullus sæpè numero ab recta via aberret, & per confragosa ruens, se & sessorem ipsum plerumque in eandem ruinam dat, & vtriusque casus non aliunde quàm ex rectoris ignauia proficiscitur. Similem etiam in animo quoque & corpore esse existimare rationem debes. Neque enim temere tributi corpori appetitus sunt,

sunt, sed vt ad res aliquas prorsus vtiles essent, & commodi. Ipsum autem rationis est expers; nimirùm, ob eam causam, vt rationis præstantia maiorem animus dignitatem obtineret. Si enim naturales ipse corporis rectè temperet motus, præter id quod incolume illud conseruat, hoc etiam accedit, quod ipse perpetuò à pessulis permanet liber. Si verò neglecta ratione se homo dediderit, & moderandi habenas ignauiæ remiserit, & ipsum corpus veluti quod ratione moderatrice destituatur sit, ab recta egreditur via, & animam secum vnà in eadem perniciem trahit: non quidem ob eam causam, quod suapte natura ipsum sit vitiosum, sed quod illa negligens sit.]

Denique S. Augustinus lib. de Cantico nouo cap. 3. [Habes viam, (inquit) ambula solicitus. Tantùm domumentum tuum, carnem tuam, ipsi enim insidet anima tua. Quomodò si in hac via mortali iumento insideres, quod re gestiendo vellet præcipitare, nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quod fræno non posses? Caro nostra, iumentum nostrum est, iter agimus in Ierusalem. Plerumque nos rapit caro, & de via conatur excludere. Tale ergo iumentum cohibeamus ieiunijs. Videillum gubernatorem eundemque viatorem Apostolum Paulum; vide illum, iumentum suum domantem: *In fame*, (inquit,) *& siti, in ieiunijs sæpè castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Ita ergo & tu qui ambulare desideras, doma carnem tuam, & ambula.] Ita planè faciendum nobis, vt scopo quem Verbum Dei habuit propositum, cùm carni suæ vt iumento insedit, respondeamus, ipsumque Verbum humanitati inequitans, imitatione exprimamus.

CAPVT X.

Verbum Negotians.

367. Multiplicem Verbi Diuini negotiationem, in Scripturis, & Patribus distinctam video. Alteram Verbi cum humanitate, quod est illud admirabile commercium, quo Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine (humanitatem accipiens de nostro,) vice versâ largitus est nobis suam Deitatem. Ab hac negotiatione ad aliam deuentum est, qua Verbum iam humanatum siue incarnatum, cum Patre salutem nostram negotiatum est, exhibito iusto pretio redemptionis nostræ: ac proinde coëmpto à Patre, pretio magno, humano genere. Potest addi tertia negotiatio, qua Verbum Dei in sua humanitate, seu Christus, nobiscum negotiatur, emens à nobis quæ ipse nobis dederit, & pretiosa fecerit. Nunc quia mysterij incarnationis substantiam symbolicè in Scripturis expressam, vestigamus, de prima præsertim negotiatione Verbi, erit agendum. Quia tamen prima ordinatur ad posteriores, eas quoque attingemus.

Verbi aduentus, Negotiatio nobiscum.

Miseram negotiationem protoplastorum qua omnes per nunquam satis deploratam amentiam, commutauimus felicitatem iugibus calamitatibus, exhibet S. Dionys. c. 3 Eccles. Hier. p. 3, commutationem verò contrariam a Christo mercatore optimo factam his verbis subiungit. [At verò Diuinæ bonitatis immensa humanitas, Prouidentiam, curamque nostri, quæ per se curat omnia, pro sua in nos benignitate non abiecit, sed nostrorum omnium verè facta particeps sine peccato, ac cum humilitate nostra, vna facta & coniuncta, cum suorum nec confuso nec imminuto vlla ex parte statu, & secum coniunctionem, ac societatem nobis, vt eiusdem generis deinceps concessit, & participes, sociosque declarauit bonorum suorum, cum & multitudinis quæ defecit, (vt Scriptura tradit) imperium quod in nos haberet, dissoluisset; non pro potestate, quòd longè multumque superaret; sed vt mystice tradit Scriptura, in iudicio atque iustitia, & nostra in contrarium benignè mutauisset.] Suspicit hanc permutationem pereleganter Iustinus epist. ad Diagnetum *sub finem*, & iustum pro iniustis, immortalem pro mortalibus datum, demiratus, subdit: [O dulcem permutationem! ô imperuestigabile artificium! ô beneficia expectationem omnem superantia. Vt iniquitas quidem multorum, in iusto vno abscondatur, iustitia autem vnius faciat vt multi iniusti pro iustis habeantur.] Proculus item, concinnè serm. de Natiu. Dom. num. 8. [Admiranda quædam (inquit) commutatio hic interuenit. Dato namque Spiritu accepit carnem, idem cum Virgine, & ex Virgine.]

368. Gaudet mercimonij & negotiationis comparatione, Verbi ad nos aduentum adumbrare S. Augustinus; ideoque in ea comparationem frequens est. Pulchrè serm. 34. ex 40. nouis. [Mortuus est Deus, vt compensatio fieret cœlestis cuiusdam mercimonij, ne mortem videret homo. Deus enim Christus. Sed non ibi mortuus vbi Deus. Idem enim Deus, idem homo. Vnus enim Christus, Deus & homo. Homo assumptus est, vt in melius mutaremur, non Deum ad deteriora detorsit. Assumpsit enim quod non erat, non amisit quod erat. Cùm ergo Deus esset & homo, volens nos viuere de suo, mortuus est de nostro. Vnde enim ipse moreretur non habebat: sed nec nos vnde viueremus. Quid enim ille erat, qui non habebat vnde moreretur? *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quare de Deo vnde moriatur, non inuenies. Nos autem morimur, qui sumus caro. Peccati carnem portans homo. Peccatum quære vnde vinat: non habet. Nec ille ergo potuit habere mortem de suo, nec nos vitam de nostro; sed nos vitam de ipsius, mortem de nostro. Qualia commercia: quid dedit, & quid accepit? Mercantes homines veniunt ad commercia, ad res mutandas. Nam antiqua commercia, rerum mutatio fuit. Dabat homo quod habebat, & accipiebat quod non habebat, v.g. habebat triticum, sed hordeum non habebat; alter hordeum habebat, & triticum non habebat. Dabat ille triticum quod habebat, accipiebat hordeum quod non habebat. Quanti erat, vt maior copia vilem speciem compensaret! Ecce ergo alius dat hordeum vt accipiat triticum. Postremum alius dat plumbum, vt accipiat argentum; alius dat lanam vt accipiat vestem. Et quis enumerat omnia? Tamen nemo dat vitam, vt accipiat mortem. Non ergo vox medici pendentis in ligno, inanis fuit. Vt enim moreretur pro nobis, quia Verbum mori non poterat, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.*]

369. Non potuit elegantiùs & expressiùs commercium à Verbo nobiscum per incarnationem initum, proponere. Sed quod de suscepta morte & ærumnis nostris præmittit, vt cohæreat cum extrema clausula relata, recidatque in commutationem qua Verbum caro factum est, dans Deitatem, & accipiens humanitatem, non est accipiendum de perpessionibus & actionibus Christi iam productis: sed de debito ad eas, consequenter ad assumptionem humanitatis. Quia enim Verbum humanam carnem passibilem & mortalem assumpsit, consequens fuit, vt pateretur & moreretur. Ideoque quod ait S. Augustinus, celestem negotiatorem accepisse mortem, & dedisse vitam; de morte radicaliter & causaliter accepta ratione humanitatis mortalis intelligendum est, non autem de formali admissione mortis, quæ ad secundam negotiationem propositam pertineret, non ad hanc primam, qua præcisè mysterij huius substantia, & Verbi nobiscum coniunctio exprimitur. Eodemque sensu accipiendus est D. Augustinus, quoties de Verbi nobiscum mercimonijs

&

& negotiatione differit : vt Conc. de miraculo quinque panum, cuius fragmentum reliquum est apud Bedam ad Hebr. 2. (est numero septimum inter fragmenta tomi 10.)[Desideremus,(inquit) vitam Christi,quia tenemus pignus mortem Christi. Quomodò nobis non dabit bona tua,qui passus est mala nostra?In terris istis. in hoc sæculo maligno,quid abundat nisi nasci, laborare, & mori ? Hæc sunt mercimonia regionis nostræ; ad tales merces mercator ille descendit. Et quoniam omnis mercator dat & accipit ; dat quod habet , & accipit quod non habet ; etiam Christus in ista mercatura dedit & accepit. Sed quid accepit?Quod hic abūdat ; nasci,& laborare, & mori. Et quid dedit?Renasci, resurgere,& in æternum regnare.]

Pulcherrimè verò Conc. 1.in Psal. 30.*sub initium*,ex ea commutatione quasi reali , docet consecutam esse verbalem. Id est ex eo quòd Verbum assumpserit humanitatem nostram cum appendicibus & iuribus suis, consecutum esse ait,vt locutiones nostras suas faceret ; concesso vicissim nobis , vt verba ipsius possemus nostra facere.Psalmi titulus quem Augustinus ibi exponit,sic habet : *In finem Psalmus ipsi Dauid extasis.*Eam extasim,in posteriore è duobus quos adhibet sensibus, interpretatus pauorem, hancque in Christo agnoscens sub limine passionis , causam reddens cur Christus panere & verbis pauorem suum contestari voluerit moriturus,difficultate aliquandiu agitata,addit ; [Verumtamen quia dignatus est assumere formam serui , & in ea nos vestire se , qui non est dedignatus assumere nos in se , non est dedignatus transfigurare nos in se,& loqui verbis nostris , vt & nos loqueremur verbis ipsius. Hæc enim mira commutatio facta est , & diuina sunt peracta commercia , mutatio rerum celebrata in hoc mundo à negotiatore cœlesti. Vnit accipere contumelias,dare honores: venit haurire dolorem, dare salutem : venit subire mortem, dare vitam.Moriturus ergo ex eo quòd nostrum habebat , non in se sed in nobis pauebat , quia ex hoc dixit tristem esse animam suam vsque ad mortem , & vtique nos ipsi omnes cum illo. Nam sine illo nos nihil,in illo autem , ipse Christus & nos Quare ? quia totus Christus caput & corpus. Caput ille Saluator corporis , qui iam ascendit in cœlum ; corpus autem Ecclesia,quæ laborat in terra.]

Expressit eum S.Augustini locum,Leo Papa serm. 3. de Pass.c.4. sic scribens. [Sciens Iesus adesse iam tempus glorioſæ passionis implendæ : *Tristis est*, (inquit,) *anima mea vsque ad mortē.*Et iterum:*Pater si fieri potest, transeat à me calix iste.*Quibus verbis quandam formidinem profitentibus , nostræ infirmitatis affectus participando curabat,& pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pauore trepidabat , vt susceptionem nostræ infirmitatis indueret , & nostram constantiam suæ virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum dives atque misericors negotiator cæli , & commutatione mirabili inierat commercium salutare , nostra accipiens , & sua tribuens ; pro contumelijs honorem,pro doloribus salutem , pro morte dans vitam, & cui ad exterminationem persequentiū poterant plusquàm duodecim millia Angelicarum seruitæ legionum,malebat nostram recipere formidinem , quàm suam exercere potestatem.]

Eadem ac Commercium Verbi in regionem longinquam profecti.

370.Negotiatoris ergo formam,nobis sua tradentis, nostraque accipientis,expressit Verbum:Eaque ex causa profectum est in regionem longinquam, vt meditatur Petrus Damiani serm. de S. Nicolao posteà referendus. Adaptat enim ad Verbum Dei , negotiatoris munus capessentis , Parabolam Euangelicam de homine nobili profecto in regionem longinquam : suis itidem mandante, vt dum reuenit, negotientur. Abit autem in regionem longinquam pro more negotiatorum , qui quæ domi non suppetunt , alibi accipiunt & transuehunt. Ea namque ex causa , quod sapienter pro more notauit Theodoretus serm. 2.de Prouid.*sub finem*, & S. Ambrosius 3 Hexam. c.5. conspicua aquæ & terræ intermixtio prouisa diuinitùs est, vt locus esset negotiationi , & transuectioni eorum quæ alicubi abundant,aliò vbi deficiunt. Nam vnius nauis oneribus,vix multa iumentorum millia satis essent.Vnde sequuntur ingentia illa ad humanam vitam commoda, quæ ex varijs D D.repræsentauimus in scalis à visibili creatura ad Deum gradu 5. Quia ergo deerat in cælo mortalitas & passibilitas, earumq;appendices quæ in terris abundabant ; & vice versa deerant in terris gratia & gloria quibus cœlum affluebat ; venit Verbum ad nos in regionem planè longinquam. Venit inquam,non gressibus & descensu locali , sed benigna condescensione ; vnitumque naturæ nostræ , cœlestia bona illi communicauit , accipiens vicissim ab ea abiectionem & paupertatem : quod mercis genus in terris copiosum erat, sed nesciebat homo pretium eius , donec cælestis mercator æstimatione sua testatum fecit, quanti reuera esset facienda,& quanti valeret. Cogitatio est S. Bernardi sanè pia serm.1.de vigilia Natiu. [Erat enim (inquit de Christo humillimè nascente,) qui fortè ei sublimia quærenda arbitraretur esse palatia , vbi cum gloria Rex gloriæ susciperetur. Sed non propter hoc à regalibus illis sedibus venit. In sinistra eius diuitiæ & gloria, in dextera longiturnitas vitæ.Horum omnium æterna in cælis affluentia suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis. Potrò in terris , abundabat & superabundabat hæc species , & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concu iscens , descendit , vt eam eligat sibi,& nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam.] Hoc de illa maximè paupertate valet , secundùm quam Christus paupertimam substantiam assumens , ab Apostolo dicitur egenus factus , vt plenè prosequar l. 5. Sic Verbum diuinum negotiari voluit. Nec defuit in huiusmodi negotiatione interuentus proxenetarum ; sanctorum inquam Angelorum & hominum,qui in huius operis expeditionem intenti erant ab orbis initio.Vt propterea scitè Chrysostomus serm. 3.de Annunc.incarnationem vocet , *Negotium omnium saculorum.* Quod Deiparæ ob Christum tribuit Bern. serm. 2. de Pentecoste. Tamen mercator & negotiator, alius non fuit quàm Verbum,

Alia Christi pro nobis Negotiatio cum Patre.

371.Hac nobiscum negotiatione transacta,id est facta Verbi diuini ad nostram humanitatem vnione, aliam in sua humanitate Verbum diuinum cum æterno Patre inijt negotiationem,emens videlicet nos pretio magno. Bonum mercatorem Christum, nos ementem exhibito patri in pretium sanguine suo , proponit S. Aug. fragmento sermonis de miraculo panum , adducendus cum de titulo Redemptoris. Nunc idem illustro ex Petro Damiani serm. de S.Nicolao , vbi tractans illud:*Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquā, & ait seruis suis, negotiamini dum venio.* Sic differit. [Securè negotiabor præcipiente Domino meo , nec timebo Psalmistam dicentem : *Quia non cognoui negotiationem,introibo in potētias Domini.*Non enim parum mihi fiduciæ robur præstat, quod ille summus imperator, factus est negotiator meus , & negocium meum sine otio egit, quamdiu fuit in terris , & preciosarum mercium farcinulas portans ad Patrem , ipsi vultui Dei, & quid emit, & quid redemit, & vnde redemerit , ostendit.]Legitur etiam hic sermo apud S.Bernardum,apud quem item alius habetur sermo de quinque negotiationibus inscriptus,quo ijs recisis quæ ad S. Nicolaum pertinent, hæc Verbi pro nobis negotiatio cum Patre, egregiè describitur;Ex parte quidem alijs verbis,quàm

in

in sermone prædicto de S.Nicolao: plerumque tamen ipsidem, & sensibus planè similibus. Particulam huc maximè facientem, iuuat adscribere. [Verbum Patris, vnigenitus Dei, Sol iustitiæ, summus ille negotiator, de vltimis cælorum finibus, nostræ redemptionis pretium apportauit. Fidelis ista negotiatio,& omni acceptione dignissima,in qua Rex filius Regis, efficitur negotiator. Aurum pro plumbo tribuitur, pro peccatore donatus est iustus. O quàm indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio; quàm inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, quàm vilis negotiatio, vbi filius Dei pro seruo traditur, pro creatura Creator occiditur, pro mācipio Dominus condemnatur. Tua sunt hæc Christe opera, qui de lumine cæli ad tenebras inferni; à dextera Maiestatis ad miseriam humanitatis; à gloria Patris ad mortem Crucis descendisti; infernum illustrando, hominem redimendo, superando mortem, & mortis auctorem. Vnus es, & secundum nō habes:quem ad nos redimēdum propria benignitas inuitauit, misericordia traxit, veritas qua re venturum promiseras, compulit,puritas vteri Virginalis suscepit, salua virginitatis integritate profecit,obedientia in omnibus deduxit, patientia armauit, caritas verbis & mitaculis manifestauit. Abſint procul negotiatores terræ Theman, recedant filij Agar, qui exquisierunt prudentiam: elongentur à me Gigantes à seculo nominati, quiab initio fuerunt, statura magna,scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt, sed dedit eam Iacob puero suo,& Israël dilecto suo. Abscondisti enim hæc Domine à sapientibus & prudentibus gigantibus, & nominatis, qui magni facti sunt, videlicet in oculis suis, & reuelasti ea paruulis & humilibus tuis. Libenter amplector negotiationem tuam, quia negotium meum est.Hæc mercimonia,cum summa suauitate ruminat anima mea.]

372. Pulchetrimè item in hanc rem S Ephrem serm. de margarita pratiosa, quam homo negotiator diuenditis suis omnibus comparauit. [Intelligo (inquit) rectum omnium opificem,agricolam esse: & intelligo non ab eo agros hos terræ,sed naturæ campos coli, quos serat & demetat. non tamē vindemiat, & ex magno torculari vectigal exigit, prius dat naturæ humanæ mutuū filium: & fœnus exigit vniuersam animæ libertatem.Et propter debitum, terrestria pascua sibi vindicat:& breui commercio Dominus omnium efficitur, non solum vt Creator, verūm etiam vt Redemptor.Et non modò vt Deus, sed etiam vt qui sudoribus emit, tradit margaritam; ne & ipsum naturæ obolum deperdat. Elocat filium, vt & seruum submittat. O immensam,& pericolorum contemnentem liberalitatem. Conchæ enim committit margaritam: & pro obolo, lapidem pretiosum violari sinit. Cernis mercatorē? considerasne eum, qui omnia vendit. vt margaritam emat? Cognoscis diuitem:quomodò cuncta vendat, vt agrum & in eo inuentum thesaurum comparet; Hic enim cœlestis est Pater, qui per Filium suum omnia emit humanæ cōditionis frugifera: cunctas autem possessiones suas terrenas vendidit, vt iugerum quod ipse condiderat, & Adæ tradiderat, compararet: at hic eam, vanarum rerum cupiditate, vendidit.Emit verò agrum non propter terræ vsum; sed ob thesaurum in ea reconditum. Quisnam igitur est iste ager:corpus humanum. Et quis thesaurus; anima quæ in eo est. Siquidem propter animā, quam ad imaginem & similitudinem suam ipse fecit, vendidit omnia, & ad comparandam possessionem, misit Filium.Nō igitur Diuinitati vendidisset tyrannus; nisi illa tulisset, & obiecisset humanitatem. Nouerat enim potentiam, ac timebat venditionem: sed homini vendebat sciens eius infirmitatem, cognoscensque se quando vellet, rursus per vim auferre posse eius possessionem atque thesaurum. Mittit ergo suum Filium ad tyrannum, dicitque ab ipsum: Trade illi possessiones reliquas,de quibus nō est controuersia quia meæ sunt. Solus autem homo volūtate libera dominium meum facit ambiguum: per confessionem tamen & negationem thesaurum habet absque labore, verùm quia ad gloriam meam pertinet, vt non perdam quod mihi ipsi ad obsequium meum ac ministerium procreaui; ad ipsi iumenta, & cuncta rationis expertia: solum autem hominem redde liberum. Præbet igitur ei porcos in regione Gerasenorum: emitque agrum cum thesauro, ac hominem ex dæmonis potestate redemit. Porci, asini, tauri, atque leones nullam præbent gloriam possidenti: homo autem magnam tribuit: quia eius venatio non est ex cibis corruptibilibus, verūm ex cœlestibus thesauris, virtutibus inquam. Hic thesaurus est,& hic ager,cuius quidem mercator est Pater, at interpres, & Mediator Christus. Accessit vt hospes, & coēmit tanquam mercator: auctoritatemque exercuit velut Dominus: quoniam ipse & Pater,vnum sunt in Deitate. Auctoritatem & potestatem exhibuit in natura, & ratione assumptionis: porrò Mediatoris functus est munere in actione, atque in ijs quæ egit ac pertulit,& emit; potentia autem superans, accepit agrum:& cum eum Tyrannus non cognosceret, etiam thesaurum diuendidit.]

Nostra cum Deo,in huius vitæ nundinis,proxeneta Christo, negotiatio. Vsus doctrinæ.

373. Inijcitur planè hinc nobis,magna similiter cum Deo negotiandi necessitas. Vidimus enim quàm negotiosum in humanitate sua factum sit pro nobis Verbum. [Tu ergo, (inquit siue Bernardus siue Damiani, sermone illo de S.Nicolao,) illo negotioso otiosus esse disponis?illo laborante quiescere? Ipse venit negotiari in regionē longinquam, & tu ad regiones proximas ambulare contemnis? Aggredere & ingredere regionem dissimilitudinis, videlicet mundum istum,& vide quàm frequentes ibi nundinæ.]

Monstrat varios mundi status.secularem & religiosum, loca esse nundinarum: itemque Purgatorium.Infernum, & Paradisum, regiones esse longinquas in quas nobis cogitatione migrandum sit, vt merces Inde nobis commodas, amorem inquam virtutis, & peccati odium, exportemus. Quæ omnia diffusiùs in illo alio sermone de quinque negotiationibus habentur expressa, suntque potentissima incentiua ad nauiter operandum dum tempus habemus. Id quod etiam intellexerunt Ethnici apud Stobæum,qui ista nundinarū vitæ huius & negotiationis per eam nostræ, comparatione, stimulant mortales vt sint boni mercatores.Idē potentiùs præstant Patres,non modò agentes de ordine mercatorū spiritualiū quē describit S Paulinus epist.5. qui beato (vt ait,) mercimonij genere prætereuntem mundi figurā despiciūt, & omma pro Christo effundūt; aut aliorū quos exhibet S.Bernard. in sensērijs moralibus;eorum videlicet qui sua pauperibus ex parte erogant. & de iniquo mammona faciūt amicos:sed etiam agentes cum omni planè hominum gradu ac ordine.

Videsis differentem egreg è in hanc rem S.Macariū hom.24.*initio*.& Chromatium Cōcione habita in nundinis (habetur ante Chromatij commentarios in c.5. Matthæi vbi sic *in fine*. Hic tamen mercatus;hæc nundina spiritualis. Demus (benedicti) quæ habemus; offeramus spiritus paupertatem,vt accipiamus secundum promissionem, regni cœlestis vbertatem: Offeramus mansuetudinem;vt terram possideamus,& Paradisum: defleamus peccata & nostra & aliena,vt consolationem de Domini bonitate mereamur. Esuriamus & sitiamus iustitiam, vt copiosiùs saginemur: demus misericordiam,vt veram misericordiam consequamur: viuamus pacifici, vt filij Dei vocemur: mundum cor,& castum corpus offeramus, vt lucido sensu Deum videre possimus:

mus: Persecutiones propter iustitiam minimè timeamus; vt cœlestis regni efficiamur hæredes: Opprobria, cruciatus, mortem denique si eueniat propter Dei veritatem, gaudentes amplectamur & læti, vt merces nobis cum Prophetis & Apostolis copiosa præsletur in cœlo. Vt autem Verbi finis, cum præfatione concordet: si, est gaudium mercatoribus propter lucra præsentia, & caduca, magis gaudeamus omnes pariter & lætemur, quia tales Domini hodiè inuenimus margaritas, quibus nulla possint bona sæculi comparari.]

374. Ad eadem mentem pulchrè S. Chrysostomus hom. 5. de pœnit. [Nundinæ nobis profectò mirabiles sunt, (inquit) harum nulla est alia professio, & negotiatori nulla alia intentio, quàm paruo quidem emere, magno vendere: nam ea cuiusque negotiantis industria. Num negotiationis alia ratio est, quàm quod minori empta, maiori pretio vendat, atque duplicatam sibi summam inueniat? Tales igitur nobis Deus nundinas proposuit: modico iustitias eme, quo multo vendas in sæculo futuro. Hic modico iustitia emitur, pro panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigidæ. *Amen dico vobis* (inquit) spiritualis mercaturæ Doctor) *non perdet mercedem suam.* Calix frigidæ aquæ, dignus est mercede: data vestimenta, datæ pecuniæ per beneficium, putas non sortientur mercedē magis, & multò maiorem; Quare ergo calicem aquæ frigidæ in medio duxit? sine impensa eleemosynam dixit: nam si frigida aqua, neque ligna consumis: vbi verò sine impensa datum tanto beneficio rependitur, vbi vestimentorum sumptuositas, pecuniarum affluentia, aliorumque bonorum collatio, à iusto iudice quanta mercede remunerabitur? Quandiu itaque virtutes assumt, quæ paruo venundantur, ab eo qui magna donat, accipiamus, rapiamus, *Sitientes enim* (inquit,) *venite ad aquas, Et qui non habetis argentum, venite & emite.* Quamdiu nundinæ ipsæ perdurant, demus eleemosynam, salutem emamus.] Addit egregiè, eleemosynam facere, esse fœnerari Domino. Idem optimè ibidem hom. 9. *sub medium.* Quadragesimam, vt mercatus spiritualis & nundinarum nostrarum tempus, exhibet egregiè Theodor. Studita serm. 4. catech.

Sed illa huius loci maximè propria est negotiatio, quam S. Ephrem tract. de margarita pretiosa *sub finem*, iniri à nobis cum Deo per Christum docet, exhibens Deum societatis contractu nobiscum inito, commercia nobiscum exercentem. Sic habet præter cætera. [Etiam tibi fœneratorem ostendam Deum, ô Hæretice: & quomodò in Virgine excoluerit margaritam, & commonstrabo tibi prætereà, quo pacto agricola Deitatem præbuerit naturæ. Voloque ostendere mercatorem; quomodò socium mercaturæ Deum nactus, diues vno extiterit obolo: ita vt & debitum persoluceret, & ex residuis agrum coëmeret, ipsumque cœlum ac Dei regnum in hæreditatem stabilem sibi tribui promeruerit. Accepit natura mendica Diuinitatem, & decertauit aduersus tyrannum. Communicauit cum Patre, & tabificum peccatum emptione sua erasit atque expunxit, anathematizans illud per gratiam. Illud enim affectibus ac passionibus hominem titillabat: hæc autem Dei munere, & ope, illud exterminabat. Illud voluptatis illecebris pelliciebat: hæc autem castitate ac pudicitia similiter extrudebat.] De stupiditate mortalium qui lucello adeò inhiantes, tam lucrosum cum Deo commercium non vsurpant, insigniter Guericus serm. 2. de resurr. Dom. Mihi iam nimius videor in hoc negotio.

CAPVT XI.

Verbum hamatum.

375. Mirabile omninò Diuinæ sapientiæ in Christi compositione artificium, hic titulus continet. Ex eo enim ritè exposito, deprehendetur quanta solertia, quamq; diuina machinatione, draco magnus, vt est apud S. Leonem serm. 18. de Pass. Dom. [Dum irruit, ruit; dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem.] Quia ergo diuinum Verbum ad formam piscationis, cetum, & draconem siue Leuiathan, à quo homines veluti pusilli pisces vorabantur absque vllo termino, obducto esca mortalitatis luæ hamo, transfixit, & morte mulctauit; de ea primùm esca, tum de hamo, linea, alijsque ad piscationem hanc necessarijs, disseremus.

In piscatione per Incarnationem, esca, vermis humanitatis,

Escam captandis piscibus multiplicem apponi, neminem latet; sed expeditissima & paratu facillima est, vermis. At Christi humanitatem fuisse vermem, ipsumque Christum ob humanam naturam vermem denominatū, luculenta Patrum & Scripturarum testimonia confirmant. Ad tria capita Scripturas illas & testimonia reuocat Balduinus, adductus in Allegorijs Vet. Testam. ad cap. 16. Exodi. Vel enim Christus, vermis dicitur propter veritatem humanitatis? vt cum typicè Danid dicitur: *Tenerrimus ligni vermiculus.* Et cum apud Isaiam dicitur: *Noli timere vermis Iacob.* Vel secundò vermis dicitur, propter vilitatem & abiectionem; iuxta illud Psal. 21. *Ego sum vermis, & nō homo, opprobrium hominū & abiectio plebis.* Vel denique tertiò dicitur Christus vermis, ob mordacem seueritatem. Qua etiam ex causa dicitur *tinea*, vt apud Oseam: *Ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iacob.* Sic Balduinus, cuius obseruatio confirmanda est, monstrando omnia quæ protulit, in Christū ratione assumptæ humanitatis cadere. & quoad eam Christū cum verme conferri vsu familiari Scripturis, quæ vt notauit Greg. Naz. orat. 39. sathanam cum magnis semper & grandibus, ceto monte, Behemoth componentes; Christum cum pusillis & minutis cōferunt, stillicidio, grano sinapis, agro, sed nominatim verme. Erit verò quod hinc suspiciamus abyssum humiliationis & depressionis à Verbo susceptæ nostri causa. Quid enim est verme abiectius?

Christus homo, Vermis 1. ob originem absque seminibus.

376. Vermem ergo dici Christum quoad humanitatem assumptam, propter humanitatis veritatem, vt Balduinus affirmabat, origo vermis ostendit, quæ par omninò est origini Christi ex matre. Cum enim vulgò homines ex commixtione sexuum procreentur, vermis è contrario absque semine producitur, & corporibus ex ipsismet corporibus innascitur. Notauit hanc Christi & vermis affinitatem Orig. hom. 14. in Lucam, vbi differens de singulari modo quo Christus conceptus ac editus est, (tametsi in eo duriùs loquitur quod iuxta phrasim quorumdam Patrum infra molliendam; Vluam Deiparæ, non ante partum, sed in solo partu reseratam affirmat.) Addit tamen optimè in rem nostram [Audeo quid loqui, quod & in eo quod scriptum est, *Spiritus Dei veniet super te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, principium seminis, & cōceptus fuerit, & sine vulvæ reseratione nouus in vtero fœtus adoleuerit. Saluator loquitur: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Videbat in matris vtero immunditiam corporū, visceribus eius hinc inde vallatus, terrenæ fœcis patiebatur angustias: vnde & assimilat se vermi, & dicit: *Ego sum vermis & non homo.* Ex mare quippe & fœmina homo nasci solet: Ego verò nō ex masculo & fœmina secūdum ritum humanū, atque naturā, sed in exemplū vermis natus sum, cuius non est aliunde semen, sed in ipsis & ex ipsis in quibus coalescit corporibus origo est.]

Ratum

Ratum id habent Patrum plerique; S. Maximus serm. in Psal. 21. sic habet. [Illum inspiciamus versiculum in quo ait: *Ego autem sum vermis & non homo.* Cur totius Dominus creaturæ, verniculo se voluerit comparari: possimus hoc quidem humilitati primitùs assignare, quæ Sanctorum virtus est maxima: sicut sanctus Moses, ante Deum animal se irrationabile profitetur; Daniel quoque se sæpè commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecùs admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur, ideò illum comparatum Domino, quoniam & ipse Salvator, de sola & pura Maria generatur.]

Anastasius Sinaita initio lib. 5. in Hexaëm. idipsum tradit; & ex hoc exemplo infert, præstantes quascunque creaturas, Christi imaginem præferre. [Si enim quæ est omnium Dei creaturarum miserrima & vilissima, vermis inquam, qui semine natus est ex pinguedine terræ, tam olim præfigurauit & descripsit vterum gloriosissimæ Deiparæ, vt testatur Dauid, dicens ex persona Christi: *Ego sum vermis & non homo.* Hoc est sine semine generatus sicut vermis, & non more humano ex coitu seminis; ne de cætero mihi dubitaueris, neque sanctis incredulus, de præstantissimis creaturis quod faciunt omnes figuræ Christi.]

S. Hieronymus Psal. 21. in illud, *Ego autem sum vermis & non homo* sic glossat. [Cur vermis & non homo, dum dicat in Euangelio, *Venit Filius hominis redimere quod perierat?* Christus & vermis dicitur, & homo. Vermis, vt ait Propheta: *Noli timere vermis Iacob:* Et homo quia ex Maria natus. Assimilatur sua natiuitas vermi, quia vermis qui in ligno nascitur, non habet patrem, nisi matrem. Et Christus ex Maria est natus absque coitu viri. Duo habitacula fecit Deus, cælum & terram. Cœlum habitatio Angelorum, & terra habitatio vermium. Fecit Deus vermem ascendere in cælum, & Angelum descendere in terram. Christus per humilitatem super omnes Angelos ascendit, & diabolus per superbiam proiectus est in terram.] Obiter eandem Christi absque viri semine sati, analogiam cum verme, è terra item procreato absque semine, attingit in cap. 4. Ionæ.

S. Augustinus epistola 49. q 6. [Vermis est propter humilitatem carnis, fortassis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacunque re terrena, sine vllo concubitu nascitur.]

S. Bernardus aut quiuis alius Autor tractatus de Pass. Domini, in illud, *Ego sum vitis vera*, cap. 17. [Quia tantus erat vt magnitudinis eius non esset finis, ad hoc inanitus est, vt Filius hominis fieret vermis. O quanta humilitas. Incomprehensibilis Deus vult comprehendi, summus humiliari, potentissimus despici, pulcherrimus deformari, sapientissimus fieri vt inmentum, immortalis mori: & vt compendio absoluam, Deus vult fieri vermiculus. Quid excellius Deo? Quid vermiculo infirmius? *Ego*, inquit, *vermis sum & non homo.* Quare vermis? Quia Filius hominis. Ita enim habes in Iob. *Astra non sunt munda in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & Filius hominis vermis.* Vtique & ipse vermis est, quia ipso testante, filius hominis est. *Quem*, (inquit) *dicunt homines esse filium hominis?* Ecce qualem distinctionem facit inter hominem & Filium hominis. Homines appellat, qui de primo homine Adam per corruptionem descenderunt. Vnde & Iob ait: *Quanto magis homo putredo?* Quia in putredine corruptio est. Ipse verò solus purus Christus Dominus, quia sine corruptione de matre Virgine natus est, se quidem non appellat hominem, qui vtique putredo est, sed Filium hominis qui vermis est. Sicut enim vermis de sola terra ita Iesus Christus, de sola Virgine generatur.]

Discrimen aliquod inter Christi ac vermis originem.

377. Non me latet S. Gregorium 17. mor. cap. 9. aliter intellexisse propositum ab hoc Autore Iobi locum, *Quanto magis homo, putredo, & Filius hominis vermis?* Imò ex doctrina quam ad eum locum tradit, videtur colligi, Christum non posse dici vermem: Distingui enim eo loco censet, inter Adamum protoplastum, & ex eo procreatos; vt Adamus quidem *homo* sit dictus, cæteri verò quia ex commixtione procreantur, dicti sint *Filij hominis.* [Ordinem (inquit de Baldad Iobi collocutore S. Gregorius,) conditionis nostræ tenuit, & natiuitatis, qui hominem non vermem sed putredinem, Filium verò hominis vermem vocat. Primus namque humani generis parens, homo non Filius hominis; ex quo quisquis prodijt, non solùm homo, sed Filius quoque hominis fuit. Sicut ergo ex homine filius, ita ex putredine nascitur vermis. Vnde rectè homo putredo, Filius verò hominis, vermis vocatur. Primus quippe homo, putredo, non vermis: quia etsi per mortem putruit, non tamen ex putredine per natiuitatem venit. Qui autem hominis est Filius, vermis dicitur; quia iam ex mortalium corporum corruptione propagatur.] Affinem distinctionem habet Augustinus epist. 120. cap. 8. nam idcirco putat Christum Psal. 21. negari hominem, quia non fuit sicut homo ille qui non fuit filius hominis; id est, sicut Adam, neque patrem neque matrem sortitus; cùm Christus verè sit procreatus ex matre vnde fuit Filius hominis, quod nullomodo fuit Adam. Cæteri autem homines præter Christum & Adamum, sunt filij hominum, quia ex duobus hominibus procreantur. Secundùm quam distinctionem Christus confertur vermi, quatenus est Filius hominis; cuius definitio, iuxta citatum Iobi locum, est esse vermem. At secundùm D. Gregorij distinctionem, Christus quia ex mortalium corruptione satus non est, vermis appellari non potest. Vnde suppeditari ratio videtur, ad negandum posse Christum sub vlla ratione vermem dici; nam vermis ex corruptione & putredine ortum habet, qua ratione non esse procreatũ Christum, nemo, non videt.

Non tollit analogiam propositam,

378. Retinenda nihilominùs est similitudo in Scripturis & Patribus decantata, quamuis quoad hoc quod de vermis ortu ex corruptione opponitur, non possit ad Christum accommodari. Generalis quippe regula est, exempla eatenus esse aptanda quatenus institutum postulat, etiamsi quoad omnia non quadrant. Est insignis in hanc rem Ruffini doctrina ad tertium Symboli articulum, quam semel notasse iuuerit. [Cum proferuntur exempla, (inquit) non per omnia similitudinem seruare possunt rei illius cui præbere putantur exemplum; sed vnius alicuius partis, pro qua videntur assumpta similitudinem tenent, v.g. vt cum in Euangelio dicitur: *Simile est regnum cælorum fermento, quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus.* Numquid putabimus regnum cælorum sic per omnia simile esse fermento, vt & substantia illa palpabilis sit, & fragilis, vt acida fieri possit, & corrupta: sed ad hoc solùm, exemplum illud videtur assumptum, vt ostenderetur, ex parua prædicatione Verbi Dei, humanas mentes fidei fermento posse coalescere. Similiter & cum dicitur: *Simile est regnum cælorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium attrahit*; Et in hoc numquid putandum est, quod naturæ lini, quo rete aptatur, ac nobis quibus maculæ nectuntur, regni cælorum substantia per omnia conferatur? Sed ad hoc solùm videtur assumpta comparatio, vt ostenderet, quia sicut rete de profundo maris pisces adducit ad litus; ita de profundo huius sæculi errore, humanæ animæ regni cælorum prædicatione liberantur. Ex quibus constat, exempla non in omnibus, his quorum exempla sunt, esse similia. Alioquin si eadem essent omnia, iam non exempla dicerentur, sed ipsæ potiùs res, de quibus agitur, viderentur.]

Quamuis igitur ex eo capite quod proferebatur,

nempè genitalis putredinis, Christus à verme dissideat, tamen quoad alia quæ sola attendenda sunt, vermi rectè confertur: videlicet quoad originem non ex commixtione, præter cætera duo capita de quibus postea. Vidisti autem Patres plerosque in hunc sensum accepisse illud Psal. 21. *Ego autem sum vermis & non homo*, ita vt ea verba non retulerint ad passionem, sed ad incarnationem, & veritatem humanitatis susceptæ, quod est primum caput ex Balduino propositum in quo versamur. Eodémque sensu illa Psaltis verba acceperunt præter citatos, Anastas. lib. 4. Hexaëm. *initio*, Petrus Damiani serm. 46. Euthym. in Psal. 21. & alij anteriores quos ea tantùm ratione refellit Theodoretus ad eum locum, quòd vermiculus sit vilitatis Symbolum & abiectionis, quæ iuxta Theodoretum splendet in passione, abest autem vel non nisi tenuiter micat in incarnatione. At nos, vilitatem fulgere multò illustrius in humanitatis assumptione, mox ostendemus. Adhibebat præterea in hanc rem Balduinus, vt retulimus, illud Esaiæ: *Nolite timere vermis Iacob.* Nec non illud ex 2. Reg. 23. *Tenuerimus ligni vermiculus, sedens in cathedra, sapientissimus inter tres qui octingentos in uno ictu impetu vno*: quod spectato literæ cortice, alij congruentiùs ad narrationem quæ habetur 1. Paral. 11. primò ex fortibus Dauid, Iesbaamo filio Hacamoni tribuunt. Balduinus tamen, (vt dixi,) ad Dauidem retulit, annuentibus Hieronymo in tradit. Hebr. & Petro Dam. serm. 67. qui exclamat: Quid est quod Dauid tam nouæ, tam inauditæ præconio laudis attollitur? Quis est iste tam humilis, tamque sublimis? Quis inquam est iste Dauid, ita debilis atque depectus, vt vermiculi speciem gerat? ita fortis ac validus, vt vno impetu octingentos homines interficiat? In palea nempe literæ, videtur esse ridiculum, si non in medulla spiritus lateat Sacramentum. Quis ergo vermiculus iste, nisi ille, qui per eumdem Dauid canit in Psalmo: *Ego autem sum vermis & non homo*? Sicut enim vermis ex sola ligni materia gignitur; ita Christum absque virili semine de solo virginali vtero genitum, fides Catholica confitetur.] Eodem pulcherrimè accommodat, quod sedens in cathedra, dicitur sapientissimus inter tres, nempe augustissimæ Triadis personarum secunda; cui sapientia appropriatur: & tot interfeciſſe impetu vno, de quo infrà in tertio capite analogiæ Christi hominis cum verme. Consentit Rupertus 2. Reg. cap. 38.

Christus, Vermis 2. ob vilitatem naturæ susceptæ.

379. Alterum caput similitudinis Christi cum verme ex Balduino prolatum, erat abiectio & vilitas, cuius vermis habetur aptissimum Symbolum. Eámque ob causam, plerique cum Theodoreto iam adducto, ad Christum in Cruce accommodant verba illa ex Psal. 21. *Ego autem sum vermis & non homo*. Apertè sanè eò refert illum locum Tertull. 4. contra Marc. c. 21. verbis illis tam potenter quàm scabrè aduersus Christum phantasticum Marcionis, prolatis. [Non poterat dixisse, *qui me confusus fuerit*. Noster hoc debuit pronunciasse, minoratus à Patre modico citra Angelos, vermis & non homo, ignominia hominis, & nullificamen populi, quatenus ita voluit, vt liuore eius sanaremur; vt dedecore eius, salus nostra constaret. Et meritò se pro suo homine deposuit, pro imagine & similitudine sua, non aliena; vt quoniam homo non erubuerat lapidem & lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei.] Estque extra controuersiam, fuisse in Cruce omninò ingétem Christi abiectionem; nec abs re ob illud vilitatis ostentamentum, potuisse Christum dominari in Cruce, vermem. Egregiè sanè id prosequitur Autor tract. de Pass. Domini sub figura vitis apud Bernardum cap. 17. *sub finem*.

Quod tamen Theodoretus aiebat, & ex vulgari imaginatione multorum ratum videtur, minorem fuisse incarnationis abiectionem ac vilitatem, ideóque non adeò appositè Christum attenta vilitate, denominari in incarnatione vermem; sed tantùm in passione; hoc verò est, quod inficior. Nam vt sapienter obseruat S. Chrysostomus orat. de S. Philogonio, multò magis videtur hic prodita abiectio & vilitas, quantò longius à Deo distat humanum lutum, quàm à carne mors & passio. [Quod Christus (inquit S. Chrysost.) homo factus mortuus est, quum nullum omninò peccatum perpetrasset, quid huic ampliùs poterat adiungi miraculo? sed mortale corpus assumpsit. Erat quidem & hoc admirandum. Cæte ù i quod Deus quum esset, voluerit homo fieri, multúmque sese dimittere fuit nuerit, quantum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est, omnium maximè reuerendum, stuporisque plenum. Quod quidem & Paulus admirans dicebat, *Sine controuersia magnum pietatis mysterium*. Quod magnum? Deus declaratus in carne.] Annuit Eusebius 10. de demonst. c. vltimo, qui Psal. 21. idcircò factam à Christo mentionem natiuitatis & conceptionis suæ censet, cum de Passione sermo esset, [quia nihilo viliorem primam corporeæ naturæ assumptionem, ortúmque illum de femina, ipsa mortis calamitate esse intelligebat.] Verba sunt Eusebij. Verè ergo Christus in hoc mysterio vermis fuit, præ vilitate. Verè *opprobrium hominum*, id est, Iudæorum, *& abiectio plebis*, id est, Gentilium, ait Anastasius 5. Hexaëm. *initio*. Exprobrauerunt enim & Iudæi, & Gentiles, ac vtrorumque Germani hæretici, commutationem Christi Domini: & Filium Dei naturalem, in vermiculum videri commutatum, expostularunt. Eò denique se dimisit Deus per incarnationem, vt quod nomen nemo sibi imponi sine stomacho audiat, de se ipse protulerit: *Ego sum vermis*. Refert Origenes lib. 4. contra Celsum, hunc Epicureum, cum audisset de Christianis, quod dicerent venisse Dei Filium, vt eos à peccato mundaret, & vitæ æternæ compotes faceret, exclamasse præ stomacho & ira: [Siccine vermes, aut lumbrico in natali cœno contendere?] Quam abiectionem & Christiani nominis opprobrium acerbissimè ferens Origenes, negat vlli ratione prædito, quantumlibet impio, tantum opprobrium inferri debere, vt vermis audiat, cum sit rationis particeps. Hoc probrum quod Origenes in hominem quantumuis ratione aburentem, rationabilem tamen, cadere inre posse negat, Verbum Dei, nostra ex causa vltrò assumpsit, nominans seipsum in humanitate assumpta vermem & non hominem.

Vermis 3. Christus ob validam tametsi lentam, & tacitam arrosionem.

380. Postremum caput analogiæ vermem inter ac humanitatem Christi à Balduino propositum, ducebatur ex vermis motdacitate, & vi arrodente, tacita licèt & lenta. Varij Patres expressum hoc decus humanitatis Christi annotant, in verme hederam sine cucurbitam perdente, de quo Ionæ c. 4. Rupertus quidem ibi, & alij, quos refert nec improbat S. Hieronymus, censuerunt vermem illum esse Romanum Imperium, præparatum à Deo in ascensu diluculi, & sub ortum Legis nouæ. Quæ interpretatio non debet adeò extranea videri, cum apud Ioëlem quoque, quatuor imperia (heu apices & vertices terrenos!) per quatuor vermes erucam, locustam, bruchum, rubiginem, sint designata. Receptior tamen est interpretatio aliorum, & nominatim S. Hieronymi in c. illud 4. Ionæ, iuxta quos cucurbita illa, vel hedera flaccida, nec nisi ad inumbrandum facta, ritus Iudaicos quos futurorum vmbras appellat Paulus, præsignabat. [Ionas (inquit S. Augustinus epistola 49. q. 6.) præfigurabat carnalem populum Israël.

Nam

Nam huic erat & tristitia de salute Niniuitarum, hoc est de redemptione, & liberatione gentium, vnde venit Christus vocare, non iustos, sed peccatores in pœnitentiam. Vmbraculum ergo cucurbitæ super caput eius, promissiones erant Veteris testamenti, vel ipsa iam mundana, in quibus erat vtique sicut dicit Apostolus, *vmbra futurorum*, tanquàm ab æstu temporalium malorum in terra promissionis defensaculum præbens. Vermis autem matutinus quo rodente cucurbita exaruit, idem ipse Christus occurrit, ex cuius ore Euangelio diffamato, cuncta illa quæ temporaliter apud Israëlitas velut vmbraculi prius significatione viguerunt, euacuata marcescunt. Et cunctus ille populus amisso Hierosolymitano regno, & Sacerdotio, & sacrificio, (quod totum vmbra erat futuri,) in captiua dispersione magno æstu tribulationis aducitur; sicut Ionas quod scriptum est, à solis ardore & dolet grauiter, & tamen dolori eius atque vmbræ quam diligebat, salus gentium pœnitentiamque præponitur.]

381. Possumus huc non incongruè fabulam Mahumeticam accommodare, quam his verbis describit Cantacusenus orat. 1. in Mahumetem num. 14. [In capite Rubeta, dicit Mahumet, vermiculum quemdam dæmonibus Salomonis mortem denunciauisse: cuius rei narratio talis est. Cùm Salomon scipioni suo inniteretur, tanto repentè dolore correptus est, vt confestim expiraret; diuino tamen quodam miraculo non cecidit. Huic verò ministrantes dæmones, cùm illum sic stare cernerent, viuere adhuc arbitrati sunt. Prorepsit autem è terra vermis, scipionem illius arrodens, quo simul corroso, Salomon concidit. Dæmones verò accurrentes, vt eum obijsse cognouerunt, ex eo tempore cunctis suis viribus humano generi nocere cœperunt.] Astutio illa scipionis Iudaici, quæ vitæ vmbratilis in cadauere prolapsionem intulit, commodè ad cadauer legis antiquæ (ex se namque cadauer erat vita priuatum & exanime,) corrosa per vermen è terra pura editum, vimenta cæremoniarum legalium fortitudine cui innitebatur, potest pertinere. Hoc se præstiturum prænunciat Christus per Oseam c. 5. verbis illis: *Ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iudæ. Et vidit Ephraim languorem suum, & Iudas vinculum suum.*]

Annuit tamen S. Augustinus q. illa 6. vt per hederam à matutino verme arrosam, Ethnicismus intelligatur, cachinnantibus licèt. (vt ait) Paganis, & vermem Christum, hancque interpretationem prophetici sacramenti, superbiore garrulitate deridentibus. Probat autem hunc sensum, nonnullis verbis Esaiæ, quibus Christus Gentilismum consumens, cum tinea exedente confertur. Eóque etiam refert vermen matutinum, de quo Psal. 21. Quod enim ibi Christus dicitur *Vermis, & non homo*, iungens cum Psalmi titulo, qui est, *pro susceptione matutina*, Christum appellat, *vermen matutinum*. Tum addit de Paganis tunc superstitibus, [ab isto verme, tanquàm à tinea comeduntur, qui sub eius dente euangelico, per singulos dies, paucitate sua deficiendo minorantur.] Hic verè vermis Iacob (de quo Isaiæ 41.) *Possum quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia, montes triturans & comminuens, colles que quasi pulverem ponens.* Quæ verba splendidissimè continere arrosionem & desolationem idololatriæ, per vermem Christianæ doctrinæ, egregiè ibi monstrat S. Hieronymus; agens quidem de Apostolis, sed res multò magis pro Christo ipso valet, à quo omnis Apostolorum vis & efficacitas in Ethnicorum conuersionem, & erroris conuulsionem manauit. Prodita sanè est vermis fortitudo, cùm non modò flacciditatem Iudaicæ hederæ, sed etiam Imperatorum robur attrinit, & genus humanum quà in erroribus, quà in depranatis terrenorum affectibus obduratum, vertit in pulverem. [Quamuis vermis sit tener & debilis, (verba sunt Petri Damiani serm. 67.) ligni verò duritia, fortis, ac solida; vermis tamen lignum vertit in cariem, & cauerna fossum reddit, & canum: Ita Redemptor noster, verus vtique manu fortis atque desiderabilis, qui semetipsum exinaniuit, qui non habens speciem, neque decorem, inualibus atque despectus apparuit; humanum genus vnde ortus est, paulatim à suo rigore molliuit, magnúmque sibimet in electis suis habitationis spacium procurauit.]

Egregiè subdit quomodò incarnatio, (quam ait esse vermis huius susceptionem per sapientissimum inter tres,) sit impetus ille vnus quo octingenti; (omnes inquam peccatores,) sunt interfecti gladio Spiritus Christi. [An non (inquit,) eius aduentus iure vocatur impetus? De quo Salomon ait: *Ecce iste saliens in montibus, transiliens colles.* Et Dauid: *Exultauit*, (inquit) *vt gigas ad currendam viam.* Qui enim currit, proculdubio impetum facit. Nam & Verbum Dei tanquam riuus aquarum viuentium, cum impetu venit, & sicut torrens cuncta doctrinarum ardentium inquinamenta subuertit. Vnde & in Canticis Canticorum dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Hinc & Psalmista: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.*] Et tamen hic tantus impetus, strepitu caruit. Absque tumultu enim, tot & tanti effectus sunt editi, consentaneè ad vermis arrosionem. Vermis quippe dicitur iuxta Cassiodorum in Psal. 21. quia viæ eius silentiosæ. In quam rem plura D. Greg. 5. mor. cap. 28. & lib. 11. cap. 25.

Quis in hac piscatione, hamus, quæ linea.

382. Liquet de verme & esca cuius ad piscationem institutum vsus est primarius. Nam nisi esca, hamo obduceretur, declinaret pisces hamum, nec caperetur. In hamo & linea nulla est ambigendi ratio. Olympiodorus quidem in cap. 40. Iob. adductus ibi in Græca Catena, hamum huius piscationis, ait fuisse clauos Crucis, S. Athanasius in vita S. Antonij num. 40. ait fuisse ipsam Crucem. Perspicuè tamen, hamum qui & ferreus, ac fortis, & acutus ac penetrans est, Verbum Dei esse, cognoscunt Patres benè multi mox proferendi: Nominatímque Epiph. orat. de Deip. sic eam compellans. [Aue gratia plena, hami esca spiritalis. In te siquidem hamus Diuinitas.]

Perpendit hic hamus ex linea generationis descripta Matth. 1. per virgam de radice Iesse, de quo mox ex S. Gregorio. Breuiter autem idem dixit Petrus Damiani serm. 11. [Vestitus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit, & de virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, Diuinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali, vt draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini numinis subsentiret.] Et pulchrè serm. 46. [Persona Redemptoris nostri, sic in fine huius propaginis ponitur, ac si hamus in extremitate lineæ subnectatur: sic ordinatè additur genealogiæ, sicut hamus productæ inseritur lineæ. Cùm enim dicitur: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*, & ceteri genitores bis numerantur, quasi licium licio inseritur, vt vna ex pluribus in longum linea producatur. Cum verò subiungitur: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de quæ natus est Iesus qui vocatur Christus*: Non in directum, sed quasi ex obliquo hamus apponitur, qui antiqui illius Leuiathan faucibus infigatur.]

Plenè & optimè hæc de hamo, linea, & virga huius piscationis ad diabolum capiendum, prosecutus est Innoc. III. serm. vnico de natiu. Deip. sed quod totus sermo in id impendatur mitto aliquid exscribere.

383. Non possum autem dimittere Rupertum, qui lib. 1. in Matth. egregiè in hanc rem philosophatur: & præter hamum, lineam, & virgam, circulum quoque ad eumdem vsum capturæ draconis & ceti qui in mari

erat, à Deo concinnatum verme humanitatis appositо, sic describit. [Hic nec illud prætерire libet, quod apud beatum Iob de diabolo Dominus loquitur: *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Item, *In oculis eius quasi hamo capiet eum.* Hæc námque generatio Iesu Christi, ab Abraham vsque ad Ioseph virum Mariæ, de qua Iesus, qui vocatur Christus natus est, quasi longa piscantis linea est, cui videlicet lineæ ferreus hamus subligatus, carne adoperitur, ob hoc, vt piscis edulio prouocatus quod foris patet, ferro se ipsum strangulet, quod intus latet. Diuinitas Iesu Christi, quasi ferrum diabolo extitit: Et hæc ex Maria veram assumendo carnis naturam, ibi fortitudinem suam abscondit, sine dubio futurum sciens, quòd ille homicida ab initio, carnem suam morte appetiturus foret, & ita quasi ferro quod intus latebat, captus, atque extractus, foras mitteretur, sicut factum esse credidimus, propter quod & loquimur. Et ista quidem secundum Matthæum genealogia Iesu Christi, linea est eiusmodi. Illa verò secundum Lucam sursum ascendens, textura genealogiæ prolixioris, reuera quasi circulus extitit, ita vt nihil rectius, quàm eiusdem generationis excursum putemus posse intelligi in verbis illis, quæ itidem ad beatum Iob Dominus dicit: *Numquid pones circulum in naribus eius? & armilla perforabis maxillam eius?* Quid enim? nonne cum sic incipit: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur Filius Ioseph, qui fuit Heli,* & sic finit, *qui fuit Adam, qui fuit Dei:* Nonne, inquam, initium & finem coniunxit, & circulum fecit? Cùm enim vno ductu linea sic flectitur, vt eius initium & finis coniungantur, nonne circulus, v.g. qualis est armilla, formatur? Ecce Iesus Christus, de quo sic incepit: *Et ipse Iesus incipiens quasi annorum triginta vt putabatur Filius Ioseph*, Deus & homo est. Incepit autem ab homine, & in Deo ductus sui finem fecit. Nonne igitur quasi lineam siue virgam longam subtilem, siue subtiliter longam, auream siue ferream à Iesu Christo incepit, & in Iesum Christum reduxit, dicendo, *qui fuit Adam, qui fuit Dei*, cùm vnus idémque Iesus Christus, Deus & homo sit, nec alterius plasma fuit Adam, quam huius Dei? Verus igitur, ô diabole, iste est circulus, quem Deus in naribus tuis posuit, ista est armilla, qua maxillam tuam perforauit. Iunxit se initium fini, id est, Deus homini, & ita duo hæc, scilicet initium & finis, occurrerunt sibi in vtero virginis, vt nares tuas transfixas teneret firmiter circulus inflexibilis, & maxillam tuam voracem, perforaret armilla talis; armilla gloriæ & honoris: vnde nunc vsque, fatuus traheris, & quod auidè momorderas, retinere non valens, per maxillæ foramen emittis. Vbi, vel quando, hæc initij atque finis coniunctio facta sit, & idem Lucas vberiùs scribit, & iste breuiùs eloquitur, cum dicit: *Christi autem generatio sic erat: Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.*]

Ceti qui in mare erat, captura per Verbum hamatum.

384. Sic captus est sapientissimo Dei artificio cetus ille immanis, qui in huius mortalitatis abysso, pisciculis quâ per se ipsum vorandis, quâ in hamo subleuandis, vt Abacuc loquitur intentus erat. Sed Dei sapientia prouidentissimè, auidissimum nocendi inter nocendum perdidit, effecítque vt dum nimio impetu vorandi omnia, incautæ mordet escam carnis, hamum quoque Diuinitatis ea esca obductum voraret, sicque periret. Quod plenè patefactum est illicò post Christi mortem, cum animæ captiuorum ereptæ sunt diuturna seruitute, & donatæ libertate gloriæ filiorum Dei. Ideóque non pauci Patres, hanc Allegoriam de Verbo hamato & inuncante satanam, ad tempus illud referunt: nec tamen (quod nunc intendimus,) negant hamo obductam fuisse escam in incarnatione, ad quam alij hanc Allegoriam referunt: vtrique verè & apositè ad rem nostram: Signo nonnullos.

Acacius Constantinopol. epistola ad Petrum Fullonem, *sub medium*, arguit eum, quod nollet dicere [Christum vnigenitum Filium Dei, passionem sustinuisse carne, id est, secundum carnem, secundum traditionem vetticis Apostolorum. Scribens enim ipse benè dicit: *Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniusto, mortuus quidem carne, viuificatus autem spiritu, in quo & in custodia positis spiritibus ambulauit, & prædicauit*; custodiam, infernum vocans. Abscondens enim hamum suæ Deitatis, intus hamum sancti sui corporis, sic inferno occultatus est, & ipsius omnium voracem ventrem abscidit, & ab æterno mortuos viuificauit, secundum Iob dicentem, *duces draconem in hamo.*]

Ruffinus ad quartum Symboli articulum. [Nolo terrearis fidelis auditor; paulò post illum, quem audis mortuum, rursum videbis immortalem; mors enim ab eo, mortem spoliatura suscipitur. Nam Sacramentum illud susceptæ carnis quod suprà exposuimus, hanc habet causam, vt diuina Filij Dei virtus, velut hamus quidam habitu humanæ carnis obtectus, & (sicut ante Apostolus dixit;) *habitu repertus vt homo*, principem mundi inuitare posset ad agonem: cui ipse carnem suam velut escam tradidit, vt hamo eum Diuinitatis intrinsecùs teneret insertum, & effusione immaculati sanguinis, qui peccati maculam nescit, omnium peccata deleret, eorum duntaxat, qui cruore eius postes fidei suæ signassent. Sicuti ergo hamum esca conseptum si piscis rapiat, non solùm escam cum hamo non remouet, sed & ipse de profundo esca aliis futurus educitur; ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Iesu, non sentiens in eo hamum Diuinitatis inclusum; sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuò, & disruptis inferni claustris, velut de profundo extractus, traditur, vt esca cæteris fiat. Quod ita futurum, sub hac eadem figura Ezechiel dudum signauerat dicens: *Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram, campi implebuntur de te & constituam super te omnes volucres cæli, & saturabo ex te omnes bestias terræ.* Sed & Propheta Dauid dicit: *Tu confregisti capita draconis magni, dedisti eũ in escã populis Æthiopũ.* Et Iob de eodẽ mysterio similiter protestatur; ait enim ex persona Dei loquẽtis ad se: *Aut adduces draconẽ in hamo, & pones capistrũ circa nares eius?*]

385. Nyssenus orat. 1. de Christi Resurr. agens de Assyrio & mente magna, quæ sunt satanæ nomina Isaiæ 10. [Quoniam in corde tanquam princeps in regia sua, mens creditur commorari, idcircò Dominus manet in corde terræ, vbi est mentis illius cœleste domicilium, vt consilium eius stultum reddat, vt ait Prophera, & apprehendat sapientes in astutia eorum, & sapientes iplorum conatus in contrarium vertat. Nam quia fieri non poterat, vt princeps tenebrarum meram lucis præsentiam attingeret, nisi partem aliquam carnis in ipsa conspexisset, idcirco, posteaquàm diuinam carnem vidit, & res admirandas, quæ per ipsam à Diuinitate efficiebantur, aspexit; sperauit se, si morte carnem affecisset, omnem etiam virtutem, quæ in ipsa erat, superaturum. Itáque dum inhians ad carnis escam aspirat. Diuinitatis hamo transfixus est, atque ita draco per hamum ductus est, vt ait Iob, qui perse, quod futurum erat prænuncians, *hamo*, (inquit) *draconem duces.*] Et in orat. Catech. cap. 24. regustans quæ c. 23. *sub finem* dixerat, addit. [Cùm sicut priùs dictum est, non esset ea natura potestatis contrariæ, vt admisceretur meræ Dei præsentiæ, & ferret nudam eius apparitionem: vt ab eo qui poscebat facile pro nobis accipi posset pretium in permutatione, naturæ nostræ integumento celata fuit Diuinitas, vt instar piscium cum esca

esca carnis simul attraheretur hamus Diuinitatis:& sic vita ad mortem introducta, & luce apparente in tenebris,duce & vita deleretur id, quod eis contrarium intelligitur. Neque enim ea est natura tenebrarum, vt luce præsente permaneant: neque mortis, vt sit, vita operante.]

Expressit Nyssenũ Damascenus 3.de fide c.27. *inire.* Ait enim de morte id est Satana,provt sæpè in Scripturis appellatur. [Intercessit igitur mors, mortem sanctis nostræ causa suscipiens, ac se ipsum Patri pro nobis hostiam offerens. In eum enim deliqueramus : ac proinde ei redemptionis nostræ pretium pendendum erat, vt sic à condemnatione liberaremur. Absit enim vt Domini sanguis tyranno oblatus sit. Accedit itaque mors, corporisque illecebram deglutiens, Diuinitatis hamo transfigitur : atque insonte ac viuifico corpore degustato, interit ipsa, omnésque quos olim absorpserat euomit. Quemadmodùm enim tenebræ inducta luce de medio submouentur, ita etiam corruptio vitæ aduentu depellitur, sicque omnibus vita, corruptori autem interitus.]

386.Petrus Damiani serm.46. [Ad beatum Iob Dominus loquitur, dicens: *Nũquid capies Leuiathã hamo? Per Leuiathan* quippe,qui *additamentum eorum* dicitur, cetus ille deuorator humani generis designatur, qui dum se Diuinitatem homini addere spopondit, immortalitatem sustulit, qui præuaricationis quoque culpam, quam primo homini propinauit, dum se sequentibus pessima persuasione multiplicat, pœnas eis sine cessatione coaceruat. In hamo autem esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem eius, vnigenitum Filium Incarnatum misit, in quo & caro passibilis videri posset, & Diuinitas impassibilis videri non posset. Cumque in eo serpens iste, per manus persequentium, etiam corporis momordit, Diuinitatis illum aculeus perforauit. Prius verò eum in miraculis Deum cognouerat, sed de cognitione ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fauces deglutientis tenuit, dum in illo esca carnis apparuit, quam deuorator appeteret; & Diuinitas passionis tempore latuit,quæ necaret. In hamo eius Incarnationis captus est, quia dum in illo appetijt escam corporis, transfixus est aculeo Diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se deuoratorem duceret : ibi Diuinitas quæ perforaret ; ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris fauces transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interijt, vnde momordit: & quos iure tenebat mortales, perdidit; quia eum, in quo ius non habuit mortis, appetere in morte præsumpsit.] Profecit Petrus Damiani ex S.Gregorio hom.25. in Euangelia.

387. Idem S.Greg.33.mor.cap.10.tractans illud, *In naribus eius quasi homo capiet eum*, cùm præmisisset his prænunciari aduentum Christi, & Incarnationis mysterium, subdit. [Quis nescíat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur ? Esca enim prouocat,vt aculeus pungat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quendam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, vt in eo Behemoth iste quasi escam, suam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo iniustè appetit, nos quos quasi iustè tenebat, amisit. In hamo ergo eius Incarnationis captus est : quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo Diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quæ ad se deuoratorem duceret, ibi Diuinitas quæ perforaret, ibi aperta infirmitas quæ prouocaret, ibi occulta virtus, quæ raptoris fauces transfigeret. In hamo igitur captus est : quia inde interijt,vnde deuorauit.] Et cap.12. [In hac aquarum abysso, id est,in hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam penè omnium vorans, huc illúcque aperto ore cetus iste ferebatur, sed ad mortem ceti istius, hamus in hac aquarum profunditate caliginosa, mira est dispositione suspensus. Huius hami linea, illa est per Euangelium antiquorum Patrum propago memorata. Nam cùm dicitur : *Abrahã genuit Isaac:Isaac genuit Iacob :* Cúmque cæteti successores interposito Ioseph nomine vsque ad Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quædam linea torquetur, in cuius extremo Incarnatus Dominus, id est, hamus iste ligaretur : quem in his aquis humani generis dependentem, aperto ore iste cetus expeteret ; sed eo per satellitum suorum sæuitiam morso, mordendi vires vlteriùs non haberet. Ne ergo iste humanis mortibus cetus insidians, quos vellet vltrà deuoraret : hamus hic raptoris fauces tenuit, & sese mordentem momordit. Incarnationem igitur vnigeniti Filij, fideli famulo indicans Deus, ait: *An extrahere poteris Leuiathan hamo ?* Subaudi *vt ego*; qui ad raptoris mortem Incarnatum vnigenitum Filium mitto, in quo dum mortalis caro conspicitur, & immortalitatis potentia non videtur,quasi hamus quidam inde deuorantem perimit, vnde acumen potentiæ quo transfigat, occultat.]

388. Concinnissimè Athanasius,aut (quisquis tandem est,) Autor qq.ad Antiochum q.20. & vltima ex nuper additis,vestigans causam cur Verbum ad hominem saluandum non se applicuerit nudum, sed carne circumamictum : [Cùm prænosset (inquit) sapiens Deus, quod non posset sola humana natura vincere sine Deitate, abscondita est in ipsa carne Deitas, vt diabolus videns carnem, & non cognoscens Deitatem in eadem carne absconditam, accederet, & cum Christo congrederetur, atque ita vinceretur ab absconditа Deitate. Quod & factum est. Quemadmodum enim piscator volens capere pisces, non nudum hamum iacit in mare, sed affigit extrinsecùs vermem per dolum, & sic proijcit hamum in mare,indutum verme : piscis autem videns vermem solum; & non cognoscens vermis in ventre latere hamum, sed existimans sine hamo vermem esse solum, deceptus capitur ab hamo ; ita etiam Christus fecit. Cùm vellet enim venenatum piscem in aquis infinitis abyssi latentem capere, seu magnum illum draconem diabolum, non sola Deitate cum diabolo congressus est, sed dolo vermem, sanctissimam suam carnem, quam ex semper Virgine Maria sanctissima terra sine pollutione induit, quemadmodùm inquit diuus Dauid, *ego sum vermis & non homo*, texit sacerrimum hamum mundo salutarem Crucem suam,illi affixus,& in illa latere voluit Deitatem suam, à qua deceptus est, & captus,venenatus ille, & serpentinis morsibus infestus piscis, magnus draco diabolus, qui Paradiso expulerat, & occiderat hominem, & victus perijt. Ita quidem, Deitatis typus est hamus : humanitatis verò typus est,vermis. Videns igitur extrinsecùs hominem, & non animaduertens intrinsecùs absconditam Deitatem, deceptus est, & accedens ad humanitatem, captus est ab hamo Deitatis nullam comparationem aut communicationem admittentis. Et sic victus est magnus draco, diabolus. Quapropter non venit Filius & Verbum Dei, vt nuda Deitate caperet diabolum, sed induit carnem, & sic ingressus est. Et hæc est causa, quod Incarnatus sit.]

Vsus doctrinæ.

Vniuersa hæc piscatio, & draconis magni captura, eò denique pertinet, vt nos pisciculi (nam & in aqua gignimur,vt est apud Tertullianum lib.de Baptis.c.1.) salubriter à Verbo hamato inuncemur. Docuit hoc pius Poëta apud Richardum à S.Laurentio lib.12. de Deip.cum de virga tria portante(1038.)[Christus hamus(inquit Richardus,) de quo Iobi 40. *In oculis tuis*

quasi hamo capiet eum. Huius hami ferrum, virtus Diuinitatis; Vermis, fragilitas carnis, ferrum latens in verme, Diuinitas latens in humanitate; Hamus in mare proiectus, Christus in mundum missus. Satanas qui in mari mundi per idololatriam dominabatur, qui supra appellatus est Leuiathan, hunc vermen morsu appetiit, sed virtus Diuinitatis eum aduncauit. Vnde quidam,

Piscator Pater est, mare mundus, Filius hamus,
Esca caro, Deitas linea, piscis homo.

En *piscis homo.* Ipse est igitur ad cuius capturam, vniuersa hæc piscatio dirigitur. Induamus nos si sapimus, in hunc hamum, vt vitaliter inuncemur.

CAPVT XII.

Verbum Fermentans.

389. REgnum cœlorum specie fermenti expressum, Matth. 13. legimus. Pro varia enim regni cœlorum notione qua nunc Christum Dominum, nunc Ecclesiam in Scripturis repræsentat, duplicem quoque fermenti illius sensum licet colligere; alterum huc directè pertinentem; alterum quo signatur aliquid per modum effectus à priore deriuatum: vtrumque attingamus.

Verbum, humanitatis Fermentum.

Fermentationem priorem qua Verbum diuinum massæ nostræ adiunctũ eam sanctificauit, agnouit Naz. orat. 51. sic disputans cõtra Apollinaristas, aientes sanctã Christi carnem Verbo Dei fuisse vnitã, non itẽ animam. [Si, quod deterius est, assumptum est, vt per incarnationem sanctificetur, an non quod præstantius est, assumetur, vt per humanitatis susceptionem, sanctitate afficiatur? Si lutum fermentatum est, (ô sapientes viri,) ac noua conspersio extitit, imago ipsa non fermentabitur, & cum Deo temperabitur, per Diuinitatem deificata?] Non dissimiliter Isido. Pelus. lib. 1. epist. 201.

Difficultas ex malis Fermenti significationibus.

390. Verùm in ipso huius Allegoriæ aditu, vereor ne minùs reuerenter de Verbo Dei philosophari videar, si illud cum fermento humanitatis Christi componam. Certum quippe est &, vulgatissimum, in Scripturis fermentum male sonare. [Quid est enim aliud nisi corruptio naturæ fermentum, quod & ipsum priùs à naturali dulcedine recedens, adulterino actore corruptum est?] Verba sunt Pelagij 1. Cor. 5. Et annuit Gisbertus c. 9. altercat. Synag. & Eccles. qui propterea ait toto septiduo vetitum fermentum, quia tota vita præsens, fermento peccati, in primo homine corrupta est. [In fermento (ait Chrysologus serm. 172.) non est moles magnitudinis, sed tumoris; & conspersio tali specie, inflata est non ditata. Quantum enim efferbuerit fermentiùs, tantùm fortiùs massa turgescit, & totam formam leuitatis implet & tumoris.] Hac ex causa Iudæi, per sacerrimos dies, hoc est Paschali tempore, Exodi 7. vetabantur interposita mortis intentatione, panem fermentatum comedere; vel ad amouendos peccati illices ex præsentia, fermentum apud se habere, aut præterquàm ad vsum sacrificij in gratiarum actionem, Altaribus illud admouere. Vnde Deus ipse Amos 4. horrenda supplicia comminatur præter cætera, eam nominatim ob causam, quòd sacrificantes de fermento laudem, essent tamen vaccæ pingues, & pessimè agerent. Cur autem in eo sacrificio fas esset adhibere fermentum, causa esse potuit, quia etiam de ereptione à malis agendæ sunt gratiæ. Quò videtur reuolui Petrus Cellensis lib. de panibus c. 3. *in fine.* Super fermento quoque, vt differit Orig. hom. 5. in Leuit. præceptum erat offerre, quamuis non fermentum: quia super dona naturalia, vel etiam defectus nostros, Dei laudatio est ædificanda; Philo lib. de Sacrificio Abelis & Caini, eò reuolui videtur, cum ait. [A fermento nostro præceptum est particulam desumere. *Et erit quando comedetis de fructibus terræ, auferetis particulam separatam Domino. De primitiis fermenti panum vestrorum particulam auferetis ei, sicut partem de area sic separabitis id.* Fermentum istud propriè, si verum fatendum est, nos ipsi sumus, congestis & commixtis pluribus essentiis, vt ex his absolueremur: frigidum enim cum calido, & aridum cum humido, potestates contrarias commixtas, & contemperatas, animalium opifex in vnum redigens, vnumquemque nostrum fecit ex ea congerie, quæ intelligitur fermenti nomine: cuius primariæ duæ partes anima & corpus, primitiæ Deo sunt consecrandæ. Sunt autem primitiæ, sancti & ad virtutem pertinentes motus partis cuiusque, ideò conferuntur cum area. Ergo sicut in area, triticum, hordeumque, & id genus alia seorsum separantur; aristæ verò & paleæ, & huiusmodi quisquiliæ dissipantur aliò: ita etiam apud nos, alia sunt optima, vtilia, veros cibos præbentia, per quæ recta vita perficitur, quæ quidem offerenda Deo sunt: alia verò parum diuina, relinquenda, velut reiectamenta mortali generi; ab his autem auferendæ particulæ]

391. Ratum ergo est, azima esse familiariora creatori, vt dicitur apud Tertullianum lib. 4. in Marcion. c. 30. fermentum autem Symbolum esse malitiæ & nequitiæ, vt loquitur Apostolus 1. Cor. 5. mandans expurgari, *vetus fermentum*, id est, incesto fordentem hominem, vt cæteri essent noua conspersio, sicut per Christi gratiam erant azymi. Quamquam Richardus Victorinus, tract. de dubiis à S. Bernardo propositis dub. 2. illos ipsos qui azymi erant quoad fidem, censet iussos expurgare vetus fermentum quoad opera, quod ad rem presentem perinde est. Semper enim habemus, fermentum esse Symbolum malitiæ. Veram peccati originis imaginem esse fermentum, pronunciat Rupertus l. 2. in Exod. c. 15. qui etiam pro peruersa fermenti notione latè disserit l. 2. de offic. c. 22. esse typum hypocriseos, docemur ex illis Christi verbis: *Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.* Apud Osæam c. 7. proponitur vt Symbolum idololatriæ. Sic enim accipit S. Hieronymus verba illa: *Quieuit paululum ciuitas à commistione fermenti, donec fermentaretur totum.* Climacus lib. ad Pastorem c. 14. *in fine*, fermentum tumoris & inflationis notam atque adeò superbiæ symbolum esse docet; azymum verò humilitatis, eò quòd non turgeat, sed sessile sit, sempérque subsidat, idque esse censet, quod in Paschate azymis vescendum, mandabatur. Similiter S. August. 3. contra Parmen. c. 2. ad corruptionem superbiæ refert, quia inflat, [& velut ex vetustate primi hominis qui superbia lapsus est, quasi fermentata & corrupta mente, facit elatos in vnam conspersionem, qui sibimet in eam simili iactantiæ vnitate consentiunt.] Plenè verò de fermenti probris, & peruersa in Scripturis significatione, differit Humbertus Episcopus lyluæ candidæ l. contra Michaëlis Constantinopolitani & Græcorum calumnias, initio ducto à fermenti vitiata origine. [Fermenti (inquit,) origo fit, cùm aut spuma musti, seu fex cuiusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos *cerevisia* dicitur, vel certè ius elixati hordei, aut ciceris, siue lac siculneæ, vel pecorum, corruptum, injicitur conspersæ farinæ. Cùm ergo spuma, fex, elixatum leguminum, & lac ficus vel pecorum corruptum, apud homines computentur inter sordida; constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuicunque fermentum injicitur, necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus: *Modicum fermentum, totam massam corrumpit.* Vbicunque autem corruptio tam in diuinis, quàm in humanis literis

rio dicitur, ibi etiam deterioratio, seu vitiositas aliqua subintrasse comprobatur. Vnde si non potest subitaneæ accidisse corruptio in bonam partem intelligi, nulli aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium est, quin fermentato azymum mundus sit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantùm, & pura aqua conficitur. Fermentum quoque si aliquamdiu in massa negligitur, tanto ocyore eam corrumpit, vt vltrà humanis vsibus nõ proficiat. Deinde panis fermentatus prauo situ efficitur mucidus, quod ratissimè incurrit azymus, vtpotè plenus ac solidus, non tumidus & cauernosus, vt fermentatus.] Addit multas Scripturas, quibus fermentum in pessimã partem sumitur. Nec omittit Persium, qui fermentatos corruptos mores, satis significat, cum ait,

Quid didicisse nisi hoc fermentum, ex quo semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?

Denique argumentatur à contrario, & azymi sinceritatem ac puritatem commendat, ratus è contrario intelligi posse fermenti prauitatem. Azymum enim est puritatis, sinceritatis, & sanctimoniæ Symbolum; vt propterea Nicetas ad orat. 41. Naz. dicat virtutem debere esse azymum & infermentatam. Hæc cum ita sint, qua igitur fronte, diuinum Verbum, ipsam scilicet sanctitatem, sinceritatem, & puritatem, cum nequitiæ & malæ mixturæ Symbolo, ausim componere?

Extricatur, distinctis variis Fermenti qualitatibus.

392. Ad hunc nodum expediendum, recolenda est doctrina de qua superiùs c. 9 *sub finem*, ex D. Augustino, qui alibi hoc est l. 3. de doctr. Christ. c. 25. eam iterat in exemplo fermenti de quo agimus. [Non putemus (inquit,) esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione fermentum posuit Dominus, cum diceret: *Cauete à fermento Pharisæorum*; & in laude cum diceret: *Simile est regnum cælorũ mulieri, quæ abscondit fermentũ in tribus mensuris farinæ donec fermentaretur totũ.* Huius igitur varietatis obseruatio duas habet formas. Sic enim aliud atque aliudres quæque significant, vt aut contraria aut tantummodò diuersa significent. Contraria scilicet, cum aliàs in bono, aliàs in malo res eadem per similitudinem ponitur; sicut hoc est, quod de fermento suprà diximus. Tale est etiam, quod *Leo* significat Christum, vbi dicitur; *Vicit leo de tribu Iuda*; significat & diabolũ, vbi scriptũ est: *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret.* Ita serpens in bono. *Estote astuti, vt serpentes.* In malo autem, *serpens Eũa seduxit astutia sua.* In bono, panis: *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.* In malo autem, panis. *Panes occultos libenter edite.* Sic & alia plurima.] Multus est in hac re S. Greg. hom. 19. in Ezech. & l. 5. mor. c. 16. aliàs 17. ex hac regula, de fermento philosophandum est in re præsenti, vt interdũ quidem ob qualitates quasdam suas, malè sonet; alibi verò ob vsum aut effectum aliquem bonum & commodum, sumatur in bonam partem, ipsisque Deo citra labem accommodetur.

Eam distinctionem virium & qualitatum, atque adeò etiam significationum fermenti, continent hæc Nazianzeni verba, orat. 42. [Hinc fermentum septem dierum spatio submouetur; (hi enim numerus omnium maximè mysticus, atque huic mundo consociatus;) hoc est vetus, & acida prauitas; (non enim illud, quod panem efficit ac vitale est:) vt ne quod Ægyptiacæ conspersionis viaticum, nec vllas Pharisaicæ & impiæ doctrinæ reliquias nobis paremus.] Quod Theologus, consociatum mundo septenarium ait, Nicetas refert ad productionem orbis, absolutam in septiduo; eiusque rursum consummationem in septimo annorum millenario. Quod secundum, viderit vnde hauserit, cum non sit nostrum nosse tempora. Fermenti verò proprietates reprobas, docet tradi, vetustatem & aciditatem; bonas, vim calefactiuam ideóque tumefactiuam & subleuatiuam farinæ, quàm ait dici à Theologo vim fermenti vitalem. Hæc vt non improbo, ita ipsam vetustatem & aciditatem aliter consideratas, benè sonate, & ad illam fermenti vitalem vim conducere, perspicuum existimo. Dicta enim videtur vitalis facultas, qua fermentum commodat pani conficiendo, vnde vita sustentatur. At conficiendo pani, eatenus vsui est fermentum, quatenus massa præ vetustate ad putredinem vergens, acescit abiecto sapore dulci quo priùs pollebat. Illud verò putredinis rudimentum ex calore auctiore, consequitur massæ tarefactio & tumor, vnde farinæ cui admiscetur, non modò gratior sapor, quippe è diluta fermenti aciditate temperatus; sed etiam soliditas & firmitas maior, qua ad cibandum & nutriendum sit aptior. Feruore namque suo, viscositatem massæ panis consumit; sicut è contrario panis infermentatus, etiamsi corpus impinguat, qua ex causa inde cibabantur Athletæ, tamen viscidos humores generat, & difficultatem concoctionis creat, vt disserit Didymus apud Constantinum l. 2. Geoponicorum, & Ioannes Langius epistola medic. l. 1. in 56. vnde vides quod Plinius rectè notauit l. 18. c. 11. totam originem vsus quem habet fermentum ad panis confectionem, & huius vitæ sustentationem, ex aliquali illa putredine, & mutatione status sui in deterius, sumere principium; indéque fieri, vt conspersio ad fermenti similitudinem trahatur.

Quomodò Verbum, humanitatis fermentum.

393. Hæc quomodò in Verbum diuinum massæ humanitatis copulatum cadant, perspicuum est. Imò non aliò pertinere hinc fermenti & conspersionis, inde Verbi & humanitatis assumptæ similitudinem in Scripturis & Patribus vsurpatam, admonet Elias Cretensis ad orat. 51. Nazianzeni: etiamsi nonnulli Græci apud Rupertum 2. de offic. c. 22. Et apud Stephanum Eduensem l. de Sacram. Alt. c. 17. censuerint fermentum esse Symbolum Incarnationis, quia rumefacit; Deiparæ autem vterus de Spiritu sancto intumuit. Ex quo vt Rupertus rectè objicit; sequeretur, Deiparam esse panem nostrum. Propria igitur ratio est, quam ex Elia petigimus. Verbum enim Dei quamuis reipsa planè immutatum; ex quo tamen per assumptionem humanitatis, detriuit & exinaniuit semetipsum, massam cui copulatum est ac tenaciter illigatum, suis veluti qualitatibus ac prærogatiuis imbuit: cùm humanitas sit aliquid eius personæ quæ verè Deus est, & homo inde constitutus, non purus homo, sed Deus homo nominetur & sit. Insignis planè non iam tumor, sed magnitudo, & solida amplificatio, quam diuinum hoc fermentum, massæ siue humanitati assumptæ conciliat. [Fermenti vim atque virtutem omnibus notam esse, non dubium est. Nam cum sit magnitudine paruum, specie simplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinsecùs gerit, vt cùm reconditum fuerit in farina succus, hoc totam massam faciat esse quod ipse est, & ita semper vniuersum cumulum aspersionis suæ vigore diffundit, vt omnem ipsam magnitudinem pollinis, faciat fermentum: ac sic res ipsa fortitudine tua, molem sibi proprij vigoris acquirit.] Verba sunt Maximi apud Ambrosium serm. 5. quæ de diuino hoc fermento ad humanitatem Christi collato, veritatem habere, iuxta supradicta, nemo non videt.

Patrum suffragia.

394. Suffragantur Patres, qui mixturam trium farinæ satorum in quæ fermentum per Euangelicam

mulierem est immissum, interpretantur Verbi Diuini copulationem cum humanitate, interpositio assensu Deiparæ. Videtur hoc voluisse Cosmas Hierosol. carm. in Theogon. cum dixit nouus ex Adam puerulus, fermenti natus est Filius. Sed expressè Petrus Chrysologus serm.67. & 71. factum fermentum magno pietatis Sacramento Verbum Dei, & farinæ humanitatis assumptæ coniunctum, scitè proponit. Et serm.99. *sub finem*, admiratur diuinum consilium, quod cum mulier malè humanum genus fermentasset fermento nequitiæ, prouiderit è contrario diuina ars, vt per mulierem Deus Verbum, sanctificandis naturæ nostræ pretiosissimis cibis atque primitijs adhiberetur, tanquam fermentum: [Vt mulier quæ corruperat fermento mortis in Adam totam massam generis humani, fermento resurrectionis totam carnis nostræ massam redintegraret in Christo: vt mulier quæ confecerat panem gemitus & sudoris, panem vitæ coqueret, & salutis; & esset omnium viuentium mater vera per Christum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob hoc námque Christus nasci voluit, vt sicut per Euã venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita. Quæ Maria huius fermenti implet typum, similitudinem præfert, consignat figuram, dum de supernis suscipit fermentum Verbi; & humanam carnem in aluo Virginis, imò in alueo Virginis, cœlestem totam conspersit in massam.]

Consentit S Bern. serm.2. de natiu. Dom.& l.5. de consid.c.10 quòd enim fermentum ait esse fidem Deiparæ, eò dumtaxat pertinet, quod hæc vt vocat *commixtio & fermentum* personæ Verbi cum humanitate, nõ nisi interposito assensu Virginis perfecta sit in eius vtero. Qua etiam ex causa Andreas Hierosol. orat. in Angelic. salutat. vocat Deiparam. [Fermentum sanctum ex quo totius humani generis massa fermentatur:] nempè, quia eius interuentu, Verbum humanitati nostræ in vno individuo est copulatum: vnde in totam speciem refusa est sanctificatio.

Est de hac fermentatione insignis locus ex S. Gregorio, adductus à S. Thoma opusc. 1. *sub finem*, ex Registro, & à Gennadio l. pro Synodo Florent. c.2. sect. 8. nec non apud Anonymum à Steuartio t.4 bibl. editis, tractatu contra Græcos, in solutione quarti contra azimum ex Græca (vt ait) vita S. Gregorij, narrante quæ cum Græcis egisset legatus Constantinopol. [Solet plane (ait S Gregorius) moueri quæstio, quod in Ecclesia alij fermentatum offerunt, alij panes azymos. Esse námque Ecclesiam distinctam quatuor ordinibus, nouimus, scilicet, Romanorum, Alexandrinorum, Hierosolymitanorum & Antiochenorum: quæ Ecclesiæ generaliter nuncupantur, cum vnam teneant Catholicam fidem, diuersis tamen vtuntur officiorum mysterijs. Vnde fit, vt Romana Ecclesia, offerat panes azymos; propterea quod Deus sine vlla commixtione carnem suscepit, sicut scriptum est: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Sic ergo pane azymo efficitur corpus Christi: nam cæteræ supradictæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quòd Verbum Patris indutum est carne, & est verus homo; sicut fermentum commiscetur farinæ, & efficitur corpus Domini nostri Iesu Christi verum. Sed tam Romana Ecclesia, quàm prædictæ, pro ineffabili mysterio; tam fermentatum, quam azymum, dum sumimus, vnum corpus nostri Saluatoris efficitur.]

Trepidè allego in hanc quoque sententiam Gnosticos apud Irenæum l.1.c.1. sit tamen hæc non iam dictorum confirmatio quàm condimentum. Sic igitur habent. [Quoniam autem eorum quos saluaturus erat Saluator, initio accepit Paulum dixisse, *Et si delibatio sancta, & massa.* Delibationem quidem quod est spirituale dictum docentes, conspersionem autem nos, id est physicam Ecclesiam, cuius substantiam adsumpsisse dicunt eum, & cum semetipso erexisse, quoniam erat ipse fermentum.

Ritus antiquus missitationis fermenti, eodem aptatus.

395. Planè verò spectat ad hanc rem priscus ritus Ecclesiæ Catholicæ, cuius est mentio apud Autorem libri de Romanis Pontificibus, in Melchiade; vbi constitutum ab eo ait, [vt oblationes consecratæ, per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.] Rursúsque in Siricio. [Hic constituit, vt nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi cõsecratu Episcopi loci, susciperet declaratum (fortè directum,) quod declaratur fermentum.] Sed & Innoc. I. epist. ad Decent. cap.5. quærenti Decentio an vsus Romanæ Ecclesiæ mittendi à Pontifice fermentum per titulos intra ciuitatem constitutos, vsurpandus esset in parochijs? Negat id esse faciendum. Se namque ait, tantùm mittere fermentum ad Presbyteros intra vrbem positos die Dominico, vt quia Presbyteri illi plebem sibi creditam curantes, conuenire non poterant ad Pontificem, fermentum ab ipso confectum acciperent per acholytos, vt [se (inquit) à nostra communione, maximè illa die, non iudicent separatos.]

Disseruit de hoc ritu Cusanus epist.7. ad Bohemos & Anonymus Autor operis de Diuinis officijs quem quoad hoc punctum descripsit Pamelius tom.1. Liturg. Lat. pag.489. Fusè item Baronius anno 313. à num.48. cui adhæsit Seuerinus Binius in notis ad vitam Melchiadis Papæ, putátque Baronius aliud non fuisse, quàm fermentum ab Episcopo benedictum ex quo coagmentaretur massa, & panis fermentaretur, qui diceretur *oblatio*; & à prima materia, *declaretur*, id est, *nominaretur*, fermentum: quamuis non esset fermentum nudum, sed panis fermentatus benedictus, quo Episcopus in Symbolum communionis, Presbyteros suæ communionis impertiret. Nolo iudicium Scriptoris æterna memoria dignissimi interpellare. *Fermentum* tamen ab ipso Pontifice siue Episcopo benedictum, pro pane ex eo fermento cõfecto accipiendum esse, non video quid euincat; cum missum potiùs panem fermentatum ab Antistite ipso, benedictum, procliuius sit existimare. *Declaratum* item fermentum, idem esse quod *denominatum*, ægrè persuadetur; cùm sit in promptu natiua vocabuli notio, opportunè cadens in hunc locum, ferénsque, mysteria in fermento latentia cùm dirigeretur, declarata fuisse, siue ex breui quapiam formula tunc recitata; siue ex doctrina declarata in Ecclesia, innotuisse dantibus & accipientibus fermentum illud: nempe, non modò ad signum communionis Catholicæ, sed etiam & quidem primò ad designandam radicem nostræ inter nos & cum Christo communionis, quæ ex vnione humanitatis ad Verbum Dei illam fermentans, est derinata. In hanc siquidem coniunctionem, primò ac præcipuè collimasse mysterium illud & Sacramentum fermenti, (sic enim Innocentius suprà nominat, quod Iustellus ad canones Ecclesiæ vniuersæ, & alij nonnulli perperàm acceperunt de Eucharistiæ Sacramento;) argumentum est, quod hæc sit primaria fermentatio cuius est in Scripturis mentio: vnde nostra quoque cum Deo fermentatio, & in vnam fidē coniunctio, ortum habuerit.

Massæ totius humanæ, à Verbo, per singularem Christi humanitatem fermentatio.

396. Fermentationem alteram, à Diuino Verbo primitijs consperſionis nostræ coniuncto, causatam in tota humanæ naturæ massa, facilè erit intelligere; si supponamus cum S. Macario hom.24. statum nostrum

ex

ex quo per Adamum ſumus fermentati. [Quemadmodum Adam transgreſſus mandatum, (inquit S. Macarius,) fermentum malitioſitatis; itidem & participatione quadam, qui ex eo nati ſunt, ac vniuerſum genus Adæ, fermenti illius particeps effectum eſt. Vnde tanquam promouerunt, & creuerunt in hominibus affectiones peccati, vt ad adulteria vſque, ad petulantias, idolorum culturas, cædes, & alia abſurda deuenerint, donec humanitas vitio eſſet fermentata: Quod quidem apud homines ita inualuit, vt ne Deum quidem eſſe putarent, ſed adorarent lapides anima carentes, neque poſſent intellectu Deum capere, tam profundè fermentum illud nequitiæ affectionum, conſperſerat progenieni veteris Adæ.] Tantùm S. Pater, de peccati fermento, quo primus Adam ſe primùm, tum omnem poſteritatem commaculauit & deprauauit. Sequitur quod eundem, quod è contrario Deus, per Verbum ſuum conſequenter ad eam fermentationem qua vniuerſum genus humanum ſolidaret, quod per diuerſa antra reſolutum iacebat. Sic enim velut fermentum quoddam singulari naturæ ſpeciei noſtræ coniunctum eſt, vniuerſam quoque ſpeciem ſcitè fermentarit. [Eodem modo (inquit) placuit Domino, in aduentu ſuo pati pro omnibus, & eos proprio ſanguine redimere, ac fermentum cœleſte bonitatis fidelibus animis infundere, quæ ſub peccatum redactæ fuerant: & ita promotione ac cremento, omnem mandatorum iuſtitiam, ac virtutes vniuerſas, in eis complere, donec in bono fermentarentur in vnum, & cum Domino euaderent in vnum ſpiritum.]

Fuit ſcopus Incarnationis, iuxta Patres.

397. Hunc fuiſſe Incarnationis Verbi & ſecũdæ fermentationis hactenus expoſitæ finem, pulchrè attigit S. Hilarius l. 2. de Trinit. cum ait: [Virgo, partus, & corpus poſtque crux, mors inferi, ſalus noſtra eſt. Humani enim generis cauſa, Dei Filius natus ex Virgine eſt, ex Spiritu ſancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſuam (videlicèt Dei) inumbrante virtute, corporis ſibi initia conſeuit: & exordia carnis inſtituit, vt homo factus ex Virgine naturã in ſe carnis acciperet, peique huius admixtionis ſocietatem, ſanctificatum in eo vniuerſi generis humani corpus exiſteret; vt quemadmodum omnes in ſe per id quod corporeum ſe eſſe voluit conderentur; ita rurſum in omnes ipſe, per id quod eius eſt inuiſibile, referretur.]

Optimè item Naz. orat. 36. num. 89. poſt expoſita diuina Chriſti nomina. [Nunc (inquit) ad ea veniamus, quæ propriè noſtra ſunt, humanitatiſque aſſumpta. Homo itaque dicitur, non ſolum vt per corpus à corporibus capiatur, qui alioqui ob imperceptibilem naturam ſuam capi non poterat: ſed etiam, vt per ſe hominem ſanctitate afficiat, fermentique inſtar vniuerſæ maſſæ ſit, ſibique vniens, quod condemnatum fuerat, totum illud à condemnatione liberet, omnia pro nobis, quæ nos ſumus, excepto peccato, factus, corpus, anima, mens, (per quæ videlicèt mors præualuerat) &, quod ex his commune eſt, homo.]

Ad eandem mentem Iſidorus Peluſ. lib. 1, epiſt. 201. [Cœlorum regnum fermento comparatum eſt, hoc eſt Domini & Saluatoris noſtri Incarnationi, peccati omnis experti, quæ vniuerſum terrarum orbem conſperſit, & vnius corporis ex noſtra ſubſtantia atque à Genitrice Dei Maria ſumpti, coagmentationi, quæ homines omnes qui ab orbe condito extiterunt, ad nouum ortum renouauit.]

Copioſè ac ſplendidè S. Maximus ſermone apud Ambo. ſuum 5. [Dominus (inquit) eſt fermentum; quia fermentum nonniſi de tritico fieri ſolet. Rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cum eſſet ſpecie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinſecùs ſapientiæ virtute pollebat, vt doctrinam ipſius, mundus ipſe vix caperet: qui cum ſe cæpit per totum orbem Diuinitatis vigore diffundere, ſtatim omne hominum genus in ſubſtantiam ſuam ſui poteſtate protraxit, vt & iugum Spiritus ſui ſancti infunderet omnibus; hoc eſt, Chriſtianos cunctos, faceret eſſe quod Chriſtus eſt. Nam quod homo Dominus Ieſus vnus & ſolus, eſſet in mundo tanquam fermentum in maſſa reconditum, vniuerſos homines præſtitit eſſe quod ipſe eſt.] Et mox. [Sicut igitur fermentum cùm in cumulum conſpergendum eſt farinarum, confringitur, comminuitur, diſſipatur, & ipſum omne diſſoluitur, vt diſperſam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem conſtringat, atque in ſolidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipſa diminutione languebat, faciátque coniunctione ſui vtilem maſſam, quod propria diſſolutione videbatur inutile: ſic & Dominus Ieſus Chriſtus, cùm eſſet totius mundi fermentum, diuerſis paſſionibus confractus, laceratus & diſſolutus eſt, & ſuccus eius pro ſalute noſtra, qui eſt pretioſus ſanguis, effuſus eſt, vt admixtione ſui omne genus humanum ſolidaret, quod per diuerſa antra reſolutum iacebat. Sic enim velut fermentum quoddam nos, qui farina ex gentibus videbamur eſſe, adhæſimus. Nos inquam, qui per totum orbem diſperſi & diminuti, penitùs iacebamus, vigore paſſionis Chriſti, in ipſius corpus redacti ſumus, ſicut beatus Apoſtolus ait: *Quoniam ſumus corpus Chriſti & membra.* Nos igitur qui ex nationibus in pulueris modum è terræ facie iactabamur, aſperſione ſanguinis Domini, in maſſam ſoliditatis eius aggregamur.]

Similiter Deiparam alloquens S. Germanus Conſtantinopol. orat. de natiu. Deip. [Benedicta tu inter mulieres, ſpiritualis Bethleem natura atque cognitione, viui panis domus ſpiritalis, & facta & appellata. In te enim habitauit nobiſcum contemperatus non commiſtus fermento, totum ſibi Adamum fermentans, vt panis fieret viuus ac cœleſtis.]

Vſus doctrinæ.

398. Effectum hunc diuini fermenti in maſſam noſtram, æmulari nituntur quotquot præſtitum à Chriſto beneficium, ritè æſtimant. [Quiſquis illi fermento Chriſti adhæſerit, efficitur & ipſe fermentum, tam ſibi vtilis, quàm idoneus vniuerſis, & de ſua certus ſalute, & de aliorum acquiſitione ſecurus.] Verba ſunt Maximi ſermone illo 5. Fuiſſeque hoc vitium ſuum, vt eſſent in vrbibus aliqui, qui quaſi fermentum facti alijs, multos ad ſui imitationem traherent, dixit S. Chryſoſtomus hom. 43. in Geneſ. taléſque fuiſſe Moſem & Aaron qui fermenti in morẽ multos patriæ virtutis æmulatores reddiderant, ait orat. de S. Euſtachio *in fine*; vbi quod de Moſe & Aarone retulimus, confirmat ex eo quòd præter Filios Iſraël, aſcendit de Ægypto cum eis, vulgus promiſcuum innumerabile: quod S. Chryſoſtomus cenſet eorum fuiſſe, qui probo Moſis & Aaronis exemplo fermentati, ad Hebræos ritus acceſſerant. Tale fermentum ſi in vrbibus abundaret, diffunderetur honeſti amor, & vitij dilatatio inhiberetur. Rectè enim pronunciatum eſt à S. Matthia, vt refert Clem. Alex. 7. Strom. cap. 8. pag. 828. [Si peccauit vicinus electi, peccauit electus. Nam ſi ſe ita geſſiſſet vt iubet verbum, ſeu ratio, eius vitam ita eſſet reueritus vicinus, vt non peccaſſet.] Fermentaſſet videlicet illum; & quam à Chriſti fermento accepit beneficentiam, in alium prodidiſſet, factus & ipſe inſtrumentum diuinæ bonitatis, vt ibidem præmiſerat Clemens; quo neſcio an quicquã homini glorioſius queat accidere.

Verbis in ſpeciem oppoſitum ferentibus, ſed reipſa ſenſu eodem, S. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 15. ait. [Eccleſiam, atque adeò probos quoſque, expurgare alienum fermentum: ſiue quod tota Eccleſia ſuſcipiat onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore eſt; & quaſi fermento eius ſe totam con

conspergat, vt per vniuersos, ea quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente, viritim misericordiæ, aut compassionis velut collatiua quadam admixtione purgentur: siue vt illa mulier euangelica docet, quæ typum prætendit Ecclesiæ, eò quòd fermentum abscondit in farina sua, donec fermentaretur totum, vt mundũ omne sumatur. Docuit me Dominus in Euangelio, quid sit fermentum, dicens: *Non intelligitis, quia non de pane dixi: Attendite à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Tunc* (inquit) *intellexerunt, quia non dixit à panibus, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum attenderent sibi.* Hoc ergo fermentum, hoc est doctrinam Pharisæorum, & disputationem Sadducæorum abscondit Ecclesia in farina sua, cum literam legis duriorem, spirituali interpretatione molliuit, & velut mola quadam suæ disputationis infregit, proferens velut de folliculis literarum mysteriorum interna secreta, & resurrectionis fidem astruens, qua Dei misericordia prædicatur, qua reparari vita creditur mortuorum.]

399. Miseri è contrario, & omni probro coopetti, qui vt modicũ fermentum totam massam corrumpunt, facti instrumenta satanæ ad fermentandos mortales, & fructum illius fermenti quod Christus est, disperdendum contrario effectu. Hoc in omnes planè improbos cadere, quorum vel exemplo, vel quod deterius est instigatione, aut impulsu, alij ad malum inducuntur: S. Chrysost. hom. 15. in ep. 1. ad Cor. rectè monuit, dicens, non solùm fornicarium ab Apostolo reprehensum, fuisse fermentum alios corrumpere aptum; sed idem esse de quouis improbo statuendum. Heu quam multiplex in orbe fermentum huiusmodi. Verissimè sanè Ægypto mundus collatus est, at vt obseruat Petrus Cellensis l. de panibus c. 4. *in fine.* [In Ægypto, nec nominatur azyma: totum fermentatur, totum corrumpitur. Melior dicitur, qui corruptior. *Coinquinatis, & infidelibus, nihil mundum* (vt ait Apostolus,) *sed polluta sunt eorum mens & conscientia.* Etiam quiescens Ægyptius ab operatione exteriori, iuxta quod dicit Salomon: *manus in manu, non erit innocens malus:* dum non animaduertit, fermentatur. Sicut pasta, non solùm cum ei admiscetur fermentum, fermentatur; sed multò magis cum à commixtione cessat, qui commiscuit, & ipsa pasta benè cooperta, quasi quiescens obdormit. Sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquanto tempore (fortè, quia deest occasio) à malo opere cessare, eo tamen quasi acriùs seuit in corde, quo non transit in opere. Vnde Oseas. *Paululum ciuitas quiescit à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum:* quasi diceret; vt studiosius cogitatum perpetret malum; callidius pro tempore trahit manum.] Si qui malo in speciem temperant, non sunt à mali fermento immunes, quantum erit orbis fermentum, quámque verè fas erit dicere, *corrupti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

LIBER

LIBER TERTIVS
DE
DIVINO CONSILIO,

In Ænigmatis propositi, siue compositi hactenus pertractati machinatione; Déque eiusdem ad lucem existentiæ educendi viâ, & modo.

Tractatio Scholastica, Emblematis sacris, & Allegorijs exornata.

1. QVÆ hactenus circa ænigma diuinitùs propositum sunt disputata, spectant ad eius essentiam, & quidditatem. Nunc quæ ad eius existentiam pertinent, considerandа sunt: non quidem probando hoc ænigma existere, quod initio Operis monstrauimus esse præsupponendum, sed per quas causas extrinsecas extiterit, exponendo. Causas porrò existentiæ, eas dumtaxat habeo, quæ externæ sunt; nam internæ Christi causæ, ad physicam eius essentiam, & compactionem substantialem essentialem pertinent; ideóque simul cum quidditate sunt expositæ. Externæ verò causæ quibus res essentialiter aliunde constituta, ad lucem existentiæ educitur, binæ sunt; nempe finis, & efficiens: quarum indiuiduum nexum & ordinem, ex physicis rudimentis omnes supponunt talem esse, vt tametsi finis sit assecutus vltimus, intentione tamen sit primus. Mouet enim & sollicitat agens vt ad effectionem veniat. Quare agemus de Christi fine primo loco: Tum de causa Christi efficiente disputabimus.

SECTIO I.

De Christi fine, causarum existentiæ eius, prima.

IN tractatione de Christi fine, quædam sunt certa, & extra controuersiam; vt Christum ad redemptionem nostram venisse, & existentiam accepisse, quod nemo diffitetur. Itemque eius satisfactionem pro nobis, plenam atque perfectam fuisse. Hæc statuenda inprimis erunt, & illustranda. Quam tamen reipsa fuerit ad finem illum necessaria Christi existentia; & an hic fuerit vnicus Christi finis, respectu decreti quo Christus de facto accepit esse; & an excluso illo fine redemptionis humanæ, Christus ex alio fine extiturus fuisset per aliud Diuinum decretum, tunc interponendum, in controuersia est: & idcircò ad ista gradus posteà fiet, expositis primis illis, quæ rata esse ac certa dixi.

CAPVT I.

Christum venisse propter nos homines, & propter nostram salutem, extra controuersiam est.

2. REcolendum est quod ex fidei doctrina alibi stabilita habemus; nempè, primum hominem à Deo conditum, ex statu collatæ sibi sanctificantis gratiæ, instigante dæmone, Deo autem ob altissimas causas permittente, decidisse vetè peccantem ex arbitrio suo. Quæ enim rabies Theodorum Mopsuestenum corripuit, vt diceret referente Leontio lib. 3. contra Nestor. & Eutych. cap. 23. [Fictum esse peccatum Adæ, idque Deo Autore, vt iudicium iniquissimum in Adam, qui non peccasset, sed per calumniam damnatus fuisset; & exilium ei decretum, iusta & probabilis causa redimendi mundum fierent.] Hæc si verè effutijt Theodorus, næ ille plusquam Maniacus fuit. Quot enim errores, & Athæismi in paucis his verbis addensantur.

Homo peccauit, & Deo iniurius fuit, post Angelum.

Verè ergo peccauit Adam, malè æmulatus Angelos prævaricatores, & ipsos ante eum infeliciter prolapsos: & cum esset totius humani generis caput, omnes posteros suos eodem crimine inquinauit; quatenus violato per primum illum hominem pacto, quod cum Deo iniuerat, parendi diuinæ legi, tota posteritas quæ illo perstante gratiam in ortu suo consecuturа erat, nascitur Deo inimica: nec tantùm expers gratiæ, sed etiam obnoxia æternæ damnationi. Quam generis nostri cladem, omnipotentissima Dei bonitas, (vt loquitur D. Aug. l. de corrept. & gratia cap. 10.) præcognitam non inhibuit, consultius arbitrata de malis bona

na

na facere, quàm mala esse non sinere. Huic generali naturæ humanæ excidio, accesserunt singulares adultorum casus, quibus actualiter peccando, cumulum primitiuæ impietatis auctiorem nouis accessionibus fecerunt, & quod ex varijs capitibus ponderat S. Chrysost. hom. 9. in 1. Cor. grauiùs Adamo peccarunt, & parentali labe iam abstersa, fecerunt se denuò gehennæ filios, decoquentes iteratò substantiam quæ eis à Patre obtigerat, omnique se iure ad gratiam quamcunque, etiam actualem, & ad gloriam spoliantes, violato per summam iniustitiam eo iure quod Deus summum in nos obtinet.

Esse porrò peccatum quodcunque actuale, veram Dei iniuriam, atque adeò veram iniustitiam continere, probatum est in morali dist. 4. num. 239. & n. 406. Itémque lib. 4. de virtut. n. 353. Præclarè idem confirmat Richardus Victorinus lib. de potest. ligandi & soluendi cap. 23. Nec quæ in contrarium profert Vasques 3. p. d. 2. n. 22. sunt reuera magni momenti.

Negat enim Deum posse à nobis pati iniuriam contra iustitiam quantumuis peccemus, quia Deum nulla in re lædere possumus, cum nihil ei emolumenti è creaturis proueniat, atque adeò neque damnum ab ijsdem prouenire ei possit: alioqui in omni peccato esset duplex malitia, nempè, vna contra peculiarem aliquam virtutem, alia contra Deum. Hæc dixi, non esse magni momenti: quia Deus in honore suo, quod est bonum eius extrinsecum, violari à nobis, ac lædi potest, & verè læditur, saltem materialiter, quoties peccamus: tametsi ea iniustitia & malitia, quia est transcendens, & per omnia peccata vagatur non solet expresè memorari, sed supponi: vt in simili seruari videmus circa gradus rerum transcendentales. Sed de his plura loco notato. Hic enim ea diuini iuris violatio, Deique aduersus hominem exasperatio, non probanda sed supponenda est; passimque eam sonant Scripturæ, & Patres inculcant, aperientes hominis malignitatem in Deum peccatis prædictam, & consecutam inde cladem nostram ab exacerbato Deo.

Obiectus est in æternum Angelus, tametsi erat reparabilis.

3. Non continuit tamen Deus in ira sua misericordias suas; sed hominem è misero illo statu erigere, & in gratiam suam denuò admittere, misericorditer statuit, non semel tantùm, sed quoties labi contingeret. Quod beneficium restitutionis in integrum, negauit Angelis. Explodit enim Catholica Ecclesia Origenis fatuitatem, plenè reiectam à Theophilo Alex. epist. 2. Pasch. affirmantis Christum pro dæmonibus passum. Neque sanè Verbum Dei inter Angelos, habitu inuentum est vt Angelus, etiamsi ita pronunciet Origenes hom. 8. in Genes. quinimò vt disertè habet Apostolus, Deus Angelos non apprehendit, quamuis & ipsi reparabiles erant, si Deo libuisset. Quod enim S. Anselmus l. 1. cur Deus homo cap. 16. & iterum lib. 2. c. 21. affirmare videtur, Angelos lapsos non potuisse à Deo redimi; non aliud probat quàm quod defuerit naturæ Angelicæ congruitas illa ob quam humana natura lapsa potuit reparari; quamuis si ita visum Deo fuisset, non defuissent rationes idoneæ quibus induci posset ad id præstandum.

Id verò dumtaxat, & nihil prætereà ex discursu D. Anselmi haberi, perspicuum erit illum expendenti. Sic enim habet. [Diaboli reconciliationem, impossibilem intelliges, si diligenter humanam consideres. Sicut enim homo non potuit reconciliari, nisi per hominem Deum, qui mori posset, per cuius iustitiam Deo restitueretur, quod per peccatum hominis perdiderat: Ita Angeli damnati, non possunt saluari, nisi per Angelum Domini, qui mori possit, & qui per iustitiam suam Deo reparet, quod aliorum peccata abstulerunt. Et sicut homo, per alium hominem, qui non eiusdem generis, quamuis eiusdem esset naturæ non debuit reiuuari: Ita nullus Angelus per alium saluari debuit, quamuis omnes sint vnius naturæ, quoniam non sunt eiusdem generis, sicut homines. Non enim sic sunt omnes Angeli de vno Angelo, quemadmodùm omnes homines de vno homine. Hoc quoque remouet eorum restaurationem: quia sicut ceciderunt nullo alio suadente vt caderent; ita nullo alio adiuuante resurgere debent, quod est illis impossibile: aliter enim in dignitatem, quam habituri erant, non possunt restitui, quoniam sine alio auxilio per potestatem suam, quam acceperant, stetissent in veritate, si non peccassent.]

4. Prima ratio his verbis contenta, non multum vrget. Tum quia parum omninò refert ad congruam redemptionem Angelorum per vnum Angelum, quod non sint omnes sati ex eodem parente; cum satis superque esse videatur, quod omnes sint vnius naturæ: tum quia Angeli per hominem Deum redimi potuerunt, cum pretium à Christo exhibitum, fuerit de facto tam superabundans, vt & ad hominem & ad Angelorum reparationem potuerit esse sufficientissimum, vt eodem capite posteà admittit S. Anselmus. Posterior ratio verbis adductis expressa, imprimis non vrget de Angelis reprobis inferioribus. Omnes enim lapsi sunt instigante Lucifero, vt suppono. Et quamuis omnes suapte sola improbitate, nemine suadente cecidissent, vt Lucifero accidit; tamen non sequitur, si ceciderunt per seipsos, debere etiam per se resurgere. Vt enim sæpè ait D. Augustinus quisq; ad lapsum & ruinam sufficit sibi, non autem ad resurrectionem vel curationem. Nam etiam nos pleraque peccata admittimus non suadente diabolo, à quibus tamen liberari per nos ipsos nequimus. Illud item in ea secunda ratione obscurum est, quod dicantur Angeli si non peccassent, perstituri fuisse in veritate & sanctitate, per potestatem suam quam acceperant, absque auxilio extrinseco. Si enim id intelligatur cum exclusione auxiliorum gratiæ est apertè falsum. Itaque sensus esse debet Angelos admissis auxilijs, iisque comprehensis in potestate quam acceperant, fuisse perstituros absque auxilio externi cuiuscumque Mediatoris, non tamen absque ope Dei gratuito fulcientis naturalem creaturæ cuiuscumque infirmitatem.

Congruentius fuit hominem reparari quàm Angelum, & quare.

5. Manifestum ergo videtur, ex toto D. Anselmi discursu aliud non haberi, quàm quod dixi; Nempè, defuisse Angelicæ naturæ congruitates illas quæ propositæ sunt ex parte naturæ humanæ & aliam quam adhibet Autor libri primi de mirab. sacræ Script. cap. 2. *in fine*. Eámque præsertim quæ adhibetur à Cassiano collat. 4. cap. 14. & ab Isidoro lib. 1. de summo bono c. 12. sent. 10. & 11. Pulchrè item sed paulò longiùs à Iobio apud Photium Cod. 222. cap. 40. & 41. Breuiùs & benè à S. Gregorio l. 4. mor. cap. 8. & 9. verbis illis. [Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cùm voluit per Incarnationis suæ mysterium, etiam perdita bona reparauit. Duas verò ad intelligendum se, creaturas fecerat, Angelicam videlicet & humanam: vtramque verò superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestauit. Angelus námque solummodò spiritus, homo verò & spiritus est, & caro. Misertus ergo Creator vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ, ex infirmitate aliquid constat habuisse; & eo amplius debuit

debuit apostatam Angelum repellere, quo cùm à perstiendi fortitudine cotruit, nihil infirmum ex carne gestauit. Vnde & rectè Psalmista cum misertum Redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit: *Et memoratus est quia caro sunt.* Ac si diceret: Quo eorum infirma vidit, eo districtè culpas punire noluit.]

Addit & alteram rationem iam ex D.Anselmo tactam,& à D.Bernardo serm.1. de Aduentu his verbis expressam. [Quem supplantauit aliena malitia, prodesse ei potest caritas aliena.] S. quoque Paulinus epistola4. inde petit huius rei rationem sic scribens. [Quomodò cecidit Lucifer, qui manè oriebatur? sed non sicut ille, in æternum interitum damnati sumus: quia ille Autor peccati fuit,simúlque pro se & pro homine punietur, qui eodem perijt scelere, quo perdidit. Homo autem non in finem meruit exterminari paradiso, & terra esse, quia diuina iustitia leuius iudicauit, aliena mente peccasse, quàm propria. Criminosius est decipere,quàm decipi: & peccatum excogitare, quàm facere. Et ideò temporaliter & ad emendationem punitus est frandis assensor; in æternum autem supplicium destinatus mortis inuentor. Cui nunquam deficiet pœna peccati,quia nunquam desinit.] Hanc igitur rationem adhibuit quoque S.Gregorius. Quamquam eius verba alium quoque sensum ferunt; nempe quod Angelus sua sola,non sicut homo aliena iniquitate,impulsus cecidit; hoc est & satanæ impellentis, & Adæ; ob cuius peccatum exutus est originali gratia, & permissus ferociæ ingeniti fomitis. Quæ ratio egregiè quoque proponitur à Gaufrido Vindoc. serm.1. de natali Dom. & eam etiam reddit D.Aug.c.29. Enchir. & reuoluitur in priorem ex D.Gregorio propositam. Omnes hæ congruitates idoneæ sunt.

6. Inde tamen non sequitur, naturam Angelicam non fuisse reparabilem,si Deo placuisset,sicut Deo placuit hominem reparare. Ex quo S.Chrysost hom.3. in epist Ephes.*initio morale*, colligit quàto homo obstrictior sit Deo præ Angelis,qui non sunt apprehensi,nec retracti à barathro in quod erant prolapsi. [Hoc exemplo(inquit) nos Angelis oportet esse meliores, & Archangelis maiores, vt qui ijs omnibus simus honore præpositi. *Non Angelos apprehendit Deus*, sicut dicit scribens ad Hebræos, *sed semen Abrahæ*; non principatum, neque potestatem, neque dominationem, neque vllam aliam virtutem: sed nostram naturam apprehendit, & supra sedere fecit:Et quid dico,sedere fecit? Suum fecit vestimentum; nec id solùm, sed eius pedibus subiecit omnia. Quàm multas vis mortes ponere, & quàm multas animas? decies ne millies, & his longè plures? sed nihil dices quod sit ei æquiparandum. Duo enim fecit maxima:& ipse ad summam venit humilitatem, & hominem sustulit ad altitudinem; suo sanguine eum saluum fecit.]

Homo diuinitùs, tum exemplo & doctrina, tum iusta satisfactione reparatus.

7. Abiecto igitur in æternum Angelo, cogitauit Deus super solum hominem cogitationes pacis, & ad eum erigendum ac reparandum misit Filium suum, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Duobus autem modis salutem nostram in medio terræ ad quam descendit, operatum est Dei Verbum. Vnus modus fuit, per exemplum & doctrinam; alter per satisfactionem pro nobis. Hunc enim fuisse scopum Verbo humanitatem suscipienti proposuisse, vt nos per hominem suum erudiret atque à miseria contracta satisfaciendo liberaret, passim prædicat Scriptura, in quibus Christus nunc *Doctor iustitiæ* & *Lux mundi* dicitur, aliisq; similibus titulis exornatur, quibus eum datum esse testem iustitiæ & veritatis ma-

gistrum ad errores dedocendos palam fit: nunc verò *pretium nostrum* atque *iustitia*, *sanctificatio* quoque ac *redemptio*, nominatur; & huiusmodi alijs nominibus insignitur, quæ apertè sonant, id imprimis propositum Christo fuisse, vt Deo læso satisfaceret pro nobis, & dona gratiæ quibus amissam sanctitatē recuperaremus, suis laboribus, ac præsertim morte, generi humano promereretur. Luculenter ac plenè de his Christi aduentus motiuis differit Vega toto l.3. & 4. in Concilium. Nos breuiter aliqua distinctiùs de vtroque illo Dei scopo subijciamus,recisis plerisque huic loco non necessarijs. Ac primùm agamus de doctrina quæ cum ab ipso Deo per Christi fabricam exhibita est nobis, tum de ea quæ exhibita est per Christum ipsum iam fabricatum, & nobiscum versantem.

Quæ Deus hominem, fabricans Christum, docuerit. Ac primùm virtutes variæ.

8. Immensam siluam eorum quæ Deus Christum fabricando, mutu (vt sic dicam,) sed potentissima eruditionis ratione nos docuit, collegerunt varij Patres, præsertim Nyssenus in orat Catecht. à cap.14. ad 29. Damasc.3. de fide cap.1, & alij deflorandi lib.5. cùm explicabimus qua ratione Christus sit Dei facies, vbi ex Patribus demonstrabimus, attributa Dei eximiè in Christo splēdescere, & Deū in Christo exhibuisse nobis quanta sit sapientia, misericordia,charitate, iustitia, potentia. Nunc alia quædam considerēmus, illáque imprimis quæ D.Augustinus lib.13.de Trinit.cap.17. annotauit. Considerauerat ibi S.D. multos & insignes fructus, ex Verbi Dei Incarnatione derivatos, in genus nostrum. Tum subdit. [Sunt & alia multa quæ in Christi Incarnatione, quæ superbis displicet, salubriter intuenda atque cogitanda sunt. Quorum est vnum, quod demonstratum est homini, quem locum haberet in rebus quas condidit Deus: quandoquidem sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona,ac per hoc iam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne: vt superbi illi maligni spiritus, qui se ad decipiendum quasi ad adiuuandum medios interponunt, non ideò se audeant homini præponere, quia non habent carnem: & maximè quia & mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideò illi tanquam Deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales. Deinde vt gratia Dei in nobis sine vllis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur: quia nec ipsa tanta vnitate Deo vero coniunctus, vna cum illo persona, id est ipse homo assumptus, mox vt homo etiam Deus. Filius viueret, vllis est præcedentibus meritis assecutus. Sed ex quo homo esse, cœpit, ex illo est & Deus: Vnde dictum est, *Verbum caro factum est.* Etiam illud est, vt superbia hominis,quæ maximè impedimento est ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem & redargui posset, atque sanari: discatque homo quàm longè recesserit à Deo, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit, qui hominibus & Deus Diuinitate subuenit, & homo infirmitate cōuenit. Quod autem maius obedientiæ nobis præberetur exemplum, qui per inobedientiam perieramus, quàm Deo Patri Deus Filius obediens vsque ad mortem crucis? Quod præmium tantæ obedientiæ vbi ostenderetur melius, quàm in carne tanti Mediatoris, quæ ad vitam resurrexit æternam? Pertinebat etiam ad iustitiam bonitatémque Creatoris, vt per eandem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat;& de ipso genere venientem, quod genus origine vitiata per vnum tenebat vniuersum.]

Deinde quanti se homo facere debeat.

9. Iuxta eundem D.Augustinum l.de vera Relig. cap.16. docuit nos Deus per hoc mysteriū quanti nos

facere debeamus. [Deus (inquit) nullo modo beneficentiùs consuluit generi humano,quàm cum ipsa Sapientia Dei, id est, vnicus Filius consubstantialis Patri & coæternus,totum hominẽ suscipere dignatus est, & Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis. Ita enim demonstrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura,quod non solùm visibiliter, (nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato,) sed etiam hominibus in vero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda. Et ne quis fortè sexus à suo creatore se contemptum putaret, virum suscepit natus ex femina. Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo. Veteri quippe seruitute transacta, tempus libertatis illuxerat, & opportunè iam homini suadebatur atque salubriter, quàm libero esset creatus arbitrio.]

Eadem cogitatio ex hoc mysterio, alios item Patres occupauit, quorum aliquos ad tam suauis considerationis suauiationem iuuat appendere.S.Macarius hom. 15. [Respice dignitatem tuam, quàm sis pretiosus; quod te superiorem Angelis fecerit Deus, quando vel ipse ad te redimendum legatione tua perfunctus, in terris se præsentem exhibuit. Quando enim Angeli ad te saluandum venerunt?Rex siquidem filius regis consilium iniit cum patre suo, missúmque est Verbum,ac carnem induit, atque occulta sua ipsius Diuinitate, vt per simile, simile seruaretur, animam suam Cruci imponi passus est. Tanta erat dilectio erga hominem! Immortalis qui erat, elegit tui causa Cruci affigi? Perpende ergo, quàm ardenter Deus dilexerit mundum, vt vnigenitum Filium suum daret pro eo; qui fieri potest,vt non & cum eodem,omnia nobis donet?]

10. S.Bernardus hom.1.de Aduentu. [Ad quærendam ouem centesimam, quæ errauerat de montibus properauit: vt confiteantur manifestiùs Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio; magna dignitas hominis sic quæsiti.In qua si gloriari voluerit, non erit insipiens; non quod aliquid esse videatur tanquam à seipso, sed quod tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim diuitiæ,omnis gloria mundi,& quicquid in eo conspicitur,minus est ad hanc gloriam:imò nec est aliquid in comparatione eius, Domine quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?]Et serm.3.de Circumc. [Habent Angeli gloriam puram & perfectam: sed nec nos erimus sine gloria. Videmus gloriam eius,gloriam quasi vnigeniti à Patre: gloriam misericordiæ, & affectus veri paterni: gloriam procedentis ex corde Patris, & paterna planè viscera exhibentis: *Omnes enim peccauerunt*, (ait Apostolus) *& egent gloria Dei.* Et alio loco: *Mihi*, (inquit,) *absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quid enim nobis glorioſius, quàm quod tanti æstimauit nos Deus?Quæve maior illi gloria, quàm tanta dignatio, & tanta benignitas; eò vtique dulcissima, quò tam gratuita.? Nam pro impijs mortuus est. Videtis quantum fecit, & pro qualibus. Pro qualibus vt non superbiamus: quantum, ne desperemus. Propterea vt inueniamini non spiritum habere huius mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, & sciatis quæ à Deo donata sunt nobis.]

Richardus Victor.lib.1. de Eman.c.13. [Magnum sanè signum & mirabile Sacramentum,Filium Dei fieri filium hominis: Dominum maiestatis, participem fieri nostræ infirmitatis. Quis ergo diffidat, imò quis meritò non præsumat, hominem per Deum participem posse, & debere fieri Diuinitatis, si Deus propter homines factus est particeps nostræ humanitatis? Alioqui gratis Christus semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,& habitu inuentus vt homo.Nunc igitur si Deus propter homines factus est filius hominis per natiuitatem; cur non multò magis homo per Deum, fiat Filius Dei per adoptionem? Ecce quomodò dignatio illa diuinæ humiliationis,data sit in signum futuræ nostræ exaltationis.

Item quo loco sit apud Deum.

11. Affine est quod S.Aug.lib.13.de Trinit.c.10. docet, voluisse Deum per hoc mysterium excitare nos ad agnoscendum quàm ei cordi sint res nostræ; nec esse quod præ tanta nostra abiectione, cadamus animis, sic enim scribit: [Quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentésque mortalium conditione ipsius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quàm vt demonstraretur nobis,quanti nos penderet Deus, quantúmque diligeret? Quid verò huius rei tanto isto indicio manifestius atque præclarius, quàm vt Dei filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, & à nobis & pro nobis accipiens quod non erat, præter diuinæ suæ naturæ detrimentum,nostrum dignatus est accipere consortium, priùs sine vllo malo suo merito mala nostra perferret; ac sic iam credentibus quantum nos diligat Deus, & quod desperabamus iam sperantibus, dona in nos sua sine vllis bonis meritis nostris, indebita largitate conferret, quia & ea, quæ dicuntur merita nostra, dona sunt eius?] Egregiè in eandem sententiam disserit l.4. eiusdem operis cap.1.& 2.& lib.de agon.Christ.c.11. [Erigat spem suam genus humanum, & recognoscat naturam suam, & videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vos ipsos contemnere viri; Filius Dei virum suscepit. Nolite vos ipsas contemnere fœminæ, Filius Dei natus ex fœmina est.]

Ac denique vt tumorem poneret homo exinanito Deo.

12. Quia verò iuxta præclaram Petri Damiani considerationem, solet Deus ima summis consociare,sicut excelsitatem nostram ex hoc mysterio docere nos voluit, ita & depressionem. Notauit hoc præclarè Aug. serm.21.de temp. [Quas laudes, (inquit,) charitati Dei dicamus, quas gratias agamus, qui nos ita dilexit, vt propter nos fieret in tempore, per quem facta sunt tempora, & multis seruis suis in mundo minor esset ætate, ipso mundo antiquior sine vetustate? Homo fieret, qui hominem fecit: crearetur ex matre, quam creauit; portaretur manibus, quas formauit; sugeret vbera, quæ impleuit: in præsepi muta vagiret infantia, Verbum sine quo muta est humana eloquentia? Vide homo quid pro te factus est Deus; doctrinam tandem humilitatis agnosce, etiam nondum loquente Doctore. Tu quondam in Paradiso tam facundus fuisti,vt omni animæ viuæ nomina imponeres:propter te autem creator tuus infans iacebat, & nomine suo nec matrem vocabat. Tu in latissimo fructuosorum nemorum prædio, te perdidisti obedientiam negligendo; ille obediens in angustissimum diuersorium mortalis venit, vt mortuum quæreret moriendo. Tu cum esses homo, Deus esse voluisti, vt perires: ille cùm esset Deus, homo esse voluit, vt quod perierat inueniret: Tantum te pressit humana superbia, vt te non posset subleuare nisi diuina gratia.]Et serm.22.[Oportebat, vt pronunciaretur venturus, facturus miracula; quibus miraculis benè intelligentibus appareret homo paruus ad paruos, sed humilis ad superbos. Paruitatem suam docens hominem, vt se agnosceret & paruum, ne non grandescendo, se crederet magnum. Est enim superbia, non magnitudo sed tumor. Quod autem tumet,videtur magnum, sed non est sanum. Vt autem

autem generis humani istum tumorem sanaret ipse medicos, ipsa medicina, non solùm medicamentum adhibens, apparuit inter homines homo, offerens hominem videntibus, Deum feruans credentibus, aspectus enim humilitatis eius, sanauit infirmos.] Et infrà. [Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur in homine, & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. Aliquid te magnum credere debes. Sed quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, eadem sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam inter homines creari, quò pertinet illud: *Dominus creauit me principio viarum suarum*: Est enim eius principii, cuius est Ecclesiæ, quod est Christus. Hominem per quem vinendi exemplū nobis daretur, hoc est, via certa, qua perueniremus ad Deum. Non enim redire potuimus, nisi humiliatæ qui superbia lapsi sumus, sicut dictū est primæ nostræ creaturæ: *Eritis sicut Dij.* Huius igitur humilitatis exemplum, id est, viæ quærendum fuit. Ipse Reparator noster, in seipso demonstrare dignatus est, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanuit formam serui accipiens, vt crearetur homo in principio viarum eius, Verbum per quod creata sunt omnia.]

Rursus serm. 74. [Erat vnde extolleretur gens Iudea, & per ipsam superbiā factum est, vt Christo nollet humilitati Autori humilitatis, repressori tumoris, mediator Deo; qui propter hoc cùm Deus esset, homo factus est, vt se homo homini cognosceret. Magna medicina. Hac medicina, si superbiam non curat, quid eam curet nesco. Deus est, & fit homo: seponit Diuinitatem, id est, quodammodò sequestrat; hoc est, occultat quod suum erat, quod appareret acceperat, fit ille homo cùm sit Deus, & non se agnoscit homo hominem, id est, non se mortalem agnoscit, non se agnoscit fragilem, non se agnoscit ægrotum, vt quærat vel ægrotus medicum, sed quod est periculosius, sanus sibi videtur.]

Christus item per seipsum docere nos venit, & quàm ad id aptus.

13. Satis de illis quæ Deus ex hoc mysterio per seipsum docere nos voluit. Nunc progrediendum est ad ea, quæ Christus ipse iam conditus & inter nos diuersans, verbo ac exemplo nos docuit. Venisse enim Christum vt nos doceret vtilia verbo & exemplo, flammásque in nobis diuini amoris excitaret, & gelu pectoris solueret, communis est Patrum doctrina ex Scripturis hausta, & fusè illustranda, agendo de Christo Magistro atque Doctore. Nunc aliqua duntaxat libabimus. Non defuerunt igitur ex Ethnicis, vt Lactantius refert lib. 4. instit. c. 22. qui negarent esse Deo dignū, vt homo fieri vellet ad docendos homines, [quasi nō facile illi esset, vt citra corporis imbecillitatem se hominibus ostenderet, eósque iustitiam doceret, (si quidem id volebat,) maiore autoritate, (vt aiebant) professi Dei. Tunc enim cunctos fuisse præceptis cœlestibus parituros, si ad ea virtus ac pietas Dei præcipientis accederet. Cur igitur aiebant, ad docendos homines non vt Deus venit?] Hanc obiectionem vt dissoluat Lactantius, mōstrátque longè conuenientius fuisse, vt Doctor iustitiæ Deus, humana specie inter nos versaretur, assumit c. 23. latéque confirmat, eū qui idoneus Doctor disciplinæ moralis cuiusmodi est Christiana, & sit & habeatur, debere ipsummet præstare quæ docet; alioqui elumbem & enervem fore disciplinam. [Homines enim malunt exempla quàm verba; quia loqui facile est, præstare difficile.] Stabilini latè hoc principium in prologo moralis disciplinæ à n. 49. iacto hoc fundamento, Lactantius, quia Doctorem de cœlo missum constat non potuisse esse non perfectissimum, confirmat c. 24. Doctorem hominum vt perfectus sit, hominem essr oportere, eò quòd alioqui homines excusaturi sint excusationes in peccatis; & causaturi mirū non esse, si spiritus nudus qui corpore liber est, non laboret circa virtutis opera, sicut nos prægrauante mortali hac sarcina laboramus. Hæc & alia, quæ prætexti possent ab indocili auditore aduersus Magistrum incorporalem cœlestis disciplinæ, prosequitur fusè eo c. Lactantius, quod obsignat hac clausula. [Liquidò ergo apparet, eum qui vitæ dux, & iustitiæ sit Magister, corporalem esse oportere, nec aliter fieri posse vt sit illius plena & perfecta doctrina, nisi habeat radicem ac fundamentum, stabilisque apud homines ac fixa permaneat, ipsum autem subire carnis & corporis imbecillitatem, virtutémque in se recipere cuius Doctor est, vt eam simul & verbis doceat & factis: item subiectum esse morti, & passionibus cunctis, quoniā & in passione toleranda, & in morte subeunda, virtutis officia versantur, quæ omnia (vt dixi,) cōsummatus Doctor perferre debet, vt doceat posse perferri.]

14. Quia egregiè omnino in hanc rē disserit Guigo Cartusianus S. Bernardi peramicus, medit. c. 20. placet aliquid ex eo delibare. [Has virtutes (inquit) seu iustitiæ lineas, etiā nunc in hac mortali vita, si valdè munda esset anima, per semetipsam in ipsa veritate atque sapientia Dei videret. Videret etiā non solùm se, id est, animam humanam immortalem atque æternam fore; sed etiam carnem suam talem in resurrectione futuram. Nam & eandem resurrectionem ibidem, id est, in Dei Verbo & sapientia, clarè conspiceret. Sed quia hæc non poterat propter immunditiem suam, addita est Verbo mens humana, quæ ipsum Dei Verbum plenissimè susciperet, eique omninò conformis atque consimilis, eóque sola tota & ex toto impressa, sicut scriptū est: *Pone me sicut signaculū super cor tuum.* In cuius vtique similitudinē tota redacta, sicut ad sigilli similitudinem cera redigitur, ipsum nobis in seipsa videndum sciendúmque exhiberet. Sed nos ita cœci eramus, vt nō solùm Dei Verbum, sed nec humanam animam videre possemus. Idcirco additū est etiam corpus humanum. Pone enim hæc tria, Dei Verbum, humanam mentem, corpus humanum. Si primum benè videre possemus, non indigeremus secundo. Quod si saltem secundum videremus, non indigeremus tertio. Sed quia nec primum, nec secundum, id est, nec Dei Verbum, nec humanam mentem videre poteramus, additum est tertiū, id est, corpus humanum. Atque ita Verbum caro factum est, & habitauit nobiscum in exterioribus nostris: vt vel sic, nos introduceret aliquando ad interiora sua.] Et inferiùs. [Non Sacramentis, non verbis, non exemplis; sed Dei tantum modò Verbi præsentia est docta, vt intelligeret, & accensa vt amaret. Per eam nobis ipsum Dei Verbum & sapientia tripliciter, id est, Sacramentis, verbis, & exemplis, quid agendum, quid tolerandum, & per quid esset ostendit; Non enim homo sequi debebat nisi Deum; nec poterat, nisi hominem. Assumptus est igitur homo; vt dum sequitur quem potest, sequatur & quem debet. Item non proderat conformari nisi Deo, ad cuius imaginem factus est; nec poterat nisi homini: Itaque Deus factus est homo; vt dum conformatur homini cui potest, conformetur & Deo, cui prodest.]

Quæ sint vtilia illa, quæ Christus per seipsum nos docuit.

15. Ex dictis patet, Christum accommodatissimum fuisse ad nos docendos viā iustitiæ verbo & exemplo; quem aiebam vnū fuisse ex finibus aduentus eius: cui item vt magis inseruiret, nō elegit vitam eremiticā, sed communem, vt D. Thomas 3. p. q. 40. art. 1. rectè considerauit, & ibidem fusè expendit Suarez d. 28. s. 1. Quàm verò non fuerit sola ad docendum idoneitate contentus, sed eam exprompserit, reduxerítque ad actum exhibitione doctrinæ cœlestis, cùm speculatiuæ

tum practicæ, huiúsque per exempla à se edita, firmatione ; vix est quod exponam, cum vniuersæ Scripturæ noui præsertim instrumenti id perspicuè ferant, & passim SS. Patres in hanc rem contulerint operam. [Venit Dominus (inquit S. Bernardus serm. 3. de Circumc.) propter nos non solùm redimendos sanguinis effusione, sed & docendos verbis, & exemplis nihilominùs instruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam scire, si detineretur in carcere ; ita redimi non prodesset, si viæ ignaros qui primus inueniret, primus reduceret in carcerem retrudendos. Itaque in maiore quidem ætate, patientiæ & humilitatis, & super omnia charitatis cæteratúmque virtutum manifesta dedit Saluator exempla ; in infantia verò figuris velata.]

16. Plenius ac distinctiùs S. Aug. l. de agone Christ. cap. 11. relatis ijs qui improbabant Verbi Dei in carne ad nos aduentum, eò quòd ea videretur Dei depressio & abiectio nimia, quantum nobis ad doctrinam & profectum in omni sanctitate ea Filij demissio contulerit, editis tam illustribus omnis virtutis exemplis, ita exponit. [Non intelligunt quid sit æternitas Dei, quæ hominẽ assumpsit ; & quid ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem reuocabatur, vt disceremus, docente ipso Domino, infirmitates quas peccando collegimus, rectè faciendo posse sanari. Ostendebatur enim nobis ad quam fragilitatem homo sua culpa peruenerit, & ex qua fragilitate diuino auxilio liberaretur. Itaque Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari: nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filij Dei non sanatur ? Quæ auaritia sanari potest, si paupertate Filij Dei non sanatur ? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filij Dei non sanatur ? Quæ impietas sanari potest, si caritate Filij Dei non sanatur ? Postremo quæ timiditas sanari potest, si resurrectione corporis non sanatur.] Et inferiùs magis ac magis illustrans fructum exemplorum Filij Dei ad infigendum peccati odium, & animandum ad omne bonum morale, omnémque virtutem. [Quem dignatur imitari, vitiosa iactantia, vt ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum de quo dictum est antequàm nasceretur, quod Filius altissimi vocaretur. & per omnes iam gentes (quod negare nemo potest) Filius Altissimi vocatur ? si multum de nobis sentimus, dignemur imitari eum qui Filius Altissimi vocatur. Si parum de nobis sentimus, audeamus imitari piscatores & publicanos qui eum imitati sunt. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia deprauata corrigentem ! Quis iam se extollet contra Filium Dei ? Quis de se desperet, pro quo tam humilis voluit esse Filius Dei ? Quis beatam vitam esse arbitretur in ijs quæ contemnenda esse docuit Filius Dei ? Quibus aduersitatibus cedat, qui naturam hominis à tantis persecutionibus custoditam credit in Filio Dei ? Quis sibi esse clausum regnum cœlorum putet, qui cognoscit publicanos & meretrices, imitatores esse Filij Dei ? Qua peruersitate non careat, qui facta & dicta intuetur & diligit sectator illius hominis, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei ?]

17. Præsertim verò artem amandi sui, ipsiúsque adeò Dei qua perfecti efficimur, & ad omnem beatitatem disponimur, luculentis operibus à Christo inter docendum editis, quæ omnia eo referebantur, vt hic amor incensior euaderet ; Christus in hominibus, quibus mens læua non est, inseuit, adauxitque mirum in modum : hicque doctrinæ eius, secundùm Dei gloriam, scopus primarius. [Quidquid enim (verba sunt D. Anselmi lib. de Sacram. altaris cap. 8.) Redemptor noster in carne fecit, ob hoc vtique fecit, vt amaretur à nobis: nó quod egeret ipse nostro amore, qui bonorũ nostrorum non eget, per omnia sufficiens ipse sibi, sed quia quos beatos facere susceperat, nisi eum amando, non poterant esse beati. Neque verò solummodò amore quo nos prior dilexit, sed omnimodis amoris obsequijs vt amaretur à nobis quammodò laborabat meren, infirma nostra curãdo, mortua resuscitando, ignobilia mundi eligendo, fortia eius confundendo, terrenorum odium, cœlestium amorem commendando. Ideò quippe descenderat ad nos, vt amorem nostrum in terrenis dispersum, & putrefactum beneficia pietatis exhibendo in se colligeret, & in nouitatem vitæ reformaret, & abstractum & emendatum à fæce earum rerum quæ cum ipso pariter amari non possunt, secum sursum leuaret.]

Vtraque doctrina proposita, non fuit vnicum finis aduentus Christi, contra Pelagianos & Abelardum.

18. Hæc igitur sunt vniuersè loquẽdo vtilia illa quæ Christus nos docturus venit. Ita tamen intelligendus est venisse Christus vt doceremur, siue ab ipso Deo per Christi exhibitionẽ & mirantia in mirabili hoc opere attributa Dei ; siue ab ipso Christo verbis & exemplis nos informante ; vt non hæc fuerit vnica & sola aut etiã præcipua causa aduentus Christi. Qua in parte fœdè impegerunt Pelagiani, qui Christum Doctorem tantùm agnouisse contenti, nullum præterea munus ei concesserunt, nec aliud ab eo bonum ad nos deriuatum censuerunt, quàm eruditionem atque doctrinam. Itaque Cassianus lib. 6. de Incarnatione cap. 14. sic Nestorium affatur. [Duos absque dubio Christos facis: secundum illud scilicèt Pelagianæ impietatis scelus, quæ solitarium hominem ex virgine natum asserẽs, eruditorem eũ dixit humani generis, magis quàm Redemptorẽ fuisse : quia non redemptionem vitæ hominibus, sed viuendi dederit exemplum : videlicèt, vt sequentes eum homines, dum similia agerent, ad consimilia peruenirent.] Et l. 1. c. 3. descripta propagine illa Pelagianismi, quæ Christum aiebat effectum ex puro homine Deum, affectu & gratia per merita, subiungit. [Quo factum est, vt in maiorem quoque ac monstruosiorem insaniam prorumpentes, dicerent Dominum nostrum Iesum Christum, hunc in mundum non ad præstandam humano generi redemptionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla venisse : Videlicèt, vt disciplinam eius sequentes homines, dum per eandem viam virtutis incederent, ad eadem virtutum præmia peruenirent.]

Ex eadem cœnosa Pelagij scrobe, Autor Pelagianus cuius est liber de malis Doctoribus perperàm Sixto Papæ tributus, sub medium libri, in insigniter diserta Christi ad peccatores correptione & obiurgatione ob reddita mala pro bonis, tantũ vrget illustrissima Christi exempla atque vberem doctrinam, cui peccatores non respondent. Idem delirium ex Abelardo refert S. Bernardus epist. 190. Ait enim, euiratum illum negasse hominum sub dæmone captiuitatem : ideóque consequenter negasse collatã ab ea redemptionem per Christũ, tantùm verò admisisse ttaditã nobis esse per Christum formam vitæ viuendo, & docendo ; patiendo autem & moriendo præfixam esse metã charitati nostræ.

19. Euacuari per huiusmodi placitum omne sacri aduentus donum, & omnem diuinæ redemptionis gratiam, rectè censuit Cassianus cap. illo 3. & S. Bernardus epistola citata, qui in hunc modum vrget Abelardum. [Ergo docuit Christus iustitiam, & non dedit ; ostendit charitatem, sed non infudit, & sic rediit in sua ? Iràne hoc totũ est *magnum illud pietatis Sacramentum, quod manifestatũ est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum*

tum est mundo, assumptum est in gloria?] Quasi diceret, planè recidere in nihilum quæ de tanti mysterij summis fructibus in Scripturis & Patribus sunt celebrata, si ad nudum exemplum aut doctrinam, vniuersus eius prouentus referatur. Quid verò fiet paruulis, quos non posse Christo docenti auscultare, eive se conformare ob rationis defectum, nemo non videt? An eos cum Pelagio, exortes fructuum aduentus Christi pronunciabimus? [Patet ergo, (concludam enim cum Bernardo) quantum humanæ Sacramento salutis inuideat, quantum quod in ipso est, euacuit alti dispensationem mysterij, qui totum de salute tribuit deuotioni, generationi nihil: qui nostræ gloriam redemptionis, & summam salutis non in virtute Crucis, non in pretio sanguinis, sed in nostræ constituit conuersationis profectibus. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in qua est salus, vita, & resurrectio nostra.* Et quidem tria quædam præcipua in hoc opere nostræ salutis intueor: formam humilitatis, in qua Deus semetipsum exinaniuit, charitatis mensuram, quam vsque ad mortem, & mortem Crucis extendit; redemptionis Sacramentum, quo ipsam mortem quam peruulx, sustulit. Horum duorum priora, sine vltimo sic sunt, ac si super inane pingas. Magnum profectò & valdè necessarium humilitatis, magnum & omni acceptione dignum charitatis exemplum; sed non habent fundamentum, ac proinde nec statum, si desit redemptio.]

Venit insuper ad satisfaciendum, id est merendum, & pro nobis reparandum ius Dei: atque adeò ob salutem nostram.

20. Nimirùm addendæ nobis vltra exemplum atque doctrinam fuêre vires gratiæ, quas nobis Christus ita satisfactione & meritis comparauit, placato Patre, & reparata per mortem suam ac labores in id impensos, iniuria Dei; & abolitis inde refusis in nos damnis, exitio videlicet diuinæ amicitiæ, & subductione auxiliorum ad perstandum & promouendum in sanctitate & iustitia coram Domino: quæ omnia nomine satisfactionum Christi eiúsque fructuum intelliguntur. Neque enim satisfactiones Christi, cum per eas saluati dicimur, vsurpantur nudè pro diuinæ iniuriæ reparatione per Christum; sed pro quibusvis eam reparationem consequentibus, eive adiunctis in bonum nostrum.

Hunc finem aduentus Christi prædicant vbique Scripturæ & Patres. Hoc enim est quod Ioan. 3. dicitur. *Misit Deus Filiũ in mundum, vt saluetur mundus per ipsum.* Et 1. Tim. 1. *Venit Iesus peccatores saluos facere.* Et Luc. 19. *Venit saluum facere quod perierat.* Disertè Ecclesia idem agnoscit in Symbolo Constantinopolitano verbis illis: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis.* Egregiè Nazianz. orat. 42. cũ docuisset pro summa Dei bonitate, mortis pœnam homini primo peccanti irrogatam, in misericordiam cessisse, (sic enim Deum supplicia inferre) addit; post multipliciter castigatum à Deo hominem vt malitia contereretur, cum morbus magis in dies gliscceret, & ad maiorum extrema ventum esset, Deum potentius ac validius medicamentum submisisse è cœlo. [Hoc autem erat ipse Dei Filius, ille seculis antiquior, ille inuisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa, per omnia similis imago, ille Patris terminus & ratio: Ille inquam, ad imaginem suam se confert, carnémque carnis causa gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iungitur, vt similem per simile repurget: atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidam ex virgine, animo & carne à Spiritu purgata (nam & generationem honore affici, & virginitatem præferri oportebat;) progressus autem Deus cum assumpta humanitate, vnum ex duobus inter se contrarijs, carne nimirùm & spiritu, quorum alterum Deitatem dedit, alterum accepit. O nouam & inauditam mixturam, ô admirandam temperationem! Qui est, fit: qui increatus est, creatur: qui nullo loco contineri potest, interuentu animæ intellectualis, inter Diuinitatem, carnísque crassitiem interiectæ, continetur.]

21. Quorsũ hæc diuinitùs sint edita, nec alio quàm ad suam salutem & curationem nostram pertinuisse, docent quæ continenter subijcit Theologus. [Qui alios ditat, pauper efficitur: carnis enim meæ paupertatem subit, vt ego Deitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: sua enim gloria ad breue tempus exinanitur, vt plenitudinis ipsius ego particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Diuinam imaginem accepi, nec custodiui: ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem asserat. Secundum consortium nobiscum init, & quidem priore longè admirabilius. Tum enim id quod præstãtius erat, nobis impertijt: at nunc eius, quod deteriùs est, particeps ipse fit. Hoc priori illo diuinius, hoc apud cordatos viros multò sublimius.]

Concinit egregiè S. Bernardus hom. 1. de aduentu, his verbis. [Iam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, vt maiestas tanta de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur? Planè magnum aliquid, quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est? hoc námque est, quod iuxta propositum ordinem oporteat iam perscrutari. Nec sanè laborandum est in hac parte, cum manifeste aduentus eius causam, & verba ipsius & opera clament. Ad quærendum quippe quem centesimam, quæ erraverat, de montibus properauit, & vt confiteantur manifestiùs Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, propter nos venit.] Optimè omninò serm. ad Milites Templi c. 11. Adscribo clausulam tantùm. [Christus igitur & peccata dimittere potuit, cum Deus sit: & mori, cum sit homo: & mortis moriendo soluere debitum, quia iustus: & omnibus vnus ad iustitiam vitámque sufficere: quandoquidem & peccatum & mors, ex vno in omnes processerat. Sed hoc quoque necessariò omninò prouisum est, quod dilata morte homo inter homines dignatus est aliquamdiu conuersari, quatenus crebris & veris locutionibus ad inuisibilia excitaret, miris operibus astrueret fidem, rectis moribus instrueret. Itaque in oculis hominum Deus homo, sobriè & piè conuersatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo iam defuit nobis ad salutem? Accedat & gratia remissionis peccatorum, hoc est, vt gratis peccata dimittat; & opus profectò nostræ salutis consummatum est. Non est autem metuendum, quod donandis peccatis aut potestas Deo, aut voluntas passo, & tam passo pro peccatoribus desit, si tamen solliciti inueniamur dignè, vt oportet, & imitari exempla, & venerari miracula, doctrinæ quoque non existamus increduli, & passionibus non ingrati. Itaque totum nobis de Christo valuit, totum salutiferum, totúmque necessarium fuit, nec minus profuit infirmitas quàm maiestas: quia etsi ex Deitatis potentia, peccati iugum iubendo submouit, ex carnis tamen infirmitate mortis iniuriam moriendo concussit. Vnde pulchrè ait Apostolus: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Sed & illa eius stultitia, per quam ei placuit saluum facere mundum, vt mundi confutaret sapientiam, confunderet sapientes, quod videlicet, cum in forma Dei esset, Deo æqualis, semetipsum exinaniuit, formam serui acci-

piens: quod dines cùm esset, propter nos egenus factus est; de magno paruus, de celso humilis, infirmus de potente: quod esurijt, quod sitijt, quod fatigatus est in itinere, & cætera quæ passus est voluntate, non necessitate: hæc ergo ipsius quædam stultitia, nonne fuit nobis via prudentiæ, iustitiæ forma, sanctitatis exemplum? Ob hoc item Apostolus, quod *stultum est*, (inquit,) *Dei, sapientius est hominibus.* Mors ergo à morte, via ab errore, à peccato gratia liberauit.] Optimè S.Aug.lib.1. de consensu Euang.c.vltimo, adducendus cum de Christo fidei Autore & consummatore.

Eodem recidit, quod dicitur, venisse Christum, vt homines faceret filios Dei.

22. Idem alijs verbis sonant, quæ Patres sæpè tradunt, venisse Christum vt filios hominum faceret filios Dei. Quia enim filiatio Dei adoptiua consistit in sanctificantis gratiæ adoptione; hæc autem supponit depulsas inimicitias Deum inter & hominem; propterea idem est, affirmare Christum venisse vt pro nobis satisfaceret, nostráque peccata curaret; ac affirmare, venisse vt nos ad dignitatem filiorum Dei subueheret, quod (vt dixi,) Patres sæpè tradunt. Profero nonnullos. S.Athanas. tract. de humana natura suscepta. [Ea tatione Filius Dei homo factus est, vt filij hominis, hoc est, Adæ, filij Dei efficerentur. Ipse enim in sublimi procreatus ex Deo sermo ineffabiliter, inexplicabiliter, incomprehensibiliter, æternaliter, in tempore nascitur humi, ex perpetua Deipara Virgine, vt illi, qui humi antea geniti erant, denuo in sublimi nascerentur, hoc est, ex Deo. Ipse igitur matrem dumtaxat habet in tertis, & nos dumtaxat Patrem habemus in cœlo, eaque de causa filium hominis seipsum appellat, vt homines Deum cœlestem Patrem suum appellarent. Quemadmodùm igitur nos serui Dei, filij Dei effecti sumus, ita Dominus cœlorum, filius sui serui effectus est, hoc est, Adæ. Accipiens enim mortalem hominem patrem, dedit hominibus suum Patrem immortalem, quod ex eo dicto apparet: *Dedit illis potestatem vt filij Dei essent.* Vnde quantũ ad carnem attinet, mortem etiam gustat Filius Dei, idque ob suum carnalem patrem, vt filij hominis vitæ participes efficerentur, idque per suum ipsius Patrem spiritualem. Ipse igitur ex natura Filius est Dei, nos autem ex gratia siue dono.] Et mox. [Ratio quæ est Filius Dei, vnita carni, facta est perfectus homo, vt homines vniti Spiritui, vnus Spiritus efficerentur. Ipse igitur est Deus carnigerus, & nos homines spiritigeri. Primitias enim sumens ex substantia hominum, hoc est, ex semine Adæ, in quo quidem est serui forma, & in similitudine hominis factus, dedit nobis ex substantia Dei primitias sancti Spiritus, vt omnes redderemur filij Dei in similitudine Filij Dei. Ergo ipse verus & naturalis Dei Filius, nos omnes gestat, vt nos omnes, vnum gestemus Deum.]

Nazianz. orat.1. proposita medicina spirituali: [Huic (inquit) scopus est, animæ pennas addere, ac mundo eam etipere, Deóque dare, diuinámque imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare; Christúmque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere, atque vt summatim dicam, eum qui superni agminis sit, Deum efficere, ac supernam beatitudinem ipsi comparare. Huc magistra lex tendit; huc inter Christum & legem interiecti Prophetæ; huc spiritualis legis perfector & finis Christus; huc exinanita Deitas; huc assumpta caro; huc noua illa mixtio, Deus, inquam, & homo, vnum ex vtroque, & vtrumque per vnum: Ob hanc causam Deus animæ interuentu carni iunctus est, ac res inter se disiunctæ ac dissidentes, per interpositæ rei cum vtraque earum affinitatem & cognationem, copulatæ sunt.]

23. S.Augustinus epistola 120. cap.4. [Descendit ille vt nos ascenderemus, & manens in natura sua, factus est particeps naturæ nostræ; vt nos manentes in natura nostra, efficeremur participes naturæ ipsius. Nõ tamen fic: Nã illũ naturæ nostræ participatio non fecit deteriorem: nos autem facit naturæ illius participatio meliores.] Et mox, notat Apostolum ad Gal.4. cum dixisset misisse Deum Filium suum, subiunxisse missionis causam, nempè, vt adoptionem filiorum reciperemus. [Vt videlicet gratiam beneficij, discerneret ab illa filij natura, qui missus est Filius, non per adoptionem factus, sed semper genitus Filius; vt participata natura filiorum hominum, ad participandam suam naturam adoptaret filios hominum. Quaptopter etiam cum dixisset: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, modúmque adiunxisset, ne carnalis intelligeretur natiuitas, quod scilicet eis præstiterat, ijs qui credunt in nomine eius, & per gratiam renascuntur spiritalem, non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo; mox commendauit quasi huius vicissitudinis Sacramentum. Tanquam enim mirati tantum bonum non auderemus optare, statim subiunxit. *Et Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis.* Tanquam diceret: ô homines nolite desperare vos fieri posse filios Dei, quia & ipse Filius Dei, hoc est, Verbum Dei, caro factum est, & habitauit in nobis. Reddite vicem, efficimini spiritus & habitate in illo qui caro factus est, & habitauit in vobis. Neque enim iam desperandum est, participatione Verbi fieri posse homines filios Dei, quando Filius Dei, participatione carnis, factus est filius hominis.] Et lib.21. Ciuit. cap.15. [*Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*, sed gratia, non natura. Vnicus enim natura Dei Filius, propter nos misericordiâ factus est filius hominis, vt nos natura filij hominis, filij Dei per illum gratia fieremus. Manens quippe immutabilis, naturam nostram in qua nos suscipiceret, suscepit à nobis; & tenax Diuinitatis suæ, nostræ infirmitatis particeps factus est, vt nos in melius commutati, quòd peccatores mortalésque sumus, eius immortalitatis & iustitiæ participatione amittamus; & quod in natura nostra bonum fecit, impleti summo bono in eius naturæ bonitatem seruemus. Sicut enim per vnum hominem peccantem, in hoc tam graue malum deuenimus; ita per vnum hominem eundémque Deum iustificantem, ad illud bonum tam sublimè veniemus.]

S.Bernardus serm.1.in Vigil. Natiu. Dom. [Quare Filius Dei factus est homo, nisi vt homines faceret filios Dei?]

24. Claudant agmen, qui attento ætatis ordine illud ducere debuerant, S.Irenæus & Clemens Alexan. Ille lib.3. contra hær.c.29. vbi impugnans Ebionæos affirmantes Christum esse purum hominem; [Perseuerant (inquit) in carne mortali, & sunt debitores mortis, antidotum vitæ non accipientes. Ad quos verbum Patris ait, suum munus gratiæ narrans: *Ego dixi, Dij estis & filij excelsi omnes: vos autẽ sicut homines moriemini.* Ad eos indubitatè dicit qui non recipiunt munus adoptionis, sed contemnunt Incarnationem puræ generationis verbi Dei, fraudantes hominem ab ea ascensione quæ est ad Dominum, & ingrati existentes Verbo Dei, quod Incarnatum est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei; vt adoptionem percipiens, fiat Filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodùm autem adunari possemus incorruptelæ & immortalitati, nisi priùs incorruptela & immortalitas, facta fuisset id, quod & nos, vt

absor

absorberetur quod erat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale ab immortalitate; vt filiorum adoptionem perciperemus?] Non est huius loci excutere falsum sensum quo aliqui hunc S. Irenæi locum acceperunt, sed eos refellemus infra lib. 5. sect. 2. cap. 1. Itaque nunc de eo loco sat esto.

Clemens verò Alexandrinus, in protreptrico sic scribit. [Ipse tibi loquetur Dominus, qui cum in forma Deus esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Seipsum autem exinaniuit misericors Dominus, hominem seruare cupiens, & ipse iam tibi verbum euidenter loquitur, ægrè ferens incredulitatem. Ego certè loquor, Dei Verbum factus est homo, vt tu quoque discas ab homine quanam tandem ratione homo efficiatur Deus.]

Symbolicè finem propositum aduentus Christi, æquè ferunt quæ ex Euangelio secundùm Ægyptios his verbis refert Clemens Alexandrinus 3. strom. c. 6. [Aiunt ipsum dixisse Sequatorem. *Veni ad dissoluendum opera feminæ*: Feminæ quidem, cupiditatis: opera autem, generationem & interitum. Quid ergo dixerint; soluta est hæc administratio? Non dixerint. Manet enim mundus in eadem œconomia. Sed non falsum dixit Dominus. Reuera enim opera dissoluit cupiditatis auaritiam, contentionem, gloriæ cupiditatem, mulierum insanum amorem, prædicatū, ingluuiem, luxum & profusionem, & quæ sunt his similia. Horum autem vetus, est animæ interitus; siquidem delictis mortui efficimur. Ea verò femina, est intemperantia.]

Salus nostra, non modò passibilitatis, sed etiam Christi substantiæ, finis proximus fuit.

25. Ex his ergo Scripturarum & Patrum locis, perspicuè habetur, proximam finalem causam aduentus Christi, & immediatum motiuum diuini consilij in decernendo mirabili hoc opere, fuisse salutem nostram, omnibus illis quos dixi effectibus comprehensam; nempè, satisfactionis & meriti pro nobis, præter eruditionem quæ nobis itidem à Christo obuenit. Et quamuis extra omnem controuersiam sit, circumstantiam passibilitatis Christi ex solo peccato ortum habuisse, vt habet disertissimè S. Gregor. lib. 3. mor. c. 11. tamen ipsam quoque Christi substantiam ad peccati nostri ablationem, & salutis nostræ negotiationem fuisse à Deo destinatam, Patres infinities produnt. Nec nisi violenter tam perspicua & expressa loca, possunt (vt quidam faciunt) restringi ad solum modum quo Christus aduenit; hoc est cum carne passibili Scripturæ enim prædictæ, & Patres, simpliciter & absolutè dicunt, Christum venisse propter nos & salutem nostram; & propter eam, Deum factum esse hominem. At hæc verba non spectant ad nudam circumstantiam passibilitatis, sed absolutè ad Christi substantiam. Nec cum de aliorum Dei operum finali causa quoad eorum substantiam agitur, solent Scripturæ aut Patres aliter loqui, quàm reuera loquantur de Christo, cùm pro fine eius proferunt liberationem & salutem nostram. Et mirum esset, Scripturas & Patres à quibus hic vnus Christi finis celebratur, eum perpetuò obtrudere, si non esset finis substantiæ Christi; semper autem ingerere finem alium, qui non nisi vnam circumstantiam spectet, sitque accessorius dumtaxat; ac ne accessorius quidem quoad Christum ipsum, eiúsque substantiam quam nullo modo finalizet. Quare indubitatum viderur, salutem nostram esse Christi finem, etiam quoad substantiam suam: siue præterea alius aliquis finis eiusdem substantiæ Christi, adiungendus sit saluti nostræ, siue non sit adiungendus, de quo postea. Quia verò prædicta Scripturæ & Patrum loca simpliciter intellecta, (vt sunt sanè simpliciter intelligenda cum nihil obsit,) sonant causam finalem primariam & non dumtaxat impulsiuam, necessarium est admittere, eum quem dixi finem non esse impulsiuum tantùm, sed etiam primarium; siue solitarius mouerit, siue non, quod iam non quærimus. Et quamquam non cõueniat inter Autores, quid sit finis primarius ac simpliciter dictus, & quomodò ab impulsiuo differat, vt latè versat Tiraquellus tract. *cessante causa*, limitatione 1. & breuiter Sanchez l. de voto cap. 2. n. 38. Notio tamen finis simpliciter dicti, quam in salutem nostram volo cadere respectu mysterij Incarnationis, in eo sita est, quod ita animum moueat, vt vi huius actus cessatura esset voluntas, si finis ille secluderetur. Impulsiuus autem finis dicitur is, qui tantùm facit vt voluntas celeriùs aut lubentiùs, alióve simili modo feratur in effectum, in quem nihilominùs vi præsentis volitionis ferretur, quamuis deesset ea causa impellens. Ita vtramque hanc causam exponunt varij DD. apud Sanchez lib. 4. de voto cap. 2. num. 38. & seqq. Salus itaque nostra, aut quod idem est destructio peccati, est Incarnationis & Christi causa finalis simpliciter dicta, non autem dumtaxat impulsiua. Tametsi contrarium sentit Scotus in 3. d. 7. q. 3. *litera* B. arbitratus salutem nostram fuisse dumtaxat causam finalem simpliciter dictam respectu passibilitatis Christi non autem absolutè & simpliciter respectu Christi. Sed melius D. Bonauent. in 3. d. 1. art. 2. q. 2. pronunciat, quod diximus magis consonum esse pietati fidei, quæ simpliciter docet Christum propter salutem nostram venisse, quod non diceret, si salus nostra fuisset tantùm finis impulsiuus diuini huius operis, ac non simpliciter dictus.

Consultò porrò vocaui hunc Christi finem, immediatum & proximum, quia si ageretur de fine remoto & vltimo, dubitare non liceret, quin is esset Dei gloria, quæ est vltimus finis operum Dei quorumcunque, vt Sapiens docet Prouerb. 16. ac proinde etiam Christi finis esse debet, vt optimè notauit Aureolus in 3. d. 1. q. 1. art. 5. propterea vocans gloriam diuinam *finem perficientem*, salutem autem nostram *finem ex hoc fine prouenientem*: quia hic finis proximus, ordinatur ad vltimum illum finem diuinæ gloriæ. Verùm hic finis quia est quasi transcendens, & per omnes diuinos effectus vagatur, vix solet specialiter exponi cùm de diuinorum operum fine agitur. Itaque obiter dumtaxat hic eius memini.

Vsus doctrinæ, quadruplex.

26. Vsus doctrinæ de Christi satisfactione pro nobis, præter sensum grauitatis peccati quem ingenerat, esse potest suspectio infinitæ Dei bonitatis, qui læsus satisfaciat. Audi Goffridum Vindocin. serm. 2. de natiu. Dom. *in fine*. [O inæstimabilis Dei & Domini nostri Iesu Christi circa peccatores benignitas! ô ineffabilis misericordia! ô misericordia inenarrabilis! ô admirabilis patientia! Quæ enim maior benignitas, siue misericordia, humilitas vel patiẽtia peccatoribus exhiberi potuit, quàm vt ipse Deus, se contemnentis fieret pretiũ hominis: ita vt contra Deũ peccaret homo, & Deus pœnitentiam faceret pro peccato: homo etiam contra Deum sæuiret; sæuienti autem Deus propitiaret: formam serui cœli & terræ Dominus assumeret, in qua ipse panis verus esuriret, fons viuus sitiret, virtus firmissima infirmaretur, immortalis vita pro suo interfectore moreretur? Quicquid boni in terra exhibuit Deus, pro homine fecit: & quicquid mali sustinuit, ab homine & pro homine fuit. Quid ad hæc, fratres, cogitabimus? quid dicemus? quid faciemus, cum Deus talis sit circa nos, quod melior esse non possit; & nos tales contra eum simus, quod penè peiores esse non possumus?]

Addendus etiam est huius doctrinæ vsus ille, quem his verbis expressit Origenes hom. 24. in Num. *sub*

finem. [Semetipsum Deo offerre, & non alieno labore sed proprio placere, hoc est perfectius & eminentius omnibus votis. Hoc qui facit, imitator est Christi. Ille enim dedit homini terram, mare & omnia quæ in eis sunt ad obsequium; dedit & Cœlum, Solem quoque & lunam ac stellas hominum ministerio concessit; pluuias, ventos, & omne quidquid in mundo est, hominibus largitus est. Sed post hæc omnia semetipsum dedit. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro mundi huius vita. Quid ergo magnum faciet homo, si semetipsum offerat Deo, cui ipse se prior obtulit Deus?]

27. Subijciamus quoque vsum tertium eiusdem doctrinæ ex S. Gregorio 8. moral. cap. 15. ad illud: *Neque cognoscet eum amplius locus eius.* Sic enim hæc verba exponit de Christo acerbè laturo si ex eius aduentu ad nos, propter nos, proficere negligamus. [Locus hominis sed non localis, ipse scilicet conditor extitit, qui hunc vt in semetipso consisteret, creauit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum seductoris verba audiens à conditoris amore discessit. Sed cùm omnipotens Deus redimendo se homini etiam corporaliter ostendit, ipse, (vt ita dixerim) fugitiui sui vestigia subsequens, ad retinendum quem amiserat hominem, locus venit. Si enim appellari locus nequaquam conditor posset, Deum laudans Psalmista non diceret: *Filij seruorum tuorum habitabant ibi* Ibi enim non dicimus, nisi cum locum specialiter designamus. Sed sunt plerique qui etiam post perceptum Redemptoris auxilium, ad desperationis tenebras deuoluuntur, & tanto nequius pereunt, quanto & oblata remedia misericordiæ contemnunt. Recte ergo de damnato homine dicitur: *Neque cognoscet eum amplius locus eius*, quia à conditore suo tanto tunc districtius in iudicio non cognoscetur, quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona reuocatur. Vnde & notandum summoperè est, quod non ait: *Neque cognoscet amplius locum eius.* Dum enim cognitio non homini, sed loco tribuitur, patenter ipse conditor loci nomine designatur, qui districtus ad examen vltimum veniens, in iniquitate durantibus dicit: *Nescio vos vnde sitis.*]

Colligere 4 indidem licet, quanta res sit homo pro quo Deus Filium suum addixit. S. Chrysost. hom. de profectu Euangelij (post homilias in epistolam ad Philipp.) sic id expressit. [Homo dignissimum Dei animal, & propter quem vnigenito suo Pater non pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quod sit fugitiuus quispiam, vel latro, vel fur, vel facinorosus, vel quod sit pauper, abiectus, vilis, & nullius frugis, sed cogites quod & pro ipso mortuus est Christus; sufficiátque tibi, vtpotè idonea sollicitudinis causa. Cogita quantum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus ita appretiatus est, vt nec sanguini suo pepercerit. Neque enim, opinor, si Rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentũ aliud, num magnus quispiam ille sit, quem Rex tanti facit. Non equidem opinor, sed sufficiens est mors eius qui mortuus est, vt ostendat, quantæ charitatis fuerit erga illum. Nunc verò cum non homo, non Angelus, non Archangelus, sed ipse cœlorum Dominus, ipse vnigenitus Dei Filius, carne vestitus tradit semetipsum pro nobis ad mortem: si non omnia fecerimus, & attentauerimus, vt homines tanto pretio redemptos, in omni cura habeamus, qua nos tuebimur defensione? quam veniam impetrabimus? Et hoc ipsum, Paulus indicans, dicebat: *Ne cibo tuo perde illum, propter quem Christus mortuus est.* Volens enim eos qui despiciebant & contemnebant fratres infirmos castigare, & in officio continere, vt persuaderet eis habendam proximorum curam, hanc vnicam rationem pro omnibus dedit.] Recole dicta superiùs hoc ipso capite, de vtilibus illis quæ Deus per Christi aduentum nos docuit. Ibi enim & hic vsus huius doctrinæ iam est propositus, & alij æquè huc pertinentes.

CAPVT II.

Indubitatum quoque est, salutis nostræ per Christum negotiationem, siue satisfactionem pro nobis, vndecunque perfectam ac superabundantem fuisse.

28. VEni itaque Christus peccatores saluos facere, & liberare de potestate tenebrarum, cui omnes ob peccatum primi parentis ad ipsos cum semine transfusum; & insuper plerique ob propria peccata actualia, subiacebant. Hoc constituto tanquàm certissimo, aliud item statuendum est inter Doctores planè certum, nempè, Christi pro nobis satisfactionem, quæ pretium fuit ac lytrum redemptionis nostræ, non perfectam modò, sed etiam plusquàm perfectam & superabundantem fuisse, cùm prout meritoriam, tum prout purè satisfactoriam. Hoc tametsi præcipuissimum, ac vt dixi, apud DD. certum, tamen excutiendum ac stabiliendum est, ne gratis concessum, & non solidè constitutum videatur.

Christi pro nobis Satisfactio, perfectissima.

Satisfactionem igitur pro nobis à Christo exhibitam, fuisse vndecunque perfectam, siue prout meritoriam, siue prout presse ac propriè satisfactoriam, extra controuersiam est. Nam prout meritoria quidem, adæquauit præmium, illúdque summo iure obtinuit, & omnibus veri ac presse accepti meriti conditionibus ac dotibus splenduit. De quo ex generali tractatione de merito liquere potest, & sigillatim aliquid attingendum erit, tractando Christi voluntatem liberam, ejúsque fructus. Hæreamus itaque in satisfactione propriè dicta, seu destinata ad iniuriæ reparationem. Hanc vt liqueat prodijsse à Christo pro nobis perfectam, percurrendæ obiter sunt conditiones perfectæ satisfactionis, cùm generaliter acceptæ, tum sigillatim eius quæ debetur Deo pro iniuria qua peccatum violatur.

Satisfactionis conditiones generales.

29. Priores expendi lib. 3. de virtut. à num. 283. tractando actus iustitiæ commutatiuæ, quibus satisfactio annumeratum quatenus est repensio eius quod debetur pro nuda iniuria, spectata præcisè à damno illato. Deberi enim pro iniuria sic sumpta aliquid præter id quod pro damno rependendum est, monstraui loco allegato, num. 284. adducto luculento in eam rem S. Anselmi loco, ex lib. 1 cur Deus homo cap. 11. Vidimus igitur eo loco, veram quamcunque & perfectam satisfactionem, ex parte satisfacientis præter communes omnibus bonis actibus conditiones, nempè libertatem & honestatem, postulare vt sit actus alio iustitiæ titulo indebitus, nulláque creditoris gratia siue remissione imminutus. Nam cum satisfactio sit actus iustitiæ, æquè ac restitutio, iustitia autem postulet reddi æquale, planè sequitur quantum gratiæ ac indulgentiæ de iure suo remittentis, intrinsecè in ipsa æqualitatis inductione adhibetur, tantum deesse æqualitati illi quæ rependenda erat. Quam item constat plenam non fore, si opus aliàs iustitiæ titulo debitum, offeratur ad dissoluendum hoc nomen, & diuersum hoc iustitiæ debitum extinguendum. Quia verò iustitia intrinsecè respicit debitum, non debet autem satisfactionem nisi qui læsit; propterea addebam citato loco, satisfactionem, vt plena ac perfecta sit, debere ab illo ipso qui læsit exhiberi, vel loco eius ab alio de læsi consensu. Hic

enim

enim si accedat, satisfactio à tertio exhibita erit æqualis, extinguétque debitum ab alio contractum per irrogationem iniuriæ; quod non fieret, si aliena satisfactio pro illata per alterum iniuria, non consentienti ac acceptanti læso, ingereretur. Hæ igitur sunt conditiones communes cuicunque propriè dictæ satisfactioni, in quibus hoc loco exponendis aliqui immentari sua lectores opprimunt; cùm ad rem præsentem satis superque esse possint hæc paucula, quæ de illa nostra in proprio loco data paulò pleniore tractatione delibaui.

Speciales eius quæ Deo exhibetur. An iis annumeranda diuina promissio & acceptatio, sententiæ.

30. Specialiter verò in satisfactione quæ Deo peccatis nostris violato & iniuria affecto exhibetur, necesse præterea est, intervenire nonnulla: nempè, vt opus illud quod Deo in satisfactionem exhibetur, supernaturale sit, & à Deo in satisfactionem pro iniuria acceptetur, præsertim de ea acceptatione promisso. Necessitatem supernaturalitatis in ea satisfactione, non est quod confirmem, cum sit per se manifesta. Ordinatur enim ad abstersionem peccati auertentis à Deo, supernaturali fine nostro. Vt igitur seruet cum fine illo suo proportionem, & effectui quem procreat sit commensa, necesse planè est ipsam quoque supernaturalem esse; idque (vt dixi,) est per se euidens, & ratum fixúmque apud omnes. Circa necessitatem verò diuinæ acceptationis vel promissionis, seorsim vel coniunctim sumptarum, variant sententiæ. Vtrumque illum actum ad hoc negotium necessariò exigi censet Suarez; neutrum Vasquez; alterum dumtaxat nempè, acceptionem solam, Valentia.

Vtrumque ergo illum actum ad perfectam satisfactionem Deo exhibendam esse necessarium, censet Suarez t.1.3.p.d.4.sect.5. & d.39.s.1.§.6. *conditio*, cui subscribunt Pesantius 3.p. q.1. disp.6. & Ragusa t.1. d.12. Ratio quaid confirmatur, est, quia acceptatio satisfactionis absque obligatione præuia, actus liberalitatis est, non iustitiæ: vt igitur iustitia exerceatur, necessarium est obligationem acceptandi intervenire. Ea verò obligatio non potest Deo injici nisi à seipso, qui non nisi promittendo debitorem se potest facere, vt dixit D.Aug.serm.16. de verb.Apost. & in Psal.83. At Vasquez 1.p.d.85.cap.6. & 3.p.d.5.cap.2. negat ad satisfactionem Deo pro iniuria impensam, exigi vt acceptetur; vel vt Deus se acceptaturum promiserit, quia existimat supernaturalem vnius cuiusque nostrum satisfactionem Deo exhibitam, esse suapte natura condignè meritoriam abstersionis maculæ ex anteriore culpa iniustæ. Vt quid ergo exigatur satisfactionis acceptatio, vel eius acceptandæ promissio? Accedit quod hic Auct. negat Deum promissione sua obligari nobis ex iustitia, ob imperfectionem quam in ea debiti contractione inuolui censet. Non erit ergo ea promissio accommodata ad exponendum quod quæritur; nempè, quomodò actus hominis in quem cadit, sit actus iustitiæ. Tandem Valentia 3.p.d.1.q.1.p.4. quæsito vltimo necessitatem diuinæ promissionis excludit, eò quòd Deus repudiare nequeat plenam ac confertam, & coagitatam satisfactionis mensuram, quæ in omni supernaturali satisfactione cernitur; siue sit ipsamet satisfactio Christi infinita, siue sit opus nostrum habens illam Christi satisfactionem admixtam ex Christi ipsius concessione.

Conciliantur quoad rem præsentem.

31. In his sententiis, est quod probem, & quod reijciam quoad aliqua huic negotio minùs intima. Quoad punctum tamen cui nunc præcipuè insistimus, videntur posse conciliationem admittere; dicendo nimirùm, aliud esse agere de satisfactione quasi in actu primo, hoc est de opere ex se satisfactorio, & verè idoneo sarcire iniuriam illatam, aliud verò esse agere de opere actu satisfaciente, siue sarciente de facto iniuriam irrogatam. Sicut aliud est, summam aliquam pecuniæ esse ex se pretium aptum reponi alteri pro re sua; aliud verò est esse pretium reipsa compensans rem alienam. Si enim equum alienum, qui reuera non excedat pretium 50. aureorum, vsurpem mihi inuito domino, eique nolenti obtrudam aureos 50. pro equo adhuc exstante, non censebor exhibitione illius pretij impediuisse reipsa inæqualitatem ex vsurpatione rei alienæ consecutam: quia quamuis summa pecuniaria quæ exhiberetur in pretium æquet valore rem vsurpatam, nempè, equum alienum, esset que ea summa ex se idonea ad æqualitatem inducendam, si equi dominus annueret; Tamen eo assensu non posito, inæqualitas durat reipsa, nec de facto tollitur: quamuis pecunia oblata, esset ex se apta & sufficiens ad eliminandam inæqualitatem faciendámque æqualitatem. Non dissimiliter in satisfactione supernaturali exhibita Deo, secernenda est satisfaciendi vis ac idoneitas, à satisfactione actuali: siue vis tollendi iniuriam moraliter superstitem, ab ipsa eius sublatione. De prima, rectè asserunt qui negant satisfactionem supernaturalem exigere diuinam acceptationem vel promissionem. Reuera enim satisfactio supernaturalis, ex se apta est maculam iniuriæ irrogatæ abolere, si in eum finem acceptetur. De secunda autem, siue de satisfactione iniuriam actu abolente, valet quod dicunt alij, contendentes ad satisfactionem exigi diuinam acceptionem & promissionem, quia Deus quantumcunque satisfactionem condignam & æqualem offeramus, non tenetur iniuriam condonare. Vnde quia nomen *satisfactionis*, solet priùs hoc posteriore modo accipi; prout videlicèt sonat non modò actum sufficientem ad iniuriæ abstersionem, sed qui eam de facto & reipsa abstergat; propterea simpliciter loquendo, admittendum est, ad satisfactionem supernaturalem exigi diuinam acceptationem ac promissionem. Sicut quia nomen *meriti*, solet potiùs designare meritum in actu secundo, quam in actu primo; propterea in tractatione de merito, exigo ad illud diuinam promissionem quæ ad meritum in actu primo non exigeretur. Hac ratione iniri potest sententiarum propositarum conciliatio, quoad rem in præsenti negotio præcipuè quæsitam.

Quæ admixta vnicuique sententiæ, non placeant.

32. At quoad alia, est quod in vnaquaque earum iure displiceat. Ac primùm Suarez, perperam secernit acceptationem & promissionem, tanquam duos actus ad satisfactionis veritatem necessarios. Tametsi enim verum est, dari posse acceptationem quæ à promissione discrepet, eam nimirùm acceptationem quæ sit simplex approbatio satisfactionis exhibitæ, tanquam actus boni, sed qui ad debiti extinctionem non admittatur: tamen acceptatio de qua hîc agimus, non est eiusmodi: sed est acceptio satisfactionis ad plenam debiti extinctionem, & omnimodam hominis rei qui iniuriam admiserat, exsolutionem à satisfaciendi obligatione. Et hanc acceptationem, liquet satis superque esse ad veritatem satisfactionis iniuriam reipsa abolentis, quamnis nullus alius promissionis actus intelligatur exurgere. Est quippe ea acceptatio, nihil aliud quàm volitio nihil vlteriùs postulandi in compensationem: eò quòd is qui oblatam satisfactionem acceptat, contentum se profiteatur, saltem in actu exercito, nec aliquid præterea deposcat ad maculæ per iniuriam irrogatæ abstersionem.

sionem. Non est igitur præter huiusmodi acceptationem, necessaria promissio ad veritatem satisfactionis supernaturalis, quia præcisè ex ea acceptatione, intelligimus enasci in Deo obligationem illam quam ipse sibi debet injicere ad nihil vltra postulandum pro iniuria: nihilque reuera infert promissio, quod ea quam dixi acceptatione præstitum non intelligatur; præsertim iuxta sententiam ab Autore cum quo agimus latè confirmatam relect. de libertate Dei disp. 2. s. 2. n. 15. nempè, quod in Deo simplex assertio atque expressio propositi concepti, æquiualeat promissioni; ob summam Dei veritatem, & immutabilitatem. In acceptatione autem de qua agimus, elucet manifestè diuinum illud propositum nihil vltra in satisfactionem exigendi, eiusque propositi simplex assertio. Nec refert quod aduersarius opponebat, acceptionem hanc ex parte Dei non esse actum iustitiæ, sed liberalitatis: hoc inquam non refert. Nam neque promissio quam aduersarius addi vult acceptationi, est actus iustitiæ, sed liberalitatis, cùm Deus ad eam formandam non obstringeretur; & tamen ex quo præstita est, rectè fundat actū iustitiæ. Sicut contractus quem inire non tenebaris, spectat ad iustitiam, eamque fundat ex quo semel initus est ex liberalitate vel gratia. Similiter ergo quamuis Deus vltrò ac planè liberè satisfactionem acceptasse supponatur; ex quo tamen supponitur acceptasse, iustitia fert, vt nihil vltra deposcat ab eo cuius satisfactionem pro iniuria irrogata sic acceptauit sciens volénsque. Omitto quod vt satisfactio sit vera, & plenus actus iustitiæ ex parte hominis, nihil est necesse intelligere ex parte Dei, antistrophum (vt sic dicam) actum iustitiæ. Nam neque in humanis si reus exhibeat satisfactionem conueniemem & planè æqualem, exigitur actus iustitiæ in creditore, qui feriari potest omnique actu abstinere, citra vllam iustitiæ oblæsionem in actu debitoris, ex parte sua ad æqualitatem satisfacientis, vt supponitur. Quorsum ergo aduersarius opponit quod secluſa promissione iustitiam fundante ex parte Dei, defuturum sit iustitiæ exercitium ex parte hominis, quod fateor in vera satisfactione esse agnoscendum?

33. Duæ aliæ sententiæ propositæ, nonnulla quoque assumunt quæ meritò displicere debeant. Nam Vasquez perperàm supponit, supernaturalem satisfactionem Deo pro iniuria à peccatore exhibitam, esse condignā & iniuriæ æqualem suapte natura, & ex se, quod infra accuratè agitabitur, nunc supponatur reijciendum. Valentia item, malè censet. Dum non posse non acceptare supernaturalem satisfactionem, tantæ dignitatis quantæ est satisfactio, siue ipsius Christi, siue nostra Christi satisfactionibus nixa. Quamuis enim ea dignitas summam acceptabilitatem talis satisfactionis ferat, inde tamen non sequitur, Deum ad illam acceptandam obstringi. Neque enim Deus tenetur præstare quidquid decet, aut quidquid nobis videretur vel etiam reipsa esset decentius; licèt nihil vnquam faciat indecens. Videsis quæ in hanc rem profero in natur. Theol. d. 8. num. 73. & quæ latè nuper disputauit Herice 1. p. d. 19. cap. 5. Nec qui contrarium contendit Diacus Rus id reuera euincit, vt infrà dicam agens de causa effectiua Christi. Liberum itaque est Deo, satisfactionem ex se æqualem, & dignissimam quæ acceptetur repudiare, vel admittere, ad effectum absterſionis iniuriæ illatæ. In quo est latum discrimen, inter satisfactionem hominis ad Deum, & satisfactionem hominis ad hominem, vt exposui lib. 3. de virtut. à num. 291.

Christi satisfactio, vtrisque veræ satisfactionis conditionibus ornata, cùm generalibus, tum specialibus.

34. Ex dictis, nullo negotio eruitur quod affirmabam de veritate satisfactionis exhibitæ à Christo pro nobis, vt iniuria per Adamum & eos qui in similitudinem prævaricationis Adæ peccauerant, irrogata, repararetur. Si enim propositas veræ & integræ satisfactionis conditiones, cùm generales, tum satisfactioni supernaturali speciales percurramus, eásque satisfactioni per Christum exhibitæ accommodemus, bellissimè in eam quadrabunt: ac proinde fatendum est, Christi satisfactionem pro iniuria Deo per Adamum & nos irrogata, fuisse perfectam.

Ac primùm conditiones cuiuis veræ satisfactioni communes, manifestè locum habent in Christi satisfactione pro nobis quæ conferta fuit liberrimis ac optimis actionibus offensam Adæquantibus; ideò enim designatur nomine *emptionis* & *redemptionis*, quas constat debere fieri per aliquid quod saltem sit æquale, Non item fuit Christi satisfactio alio iustitiæ titulo debita: Ex quo enim? An ex eo quòd gratius esset Deo, vt per Christum redimeremur? An ex titulo gratitudinis Deo debitæ à Christo? At neuter illorum titulorum fert Christum alio iustitiæ titulo astrictum fuisse satisfacere Deo pro nobis. Non enim primus; quia vt optimè ratiocinatur D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo, cap. 19. quamuis creatura nihil à se habeat, sed omnia à Deo participet; tamen accepit à Deo potestatem pleraque licitè faciendi & omittendi: ita vt etiamsi alterutrum illorum magis placeat Deo, tamen non teneatur creatura ex iustitiæ debito illud exequi, vt liquet de virginitate ad coniugium compatata, quæ acceptior sanè Deo est, & gratior coniugio; neque tamen ab homine ex iustitia debetur, sed ex mero beneplacito. Similiter ergo. [Dominus Iesus, (inquit suprà S. Anselmus,) sic accepit à diuina natura quæ al a est ab humana, esse suum quod habebat, vt nihil deberet dare, nisi quod volebat.] Ac proinde vt paulò ante præmiserat, *non ex debito*, id est, non ex titulo iustitiæ, alio ab eo quem pascisendo cum Patre contraxit, satisfactionem suam pro nobis obtulit. Alter verò titulus qui proponebatur, hoc est titulus gratitudinis, nihilo magis incommodat, quàm prior nunc excluſus. Nam titulus gratitudinis, non est titulus iustitiæ propriè dictæ, sed luxatæ tantùm & oblæiæ, ac (vt vocant) *potentialis*. Vnde quamuis satisfactio Christi fuisset Deo debita titulo gratitudinis, non fuisset tamen debita alio iustitiæ titulo: quod ad remouendum obicem veritatis satisfactionis quem nunc remouere intendimus, planè sufficeret. Deinde negandum est, Christum titulo gratitudinis fuisse astrictum ad hanc satisfactionis pro homine oblationem. Poterat enim titulo gratitudinis satisfacere aliis actibus, tametsi citra exhaustionem, quam gratitudinis ratio non postulat. Quod si hoc debitum agnoscamus in Christo, nihil planè erit pium & sanctum, ad quod non simus ex hoc titulo astringendi: quia Christus secluso speciali pacto quo Deo se diuinxit, (quod factum nunc secludimus,) non pluribus titulis obligabatur Deo, quàm puri homines: quamuis certum sit, titulos obligationis, ei nobisque communes, fuisse respectu Christi intensiuè perfectiores, v.g. titulus collatæ subsistentiæ, arctiùs ligabat Christum, quàm nos; ob infinitatem subsistentiæ diuinæ, & tantam nostræ subsistentiæ limitationem. Similitérque ratione donorum supernaturalium creatorum, quæ in Christo erant vberrima & non ad mensuram, constat Christum fuisse Deo perfectiùs astrictum, quàm nos; qui vix paucis guttis cœlestis illius rotis perspergimur. Intensiuè igitur, tituli obligationum cadentes in Christum perfectiores erant; extensiuè tamen ijdem erant, & non plures: atque adeò si nos titulo gratitudinis non tenemur ad opera supererogationis, quantumuis Deo accepta & grata; neque Christus ex eo titulo tenebatur ad satisfaciendum pro nobis. Ac proinde salua manet Christi satisfactioni, ea communis conditio, quod non ex alio iustitiæ titulo

timlo deberetur. Sed & postrema communis integræ ac veræ satisfactionis conditio, non desideratur hoc loco. Quamuis enim Christus exsoluebat quæ non rapuerat, & alius planè erat ab iis qui iniuriam intulerant, tamen Deus antecedenter ad satisfactionem, remisit ea in parte ex summo iure; fuitque contentus satisfactionem sibi exhiberi ab alio. Quæ gratia creditoris cum se habeat præsuppositiuè ad solutionem, nec sit intrinseca satisfactioni, nihil eius perfectioni aut veritati incommodat, vt suprà est constitutum. Quare firmum esto, satisfactionem Christi pro nobis, communibus quibusuis bonæ satisfactionis conditionibus, fuisse conuestitam.

35. Sed & propriis dotibus supernaturalis satisfactionis colluxisse, dubitare non licet. Nam actus satisfactorij quos Christus eliciebat, erant perfectissimè & eminentissimè supernaturales, siue sit sermo de actibus Christi internis, ac nominatim de illa voluntate de qua scriptum est in capite libri, vt habetur Psal. 39. & in qua, iuxta Apostolum, sanctificati sumus; siue sit sermo de actibus Christi externis; nam hi quoque prout moraliter vnum faciebant cum actibus internis, spectabant ad eundem ordinem, & supernaturalitate potiebantur. Præterea verò acceptasse Deum actus Christi vt satisfactorij essent, & fini nostræ liberationis inseruirent, ex Scripturis didicimus, vt ex Isaia c. 53. verbis illis de Christo: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Et, *Iniquitates eorum ipse portauit, propterea dispertiam ei plurimos.* Innumera huiusmodi loca sunt in Scripturis obuia. Nihil itaque eorum quæ specialiter in supernaturali satisfactione deposcebamus, desideratum est in Christi operibus ad finem salutis nostræ directis: ac proinde veræ & perfectæ satisfactionis rationem sunt sortita.

Colligitur satisfactionem Christi, perfectam fuisse, & ex iustitia.

36. Quia verò satisfactio est actus iustitiæ, quo inæqualitas per iniuriam priùs inducta aboletur; addendum consequenter est, Christum elicuisse actum veræ iustitiæ commutatiuæ, & ex ea satisfecisse pro nobis. Deque iniuriam expiasse. In hoc puncto nonnulli refragantur. Sed firmatis superius sufficienter, principiis omnibus ex quibus sequitur quod nunc proponimus, non est quod longas moras nectamus in re (quantum arbitror) ferè perspicua. Sanè actus quo quis ius alterius strictum, nec fundatum in bonis communibus, reparauit, vel indemne seruare satagit, est actus iustitiæ commutatiuæ, vt pono ex tractatione de virtutibus, dum Christus offerendo Patri suas actiones & perfectiones pro nobis, propositam habuit reparationem diuini iuris violati, quod est ius alienum, strictum, nec fundatum in bonis communibus. Igitur sic satisfaciendo, elicuit actum veræ ac propriæ dictæ iustitiæ commutatiuæ.

Nihil video in hac argumentatione quod labet. Nam maior est ipsamet notio actus iustitiæ commutatiuæ. In minore, potest quis tricari nonnihil. Nam sunt qui negent, iniuriam illam & inæqualitatem præcessisse, quam actu iustitiæ expiari oportuerit. Ita Torres disp. 1. de iust. dub. 2. num 6. quæ tentencia mihi nouem propositam planè conuellit. Sed mihi de diuino iure summo & perfectissimo, cuiusque violatione per peccatum, nulla potest esse ambiguitas; eámque, si quæ subesse poterat, dilucidè sufficienter lib. 4. de virtut. n. 352. Appartenius est, quod alij aduersus eam minorem opponunt; nempè negantes ius cuius reparatio fuit Christo proposita, esse ius alienum stricte dictum: quia cùm Christus sit Deus, videri potest non operari erga alium, quod tamen est de ratione exercentis actum iustitiæ. Præterquàm quòd cùm Christus sit filius naturalis, etiam in sua humanitate, nec Filius sit alius à Patre, verè videtur alteritas illa ad iustitiam necessaria. Insuper verò cum omnes quidquid sumus, Dei simus eminentiùs & plenius quàm ferant iura vlla nostratia quantumuis strictè dicta; non videmur ferri posse in Deum ex iustitiæ affectu, sed ex aliquo superiore, v. g. pietatis: atque adeò neque Christus, erga patrem ex iustitiæ affectu operatus fuerit. Sed hæc non infirmant illam minorem. Nam quod attinet ad distinctionem, & vt loquuntur alteritatem quam iustitia in suo obiecto inuoluit; manifestum est eam æquè desiderari in obedientia Deo præstita, & in religione, quæ sunt iustitiæ partes potentiales; quàm in iustitia presè accepta. Et tamen nemo vnquam negauit Christo, obedientiam erga Deum & religionem. Neque igitur iustitia, eam ob causam negari Christo potest. Nimirùm vt optimè ratiocinatus est hac in re D. Anselmus, sunt in Christo duæ naturæ; quarum humana quæ satisfecit, est omninò diuersa à natura diuina, & à tota augustissima Trinitate, cuius ius est reparatum. [Honorille (inquit S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo, cap. 19. agens de honore Dei quem Christus sarsit operando pro nobis,) totius est Trinitatis: quare quoniam idem ipse est Deus Filius Dei, ad honorem suum seipsum sibi, sicut Patri & Spiritui sancto obtulit, id est humanitatem suam Diuinitati suæ, quæ vna eadem trium personarum est. Vt tamen in eadem ipsa veritate manentes, apertius loquamur quod volumus; dicamus sicut vsus habet, quia Filius spernente seipsum Patri obtulit. Hoc namque modo apertissimè dicitur: quia in persona, totus Deus, cui secundùm hominem se obtulit, intelligitur; & per nomen Patris & Filij, immensa quædam in cordibus audientium, cum Patrem Filius hoc modo postulare pro nobis dicitur, pietas sentitur.]

37. Salua igitur Christo est iustitia erga Deum, non obstante Diuinitate eius; adde etiam non obstante filiatione. Nam filium emancipatum posse erga patrem exercere verum actum iustitiæ, monstraui lib. 2. de virtut. num. 57. Emancipamur autem omnes respectu Patris cœlestis, per libertatem, vt Tertullianus lib. 2. in Marcio. cap. 6. rectè pronunciauit. Ac proinde Christus, qui pro nobis libertimè satisfecit, non caruit ex hoc capite, facultate eliciendi actum iustitiæ erga Deum. Quòd denique omnia nostra, Dei sint immo iure, & inabdicabiliter, non diffiteor. Inde tamen non eripitur nobis dominium nostrum in actus nostros liberos, quos proinde Deo subijcere sinimur, nouo titulo nobis onerosо, de quo possumus, (quæ Dei benignitas est) cum ipso pasciſci: & implentes ex parte nostra contractum, adipiscimur ius propriè dictum, quod Deus suppositа promissione benignè facta, non potest salua iustitia elidere. Sic ergo Christus ex pacto inito cum Patre, adeptus est ius ad præmium de quo pactus erat: nempè ad salutem & liberationem nostram, onerosis satisfactionibus comparandam. Et quamuis hoc se eius haberet, nec capaces essemus Deum nobis ex iustitia obligandi, suppositа promissione eius; ac proinde etiam Christus iure illo excideret, Deum suæ humanitati ex iustitia obstringendi; Tamen satis in præsentia esset, quod Deus verè potiatur iure perfectissimo commutatiuo, respectu satisfactionis ab iis deposcendæ, à quibus fuerit iniuria violatus; aut acceptandæ ab alio, pro eis, vtrò se vadem ac prædam ad satisfaciendum præstante; cuiusmodi sanè fuit Christus pro humano genere in Dei iura grassato. Hoc enim sufficit, vt affirmemus Christum ex iustitia satisfeciſſe Deo pro nobis, id Deo exhibentem, quòd illi ex iustitia debebatur; quantum erat ex parte iuris, & motiui in quod Christus satisfaciendo collimabat. Quod verò Lessius l. 13. de Diuin. perfect. num. 12. in contrarium objcit, Christum non ex iustitia, sed ex obedientia mortuum esse, teste Apostolo ad Philipp. 2. imbecillum planè est. Illa

quippe

quippe motiua,non se excludunt ex eodem actu.Quod si quia Apostolus meminit solius obedientiæ, excluſisset iustitiam; colligere similiter liceret, Christum non esse mortuum ex caritate in nos,quòd ibi Apostolus susceptæ ex eo motiuo mortis mentionem nullam fecerit: tametsi aliæ Scripturæ, non sinant motiuum illud à Christi patientis satisfactionibus & perpessionibus excludi.

An sit dicenda, actus iustitiæ rigorosæ, lis de vocibus.

38. Elicuit itaque Christus,pro iniuria per nos Deo irrogata satisfaciens,actum commutatiuæ iustitiæ:quæ an rigorosa sit, est lis de vocabulo. Quidam enim nomine *iustitiæ rigorosæ* designantes iustitiam quæ antecedenter ad contractus initionem & expletionem, nullam gratiam importet; negant Christum satisfecisse Deo ex iustitia rigorosa: eò quòd tam multa Deus remiserit de iure suo acceptans Christi satisfactionem pro aliis, & quidem factam de bonis, quæ innumeris aliis titulis poterat sibi vsurpare,veréque Dei erant alio titulo quàm exhibitionis liberalis, à Christo eorum Domino factæ: quæ omnia contendunt pugnare cum iustitiæ rigore. Vnde ita fatentur, Christum ex iustitia & ad æqualitatem satisfeciſſe Deo, vt tamen negent satisfecisse ex rigore,ob illas remissiones & gratias, solutioni quidem non intrinsecas, sed tamen antecedentes. Hi sanè DD. si rectè statuerent notionem iustitiæ rigorosæ, meritò eam à Christi satisfactione alienam pronunciarent; sed cùm ea notio voluntaria sit,& gratis conficta, vt satis liquet ex iis quæ de iustæ satisfactionis ratione & conditionibus sunt præmissa, affirmandum est cum Albertino Cotoll. 18.ex 1. princip. compl.num.34.iustitiam rigorosam,à iustitia ad æqualitatem non discrepare;ideóque Christum qui ex iustitia ad æqualitatem,prout pacta ferebant,satisfecit Deo, ex iustitia rigorosa satisfeciſſe. Sanè D.Thomas in 4. d.15.q.1.art.2.ad verè iustam satisfactionem illud vnũ postulat, vt quod exhibetur, sit in dominio satisfacientis, quales constat esse respectu Christi actiones eius liberas. Quare de perfecta & vera Christi satisfactione, pro nobis exhibita Deo omnis dubitatio est excludenda: vera autem iustitiæ ratio in eam cadens agnoscenda est,cum Vega.7.in Trid.cap.8. & 9. & communiùs recentioribus,reſragante licet Medina q.1.de Satisfact. & cum suis Scotistis Rada in 3. controu.13. art.3. quos de vocabulis potiùs quàm de reipsa rixari, omnino persuadeor.

Christus, iustus Saluator, & iustitia ac æquitas nostra.

39. Habemus ergo Christum fuisse Saluatorem iustum, prout de eo à Zacharia prænunciatum fuerat in hæc verba: *Vent tibi iustus, & Saluator.* Sic enim saluauit,vt ait Orig.tract.14.in Matth. vbi hoc quod est Christum venire iustum & Saluatorem, ait idem esse, quòd saluare cum iudicio & iustitia. Idem egregiè hom.5.in Isaiam *initio*,quod Vulgata editio de Christo habet in concreto,*quis vocauit ab oriente iustum*,accipit in abstracto,& in hunc modum glossat. [Ait Propheta,Christum viuentem iustitiam, & putamus ab Apostolo solùm dictum esse, quia Christus sit iustitia, & sanctificatio, & redemptio, & sapientia? fortè autem & Apostolus instructus à Prophetis, nouit animatam esse iustitiam & viuentem. Quæ est ista iustitia? Vnigenitus Dei. Quia autem non solùm ab Apostolo ortum est, Christum esse iustitiam,& viuentem & subsistentem iustitiam; sed inuenies, & à Propheticis sermonibus hoc nobis mysterium exhibitum certum, & à capitulo in quo nunc lectio conquieuit: *Quis enim*, (inquit,)*surgere fecit ab oriente iustitiam,& vocauit eam ad pedes suos?* Vocauit iustitiam.Manifestum est,animatam eam esse, si ambulet vocata. Vocauit autem Christum Pater, quo ob nostram salutem ad nos iter faceret,& descenderet de cœlo ad nos: *Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis.* Vocauit eum de oriente;non de isto sensibili, sed de oriente lucis veræ.Propter quod scriptum est: *Quis exurgere de oriente fecit iustitiam,& vocauit eam ad pedes suos?* Pater vocauit Filium, imò vt verè dicamus, Deus hominem vocauit iustitiam ad pedes suos, id est, incarnationem filij sui.Ideò & adoramus scabellum pedum illius,iuxta quod scriptum est: *Adorate scabellum eius,quia sanctum est.* Caro siquidem Domini honorem Deitatis assumit.]

Similiter S.Gregorius 26. moral. c.7. censet Christum esse qui *nostra æquitas*, id est iustitia in abstracto dictus est apud Iobum. [Prophetico (inquit) spiritu repletus in eo quod ait: *Proponat æquitatem contra me & perueniet ad victoriam iudicium meum*, intueri Redemptoris nostri præsentiam potuit. Ipse enim qui est virtus Patris & sapientia, etiam eius æquitas non inconuenienter accipitur. Vnde scriptum est: *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio.* Quam scilicet æquitatem, quia Deus iniquis fugientibus, incarnatam ostendendo contraposuit: eos protinus ab iniquitate reuocauit, & humanum genus eo in iudicio antiquum aduersarium vicit, quo æquitatem Dei aduersantem suis itineribus inuenit.] Scitè Zeno Veron. serm.5. ad Neophytos, huc accommodat, quod in cœlesti Zodiaco, Virginem excipit Libra, vt nosceremus per Christi ex Virgine aduentum, aduectam esse iustitiam, quam item Dauid ante Christum ambulaturam prænunciarat.

De plusquàm perfecta, & offensam nostram superexcedente, satisfactione Christi.

40. Proposui secundò monstrandum, Christi pro nobis satisfactionem non modò fuisse veram & perfectam, quod hactenus tradidi, sed etiam plusquàm perfectam, & longè abundantiorem ac pleniorem in genere satisfactionis, quam offensa pro qua exhibebatur, plena esset in genere iniuriæ. Hic enim æquè ac in priori puncto, non ago de Christi satisfactione, nisi prout reparante iniuriam atque adeò prout satisfactoria. Quanquam quod idem excessus interuenerit in satisfactione Christi prout meritoria, supra præmium quod reipsa obtinuit, perspicuum fiet ex ratione quam dabimus, vt probemus excessum satisfactionis quatenus reparantis offensam, supra offensam quam reparat. Ea quippe ratio,accommodata ad meritum,æquè eminet excessum meriti Christi, supra præmium cui consequendum exhibebatur. Nunc igitur monstrandum est, Christi satisfactionem pro nobis fuisse superabundantem, & longè excessisse offensam.In quam rem appendenda est in statera iusta, iniuriæ Deo per hominem irrogatæ grauitas, & quantum veritas feret, amplificanda. Tum componendus cum ea erit satisfactionis Christi valor. Sic enim atrocitate vnius collata cum pretio & dignitate alterius, non grauatè deprehendemus excessum, in cuius declarationem incumbimus.

Grauitas iniuriæ in Deum, maxima.

41. Peccasse hominem, iam supposuimus. Peccando item, iniuriam Deo intulisse, iam supra statuimus. Ea iniuria quanta sit, ægrè exponi, aut per lusciosos oculos nostros percipi potest. Quis tamen vel ex hoc vno quod peccatum sit Dei iniuria, atrocitatem eius non deprehendat, non modò ob summam & teterrimam ingratitudinis labem quam homo Dei opificium tot diuinorum beneficiorum aggeribus vndecumque obseptum,

obseptum, & oppressum contrahit, bonitatem illam infinitam violando, sed etiam ob summam improportionem hominis iniuriam inferentis, & illam subeuntis Dei; vt proinde iniuriæ hominibus illatæ vix nomen iniuriæ mereantur, præ ijs quæ admittuntur ab homine in Deum. Differit egregiè in hâc rem S. Chrysostomus hom. 1. in ad Philem. *initio mor.* [Centum ingrit denarij sunt, quicquid in hoc seculo admitti in nos potest. Quæ verò in Deum peccauimus, ipse decem millia talenta sunt. Hostis enim peccata, etiam personarum qualitate discerni; Exempli causa: Non æqualiter peccat, qui priuatum, & qui principem iniurijs violat, eo quòd maior offensa sit, quo is qui contumelias patitur, principibus cæteris eminet; ac longè grauior, si is fuerit Rex. Atqui iniuria quidem eadem est; cæterum augetur pro dignitate personæ. Quod si is, qui in Regem iniurioſus est, pro excellentia personæ meritò intoletabiliter cruciatur; qui in Deum peccat, quantis afficiendus est pœnis? Itaque & si eadem in Deum peccauimus quæ in homines, ne sic quidem vlla peccati parilitas est: sed tanta est vtriusque culpæ differentia, quantum inter Deum & hominem distat.] Et mox, eo vsque hanc iniuriam in Deum prouehit, vt vehementer agnosci homines à nobis Deo proferti. Sic enim habet. [Licet terribile nimium sit, pauendumque quod dicimus, necessariò tamen dicendum est, vt animum nostrum concutiat, & magis magisque perterreat. Longè enim magis hominem quàm Deum, & metuere, & honorare conuincimur. Quod ita considera: Qui adulteri seculus admittit, Deum se videre non ambigit, sed eum sine contemnit: Sin autem aliquis homo videat, libidinis impetum cohibet. Nonne præfert hominem Deo? non impiè in Deum est contumelioſus? At quod multò funestius est, contemnit istum, illos reuerentur. Nam siquidem ab illis videri se putat, concupiscentiæ continet flammam; imò non flamma illa, sed contumelia dicenda est. Si enim mulieri congredi esset licitum, meritò ea res flamma diceretur: at nunc insania, & contumelia verius dicitur. Videt igitur homines, & insania desistit: Dei autem patientiam spernit, longanimitatemque non curat. Alius autem furari pergit, sceleris sibi conscius est; & homines quidem fallere nititur, purgare se criminibus pergit, ac defensioni suæ probabilem faciem adijcit. Deum verò quem fallere nequit, non curat, neque honorat, neque reuereretur. At siquidem iusserit Rex alienis abstinere pecunijs, imò nostras exponere, omnes promptè ac libenter obtemperamus: iubet autem Deus aliena non rapere, nec patemus. Vides, vt homines Deo in honore præferamus?] Rursusque post pauca. [Hæc dixerim, non damnare aliquem volens, sed ostendere quam multa Deo debeamus. Si enim cum pari honore hominem, Deumque prosequimur, iniuriam facimus Deo; quanto magis cùm illi homines in honore perferimus? Quod si ea quoque peccata, quæ in homines fiunt, in Deum potiùs ad noscuntur; quanto magis peccatum ipsum, quo in Deum peccamus, mole sua nos obruit?]

Salusianus item, optimè lib. 6. de prouid. cap. 7. Dei per nos immanem iniuriam aperit verbis istis. [Illud admoneo, ne vllum penitùs culpæ genus, quod ad contumeliam Dei pertinet, cuiquam leue esse videatur. Si enim illustrem ac præpotentem virum, nequaquam exhonorari à quoquam licet, & si quisquam exhonorauerit, decretis legalibus reus existit, & iniuriarum actor iure damnatur: Quanto itaque maioris piaculi crimen est, iniurioſum quempiam Dei esse? Semper enim per dignitatem iniuriam perferentis, crescit culpa facientis, quia necesse est, quando maior est persona quę contumeliam patitur, tanto maior sit noxa eius quæ facit. Et hinc est quod legimus in lege, etiam eos quæ videntur contra mandatum sacrum leuia fecisse, seueriſſimè tamen esse punitos: vt intelligeremus scilicet, nihil ad Deum pertinens, leue esse dicendum: quia etiam quod videbatur exiguum esse culpa, grande hoc faciebat Diuinitatis iniuria.]

42. Fusè quoque & egregiè hoc versat S. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 21. demonstrans, vel minimum peccatum, ex eò quòd sit contra Dei voluntatem, esse homini deuitandum, etiamsi eius peccati admissione totus mundus & quidquid Deus non est, nec tantùm quidquid nunc est, sed vel si infinities tantundò multiplicatetur, esset certo exitio subducendum. Spectat quoque ad summam peccati indignitatem perspiciendam, quod addit cap. 22. [Homo in paradiso sine peccato factus, quasi positus est pro Deo inter Deum & diabolum, vt vinceret diabolum non consentiendo suadenti peccatum, ad excusationem & honorem Dei & confusionem diaboli, cum ille infirmior in terra non peccaret, eodem diabolo suadente, qui fortior peccauit in cœlo nullo suadente. Et cum hoc homo facilè posset efficere, nulla vi coactus, sola suasione, sponte se vinci permisit, ad voluntatem diaboli, & contra voluntatem & honorem Dei.] Hæc quanta malignitas est?

Neque verò solus homo in paradiso ita se gessit, sed quoties peccat. Est enim in omni peccato nostro, proportionalis expressio lapsus Adami, & Euæ nostra, id est pars inferior. Adamum, id est superiorem partem animi, prolectat & agit in ruinam, vt sæpè disserit S. Augustinus, & concinnè S. Bernardus serm. 1. omnium SS. verbis illis. [Sed quid putamus, fratres; quàm plurimi vsque hodie factum illud grauiter dijudicant, & tamen insipienter imitantur? Indignantur aduersus Adam, quod obedierit voci vxoris suæ plusquàm Dei, & ipsi quotidie Euam suam, carnem videlicet audiunt plusquàm Deum. Fratres, si modò præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor eius, coarctari inter precem vxoris & præceptum creatoris, nonne clamaremus aduersus illum dicentes; Caue tibi miser; vide ne feceris, seducta est, non acquiescas ei. Vt quid ergo, quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis?]

Esse infinitam, quæ suadere videantur.

43. Ista est peccati, & ab Adamo & à quocunque nostrum in similitudinem preuiaricationis Adæ admissi grauitas, sanè magna. Imò non desunt qui pronuncient esse infinitam. Ita Medina q. 1. de satisfact. Aluares 3. p. disp. 3. conclu. 3. & Aegidius Coninck. disp. 10. de pœnit. à num. 4. iuncta disp. 2. num. 21. qui id probat, quia per peccatum (intellige simpliciter dictum, siue mortale,) contrahimus debitum verè infinitum, quod secluſa remissione, deleri non potest absque perpessione pœna infinitæ extensiuè. Malitia autem quæ absolutè meretur pœnam infinitam, verè est infinita; alioqui non esse proportio inter pœnam & malitiam. Nec valet quod aliqui respondent, pœnam illam esse solùm infinitam extensiuè. Hoc inquam non valet. Reuera enim pœna prædicta, est infinita in genere pœnæ: quia secundùm veritatem & prudentum æstimationem, eadem pœna durans per duas horas, cæteris paribus simpliciter in ratione pœnæ est duplo grauior quàm si per vnam dumtaxat horam duraret; atque adeò si duret per infinitas horas, est infinitè grauior. Non item valet quod dicunt aliqui, quæcunque tandem pœna infligatur mortali peccato, semper fore finitam & determinatam. Non inquam valet hæc responsio. Tametsi enim semper pœna finita est, tamen reliquum pœnæ quod iam nunc debetur huic peccato, & infligendum restat, est infinitum: vt autem malitia cui pœna rependitur sit infinita, nihil est necesse pœ-

nam repensam fore certo aliquo tempore vel momento infinitam ; sed necesse est talem esse, vt quantacunque sit pœna repensa , supersit alia rependenda quæ numquam possit esse tota inflicta , tametsi totum eius subeundæ debitum , iam sit contractum. Argumentum itaque propositum , videtur à posteriori efficaciter concludere , ex infinitate pœnæ mortali peccato debitæ , infinitatem malitiæ qua fordet. Confirmatur autem eadem malitiæ infinitas, primò quia culpa quæ nullo supplicio finito potest condignè puniri , est infinitæ simpliciter malitiæ. Secundò quia siquis peccata venialia infinita admisisset, quibus singulis deberetur pœna vnius horæ intensa vt vnum , necesse planè foret irrogari ei pœnam intensiue infinitam , si intra vnam horam abstergendus esset reatus ex labeculis illis infinitis relictus. Quælibet enim pœna minor, non sufficeret pro infinitis illis peccatis , sed posset exhauriri pro finitis. Cùm igitur vnum peccatum mortale, non sit minus virulentum quàm infinita venialia , debetur ei pœna infinita : atque adeò etiam malitia eius, intensiuè est infinita. Ratio verò à priori huius rei, ducitur ex obiecto quod infinitum est , & infinitatem refundit in actum quo violatur. Quo enim altior & sublimior est persona , eo grauior est offensa , vt superiùs cum D. Chrysostomo ratiocinabamur , traditque etiam Aristoteles 5. Eth. c. 5. & omnino benè Demosthenes orat. contra Midiam , expostulans de alapa sibi ædili ab eo impacta , quam monstrat esse longè atrociorem iniuriam , ob munus publicum quo ipse læsus fungebatur. Si igitur persona violata sit infinita , cuiusmodi sanè est Deus , offensa item erit malitiæ infinitæ. Quid quòd omni peccato mortali, quantum est ex peccantis malignitate , destruitur Deus , vt S. Bernardus pronunciauit ? Saltemque negari non potest , peccato quo quis si posset , vellet Deum destruere , obuersari diuinam destructionem ; quæ si reipsa fieret , non posset non esse infinitè mala. Et idem est de peccato Iudæorum , qui quæ Deus perfecerat, hoc est Christum rem infinitè pretiosam , destruxerunt.

Verè tamen , est tantùm simpliciter finita.

44. Hæc argumenta ægrè persuadent , infinitatem malitiæ peccati mortalis , esse simpliciter dictam , & è contrario valida ratiocinatio confirmare videtur, nullius peccati malitiam esse simpliciter infinitam. Sic enim licet argumentari. Nulla sunt principia infinitatis malitiæ in quocumque peccato ; siue spectemus hominem peccantem , siue Deum in quem peccatur. Nam homo quidem nulla alia adhibet malitiæ principia , quàm intellectus considerationem , & impetum actualem voluntatis in obiectum vetitum , id est in diuini iuris læsionem. Atqui consideratio intellectus, in peccante est admodum tenuis , & talis , vt pronunciarit Aristoteles omnem peccantem esse ignorantem , nec aliter se habere ad perpendenda quæ expediret eum perpendere , quàm se habeat ebrius ad Empedoclis carmina, quæ semisopitus effutit potiùs quam recitat. Sanè si peccator cognosceret , & mente non cæcutiret , nunquam Dominum gloriæ ostentui haberet, & iteratò crucifigeret. Vnde tantum abest vt ex hac parte malitia peccati sit infinita, vt potiùs valdè extenuetur. Sicut videmus malitiam peccati quod erga alium admittit ætas imbecilla , cum primùm in ea sublucet ratio, inde valdè attenuari , quod non perfundatur luce circa dignitatem personæ quam violat , & circa indignitatem iniuriæ quam operatione illa irrogat. Iam verò impetus voluntatis , & ipse quoque est finitus, sæpeque in nobis ex imbecillitate & fragilitate deriuatur, potiùs quàm ex obfirmata ad malum voluntate , quod item non parum detrahit de malitiæ quantitate. Quare liquet, principia quælibet peccati ex parte hominis , idonea esse ad inferendam illi infinitatem malitiæ , absolutè ac simpliciter dictam.

45. Idem statuo de principijs malitiæ , ex parte Dei per peccatum violati. Quamuis enim Deus sit infinitus , tamen hoc non sufficit ad impertiendam actui infinitatem malitiæ. Non enim quoties obiectum est infinitum , necesse est refundi infinitatem in actum. Alioqui dicendum esset , quosuis actus nostros bonos in Deum tendentes , contrahere inde bonitatem simpliciter infinitam, quod nemo ausit fingere. Nimirum quia obiectum non semper influit adæquatè in actum, nec tribuit ei infinitatem suam , sed eam dumtaxat impertit iuxta mensuram qua ab actu attingitur. At ea mensura , finita est , vt & quæuis habitudo actui insita. E contrario igitur negandum est, actum peccati contrahere infinitatem simpliciter dictam, ex infinitate obiecti læsi siue Dei. Idque à posteriori ex eo validè cõfirmatur quod alioqui omnia peccata esset paria. Neque enim vnum infinitum , quâ infinitum , potest esse altero maius aut minus. Item oporteret admittere , vnum peccatum continere malitiam cæterorum omnium , & singulis tantumdem inesse malitiæ , quantum omnibus simul : quia ita fert natura infiniti quoad quantitatem continuam vel quasi continuam qualis ista esset , etiamsi in infinitate quoad multitudinem , res aliter se haberet. Conatur Aegidius hæc infringere , disputatione illa 10. num. 11. dicens, etiamsi vnum infinitum non possit esse altero maius, quâ infinitum est , quando tamen vnum eorum non est omni modo infinitum , posse quâ finitum est , superari ab altero , v. g. dentur duo corpora absolutè infinitè longa , quorum alterum sit duplo latius ac spissius alio , erit quidem vtrumque æquè longum, vnum tamen erit multo maius. Sic igitur quamuis vnum peccatum mortale non superet alterum , quod attinet ad diuinæ bonitatis & amicitiæ contemptionem , quia ea ex parte vtrumque est infinitè malum, tamen vnum est altero atrocius , ob maiorem dissonantiam cum natura rationali & lege æterna. Hoc effugium facilè præcluditur. Quia argumentum attendit duo illa peccata mortalia , qua ex parte sunt infinita : nempe , qua ex parte Deum violant , & legi æternæ aduersantur. Nam ea quoque ex parte , inæqualia sunt , & tamen ex ea parte habere dicuntur infinitam malitiam: Ergo infinitum quâ infinitum quasi continuè esset altero maius : quod mihi videtur perabsurdum , & contra ipsam vocum notionem , quamuis id admittant recentiores nonnulli , post Eunomium atque Manetem , *impossibilitatis magnæ* , & *extremæ dementiæ* , damnatos à B. Gregorio Nysseno orat. 1. contra Eunom. cap. 19. & à D. Augustino contra epist. fundam. cap. 20. nec non ab Auctore libri de proprietatibus elementorum , apud Aristotelem , c. 1. Concedunt inquam hi recentiores , dari posse infinitum vtrimque clausum , atque adeò infinitum finitum , & terminis conclusum , indeque consequenter agnoscunt , infinitum vnum , etiam qua infinitum , continuè & quoad magnitudinem , vel quasi magnitudinem , posse esse maius alio infinito quatenus infinito. Sed nobis fixum est , nouas vocum notiones non comminisci , & sensum communem non conuellere.

46. Possumus præterea argumento non infirmo confirmare , malitiam peccati non esse infinitam ex eo quod actus mortaliter pranus cedat in Dei iniuriam. Nam si ita esset , actus quoque venialiter malus , contineret in se malitiam infinitam , quod ne aduersarij quidem dicunt. Manifesta tamen videtur esse consecutio , positis principijs quibus nituntur , nempè quòd , idcirco mortale peccatum sit infinitè malum, quia

quia tantula creatura, tantum Dominum offendit. At peccatum veniale ab eadem persona admittitur, & contra Deum; & quamuis sit de re leui, tamen inde aliquatenus crescit indignitas, quod pro re tam despicabili, Deus vilipendatur ab homuncione qui se totum & omnia sua Deo debet, eique pro nihilo, quantum est ex vi deprauatæ voluntatis, & operis à Deo auersi, abroget tationem finis vltimi. Nec est ad rem quod Aluarez 3.p.d.3.num.11.respondet; nempè, peccatum veniale non esse contra Deum, sed præter Deum. Hoc nego esse ad rem: verè enim peccatum veniale est contra Deum: non quod dissoluat amicitiam hominis cum Deo, quo sensu aliqui interdum dixerunt hoc peccatum non esse contra Deum, vel certè non esse contra sed præter legem diuinam: sed quod sit vera Dei iniuria ab homine. Cùm ergo actus venialiter malus, tametsi iniurius Deo, & contra Deum, non sordeat malitia nisi finita, perspicuum videtur, malitiam peccati mortalis non esse infinitam, idcirco tantùm quia est iniuria in Deum; quod est vnicum pro ea infinitate fundamentum aduersariorum.

47. Aliud quoddam in rem propositam argumentum quod Scotus adhibet in 4.d.14.q.1. *in fine*, mihi non placet. Ait enim, non posse peccati malitiam esse infinitam, quandoquidem malitia peccati consistit in auersione à fine, sicut bonitas actus honesti sita est in deiectione ad finem, & conuersione in illum. Tam porrò perfectè actus bonus conuertit in Deum, quàm auertat ab eo actus malus. Atqui bonitas actus honesti, finita est, tametsi actus Deum respiciat. Ergo neque malicia actus praui, est infinita: nisi si absurdè admittamus, malitiam peccati maiorem esse bonitate quam remouet, quæ vtique finita est, vt omnes conclunt. Video tamen hoc argumentum infringi posse, dicendo malitiam peccati internam & ex obiecto ductam, non excedere quantitatem bonitatis quam remouet; atque adeò esse finitam: Malitiam tamen extrinsecam, petitam ex circumstantia personæ lædentis ac læsæ, aliam quantitatem sortiri, & eatenus auersionem actui prauo insitam, propter dignitatem personæ à qua fit auersio, & vilitatem personæ quæ auertitur, fieri in genere malitiæ auctionem, & quidem in infinitum, cum personarum illarum improportio sit infinita; conuersionem autem non item. Neque enim si magnitudo offensæ crescit pro magnitudine personæ offensæ, sequitur satisfactionem aut obsequia eidem personæ exhibita, crescere in ratione satisfactionis pro dignitate personæ cui exhibentur: sed potiùs decrescunt, accedente præsertim vilitate personæ à qua exhibentur. Quare aeteriores probationes quas adhibuimus ad excludendam infinitatem malitiæ peccati; commodiores videntur.

Enodantur argumenta pro infinitate malitiæ peccati.

48. Argumenta in contrarium proposita, facilè enodantur. Ac primum perpetuitas pœnarum, aliò referenda est quàm in malitiam infinitam peccati, vt latè prosequor in Nat. Theol.d.8. à num.231, nempè, in statum damnati, qui cum sit extra viam, & voluntatè non acceperit tempus concreditum vt redimeret debita peccatis supplicia, ea conditione est, vt nihil exhibere vel subire possit quo factum satis abstergendæ peccatorum rubigini videri debeat. Sicut enim in humanis, cum fixa sunt certa spatia temporis intra quæ pignus recuperetur, si is qui pignus dedit sinat elabi illud spatium temporis, posteà non auditur, nec permittitur repetere quod ante repetere poterat; itemque sicut is qui non persoluit debitum aliquod, quo tempore nondum interposito Principis interdicto vigebat vsus monetæ cuiuspiam, si postmodùm numerum reiectaneum afferat in solutionem, non dissoluit contracta nomina; Ita qui per tempus constitutum, sciens ac volens non redimit quæ pro admissis noxis debet, meritò in æternum à redemptione excluditur non quod debitum sit infinitum, sed quod tempus persoluendi sit præter lapsum. Atque ita sufficienter eliditur primum argumentum, & prima eius confirmatio. Negamus enim culpam esse, infinitæ malitiæ, eò quòd puniatur in infinitum: vel eam culpam esse absolutè condignam quæ puniatur in infinitum, & talem vt nullo vnquam finito supplicio potuerit puniri. Est quippe per accidens, quod isti peccato debeatur nunc pœna infinita, ob subiecti conditionem ac statum, cum potuisset in via multo minore pretio quod pro ea culpa debebat exsoluere. Secunda verò confirmatio, quæ ducebatur; ex maiore malitia vnius peccati mortalis quàm infinitorùm venialium quibus pœna vel extensiuè vel intensiuè infinita debetur: Hæc inquam secunda confirmatio, facilè infringitur, dicendo pœnam peccato mortali debitam esse ordinis superioris quàm pœnam debitam peccato veniali. Hæc enim est sola pœna sensus. Illa verò integratur ex pœna sensus, simul ac pœna damni supernaturali. Quamuis ergo calculatio proposita, habitura esset locum, si sola pœna sensus deberetur peccato mortali, æquè ac sola debetur peccato veniali; tamen quia tota pœna peccato mortali debita, est ordinis superioris, meritò (quamuis finita) exæquaret condignitatem peccati, si status subiecti, eiusque conditio id ferret. Sicut Angelus vnus perfectione sua superioris ordinis, finita & determinata, exæquaret perfectiones modulo finitas, multitudine infinitas, si totidem essent in superiori ordine, rerum scilicet corporearum.

49. Alterum principale argumentum pro malitiæ peccati infinitate propositum, ex cremento offensæ pro offendentis vilitate, & offensi nobilitate, diuersimodè à varijs diluitur. Non incommodè Becanus 1.2.tract.2.cap.2.q.6. fassus argumentum illud à proportione personæ offendentis & offensæ, valere quandiu agitur de personis creatis, & sitis intra eundem ordinem; tamen negat valere, si fiat transitus ad Deum, qui est persona diuersi ordinis. Sicut similiter non valeret hæc illatio; Eo perfectior est amor quo obiectum est perfectius; Igitur si obiectum sit perfectissimum, amor in illud directus erit perfectissimus, vel etiam infinitè perfectus, si obiectum sit infinitè perfectum. Euectio enim illa actus ad sublimiorem ordinem, non reddit illum infinitè perfectum, sed tantùm perfectiorem actibus omnibus in obiecta despicatiora tendentibus, si cætera sint paria; & perfectionem ex obiecto ductam, assectetur par mensura perfectionis ex alijs fontibus vnde bonitas in actum deriuatur. Similiter ergo quamuis ex proportione proposita inter personam offensam & offendentem, Deum scilicet & creaturam rationalem; rectè colligatur offensam esse maximam in genere offensæ, ac talem vt nequeat dari genus offensæ ex obiecto atrocioris: tamen non sequitur, eam offensam esse infinitam. Sic autor prædictus, nec incommodè. Commodiùs tamen, saltemque magis perspicuè, responsuri videmur, si dicamus, offensam semper esse auctiorem quo magis crescit persona læsa, & vilescit offendens; dummodò crementum illud & vilitas, spectetur non nudè in personis prout se habent à parte rei, sed prout subsunt cognitioni & æstimationi male operantis: & idcirco quamuis offensæ fœditas semper sit finita, potest tamen semper auctior euadere, quia in offendente potest semper crescere notitia dignitatis per-

sonæ offensæ, & vilitatis qua persona offendens iacet. At sicut cognitio dignitatis illius & vilitatis, nunquam est infinita, ita neque malitia detiuanda in actum ex obiectis prædictis, non prout in se sunt, sed prout obijciuntur operanti, eiusque affectum terminant. Non enim potest malitia crescere, nisi prout crescunt eius principia, prout sunt principia.

50. Posttemum argumentum pro infinitate malitiæ peccati mortalis, partim ducebatur ex malignitate cuiuluis peccati mortalis, quia est destructio Dei interpretatiua; partim ex quibusdam specialibus peccatis mortalibus quibus Deus plusquàm interpretatiuè obijcitur destruendus. Sed neque hoc argumentum haberi debet validum. Nam destructio Dei interpretatiua, non est vera Dei destructio, vnde non potest actui cui implantatur virulentiam infinitam afferre. Apparentius est argumentum ductum è peccatis illis specialibus, quibus Deus obijcitur vt destruendus; v. g. quo quis efficaciter vellet Deum destruere, si posset: vbi effectus intentus, est infinitè malus igitur & intentio in illud tendens videtur esse infinitè mala. Respondet Præpositus 3.p.q.1.num.12. voluntatem illam esse inefficacem, cum sit de re planè impossibili; vt autem volitio sortiatur ab opere externo tantum vel tantam malitiam tanquam volitio efficax, necesse est opus illud, quantum est ex sua natura, esse possibile; alioqui voluntas non erit efficax, neque poterit haurire virulentiam obiecti prout efficaciter & reipsa exequendi. In re autem presenti, solum opus prout reipsa exequendum, posset infinitam malitiam actui connectere. Hæc responsio non videtur exhaurire difficultatem, quia voluntas de effectu planè impossibili potest esse efficax quantum est ex parte operantis: quia scilicet quantum est ex se, adhibet omne illud quod requireretur ad executionem effectus, nisi ipse esset impossibilis. Et ita accidit in re nostra. Non ergo apparet, quare malitia in actu non exurgat infinita, cum obiectum efficaciter expetitum, quantum est ex parte operantis, sit infinitè malum. Respondeo igitur, idcirco ab eo obiecto, tametsi efficaciter expetito, non deriuati in actu malitiam infinitam, quia vt supra dixi, mensura qua per actum nostrum attigitur, finita est, cum sit commensa notitiæ intellectus, præsentantis obiectum sub modulo finito: & impetui voluntatis per eam notitiam directo. Qua eadem ratione philosophor, de finitate numerica malitiæ, in eo actu quo quis vellet occidere infinitos homines; & de finitate bonitatis, in eo actu quo quis vellet benè infinitis hominibus. Quia enim infinita illa obiecta, non nisi confusè attinguntur, ac prout substant intellectui, atque adeò voluntati operantis, occurrunt aliter quàm vt infinita; non conferunt actui moralitatem nisi finitam, vt benè statuit Palacius in 2.d. 38. disp.1. concl. *in fine*: meliùs quàm alij aliter philosophantes apud Salam tract. 13.d.5.s.6. Alterum speciale peccatum, ex quo ducebatur argumentum ad probandam infinitatem malitiæ peccati mortalis, erat occisio Christi per Iudæos. Destructus enim est eo peccato Christus, qui res erat infiniti pretij. Sed negandum est, per necem Christo à Iudæis illatam, destructum esse quicquam infinitè dignum. Persona enim diuina salua fuit. Item vniones hypostaticæ partium humanitatis, superstites fuerunt. Tantùm ergo dissoluta est vnio physica inter materiam & formam Christi, quæ Iudæis eius violatoribus, non obuersabatur nisi absolutè & secundùm suam præcisè naturam, quo pacto non erat pretij infiniti; prout autem dignificabatur à Verbo, non obijciebat nisi finitè, Iudæis eam violantibus.

51. Hæc quæ contra infinitatem malitiæ peccati disputata sunt, nemini debent ad peccandum animos facere, Tametsi enim peccatum non est malitiæ simpliciter infinitæ, tamen est immanis omninò atrocitatis, & malitiæ secundùm quid infinitæ; non præcisè ex eo quod attingat Deum, vt philosophatur Pecus q.2. apol. (sic enim è contrario, actus boni essent infinitè boni secundum quid, contra communem æstimationem ac sensum;) sed quod ob excessum Dei supra hominem, tanta sit offensæ in peccato additæ fœditas, vt nullis puri hominis bonis actibus exæquari vel compensari possit, quod est habere infinitatem quandam in ratione offensæ, vt rectè statuunt Lessius lib. 13. de Diuin. perf. num. 187. & Suares lib. 7. de gratia cap. 14. num. 66. Infinitatem verò malitiæ simpliciter dictam, rectè peccato abrogant, Suares 3.p. d. 4.s.7. Vasquez ibid. disp. 2.cap. 2. Ragusa disp. 3. à §. 3. Albertinus 1. princip. compl. coroll. 18. dub.1. Præpositus q. 1. à num. 8. & innumeri quos illi proferunt, ac alij ijsdem posteriores.

Colligitur peccati malitiam excedi à Christi satisfactione, quippe simpliciter infiniti valoris.

52. Ex his præclarè fieri progressio potest, ad id quod intendebamus. Nempe ad probandum, satisfactionem Christi pro iniuria per nos illata Deo, fuisse plusquàm perfectam, & super excedentem. Monstratum namque est, eam iniuriam esse malitiæ simpliciter finitæ, & determinatæ, nec fuisse infinitam nisi secundùm quid & respectiuè tantùm, ac comparatiuè ad vires humanas reparatrices, quæ eo nequeunt corrigi. Atqui satisfactio Christi fuit simpliciter infinita; Ergo non sicut delictum, ita & donum; Ergo copiosa apud Deum & superabundans est, redemptio pro nobis Deo exhibita. Sola minor probanda restat. Eam verò facilè euincemus, si probauerimus opera Christi satisfactoria, fuisse valoris infiniti. Quod cum constet peculiare esse Christi operibus, eo ipso constare potest, non esse hic nobis sermonem de eo valore operum Christi qui ex obiectis derivatur. Is enim est apertè finitus, & nostris quoque operibus communis; tamen non nisi finita dignitate resplendeant. Est itaque sermo, de valore illo operum qui ex personæ operantis dignitate affunditur, vt rectè distinxit Gabriel in 3. d. 19. q. vnica *litera B.* m. Ité tamen negans, hunc valorem in Christi operibus fuisse simpliciter infinitum. Id autem ab eo malè statui, probandum est: nec potest meliùs ostendi, quàm aperiendo eiusdem valoris veram radicem, quod mox præstabo, vbi discussero cuiusmodi sit hic valor; hoc est, intrinsecusne operibus, an extrinsecus; & an ens reale, aut ens rationis; vel motale, vel extrinseca denominatio. Totidem enim sunt, de hoc valore, & eius natura sententiæ.

Num valor ille dicendus internus. & quid sit.

53. Veterum sanè Scholasticorum nonnulli in 3.d. 19. & 20. quibus adhæsit Medina q.1. de satisfactione censuerunt, valorem operum Christi non fuisse illis internum, sed sola extrinseca Dei acceptatione constitisse. Sed hoc repudiat meritò D. Thomas. 3.p.q.1. art. 2. ad 2. (& ibidem Caiet. ac Bartolomeus Medina,) itemque q.48. art. 2. imo in Francisco Stancaro id tanquam suspectum & morbosum notat Bellarm. l.5. de Christo c.2. Estque planè ea sententia abhorrens à sensu Patrū qui sæpe numero cōtestātur, satisfactionē quæ Deo pro offensis humanis offerri debuit, exhibendam fuisse à persona quæ Deus simul & homo esset, vt diabolus non potentia sed iustitia vinceretur. Atqui si Christi operibus non inextitisset valor suus in actu primo,

tio, sed eum extrinsecùs ex diuina acceptatione traxisset; redemptio nostra & Satanæ subiectio, non fuisset opus iustitiæ, sed potentiæ: nec opus fuisset incarnari Verbum, quia æquè acceptari potuissent opera hominis puri. Fuit igitur valor operum Christi, internus ipsiſdem operibus. Accedit ratio; nam secluſa quacunque extrinseca acceptatione Dei, verissimum est, opera Christi fuisse dignissima, quibus in præmium tependeretur à Deo salus nostra. Ea porrò dignitas erat Christi operibus interna, non ad eum modum quo bonitas ducta ex obiecto, appellatur interna actui; sed qua afficiebat suo modo ipsa opera, nec erat honestamentum illis extrinsecùs adiacens non incxistens; sed verè ad modum formæ intrinsecæ, tametsi oriundæ à principio extrinseco, in opus illud influente, nec ei extraneo, sed per modum causæ adiuncto. Hæc enim dignitas infinita operum Christi quam stabilire intendimus, includit quidem vel præsupponit, bonitatem moralem à causis actui internis ductam; nempe ab obiectis: reipsa tamen deriuatur ex conditione personæ operantis, quæ cum sit causa extrinseca, inde factum aliquando est, vt hæc quoque bonitas extrinseca diceretur: non tamen in eo sensu quem nunc reijcimus; quasi scilicet idem sit quod dignitas imputatitia; quam acceptatio extrinseca, operi ex nullis suis causis eam nacto conferre potest. Itaque tantùm dicta est bonitas extrinseca, quia à vero quidem operis principio, sed extrinseca dimanat: vnde absolutè loquendo, & ad commodiorem seiunctionem ab imputatitia illa dignitate, debet dici interna dignitas.

54. Constare porrò ex dictis potest, sitne hic valor ens rationis, an ens morale, an extrinseca denominatio. Esse ens rationis, affirmat Vasquez 1.2.d 95.n.49. Alij dicunt esse ens morale, quod imaginemur veluti appictum Christi operibus; eo modo quo valor monetæ, concipitur vt adhærens monetæ & ratio Sacramenti rebus sensibilibus. Ita multi recentiorum, occasione accepta ex simili quadam Suaris opinione de ratione signi & Sacramenti, quam negat esse, vel ens reale, vel ens rationis; sed vult esse ens morale, consequens deputationem, & per eam rebus deputatis affictum. Ita ille t.3.3.p.d.1.s.3. Alij verò valorem operum Christi de quo agimus, aiunt esse extrinsecam denominationem à diuino supposito. Ita Albertinus Coroll.18.ex 1. princ compl. num. 48. Omitto placitum Ragusæ 3. p. d. 15. affirmantis, hunc valorem operum Christi esse ipsam personalem Verqi dignitatem; quod est confundere fundamentum & causam dignitatis operum Christi, cum eorumdem dignitate: cum tamen fundamentum illud sit actibus externum, non item dignitas de qua agimus. Perinde item est, ad eum modum philosophari, ac si quis diceret valorem monetæ esse legem principis pretium statuentis: quod liquet fore falsò asserendum; cum lex sit quidem origo & radix valoris, non tamen ipse monetæ valor. Hoc igitur placito dimisso, cætera vt licent rejcienda sunt, quamuis in bono sensu vera sint, & admittenda. Quis enim rem ad viuum resecando, & verba vt sonant accipendo, sine risu audiat, valorem operum Christi esse ens rationis? sic sanè cessaret esse, nemine cogitante: & quod nemini Christum amanti acceptum esse poterit, litrum pro nobis Deo exhibitum, esset ens fictitium, formaliter & sub ratione pretij: quod est planè depreciare rem adeò eximiam, & suprà quasuis æstimationes nostras statutam. Ob eadem causas, non potest hic valor conferi ens morale, quod cum non sit nemine cogitante, sed tantùm esse fingatur, nihil aliud esse potest quàm ens rationis. Tandem neque potest valor ille dici esse extrinseca denominatio, iuxta receptam apud plerosque notionem denominationis extrinsecæ, pro forma aduentitia quæ ex coexistentia formæ obiectinè denominantis aduenit: quod pacto esse dextrum, in columna dicitur esse denominatio extrinseca à positione quam habet respectu hominis; ita vt ex brachio humano vel manu, intelligatur affingi columnæ quædam forma, quæ vtique fictitia est, ac proinde etiam ens rationis.

Liquet igitur, placita proposita de quidditate valoris operum Christi, admitti non posse prout sonant. Mihi tamen dubium non est, quin reipsa recidant eodem omnia, & veritatem suscipiant. Quòd enim passim ob imperfectum nostrum concipiendi modum, contingat actui cuius valor apprehenditur, affingi à nobis ens rationis, vt alibi sæpè in simili facimus, v.g. in re quæ depuratur in signum, in fabrica vniuersalis in delectum Iudicem, Magistrum, Doctorem & inde factum est, vt ab adiunctione illa, nec planè necessariò facta, nec tenera ad rem pertinente, hic valor verbo tenus dictus aliquando sit ens rationis. Et quia non est ens rationis qualecunque, sed concomitans effectum moralem, denominatus est ab alijs ens morale. Tandemque dictus etiam est, *extrinseca denominatio*, designando his vocibus ipsammet entitatem denominatam, prout connotat formam aliquam sibi extrinsecam, à qua talis aut talis denominetur. Quæ notio extrinsecæ denominationis, non pugnat cum vera realitate huius valoris, actibus Christi intrinseca. Nihil quippe est præter ipsos actus ex obiecto bonos, prout prodibant ab homine qui simul Deus erat; vbi nihil est non reale, & intrinsecum actibus: ac proinde valor operum Christi, agnoscendus est intrinsecus ijsdem, atque realis.

Radix eiusdem valoris, respectus aliquis satisfactionis ad diuinum personam.

55. His ita constitutis, inquirenda sequitur, (vt proposueram,) radix è qua hic valor in Christi operibus progerminat. Constat porrò eam statui non posse in aliqua purè creata perfectione; sic enim pura creatura potuisset ea perfectione exornari, & satisfacere pro nobis: quod possibile fuisse, negant Patres. Eoque nomine Bellarminus lib. 5 de Christo qui est de mediatore cap.2. ex multis Scripturis & Patribus refellit Franciscum Stancarum, cui visum est, satisfactionem Christi pro nobis, eiusque valorem à sola humanitate manasse; supposito diuino nullatenus, ac ne per modum quidem principij *quod*, interueniente ad satisfaciendum; sed tantùm aiebat diuinum suppositum interuenisse ad roborandam naturam, vt posset pati. Hoc Bellarminus ostendit, cum veritate Catholica, & sensu Patrum, ac Scripturarum oraculis non cohærere. Vt quid enim opus fuit humanitati diuinam personam, si sola humanitas satisfactiones nostras elicuit; Diuinitate eiusque suppositalitate, non nisi per modum sustentantis ad patiendum interueniente, quo pacto absque vnione interuenire poterat? Omnino itaque persona diuina, habuit se in hoc negotio ad modum principij aliquomodo: sicque contulit actibus Christi infinitam dignitatem, quam nullæ purè creatæ perfectiones Christi, conferre poterant: Inter has tamen purè creatas Christi perfectiones, non recenseo vnionem hypostaticam, tametsi est ens purè creatum: quia cum sit essentialiter nexus diuinæ Personæ cum humanitate, & illius veluti via ad humanitatem, non numeratur vt aliquid à diuina Persona seiunctum. Sicut causalitates, non faciunt numerum cum causis quarum sunt influxus, etiamsi distinctio aliqua à parte rei inter causam & causalitatem intercedat. Illa igitur Christi perfectio à qua deriuatur valor operum de quo agimus, neces-

se est vt assignetur ex parte personæ diuinæ, ex Verbi personalitate & Deitate constitutæ, ac per vnionem hypostaticam vinculatæ nostro nihilo; illi, inquam, substantiæ humanæ, cuius fetus sunt actiones de quibus agimus.

Cùm autem necesse sit, valorem operum Christi deriuari ex respectu aliquo eorum ad prædictam increatam Christi perfectionem; isque respectus possit multiplex assignari; videndum est cuinam par sit adscribere radicem quam inquirimus. Primus respectus operum humanitatis Christi ad Verbum humanitati illi coniunctum, esse potest in ratione obiecti. Saltem enim plerique actus Christi Domini respiciebant diuinam personam, tanquam obiectum in quod collimabant. Secundus esse potest in ratione principij effectiui Nam Verbum, sin minùs ratione suppositalitatis, at saltem ratione Deitatis, cum humanitate coefficiebat actus Christi. Tertius respectus esse potest, ad suppositalitatem diuinam tanquam ad terminum substantialem naturæ à qua immediatè profluebant Christi opera. Quartus denique respectus esse potest, tanquam ad formam extrinsecam, immediatè quidem humanitati, sed tamen suo quoque modo actibus eius aduenientem, eosque veluti perfundentem. Totidem ergo assignari possunt sententiæ, de radice valoris in Christi actus à diuina persona deriuati.

Non in ratione obiecti, aut principij purè effectiui.

56. Verùm prima & secunda sententia, procul ablegandæ sunt. Ac primùm prima, quæ petit hanc radicem ex persona diuina, tanquam ex obiecto, manifestè vna est quoad pleraque Christi actiones tendentes in aliud obiectum quàm in Verbi personam. Sed neque satisfacit pro illis Christi actionibus, quæ proximè & immediatè tendebant in diuinam Verbi personam. Nam vt sæpè superiùs tactum est, hîc non agimus nisi de illo valore qui infinitus esse potest, & dimanat à causa actus extrinseca, cuiusmodi non est obiectum, quod cum circumstantijs est mensura valoris interni, seu potiùs moralis bonitatis actuum. Itaque opera pleraque nostra, quæ in Deum tendunt immediatè tanquam in obiectum, vt adoratio; hauriunt quidem ab obiecto illo suo bonitatem eximiam, non tamen valorem infinitum, qualis est is cuius nũc radicem in Christi operibus venamur. Similiterque oblatio, qua Deipara, vel Sanctus Simeon. Christum Patri exhibuerunt, etiamsi habuit pro obiecto diuinam personam, & infiniti pretij, non fuit tamen infinitè digna, sed tantùm fuit finiti valoris. Nimirum quia res oblata, & quodcunque obiectum, non communicat totam dignitatem suam actioni à qua attingitur, sed tantum pro mẽsura affectus boni quo attingitur ab operante; quia sub alia vlteriore sua perfectione secundùm quam affectus operantis non est obiecto commensus, obiectum censeri non iniuria potest munere obiecti non fungi; cum sub ea ratione non attingatur formaliter, sed tantùm quoad paucos quasi gradus diligibilitatis obiectiuæ, gradibus operationis commensos. Esto, materialiter qua est simplex entitas, necesse sic attingi totum. Illa item sententia quæ radicem valoris Christi operum petit ex persona nudè prout operante physicè, admitti non potest, præsertim in sensu in quo à quibusdam videtur accipi; nempè, ità vt suppositalitas Verbi, actiones Christi sit operata. In veriore namque sententia philosophica, suppositalitas non est actiua, sed est merus terminus ac veluti lembus naturæ; ideoque vulgare effatum Aristoteli falsò affictum, *actiones sunt suppositorum*, passim ita exponitur, vt sensus sit, actiones non esse suppositorum electiuè, sed denominatiuè tantùm, vt rectè monuit Durandus in 3. d. 12. q. 2. num. 8. & 9. & fusè Suares d. 34. Metaph. s. 7. à num. 10. Hanc ob causam, actiones externæ Dei, quia non à suppositalitate sed à natura efficiuntur, sunt toti Trinitati communes, quamuis quia suppositalitas exigitur ad rei constitutionem, priusque est rem esse in se completè, quam extra se aliquid efficere, verissimum sit, suppositalitatem non se habere merè per accidens ad actionem à natura profluentem, sed se habere vt conditionem prærequisitam; quod non sufficit, vt intelligamus aduenisse operibus Christi dignitatem infinitam: alioqui sequeretur omnes Dei actiones externas, v. g. productionem muscæ à Deo manantem, esse dignitatis infinitæ, quod est absurdum. Nemo enim productionem illam muscæ, contulerit quoad valorem cum minima actione Christi Domini. Alia ergo connexio suppositi diuini, & operum humanitatis Christi, assignanda est quàm purè effectiua, vt ei radicem tantæ dignitatis, quantam Christi opera obtinent, adscribamus.

Sed in ratione moraliter informantis actiones Christi ac perfundentis diuino vnguine.

57. Postremæ duæ sententiæ propositæ, conflandæ sunt in vnam, qua vera radix valoris quam quærimus contineatur. Cum enim dicitur, diuinam Verbi suppositalitatem dignificare actus Christi, eò quòd sit substantialis terminus humanitatis assumptæ, non est sensus, quod diuina suppositalitas præcisè qua talis, & absque vllo nexu cum operibus humanitatis, dignificet eas: Id enim falsum esset; nam si nullo modo cum eis connectitur, est illis planè extranea, atque adeò non potest eis conciliare dignitatem. Sensus igitur est, Verbi diuini suppositalitatem, informare aliquo modo (tametsi extrinsecè tantùm,) operationes humanitatis Christi, & secundùm æstimationem prudentem conferre illis pretium longè maximum, supra quàm ex principijs earum intrinsecis dimanaret. Et quamuis diuina Verbi suppositalitas quâ talis, ac prout potest quo. quomodo præscindi à Deitate, non sit infinita, nisi in certo genere, quod rectè contra aliquos id quoque negantes, statuit Suares l. 3. de Trinit. cap. 12. n. 7. Tamen & ea infinitas in ratione personæ, quantumuis sola esset, sufficiens esse posset ad fundandam radicem valoris quam quærimus, & infinitas simpliciter, quæ citra controuersiam est in Deitate personis diuinis identificata, idem citra omne ambiguum præstat sufficientissimè. Impossibile quippe est, humanitatem iungi hypostaticè Verbo, quin eo ipso materialiter & identicè iungatur Deitati & ab ea efficiatur quicquid humanitati inest, diuino illo balsamo, eiusque redolentissima fragrantia, ad omnia humanitati inexistentia se diffundente. Vnde quia actiones Christi immanentes, inhærebant naturæ humanæ iunctæ cum Verbo, meritò censebantur Diuinitate imbutæ & quasi perfusæ, moraliter rem æstimando; indeque trahebant dignitatem infinitam: quæ per redundantiam quandam ob moralem nexum, vel potius identitatem internarum & externarum actionum eiusdem suppositi, refundebatur & quasi exundabat in actus externos & imperatos, bonos moraliter, qui soli bonitatis huius extrinsecæ ac dignificationis capaces sunt. Illustrare id possumus, exemplo actionum viri iusti sanctitate creata collucentis. Sicut enim actio supernaturalis, quæ in peccatore non esset meritoria, in homine iusto, propter conditionem personæ eiusque sanctitatem est meritoria; non quidem ob physicum influxum sanctitatis creatæ in eam actionem, sed quia actiones hominis moraliter bonæ, secundùm prudentem æstimationem perfunduntur eius sanctitate, & illius fragrantia imbuuntur; Ita actiones Christi Domini, trahebant à sanctitate increata adiuncta humanitati, cui inhærebant, valorem & dignificationem, quatenus quodam

dammodò afficiebantur per diuinam suppositalitatem, & redolebant ex adiunctione ad eam.

Adiunctionem porrò illam, caue accipias de vnione physica ad Verbi hypostasim, quæ impossibilis est. Actiones enim cum sint accidentia, sunt incapaces vnionis suppositalis, vt optimè obseruauit S. Damasc. 3. fidei cap. 14. *sub finem*, refellens vnionem hypostaticam voluntatis creatæ Christi, cum voluntate increata; itemque volitionis creatæ cum diuina. Accipienda ergo est ea quam dixi adiunctio, de vnione secundùm prædicamentum æstimationem. Verè enim actio manans à natura humana diuinitùs suppositata, & eidem inhærens, coniungitur moraliter supposito diuino ac Deitati Verbo Dei identificatæ; estque aliquid non humanitatis tantùm quam afficit, sed & Verbi: vnde non potest non redolere Verbi fragrantiam, indeque valorem & dignitatem haurire.

Neque tamen omnes Christi actiones dictæ Theandricæ, iuxta Patres.

58. Sunt quibus videatur id significasse S. Dionysius epist. 4. quæ est ad Caium, vbi Christum Deum & hominem, suprà hominem quæ hominis sunt gessisse affirmat; & neque diuina vt Deum, neque humana vt hominem perfecisse, sed elicuisse nouam quandam, ac inusitatam ex Diuinitate & humanitate permistam operationem quem S. Damascenus allegato loco D. Dionysij 3. fidei cap. 19. passimque Græci Patres, vocant *theandricam*. Reuera tamen S. Dionysius & Græci Patres prædicti, aliò spectarunt cum Christi operationes vocarunt Theandricas. Neque enim omnes Christi operationes (tametsi ita prima fronte velle videtur S. Cyrillus l. de S. Trinit. cap. 19.) theandricas nominant, cum tamen omnes Christi operationes morales, eo vsque fragrantissimo quo vncta est Christi Domini humanitas, perfundantur. Appellant ergo operationes theandricas, illas quæ ita exercebantur per humanitatem, vt tamen aliquid in eis micaret, exhibens interuenientem Dei manum atque potentiam. Non habeo quomodò meliùs, & aptiùs id explicem, quàm si verba proferam quorumdam Patrum id versantium.

Anastasius Sinaita cap. 1 ὁδηγ. [Theandricam, hoc est, Deo hominique consonam, operationem illam nominamus; quæ communioni naturæ diuinæ & humanæ conuenienter, à Christo patrata est, qualis erat cæci per lutum curatio; & excitatio filiæ Archisynagogi, attactu sacro sanctæ manus Christi peracta; benedictio panum; surdi sanatio interuentu digiti; resurrectio Lazari, ministerio vocis; sanguinis fluxus ex mortuo corpore, latere percusso; ambulatio supra mare; & communicatio Sancti Spiritus per insufflationem in discipulos.]

59. Sophronius in epistola ad Sergium Constantinopolitanum, quæ refertur in 6 Sinodo act. 11. perfatus se in duplici Christi natura, vnam subsistentiam, & plures vnius Christi operationes agnoscere, addit de operationibus. [Omnes eius & voces & operationes credimus, licèt quædam sint Deo decibiles, quædam verò ita rursus humanæ, quædam verò medium quendam ordinem obtineant, tanquam habentes in hoc, ipso Deo dignum quid & humanum. Huius verò adserimus esse virtutem etiam illam, qua dicitur noua & Dei virilis operatio, non vnam existentem, sed diuersi generis ac differentem, quam ex Areopago à Paulo egregio diuinius captus, Deo vocatus, asseruit Dionysius, vtpotè Deo decibile in hoc ipso & humanum habentem, perque alacrem atque compositum προσρησεσ-dictionem vnius cuiusque substantiæ atque naturæ, vnamquamque perfectè significantem operationem.]

Insigniter Damasc. orat. quomodò ad imaginem Dei facti simus, *in fine*, allegato D. Dionysio, & pulchra similitudine exposito. [Vtraque in Christo natura cum vtriusque communione, ea & volebat & agebat omnia, quæ propria ei erant, cum humana eius tum voluntas, tum agendi vis diuino ipsius imperio, & actioni ministram se præberet. Vt enim per eius corporis actionem & functionem, diuina eiusdem actio munere fungebatur (tenuit enim manu puellæ manum, eique dixit *puella surge*, & tactu à Verbo diuina vis agendi puellæ vitam restituit.) Sic humana opus voluntate diuina eius voluntas agebat. Cùm enim voluit, diuinitùs miraculum operatus est: & cum humana voluntate voluit, manum porrexit, & dixit, *surge*. Atque vt vno verbo finiam, omnia quæ humana voluntate voluit, & egit, mundo fuerunt salutaria. Neque enim qua ex parte Deus erat, ea quæ Deum attingebant, operabatur: quippe cum nõ solius Dei tactu, aut manuum dilatatione miracula ederet, nec quâ homo erat, res quæ ad homines pertinebant gerebat: Non enim solius hominis supplicia salutem mundo attulerunt; sed cum Deus esset, homo factus est, nouamque quandam & inauditam rem Dei & viri communem edidit: diuinam quidem, sed quæ humanæ operaretur: humanam, sed quæ diuinæ ministraret, atque pareret; quæque Diuinitatis sibi coniunctæ signa præ se ferret. Vt enim ignis & ferri diuersa sunt munera, & actiones; Neque enim ignis secat, sed incendit & illuminat, ex vi agendi quam ei natura attribuit: & rursus ferrum non incendit, sed secat, & nigrum est: cum autem ea coniuncta & copulata fuerint, coniunctè iam non distinctè, suum munus vtrumque exequitur. Simul enim & sectio & incendium existit, ferroque ignis tum intendit, tum illuminat, cum interim non vna sit naturalis vis agendi, sed duæ, vna ignis, qua vrit: altera, quam ferro natura dedit, diuidendi, & vtriusque sua est affectio: eius, qua ignis præditus est, incendium: eius quæ ferro data est, diuisio. Quin etiam & ea quæ ad vrendum pertinet, diuidere, & ea quæ ad secandum valet, incendere potest:) Sic in Domino nostro Iesu Christo, vtraque natura, ea quæ ad se propriè pertinent, altera adiutrice & socia exequitur; cum interea nec vna duæ sint, nec duarum sit vna effectio, & officium: sed humanæ eius naturæ sua sponte obedire & seruire diuino imperio & voluntati, suaque voluntate manum porrigere, & puellam tangere, iussu & imperio Diuinitatis, quæ puellam tactu excitabat. Ita humanæ actionis finis in libera manus dilatione, & tactu positus erat, diuinæ autem in puellæ exitatione. Quo circa non dixit magnus Dionysius, vnam Dei hominisque actionem, sed absolutè nouam & inusitatam Vtraque enim inusitata erat & diuina atque humana. Neque enim numerum expressit his verbis, sed modum inusitatum.]

60. Tandem egregiè planè S. Cyrillus l. de S. Trinit. cap. 18. & 19. verbis illis. [Duæ itaque in Christo voluntates sunt. Vult autem etiam secundùm vtramque voluntatem, & agit secundùm vtramque actionem, vnus idemque Deus homo: non seorsim in Deum, & in hominem seorsim diuisus, sed vnus citra partitionem existens, idem Deus & homo, seu quod idem dictu est, Deus & vir. Qua de causa qui Theandricam, hoc est, à Deo & homine simul profiscentem actionem dixit, confusionem naturalibus actionibus non induxit; sed earum summam & arctissimam vnionem, quodque humana actio Deificata sit, ostendit. Quemadmodum enim in Christo per vnionem humana natura Deificata est; sic sanè etiam voluntas & actio iuxta, Deificata est. Quapropter etiam ipso prodigia edente, cum diuinis actibus humani coniungebantur, & ex humanis actibus, sermonis putà & tactus aliorumque huiusmodi, diuina signa procedebant. Quemadmodum ferri acuti, igniti, secantis, & vrentis, in eodem & sectio cum vstione fit, & vstio à sectione separari non potest: & ipse hic actionum concursus, vnitatem ipsis,

non quidem quoad naturam, sed quoad vnionem cõciliat. Qui itaque Theandricam seu Dei virilem actionem dixit, is quidem pronunciatione vnitatis numero facta, duas actiones coitione vnum esse, neque re vera à se inuicem discretas esse declarauit: Cum autem Dei virilem appellauit, diuinam videlicet & virilem, differentiam actionum quam naturæ etiam post vnionem habent, commonstrauit.]

Itaque actio Theandrica dicitur, quæ diuinè humana est; hoc est quæ ita prodit ab homine, & ita per humanitatem exercetur, vt tamen deposcat diuinam manum interuenire in ea per humanitatem profundenda. Sic ambulare super aquas, est actio Theandrica, quia ambulare hominis est; dare autem aquis soliditatem ne cederent prementi, diuinum opus fuit. Nec huiusdmodi actiones Theandricas damnat Quintianus Asculanus epistola ad Petrum Fullonem Anathemate, eum Dei virilitatem ex hoc mysterio ablegat. Spectauit enim dumtaxat, sensum Eutychianum naturas confundentem; in quo sensu hæreticos Seuerianos Eutychetis propaginem, abusos fuisse *operationis Theandricæ* nomine ad vnam Christi naturam inuehendam, affirmat suprà Anastasius.

Difficultates contra propositam valoris infiniti in Christi operibus radicem.

61. Habemus ergo veram radicem valoris operum Christi satisfactoriorum sitam esse in connexione operum Christi cum diuina suppositalitate, & Deitate ei identificata, non tanquam obiecto, vel principio purè effectiuo, sed tanquam termino immediato ac mediato humanæ naturæ cui inexistunt, per quem terminum tanquam per extrinsecam formam imbuuntur ac perfunduntur quodammodò, ita vt non possint non redolere eius fragrantiam. Nec quæ in contrarium vrgeri possunt, radicem valoris operum Christi à nobis propositam conuellunt. Cuiusmodi est id quod aliqui opponunt, hinc sequi omnia Christi opera esse æquè digna, cum omnia sint æquè humanitati Christi conuncta, & æquè perfundantur Deitate. Item secundò, quod hinc sequi videatur, nostros bonos actus honestari, & valorem accipere ex adiunctione, ad gratiam sanctificantem creatam, vnicuique nostrum debitè disposito inditam; & quidem maiorem haurire valorem quo plus sanctitatis ineuit persona in qua actio recipitur. Si enim dignitas aliqua operi aduenit ex suppositi dignitate, necessarium quoque erit crescente dignitate suppositi per vberiorem gratiam, crescere quoque dignitatem & valorem actus. Tandem tertiò, quod hinc sequatur, malos actus hominis peccatoris tetriores effici, quo persona nequior erit? & è contrario quoque, actus bonos à peccatore elicitos inquinari ex circumstantia personæ nequam; ac proinde omnia peccatorum opera esse peccata; quæ videtur fuliginosa, & reproba doctrina, vt traditur cum de gratia & de infidelitate.

Expediuntur, admisso æquali valore extrinseco in omnibus Christi actibus.

62. Nego ista esse efficacia, & radicem valoris operum Christi à nobis propositam labefactare. Ac primùm quod primò obijciebatur, nequaquam absurdum est, sed verum & admittendum. Æqualitas enim dignitatis & valoris quem in quibusuis Christi operibus bonis ac liberis, consideramus, cum non sit valoris intrinseci, & ex obiecto ac circumstantijs inæqualiter applicabilibus ducti, sed extrinseci & petiti ex sola dignitate personæ, quæ vna est, & æqualiter ad quasuis operationes interuenit; meritò agnoscenda est in quibusuis Christi operibus. Et quamuis mensura valoris illus quem aliqui *physicum* appellant, & ex obiecto ac circumstantijs inæqualibus, vel inæqualiter adhibitis dicitur, possit esse inæqualis in varijs Christi operibus, prout in hoc illudve obiectum sub his alijsve prædictis circumstantijs ferebantur, qua ratione Durandus in 3.d. 18.q.3. & Sotus in 4.d.1.q.3. art.5. agnoscunt, Christum per passionem plus meruisse, quàm per alia opera. Attigi iam supra, duplicem hunc operum valorem ex Gabriele in 3.d.19.q. vnica *litera B*. Possumusque fortassis in eandem sententiam adducere Capreolum in 3.d.18.q.vnica art.3.ad 5. Scoti, vbi distinguit in actibus Christi, bonitatem instrinsecam & absolutam, à respectiua. Nec enim occurrit quid possit aliud esse bonitas respectiua apud Capreolum, quàm ea quæ hic à nobis vocatur extrinseca, & exurgens ex circumstantia personæ: Vnde fit vt actus Christi potiatur idoneitate ad proficiendum infinitis, quo pacto suam illam bonitatem extrinsecam interpretatur Capreolus.

Incremento valoris, pro auctiore personæ dignitate.

63. Honestatio operis ex personæ operantis dignitate, & maior ex dignitate maiori, de qua erat argumentum secundum, æquè admittenda est. Dignitas enim & valor operis, non pendet tantùm ex specificatione & honestate actus, sed etiam ex conditione personæ operantis; quæ cum sit vna ex circumstantijs actus, non potest non conferre ad eius pretium. Quod liquidò cernitur in dispositione vltima ad gratiam sanctificantem, quæ primùm aduenit gratia sanctificans qua persona operans reddatur Deo accepta, non potest condignè quicquam mereri. Efficitur autem meritoria vitæ æternæ, cùm primùm aduenit sanctitas personæ. Quòd si sanctitas personæ redundat in actionem, eamque efficit pretiosam & dignam, perspicuum sanè videtur, maiorem personæ sanctitatem, maioris dignitatis fontem esse: nam vt se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Æquissimum itaque videtur, & diuinæ prouidentiæ ac æstimationi prudentissimæ, qua de actionibus nostris pronunciat, valde accõmodatum, vt opus hominis amicioris ac eminentioris, acceptius habeat & gratius. Sicut quo persona intercedens ac deprecans est dignior & altior, eo facilius exorat quòd deposcit. Laudani in hanc rem graues DD. Valentiam, Suarem, Albertinum, inprimisque S. Thomam, agens de bonitate formali in Morali dist. 4. num. 183. Repugnant verò Angelus & Vasquez, ibidem prolati: sed nihil adducunt in quo dissoluendo sit multùm nobis laborandum: cum videantur laborare confusione dignitatis extrinsecæ cum valore intrinseco siue bonitate completè sumta, quæ tamen longè differunt. Non ergo ex eo quòd admittamus, sanctitatem auctiorem promouere extrinsecam operis dignitatem, inferre licet, (quod tamen Vasquez facit,) minimum opus bonum viri sanctissimi, præcellere simpliciter quantocunque operi viri minus sancti. Hoc, inquam, ex sententia proposita non sequitur. Neque enim valor operis completè sumptus, ac integratus ex dignitate actus intrinseca & extrinseca, admetiendus Arithmeticè est sanctitati & dignitati personæ, cum ea dignitas, non sit tota honestas & pretiositas actus boni. Admetiendus ergo est & adconditionem personæ, pensatis simul alijs operis boni ac digni dotibus, quæ nunquam ita decrescent in opere puri viatoris, vt absorbeantur per valorem deriuabilem ex sola sanctitate creata alterius operantis: ex qua resultat dignitas operis adiunctis omnibus ad illud interuenientibus, non autem pro solis gradibus sanctitatis efficientis personam. Itaque ex sententia proposita, licèt tantùm inferre, personam digniorem, si cætera sint paria, edere opera digniora & pretiosiora; quod est

est verissimum : Non tamen inferri debet quot gradibus auctior est personæ sanctitas, atque adeò etiam dignitas extrinseca, totidem gradibus crescere operis ab ea profusi dignitatem simpliciter dictam, atque valorem absolutè & completè sumptum, dimisso respectu ad cætera aduncta operis, & præsertim ad obiectum. Hinc quoque retunditur alter Vasquesij insultus. Ait enim incredibile esse, hominem antea magis iustum, sed segniùs se gerentem homine minus iusto, plus mereri sic se gerentem, tantùm ratione pristinæ sanctitatis : quasi Deus eam dumtaxat attendat, & non etiam opus præsens, ac conatum, & affectum quo exeritur. Hoc faceor incredibile esse ; sed nego ex sententia proposita sequi ; quia iuxta eum Deus in dignitate operis taxanda, non spectat operantis dignitatem abiunctam à reliquis adiunctis operationis, sed ad omnes simul attendit. Vnde qui impensiùs laborat, digniorem elicit operationem, quantumcumque dignitas extrinseca, (quæ sola meritum operi non confert, si sola spectaretur, auctior foret in opere iustioris hominis, segniùs elicito.

An persona pravitas, similiter se habeat ad bona & mala eius opera.

64. Fixum igitur esto, personæ sanctitatem conciliare operi valorem; ac si de solo valore extrinseco agatur, cæteris paribus eo maiorem conciliare, quo persona sanctior est : quod in secundo argumento proposito, inferebatur tanquam absurdum ; sed non rectè. Vt neque bene in argumento tertio inferebatur tanquam incommodum, quod indidem sequi videatur, actus peccatoris quo nequior ipse est ac tetrior, esse tetriores ac indigniores. Hoc agendo de extrinseca indignitate, proportionaliter respondente dignitati extrinsecæ de qua hactenus, non puto esse respuendum. Militat enim proportionalis ratio : quia sicut actus boni aduenientes personæ sanctæ, sanctificatur adhuc ; ita æquum est, vt actus praui missi intra cœnum personæ nequam, fœdescant adhuc, virusque sententiæ illius & cloacæ conibant. An verò è contrario actus boni prodeuntes à peccatore detestentur aliquatenus à malitia operantis, dubitari non immeritò potest ; cum & eadem ratio hic quoque vrgere videatur, & Isaiæ 66. dicatur, Iudæos peccatores afferentes sacrificia, perinde fuisse Deo acceptos ac si canem excerebrassent, nequitia personæ refusa quadantenus in opus eius cæteroqui bonum. E contrario tamen, quod opus bonum à persona nequam prodeat, nonnihil plus admirabilitatis habet : tanquam si ex arbore amarissima, suauissimus fructus existat, quod gratiam & gustum fructus adauger. Nec sanè videtur pravitas operantis esse vllo modo circumstantia operis boni, quamuis sanctitatem personæ admiserimus esse circumstantiam *(quis)* respectu boni operis ; & nequitiam respectu operis mali; quia vtraque illa operatio bellè respondet talibus operantis conditionibus, estque idonea eatum materia, non item opus motaliter bonum respectu dehonestationis à nequitia operantis refundendæ ; quia si persona exhibens bonum magis amatur quo melior est, & gratiam muneri conciliat maiorem, non sequitur personam malam exhibentem opus bonum, detenere eius bonitatem, ad quam malitia personæ se habet plane per accidens, sicut & bonitas personæ ad malitiam actus. Res videri potest vtrimque agitabilis. Si tamen potior responsionis pars quia expeditior arrideat, quæ scilicet admittit, opus ex se bonum inquinari ex operantis fœditate; negandum est, eam labem quæ non est nisi extrinseca, & refusa ex indignitate operantis, esse turpitudinem moralem simpliciter dictam, siue maliciam, quæ non resultat nisi ex appositione obiecti, aut circumstantiarum prohibitarum, cuiusmodi non est indignitas personæ. Nemo enim tametsi inquinatissimus vetatur benè agere.

Lis de principio quod *satisfactionum Christi, diiudicata ex dictis.*

65, Et hactenus de radice dignitatis extrinsecæ operum Christi satisfactoriorum, & illius externi valoris quem interno contra distinximus. Monstratum enim sufficienter est, eam radicem aliam non esse, quàm quod opera Christi essent opera suppositi infinitè digni ; quippe constituti per Deitatem infinitè sanctam, qua veluti perfundebantur actiones prodeuntes ab humanitate tali supposito terminata. Hinc diiudicanda est lis quæ agitatur inter Vasquem 3. p. d. 8. c. 2. affirmantem, humanitatem Christi Deitate sanctificatam, esse principium *quod* operum Christi satisfactorum ; diuinum autem suppositum non nisi remotè & per idiomatum communicationem idem præstare, & inter Aluarem disp. 5. concl. 3. fusè id impugnantem, & contendentem, humanitatem non esse nisi principium *quo*, diuinam autem Verbi personam, esse principium *quod*, quia actiones sunt suppositorum. Ergo actiones quibus Christus pro nobis satisfecit, prodibant à diuino supposito efficienter, tanquam à principio *quod*. Sicut in nobis gratia sanctificans inungens humanitatem, ipsaque humanitas sic inuncta non sunt principium *quod* operum nostrorum meritoriorum, sed tantùm principium *quo* suppositum nostrum operatur. Eodem igitur modo se habuit humanitas in Christo, etiamsi spectetur vt delibuta unguine Deitatis. Vnde Patres, condignitatem satisfactionis Christi non desumunt ex humanitate delibuta, sed ex Verbo infinito per humanitatem operante. Nam suppositum, & in Deo, & in nobis est quod mouet & applicat naturam ad operandum, atque adeò est id cui per se conuenit operari. Vnde sicut Christus dicitur passus & mortuus pro nobis, non autem humanitas ; ita non humanitas, sed suppositum, dicendum est pro nobis satisfecisse condignè, & ex iustitia, Deo læso : alioqui non plus aliterùe concurrisset Verbum ad satisfactiones Christi, quàm humanitas eius ad creationem vniuersi. Quid quòd operationes Christi, si defuisset gratia habitualis, quantumcumque humanitas perfunderetur Deitate, non fuissent supernaturales, atque adeò neque meritoriæ condignè ? Non igitur humanitas Deitate perfusa, dici potest principium *quod* satisfactionũ Christi pro nobis.

66. Aio, ex dictis diiudicari facilè posse hanc litem. Monstraui enim suppositum quà suppositum, non interuenire efficienter ad operationes naturæ, sed tantùm ad modum conditionis prærequisitæ, quatenus priùs est rem esse in se perfectè & completè constitutam, quod habet formaliter per suppositalitatem, quàm operationes profundere. Itaque rectè à Vasque constitutum est, satisfactionem nostrarum valorem non esse à suppositalitate tanquam ab operante : esse verò à natura prout delibuta vnguento Deitatis, interuentu suppositalitatis tanquam termini naturam illam complentis, eique conuenientis Deitatem. Quia tamen dignificatio operum est à Deitate prout identificata supposito terminanti naturam cui operationes illæ inhærent, atque adeò Deitas habet se per modum formæ moralis ad eas prout satisfactorias, admittendum non est, suppositalitatem cum actionibus prout dignis & ad satisfaciendum idoneis, connecti per solam communicationem idiomatum, & se habere tantùm eo modo quo humanitas Christi ad creationem, non modò ipsa anteriorem (cum qua reuera non conteritur,) sed posteriorem assumptione humanitatis per Verbum : quia in ijs quæ vni Christi naturæ tribuuntur per meram communicationem idiomatum, altera se habet merè communicanter, quod hîc locum non habet

habet: sed Deitas habet se ad modum formæ dignificantis, ac perfundentis non modò humanitatem, sed etiam operationes quas recipit. His rite perspectis concidunt vniuersa quæ ex Aluare proponebantur. Falsò enim assumit suppositalitatem esse actiuam, & suppositum quâ tale influere in actionem naturæ, siue in nobis, siue in Christo, plusquàm per extrinsecam denominationem, quod attinet ad efficientiam physicam. Perperam quoque actiones Christi satisfactorias, cum humanitate per Deitatem delibuta comparatas, æquiparabat actionibus æternis Dei, comparatis cum humanitate Christi, inter quæ duo, est patens discrimen vt supra diximus. Tandemque nullo inte contendit, supernaturalitatem operum Christi, deriuatam esse ex gratia eius habituali; ita vt quantumus humanitas Christi operans delibuta fuisset Deitate, tamen operationes Christi carituræ fuissent valore satisfactorio & supernaturalitate, si Christus expers fuisset gratiæ habitualis. Hoc nulla ratione est verisimile. Sanctificato enim humanitatis Christi, atque adeò etiam operationum eius, multo magis ex Deitate, quæ est gratia substantialis, quàm ex gratia sanctificante creata, oriri potuit.

Infinitas valoris in Christi satisfactione, stabilitur.

67. Ex omnibus quæ hactenus constituta sunt, facile erit inferre, quantitatem immetatam valoris operum Christi satisfactoriorum, ad quam venandam per tot ratiocinationum anfractus expatiati sumus. Assumpseramus enim probandum, satisfactionem Christi excedere iniuriam Deo per nos irrogatam; eo quod hæc finita sit, satisfactio autem Christi, sit infinita. Hanc infinitatem vt astrueremus, de radice valoris operum Christi agendum fuit. Cum ergo de radice prædicta constet, clarè nunc probatur, valorem satisfactionum Christi esse infinitum: quia persona infinitè digna, afficit bonas operationes suas dignitate extrinseca infinita. Certum enim est, respectum ad personam operantem, multum conferre ad dignitatem & valorem extrinsecum operis; quandoquidem persona operans est veluti forma actionis suæ; ac proinde eam dignam & æstimabilem reddit. Ergo si persona sit infinitæ dignitatis, qualis vtique est persona Christi, non videtur dubium, quin dignitatem infinitam actibus suis bonis conciliet. Qua in re pensandum est discrimen latum inter actus nostros tendentes in personam infinitam, & actus à persona ipsa infinita prodeuntes. Nam quia nos sumus talis obiecto prorsus extrinseci, & obiectum non se communicat actui nisi secundùm tendentiam operantis, & actionis habitudinem; propterea sicut habitudo actionis ad obiectum infinitum, finita est; ita quoque ipsa actio nostra, est omnimodis finita simpliciter. At actiones à persona infinita prodeuntes, intimùs connectuntur cum persona à qua prodeunt, (quippe principio ipsarum,) quàm nostræ actiones cum obiecto illis extrinseco. Quare cum prodeant à tali persona adæquatè spectata, non possunt non perfundi tota eius dignitate, quæ infinita est; atque adeò infinitè dignas reddit operationes.

68. Erant verò hæc liquidiora si ex duabus rationibus moralibus quæ dignitatem operum Christi indifsociabiliter integrant, videlicet meriti & satisfactionis, in solam rationem satisfactionis defigamur, seposita ratione meriti, quæ huic loco necessaria non est. Certum itaque esse videtur, rationem satisfactionis multùm crescere aut decrescere, pro dignitate personæ satisfacientis; quamuis è contrario iniuria pro dignitate personæ ipsam inferentis, decrescat, euadatque tenuior. Vtrumque manifestum est ex vulgaribus exemplis. Princeps enim si plebeium quempiam percusserit, multo minorem iniuria censetur intulisse, quàm si alius plebeius idem præstitisset: quamuis ob peculiarem personæ altioris conditionem, quam magis deducat sic se gerere, possit contingere vt decrescente per eam eminentiam iniuria, crescat culpa. Sic enim si Episcopus, quem iuxta Apostolum oportet esse non percussorem, immeritò in vilis alicuius personæ tergum sæuiret, culpa esset maior ratione dignitatis Episcopalis; ex cuius tamen eminentia decresceret iniuria illata vili personæ. Ad eum igitur modum decrescit iniuria pro auctiore dignitate personæ à qua iniuria deriuatur. At è contrario satisfactio, crescit quo persona satisfaciens dignior est atque sublimior: quia opus satisfactorium quod & operosum est, & cum satisfacientis subiectione coniunctum, eo magis idoneum redditur ad iniuriæ abstersionem, quo persona sic se demittens, altiorem ac sublimiorem dignitatis gradum occupat. Atqui persona Christi est infinitæ dignitatis. Quod tametsi indubitatum est, placet tamen illustrare insigni ratiocinatione Richardi Victorini l. 2. de Emanu. cap. 15. [Attendite (inquit) diligenter & considerate vehementer; tanta persona quàm sit sublimis, quàm sit humilis, cuius sit potestatis, quantæ compassionis. Cuius quæso sublimitatis, quantæ inquam potestatis, persona in qua nobiscum Deus, persona cuius imperium super humerum eius? Persona inquam cuius imperium non in multis millibus subiectorum; non in multitudine innumerabili exercituum; sed totum super humerum proprium; Cuius itidem humilitatis quantæ obsecro compassionis, quæ sublimitatis suæ oblita, quæ potestatis suæ maiestate dissimulata, butyrum & mel comedendo, propter nos ad participationem muscarum descendit, & tam malorum quàm bonorum nostrorum experientiam sponte suscepit; Quid nobis facere non possit persona in qua Deus sit, imo persona quæ Deus nobiscum sit? Quid pro nobis, quod ad salutem nostram spectet, facere nolit, qui ad passiones nostras ex sola compassione descendit? Ecce in his habes quanta vel qualis persona hæc sit, quæ potestate prædita, & ad cõpassionem prona, suis fidelibus prodesse, & efficaciter possit, & indubitanter velit.]

Persona igitur Christi, eum infinitè digna esset, omnino debuit satisfactiones quas elicuit, dignitate satisfactoria infinita perfundere Quod agnoscunt manifestissimè S. Thomas quodl. 2. art. 2. & opusc. 3. p. 7. Aureolus in 3. d. 20 q 1, art. vnico. Vega lib. 7. in Trid. cap. 8. & q. Mendoza quodl. 10, Scholast. num. 4. Suares t. 1. 3. p. d. 45. 4. Ragusa 3. p. d. 11. §. l. Albertinus 1. princ. compl. coroll. 18. num 9. & 10. qui alios tum Scholasticos tum Patres huic veritati astipulatos proferunt. Nec omittendus qui id disertè tradidisse videtur Clemens 6. in extrau. *Vnigenitus*, de pœnitentijs & remissionibus.

Difficultates in contrarium.

69. Sed erumpunt contra hanc sententiam examina difficultatum. Imprimisque sequi ex ea videtur, Christum Dominum satisfaciendo pro nobis, obliterando iniuriam Deo irrogatam, nobisque gratiam & gloriam promerendo, elicuisse opera quæ Deo æquè placerent ac ipsa increata Dei bonitas, quandoquidem ei placebant infinitè. Ad hæc secundò, quomodo potuit valor operum Christi esse infinitus, si non differt ab illorum operum entitate, quæ vtique finita est? Præterea tertiò iuxta nos, meruerit Christus infinitum præmium quale tamen non est cõsecutus; ex qua sequitur mercedem operarij manere apud Deum, non modò vsque mane, sed in æternum. Imo videtur impossibile esse, vt Deus æquale præmium rependat tam multis Christi operibus infinitè dignis. Quodnam enim esset infinitum illud præmium, quod operibus illis potest rependere? Nam ipse quidem Deus, in ratione præmij

per

per nos participabilis, non est infinitus, cum non nisi finitè astringatur, nec possit per nos comprehendi. Et quamuis diuina vi nihil vetet produci visionem Dei entitatiuè infinitam, tamen illa visio non esset adæquatum & condignum præmium operum Christi, quia esset ordinis inferioris quàm sint actus Christi, & infinita eorum dignitas. Vnde sicut vnum infinitum potest esse inadæquabile & incommensurabile per alterum, v.g. infinitum aureorum, non potest æquari per infinitum argenteorum, quia semper aurei sunt pretiosiores argenteis: Ita multo magis, infinitus valor operum Christi, quia esset ordinis superioris, pretiosior semper esset visione quacunque, etiamsi gradualiter infinita; nec posset per eam adæquari, aut compensari. Præterquàm quod non potest Dei visio rependi Christo tanquam præmium rei benè gestæ, ac priorum operum; cum sit Christo connaturale videre Deum. Tandem quartò, vt hæc omnia deessent, verè que excogitari posset præmium aliquod infinitum, quod Christo rependi posset, tamen illud quantum quantum esset, vnico actui Christi deberetur, quippe præsito infinita dignitate ac vi cùm satisfactoria, tum meritoria, nullis concluſa terminis. Cæteri ergo actus Christi, boni ac præmio digni, qui innumerabiles sunt irremunerati manerent.

Prima & secunda, expediuntur.

70. Hæc dissoluere, non erit operosum. Ad primum nego Deum æquè amare Christi opera, ac seipsum. Quamuis enim dignitas quæ in Christi opera ex personæ infinitate redundat, sit infinita; tamen cum non sit primaria ipsa Dei dignitas, & (vt ita dicam,) fontalis, sed derivata, & per communicationem quandam refusa in actus, non est tanta quanta est dignitas Dei, quem constat esse primarium Analogatum in serie bonorum, & obiectorum diuini amoris. Imo quia quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur quoad affectiones, quatum subiectum est incapax: actus autem cui dignitas participata insidet, creatus est, ipsa quoque dignitas eius, est creata non increata, longeque differens à Verbi persona, contra quàm malè sæpè affirmat Raguſa. Itaque mirum non est, quod Deus multo magis diligat fontalem suam & increatam bonitatem, quàm bonitatem operum Christi, & creatam & participatam, tametsi infinitatem, non quidem entitatiuè & physicè de quo erat argumentum secundum, sed moraliter & secundùm æstimationem prudentem. Nam physicè quidem & entitatiuè, omnis valor operum Christi finitus est, cum aliud nihil sit præter ipsa opera, quæ vtique finita sunt, & certo modulo concluſa. At cum pronunciandum est de quantitate valoris merito aut satisfactioni inexistentis, non habetur ratio nisi prudentis arbitrij, & valoris spectati moraliter: Qua ratione diximus, valorem operum Christi esse infinitum.

Ad tertiam, de inadæquatione cuiusuis præmij, cum Christi operibus.

71. Paulo implexius videtur esse argumentum tertium, quod est de præmiatione eò digna operum Christi si sunt infinitæ dignitatis & valoris immensi. Fuerunt enim qui argumento succumberent, & remunerationem æqualem tam dignorum ac pretiosorum Christi operum, impossibilem esse fatentur. Sed hoc ego nunquam concesserim, tum quia magnam Deo imperfectionem affricat, quippe qui dicitur non esse soluendo, tum quia ea ratione si benè attendimus valdè inanitur Christi meritum, quod dicitur ad impossibile terminari: ac proinde inane redditur quoad excessum supra præmium ei debitum, quandoquidem tota ratio meriti, penes præmium spectatur, quod si aliqua ex parte sit impossibile, meritum quoque ex ea parte euanescere sit necesse. Aliter itaque enodandum est tertium illud argumentum, adhibita distinctione duplicis æqualitatis præmij & meriti. Potest enim & absoluta æqualitas, & respectiua pacti initi, præmium inter ac meritum, seu valorem operum Christi, considerari. Præmium absolutè, æquale valori, fateor non fuisse repensum Christi operibus, quia valor ille fuit infinitus, quicquid verò repensum Christo est, finitum fuit. Nam tantùm repensa Christo est in præmium, exaltatio nominis eius in cœlo & in terra, nostraque liberatio & salus, vbi nihil est non finitum. Et quamuis pretium à Christo exhibitum, potuisset infinitis adhuc hominibus sufficere, si totidem fuissent quibus potuisset applicari, præter eos quibus reipsa impensum est: Tamen ne salus quidem infinitorum hominum, adæquaret absolutè valorem operum Christi, quippe ordinis altioris quouis tali præmio, & nunquam per illud exquisitè adæquandi.

Excogitauit quidem Aluares 3.p.d.43. ad 1. præmium aliquod eiusdem ordinis cum Christi operibus, quod ait illis repensum esse: Nempè, vnionem iteratam Verbi cum Christi humanitate in resurrectione, & cõcomitatiam Diuinitatis cum corpore Christi in Eucharistia. Sed hæc non satisfaciunt, nec dicuntur satis accommodatè. Nam in Christi resurrectione nulla facta est iterata vnio Verbi, quæ sola posset dici æquale præmium. Dumtaxat itaque facta iteratò est vnio physica inter animam & corpus, quæ est quid merè finitum & ordinis purè creati, Similiter concomitantia Diuinitatis quæ in mysterio Eucharistiæ cernitur, supposita immensitate diuina quæ non est Christo repensa, nihil includit diuersum ab vnione Verbi cum humanitate, quæ non fuit præmium operibus Christi repensum.

Verè igitur præmium quod Christi operibus repensum est, non fuit illis absolutè æquale. Quamquam non defuisset Deo, (de potentia absoluta loquendo,) tale præmium, si illud voluisset Christo reponere. Nam incarnatio Patris aut Spiritus sancti, possibilis est: Et ab his personis diuinis vel alterutra earum carni adnincta, potuissent elici actiones valore adæquantes Christi opera, quibus proinde rependi à Deo potuissent in æquale præmium: Quod sufficit vt dicamus præmium absolutè æquale Christi operibus, non esse impossibile. At si sermo sit de præmio respectiuè æquali, hoc est quod æquale sit Christi operibus spectata conuentione quæ Deum inter ac Christum intercesserat, sic dico, repensum fuisse Christi operibus præmium æquale. Christus enim accepit à Patre totum illud ad quod ordinauerat suum meritum & satisfactionem, nempè humani generis salutem, pro qua cum patre ex tali suo pretio pepigerat. Atque ita merces Christi operarij non mansit apud Deum, sed retributa est ac persoluta ad æqualitatem. Neque verò vlla in Deum imperfectio refunditur, ex eo quòd Christus de facto non acceperit præmium absolutè æquale pretio quod exhibuit. Deus enim cumulate executus est quicquid omittere absque imperfectione non poterat, eo ipso quod rependit illud omne de quo cum Christo pepigerat. Aliunde autem congruum non fuit, vt præmium illud absolutè æquale Christo rependeretur, & noua diuinæ alterius personæ Incarnatio fieret. Nobis item potentissimum incẽtiuum amoris in Christum, ac spei veniæ peccatorum admouetur, cum consideramus quàm copiosa & superfluens fuerit apud Deum redemptio, quamque pretium pro nobis exhibitum, superet præmium absolutè spectatum.

Ad

Ad quartam, de toto præmio in vnicum opus exhauriendo.

72. Quartum denique argumentum propositum, non difficilè enodari potest, siue agatur de præmio absolutè æquali quod rependi possit Christi operibus; siue agatur de præmio respectiuè adæquato, quod solùm admisimus fuisse de facto retributum. Cum enim dicitur, præmium infinitum, si quod dari diuinitus possit, exhauriendum fore in vnico Christi opere compensando, respondendum est, agendo de præmio absolutè æquali, præmium illud fore actiones Patris & Spiritus sancti, carne nostra amictorum. Atqui vnico Christi actui, vnicus par actus alterius diuinæ personæ incarnata responderet adæquatè, pluribus autem Christi actibus responderent plures actus alterius illius personæ: nec verum est, vnum Christi actum, omnes vel etiam plures similes illius alterius diuini suppositi humanitati actiones exhausturum, vt falsò in argumento supponitur: haud dubiè quia cum Christi quilibet actus contineat infinitam dignitatem, videtur cuilibet tametsi plurium alterius personæ operum dignitati æquipollere, quia infinito non datur maius. Sed hoc principium, tametsi rectè habet quoad illud infinitum in quo excessus vnius supra alterum infinitum, inueheret eius fines sub ea ipsa ratione sub qua infinitum est; quo pacto planè repugnat vnum infinitum esse maius alio extensiuè; tamen quando excessus nullos tales fines in alterum infinitum detiuat, nihil vetat vnum infinitum esse maius alio. Sic enim nihil vetat vnã quantitatem discretam infinitam, esse alia maiorem. Nam quis neget data infinitate hominum, fore plures digitos, aut oculos, aut pilos, quàm homines; tametsi & hominum & omnium illorum aliorum multitudo, supponeretur infinita? Idem dici potest de duplici infinito graduali. Similiter ergo nihil est quod vetet, vim meritoriam seu dignitatem infinitam, in pluribus illius personæ actibus multiplicatam, esse maiorem quàm in vnico Christi actu, quamuis infinitè digno ac meritorio, contra Suarum t. 1. 3. p. d. 4. s. 4. ad secundum quoddam dubium § *Dices quamuis*, & Præpositum q. 1. num. 40. Nihil item est quod vetet, infinitam vim meritoriam vnius actus à Christo eliciti, exhauiri per alterius diuinæ personæ incarnatæ æquale opus; ita vt nihil vltra pro eo Christi actu deposci queat, vt iustè & ad æqualitatem remuneratum habeatur. Nihil denique vetat plures Christi actus esse meritorios plusquàm vnum, etiam meritorium infinitè & vltra mensuram.

73. Iam agendo de præmio respectiuè æquali quod de facto repensum est meritorijs Christi actibus, negandum est singulis quibusque Christi operibus suum seorsim præmium respondisse. Omnes enim Christi actiones, vnum & idem præmium indiuisibiliter meruerunt, nempè salutem nostram; Ita vt priores Christi actiones, ab ea Christi voluntate in qua initialiter sanctificati sumus, teste Apostolo, vsque ad ipsam mortis perpessionem voluntariam, in qua solutio illuc vsque cœpta, consummationem accipit, vnicum præmium acceperint, ex promissione Dei, & ex Christi intentione, qui iuxta pactum cum Deo initum, suas omnes actiones meritorias ad illud vnum præmium indiuisibiliter ordinauit. Quod facilè colligi potest ex varijs Scripturis, quibus redemptio nostra disertè tribuitur Christi morti seu passioni, & (quod vtrumque vno verbo complectitur,) sanguini: Ea siquidem voce vt plenius prosequitur Collius lib. 5. de sanguine Christi disp. 10. cap. 3. non intelligitur nuda substantia humoris illius primarij, sed vitæ amissio consequens effusionem talis humoris. Alibi autem nostra salus atque redemptio, tribuitur simpliciter labori Christi, id est sanctis operibus quorum tota Christi vita fuit fetaciissima; & per se liquet ea opera Christi fuisse & dignissima quibus salus nostra rependeretur, & à Christo in nostram salutem intentissimo, eiusque solius negotiandæ causa huc è cœlis misso, ad eum scopum fuisse directa. Quare vtrisque Scripturis adunatis concludere adigimur, omnia quidem Christi opera fuisse satisfactoria pro nobis, ac merito salutis nostræ grauida, ita vt verè fuerint plura merita in actu primo, quorum quodlibet esset sufficientissimum ad promerendum quod ei de facto est repensum: non tamen singula seorsim, sed omnia indiuisibiliter sumpta, & in vnam veluti fascem collecta promeruerint in actu secundo præmium illud quod Deus alia ratione conferre noluit, nec Christus aliter accipere intendit. Qua de re rursus occurret sermo, cum de perfectionibus voluntatis humanæ Christi Domini.

Excessus satisfactionis Christi supra offensam nostram ex dictis concluditur, & noua ratione firmatur.

74. Nunc tandem post longum intermistarum ratiocinationum circuitum, licebit concludere illam vnã ratiocinationem qua vndecunque firmandum susceperam, satisfactionem Christi pro nobis, longè superasse offensam nostram. Sic enim argumentabatur Malitia peccati, siue iniuriæ Deo per nos irrogatæ, finita est: atqui satisfactio Christi est infinita. Has duas propositiones, sigillatim hactenus discussi & probati. Inde ergo clarè eruitur conclusio ista, Ergo satisfactio Christi, non modò est æqualis iniuriæ, sed eam quoque longè superat. Totus discursus clarus est, & solidè stabilitus in præcedentibus.

Possumus tamen alia ratione conclusionem propositam stabilire, etiamsi daremus malitiam peccati esse infinitam, aut etiam satisfactionem Christi finitam esse, nihilominus enim satisfactionis Christi vis & perfectio, adhuc posset excedere virus peccati, quod fusè prosequitur Albertinus 1. princip. compl. Coroll. 18. n. q. 10. & 11. breuiter autem exponitur quia quamuis vtraque illa ratio, videlicet offensæ, & satisfactionis siue demeriti ac meriti, statueretur infinita, tamen meritum siue satisfactio Christi, spectat ad altiorum ordinem, estque eminentissimè in ordine diuino tanquam in vertice prædicti ordinis, quia dimanat ex vnione hypostatica, quæ est apex totius supernaturalitatis participatæ. Vnde è duobus illis infinitis, vnum, nempè satisfactio, præcelleret alteri, hoc est offensæ. Imo eandem ob causam, etiamsi iniuria esset infinita, satisfactio autem Christi esset finita, tamen satisfactio offensam excederet, quia esset in superiore ordine, vel saltem intra eumdem ordinem supernaturalitatis quasi genericum, esset species eminentior. Impossibile autem est, vt forma ordinis inferioris, quantumcunque intra illum crescat, ac etiamsi infinitè, adæquet vnquam formam ordinis superioris. Sicut impossibile est, vt minimus intellectus adæquetur per sensum, quantumcumque perfectum in gradu sensitiuo; quia quamuis perfectio intellectus sit finita, & perfectio sensus infinita supponeretur, tamen diuersitas essentiæ & ordinis, infert inadæquabilitatem. Quare etiamsi malitia iniuriæ Deo per nos irrogatæ infinita esset, quod monstrauimus verum non esse, itemque etiamsi satisfactio Christi quomodocumque se habente iniuriæ quantitate, esset tantùm finita: nihilominus Christi satisfactio pertinens ad ordinem vel speciem altiorem, esset semper superior & excedens offensam.

Suffragium SS. Patrum, pro excessu constituto.

75. Vtrauis autem ex duabus propositis rationibus probetur, cõclusio illa quam intendimus, nempè quod satis

satisfactio Christi pro nobis longè superet offensam nostrã, ac proinde superabundans & superfluens fuerit, eius veritas explorata & liquida est apud Patres. Iuuat paucos attexere. S. Athanasius hom. de Passion. & Cruce Dom. [Dominus immortalis & incorruptibilis, & pro immortalitate sua bonus & humanus, vtpotè bonus Patris bonum Verbum, creaturam suam negligendam non putauit, neque permisit alium quempiam suorum operum Dominum esse. Sed cum videret malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum esse quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persolvere posse: (nam excessus malitiæ transcendebat omne supplicium,) vidénsque simul Patris bonitatem, & se quàm idoneus esset & potens, (Christus enim Dei potentia ac sapientia,) commotus fuit sua humanitate, & miserius nostræ imbecillitatis, illam ipsam imbecillitatem induit. Siquidem ipse (vt Prophetes dicit) *nostras infirmitates sustulit, & languores gestauit*, & miserans nostram mortalitatem, ea ipsa mortalitate circumamictus est: Paulus enim dicit: *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, atque ad mortem Crucis*, videnséque simul, quàm non ad solutionem pœnæ sufficeremus, illam ipsam pœnam in se transtulit. Siquidem Christus factus est pro nobis maledictio, atque ita humana carne amictus & circumindutus, per se quæ nostra erant, Patri obtulit, vt ipse patiens, hominem patientem illæsum redderet, & parua magnis pensaret.]

Autor libri de oper. Christi card. serm. de Ascens. [Esto tu Dei, & erit tuus Deus tuus. Impar sanè commercium, pretium inæquale: sed qui pro nobis triginta argenteis est appretiatus, intelligi voluit, quanta foret in pretio quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit pro mundo, dissimilitudo, cùm ipse exiguo argento emptus & venditus, tanto pretio damnatos redimeret: vt dubium esse non possit, quin pretij magnitudo superaret negotium; nec æquari posset damnum, quod omninò damnatio iusta meruerat obedientiæ Christi, quæ gratis vsque ad mortem progressa est, & vltrò soluit quod non debebat.]

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 13. [Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis iustitia, non tantum nos peccauimus, quantum ille iustè egit qui animam suam pro nobis posuit.]

76. S. Chrysostomus hom. 10. in ep. ad Rom. ad illud: *Nam si per vnius delictum* &c. illustrissimè omninò in hanc rem disserit. De corpo plagulam. [Quemadmodùm si quis eum, qui obolos decem sibi debeat in carcerem conijciat, nec eum tamen solum sed eius casta tum vxorem, tum liberos, tum famulos, atque hic superueniens vnus aliquis, decem quos dixi obolos non numeret modò, sed cum infinita auri talenta largiatur, tum verò in aulas regias vinctum illum introducat, in principatus altissimi thronum imponat, cum eo summum honorem, reliquúmque principalem splendorem communicet, non possint vtique posteà oboli illi decem illius memoriæ obuersari, qui eos numerauerit, mutuaueritque, sic & in nobis euenit. Multò enim plura iis quæ debebamus dependit Christus, atque adeò tanto plura, quanto mare immensum, ad pusillam guttam collatum, maius esse possit. Nolito ergò ambigere homo, quum tantam bonorum opulentiam videas; neque interrogato, qui id fieri potuerit, vt illa mortis ac peccati scintilla, tanto donorum velut mari restincta, soluta sit. Hoc enim & Paulus clam significauit, quum dixit: *Exuberantiam gratiæ & iustitiæ qui acceperint in vita, regnaturi sunt.*]

S. Augustinus lib. de Catech. rudibus cap. 4. [Quia charitati nihil aduersiùs quàm inuidentia. (Mater enim inuidentiæ superbia est,) idem Dominus Iesus Christus, Deus homo, & diuinæ in nos dilectionis indicium est, & humanæ apud nos humilitatis exemplum; vt magnus tumor noster, maiore contraria medicina sanaretur. Magna est enim miseria, superbus homo, sed maior misericordia, humilis Deus.]

Proclus hom. de Natiu. Dom. num. 6. [Ille qui vniuersam naturam ex nihilo produxerat, cuique nulla ad erogandum facultas deerat, vitam morti condemnationique addictis reperit tutissimam, mortisque solutionem decentissimam; dum nimirùm ex Virgine modo quem solus ipse nouit, (nulla enim oratio miraculum hoc assequi valet) humanam naturam assumit, assumptámque in mortem contradit, eúmque in modum redemptionis pretium dissoluit, iuxta illud Pauli: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, peccatorúmque remissionem.* O rem stupendam! Immortalitatem quam ipse habebat, per suam mortem aliis conciliat. Eiusmodi nullus vnquam fuit, nec est, nec erit, quàm vnus & solus ille, qui secundùm dispensationem ex Virgine natus est, Deus simul & homo; non solùm id pretium habens, quo reorum multitudini redimendæ par esset, sed eiusmodi, quod multis partibus excelleret. Nam vt Filius est, indiuisam cum Patre vnionem retinet; vt verò rerum opifex, nullius virtutis indiget: vt autem misericors, immensa, inexhaustáque misericordia atque sympathia pollet: denique vt Pontifex, dignissimus est, qui apud Patrem intercedat. Horum autem omnium nihil vnquam simile, nihil æquale, in alio quopiam comperias.]

77. S. Bernardus serm. de duobus discipulis euntibus in Emaus. [Qui quærimus crucifixum, Crucis attendamus mysterium. Ipsa est statera corporis Christi, quam desiderabat, qui dicebat: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera.* Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Cùm enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, calamitas quam incurrimus. Ipse erat innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis conuersatio eius: non enim peccatum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et quoniam talis ac tantus tam indigna dignatus est in Cruce pati, præponderare cœpit calamitas, & crimina leuigari. Cùm adhuc tamen in Cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plenè cognoscebatur qua cadere deberet, cum inclinato capite emisit spiritum, vt calamitas præponderando caderet, & quasi arena maris grauior appareret. Gentes quasi momentum stateræ, reputatæ sunt. Nam in statera cecidérunt: quia partes aduersæ, damnationis nostræ chirographum amiserunt. Trituratus est Moab sub Domino, expandit manus super eum, sicut nutans ad natandum, ne demergeretur in profundum: & vt ipse subleuaret nos in excelsum, expandit alas suas, nos assumpsit & portauit in humeris suis, sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos; ascendens super omnes cœlos, de excelso misit ignem in ossibus nostris, vt quæ sursum sunt, sapiamus, & nostra cõuersatio sit in cœlis. Potens fuit coram Deo & omni populo; quia factus est Angelus loquens pro nobis, & intercessor existens, Patri reconciliauit genus humanum: vtrumque solus potuit arguere, & ponere manum in ambobus.]

Petrus Damiani serm. 1. de exaltat. S. Crucis. [Adstat Iesus in medio, quadrifaria sui corporis parte distentus, & expansis manibus, omnibus ad se ex omni parte venientibus, amplissimum misericordiæ sinum ostendit. Nam apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Prorsus copiosa non stricta; quia largiter vnda sanguinis de corpore Christi per quinque partes emanauit. Sufficeret ad redemptionem orbis, vel vna pretiosissimi sanguinis gutta; sed data est copia, vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat.]

Iacobus Cardinalis S. Georgij lib. de Iubileo anni 1300. quem eo ipso tempore cõscripsit c. 14. [Immerita capiti pœna, in membra diffunditur: Roseus in Filios

emanat cruor: se pretium dat Patri dilectus Filius pro nobis. Culpâ inquam longè capacius pretium luit. Quidni? Eius vel sola distillans sanguinis gutta, callido hosti, mundorū plus quam millia centum eriperet.]

S. Anselmus l. 2. cur Deus homo c. 14. satisfactionem Christi ait *plusquam in infinitum*: excedere culpas nostras, quantascumque & quotcumque. In quam rem passim alia habet toto illo opere.

Rupertus l. 4. in Exodum c. 8. *in ipso fine*, tractans de candelabro & illud Christo accommodans, & glossans quod Scriptura tradit pondus candelabri habuisse talentum auri mundissimi, subdit. [Talentum maximum centum librarum, est & viginti: Magnum pondus, grande significat talentum mundi, quod appensum in libra Crucis, appositam lancem prægrauando excussit, & peccata nostra in mare proiecit. Quod quia mundissimum aurum est, id est, quia Deus ab omni sorde mundissimus Christus est, tota in pondere eius redemptio nostra peracta est. Et quia cùm perfectus Deus & homo sit, passionum dolores pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam peruenit, rectè candelabrum ductile fuit.] Liquet de Patrum sententia, in hac parte.

Consensum Scholasticorum, nihil attinet proferre. Omnes enim, cùm antiqui in 3. d. 20. tum recentiores apud S. Thomam 3. p. q. 1. art. 2. vno ore astipulantur. Imò Suarez t. 1. 3. p. d. 4. s. 3. conclu. 3. fidenter pronunciat, contrariam sententiam, neque propabilem, neque piam, neque fidei satis consentaneam videri. Quare satisfactionem Christi pro nobis, fuisse plusquam sufficientem & superabundantem, tutum & fixum esto.

Quid contra propositum satisfactionis Christi excessum, Ethnici, & Sectarij. Scrupulus item quorundam Catholicorum.

78. Depellenda tamen nonnulla supersunt, siue ab Ethnicis, siue ab hæreticis, siue à morosis Catholicis proposita. Ethnici apud Nyssenū in orat. Catech. c. 30. opponebant, si tanta & tam superabundans est Christi pro nobis satisfactio, cur ergo pereunt tam multi? Et cur non omnes, tanto, támque immenso pretio persoluto, liberantur. Hæc Ethnicorum admiratio, hæreticos eorum germanos non percellit: quin potiùs suppositā tanta satisfactionis Christi superabundantia, inferunt stultō labore cōsumi Catholicos, cùm post tam copiosam redemptionem à Christo adhibitam, vexant sese in adiungendis satisfactionibus suis, quibus satisfactiones Christi cumulent. Id enim Sectarij, in magnū Christi dedecus cedere obtendunt. Sic igitur copiosam & superabundantem apud Deum redemptionē nostram, cùm Ethnici eleuant, & ex effectu irrito insimulant falsitatis, tum Sectarij ita admittunt, vt ea ad omnem in via Dei supinitatem, & collaborandi contemptum abutantur. Catholici denique aliqui, mirantur vel scrupulo agitantur, quomodo post tantam aduersùs peccata medicinam, peccatum aliquod possit superesse. Sed hæc depellere, non erit operosum, id quod iampridem PP. & DD. præstiterunt.

Satisfit Ethnicis: Cur aliqui post tantam satisfactionem pereant, declaratur.

79. Ad Ethnicos itaque retundendos, illa vna Nysseni responsio sufficit loco allegato. [Si pariter ad omnes procedit vocatio, nec autoritatem, nec ætatem, neque gentium discernens differentiam; (propterea enim in primo initio prædicationis, diuina inspiratione, vnius & eiusdem linguæ, cuius omnes gentes, repentè facti sunt qui verbum ministrant, vt nemo esset expers bonorum,) quemadmodum fuerit consentaneum vt Deum adhuc accusent quod verbum non in omnes dominatum obtinuerit? Nam qui in vniuersitatem liberam habebat potestatem, propter summum in homines honorem, dimisit etiam aliquid in nostra potestate, cuius solus est Dominus. Hoc autem est liberi arbitrij, libera electio; res quædam minimè redacta in seruitutem, & quæ est sui iuris, sita in libertate mentis & cogitationis. In eos ergo qui non adducti sunt ad fidem iustius hæc transferretur accusatio, non ad eum qui vocauit ad consensionem. Neq; enim cum Petrus in initio verbum prædicasset, in frequentissima Iudæorum concione, & tria millia simul fidem accepissent, ij qui non crediderunt cùm plures essent ijs qui crediderant, in Apostolum causam contulerunt, quod non crediderunt. Neque enim par erat, vt gratia in commune proposita, ijs qui voluntariè ab ea abscesserat, non sibi, sed alij malam suam sortem adscriberet.] Vides petire post tantam satisfactionem tam multos, quia Christi satisfactione, & Dei vocatione nolunt vti, nec par est inuitos adigi ad vtendū, quod sequent. c. 31. fusè & rectè prosequitur idē Nyssenus.

Præiuerat Arnobius l. 2. n. 58. qui Ethnicorum murmur in quo versamur, ita proponit & repellit. [Sed si generis Christus humani, (inquitis,) conseruator aduenit, cur omninò non omnes æquali munificentia liberat? Non æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat? Haud ab indulgentia principali quemquam repellit, aut respuit, qui sublimibus, infimis, seruis, feminis, pueris vniformiter potestatem veniendi ad se facit. Patet, (inquit,) omnibus fons vitæ, neque ab iure potandi quisquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, vt oblati respuas beneficiū muneris; quinimò si tantùm sapientia præuales, vt ea quæ offeruntur à Christo, ludum atque ineptias nomines; quid inuitans peccat, cuius solæ sunt hæ partes, vt sub tui iuris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi, nulli est, (inquit Plato) Deus causa, neque alterius voluntas ascribi potest cuiquam rectè, cùm voluntatis libertas, in ipsius sit posita potestate, qui voluit. An numquid orandus es, vt beneficium salutis à Deo digneris accipere, & tibi alpernanti, fugientique longissimè infundenda in gremium est diuinæ beneuolentiæ gratia? Vis tumere quod offertur, atque in tuos vsus conuertere; consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis, & despicis; te muneris commoditate priuaueris. Nulli Deus infert necessitatem; imperiosa formidine nullum terret.]

80. Nec dissimiliter Cyrillus Alex. lib. 3. de ador. *in fine*, Christi quidem satisfactionem copiosam fuisse ac vberem & ad peccati abolitionem peridoneam, demonstrat: nō tamen omnes peccato exsolui, quod omnes gratiæ per Christi merita oblatæ non suffragentur. Itaque non aliter comparandi sunt mortales cū Christi satisfactione & exhibito pro eis per Christum pretio, quàm captiui quibus redimendis transmissum sit pretium exuberans; quod tamen ab eis acceptandum, & Domino à quo captiui tenentur annumerandum sit. Sicut ergo qui nollet pretium huiusmodi oblatum acceptare, & appendere ei à quo captiuus tenetur, frustra & falsò expostularet de pretij insufficientia; cum deberet potiùs ignauiam suam atque stuporem incusare, qui tantulum laborem alienæ liberalitati subiungere detractaret, vt à captiuitate eriperetur: ita seipsos exitij sui causam agnoscant necesse est, quotquot tam vberem miseticordiam, & copiosam apud Deum redemptionem, sibi adhibere fastidientes, diuinam erga se beneficentiam vltrò frustrantur, ac pereunt. Affine, nec minùs accommodatum est exemplum ægri, cui à medico scientissimo apparatum sit pharmacum depellendo morbo idoneum, si modò æger illud haurire velit. Similiter enim Christus medicus optimus, sufficientissimū ad depellendas ægritudines quasvis nostras remedū exhibuit, quo curari facilè ac certè possimus; sed dummodò illud nobis admoueamus. Quia verò plerique oblatum malagma respuunt, mirum non est, si in

si incurati malè pereant. Egregiè hoc dixit S. Chrisostomus hom. 17. in ad Hebr. ad illud, *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Interrogat enim. [Quare multorum, & non omnium.] Respondet. [Quoniam non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem mortuus est, quantum ad ipsum attinet. Mors quidem illa ex æquo respondebat omnium interitui; non exhausit autem & sustulit omnium peccata, propterea quod ipsi noluerint.]

Philosophatur in hanc rem omnino luculenter, & proximè propositum Medici exemplum optimè huc accommodat Prosper ad obiectionem primam Vincentianam. [Contra vulnus (inquit) originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum & potens ac singulare remedium est mors Filij Dei, Domini Iesu Christi: qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christus redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cum mors non ita impensa est humano generi, vt ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant pertinerent: sed ità, vt quod per vnicum exemplum gestum est pro vniuersis, per singulare Sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.]

Impiæ sectariorum, tanta Christi satisfactione abutentium ad inertiam.

81. Hinc quoque præclusus manet stupidus error hæreticorum, abutentium Christi satisfactionibus eatenque superabundantia ad inertiam; & ex eo quòd Christus abundè pro nobis satisfecerit, colligentium non esse quod pro peccatis nostris satisfacere laboremus, nisi velimus in Christum esse iniurij. & efficaciæ ac virtuti satisfactionis ab eo pro nobis exhibitæ detrahere. Qua in parte solemnem suum morem seruant hæretici, dum diuinum honorem prætexunt erroribus, cum tamen certũ sit longè honorificentiores in Christum esse, qui agnoscunt eò per Christi merita prouerbi labores nostros, vt ipsis quoque auxiliante Deo profusi, aut dispositiue aut meritorie debeatur salus. Est enim Christo longè magis honorificum, posse homines subuehere ad cooperandum meritis suis in negotio tam sublimi, quàm si ipse se solo, absque operum nostrorum consortio, omnia exequeretur. Itaque prætexta deauctiore Christi gloria, nullus planè & vanus est, planèque stolidè imò nequiter sectarij, etiminantur Ecclesiam quod nostrarum satisfactionum necessitatem obstinans, obscuret satisfactionem Christi, quod plenè refellit Ioan. Lensæus l. de satisfactione c. 15. Quod verò Christi merita sint superexcedentia & longè copiosa redemptio, non obstat quominus necessarium sit, homines talem redemptionem sibi applicare cooperando; sagatur de paranda salute ex opere operantis; vel certe acceptando media à Christo instituta de suscipiendis per adultos Sacramentis. Quoad infantes quoque, necesse est redemptionem illis per Christum comparatam, applicari per Sacramenta ijsdem meritè passiuè se habentibus applicita. Quorum omnium ratio est, quia vt dicebam, etiamsi satisfactiones & merita Christi, sint remedium peccati sufficientissimum; tamen medicina quantumuis idonea, planè inutilis ægro manet, nisi ei admoueatur; quæ admotio humanam operam desiderat, vel externam in paruulis ratione & libertatis vsu destitutis, vel internam siue propriam cooperationem, in adultis, quibus par est, salutis propriæ beneficium, accidere voluntarium. Idque non modò valet quoad textum pœnæ tẽporalis, ex remissa culpa & condonato æternæ pœnæ debito residuum; sed etiam quoad culpam & adiũctum illi debitũ pœnæ æternæ: quia Christus ita cum Patre pepigit, vt redemptio quam pro nobis exhibuit, nemini prodesset nisi applicata: Ita vt si ipse quidẽ propitiatio totius mundi, vt dicitur 1. Ioann. 3. & omnia peccata abstulerit, vt alibi docet Scriptura; sed ea omnia tantùm præstiterit, quasi in actu primo, & quoad sufficientiam: vt autem quoad efficaciam quoque peccata auferat, & nostra fiat propitiatio, exigatur opera humana. Quo spectat monitũ Augustini l. 2. de symbolo c. 8. hortantis Christianos omnes ad currendum, vt Christi sanguine redimantur; hoc est vt redemptio per Christum parta, illis applicetur, fiátque singulorũ remediũ.

Aliis verbis, reipsa tamen eodem sensu, hoc efferunt alij, cum dicunt reconciliationem & redemptionem cõmunẽ totius humani generis, à Christo solo fuisse perfectam, & neminem quicquam sibi circa eam vindicare posse. Personalem tamen & singularem vnius cuiusque cum Deo reconciliationem, & redẽptionem, deposcere hominis vniuersaliter iam reconciliati & redempti studium. Ita latè Lensæus libro de satisfactione c. 16. & 17. probatis benè multis Scripturis & Patribus, quæ & nostram omnium à Christo solo reconciliationem ac redemptionem docent, & vniuscuiusque ad eam sibi reconciliationem & redemptionem faciẽdam propriam, studium & comparationem deposcunt. Hoc est quod ex S. Augustino dicebamus, redemptos currere oportere, vt redimantur: id est vt remedium commune omnibus, efficiant sibi peculiare ac proprium.

Euellitur scrupulus Catholicorum, quomodò post tantam satisfactionem, supersint peccata.

82. Scrupulus denique, quo aiebam morosos aliquos Catholicos sollicitari, iste est. Si tam superabũdans fuit peccati antidotum siue remedium salutis nostræ, quàm hactenus exposuimus, quomodò ergo aliquod peccatũ post Christum supereſt? Mouit hoc dubium ex eorum persona S. Cyrillus l. contra Antropomor. c. 24. sic scribens. [Dicet fortassis aduersarius, quod qui tempora præstolatus est ad nequitiæ manifestationem commoda, vt illam cum ad summum excreuisset, tolleret; verisimile esse, omnem illam semel funditùs sustulisse, ita vt nullæ amplius eius in vita reliquiæ hærerent. Nunc verò & cædes, & rapinæ, & adulteria, & quid non pessimorum flagitiorum; perpetratur.] Hanc dubitationem ita dissoluit S. Cyrillus. [Qui verò eò respexerit, similitudine quadam à rebus notioribus sumpta, dubium soluat. Quemadmodum enim videre est in reptilium peremptione, non statim cum capite tractus etiam & gyri colliduntur atque intereunt: sed illud quidem emoritur, hi verò adhuc animæ in se agitationem habent, vitalíque motu non sunt destituti: Ita etiam interfector draconis cum iam bellua per omnes hominum generationes grassata, in immensam magnitudinem excreuisset, caput illi præscindens; hoc est malorum inuentricem facultatem multis capitibus præditam adimens, de gyrorum & tractuum volutatione parum laborauit, motum in bellua relinquens, qui iis qui post modum venturi essent, ansam certaminis præberet.] Hactenus similitudo, quam ad enodationem dubij prædicti sic accommodat cap. 25. sequenti. Caput belluæ mysticæ, satanæ inquam est. [Quod pra-

uo ſuo conſilio mortem inuexit, quod exitiale venenum homini per dogma immiſit. Qui ergo mortis imperium diſſoluit, poteſtatem in capite ſerpentis ſitam, ſicut ait Propheta, collīſit. Reliqui verò ſerpentis tractus, per humanam vitam diſperſi, quamdiu humanitas motibus ad prauitatem vergentibus eſt obnoxia, cortice peccati vitam exaſperant. Ac poteſtas quidem eorum mortua eſt, cum nimirùm caput ſublatum ſit. Cùm verò tempus præterierit, & ea quæ mouentur, ſubſtiterint, in ea videlicet, quam expectamus, vitæ conſummatione, tum etiam extremum inimici volumen, hoc eſt, mors, exoleſcet: atque ita in vniuerſum bellua hæc, ſiue nequitia, de medio tolletur.] Eodem planè modo in hanc rem philoſophatur Gregorius Nyſſenus orat. de Chriſti Natiuit.

Breuiculus capitis, & vſus doctrinæ.

83. Attexo ſummam doctrinæ huius capitis. Chriſti ſatisfactio & prout meritoria præmium adæquauit, iuréque obtinuit, & prout preſsè ſatisfactoria, omnibus perfectæ ſatisfactionis conditionibus, cùm generalibus tum peculiaribus eius quæ Deo pro peccatis debetur, inſtructa fuit. Quin etiam ſpectato quoque iuſtitiæ rigore, & quatenus meritoria præmium illi propoſitum, & quatenus preſsè ſatisfactoria, iniuriam pro qua exhibebatur exceſſit, quippe valoris immenſi, & à perſona infinitè digna prodiens. Ideóque noſtra per Chriſtum liberatio, quantum eſt ex parte ipſius, vndecumque plena fuit, & ſaluans cum effectu, quoſcumque partam per Chriſtum ſalutem, ſibi ipſis applicare, & eatenus quæ deſunt Chriſti paſſionum in ſeipſis adimplere non piget.

Vſus doctrinæ eſto, quem Origenes propoſuit hom. 6. in Ierem. *initio*, agens de Dei Verbo. [Quid mihi prodeſt, ſi deſcendat in mundum & ego ipſum non teneam?] Idem plenius hom. 11. *ſub medium.* [Illa manifeſtè de Saluatore dicuntur: *Heu mihi quoniam factus ſum, ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe, & ſicut colligens racemos in vindemia, cum non ſuperſit botrus ad manducandum primitiua: Heu mihi anima quia perijt reuertens à terra, & qui corrigat inter homines non eſt.* Omnes *in ſanguine iudicantur.* Venit enim vt meteret fructus, & quaſi ſtipula in ſegete reperta, propter plurimos peccatores, ait: *Heu mihi quoniam factus ſum, ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe.* Venit vindemiare botros vuæ in hominibus, & in meſſe ſceleribus inuentis, dicit: *Et ſicut racemos in vindemia, cum non ſuperſit botrus vuæ ad manducandum primitiua.* In alio quoque loco ſimilia his ad Patrem loquitur, dicens: *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Quid tantoperè hominibus profui, qui nec in ſanguine meo, quem fudi pro eorum ſalute profecerunt: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo de cœlis, dum venio in terram, dum contumeliis afficior, dum porro corpus humanum? Quid his omnibus dignum inter homines perpetratum eſt? *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem: Numquid confitebitur tibi pulus, aut annunciabit veritatem tuam?* Tale ergo eſt quod in Ieremia dicitur: *Heu mihi mater mea, quare me genuiſti virum.*]

Quantus item nobis hinc ad amorem incenſiſſimum ſtimulus exiſtat, egregiè conſideranit S. Edmundus in ſpeculo Eccleſiæ c. . . *initio.* [Cogitabis (inquit) de miſericordia Dei noſtri, quia voluit homo deuenire & mortem pati pro nobis in ſua humanitate, cum alio modo potuiſſet nos redemiſſe; & totum hoc nobis fecit, vt ſibi attraheret noſtrum amorem. Nam ſi vnus eſſet noſter Creator, & alius noſter Saluator, tunc plus amaremus noſtrum Saluatorem, quàm noſtrum Creatorem. Ideò voluit noſter Creator, eſſe noſter Redemptor & Saluator, & pati in ſuo corpore totum noſtrum dolorem, & emereri totum noſtrum amorem.]

Magna denique hinc ſeges admirandi varias Dei perfectiones, in hac Dei pro nobis ſatisfactione conſpicuas. Nyſſenus breuiter præcipuas complexus eſt in oratione Catechetica cap. 23. *in fine.* [Vides (inquit) quemadmodùm cum iuſtitia coniuncta ſit bonitas, & ſapientia non ſit ab eis ſeparata. Quod enim per indumentum corporis excogitauit vt capi poſſet Diuina virtus, ne pro nobis ſuſcepta diſpenſatio impediretur metu ſublimitatis, omnia ſimul oſtendit; nempè bonitatem, ſapientiam, & iuſtitiam. Voluiſſe enim dare ſalutem, eſt teſtimonium bonitatis. Quod autem tanquàm ex contractu fecit redemptionem eius qui tenebatur dominatu Dæmonis, oſtendit iuſtitiam. Quod autem id quod capi non poterat, ſubtiliter excogitans effecit, vt capi poſſet ab inimico, id apertè ſummam arguit ſapientiam.]

CAPVT III.

Quàm neceſſarius fuerit Chriſti aduentus, ad perfectæ illius ſatisfactionis exhibitionem, & liberationem noſtram.

84. HOc igitur extra controuerſiam poſito, quod verè Chriſtus propter liberandos homines venerit, eíſque quantum eſt ex ſe, exuberantiſſimam & ſuperabundantem redemptionem parauerit; excutienda ſequuntur quæ dicebam in controuerſiam vocari poſſe: illúdque inprimis, quanta fuerit aduentus Chriſti neceſſitas ad liberationem noſtram, eo præcipuo modo quo peracta fuit; hoc eſt, interueniente vera & perfecta ſatisfactione pro nobis, qualem proximè expteſſimus.

Abſolutè loquendo, poteramus abſque Chriſti ſatisfactione liberari.

Et abſolutè quidem ſimplicitérque loquendo, non eſt dubium quin potuiſſet Deus ſi illi ita viſum eſſet, citra Chriſti ſui procreationem, & ſolo nutu nos liberare, condonata planè gratis, iniuria; & beneficiis gratiæ quotquot per Chriſtum accipimus, vltrò conceſſis. Hoc videtur planè exploratum. Nam Deus eſt perfectè Dominus bonorum ſuorum, eáque elargitur, quibus & quomodò lubet. Itaque haud dubiè potuiſſet gratiam ſanctificantem aliáque ſupernaturalia bona hominibus per Chriſtum conceſſa, excluſis licèt meritis Chriſti, concedere: & eo ipſo, conciliatus hominibus fuiſſet. Neque enim gratiæ diuinæ ſanctificantis erogatio, cum perſeuerantia iniuriæ non condonatæ cohæreret. Quare abſolutè loquendo poterat homo liberari abſque Chriſto, per ſolum Dei nutum benignámque in nos volútatem. Docent hoc paſſim Patres.

Splendidè S. Athanaſius orat. 3. contra Arrian. *ſub finem.* [Sed poterat (aiunt) Deus, etiamſi Saluator creatura exiſteret, vel loqui tantummodò, & ita ſoluere maledictionem. Iſtud ipſum etiam iis ab alio quopiam obtrudi poterit. Poterat etiam ſine vllo aduentu Chriſti, ſolummodò loqui Deus, & ſoluere maledictionem. Cæterùm ſpectandum eſt hîc, quid hominibus ſit vtile, non, quid ſitum ſit in viribus Dei. Siquidem poterat etiam ante ædificatam arcam Noë, eos qui præuaricati fuerant, interimere: ſed tamen non, niſi ædificata arca, illud facere ſuſtinuit. Poterat etiam ſine Moſe dumtaxat loqui, & ſic educere populum ex Ægypto, ſed vtile erat id per Moſen fieri. Poterat ſine iudicibus conſeruare populum; ſed erat ex re populi, ſuis temporibus iudicem exurgere. Poterat etiam ne ſemel quidem venire Deus: aut ſi veniſſet, non tradi Pilato; ſed tamen ſub conſummationem ſeculorum venit; & cùm ad mortem quæreretur, ſeipſum indicauit: *Ego ſum* (inquiens.) Quod enim

enim facit, id ipsum & vtile est hominibus, & aliter fieri non decuit. Porrò, quod vtile & decorum est, id cura sua & prouidentia instruit.]

85. Nazianzenus orat. 9. Alloquens Iulianum tributorum præfectum, cum proposuisset quæcumque Christus pro nobis passus est, quódque ad tributi quoque penitationem demisisset sese: [Hæc (inquit,) Saluator fecit, idque cum voluntate sola nobis vtpotè Deus salutem afferre posset, quemadmodum & vniuersam rerum Machinam solo iussu atque imperio procreauit. Magis autem, & ad incutiendum pudorem accommodatius nobis contulit, nempè commiserationem atque honoris æqualitatem.] Idem priore ad Cledonium epistola siue orat. 51. Impugnans Apollinaristas insciantes creatam in Christo animam. [Quod si his rationibus prohibiti eò confugiunt, vt Deum remota etiam mente, homini salutem afferre posse dicant, quidni etiam possit remota carne per solam voluntatem, quemadmodum alia quoque omnia, citra corporis opem operatus est, & operatur? Quare cum mente carnem quoque tolle, vt plena & perfecta tibi sit temeritas.]

Autor sermonis de natiuitate apud S. Cyprianum. [Mitor in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Saluatoris. In hoc enim poterat patrari negotium & poterat tantus labor abbreuiari ad solum Christi verbum; sicut factus mundus, & disposita cuncta ad eius Imperium. Sed elementario mundo dignior est rationabilis homo, quod ex eò quod in eius seruitium facta sunt omnia, facilè creditur.]

Theodoretus, *sub finem*: sexti contra Græcos. [Erat quidem illi (Deo) facillimum, vel citra hoc humanæ carnis inuolucrum, humani generis salutem perficere, solaque voluntate, mortis potestatem dissoluere, ac penitus abolitam reddere matrem mortis iniquitatem, patrémque illius diabolum de tertæ facie profligarum, ad inferni tenebras relegare, quibus & paulo post eorum peccatum, interminatus est, se illum traditurum esse. Cæterum ostendere noluit, quid potestati suæ liceret, sed potiùs quid æquitas prouidentiæ postularet.]

86. Basilius Seleuciæ orat. 39. [Cum imaginem repurgare statuisset, & carnem immortalitate donare, carnem induit, rem congenerem medicamine congeneri curaturus. Fit homo perfectissimus, vt homini quem confirmarat, plenam perfectámque salutem afferret. Nam cum generis nostri primordia propter peccatum fuissent prædamnata, altero fuit opus Autore impeccabili, & omnifariæ iustitiæ perfectore, cuius beneficio totum corpus cum capite reconcinnatum, cum hominibus iterum coniungeretur; vt quemadmodum in Adamo sumus mortui, sic in Christo viuamus. Potuit enim is, qui consilij sui rationes solo nutu perficit, salutem conferre sine Incarnatione: sed naturam quæ peccati offensione, deiecta fuerat, in sese ipso meliorem superiorémque peccato voluit ostendere, quo peccatum in carne condemnaret, & iustitiam suam in omnes propagaret, mortísque dominatorem, hoc est diabolum, viribus exhaurtiret.]

Satis ex Græcis Patribus. Latinos audiamus S. Leo serm. 14. de pass. *initio*. [Omnipotentia Filij Dei, qua per eandem essentiam æqualis est Patri, potuisset humanum genus à dominatu diaboli, solo imperio suæ voluntatis eruere, nisi diuinis operibus maximè conuenisset, vt nequitiæ hostilis aduersitas, de eo quòd vicerat, vinceretur & per ipsam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas.]

S. Augustinus serm. 19. de Sanctis. [Corruptum peccatis originalibus & actualibus mundum, mundi conditor secreto & mirabili consilio, per mysterium Verbi Incarnati, eiusdem mundi lapsum voluit reparare. Qui eo verbo quo potuit de nihilo cuncta creare potuit quæ perdita fuerant reformare. *Ipse* namque *dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.*] Et mox. [Si tantum iustus esset, cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, potuisset sua fortitudine aduersus seductorem generis humani contendere, & ouem perditam ad gregem reductam, dominio suo restituere. Sed hoc modo viderur eminentiam tantùm suæ virtutis ostendisse, non medicinalem misericordiam impendisse redemptis: nec appareret quanta charitate creator creaturam diligebat, à qua se diligendum esse multiplici beneficio experebat, quatenus miser homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei malè merito, rependebatur in debitum. Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter & fortiter, voluit facere suauiter, vniens sibi infirmitatem carnis nostræ, quam primò in se sanaret, & per hanc quasi medicinalem confectionem generi humano sanitatem restitueret. Non quod non potuerit aliter fieri quantum ad peritiam & potentiam medici; sed quia non potuit commodius Antidotum procurari, quantum ad complexionem ægroti.]

87. Eucherius hom. 6. de pasch. proposita obiectione quorsum Deus sit factus homo quasi non potuisset solo nutu nos liberare, Respondet: [conditio humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda, sed pretio. Potuit autem Filius Dei, hostem humani generis, & in cœlis positus, nutu ipso suæ Diuinitatis eludere: sed ne quid tale, (vt superiùs diximus,) diabolus conqueri posset, placuit Deo secundùm iustitiam suam, pro humano genere offerre hominem purum & immaculatum, segregatum à peccatoribus.] Similia iterat ibidem hom. 9. & 11.

S. Gregorius 20. Mor. cap. 26. [Pietatis formam mediator nobis Dei & hominum dedit. Qui cum posset nobis, etiam non moriendo concurrere, subuenire tamen moriendo hominibus voluit: quia nos videlicet minùs amasset, nisi & vulnera nostra susciperet: nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalésque nos tenuit, & qui nos existere fecit ex nihilo, reuocate videlicet etiam sine sua morte à passione potuisset. Sed vt quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod esse nos voluit; vt in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam à nobis in perpetuum fugaret. An nos in Diuinitatis suæ diuitiis, nobis inuisibilis permanens, miris non potuit virtutibus ditare? Sed vt ad internas diuitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus.]

S. Edmundus in speculo Eccles. c. 23. [Cogitabis de misericordia Dei nostri, quia voluit homo deuenire, & mortem pati pro nobis in sua humanitate, cum alio modo potuisset nos redemisse, & totum hoc nobis fecit, vt sibi attraheret nostrum amorem.] Vide quæ superiùs adducta sunt cap. 1. monstrando Dei erga nos amorem in Verbi incarnatione. Cæterum in hoc S. Edmundi loco, & in quibusuis similibus, Redemptio sumenda est pro liberatione. Nam Redemptio quidem propriè accepta, non poterat sine Christo fieri, sed liberatio poterat, déque ea agit apertè S. Edmundus.

88. Gillebertus in altercat. Synag. d. Eccles. c. 15. [Si omnia Deus potestate quæ vellet, faceret, vbi dispensatoria ratio locum teneret? Certè nec Deus homo fieret. Posset enim spreto rationis ordine, potestatino imperio, genus humanum Angelis coæquare. Sed ordo iudicij turbatus, summæ maiestati rationis libra cuncta æquè disponenti, occurreret inordinatæ libertati obuius.]

Richardus Victorinus, multus in hoc est, serm. in Die Paschæ, *sub initium*. Monstrat enim, Verbum Dei cum posset solo nutu hominem liberare, maluisse amore iustitiæ, exactè satisfacere Deo, vt homines docerentur Iustitiam præ potentia colere: sicut Deus ipse in salutis nostræ procuratione non est vsus sua potentia, qua potuisset vno verbulo nos eripere, sed iustitiæ consultum voluit.

Claudo cum S. Bernardo serm. 11. in Cant. *in fine*. [Quis dignè penset quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis: Dominum Maiestatis carne indui, mulctari morte, turpari Cruce? Sed dicit aliquis: Non valuit opus suum reparare creator, absque ista difficultate. Valuit, sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis, occasionem vltra repetiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commonerétque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo auctoris grauamine vel labore. Siquidem dixit, & factus sum, quemadmodum & vniuersa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaueris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, vnde amoris causam habere debuerat; idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet quantum modo pro te ô homo dispendium fecit. De Domino seruus, de diuite pauper, caro de Verbo, & de Dei Filio hominis Filius fieri non despexit. Memento iam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laborauit sustinens! Carnis medio necessitates, hostis tentationes, nonne sibi Crucis aggrauauit ignominia, mortis cumulauit horrore? Necessariè quidem. Sic, sic homines & iumenta saluasti Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam.]

Et epistola 190. sic disputat contra Abelardrum. [Laborans docere & persuadere, diabolum nullum sibi ius in hominem vendicare potuisse aut debuisse, nisi permissu Dei: Et quod sine iniuria diaboli iure Deus profugum suum si vellet misereri, repetere, & solo verbo eripere posset, quasi hoc quis difficiatur, post multa aliquando inferri: quæ itaque necessitas, aut quæ ratio, aut quod opus fiat, cum sola iussione sua, diuina miseratio liberare hominem à peccato posset, propter redemptionem nostram Filium Dei carne susceptam, tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam Crucis ignominiosam & aspertimam mortem sustinere, vt cum iniquis patibulum sustineret, Respondemus: Necessitas nostra fuit, & necessitas dura sedentium in tenebris & in vmbra mortis. Opus æque nostrum, & Dei ipsius, & Sanctorum Angelorum. Nostrum, vt auferret iugum captiuitatis nostræ: Suum, vt impleret propositum voluntatis eius. Angelorum, vt numerus impleretur eorum. Porrò ratio huius facti, fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, iustificationis, liberationis? Verùm hoc non præiudicat huius quem è multis elegit efficaciæ. Et fortasse is præstat, per quem in terra obliuionis, grauedinis, lapsus nostri, tot & tantis grauaminibus, reparationis forciùs & viuaciùs admoneremur.] Plura cum possem in hanc rem ex aliis Patribus cumulare, consultò abstineo, quod ista ad institutum satis supérque videantur.

Explicantur Patres, visi contrarium sentire.

89. Constat igitur ex Patrum mente, genus nostrum potuisse liberari absque Christi aduentu, rem spectando secundùm potentiam absolutam. Quod si alij quidam Patres interdum tradunt, non potuisse hominem liberari à peccato nisi Christus veniret, non ita sunt accipiendi, quasi non potuerit absolutè aliter fieri vt à peccato erueremur nisi per Christum: sed sensus eorum est, magis decuisse, hominem de luto fecis per liberatorem Christum eripi, præsertim ne splendor ille diuinorum attributorum quæ in Incarnatione micant, excluderetur. Apertè id vnum voluit S. Maximus centur. 4. ex variis cap. 38. cum dixit. [Non poterat omnino fieri. Vt natura tum spontaneæ voluptati tum coacto dolori subiugata, rursus ad pristinam vitam reuocaretur, nisi opifex factus esset homo, vltrò suscepto in supplicium spontaneæ naturæ excogitato dolore, non habente præcedentem se natiuitatem à voluptate: vt subiens generationem initium à voluptate non ducentem, generationis naturam à damnatione liberaret.] Eodem modo aliquoties loquitur Lactantius l. 4. instit. cap. 24. Contestans fieri omnino non potuisse, vt erudiremur ad vitam, & cœlesti doctrina imbueremur, nisi per Christum, Deum simul & hominem. S. Athanasius fusè idem versat sub finem libri de Incarnatione Verbi & corporali eius aduentu. Eius autem vniuersa ratiocinatio non aliud probat quàm quod dixi, vt legenti constabit, proposita enim Ethnicorum obiectione quod non decuerit Deum corporari, cum posset solo nutu homines exitio subducere, respondet. [Ad istiusmodi obiectionem, id non immeritò dici poterit. Olim cum nusquam quisquam existeret, nutu opus fuisse & sola voluntate ad vniuersitatis Architecturam. Cæterum cum iam homo factus esset, necessitas exigebat, non vt iis quæ non essent, sed quæ iam existerent, remedium daretur. Consequens igitur fuit, vt rebus iam procreatis, medicus & seruator assisteret ad procreata conseruanda. Atque ea causa est cur Deus, homo sit factus, humanúmque sibi instrumentum, corpus inquam, adiunxerit.] Vides hanc S. Athanasij ratiocinationem, non plus ferre, quàm quod admisi. Denique S. Anselmus qui l. 1. cur Deus homo à cap. 10. latè & copiosè probat, impossibile fuisse hominem aliter liberari quàm per Christi aduentum, eiúsque mortem: Tamen lib. 2. eiusdem operis cap. 5. multipliciter monstrat, nullam inde Deo necessitatem iniici ad sic liberandum hominem, nisi quam ipse volens ac sponte susceperit, cum posset aliis pleríque viis liberare hominem, & opus suum reficere.

Noluit tamen Deus, liberare nos, nisi per Christum, & ita fieri oportuit.

90. Quamuis igitur posset Deus hominem aliter exitio subducere, quàm carnem induendo, idque ad eum finem non esset simpliciter & absolutè necessarium, tamen diuina sapientia decentius censuit ita fieri. Idque tametsi nos lateret, nec satis perciperemus quorsum esset conuenientius atque decentius, tamen ex præiudicio diuinæ summæ sapientiæ ita censuit, omnibus ita pronunciandum esse, tradit egregiè S. Cyrillus l. 8. in Iulian. ad t. 3. his verbis. [Sed fortassis dicent aduersarij: Quare enim omnino & homo factus fuit, & carnem & sordes nostras tulit, licet hoc facile potuerit præstare, (siquidem est verè Deus, sicut contenditis,) annuendo solùm, & ineffabili virtute, terrena corda transmutando vt facere vellent & sapere sibi placentia, religioséque viuerent? Ad hoc dixerim: Aberrauit igitur à scopo, & indignè egit diuina & incorruptibilis mens: Et non statim dicimus ipsam à decore

decore abductam ? Igitur nos meliores sumus ad omnem sapientiam intelligendam, & certabit cum Sole, lucernula ? & comparabitur gutta vnica, cum vniuerso hoc lato & immenso mari ? Quamuis quo modo non admirabitur qui diuinum Prophetam Esaiam clamantē manifestē & prudenter. *Quis mensus est manu aquā, & cœlum palmo, & vniuersam terrā pugillo? Quis constituit montes pondere, & valles libra ? Quis novit mentem Domini ?* Nam quemadmodum impossibile est, cœlum metiri palmo, & vniuersam terram pugillo, montésque & valles imponere trutinæ, sic impossibile est omni homini, imò omni rationali creaturæ, summam mentem penetrare & metiri. Itaque si quis est, qui dicere audeat, summam sapientiam meliora potuisse præstare, incæperit Deum, verumtamen delirabit. Insania enim hæc fuerit, viri attoniti, mentéque moti.]

Quod si distinctè & in particulari, rationem aliquam tantæ decentiæ quantam Patres celebrant, atque adeò etiam necessitatis aduentus Christi fundatæ in ea decentia, assignare placet, non alia quærenda est, quàm quæ ex perfecta & iusta pro nobis satisfactione ducitur. Nam satisfactio perfecta ex iustitia, qualem superiùs descripsimus, saltem quatenus spectat abstersionem diuinæ iniuriæ, nō potuit aliter exhiberi, quàm per Christum Deum simul & hominem. Longè autem decentius fuit, hominem ex iustitia, & perfectè exhibita satisfactione liberari, quàm vndecumque gratis, & ex mero Dei beneplacito. Igitur rationes maiores illius decentiæ, ac etiam necessitatis quæ esse potest in aduentu Christi, perspicuæ esse videntur, ita vt non sit necesse incertis & occultis diuinæ sapientiæ, eas annumerare. Vtraque propositio probanda seorsim est, vt conclusio proposita, extra ambiguitatem fiat.

Non quidem ad merendum nobis : Id enim potuisset creatura pura.

91. In prima propositione, distinguo satisfactionem pro nobis, provt spectat abstersionem iniuriæ, à satisfactione provt est meritoria donorum supernaturalium homini necessariorum vt salutem consequatur. Vtrumque enim continetur finibus salutis & liberationis humanæ. Satisfactionem ergo provt meritorium, fateor necessarium non fuisse exhiberi à Christo, sed potuisse per puram creaturam exhiberi : quod male negant Guliel. Parisiensis l. cur Deus homo cap. 7. & Valquez 3.p.d.4.c.2.& 5.ac Torres opusc. 8. de gratia disp. 4. dub. 2. eo nixi fundamento, quod gratia ad optionis quantumuis intensa, & per quæcunque gratiæ auxilia comparata, non potest esse principium condignè merendi pro alijs, vt experimur in gratia quæ nunc communicatur iustis : quamuis enim eiusdem rationis sit cum gratia communicabili de quacumque potentia, tamen non potest esse principium merendi alteri, sed in proprio tantùm solo fructificat, id est soli proprio subiecto conuenit gratiæ incrementum & gloriam, ex merito (vt vocant) condigno. Quod confirmatur, quia meritum hoc habet per modum effectus formalis insuppleribilis, vt eum qui meretur faciat præmio dignum. Est igitur impossibile, vt meritum non sit immanens.

Hæc tamen argumenta, sunt admodum debilia, nec persuadent quod aduersarij intendunt. Nam gratiam fructificare tantùm in proprio solo, verum est quasi connaturaliter, & de potentia ordinaria, secundùm quam ordinatio diuina non proposuit meritis condignis vnius puri hominis, gloriam alterius, vt contingere oportuisset, si vnus purus homo potuisset condignè alteri mereri gloriam. Nam quisquis meretur de condigno, elicit actionem saltem gloriæ meritoriam, vt liquet ex conditionibus meriti condigni. At gloria illa etiamsi non geminata, sed simplex, est condignum præmium operis ab homine purò eliciti. Si ergo gloriam alteri condignè mereretur oporteret vt ea se spoliaret : quæ esset magna inordinatio, contra affectum principijs spiritualibus bonis ad sanctificationem animæ pertinentibus deb.tum, quorum curam vnicuique propriam esse voluit Deus : secùs quàm contingit in exsolutione pœnæ temporalis, circa quam Deus ratam aliquando habet illam veluti cessionem, & alienationem proprij iuris in alium, quia non est dispendium æternum, faciléque, ac etiam cum lucro, ob charitatem qua alteri applicatur, cōpensatur fructus qui proprius fuisset, nisi ea quasi cessio interuenisset. Hæc igitur est ratio, cur Deus de potentia ordinaria, noluerit purum vllum hominem sibi condignè mereri gratiam & gloriam. Dico *purum hominem* : Nam in Christo, qui vt permulti volunt, gratiam & gloriam non ex meritis, sed solo titulo filiationis naturalis adeptus est, lex illa locum non habuit, & totus fructus meritorum eius quoad gratiam & gloriam æternam, alijs cedere potuit : quod puris hominibus negatum est de potentia ordinaria, ob causam propositam, quæ non minus vrget, si aliorum sententiam amplectamur, & Christum sibi quoque meruisse gratiam dicamus. Nam meruit tantùm eam, per actus primo momento elicitos, reliquis autem actibus, non sibi meruit sanctitatis profectum. Ergo nobis cedere toto illo merito congruè potuit: Non item purus homo, ob contrariam illam, quam dixi, causam. Imò neque Angelus. Nam neque Angeli cum pro nobis supplices accidunt Deo, offerunt ei vlla sua pro nobis merita, sed nostra tantùm, in quo à Christo differunt, vt ratiocinatur S. Bernardus serm. 1. de sancto Michaële. [Ministrans salijt inter Angelos, (inquit) sed & ipsos transilijt ministratus. Ministrant enim Angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera, non sua, sed nostra, ac nobis eius gratiam referentes. Vnde Scriptura dicens. *Quoniam ascendit fumus aromatū in conspectu Domini, de manu Angeli*, sollicitè præmisit *data ei fuisse incensa multa*. Nostros enim sudores, non suos, nostras, non suas lachrymas offerunt Deo. Nobis quoque eius munera referunt, & non sua. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior vniuersis, qui semetipsum obtulit Sacrificium laudis, qui Patri offerens animam suam, nobis ministrat vsque hodie carnem suam.] Sic igitur res habet de potentia ordinaria, vt nulla pura creatura alteri gratiam condignè mereatur.

92. At de potentia absoluta loquendo, nihil vetaret hunc ordinem inuerti, & gratiam in proprio quidem solo fructificare, sed alteri. Nam licet certum sit, meritum debere esse immanens quoad actionem merendi, nec posse aliter fieri nisi mutetur suppositio, tamen nihil est quod vetet, actionem alicui immanentem, spectare bonum alteri obuenturum, illúdque ei promereri, ita vt is qui meretur, dignus sit cuius intuitu, tale præmium non ipsi sed alteri conferatur. Potuisset ergo pura creatura, si Deo visum fuisset, mereri condignè alijs gratiam & gloriam. Quod rectè affirmant Val. 1.2.d.8.q.6.p.5.& Suares lib. 12. de gratia cap. 16. n. 12. Et breuiter euincitur, quia neque ex parte personæ merentis, neque ex parte operum eius, aliquid deest, quominus destinari & acceptari queant ad promerendam condignè alijs gratiam & gloriam. Nihil item ex parte aliorum obstare potest, quominus talia præmia accipere possint, interueniente merito puræ alicuius creaturæ ad id diuinitùs admisso. Quæ enim vel vmbra repugnantiæ in his omnibus excogitari queat, si supponamus ita ferre Dei voluntatem ? Sanè condignitas respectu gratiæ & gloriæ alienæ, non plus deest quàm respectu propriæ. Itaque tantùm exigitur vt Deus, à cuius nutu & acceptatione hæc omnia pendent, velit vnius iusti opera acceptare in pretium gratiæ & gloriæ tribuendæ alijs. Non dico Deum vo-

tate sua facturum opera iusti condigna pro alio, cum ex se talia non essent: Hoc enim falsum esset, quia opera habent ex seipsis, siue ex specie sua ac circūstantijs, condignitatē siue valorem quasi in actu primo, quem deforis non emendicant, ac ne à beneplacito quidem diuino. Tantùm igitur dico, cum opus sic ex se dignū, posset à Deo acceptari pro pretio gloriæ dandæ operanti, sufficere posse vt Deus nolit opus illud acceptare in eum finem, sed in parem & æqualem; hoc est vt sit præmium gloriæ subiecto externo conferendæ. Sic igitur res habet quoad satisfactionem pro nobis, quatenus meritoriam supernaturalium bonorum. Fatendúmque est, nihil fuisse ad id necesse, Verbum Incarnari, sed puram creaturam diuinitùs ad id delectam, potuisse saluti nostræ inseruire ad eum modum.

Sed ad presse satisfaciendum Deo, quod pura creatura non poterat, pro peccato mortali proprio.

93. At si sermo sit de satisfactione pro nobis, provt est absterſio iniuriæ, siue mortalis, siue etiam venialis, siue propriæ, siue alienæ, sic negandum est, puram vllam creaturam potuisse Deo ad æqualitatem satisfacere; ita vt tantum per satisfactionem eius honoretur Deus, quantum per peccatum inhonoratus est: atque adeò fatendum est, ad huiusmodi satisfactionem pro nobis exhibendam, necessarium prorsus fuisse, Deum effici hominem, & satisfacere pro nobis. Hæc vt solidè stabiliantur, & de varijs illis punctis quæ simul perstrinxi firmum iudicium feratur, auspicandum est à satisfactione æquali pro peccato mortali proprio, monstrandúmque, eam nulli puræ creaturæ tribui posse. Eo enim ritè constituto, facile inferemus idem esse statuendum de satisfactione pro quouis peccato proprio, & multo magis pro alieno.

Non posse igitur creaturam purā pro peccato mortali proprio satisfacere Deo ad æqualitatem, communissima est Scholasticorum sententia, in 3. d. 20. vel in 4. d. 14. art. 15. quibus locis, Doctores antiqui propè omnes, vel de Christi satisfactione, vel de virtute pœnitentiæ disputantes, in eam veritatem conspirarunt. Et consentiunt recentiores 3. p. q. 1. art. 2. post D. Thomam ibi ad 2. Videndi præsertim Medina ibi, & Aluar. disp. 7. Ragusa disp. 3. Pesant. disp. 4. Val. tom. 4. d. 1. q. 1. p. 5. Vega lib. 15. in Conc cap. 4. Suares t. 13 p. d. 4. s. 9. & lib. 7. de gratia cap. 14. Peltanus l. de satisfactione sect. 1. Lessius lib. 13. de diui. perf. n. 193. & l. 12. num. 68. Repugnat tamen reipsa Vasquez 3. p. disp. 2. Quamuis enim ibi verbotenus fateatur, non posse hominem satisfacere pro culpa sua mortali, perfectè & ad æqualitatem, nihilominus vt liquet ex c. 5. eiusdem disputationis, idcirco tantùm negat hominem id præstare posse, quia eget præuia Dei miseratione, qua accipiat auxilia indebita ad eudendum supernaturalem illum actum, quo ad æqualitatem satisfacit, suppositio eo diuino beneficio gratuito collationis auxiliorum. Nos verò secuti communissimam Theologorum quos adduximus sententiam, etiam suppositia tali diuina miseratione, & auxiliorum collatione gratuita, negamus hominem vel de facto satisfacere pro suo mortali peccato ad æqualitatem, vel pro eo sati facere posse, defectu condignitatis & æqualitatis inter quemcumque actum hominis & remissionem peccati, ita vt etiamsi semoueamus voluntatem Dei eum actum sibi deposcentis alio quopiam titulo è tam multis quibus illum sibi potest deposcere, verèque supponamus Deum ex pacto præuio actum prædictum admittere in satisfactionem offensæ, propriæ hominis operantis; tamen impar ex se sit ad eam abolendam, nec possit eò assurgere defectu æqualitatis & condignitatis. Quod primum probabo de quouis actu hominis peccatoris, spectato eius statu: deinde idem probabo de quocumque actu hominis puri, spectato dumtaxat actu eius & neglecta consideratione status in quo viuat nunc aut ante vixerit. Sic igitur primùm argumentor.

Non enim per actus ipsius peccatoris, siue informes, siue iam formatos.

94. Vel actus ab homine peccatore elicitus, quo Deo satisfaceret ad æqualitatem pro peccato suo mortali, esset actus ex nudo gratiæ auxilio elicitus; ita vt spectaretur in illo priori naturæ in quo actus est adhuc informis, & gratiam sanctificantem antecedit tanquam dispositio ad eam: vel certè esset actus gratiæ sanctificantis inuectione formatus eodem temporis momento quo elicitur. Assumo autem in hanc rem perfectissimum actum qui ab homine elici possit, puta dilectionem perfectam, vel contritionem, quibus eodem temporis puncto adiungitur gratia sanctificans. Nam si hi actus nequeant ad expiandam æqualiter & condignè offensam Deo ab homine irrogatam affulgere, multo minus id poterunt alij quilibet, quos constat & imperfectiores, & ad id præstandum multo incongruentiores esse. Vel igitur hi actus satisfacerent Deo ad æqualitatem, & iniuriam diuinam perfectè abolerent, priùs natura quàm diuina gratia sanctificante formentur; vel postquàm ea formati intelliguntur. Neutrum verò dici potest.

Non enim primum; quia si peccator per actum suum provt informem aboleret condignè culpam, & pro ea satisfaceret ad æqualitatem, sequeretur primam iustificationem cadere sub meritum condignum peccatoris; sin minùs totam & integram, ac saltem quoad partiale eius constitutiuum; nempè quoad remissionem peccati. Hæc siquidem, gratis præmissa remissione pœnæ illius quæ in auxiliorum subtractione consistit, caderet sub meritum condignum peccatoris, eique ex iustitia deberetur: quia vnusquisque ex iustitia tenetur iniuriam remittere, si ei æqualis satisfactio exhibeatur; ita vt etiamsi non teneatur redintegrare amicitiam, teneatur tamen nihil vltra reposcere pro iniuria illata, sed eam condonare debeat, & obliteratam velle, vt probaui l. 3. de virtut. num. 290. Igitur Deus ex iustitia adigeretur remittere noxam peccatori exhibenti contritionem, provt natura anteriorem gratia sanctificante: quod perinde est ac dicere, peccatorem suo illo actu sic spectato, mereri remissionem peccatorum, quæ est partialis mutatio, integrans iustificationem. Hoc autem videtur aduersari Concilio Tridentino, quod sess. 6. c. 8. statuit nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, condignè mereri iustificationem; quam idcirco docet gratis dari. Præterea actus informis, & non honestatus sanctitate habituali concomitante, est hominis Deo inuisi; quod de contritione quoque, & de perfecta dilectione valere, latè monstratum est agendo de iustificatione, reiectis ijs qui contendunt actus illos iustificare formaliter, repugnante non obscurè Tridentino, quod eos actus vocat dispositionem ad iustificationem, non autem iustificationem ipsam, vel formam iustificantem. Atqui actus hominis Deo inimici, nō potest esse apud Deum condignè meritorius; alioqui homo posset condignè sibi mereri primam gratiam sanctificantem, quod constat dici non posse. Igitur actus quilibet peccatoris, provt est informis, non potest dici satisfacere Deo ad æqualitatem: quod est primum è duobus quæ probanda receperam.

95. Alterum erat, neque ijsdem actibus, provt formatis sanctitate habituali illis coniuncta in posteriori natura, tribui posse quod ad æqualitatem, atque adeò condignè & ex iustitia, expient propriam culpam mortalem. Id verò facilè euincitur. Nam actus hominis ad eum modū formatus, est actus personæ Deo gratæ, proindéque

proindéque iam nitéris & à peccato exsolutę Qua igitur ratione poterit suam à peccato exsolutionem meri quam iam habet ? Concessio quidem mercis aut præmij, potest tempore antecedere pretij aut meriti exhibitionem, vt cernimus in gratia antiquis Patribus concessa, ob merita Christi subsecutura: sæpéque inter homines idem vsurpatur in venditionibus credito factis, At hæc non possunt habere locum circa culpæ propriæ remissionem, quasi quis eam mereri possit iam credito factam : quia ex quo debitum aliquod per liberalem donationem, purè & absolutè ac simpliciter, non sub conditione quapiam fuit dissolutum, euanescit titulus quilibet iustitiæ ad repetitionem eius. Deus autem offensam grauem sibi à peccatore irrogatam, sine peccati mortalis maculam tollens, abolet eam purè & simpliciter ; nec apponit remissioni conditionem vllam operis postmodùm ponendi, qua non implera eadem remissionis beneficio qui illud acceperat, sed absolutè & purè delet peccatum. Igitur attento statu hominis elicientis actum sanctitate formatum ; impossibile est, actum illum esse satisfactionem æqualem pro graui culpa ipsius hominis.

Nec perspectatum quomodocumque, actum hominis.

96. Sed dimisso argumento quod ex statu hominis ducitur, vigeamus conditionem nostri cuiuscumque actus, cum per se spectando, ac seorsim à conditione operantis, quod receperam fore secundum principale argumentum in hanc rem: Potest verò sic concipi. Iniuria admissa in aliquem, crescit principaliter ex dignitate personæ offensæ, & ex vilitate personæ offendentis. E contrario autem satisfactio, crescit principaliter ex dignitate personæ satisfacientis ; & ex eiusdem vilitate minuitur, sitque despicatior. Atqui peccatum mortale quod quis admittit, est grauis iniuria, summæ maiestati irrogata per personam nihili : Actio verò quamcumque eadem persona exhibere potest, siue quamdiu sordet peccato, siue postquàm emaculata est, iamque per gratiam collucet, est actio personæ admodum vilis, & Deo improportionabiliter inæqualis. Impossibile igitur est, actionem illam esse satisfactionem iustam, & æqualem pro peccato graui talis personæ. Huius argumenti singulæ propositiones videntur perspicuæ. Ad maiorem tamen huius veritatis firmitatem, operæ-pretium videtur, eas breuiter & roborare & illustrare.

Maiestas personæ læsæ à tenuiore, auget iniuriam, minuit satisfactionem.

Maior igitur apertè videtur liquere ex ijs exemplis humanis quæ superiùs tacta sunt, declarando excessum satisfactionis à Christo exhibitæ, & ab Aristotele quoque proponuntur 5. Eth. c. 5. Nempè rustici qui Principem læserit ; & è contrario Principis, qui plebeium & vile caput violarit. Communis enim prudentum sensus fert, rusticì noxam in Principem, longè tetriorem & indigniorem esse Principis delicto in rusticum, ob dissimilitudinem vtriusque gradum qui violatur eum persona. E contrario autem satisfactio Principi exhibita à rustico, pro iniuria qua eum violarit, debet esse longè maior quàm qua Princeps violato à se rustico satisfacere tenetur. Nam Princeps si vel verbum humile proferat, quo subitum motum excuset, censebitur cumulatè satisfeciisse personæ vulgari ; quia ob status sublimitatem, qualiscumque Principis deiectio, saltem verbo expressa, habetur magna. At rusticum, si vel verbo violarit Principem, necesse est suspendio adici, vixque ea ratione culpam eluet, sed tantùm ibi sistet multa, quia non est quo vlteriùs progrediatur humana vltio. Itaque maior proposita, videtur perspicua, eámque latiùs stabiliunt Suarez lib. 7. de gratia cap. 14. à num. 62. Albertinus 1. princip. compl. in q. philosoph. dub. 3. & Ragusa 3. p. disp. 3. nequicquam reclamante Valque 3. p. disp. 2. cap. 3. qui ex eo negat iniuriam crescere ex magnitudine personæ offensæ, satisfactionem autem ex dignitate satisfacientis, quod per se loquendo, par sit furtum eiusdem summæ, siue in Regem siue in priuatum admittatur, & à quocumque admittatur : nec plus restituendum sit, si sit Rex qui eam summam furto subduxit, quàm si sit plebeius. Hoc dico perperàm obijci aduersus maiorem propositam Nos enim hoc loco non agimus de iniuria in rebus, quæ per restitutionem compensanda est : sed agimus de iniuria propriè dicta, siue de nuda iniuria, sumpta seorsim à damno dato, quæ per satisfactionem reparatur. De huiusmodi itaque iniuria, videtur certum quod in maiore argumenti propositi dicitur : quia quò persona offensa est dignior, & persona lædens vilior ; & è contrario quò persona satisfaciens sublimior est, & persona læsa, depressior ; eò maior inæqualitas inducitur in actus, cùm offensæ, tum satisfactionis, ob personarum improportionem. Quare maior argumenti propositi, rata esto.

Deus læsus, & homo in eum grauiter iniurius, infinitè distant.

97. Nec minus fixa debet esse minor, cùm quoad grauitatē iniuriæ per mortale peccatum illatæ Numini, tum quoad nostrorum quorumuis operum improportionem cum ea iniuria. Nam peccatum mortale, esse grauem Dei iniuriam, per se liquet. & monstratum sufficienter est suprà. Nullis verò operibus nostris abstergi posse eam maculam, ostenditur ex tanta Dei læsi, & hominis lædentis ac satisfacere nitentis inæqualitate & improportione. Et sanè si de homine peccatis adhuc obl to agatur, cuiusmodi est is qui pro culpa mortali propria nondum remissa conatur satisfacere, nemo non v det quanta sit eius vilitas, & ad Dei maiestatem improportio. Si autem agatur de homine iam iusto, (quamuis iste nequeat vltra satisfacere ex iustitia, pro iniuria liberaliter iam dimissa ;) tamen verissimum quoque est, nullam eius actionem posse esse proportionatam ad æqualem pro peccato satisfactionem, etiamsi offerretur ante iniuriam remissam, & colluceret omni illa dignitate quam accipit ex quo persona est Deo grata. Licet enim personæ status, conferre multùm possit ad augendam vim actus meritorium, & idcirco verum sit, eum in homine iusto esse meritorium gratiæ sanctificantis, quam ante non merebatur, tamen vis satisfactiora perparum crescit ex dignitate iusto collata per gratiam, quia creatura pura, quantumuis grata, semper manet creatura ; hoc est infinita capedine distans à dignitate Dei læsi, nec habet infinitatem aliquam diuinæ proportionalem ; quæ tamen omninò necessaria esset ad constituendam æqualitatem inter offensam & satisfactionem. Quin etiam quantumuis creatura pura spectetur vt operans ex Christi meritis, seu provt Christi membrum, non idcirco eius satisfactio habenda est æqualis : de quo immeritò seorsim ac specialiter à quibusdam quæsitum est, vt à Suare t. 1. 3. p. d. 4. s. 12. Nam peccator, etiam provt mẽbrum Christi, seu provt persona Deo per gratiam meritis Christo partem coniuncta, non potest pro peccato suo ad æqualitatem satisfacere, quam si gratiam ex alio fonte hausisset ; cùm homo etiam sub consideratione membri Christi, sit pura creatura, cuius satisfactione vidimus æquari non posse offensam irrogatam Deo : Imò non defuerunt Theologi, qui cuicumque actui hominis puri, quomodocumque spectato, negandam censuerint rationem satisfactionis imperfectæ, pro graui peccato proprio, Quod quamuis mihi non probetur,

betur, quandoquidem homo per actus ex gratia elicitos, cõpensat diuinam iniuriam quantum potest, quod ad rationem qualiscumque & imperfectæ satisfactionis abundè est, vt rectè contra prædictos Scholasticos statuunt Val. 3.p.d.1.q.1.p.5. Suarez t.1.3.p.d.4.s.10. & Vasq.3.p.d.2.c.7. Tamen inde licet coniectare, quàm vilis quámque abiecta visa sit Doctoribus non ignobilibus, omnis nostra satisfactio pro peccato mortali proprio, quantúmque abfuerint ab admittenda eius æqualitate cum offensa.

Infertur quamcumque hominis satisfactionem, esse grani ipsius erga Deum iniuria, inadæquabilem.

98. Perspicua ergo manet cõclusio quam ex duabus præmissis proximè tractatis inferebamus; Nempè quod impossibile sit, satisfactionem peccatoris pro graui peccato suo, esse æqualem & perfectam: siue peccator ille sit iam ab eo peccato emũdatus, siue adhuc eo sordeat. Meritóq; sanè Lessius l.13. de diu.perf.n.191. tractãs sententiam quam impugnamus, ait eam semper sibi visam esse valdè mirabilem. Incredibile namque videri quod affirmat aduersarius, nempè contritionem vel dilectionem super omnia, quam peccator Deo in suæ mortalis offensæ satisfactionem exhibeat, compensare exquisitè malitiam illius peccati, eiúsque fœditatẽ per se ac suapte natura eluere, non minùs quàm lux abolet tenebras, eo quod tales actus non minus sint boni & Deo accepti, quàm peccatum fuerit malum & Deo inimicum, quandoquidem æquè ijdem actus circa Deum versantur ac peccatum; imò peccatum ferè non nisi interpretatiuè Deum impetat, contritio autem & dilectio, directè tendant in Deũ, eique propter ipsummet, hominem mancipent quantus quantus est. Ex quo nõ modò par malitiæ & bonitatis vtrorumque actuum modulus erui videtur, sed etiam bonitatis excessus in contritione & dilectione, supra malitiam peccati. Hoc meritò Lessius iudicat esse incredibile, & mihi etiam inopinabile videtur, vel si vnum illud toties iam regestum exemplum Principis & Plebeij tenuiter expẽdatur. Quis enim rusticum capitalis in Principem noxæ reum, dicat ex æquo iniuriam compensare, si doleat de tam atroci iniuria, aut Principem diligat? Multo itaque minùs fas est, id affirmare de satisfactione pro iniuria irrogata Deo. Falsum verò est, & alibi plenè reiectum, quod hi actus per se & suapte natura eleuant formaliter labem peccati, ita vt sit impossibile eam non tolli posita contritione, vel Dei amore super omnia. Itẽ siue verum sit, siue falsum, quod tanta sit horum actuum bonitas quanta fuit peccati malitia, quodque per eos peccator tantoperè aut etiam magis ad Deum conuertatur, quàm per peccatum ab eo auersus fuerit; siue inquam hæc vera sint, siue falsa, de quo nunc tricari non libet; negandum tamen omnino est, inde sequi contritionem & dilectionem tam valere ad satisfactionem, quàm valuit actio mala ad iniuriam inferendam. Ratio enim offensæ & satisfactionis, petenda principaliter est ex conditione personarum, non autem ex physica entitate actuum, vel morali eorum qualitate ex alijs capitibus ducibili: quia in morali æstimatione actuũ provt habentium rationem iniuriæ vel satisfactionis, physica illa aut etiam moralis æqualitas non attenditur. Estque planè exiguum quid diligi Deum à creatura sua infinitis nominibus ipsi obstricta, cum è cõtratio maximum sic planéque indignissimum, rem tantulam post tam vberes largos beneficiorum imbres, caput extulisse, & insurrexisse in Deum, infinito amore & obsequijs dignissimum ac proinde à contemptu qui in peccato cernitur infinita remouendum. Nolo rem per se perspicuam amplificare dicendo, sed vt iustus horror tantæ turpitudinis concipiatur pauca verba Isidori Pelusiotæ ex lib.5.epistola 472. repræsentare non omittam. [Deum (inquit) summè honorandum offendisse, omni supplicio damnoque grauius est existimandum. Non equidem tantùm fore ex supplicijs dolorem existimo, quantum erit pudor ex peccato, contra glorificantem, commisso prouenies. Sed & arma ipsa, quibus fuere honorati contra ipsum mouentes, & honore contra honorantem vtentes deprehendi, omnem id superat furorem. Illud quidem incomparabilem amentiam, hoc verò incurabilem etiam continet fauorem.]

99. Fixum itaque esto, satisfactionem ex iustitia siue æqualem ab homine pro graui peccato proprio rependendam, esse supra quascumque vires peccatoris, etiam diuinitùs adiuti; atque adeò peccatum mortale, esse ab intrinseco irremissibile ex iustitia: eò quòd licet Deus pro sua benignitate, maculam illius abstergat, tamen impossibile sit, vt peccator æqualem pro ea satisfactionem exhibeat. Ideóq; attentis legibus diuinæ iustitiæ, quæ vetant peccatum admissum absque iusta satisfactione dimitti, necesse foret, peccatorem ex quo se inquinasset graui facinore, perire in æternum, nisi benignitas Dei miserantis, idoneum fideiussorem extrinsecum adhibuisset, qui quod pro homini impossibile erat; satisfactione sua expleret. Vnde Angeli ex quo peccarunt, sine spe resurrectionis ceciderũt, quia Deus eos cadentes non apprehendit, ac veluti retraxit ex altissima voragine in quam præcipites acti sunt summo peccati pondere, & vt pulcherrimè tradit Isido. Pelus. lib.3.epistola 33. grauissimo plumbi talento ad inferos vsque deprimente. Hanc tantam mortalis peccati atrocitatem, vtinam cogitarent mortales, liberaréntque attentè ac seriò. Hærerent haud dubiè, aut etiam horrerent, quoties eius admittendi vel cogitatio subiret animum.

Extenditur resolutio, ad satisfactionem pro leui peccato proprio.

100. Nunc quod de peccato mortali proprio hactenus constitutum est, omnem scilicet hominis pro eo satisfactionem esse inæqualem, & iustitiæ canonem erga Deum non explere, extendendum est ad proprium peccatum veniale, cum: Petro Soto lect.8. de pœnit. tametsi repugnant cõmuniter, qui nobiscum steterant pro inæqualitate satisfactionis ab homine exhibendæ ob suum graue peccatum: Putant enim secus esse de veniali, ob eius leuitatem. Ita Suarez t.1.3.p.d.3.s.11. concl.1. Præpositus 3.p.q.1.n.28. & Ragusa 3.p.d.7. Verùm si principijs circa mortale peccatum proximè iactis insistimus, fatendum consequenter erit, non posse hominem ad æqualitatem satisfacere pro suo veniali peccato. Sic enim argumentari licet. Iniuria per vilem personam irrogata personæ infinitæ dignitatis, (Cuiusmodi est iniuria quam homo Deo irrogat,) est improportionabilis per satisfactionen personæ vilis: cum valor satisfactionis petendus præcipuè sit ex personæ satisfacientis dignitate, quæ quantumlibet fingatur eminere in homine qui Deum læserit, nullius vmquam momenti erit per comparationem ad Deum, vt suprà plenè expositum est. Atqui peccatum veniale, est vera & propriè dicta iniuria Dei. Est enim essentialiter peccatum, ad cuius quidditatem pertinet esse iniuriam numinis, vt supra suppositum est, indicatis locis quibus id probauimus. Et quamuis sit iniuria leuis, præ mortali atrociore & longè grauissima, est tamen absolutè non exigua, & vt Saluianus egregiè ait l.6. agens de culpa Oseæ de qua Paral.13. húcque bellissimè transferri potest, [quod videbatur exiguum esse culpa, grande hoc faciebat Diuinitatis iniuria.] Móxque subdit cauendum diligentissimè esse, [vt nihil leue æstimetur, quo

Deus

Deus læditur.] Igitur peccatum veniale, est ex natura sua ab intrinseco irremissibile, nec per vllam satisfactionem hominis qui illud admisit, abstergi potest. Totus syllogismus videtur perspicuus. Nam maior, est primarium fundamentum cui superiùs inædificata est inæqualitas cuiuscumque satisfactionis pro grauiori peccato proprio, in qua asserenda consentimus cum aduersarijs quorum sententiam nunc excutimus; imòque vltrò hi Autores, maiorem illam esse verissimam.

101. Sola minor, visa est eis quati posse. Aiũt enim peccatum veniale non esse simpliciter & propriè iniuriam Dei, quippe quod Deum non attingat, sed solùm versetur circa quædam Deo exttinseca, eique vel lot adiacentia: non enim imperit diuinam autoritatem, nec eam destruit aut abrogat, saltem quoad aptitudinem, siue si esset capacitas ex parte Dei: contra quàm facit peccatum graue, quo diuina autoritas irritum directè vt per odium Dei, saltem verò vt per quamuis alia peccata grauia indirectè & interpretatiuè violatur; ita vt liceat dicere, quantum est ex vi actus grauiter mali, abrogari Deo rationem finis vltimi, eoque ipso Deum de throno suo exturbari, & deijci Deitate. Præterquàm quod, peccator videtur Deum aut impotentem, aut iniustum, aut inscientem cupere; vt culpa grauis quam decernit admittere, à Deo ignoretur, camve plectere aut nolit, aut nequeat: quod est velle vt Deus exuatur Deitate, éstque in eo, maxima omninò lethiferi peccati tanquàm feræ pessimæ, virulentia, de qua optimè S. Bernardus serm. 3. de Resurrectione. Nihil horum in veniali peccato cernitur. Quare Autores prædicti inferunt, tametsi peccatum mortale est ab intrinseco suapte natura irremissibile; hoc est, etiamsi homo nequeat pro suo mortali peccato condignè & ad æqualitatem satisfacere, aliter tamen philosophandum esse pro peccato veniali. Non enim si Principi de principatu deiecto, aut cædes, saltem attentata, est inexpiabilis per quaslibet rusticì satisfactiones, ita vt si ei inenitabiliter ponenda vita ad satisfaciendum quantum poterit; inferre quoque licebit, qualemcumque offensiunculam qua rusticus Principem violarit, esse similiter inexpiabilem per quascumque rustici satisfactiones: cùm par sit, leuem illam & minutam offensionem reparari faciliùs, quandoquidem directè non impetit Principis personam vel autoritatem, éstque res modica & penè nihili. Ita ferè ratiocinantur aduersarij, aduersus minorem syllogismi propositi.

102. Nihilominùs eam minorem arbitror firmam, & his argumentis non conuelli. Nam peccatum veniale, est reipsa peccatum simpliciter, id est essentialiter & absolutè: quamuis per comparationem ad peccatum mortale, & ob leuitatem ac tenuitatem suam, dicatur peccatum secundùm quid. Quod si peccatum veniale absolutè sumptum, est verè peccatum, est igitur vera quoque iniuria Dei, & verè imperit autoritatem eius, tametsi leuiter. Vnde tamen non est quod censeatur modicum quid, aut leue. Nihil enim videri debet exile, quo tanta maiestas violatur, tametsi minus atrociter, quàm alijs modis. Grauitatem sanè venialium culparum, sæpè inculcant Patres, non modò ex alijs plerisque capitibus, de quibus plenè S. Chrysostomus in cap. 4. ad Galat. ad illud: *Subuertere nituntur Euangelium Christi*: & serm. 12. in ep. ad Rom. *in mor.* & serm. 8. in ep. 1. ad Corinth. ad illud, *fundamentum aliud*; Et ex varijs Patribus Resignolius lib. 2. de disciplina Christ. perfect. à cap. 6. sed etiam ex eo quod Deus per hæc quoque peccatorum minutalia violetur, vt videre est apud S. Bernardum lib. de præcepto & dispensatione cap. 14. & apud Autorem libri de vera & falsa pœnitentia, inscripti perperam D. Augustino cap. 8. Cùm ergo quæcumque Numinis violatio, vt monstratum est, sit puræ creaturæ satisfactione irreparabilis ad æqualitatem videtur perspicuum, impossibile esse homini pro suo veniali peccato, ad æqualitatem & ex iustitia satisfacere. Et in hoc æquiparantur mortale & veniale peccatum, quamuis quia grauitate differunt, longè alia pœna debeatur peccato mortali quàm veniali, quod vnum probant quæ adducebantur de dispari mulcta eius qui Principem leuiter violarit, & eius qui in eundem graue aliquid sit molitus. Perpendenda tamen est exempli illius humani differentia, ab eo quod in præsenti negotio cernitur. Nimirùm quod Principis violatio, saltem leuis, quia non modò vndecumque finita est, sed etiam est in personam certa tantum proportione maiorem, potest tandem aliqua personæ quæ violauit satisfactione adæquari; quod in nobis præ Deo, ne in leuibus quidem culpis locum habet, ob contrariam causam, & improportionalem omninò excessum tantæ maiestatis, supra pusillitatem humanam.

Multò minus potuit creatura Deo satisfacere pro alieno peccato quocumque.

103. Nec plura de inæqualitate, ac impossibili adæquabilitate quorumuis peccatorum propriorum, siue mortalium siue venialium, per satisfactionem eius qui deliquit. Ex eodem autem fundamento apertè sequitur, nullam puræ cuiuscumque creaturæ satisfactionem, posse idoneam esse ad abstergendum ex iustitia alienum peccatum; quia semper inæqualis erit: quod non est necesse perpendere & liberare diligentiùs, cùm ex suprà positis, sit manifestum. Illud potiùs considerandum hoc loco est, etiamsi pura creatura posset pro alieno peccato exhibere Deo satisfactionem in actu primo condignam & æqualem, quod vidimus esse impossibile; tamen oblatam nihilominùs futuram satisfactionem illam, & in actu secundo inidoneam ad dissoluendum alienum debitum, quia esset aliena. Vt enim satisfactio sit non modò materialiter, (vt sic dicam,) sed etiam formaliter æqualis, & apta vt in genere satisfactionis iustæ locetur, nec possit ab eo qui læsus est, repudiari, necessarium est, vt idemmet qui offendit, satisfaciat. Quod si de læsi consensu, admittatur vicarius in satisfactionis exhibitione, constat remitti aliquid de iure læsi, quod ferebat vt qui offensam intulit, eam per seipsum expiaret. Vide quæ dico lib. 3. de virtut. num 288. Ex hoc igitur prætereà capite, omnis puræ creaturæ satisfactio pro aliena culpa quacumque, esset insufficiens secluso diuino consensu; quem nunc non attendimus, quia inquirimus an pura creatura possit satisfactionem plenam & æqualem exhibere Deo, ex seipsa; non quidem secluso diuinis auxilijs quibus ad satisfaciendum vegeretur, sed secluso necessitate diuinæ acceptationis gratuitæ, quæ necessitas planè excluderetur, si homo pro peccato proprio, æqualem satisfactionem offerret.

Tantùm verò est támque sublime, munus satisfaciendi Deo pro aliena culpa, vt nulla pura creatura, quantumuis nitens & supernaturaliter speciosa, id sibi vnquam esset arrogatura, si conderetur. Possumúsque non absre huc accommodare illud Saluiani lib. 3. de Prouidentia: *ferè in fine.* [Intolerabilis superbiæ, atque immanis piaculi est crimen, si tam bonum se esse aliquis credat, vt etiam malos existimet per se posse saluari.] Videri possit profecisse ex Tertulliano lib. de pudicitia cap. 22. Id ipsum, puram quamuis creaturam, & Christum conferens, egregiè omninò tradidit Caius Papa, epistola ad Felicem Episcopum, cuius testimonium placet adscribere quia tanti illud fecit S. Leo, vt paucis mutatis & additis,

additis, illud ſuum fecerit, epiſt.83. ad Palaſ. & 97. ad Leonem Auguſtum, & ſerm.12. de Paſſione. Sic igitur habet S.Caius. [Effuſio pro iniuſtis, iuſti ſanguinis Chriſti, tam fuit dines ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum diaboli vincula retinerent: quoniam ſicut Apoſtolus ait: *Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia.* Et cùm ſub peccati præiudicio nati, poteſtatem acceperint ad iuſtitiam renaſcendi, validius factum eſt donum libertatis, quàm debitum ſeruitutis. Quam itaque ſibi in huius Sacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Saluatore noſtro negant humani corporis veritatem? Dicant, quo Sacrificio reconciliati; dicant, quo ſanguine ſint redempti. Quis eſt, vt ait Apoſtolus, *qui tradidit ſemetipſũ pro nobis, oblationẽ & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis?* Aut quod vnquam Sacrificium ſacratius fuit, quàm quod verus & æternus Pontifex, altari Crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? Licèt in conſpectu Domini pretioſa iuſtorum mors fuit, nullius tamen inſontis occiſio, redẽptio fuit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt, coronas. De fortitudine fidelium, exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, ne alterius quiſquam debitum ſuo fine perſoluit, cùm Filius hominis, vnus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui verè erat agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati. De quibus ipſe dicebat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipſum.* Fides etenim iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad humanitatis retracta participium, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo, homo ſe inuenit innocentem; liberum habens, per gratiam Dei, de eius potentia gloriari, qui contra hoſtem humani generis in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphauit.] Agnoſcit perſpicuè S.Caius, agnoſcit eum exſcribens S.Leo, puram creaturam poſſe alijs exemplo ad ſalutem prodeſſe: Redemptionem, qua ſatisfactio pro irrogatis Deo iniurijs continetur, à ſolo Chriſto, Deo ſimul & homine, expectandam fuiſſe.

Concluditur neceſſitas omnimoda aduentus Diuinæ perſonæ, ad ſatisfaciendum Deo læſo per hominem.

104. Nunc vt ad aſſertionem hoc capite præcipuè intentam veniam, ex omnibus hactenùs diſputatis perſpicuè liquere puto, ad finem liberationis noſtræ ex iuſtitia procurandæ, & ſatisfaciendi ad æqualitatem pro nobis, neceſſarium omninò fuiſſe, vt Deus creaturæ ſuæ hypoſtaticè iungeretur. Vidimus enim peccatum quodcumque eſſe ab intrinſeco irremiſſibile ex iuſtitia, imò nullius puræ creaturæ vi eſſe adæquabilem offenſam irrogatam Deo per illud peccatum. Ergo vt illa injuria, ex iuſtitia & ad æqualitatem compenſetur, neceſſe eſt interponi Mediatorem extrinſecum, Deum ſimul & creaturam, qui ponat manum ſuam in ambobus, vt dixit Iob.cap.9. quod S.Gregorius ibi, de Mediatore humani generis interpretatur. Quia enim extrinſecus ille Mediator & pacarius, ſecundùm vnam ſuam naturam, creatura eſt; poteſt exercere opera ſatisfactionis; quæ à Deo vt Deus eſt, non poſſunt elici: à Diuinitate autem, per Diuinam perſonam ei creatæ naturæ coniuncta, habet vt eius ſatisfactio ſit infinitè digna, & æqualis offenſæ, Deo per alienum peccatum irrogatæ, imò ea ſuperior & altior, vt ſuprà vidimus. Et eatenùs quidem intercedit remiſſio & gratia Dei in hac ſatisfactione, quatenùs acceptat ſatisfactionem ab alio, quàm ab eo qui iniuriam intulit: tamen nihil inde decedit æqualitati & condignitati ſatisfactionis ſemel admiſſæ, ex pacto de ea ſi offeratur acceptanda. Quate ad iuſtam & æqualem pro peccatis noſtris ſatisfactionem, diuinæ alicuius perſonæ cum creatura creata coniunctio fuit abſolutè & ſimpliciter neceſſaria; ita vt impoſſibile fuerit ad eam reparationem, alia quacumque via deueniri.

Conſultò dixi, *Neceſſariã abſolutè ad id fuiſſe diuini alicuius ſuppoſiti coniunctionem cum natura creata*; Nec præcisè dixi *neceſſarium fuiſſe Verbum incarnari.* Nam æquè potuiſſet ſatisfieri Deo pro nobis, ſi Pater aut Spiritus ſanctus fuiſſent incarnati; vel ſi alteruter eorum, naturã Angelicam aſſumpſiſſet, quã ſatisfactũ ſit per Verbum humanatum. Æquè enim infinita fuiſſet, & æquè acceptari potuiſſet ſatisfactio Patris aut Spiritus ſancti, natura quapiam creata contenti, etiamſi Angelica, ac ea ſatisfactio quæ per Verbum carnem factum, eſt exhibita. Affirmat quidem S.Anſelmus lib.2. cur Deus homo cap.6. & 22. hominem non potuiſſe Deo reconciliari, niſi per hominem Deum; vt idem ipſe qui læſerat, ſatisfaceret; ſaltem in natura eiuſdem ſpeciei. Tamen ſenſus D.Anſelmi dumtaxat eſt, congruentiùs fuiſſe aſſumi naturam humanam, quàm Angelicam; etiamſi ſatisfactio per naturam Angelicam exhibita fuiſſet æquè idonea quoad æqualitatem & æquè iuſta. Alij verò plerique Patres, cùm affirmant hominem non potuiſſe aliter iuſtè reparari quàm per Verbum hominem factum; perſonam Verbi, & naturam humanam, vſurpant pro perſona diuina, & natura creata rationali; vt ſenſus ſit, non potuiſſe aliter pro homine ſatisfieri; quàm ſi diuinum ſuppoſitum terminaret naturam quampiam, ad opera ſatisfactionis elicienda idoneam, cuiuſmodi eſt ſola creata. Quãuis quia de facto illa natura aſſumpta fuit humana, & ſuppoſitum aſſumens fuit ſuppoſitum Verbi, ſimpliciter dicunt Patres prædicti, non potuiſſe aliter pro homine ſatisfieri, quàm ſi Verbum homo fieret, & Deo pro nobis ſatisfactionem iuſtam offerret.

Conſenſus SS. Patrum, circa neceſſitatem prædictam, eiúſque probationem.

105. Sic expoſiti Patres, aſtipulantur manifeſtè veritati quam nunc tradimus; firmántque omnimodam neceſſitatem Mediatoris extrinſeci, ex Diuina ſuppoſitalitate & natura creata compacti, qui pro nobis ſatisfaceret, & inæqualitatem in diuinum ius noſtris peccatis inductam repararet. Adduco nonnullorum ſelecta loca, dimiſſis pleriſque vulgaribus quæ paſſim proſtant. Nouatianus lib.de Trinit.c.18. [Argumentum afferimus vſque adeò Chriſtum eſſe Deum, vt quidam illam ſubtracto homine, tantummodò putarint Deum; quidam autem ipſum crediderint Patrem Deum; quum ratio & temperamentum Scripturarum cœleſtium, Chriſtum oſtendant Deum, ſed qua Filium Dei, & aſſumpto à Deo etiam filio hominis credendum & hominem. Quoniam ſi ad hominem veniebat; vt Mediator Dei & hominum eſſe deberet, oportuit illum cum eo eſſe & Verbum carnem fieri, vt in ſemetipſo concordiam confibularet terrenorum pariter atque cœleſtium; dum vtriuſque partis in ſe connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet: vt meritò Filius Dei per aſſumptionem carnis, Filius hominis; & Filius hominis per receptionem Dei Verbi, Filius Dei eſſici poſſet. Hoc altiſſimum atque reconditum Sacramentum, ad ſalutem generis humani ante ſæcula deſtinatum, in Domino Ieſu Chriſto Deo & homine inuenirur impleri, quo conditio generis humani ad fructum æternæ ſalutis poſſet adduci.]

106. S.Baſilius in Pſal.48. ad illud: *Qui confidunt in virtute ſua*, multa egregiè in hanc rem diſputat. Aliqua ex eo nonnullis interciſis repræſento. Sic ergo inducit paraphraſticè loquentem Dauidem. [Vos (inquit) qui de veſtra virtute præſumitis, (hi enim terrigenæ corporis

poris viribus supra modum confidentes, satis sibi esse humanam naturam putant, ad ea quæ cupiunt perficienda:) & vos, (inquit,) qui etiam in incerto diuitum spem posuistis, audite. Pretio vobis redemptionis est opus, vt asseramini in libertatem, qua insidijs diaboli superati, quondam priuati fuistis: qui captiues vos retinens, non prius à sua tyrannide abire liberos finet, quàm aliquo conuenienti persuasus redemptionis pretio, permutare velit. Pretium autem hoc, non simile pretio, permutare velit. Pretium autem hoc, non similis esse generis oportet ijs qui detinentur; sed modo mensuráve præstantius, siquidem ex iugo seruitutis volet captiuos emittere. Quamobrem frater nos nequaquam redimere valet. Nullus enim homo pertinaciter Diabolo possit, vt eum missum faciat quem semel in seruitutem redegerit. Nam is qui de propijs peccatis non est idoneus aliquo munere placare Deum, quomodò pro alio id facere tentabit? Quid enim adeò magnum in hoc sæculo quis possideat, vt dignam habere animæ valeat commutationem? Propterea quòd illa ad creatoris est imaginem facta. Quæ autem quàm liber molesta afflictio & labor præsentis sæculi, sufficere poterit ad parandum humanæ animæ, futuri illius sæculi viaticum?] Et mox. [Anima omnis humana, miligno seruitutis iugo communis omnium inimici succubuit, & libertate quàm à suo Creatore acceperat, priuata; abducta in captiuitatem est per peccatum. Omni autem captiuo, opus est pretio, ad libertatem recuperandam. Neque igitur frattem suum alius quisquis frater redimere potetit, neque vnus quispiam seipsum: quòd redemptor tantò esse debet captiuo, & iam seruiente præstantior. Sed & ne in vniuersum quidem, homo erga Deũ ea prædictus facultate est, vt ipsũ placet pro peccatore, quum & ipse sit peccati reus. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: iustificati gratis ipsius gratia, per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Non dabit ergo Deo placationem suam, & pretiũ redemptionis animæ suæ. Neque enim fratrem in redemptionem quærit, sed vnum aliquem qui nostram exuperet naturam. Non item hominem nudum, sed hominem Deum, Iesum Christum, qui solus pro nobis omnibus, Deo propitiationem dare potest, quòd ipsum Deus placationem in eius sanguine per fidem elegerit. Frater erat Israël Moses, non tamen ipsum redimere valuit.] Rursus paulò post. [Non dabit ergo Deo propitiationem pro seipso. Quid enim vsquam tanti est momenti, quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ? Inuentum tamen vnum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium; nempe sanctus & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit: Quamobrem pretio sumus empti. Si igitur frater non redimit, redimet homo? Si enim homo nos redimere nequit, qui redemit, homo non est. Noli igitur quia Dominus in carnis similitudine ad nos venit, & nobiscum versatus est, eum tantummodò hominem existimare, illius diuinæ virtutis ac potentiæ ignarus; qui opus non habuit sese sua causa Deo offerre, neque suam ipsius animam redimere, cum peccatum nullum admiserit, nec dolus sit in eius ore inuentus. Redimere seipsum nullus idoneus, nisi veniat is qui conuertat captiuitatem populi, non pretio quidem aut donis, vt in Esaia scriptum est, sed suo sanguine; qui non fratres nos existentes, sed inimicos ob peccatum factos (neque item homo nudus, sed Deus,) post libertatem nobis gratuitò concessam, fratres nos suos appellat.]

107. Cassianus lib. 5. de incarnat. c. vltimo, huc refert incentissima Patrum antiquorum desideria, de aduentu Messiæ, eo quod viderent se aliter solui non posse à peccatis. Latè autem expositis eorum desideriis, subdit. [Intelligentes ergo hoc aliquatenus Sanctorum omnes, (aliquatenus inquam intelligentes; quia quantum sit, nemo intelligit:) consona omnes aduentum Dei voce, & quasi concentu mutuo postulabant. Scientes vtique in hoc spem omnium consistere, in hoc salutem omnium contineri: quia nullus soluere victos possit, nisi immunis à vinculis: nullus eximere peccatores, nisi peccato carens: nemo enim liberare aliqua re quemquam potest, nisi ea re ipse liber sit, qua à se alius liberatur. Et ideò cùm in omnes mors pertransisset, omnes vita indigebant: vt in Adam scilicet morientes, in Christo viuerent. Quia quamuis multi sancti, multi electi, ac familiares admodùm Deo fuerunt; nulli tamen potuerunt per se penitùs esse salui, nisi fuissent aduentu Domini & redemptione saluati.]

Euchenius hom. 11. de Pasch. *in fine*, post expositam fusè necessitatem Incarnationis, vt iustitia Dei exquisitè seruaretur, obijcit sibi. [Sed dicis. Potuisset Deus per aliquem commodiùs Angelorum, redemptionis nostræ administrare militiam. Non ita est. Nam inordinatum & indecens erat, vt quod factor condiderat, factura repararet: simul persona vnius Angeli, valere non poterat totius mundi salutem. Præterea, vt diximus, inimicus generis humani, dum in necem Domini agitur, captiui sui amissione proscribitur. Si ergo pro homine mortem Angelus pertulisset, nec Diabolus tantùm incurrerat criminis, nec Deus tantum prætulerat caritatis. Cur, inquis, non per Angelum? Quia absoluere creaturam, creatura non poterat: Quia impossibile erat vt conseruus seruis tribueret libertatem; Impossibile erat, vt peccati capax peccata donaret, & Dei famulus, Dei munus impleret: Prodesse enim præteritis sæculis, præsentibus, post futuris, soli vniuersorum sæculorum Domino competebat. Dei inquam solius erat, vt mortem persequeretur in Tartarũ, & ereptum morti hominem, portaret in cœlum.]

108. S. Paulinus epist. 4. [Sine vllo corporis nostri contagio, nostrum corpus effectus, non dedit Deo placationem suam, quia ipse propitiatio erat: nec pretium redemptionis animæ suæ, sed nostræ, quia non egebat salute Saluator. Nos enim venditi sub peccato, egebamus pretio redemptionis: & ideò propter nos homo, propter nos forma serui, propter nos Filius ancillæ. Qui benedictus & sanctificator Sanctorum, pro nobis tamen, & peccatum, & maledictum factus est, quod non erat; Vt nos, qui ex præuaricatione peccatum, & ex damnatione maledictum eramus, ab vtroque absolueret; vtrumque in sua carne affigens Cruci. Ideò dictum puto; *Frater non redimit, redimet homo:* Quia quos frater non redemerat, hoc est, Propheta seu Legislator, qui homo tantùm erat, hos homo redemit, qui & Deus erat. *Deus enim*, (inquit,) *erat in Christo, reconcilians sibi mundũ.* Huius enim modi homo, solus prævalere potuit aduersus sententiam mortis, & aculeum peccati, vt chirographum mortis aboleret, & humiliaret calumniatorem.] Præmiserat ibidem permulta, & pijssimè de more & elegantissimè, quibus inutilitatem legis ad curationem nostram, humanísque cuiusvis anteriotis Christo remedij insufficientiam, ad plenum hominis remedium, iustámque pro nobis satisfactionem, euicerat. Sed quod prolixiora sint, quàm vt hic adscribi possint, ibi legantur.

S. Gregorius 3. Moral. c. 11. expendens illud Iob. 2. *Commouisti me aduersus eũ, vt affligerem illũ frustra*, ita ad Christum hæc verba aptat. [Frustra afflictus est, qui in carne natus, propria admissa non habuit, & tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit. Hinc est enim quod per Propheram loquitur, dicens; *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Alius namque ad paradisum conditus, diuinæ potentiæ similitudinem superbè rapere voluit; sed tamen culpas huius superbiæ, sine culpa mediator exoluit. Hinc est quod Patri quidam sapiens dicit: *Cùm sis iustus, iustè omnia disponis: eũ quoque qui non debet puniri, condemnas.* Mediator etenim noster, puniri pro

semetipso non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetrauit. Sed si ipse indebitam mortem non susciperet, numquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum iustus sit, iustum puniens, omnia iustè disponit: quia per hoc cuncta iustificat, quia eum qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat: vt eo electa omnia ad culmen iustitiæ surgerent, quo is qui est super omnia, damna iniustitiæ nostræ sustineret.) Locus Salomonis quem S. Gregorius profert, in editione vulgata nuper emaculata, aliter habet. Sed mens D. Gregorij, quicquid sit de vera lectione loci Scripturæ quo nititur, perspicua est, & egregiè illustratur ex ijs quæ in eandem sententiam addit lib. 18. c. 29. & 30. [Quia verò (inquit) hæc sapientia manens cum Patre ante sæcula, incarnanda erat in fine seculorum, vt ad redimendum genus humanum, non sanctos Angelos, non iustos homines mitteret, sed in manifestatione visionis per semetipsâ veniret, rectè subiungitur; *Non dabitur aurum obryzũ pro ea.* Quid namque per *aurũ obryzum*, nisi Sancti Angeli designantur? Qui rectè, & *aurum* vocantur, & *obryzum*: *aurum*, quia fulgent claritate iustitiæ: *obryzum*, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines verò iusti, quamdiu in hac carne corruptibili mortaliter viuunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino non possunt: quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantẽ.] Et mox. [Aurum ergo obryzum illi nuncupantur, qui in ea qua conditi sunt innocentia perdurantes, & fulgent claritate iustitiæ, & nullis, vel minimis maculantur sordibus culpæ. Sed quia pro hac sapientia nullus Angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his quos in adiutorio hominum sæpè apparuisse didicimus, Angelis poneret, dictum est; *Non dabitur aurum obryzum pro ea.* Ac si apertè diceretur: Per semetipsam sapientia manifestabitur, vt humanum genus à culpa redimatur. Nullus vice eius Angelus mittitur, quia per creatorem necesse est vt creatura liberetur. Vnde & in Euangelio Dominus dicit: *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.*]

109. Fulgentius l. de incar. & gratia Christi cap. 7. [Nisi Verbum Deus humanam sibi vniens singulariter naturam, ex Virgine homo verus nasceretur, & plenus; numquam nobis carnaliter natis, spiritualiter nascendi conferretur exortus: sed vt carnaliter donaretur diuina natiuitas, concepta & nata est in veritate carnis, vnigeniti filij diuina maiestas. Longè enim fuit à peccatoribus salus: & iniquitates nostræ, magna nos à Deo separatione disiunxerant. Et quia in ipsa natiuitate carnis nostræ, mortis vinculo tenebamur obstricti, à quo solius beneficio spiritualis natiuitatis possemus absolui, Deus natus est ex homine, vt ex Deo homines nascerentur.] Et lib. 2. ad Trasim. cap. 2. cum præmisisset naturam humanam à Deo cecidisse, subdit. [Inquirendus ergo fuit vnus, cuius esset reformanda munere, informanda lumine, confirmanda virtute, vt æqualitas æterna iustificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret inualidam. Sed hoc numquid posset homo per solum hominem, aut in solo quolibet homine reperire? Nullo modo. Quis enim homo posset existere medicus humani vulneris, cum omnes in radice vitiata communio circumplecteretur vitij naturalis? Vel qualiter posset per se solum medelam vulneratis afferre, cuius ortus teneretur in vulnere? Quóve modo beneficentiæ largitor vniuersalis existeret, quem alienæ opis indigum natura monstraret.] Subijcit, neque Angelum ad id potuisse sufficere, eo quod ipse quoque esset creatura. Itaque concludit, Deum ad id fuisse necessarium.

110. Rusticus Diaco. dialo. contra Accept. *ferè initio.* [Si Adam à Diabolo victus, corruptionem nostro intulit generi, oportebat per hominem rursus Diabolum vinci, vt possimus nos incorruptibilitatis participatione frui. Sed hoc sicut infirma & subiecta seruituti atque corruptioni, nostra natura per semetipsam non valebat explere, & à Domino hanc oportebat assumi; sic rursum, sine nostra natura id fieri nec decebat vtique, nec voluit Deus. Non enim per violentiam proposuerat superare Diabolum; aliàs hoc modis omnibus egisset purus, sed deuicto homini voluit præstare victoriam, quod decibilius quàm per hanc pulchertimam vnitionem euenire non poterat: si tamen in tanto mysterio illud impletum credimus, quod aut solùm fieri poterat, aut pulchriùs celebrari non poterat.]

Petrus Damiani serm. de S. Victore, describens Christum sub specie arboris, cuius primum ramum ait esse Incarnationem Verbi. [Oportebat enim ad redemptionem hominis, vt victus homo victorem Diabolum vinceret; Sed vnde fieret hoc, non habebat. Omnes enim in illo præscripti eramus, & per illum originalis peccati grauitate depressi. Deus autem non debuit, cum potius potentia videretur, si seruum à se recedentem, qui illum subiugauerat, enodaret. Quod igitur homo per se non potuit, Deus per se nõ debuit; attifex Sapientia Deum, & hominem collocauit, vt ex parte hominis pro hominibus satisfaceret, & ex parte Dei, superbum sicut vulneratum humiliaret.]

111. Petrus Blesensis carm. de Euchar. cap. 3.

Hostia nulla valens, aut sufficiens satis esset
Quæ deleret Adæ culpam, si Christus abesset.
Nam debebat Adam pro se, nec pauper habebat
Vnde satisfaceret, quem culpa grauis prohibebat.
Ipse Deus potuit, nec debuit. Ergo necesse
Est, vt homo Deus hoc faciat, sine quo nequit esse.
Huic quia cuncta potest Deus huic & homo quia debet,
Materiam tali facto res vtraque præberet.
Fit de naturis eadem persona duabus;
Corporibúsque medens nostris nec non animabus.
Hic Deus, hic & homo; duo sunt, vnus verò Christus;
Alter in alterius personam non malè mixtus.
Qui cum naturâ foret immortalis vtraque,
Maiestate sua seruata iustitiáque,
Sponte Crucem subijt, nisi vellet, non moriturus,
Morte sua vitam nobis sine fine daturus.
Quódque Deus verus non debuit ex Deitate,
Hinc que beatus homo pro iustitiæ grauitate,
Sustinuit tandem fieri diuina voluntas.

S. Anselmus explicatissimè, & ad Scholasticam normam exactissimè l. de redempt. generis humanic. 3. præfatus nullam Deo fuisse necessitatem Incarnationis, ita scribit. [Diuina natura humiliari aut laborare non eguit, nec potuit. Hæc omnia humanam naturam, vt ad hoc restitueretur, propter quod facta erat, necesse erat facere: Sed nec illa, nec quicquid Deus non est, poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad quod institutus est non restituitur, si non ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum est peccatum prouehitur. Quod est impossibile fieri, nisi omni percepta peccatorum remissione, quæ non fit nisi præcedente integra satisfactione; quam satisfactionem talem oportet esse, vt peccator, aut aliquis pro illo, det aliquid Deo de suo quod debitum non sit, quod superet omne quod Deus non est. Si enim peccare, est Deum exhonorare, & hoc homo facere non deberet, etiam si necesse esset quicquid est quod Deus non est, perire; Vtique veritas immutabilis & aperta ratio exigit, vt qui peccat, reddat aliquid Deo pro honore ablato, maius, quàm sit hoc pro quo illum exhonorare non debuit. Quod quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat, si nec illa, nec quicquid Deus non est ad hoc sufficeret. Ne ergo iustitia Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret; subuenit bonitas Dei, & eam in suam perso-

nam

nam assumpsit Filius Dei: vt in ea persona esset homo Deus, qui haberet quod superaret, non solùm omnem essentiam, quæ Deus non est, sed & omne debitum quod soluere peccatores debent: & hoc cum nihil pro se deberet, solueret pro alijs, qui quod debebant reddere non habebant. Pretiosior namque est vita hominis illius, quàm omne quod Deus non est; & superat omne debitum quod debent peccatores pro satisfactione. Si enim Filij interfectio superat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum quæ cogitari possunt extra personam Dei; patet est, quia vita eius magis est bona, quàm omnia peccata sunt mala, quæ extra personam Dei sunt.] Et lib. 2. cur Deus homo cap. 18. redigens in breuem summam totum eius operis contextum sic scribit in persona Bosonis discipuli. [Summa quæstionis fuit, cur Deus homo factus sit, vt per mortem suam saluaret hominem, cum hoc alio modo potuisse facere videretur. Ad quod tu multis & necessarijs rationibus respondens, ostendisti restaurationem humanæ naturæ non debuisse remanere: nec potuisset fieri, nisi solueret homo quod pro peccato Deo debebat: quod debitum tantum erat, vt illud cum non deberet soluere nisi homo, non posset nisi Deus, ita vt idem esset homo qui Deus. Vnde necesse erat vt Deus assumeret hominem in vnitatem personæ; quatenus qui in natura solvere debebat & non poterat, in persona esset qui posset.]

Richardus Victor. lib. de Incarnatione Verbi cap. 8. [Perspicua ratio docet, quod sine satisfactione, homo ad plenum reparari non posset. Ad plenitudinem autem satisfactionis, oportuit vt tanta esset humiliatio in expiatione, quanta fuerat præsumptio in prævaricatione. Rationalis autem substantiæ Deus tenet summum, homo verò imum. Quando ergo homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo vt ad expiationis remedium, fieret humiliatio de summo ad imum. Sed hoc omnino non potuit nisi aliqua in Trinitate personarum. Item si homo per creaturam potiùs quàm per creatorem recuperare posset & recuperaret iustitiam, & mediante iustitia futuræ beatitudinis gloriam; nonne de cœteto contra excellentiam primæ dignitatis, magis obnoxius esset creaturæ quàm creatori, factæ quàm factori? Nam plus est profectò iustificari, & beari, quàm creari. Ad plenam itaque hominis restaurationem, omnino non sufficeret persona quæ Deus non esset.]

Alia eiusdem necessitatis probationes, adductæ & reiectæ.

112. Ratum igitur esto, agnoscendam absque ambiguitate esse, summam & absolutam necessitatem assumptionis naturæ creatæ per diuinam personam, ad satisfaciendum iustè & condigne pro offensis nostris: quam Deus congruentissimè ad naturam humanam & personam Verbi sua voluntate restrinxit. Alias quasdam necessitatis illius rationes quas profert Autor tractatus de pass. Dom. apud Bernardum cap. 46. ineficaces esse, ex dictis liquebit. [Victoria de Diabolo (inquit) & si alio modo potuit, tamen alio modo impleri non debuit. Multum enim decipit, qui Sapientiam Dei & Domini, aliud aliquid putat, nisi id quod præstantissimum fuit ordinasse. Necessarium fuit, cum per hominem vinci, & per lignum, qui hominem vicerat per lignum; vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Quare autem per hominem qui erat Deus, & non per simplicem hominem, satis manifestum est; quia omnes homines peccato erant obnoxij, & non poterat quisquam aliorum soluere vinculum, qui seipsum soluere non valebat. Christus enim fortis, qui pro originali peccato nihil debebat, eo qui singulari priuilegio nascendi sine omni carnali concupiscentia conceptus erat, qui solus est inter mortuos liber; solus à morte poterat mortuos liberare, sicut ait Apostolus; Non habebat necesse pro se offerre Sacrificium quemadmodùm alij sacerdotes, tam pro sua quàm pro populi ignorantia. Si autem quæritur quare Deus potiùs per se quàm per aliquam aliam creaturam, hominem voluit liberare, possumus hoc quidem caritati eius imputare; quàm vt nobis commendaret, non solùm incarnatus, sed & mortuus est pro nobis. Tradidit nihilominus per hoc formam caritatis, vt parati simus cum necessitas exegerit, pro fratribus nostris animas nostras ponere, cum regem nostrum pro nobis animam posuisse videmus. Est & adhuc alia rationabilis causa, quare per Dominum redempti sumus; scilicet quia nequaquam decuit nos per alium reformari quàm per eum per quem formati eramus. Plus enim excitat nos ad caritatem reformatio, sicut sæpiùs supra dictum est, quàm formatio. Si ergo per alium quàm per ipsum per quem sumus formati, reformati essemus; plus reformatori nostro quàm formatori deberemus; & sic plus diligeremus creaturam quàm creatorem; quod esset inconueniens. Vt ergo incitaret nos ad diligendum ipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus nostris, impendit nobis quicquid debuit creando & recreando nos optimus Deus, cuius beneficijs non communicat alienus.] Vides ex dictis, quid in his rationibus nutet. Nam prima, est mera congruentia. Secunda apertè falsò principio nititur: quia homo purus, etiamsi innocens, non potuisset pro nobis satisfacere. Tertia itidem ratio, non profert veram radicem necessitatis de qua agitur. Quare perspicuum est, has rationes non esse vsquequaque idoneas.

113. Sanctus item Athanasius orat. 3. contra Arrian. *sub finem*, addensat in hanc rem pleraque rationes. Cum enim probasset potuisse quidem Deum absque Verbi Incarnatione homines saluare, sed non decuisse, vt huius decentiæ rationes assignet, subdit. [Ipsa rei ratio negotiique conditio, hac in parte spectari debuit. Si enim ob vires suas per quas id potuit, verbo edixisset, & ita maledictio aboleretur, imperantis quidem potentia in conspicuo pateret; Homo tamen eiusmodi effectus fuisset, qualis Adam ante prævaricationem fuerat, extrinsecùs accipiens gratiam, non autem eam suo corpori coagglutinatam tenens. Talis siquidem antea fuit quàm in paradiso cõllocaretur: forsitan etiam deterior euasisset vtpotè qui iam prævaricari dedicerat. Quod si euenisset, vt à serpente deciperetur, iterum opus fuisset Dei loquentis imperio, vt ita maledictio solueretur, atque eo modo necessitas eius rei immensum recurrisset, & nihilo ob id minus remansissent homines obnoxij, fermentes peccato: ac proinde semper peccantes, semper opus haberent veniæ condonatore, neque vmquam illis à vindice satisfieri posset, semper legi ob carnis infirmitatem succumbentibus.] Et mox. [Ne igitur illud fieret, mittit Deus Pater Filium suum, & ille efficitur Filius hominis creaticiam carnem assumens; vt quoniam omnes obnoxij erant morti, ipse autem alius est atque diuersus ab omnibus; pro omnibus suum corpus morti offerret. Ac deinceps veluti omnibus per eum mortuis, sermo eius scientiæ impleretur: Omnes enim mortui sunt in Christo: omnes item per eum renascuntur, vt liberi iam inde à peccato: & ea quæ per peccatum fit, maledictione verè permaneant in æternum à mortuis excitati, & immortalitate & incorruptibilitate induantur. Verbo siquidem amicto indutóque carne quemadmodum sæpiùs ostensum est, omnis morsus serpentis penitus

in carne extinctus est, & si quid ex carnalibus motibus suppullulabat, rescissum est, paritérque sublata est peccati assecla mors, vt ipse inquit; *Venit princeps mundi huius, & in me non inuenit quicquam. In hoc enim manifestatus est* (scripsit Ioannes) *vt solueret opera diaboli*, quibus solutis omnes ob cognationem carnis Christi, à carne in libertatem vindicati sumus; ac iam deinde & nos quoque coaptati sumus Verbo. Coaptati autem Deo, non ampliùs in terra permanemus, sed vt ipse loquutus est: *Vbi ipse est, ibidem & nos futuri sumus*, neque iam in reliquum tempus serpentem formidabimus.] De his S. Athanasij rationibus pronuncient alij. Mihi ea quam proposui, omnium fortissima, & sola ineluctabilis videtur.

Summella capitis, & vsus doctrinæ.

114. Summa doctrinæ huius capitis, hæc est. Christi satisfactiones quatenus nobis ad æqualitatem meritorias, puræ alicuius creaturæ opera, supplere potuissent. Easdem tamen quatenus propriè satisfactorias, nulla puræ creatura actio, siue pro lethali, siue etiam pro veniali peccato, proprio aut alieno, supplere valuit: ac proinde necessarius planè fuit Christi aduentus, vt Dei peccato violati iniuria, æquali satisfactione aboleretur.

Vsus doctrinæ est per se euidens, & iam tactus in superioribus; summum scilicet concipiendum esse horrorem peccati, cum eius expiatio condigna, per solam Dei creaturæ suæ sociati abiectionem, posset perfici. Hoc fuisse Deo propositum in delectu talis medij ad abolitionem peccati quod alioqui solo nutu potuisset exscindere; obseruauit egregiè, Autor sermonis de passio. Dom. apud Cyprianum & S. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 12. Nunc autem cum recogitamus quantæ sit operæ peccatum tollere, ni mens planè læua sit, faciliùs ab eo auertimur, & horrore tanti mali haud grauatè tangimur. Et ad vulnus quidem inferendum nobis ipsi sufficimus, vt sæpè deplorat S. Augustinus, ad medelam autem nequaquam, sed robusta Dei manus interueniat necesse est, quam sola Dei ipsius benignitas aduocat, adhibétque ad medendum. Itaque non est tanquam inane quippiam & ludicrum, admittendum peccatum, sed seriò præmeditandum quàm sit operosa eius ablatio quæ non nisi Dei ipsius interuentu perfici potuit.

CAPVT IV.

Quomodò salus nostra ad Christi productionem Deum mouerit; & an fine illo secluso, alius quispiam, Dei voluntatem ad Christum producendum mouisset.

HAbemus ex dictis, Christum factum esse propter salutem nostram, tanquam propter finem; non impulsiuum tantùm, sed etiam primarium, ad cuius assecutionem necessariò aduenerit Christus, si saluis diuinis iuribus (vt sanè decebat,) saluti nostræ consulendum, & de remedio nobis prospiciendum erat.

Status quæstionis, de modo quo salus nostra fuit Christi finis.

115. Vt autem hæc Christi causa finalis penitiùs penetretur, inquirendum superest, quomodò mouerit diuinam voluntatem ad Christum producendum. Quod est quærere, an salus nostra fuerit de facto vnicus finis aduentus Christi, an verò præter salutem nostram, alius aliquis proximus finis diuinam voluntatem pellexerit ad Christi productionem, siue ille alius finis fuerit partialis partialitate causæ, siue totalis. Dicetur fuisse partialis, si totus quidem Christus ex illius finis motione productus sit, sed adiuncto alio item partiali fine. Totalis verò dicetur, si salus nostra totaliter Deum mouerit ad Christum producendum, & item ille alius finis. Plures enim fines totales coniungi possunt ad eiusdem effectus productionem, quia de ratione finis totalis, non est excludere alium finem totalem, sed tantum præbere omnem influxum in hoc genere necessarium ad effectus causationem; siue alia insuper eiusdem generis & ordinis causa ad effectum similiter causandum interueniat, siue non interueniat. Optima autem nota ad finem totalem internoscendum, est, si ita ab eo pendeat effectus, vt quamuis alius finis qui item adhiberi supponitur, excluderetur; tamen effectus quantum ad causæ finalis influxum attinet, æquè produceretur vi eius solius motionis qua finis iste nunc mouet. Itaque exponendum nobis est, quo ex his modis salus nostra Deum mouerit ad Christi causationem. Hæc est notio propria finis totalis, & germanus status quæstionis de proximo fine productionis Christi. Quia tamen interdum, laxato vocis vsu, finis totalis is dicitur, quo semoto effectus nullomodo fieret, non modò vi præsentis motionis, sed ne vi quidem alterius; propterea vt hoc quoque modo statuamus an salus nostra fuerit totalis causa finalis Christi producti, subnectenda erit discussio quæstionis hypotheticæ, an si salus nostra non fuisset procuranda, vel saltem non pertinuisset ad tam multa, siue peccata abolenda, siue subiecta curanda; (nimirum vel non posito originali peccato, vel exclusis actualibus, aut diffusis ad pauciores personas:) aduenturus tamen fuisset Christus, Deo ad illum producendum moto ex alio aliquo fine, qui nunc vel prorsus defuerit, vel non solus mouerit; tunc autem interuenisset, aut solus Deum ad Christi productionem mouisset. Quam quæstionem aliqui immeritò censent inutilem cum plurimum conferre possit ad Dei bonitatem & prouidentiam perspiciendam, vt monuit Catarinus l. 1. de immacul. concept. Deip. cap. 1.

Quotuplex de facto fuerit Christi finis, variæ sententiæ.

116. Quæstionem de facto, quam primùm discutiendam proposui, dissidentium sententiarum magna varietas obscurauit; ferè ex eo nata, quod hinc Scripturæ Christum ob salutem nostram, atque adeò occasione peccati productum tradunt: inde tanta Christi excellentia, & diligibilitas præ salute nostra, & quibusvis bonis purè creatis, non videtur pati vt Christus bonum dumtaxat occasionatum dicatur: cuiusmodi sanè erit, si solius peccati causa aduenerit. Itaque non pauci, vt huic incommodo medeantur, negant salutem nostram esse vnicum & solum Christi finem: sed alios præterea eius fines assignant, qui velut ex æquo, & absque subordinatione ad salutem nostram, Deum de facto mouerint ad Christi productionem. Primùm quidem & præcipuè, ipsam tanti mysterij excellentiam. Deinde Christi exaltationem, perfectionem totius vniuersi, & creaturarum omnium exaltationem, sed maximè naturæ humanæ, quam ex hoc mysterio esse consecutam, egregiè probat Nazianzenus orat. 36. num. 9. tractans illud Isaiæ 49. *Magnum tibi est, vocari filium meū*, quæ verba sic glossat. [Quid maius & honorificentius hominis humilitati contingere queat, quàm Deo copulari, atque ex illa mixtione Deum effici, tantúmq; ab Oriente ex alto visitari, vt illud etiã sanctũ quod gignebatur, Altissimi Filius vocaretur; eóque nomine donaretur, quod est super omne nomẽ, (quod porrò aliud nomẽ illud est quàm Deus,) atque omne genu ante eum flectatur, qui nostra causa

si extranitus est, ac diuinam imaginem seruili formæ exinanisset] S. Thomas opusc. 60. art. 2. pulchrè idem monstrat ex glossa in illud Cant. 8. *Quis mihi det vt inuenem te foras, & deosculer te, & iam nemo me despiciet.* Dei quippe Verbum ante Incarnationem intus fuit in Patris sinu : per Incarnationem verò, foras prodijt exiens à Patre, & in mundum veniens : & ex osculo quod naturæ nostræ præstit, extitit Christus, vt S. Bernardus serm. 2. in Cant. fusiùs exponit. Post illud igitur osculum, nemo iam humanitatem nostram despicit diuinæ consortem factam naturæ ; ipsique Angeli conditos nos agnoscunt, & admittere hominis adorationem recusant, vt B. Ioannes prodidit. Eò quippe reuelationem illam Angeli, retulit S. Gregorius hom. 8. in Euang.

Omnes hos fines, nonnulli ad Christum causandum concurrisse æquè primò existimarunt. Sed est inter eos dissidium quoad modum causandi. Nam iuxta eundem, prædictorum finium quilibet, non est nisi partialis ; & ex omnibus cum salute nostra coniunctis, compactus est vnus & integer Christi finis, qui indissolubiliter Deum mouerit ad eius productionem. Ita Molin. p. q. 23. art. 4. disp. 1. memb. 7. licet expresserit tantùm duos fines celebriores magisque controuersos, nempè Christi excellentiam, & salutem nostram, quorum alterutro includuntur cæteri. At alij, vnumquemque finium illorum, volunt esse totalem : ita vt omnes influxus in genere causæ finalis ad Christi productionem necessarius, ab vnoquoque eorum sit præstitus. Ita Suarez t. 1. 3. p. d. 5. sect. 4. Fonsec. 6. Metaph. c. 2. q. 4. sect. 2. Magal. in ep. 1. ad Tym. cap. 1. sect. 7. num. 1. Spinellus de Throno Dei cap. 14. n. 11. Perlaud. de concept. dist. 4. cap. 15. à n. 12. & toto c. 16. & inclinè Catharinus opusc. de eximia Christi præstit. toto libro primo. Fusè quoque Clyctouæus Opusc. de Necessitate & felicitate peccati Adæ à cap. 13. ad 20. Alij verò, quamuis omnes hos fines Christi productioni præfigant, tamen negant omnes æquè primò & absque subordinatione causasse. Itaque proximè quidem, dicunt Christum ex fine salutis nostræ productum esse ; nostræ verò saluti assignant alium finem eum ex nexum diuinitùs, qui mediatè & remotè Deum mouerit ad Christi productionem ; nempè exaltationem Christi ita Albertinus 6. princ. comp. Corol. 1. num. 27.

Refutatio : Vnicum esse Christi finem, salutem nostram.

117. Ego vnicum & simplicem Christi finem, nulli alteri non vltimo subordinatum agnosco, salutem nostram perfectam. Quo nomine plurima intelliguntur quæ possent quidem seorsim mouere, reuera tamen indissoluibiliter, & per modum vnius simplicis motiui, Deum induxerunt ad Christum causandum. Posset enim in salute nostra distingui primò nuda satisfactio pro peccato, deseruiens ad meram peccati remissionem absque infusione gratiæ sanctificantis. Secundò meritum diuinæ amicitiæ pro nobis, eiúsque nobis restitutio, seu reintegratio. Tertiò instructio per doctrinam & exempla. Quartò subuectio ad gloriam æternam. Hæc omnia, complexu salutis nostræ consummatæ atque perfectæ comprehenduntur : & talia sunt, vt abstractè loquendo, vnum eorum mouere posset absque alio : sicut vnum bonorum illorum, posset absque alio existere. Reuera tamen si connaturaliter, (vt sic dicam,) mouere permittantur, diuelienda non erunt. Nam in hoc rerum ordine, remissio peccati mortalis non fit nisi per gratiæ infusionem ; vnde instituitur in meritis gratiæ, & redintegrationis diuinæ amicitiæ nobiscum. Et quia Christi meritum non fuit nobis profuturum absque cooperatione nostra,

quam valdè promouet exhibitio exemplorum, & instillatio doctrinæ ; propterea hæc quoque beneficia, ambitu salutis nostræ concluduntur. Quod item dico de glorificatione, quæ est salus nostra perfecta & consummata. Itaque in nostra hac sententia de salute hominis vnico Christi fine, excluſa mysterij ipsius excellentia seu bonitate, frustra distinguerentur plures fines : quia varij illi fines quos intra illum vnicum possumus subdistinguere, mouerunt Deum per modum vnius simplicis finis. Quod si tanquam plures assignare eos placeat, vix reperietur finis vllus creatus, qui simplex censeri queat ; sed semper ex pluribus intra illum distinguibilibus coalescere deprehendetur : quos nisi extranei sint ad inuicem, & separatim insufficientes ad mouendum, plures fines appellati, vsus non fert. Quamquam si quis tales fines in salute nostra inuolutos, dicere partiales obstrmarit, lis erit de nomine, qua libenter abstinebo, modò de re constet.

Salutem itaque nostram sic acceptam, esse vnicum & totum salutis nostræ finem, communis iam olim & antiqua sententia tulit. Ita enim disertè S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3. & lib. 4. contra Gent. cap. 55. & in 3. d. 1. q. 1. art. 3. aliisque innumeris locis : vt meritò mirari subeat aduersarios, ausos in dubium vocare fuerit ne hæc D. Thomæ sententia. Eidem subscribunt passim Thomistæ, quos aliósque referunt & sequuntur Aluarez 3. p. disp. 9. Ragusa 3. p. d. 28. §. 9. Vasquez disp. 10. à cap. 4. Becanus lib. de Incarnatione cap. 1. quæst. 6. Præpositus quæst. 1. num. 55. Bonac. c. disp. 2. quæst. 1. p. 5. Valent. disp. 1. quæst. 1. p. 7. Pesant. q. 1. art. 3. disp. 1. Lessius opusc. de Christi prædest. num. 2. Salazianus lib. de concept. cap. 6. num. 1. & in cap. 8. prouerb. num. 256. Malion. Matth. 9. v. 13. *in fine.* Iustinianus latissimè 1. Ioann. 3. v. 5. ad illud, *apparuit vt peccata nostra tolleret.* Lensæus lib. 5. de Christia. libert. toto cap. vltimo. Videtur autem hæc sententia tam perspicuè in Scripturis tradita, & à Patribus expressa, vt nemo qui de alijs sententijs superiùs propositis quicquam inaudisset, suspicari vmquam posset, subesse aliam causam finalem quæ ad Christi productionem Deum mouerit, præter nostram salutem, iuxta scripturarum oracula, & dicta Patrum. Proferam ex vtrisque nonnulla.

Probatur sententia nostra, ex Scripturis.

118. Ac primùm in Scripturis, supresso omni alio fine productionis Christi, vnicus iste quem dixi memoratur. Sic Matth. 18. & Lucæ 19. dicitur, *Venisse Filiũ hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Et 1. Tim. 1. habentur hæc verba. *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Hebr. 2. *Quia pueri cõmunicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem : vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundũ, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Marci 10. *Filius hominis venit dare animam suã redemptionem pro multis.* Hæc & alia pleraque similia passim in Scripturis occurrentia, adeò expressa sunt in hanc rem, vt expensione non egeant. Nec vspiam in Scripturis alia vlla aduentus Christi causa profertur, præter eam quæ prædictis locis exprimitur. Omnino verò mirum esset, semper hunc vnum Christi finem à Spiritu sancto suggeri scriptoribus sacris, suppressa memoria illarum aliarũ Christi finalium causarum, quas aduersarij, partiales quoque esse contendunt : imò quas plerique ex aduersarijs ita finaliter in Christi productionem influxisse affirmant, vt vi præsentis decreti &

volitionis, salus nostra nequaquam fuisset Deum motura ad Christo productionem, nisi hæ quoque aliæ finales causæ, eum mouissent.

Consensus Patrum.

119. Patrum non minus illustria sunt, in rem nostram testimonia. Supra cap. 1. *sub finem*, insignem in hanc rem locum dedi ex S. Irenæo lib. 3. cap. 2. Idem Iren. lib. 5. cap. 14. [Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset: & si sanguis iustorum non haberet inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.]

Origenes l. 8. in epist. ad Rom. [si non fuisset peccatum, non necesse erat Dei filium fieri agnum; nec opus fuerat eum in carne positum iugulari, sed mansisset hoc quod in principio erat Dei Verbū. [Et hom. 24. in Num. [Donec sunt peccata, necesse est requiri & hostias pro peccatis. Nam pone (v.g.) non fuisse peccatum; si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium Dei, agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum iugulari: sed mansisset hoc quod in principio Deus erat verbum. Verùm quoniam introiuit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit prouideri hostiam pro peccato.] Idem hom. 1. in diuersos, tractans illud ex cap. 1. Matth. *Hoc autem totum factum est* &c. causam aduētus Verbi ad nos, salutem nostram proferens, ait. [Virgo in vtero accipiet, vt Deum dignanter Incarnatum, ad mundi pariat salutem. *Ecce* (inquit.) Hoc ipsum quod dicit, *Ecce*, admirantis est tanti mysterij magnitudinem, vt omnes velut de somno suscitans, ad hoc dictum euigilet: *Ecce virgo*, dicit, *in vtero accipiet, & pariet filium.* Ad colligandum fortem armatum, & conculcandum serpentis impij caput, ad conterendas vires eius, ad prædam eius diripiendam, atque captiuitatem sui populi conuertendam. Pariet filium ad denuò reparandum Adam, ad inobedientiam Euæ per Matiæ obedientiam excludendam, ad erigendum iacentium genus, quod per mulieris temerariam crudelitatem fuerat ante deiectum.] Et egregiè ibidem hom. 2. [Ad hoc Verbum in carnem descendit, vt in ipsum caro ideſt homo credens, per carnem in Verbum ascendat, vt per naturalem Filium Vnigenitum, multi filij efficiantur adoptiui. Non propter seipsum, Verbum caro factum est, sed propter nos, qui non nisi per Verbi carnem potuissemus in Dei Filios transmutari. Solus descendit vt cum multis ascenderet; de hominibus facit Deos, qui de Deo facit hominem.]

S. Athanasius sub initium orationis de Incarn. Verbi, & corporali ad nos aduentu. [Sed fortassis admireris, cur propositā mentione de Incarnatione Verbi, nunc de principio hominum verba faciamus. Verùm id non alienum est à scopo institutæ orationis. Necesse est enim, nobis differentibus de Saluatoris nostri ad nos aduentu, etiam differere de hominum principio; vt cognoscas nostram culpam illi dedisse occasionem vt descenderet; nostrámque præuaricationem, Verbi Dei humanitatem elicuisse, vt ad nos contenderet, & inter homines appareret Dominus. Illius enim incorporationis nos causam dedimus; & ob nostram salutem ita humanus extitit, vt in humano corpore & esse vellet, & appareret.]

120. S. Hilarius 2. de Trinit. [Virgo, partus, & corpus, post quam crux, mors, inferi, salus nostra est. Humani enim generis causa, Dei Filius natus ex virgine est; & Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua videlicet Dei inumbrante virtute, corporis sibi initia conseuit; & exordia carnis instituit, vt homo factus ex Virgine, naturam in se carnis acciperet, pérque huius admixtionis societatem, sanctificatum in eo vniuersi generis humani corpus existeret: vt quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit conderentur, ita rursum in omnes ipse, per id quod eius est inuisibile, referretur.]

Chrysostomus hom. 3. in Genes. [Vt scias quantum bonum sit cum salute nostra & alio. Lucrari, audi Prophetā ex persona Dei dicentem; *qui educit pretiosum a vili, quasi os meum erit.* Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait manduxerit, vel à peccato ad virtutem, proximum induxerit; pro virili humano me imitetur. Et enim ipse, cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, ac alia humana omnia sustinuit, & Crucem quoque suscepit, nisi vt nos peccato obnoxios, à maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat, dicens, *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictū.* Si igitur ipse qui Deus est ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos & salutem nostram suscepit, cur non & nos erga fratres iusti sumus?] Et hom. 5. in ad Hebræos. [Qui adeò magnus, qui est splendor gloriæ, qui est character substantiæ, qui fecit sæcula, qui sedet ad dexteram patris, is voluit, vt studium posuit, vt frater noster fieret in omnibus. Et ideò dimisit Angelos & supernas potestates, & ad nos descendit, & nos apprehendit, & bona fecit innumerabilia, mortem fregit, à diaboli tyrannide nos eripuit, à seruitute nos liberauit: non solum fraternitate honorauit, sed etiam alijs innumerabilibus. Voluit enim esse noster Pontifex apud Patrem. Subiungit enim, *Vt misericors fieret & fidelis Pōtifex ad Deū.* Propterea, inquit, carnē nostrā suscepit, propter benignitatē solùm & clementiā vt nostri misereretur. Non est enim alia dispensationis causa, quàm hæc sola. Vidit enim nos humi abiectos, pereuntes, & à mortis oppressos tyrannide, & misertus est. *Vt repropitiaret*, (inquit,) *delicta populi. Vt misericors fieret & fidelis Pontifex.* Quid est *fidelis!* Verus, potens. Pōtifex enim fidelis est filius, qui potest liberare à peccatis eos quorum est Pontifex. Vt ergo offerat hostiam quæ possit nos mundare & expiare, propterea factus est homo.] Et hom. 67. in Matth. [Hæc curationis sola causa est, propter quam in hunc mundum descendit.]

Eodem referendum est, quod habet hom. 2. de Ascens. post descriptam subuectionem primitiarum naturæ nostræ in cœlum per Christum. Exclamat enim, [O beatam atque felicem illam inuidiam; ô bonum damnum! ô inuidia bonorum causa quæ nobis infinita cōcilias bona!] Sic ibi de Satanæ in nos inuidia, vnde casus noster & euersio inde autem Saluatoris aduentus extitit. Quod manifestè monstrat Christum non venisse nisi propter peccatum; nam alioqui cessat occasio, *felicem culpam* vocandi, vt eam quoque vocauit S. Gregorius, sicut & Ambrosius in Psal. 39. ait de Adæ casu. [Felix ruina quæ reparatur in melius.] Et optimè apud Augustinum t. 9. lib. de diligendo Deo cap. 6. Subscripsit allegata prosa Ecclesiastica Richardus Victor. l. de Incarnatione Verbi cap. 8. Quos Patres allegare placuit, tum quia in rem præsentem conferunt, tum etiam vt suffundatur temeritas cuiusdam fraterculi, qui in vicinia nostra, quoties Sabatho sancto cantatur in Ecclesia S. Gregorij ad benedictionem cerei, iubet omitti cœnobio suo, verba illa *ô felix culpa* &c. Et *certè necessarium. Adæ peccatum*, quasi plus ipse saperet quàm S. Gregorius, vel quàm alij Patres quos retuli; imo quàm tota Ecclesia, quæ verba illa S. Gregorij vsurpat. O tempora! ô mores! Scio Clyctouæum in Elucidatorio Ecclesiastico, cum de benedictione cerei Paschalis, fugillasse ea verba ex Prosa S. Gregorij. Verum postea in Apologetica disputatione à necessitate peccati Adæ, ostendit se tantùm ea verba reiecisse, si sumerentur in sensu blasphemo quo salus nostra peccato Adami tribueretur. De quo sensu S. Gregorius non cogitauit. Conatúrque pro viribus (tamen si

metsi frustra) Clyctonæus ea verba S. Gregorio abiudicare & supposititia ostendere. Sed ad rem.

S. Ambrosius l. de incarn. Dom. Sacram. c. 6. [Quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro quæ peccauerat, per se redimeretur?]

121. S. Basilius hom. de hum. Christi gener. [Sed cur Deus homo factus est, rationem exquirunt homines; cum magis eius bonitatem adorare deceat, quàm diuinitatem curiosiùs indagare. Quidnam tecum agendum homo? In sublimi Deum agentem minimè quærebas: ad te verò per carnem venientem, & tecum conuersantem, non recipis. Sed quomodò Deo familiaris fias, rationem quæris? Hanc itaque disce: carnem susscepit Deus, quoniam execrabilem contaminatámque hanc, purgatam sanctámque reddi oportuit, infirmam ac debilem corroborari, à Deo ob peccatum alienam, conciliariq; paradiso excidétem in cœlum referri.]

S. Leo serm. 3. de Pentec. cap. 2. [si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec Diaboli fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus, formam serui & similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & aliter solui captiuitas humanæ non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine maiestatis suæ damno & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet, diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis: vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret.]

Nazianzenus orat. 36. *ferè initio.* [Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit? Profectò vt nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ affetri possit?] Et omnino illustrissimè orat. 42. quem locum in hanc rem profert Iobius Cod. 222. post descriptam eiusmodi malorum in genus nostrum, subdit. [Ille patris terminus & ratio, ille inquam, ad imaginem suam se confert, carnémque carnis causa gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iungitur, vt simile per simile repurget, atque humana omnia excepto peccato susscipit; conceptus quidem ex Virgine animo & carne à Spiritu purgata, (nam & generationem honore affici, & Virginitatem præferri oportebat.] Et mox. [Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Diuinam imaginem accepi, nec custodiui: Ille meam carnem aceipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat.]

122. Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli. [Si homo non periisset, Filius hominis non venisset. [Et serm. 9. [Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ, iacebat ægrotus.] Et in Psal. 36. [Si tu ô homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.] Et serm. 20. de temp. *in fine.* [Velut peregrinus nascitur, qui totius orbis est Dominus, vt nos cœlestis patriæ faceret esse municipes. Pannis obuoluitur, vt scissam humani generis vnitatem, suo redintegraret in corpore; totúmque immortalitatis vestimentum purpureo sanguinis colore fulgens, in cœlestia regna deferret. Nascitur fœtus, vt ipsam quam prius homo vitiauerat, meliorem naturam.]

S. Cyrillus Dial. 5. de Trinitate. Quandoquidem necessarium hominum lapsibus & nostris peccatis erat, vnigenitum pati, maximam quidem habeat gratiam ipse. Sciat autem, quod humanitatis crimina, illi diuinæ gloriæ occasio fuerint. Nam si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinuisset Crucem. Et si mortuus non fuisset, neque assecutus esset vt adoraretur, & à nobis & à sanctis.]

123. Andreas Cretensis hom. de exalt. Crucis apud Gretserum t. 2. de cruce pag. 97. [Quid his immoror? Si crux non esset, Christus in terra non fuisset; & si Christus in terris non fuisset, non Virgo, non secunda Christi generatio fuisset: non humanitatem induisset Deus; non fuisset partus, non præsepe, non fasciæ, non octauo die Circumcisio, non exhibita parentibus obedientia; non ætatis progressus, non corporis incrementum, non apparitio, non baptismi vsus, non peracta miracula.] Per Crucem, peractam in ligno Crucis redemptionem nostram, Metonimicè intelligit. Itaque perinde est ac si dixisset, nisi redemptioni nostræ seruiendum fuisset, nequaquam fuisset ad nos venturum Deum.

Iobius apud Photium Cod. 222. [Quandoquidem Adam victus, Dei in se imaginem innumeris carnis passionibus obliuit & ad posteros noxam transmisit; ideò carnem Dominus induit, & in mari Deitatis suæ, nostræ conditionis guttam susscepit, cum vt mortale à vita absorberetur, atque in vniuersum genus beneficium effunderet; tum vt inexplicabile pelagus bonitatis suæ, erga nos ostenderet; tum etiam quia opificera ipsum oportebat suæ creaturæ quæ iam diffluxerat, instauratorem fieri.]

124. S. Bernardus hom. 3. super missus est *in fine.* [Magnificetur & à nobis paruulus magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus est paruulus. *Paruulus* (ait) *natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Nobis inquam, non sibi; qui vtique ante tempora multo nobilius natus ex patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis est datus, quia nobis necessarius. Eruit verò inde insigne hoc corollarium. [Iam de nobis nato & dato, faciamus ad quod datus est & natus. Vtamur nostro in nostram vtilitatem. De Saluatore salutem operemur. Ecce paruulus in medio statuitur. O paruulus paruulis desideratus! O verè paruulus, sed malitia, non Sapientia. Studeamus effici sicut paruulus iste, discamus ab isto quia mitis est & humilis corde, ne magnus videlicet Deus, sine causa factus sit homo paruus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucisixus. Discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus Passionibus. Lauemur in sanguine eius, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris, quoniam ad hoc ipse natus & datus est nobis, ipsum oculis Patris ipsum efferamus & suis.]

Guerricus Abbas serm. 3. de Natiuit. Dom. tractans illud. *Puer natus est nobis.* [Nobis prorsus; non enim sibi non Angelis. Sibi inquam natus non est, vt scilicet hac natiuitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, & perfecta beatitudo sibi erat, quia de Deo perfecto Deus perfectus natus erat. Angelis natus non est, quia nec Angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat, nec illius qui ceciderat, casus reparabilis erat. Ideò nusquã Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: Et qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis; se quodammodò relinquens, & Angelos transiliens, vt ad nos vsque deueniens, vnus fieret & nobis, & exinanitus semetipso, minoratus ab Angelis, æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis factus est. Factus est nobis redemptio, quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ natiuitatis præiudicio.

Rupertus 2. de medit. mortis cap. 8. disertissimè est in hac sententia. Locum infra dabo, ex opere in quod insertus alibi legitur, nimirum ex lib. 2. de oper. Spiritus sancti cap. 6.

Quibus modis aduersarij, Scripturarum & Patrum loca proposita, eludant.

125. Non puto laborandum in pluribus seu scripturarum seu Patrum locis huc aceruandis, quòd quibus satis non sint quæ protulimus, ne si alia præterea innumera addensentur, videantur persuadendi. Quæ verò ad prædictorum & aliorum huiusmodi locorum vim elidendam ab aduersariis adducuntur, sunt planè inania. Et in primis dimittenda est Scoti responsio, qua dicit omnia illa loca accipienda esse de aduentu Verbi ad nos quoad circumstantiam passibilitatis in humanitate assumpta. Hanc responsionem iam reieci supra cap. 1. *sub finem*, éstque reuera improbabilis. Quis enim credat, tam confertis Scripturæ & Patrum locis finem aduentus Christi tradentibus, non designari finem primarium & simpliciter dictum sed dumtaxat impulsiuum, cuiusmodi sanè est salus nostra, si non est finis aduentus Verbi ad nos simpliciter & absolutè, sed tantùm sub conditione passibilitatis? Sicut si causa cur aliquis prodiret in publicum sic indutus, esset captatio risus spectantium, nemo diceret captationem illam risus esse causam simplicitet aduentus, sed tantùm modi quo homo venisset. Itaque meritò qui inter aduersarios sunt oculatiores, non vsurpant sine vlla temperatione responsionem propositam.

Addunt verò vt eam diluant, Scripturas & Patres prodidisse finalem causam quæ huic mysterio communis est, tam quoad eius substantiam, quàm quoad eius modum propositam, nempè passibilitatem; cuiusmodi finis est salus nostra: sed inde non excludi alium quemcumque finem aduentus Christi, præsertim excellentiam tanti mysterij quam negant oportuisse in Scripturis exprimi, quia est finis euidentior quàm vt necesse fuerit eum detegi. Motiua siquidem extrinseca, quia ex solo Dei beneplacito adhibentur, necesse fuit reuelari, quia ex se innotescere non poterant: quæ autem huic mysteria interna sunt, expressa reuelatione non eguerunt: Cùm etiam D. Thomas 1. p. q. 50. art. 1. dimissa reuelatione expressa, colligat dari creaturas purè intellectuales eo adhibito argumento, quod intenderit Deus mundum procreare, perfectum vndecumque. Sic aduersarij declinari putant telum quod ex scripturarum oraculis & Patrum testimoniis in eos vibrauimus.

Repelluntur.

126. Sed non assequuntur intentum. Quamuis enim verè Patres ac Scripturæ prodiderint solum finem qui & substantiæ & modo huius mysterij communis est, tamen eo ipso quod finem alium numquam produnt, ac ne insinuant quidem, plusquàm verisimiliter colligimus nullum esse alium, præsertim primarium, & eo quem expresserunt digniorem. Alioqui fatendum esset, Spiritum sanctum minus aptè ac congruè hoc mysterium detexisse, tacito semper præclariore & illustriore eius fine, cuiusmodi est interna huius mysterij excellentia iuxta aduersarios. Quod autem aiunt, excellentiam illam, ex se potuisset innotescere absque reuelatione expressa, falluntur apertè. Quamuis enim ea interna bonitas, & tanta mysterij excellentia, potuerit mouere Deum ad Christi productionem, tamen cum nulla quantumcumque exaggerata bonitas creata, Deo necessitatem inferre valeat ad eam producendam; potuit Deus nolle hoc mysterium ex eo fine interno conficere. Vnde ergo constabit nobis clarè de voluntate Dei in hac parte? Aut vbi illa euidentia quam aduersarij comminiscebantur? Denique non satis aptè Diui Thomæ exemplum obtendunt; est enim manifesta inter vtrumque factum disparitas. Aliud quippe est, supposito quòd Deus aliquid fecerit, verisimiliter coniectare finem ex quo Deus ad ita volendum sit adductus, nullo diuinæ illius voluntatis fine in Scripturis expresso, quod fecit D. Thomas: aliud verò quod faciunt aduersarij, gratis affingentes in re nostra finem aliquem diuinæ voluntati, præter eum quem toties támque apertè Deus ipse propositum sibi fuisse, est contestatus.

Itaque sententia cui adhæsimus, videtur rectè communita ab autoritate, vt non dubitarit Vdalricus apud Cartusianum in 3. d. 1. q. 2. tantùm non damnare blasphemiæ aduersarios; quod videantur scripturam inculare tanquam diminutam, ac profiteri se meliùs peruasisse diuina in hoc negotio concilia, quàm Apostolos, & Prophetas, & quàm SS. Patres vniuersos, ipsumque etiam Christum, à quibus numquam assignatus finis ille aduentus Christi, quem aduersarij diuinant; sed is dumtaxat quem proposuimus, nempè remedium peccati, & salus nostra.

Prima probatio sententiæ nostræ, ex ratione.

127. Nunc expendamus possitne sententia nostra valide firmari ratione. Ragusa 3. p. disp. 28. §. 16. Sic argumentatur. Quoties duo aliqua non habent per se ordinem ad inuicem, sed tantùm ex intentione agentis, necesse est si inter ea ponatur ordo, interuenire finem aliquem extrinsecum, qui agenti fuerit propositus in ordinis illius positione. Nam quæ non ordinantur ad inuicem per se & immediatè, necesse est vt extraordinariè, ac proinde interuentu finis extrinseci ordinentur. Estque ea germana ratio, cur Deus non possit ad se immediatè referre materiam, vel quantitatem. Atqui inter Verbum & humanam naturam, non est per se ordo, vt est euidentissimum. Ergo vt inter ea exurgat ordo, concurrántque ad compactionem personæ Christi, necesse est interuenire extrinsecum aliquem finem, ad quem consentaneè, & non ex mero operantis arbitrio persona illa composita referatur. Ac proinde perperam dicitur hoc mysterium esse peractum ob intrinsecam eius bonitatem & Christi excellentiam, vel ob alia quæ cum ipsa mysterij huius excellentia coincidunt: cuiusmodi sunt Christi gloria, vel perfectio vniuersi ex positione gradus huius rerum: sed dicendum est, hoc mysterium fuisse diuinitùs patratum ob extrinsecum finem salutis humanæ, cui curandæ aduentus Christi accommodatissimus & opportunissimus fuit. Omnes quippe alij fines Christo externi, inidonei apparent; quod Ragusa fusè prosequitur de illo extrinseco fine quem censet vnicum præterea posse proferri; nempè de naturæ humanæ exaltatione ad summum verticem ordinis supernaturalis: quæ alia reuera non est, quam quod humanitas diuinitùs terminata hypostaticè potest opera infinitæ dignitatis elicere, quibus Deus concilietur nobis, & peccati macula abstergatur. At hic est ille ipse finis quem aduentui Christi præfiximus, nempè salus nostra, siue plenum peccati remedium, ex satisfactione nostra, & æquali pro peccatis satisfactione integratum.

Non est idonea.

128. Hanc rationem non censeo efficacem. Facile quippe erit, excogitare alios extrinsecos fines aduentus Christi præter eos qui propositi sunt ab hoc autore, v. g. facilè dici poterit, ideirco Deum ad sactum hoc compositum conflandum fuisse permotum, vt haberent homines in quo diuinam potentiam & sapientiam suspicerent, obiectu tam mirabilis opificij, & adunationis extremorum tam distantium excitati. Reuera enim nullibi magis micant diuina potentia & sapientia. Nec dico, finem Deo hac in re proposi-

tum

tum, fuisse vt opus tantæ sapientiæ & potentiæ efficeret; qui reuera non esset finis extrinsecus huic mysterio, aut ab eius excellentia & bonitate distinctus; sed aliud aliquid profecto quod planè est huic mysterio extrinsecum, nempè admirationem nostram diuinorum illorum attributorum, splendentium in hoc mysterio. Quòd enim homines excitentur ad suspiciendas in aliquo opere diuinas perfectiones, indéque sustollantur ad agnitionem diuinæ maiestatis, est aliquid ab illius operis interno fine planè abiunctum. Similiter dici posset finem externum Deo propositum in Christi productione, fuisse potentiorem hominum attractionem ad amorem Dei. Cum enim Deus valdè expetat amari à nobis, eo quod sit summa nostra perfectio; & certum sit, productionem Christi etiamsi non in ratione redemptoris, esse appositissimum illicem ad excitandum amorem nostrum; facilè dici poterit, Deum in Christi productione id habuisse propositum, vt faces nobis ad amandum admoueret, qui item est finis extrinsecus, & distinctus à bonitate ac excellentia huius mysterij, & sine dubio appositissimè obtinetur per hoc mysterium. Quis enim adeò rigeat, vt non concipiat amoris calorem; imò vt non igneſcat, & in flammas abeat charitatis in Deum, si perpendat quantoperè Deus gloriæ demiserit sese, vt nos sustolleret? quod sanè per hoc mysterium nobis obtigisse, etiam præcisis operationibus infinitè dignis profusis à Christo, non video quomodò reuocari possit in dubium: cum indefectum sit, vt natura nostra infinities eminentiùs subsisteret, & diuinæ perfectionis eximiæque sanctitatis, & impossibilitatis peccandi exigitiua esset; quæ sunt prærogatiuæ omnino insignes, ac in mirabilem naturæ nostræ exaltationem cedentes. Itaque ratio pro placito nostro proposita ab autore prædicto, non est efficax.

Probatio altera sententiæ nostræ, ex ratione.

128. Alia ratione; per excisionem sententiarum propositarum, firmant hanc sententiam nostram, nonnulli qui ei suffragantur. Sic igitur ratiocinantur. Qui præter finem Christi in Scripturis expressum, proponant alium aliquem finem Christi, vel proponant eum vt partialem, vel vt totalem; Neutrum autem videtur dici posse. Nam si interna bonitas huius mysterij causat finaliter, mouétque Deum ad illud causandum, congruum est vt causet totaliter: quia verisimile est, Deum cum vsurpat finem aliquem, vsurpare illum consentaneè ad ipsius dignitatem. Atqui excellentia huius mysterij, est maximè idonea ad mouendum totaliter. Et idem quoque est de salute nostra. Ergo vterque ille finis, si adhibetur, mouet totaliter. Quod si salus nostra fuit Christi finis partialis; & excellentia mysterij fuit alius finis item partialis, fatendum est, secluso alterutro illorum, Christum non fuisse producendum vi præsentis decreti. Semouetur ergo vnus ex illis partialibus finibus, puta salus nostra. Patet, Christum non fore producendum vi præsentis decreti diuini. Vt autem Christus non esset producendus vi diuini decreti semoto illo fine, necesse esset res aliter disponi quàm si Christus non esset producendus ob defectum alterius finis item partialis; ex cuius quoque defectu posset Christus non fieri. Nam omnibus eodem modo se habentibus, & intra Deum & extra Deum, non licet fingere, finem aliquem modò mouere diuinam voluntatem ad causandum effectum, modò non mouere: & effectum, vi vnius finis ac motiui modò esse futurum, modò non esse futurum. Cum ergo intra Deum omnia sint inuariabilia, extra Deum verò omnia eodem modo sint se habitura alterutro ex illis finibus sublato, quia æquè Christus non erit si alteruter deficiat; fatendum est, fines illos non interuenire vt partiales, nec mouere ad Christum causandum modo prædicto. Quæ ratio, æquè potest seruata proportione, adhiberi pro finibus totalibus. Et vrgeri etiam pro his potest, quod Vasquez 3. p. disp. 10. num. 3. latè prosequitur de impossibili vnius & eiusdem effectus dependentia à duobus finibus totalibus. Quod cum Vasquez omnino inefficaciter probet, aliter à Salazario euincitur, (vt ipse quidem arbitratur,) lib. de conceptione cap. 11. num. 8. Nimirum quia duplex & diuersa ratio bonitatis, non potest vna intentione propter se amari: alioqui idem actus, posset esse amoris amicitiæ, & amoris concupiscentiæ. At si vnus effectus à duplici totali fine penderet, duplex ac diuersa ratio bonitatis, amaretur propter se vnico motu. Igitur ea dependentia vnius effectus à duplici fine totali, est impossibilis. Tandem aduersus hanc Christi productionem ex duplici totali fine, vrgeri quoque potest, quod Vasquez suprà num. 99. proponit: nempè, quod non potest Deus efficaciter præfiniri pro eodem tempore, Christum simul passibilem ac impassibilem, vt constat ex oppositione huiusmodi statuum. Hoc autem sequeretur, si Deus simul ex fine salutis nostræ, & ex fine interno propriæ excellentiæ Christi, eum produxisset. Nam prout ex redemptione & salute nostra motus esset ad producendum Christum, præfiniuisset eum passibilem; idque fuisset totum & solum motiuum producendi Christum in statu passibilitatis: Nam secluso peccato & liberatione ab eo, Christus non pateretur. In quali ergo statu præfiniuisset Deus Christum, prout simul substantem decreto quod latum fuisset ex illo alio motiuo passibilitatem excludente? Certè non in alio quam impassibilitatis. Igitur Christus simul decretus fuisset vt passibilis, & impassibilis, quod manifestè repugnat. Atque adeò concludendum est, Deum ex vnico fine salutis nostræ motum, decreuisse Christum producere; non autem ex duplici totali, vt affirmabant Autores quorum sententiam excutimus.

Non est efficax.

129. Sed neque hanc argumentationem censeo efficacem. Et primùm quod perpenditur dignitas vtriusque finis, & idoneitas eius ad mouendum totaliter, ridiculum est. Nam quomodocumque se habeat motiuum, liberè vsurpatur à Deo, vel vt partiale, vel vt totale. Quod deinde assumitur de necessaria mutatione physica intra vel extra Deum, quoties peculiaris aliquis actus in Deo agnoscitur, non est reuera solidum. Ob solam namque mutationem moralem quæ dependentiam à finibus mouentibus aut non mouentibus affectatur, optimè intelligi potest, statuendum esse in Deo peculiarem actum. Exempla manifesta esse videntur, in ablatione reatus, relaxatione voti, condonatione peccati venialis. Quæ enim physica mutatio extra Deum proferri potest, impossibilis cum reatu, voto, & peccato veniali; qualem mutationem fieri oporteret in negotio de quo agimus diuinitùs exequendo. Nam mutatio non incompossibilis cum prædictis effectibus expellendis, esset planè impertinens ad expulsionem illam: nec plus vi talis mutationis causaretur expulsio, quàm si non induceretur ea mutatio quæ proinde inutiliter & superuacuè adhiberetur; risúmque meritò mouit quidam, quem ad præstandos diuinitùs effectus prædictos, serio asserentem ipsimet audiuimus, necessariam saltem esse caulis aut lapidis productionem; quæ tamen mutatio cum nullatenus nexa sit cum ef-

fectu

fectu qui intenditur, perperam & ex mera obfirmatione in propria ſententia, dicitur eſſe neceſſaria ad illud effectum. Sed de hac re, ex inſtituto 1.p. q.19. Itaque ex eo quod diuinum hoc opus referretur nunc à Deo ad vnum finem, nunc non referretur, nulla neceſſariò, non modò intra Deum, quod eſt manifeſtum, ſed neque extra Deum, intelligenda eſſet phyſica mutatio: ſed ſufficere poſſet varia habitudo moralis, ex illorum finium mutatione exorgens in opere. Quamquam neque ſi neceſſe planè eſſet mutationem phyſicam alicubi factam oſtendere, ablato, vel poſito fine quopiam, laboraremus reuera in ea monſtranda. Nam ad manum eſſet, primùm mutatio finis qui nunc ſupponitur adeſſe, nunc abeſſe. Deinde proferretur mutatio dependentiæ, ſiue actionis qua effectus à cauſa dimanat. Ea enim modalis entitas, quæ eadem eſt & finis & efficientis cauſalitas, facta quacumque in cauſis variatione, mutatur, éſtque phyſicè alia: ac proinde cum finis ſit vera cauſa phyſica, neceſſe eſt vt admiſſa variatione in fine, actio quoque varietur. Itaque argumentatio nixa principio de quo agimus, eſt vndecumque infirma.

Iam impoſſibilitas dependentiæ eiuſdem effectus à pluribus cauſis, atque adeò etiam finibus totalibus, exploſa fusè eſt in phyſicis: nec eam firmat argumentum ex duplici & diuerſa ratione bonitatis, non amabili per vnicum actum. Admitto enim, ſi effectus aliquis pendeat à pluribus finibus totalibus, plures in nobis eſſe intentiones, quibus fines illi expetantur: & in Deo intelligendas item eſſe plures intentiones ſecundùm noſtrum concipiendi modum, terminatas ad totales illos fines.

Tandem quod attinet ad ſtatum in quo Chriſtus præfiniendus eſſet prout ſubſtans motiuo interno huius myſterij, ſiue excellentiæ quæ in eo cernitur; dico forè ſtatum paſſibilitatis: quia Chriſtus naturaliter, & ſpectatis ſolis principiis ſuis phyſicis, dimiſſo ſupernaturali ornamento quod humanitati eius, præcisè prout eſt humanitas, non debetur, eſſet paſſibilis. Vnde Deus iuxta Autores quorum cauſam agimus, producens Chriſtum ex duplici ſimul fine totali, ſalutis ſcilicet noſtræ, & excellentiæ huic myſterio internæ, nihil de facto ſtatuit quoad appoſitionem impedimenti ſtatus paſſibilitatis humanitatem naturaliter affectantis. Habuit tamen adiunctum decretum efficax, quo ſtatuit ſe ſupernaturaliter impediturum paſſibilitatem humanitati Chriſti connaturalem, ſi contingeret Chriſtum ex ſolo internæ excellentiæ motiuo produci. Quod decretum nunc quidem vacat effectu, quia non eſt appoſita conditio: ſi tamen hæc poneretur, idemmet decretum quod nunc eſt, eſſet efficax, & in abſolutum tranſiret, ac Chriſti paſſibilitatem inhiberet. Fatendum igitur eſt, rationes propoſitas non multum incommodare aduerſariis.

Vnde petenda idonea ſententiæ noſtræ probatio, ex ratione.

130. Nec mihi ſanè videntur aduerſarij vrgendi rationibus, diſtinctus ab ea quæ ex locis Scripturæ & teſtimoniis Patrum propoſitis, dicitur. Nam effectio cuiuſcumque externi operis, eſt planè libera Deo: vnde tota ratio cur fiat, aut non fiat, reducitur ad Dei libertatem. Vt quid ergo quæramus rationes extrinſecas, vbi tota facti ratio, eſt facientis arbitrium, atque voluntas? Poſſumus quidem congruentias aliquas diuinæ voluntatis vrgere: ſed quanti ſint rationes in huiuſmodi congruentiis fundatæ, nemo non videt, & optimè à S. Anſelmo conſideratum eſt lib. 1. cur Deus homo cap. 4. vbi dicit, argumentationes huiuſmodi, eſſe picturas in aëre. Quare ſatis ſit, inde aduerſarios exagitaſſe, quod non alium debeamus diuinorum operum finem quærere, quàm quem ipſe Deus in Scripturis ſacris expreſſerit, & Patres inde eruerint. Atqui vidimus, operi huic diuino de quo agimus, non alium in Scripturis finem proponi, quam quem diximus. Vidimus item, plerósque Patres diſertè ſtatuere, ſublato fine illo, Chriſtum non fuiſſe producendum. Igitur non eſt pro arbitratu noſtro ſtatuendus Chriſto alius finis, ſiue totalis, ſiue partialis. Confirmatur ex eo quod in ijſdem Scripturis & Patribus, Chriſtus proponitur tanquam ſplendidiſſimum argumentum diuinæ miſericordiæ, & charitatis in genus humanum: ita vt ex hoc myſterio conteſtetur paſſim homines Spiritus ſanctus, quanta Deo aſtringantur obligatione; quóſque ignes charitatis concipere debeant, vt tanto erga ſe amori ac miſericordiæ reſpondeant. Siue autem aliæ præter finalem Chriſti cauſam propoſitam totales eius cauſæ, ſiue partiales agnoſcantur; conſtat præpediri calorem per nos concipiendum ex hoc myſterio, vel intepeſcere iam conceptum: quandoquidem, etiamſi poſito fine ſalutis noſtræ, non veniſſet Chriſtus ſi alia cauſa partialis defuiſſet; & æquè veniſſet, ſi poſita fuiſſet alia totalis. Quod planè eſt affundere frigidam ignibus illis quos dixi, & laxare obligationem, qua homines deuinctos ſe Deo ob hoc myſterium, profiteri debeant.

Optima item coniectura, peti poteſt ex circumſtantiis executionis huius myſterij: quæ omnes planè ferunt, Chriſtum non niſi ob ſalutem noſtram productum eſſe. Siue enim conſideremus perſonam aſſumentem, ſiue naturam aſſumptam, ſiue conditiones eiuſdem naturæ, ſiue tempus quo facta eſt aſſumptio, non obſcurè deprehendemus, hoc myſterium aliò non ſpectare, quàm ad ſalutem noſtram. Nam perſona aſſumens, eſt Filius, qui eſt Patris imago increata. Paſſim autem Patres cum veſtigant rationem cur ea potiùs perſona quam alia ſit luto noſtro coniuncta, inde cauſam petunt, quod decuerit imaginem creatam per imaginem increatam reſtitui. Natura autem aſſumpta, eſt humanitas. Et hanc quoque, præ Angelica natura aſſumi debuiſſe, monſtrant Patres, quia ipſa fuit quæ ceciderat; & honorificentius Deo fuit, Satanæque acerbius, per eandem reſtitui collapſa. Eiuſdem quoque conditiones, paſſibilitas, paupertas, &c. Redemptionem noſtram & ſalutem ſpectarunt. Quam item præfixam ſolam fuiſſe Deo Chriſtum producenti, demonſtrat conditio temporis in quo Chriſtus productus eſt. Venit enim in fine ſæculorum, quod neceſſarium fuit vt perſpicua fieret neceſſitas reparatoris, poſt benè perſpectam hominis collapſi ruinam. At ſi Chriſtus fuiſſet productus ex aliis finibus, ſiue totalibus, ſiue partialibus, oportuiſſet Chriſtum ab initio mundi produci, iam tunc locum habentibus illis aliis finibus eorúmque motione.

Quæ viciſſim aduerſarij in nos intorqueant, ac primùm ex Scripturis.

131. Inſecuti hactenus ſumus aduerſarios. Nunc quæ ijdem in nos tela regerunt, retundenda ſunt. Ac primùm, vrgent Scripturas. Nam Chriſtus Coloſſ. 1. dicitur, *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Similitérque Hebr. 2. Chriſtus dicitur *is propter quem omnia, & per quem omnia.* Tandem Prouerb. 8. Sapientia incarnata profitetur ſe eſſe, *principium viarum Domini, & ordinatam eſſe ab æterno antequam terra fieret;*

Quod

Quod non est accipiendum de mera antecessione dignitatis ordinationis, ante terram in tempore conditam: cuiuscunque enim creaturæ ordinatio, antecedit eo modo productionem temporalem cuiuslibet creaturæ: vnde diuina sapientia incarnata, nihil peculiare de se profiteretur, affirmando se esse ab æterno ordinatam antequam terra fieret, & quæ in terra degunt, accipere esse. Igitur Christus, prædefinitus à Deo est ante decretam peccati permissionem: ac proinde non venit ob salutem nostram; aut si ex eo quoque fine venit, saltem anteriùs ratione venit etiam ex alio. Alias multas Scripturas, sed longè minùs ad rem facientes congessunt Catharinus lib. 1. de eximia Christi prædest. & Alphonsus Mendoza q. 1. Scholastica num. 8. & 9.

Item ex Patribus.

Vrgent secundo loco aduersarij, Patrum testimonia. Nam S. Cyrillus lib. 5. thesaur. cap. 8. ait, Christum fuisse ante nos præfundatum vt in illo omnes saluaremur; alludens, vt videtur, ad affinia quædam S. Irenæi verba lib. 3. cap. 33. Adhæc S. Augustinus lib. 1. de nupt. cap. 21. affirmat nuptias fore symbolum coniugij Christi cum Ecclesia, etiam si homo non peccasset. Fuisset ergo etiam tunc Christus, ex alio motiuo quàm reparationis nostræ, eóque ipso motiuo adductus est Deus ad producendum Christum. Omnium Patrum disertissimè & explicatissimè hanc sententiam tradit Rupertus lib. 3. de glorificatione Trinit. & proces. Spiritus sancti cap. 20. & lib. 15. de gloria filij hominis, siue vltimo lib. in Matth. omnino fusè. Adduci item in hanc rem possunt, testimonia illorum Patrum, qui affirmant Angelos & Adamum innocentem, hausisse gratiam à Christo capite; malos autem Angelos idcirco peccasse, quia inaudito Christi aduentu & committendo illi principatu supra homines & Angelos, detrectarunt ei subijci. Erat igitur Christus venturus, etiamsi Angelus non peccasset; atque adeò etiamsi neque Adam impegisset, & antecedenter ad peccatum Adami & Angelorum, decretus erat.

Ac denique ex ratione.

131. Vrgent denique aduersarij, rationes varias: sed cum pleræque earum quas Catharinus l. illo primo constipauit, debiles sint; attingam illas dumtaxat, in quibus plus aliquid efficacitatis deprehendã. Prima est, quod ex nostra sententia, Christus admodùm deprimatur cum statuatur dumtaxat præfinitus occasione peccati, & tantùm ex secundaria Dei intentione, ac veluti casu productus dicatur. Secunda est. Deus ordinatè vult, atque adeò priùs vult finem quàm media; & inter media, priùs vult illa quæ sunt fini propinquiora, id est quæ ad illum magis conducunt. Vel ergo Christus non magis conducit ad finem totum omnium, hoc est ad Deum eiusque gloriam, quàm salus & liberatio nostra: Vel si id reijcitur, tanquam reuera absurdum, fateri adigemur Christum priùs cecidisse sub diuinam intentionem, quàm remedium peccati & salutem nostram. In terra ratione, fit ab aliquibus vis magna: potest autem sic concipi. Præposterum est valdeque dedecens Deum, ordinare rem præstantiorem ad deteriorem & despicatiorem. At hoc fecisset Deus, si Christum propter nos homines & salutem nostram produxisset. Indeque etiam ea Christi inhonoratio consequitur, quam Catharinus *indignitatem detrectandam* appellat. Nempè quod Christus, plus nobis & peccato nostro debeat, quàm nos Christo: quandoquidem nos non essemus facti propter Christum, Christus verò propter nos & salutem nostram haberet esse. Vetabitur item Christus absolutè velle suum esse, & in eo sibi complacere. Aliquin enim approbaret peccatum, cuius remedium præberet ipsi Christo existentiam. Quarta ratio est admodum speciosa. Hæc nimirum. Christus minus à Patre amatus fuisset, quàm homines: quandoquidem Pater tantùm voluisset illum producere propter homines, & ad eorum bonum. Quintò, Angeli mali in eodem rationis signo reprobati sunt, in quo boni sunt prædestinati. Atqui mali, reprobati sunt prædestinato iam Christo: quandoquidem occasione Christi præostensi in ratione capitis, ceciderunt. Igitur Christus fuit quoque prædestinatus ante electionem bonorum Angelorum, atque adeò etiam ante nostram, non autem per solam peccati occasionem. Sextò Christus non esset primus prædestinatorum, & exemplar prædestinationis cæterorum, contra quam significat Apostolus Rom. 8. dicens de electis, *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui*. Cum enim nos homines prædestinati fuerimus ante præuisum primi parentis peccatum, & in eodem signo rationis quo Angeli sunt prædestinati; apertè profectò sequitur, Christum post nos fuisse prædestinatum; si tantum post præuisam Adami culpam, & ad eam tollendam prædestinatus est, ante quàm nos prædestinati eramus vnà cum Angelis bonis: quorum proinde Christus non poterit statui caput, contra Apostolum id sæpè affirmantem.

Ad Scripturas pro aduersariis adductas.

133. Hæc omnia difficultatum capita, expediri haud grauatè possunt. Ac primùm Scripturæ allegatæ, non ferunt quod Aduersarij intendunt. Nam quod Christus dicitur: *Primogenitus omnis creaturæ*, accipi potest de Christo prout Deus est: quo pacto Patres benè multi apud Iustinianum 1. Ioan. 3. v. 5. n. 9. ea verba sunt interpretati. Et sic sumptus locus ille, nullomodo iuuat aduersarios. Si autem ea Christi denominatio spectet humanam Christi naturam, quæ est nonnullorum Patrum expositio apud Toletum in c. 1. Ioann. annot. 45, & latè Nysseni orat. 1. (vers ùs 2.) contra Eunom. c. 8. dicendum erit, Christum vocari primogenitum, non ratione prioritatis quoad ordinem, sed ratione dignitatis & honoris. [Quia sicut primogenitus omnium fratrum, primatum dignitatis obtinet inter omnes fratres, sic humanitas Christi primatum dignitatis obtinet inter omnes creaturas.] Verba sunt crediti Anselmi in cap. 1. ad Coloss. Et hac ratione acceptus locus ille, nullo modo aduersariis suffragatur. Quod autem subdit Apostolus, *in Christo omnia esse condita, & omnia in ipso constare*, ita ab eodem Interprete exponitur, vt perbellè cum sententia nostra consentiat, causam autem aduersariorum nullo modo promoueat. Sensum ergo Apostoli esse ait; non est mirum si Christus iuxta humanitatem sit primogenitus, tantúmque omnibus præcellat; nam secundùm diuinitatis eius potentiam, facta sunt vniuersa. Deus enim omnia in sapientia fecit, atque adeò in filio per quem omnia facta sunt. Nec tantùm per Verbum Dei omnia sunt facta, sed etiam ne in nihilum redeant, per illud consistunt. Mirum igitur non est, si homo ille qui simul est Deus, est omnium primogenitus, omnibúsque dignitate prælatus, & ante omnes constitutus.

134. Vides quàm hic locus sic expositus, nostris rationibus non officiat. Neque locus ex 2. ad Hebr. cuius iuxta eumdem, ab ósque grauissimos Interpretes hæc est sententia. *Decebat eum propter quem omnia sunt & per quem omnia sunt creata*. Patrem scilicet æternum *qui* tametsi nondum re, tamen iam prædestinatione *adduxerat in gloriam* beatitudinis æternæ, *plurimos Filios*, addicere morti pro ijsdem, & *consummare per passionem, autorem salutis eorum*. Pater enim pleroíq; Sanctos Christo anteriores, in salutis & securitatis portum cum gloriæ debito deduxerat; & æquum ac Deo dignum erat, vt pro adoptiuis, naturalem & vnigenitum filium consummaret. Actiuè enim legendum est *consummare* (vt liquet

liquet ex Græco verbo Τελειῶσαι, non autem passiuè, vt viriati quidam codices Latine legunt: vnde factum est, vt aliqui totam periodum ad Christum qui consummatus est retulerint, cum tamen referenda sit ad Patrem qui consummauit. Qua ratione euanescit argumentatio quam Aduersarij inædificant ei Apostoli loco.

Similiter postremus locus qui vrgebatur ex c. 8. Proverb. planè inutiliter in nos intorquetur, si grauissimis Patribus Nazianzeno orat. 39. Hieronymo in cap. 26. Isaiæ, & passim eius loci expositoribus Caietano, Rodulpho, Iansenio, adhæreamus: iuxta quos sapientia quæ se ibi à Deo possessam profitetur, est æterna sapientia personalis, vel certè sapientia illa actiua quæ est commune omnium diuinarum personarum attributum. Eam enim Dominus ab æterno possederat, sed quasi otiosam; Exprompsit autem & magis proprie possedit cum exercuit eam, moliens & extra se educens orbem terrarum. Hæc loci illius interpretatio, quæ sanè est germanissima & latè confirmatur à Lessio opusc. de Christi prædest. n. 19. nullomodo iuuat aduersarios. Et ille quidem locus iuxta 70. vertitur *Dominus creauit me*: id tamen rectè posse cohærere cum æterna generatione sapientiæ increatæ, quatenus accepit esse ex nulla materia præiacente, monstrat Bellarminus l. 4. de Christo cap. 18. si autem aliam valdè propriam interpretationem eiusdem loci probemus, qua ea sapientiæ possessio, aut vt legunt 70. *creatio*, accipitur de sapientia Incarnata, vt acceperunt plurimi Patres, quos ibi Salazarius num. 245. appendit supra viginti; quod iuxta eam interpretationem commodius repellerent Arrianos eo loco abutentes ad Verbum inter creaturas recensendum: sic facile dicemus, idcirco Christum siue sapientiam Dei Incarnatam, dici *Principium viarum Domini*, quia est principium viarum euangelicarum, per quas Christus Ecclesiæ ad gloriam inter disposuit. Ita enim *vias illas* interpretantur Hieronymus, ibi, & S. Athan. serm. 3. cõtra Arrian. nec non S. Cyrillus 5. Thes. cap. 4. & S. Augustinus 1. Trinit. c. 12. & optimè planè Nyssenus orat. 1. (veriùs secunda contra Eunomium cap. 10. & orat. 2. imò tertia cap. 2.) Vel certè idcirco sapientia Incarnata dicitur *principium viarum Domini*, quia Christus quamuis non sit prædestinatus ante omnium creaturarum conditionem, est tamen constitutus caput initium & causa prædestinatorum, atque adeò est caput viarum, id est præfinitionum & consiliorum Dei circa electos; quam interpretationem approbat ibi Salaz. num. 256. ostendens num. 253. interpretationem cui nituntur aduersarij, multa peccare. Hæc autem manifestè cohæret cum prædestinatione Christi post peccatum, & cum aduentu sapientiæ Incarnatæ, (vt eodem loco subditur,) ad opera Dei; supple reficienda & instauranda, quod planè est, finem Christo præfigere salutem nostram.

Patres allegati ab Aduersariis, exponuntur.

135. In exponendis Patribus quibus Aduersarij nituntur, minùs adhuc est operæ. Dempto namque Ruperto, qui & ætate inter Patres postremus est, & authoritate non adeò eminet; præsertim cum grauiter alicubi impegerit, nec in hac parte satis sibi constet; docet enim contrarium lib. 1. in Daniel. cap. 19. Ruperto inquam excepto, nullus reuera ex Patribus, aduersariis est suffragatus. Non enim S. Cyrillus, qui primùm proferebatur ex lib. 5. Thes. cap. 8. Eo quippe loco, manifestissimè ac læpissimè tradit, Christum venisse vt ruinam peccato inuectam repararet, & esset principium ædificationis nostræ ad pietatem; quandoquidem prima Dei ædificatio, Satanæ astu disiecta fuerat. Quibus verbis nihil potuit proferri explicatius ac fortius, aduersùs sententiam quam excutimus. Sed neque S. Irenæus, qui item adducebatur, suffragatus reuera est aduersariis. Tantum enim ait, Adamum dictum esse formam futuri, [quoniam futuram circa Filium Dei, humani generis dispositionem in semetipsum, fabricator omnium Verbum præformauerat, prædestinante Deo primum animalem hominem; videlicet vt à Spirituali saluaretur. Cum præexisteret saluans, oportebat & quod saluaretur, fieri; vti non vacuum sit saluans.] Hic autem quid aduersariis seratur, metatúrve non video. Nam si Christus, iuxta S. Irenæum, præformatus est Saluator; igitur salus nostra præfixa illi fuerat tanquam finis in diuina mente. Sensus ergo S. Irenæi est, qui reuera nihil nobis incommodat, imò causæ nostræ apertè patrocinatur, præformasse id est præconcepisse in seipso Deum, vniuersam œconomiam, & reparandi generis humani rationem; & in ea statuisse, hominem prostratum reparari per Christum oportere, & generari Spirituliter per Christum, homines quos homo primus morte mulctarat. Itaque oportere illi dare spiritualem sobolem ne patris viuentium nomen vacuum præferret. [Primogenitus enim mortuorum natus Dominus, & in sinum suum recipiens pristinos Patres, regenerauit eos in vitam Dei. Ipse initium viuentium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc & Lucas initium generationis (à Domino) inchoans, in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed illos in Euangelium vitæ regenerauit.] Verba sunt S. Irenæi paulò post eodem capite, ex quibus mens eius quam dixi, apertè habetur. Sitem Augustinus, aduersariis nullomodo patrocinatur. Neque enim (prout allegabatur,) affirmat coniugium fuisse futurum Sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, homine non cadente; quo pacto aduersariorum causæ commodaret: sed tantùm affirmat, coniugium Adami & Ecclesiæ adhuc innocentium, fuisse symbolum coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Quæ quid ad rem præsentem? Ad extremum, si qui Patres, gratiam Angelorum & Adami innocui à Christo homine detiuant, exponendi sunt eo modo infra trademus, agentes de Christo capite. Nimirum ita vt Deus, consummando apud se processum interum productione & administratione seruandam, cum tandem occasione peccati ad Christum deuenit, omnia priùs ratione constituta reuoluens, gratiam primum ex misericordia decretam, nouo titulo iustitiæ, respectu Christi conferre Angelis & Adamo innocenti decreuerit. Qua ratione illa sententia de Christo fonte gratiæ Angelorum, & hominis innocij, rectè cohæret cum fine illo aduentus Christi quem hic defendimus; nempe cum salute nostra & liberatione.

Ad rationes Aduersariorum.

136. Postremus aries quem in sententiam nostram admouent Aduersarij, infirmior est quàm vt eam quatiat. Frustra enim fatigatur humana ratio, in proponendis & explicandis rationibus quæ Deum congruentissimè inducere potuerint ad Christi productionem; cum quilibet finis Deo extrinsecus, nec essentialiter cum Deo nexus, quantacumque bonitas in eo ostentetur, possit à Deo non intendi in molitione alicuius operis. Vnde si reuelatio aliquem alium finem Deo fuisse propositum commonstret, in eo sistendum est. Atqui in hoc negotio, reuelatio non alium nobis finem Christi proponit, quàm salutem nostram. Igitur rationes profigendi Christo alios fines, quantumuis appareant congruentes, inidoneæ sunt habendæ. Hoc generatim de omnibus aduersariorum rationibus, fatum esto. Nunc in particulari, veniamus ad eas enodandas, quæ superiùs sunt propositæ.

Ad

Ad primam, quod Christus esset bonum occasionatum.

Ad primam, vtrò damus, Christum esse bonum duntaxat occasionatum. Et sanè Verbum exinaniri, & habitu inueniri vt hominem, tale bonum est, vt secundum se sumptum, ac secluso ordine ad reparationem humani generis, non sit bonum Deo congruè appetibile; tametsi ea occasione posita, fuerit congruentissimè expetitum. Et quamuis fuisset congruentissimè expetibile secluso motiuo prædicto; tamen quia Deus non adigitur expetere quæcumque sunt congruè expetibilia, non licet inferre Deum de facto talem aliquem alium Christi sui finem quem reuera non expresserit; aut cum hoc fine quem diximus expetijsse, aut fuisse isto secluso expetiturum. Inde verò nihil detrahunt de Christi excellentia: quia quamuis Christus sit magnum bonum, tamen est bonum Deo extrinsecum, & liberæ Dei expetitioni substans; ita vt Deus sub ijs tantùm occasionibus & conditionibus in illum feratur, quas liberum eius consilium approbarit. Reuelatio autem fert, hoc tantum bonum cum omni illa interna excellentia & perfectione quam obtineret, si ob alios quoscumque extrinsecos fines productum esset, non esse reipsa productum, nisi ex fine salutis humanæ reparandæ: atque adeo quoad existentiam suam, esse duntaxat bonum occasionatum, quia ita placuit Deo.

Ad secundam, de Christo diuinæ gloriæ optimo medio ideoque prius volendo.

137. Ex ijsdem principijs eliditur secunda ratio aduersariorum, ex eo ducta, quòd Deus Christum tamquam perfectissimum gloriæ suæ medium, debuerit prius velle. In qua ratione dissoluēda, mirum est quantopere à variis iudatum sit, vt latè prosequitur Vasquez 3.p. tota propè disp. 111. Commodissimè autem dissoluetur ex dictis, si statuamus Deum quidem ordinatissimè velle quidquid vult iuxta consilium voluntatis suæ, tamen ita liberum esse à necessitate amandi quodcumque bonum sibi extrinsecum, qualecumque tandem illud sit, vt possit pro libito, vel in illud amore ferri, vel amore eius abstinere: & multo magis possit illud amare per solam occasionem alterius boni, quod in gloriam suam referat, etiamsi hoc aliud bonum, videri nobis possit minùs accommodatum ad promouendam & amplificandam diuinam gloriam, quàm illud ad quod impenditur. Et ita planè factum esset in præsenti, si verum esset, Christum simpliciter & nudè acceptum, esse medium accommodatius ad promouendam Dei gloriam, quàm quiduis aliud ad quod Christus per diuinam voluntatem destinetur. Reuera tamen Christus quoad suam internam perfectionem sumptus, non est accommodatius medium ad promouendam diuinam gloriam, quàm Christus prout remedium peccati, & autor salutis nostræ. Imo finis ille diuinæ gloriæ omnibus manifestandæ, multo meliùs obtinetur, Christo per solam peccati occasionem producto: quia supposito peccato homines indigniores erant, & Dei iustitia ac misericordia, plenius micant, Christo nihilo minùs producto, & in hominum vsus impenso. Secluso verò salutis nostræ reparandæ necessitate, vix apparet nobis congruitas tantæ dimissionis Verbi diuini.

Itaque ad formam argumenti neganda est minor; nempè, Deum tamesi ordinatissimè velit, teneri prius velle quæ sunt propinquiora fini, quem in rebus omnibus cōdendis habet vltimò propositum, nempè gloriæ suæ. Hic siquidem nomine *medij propinquioris*, intelligitur medium aptius ad obtinendam diuinam gloriam: nec est sermo de serie aliqua mediorum subordinatorum, è quibus anteriora, id est executioni propiora, sint eiusmodi, vt non possint ad finem consequendum deseruire nisi per posteriora; quæ quia sunt remotiora ab executionis exordio, sunt fini propinquiora. De huiusmodi inquam maiore ad finem propinquitate, hic non est sermo: sed de solo maiori vsu ad finem. Et hoc pacto, nego medium quantumuis aptum ad prouentum diuinæ gloriæ, esse à Deo necessariò quærendum. Nullis enim gloriæ suæ captandæ mediis alligatur. Neganda item est eiusdem argumenti minor. Nimirum quod Christus nudè sumptus quoad internam excellentiam suam, sit aptius medium diuinæ gloriæ, quàm Christus prout salutis nostræ reparator. Sic enim facienda est comparatio, non autem prout salutis nostræ reparator. Sic enim facienda est comparatio, non autem prout aduersarij eam instituunt, comparantes cum diuina gloria, permissionem peccati ex vna parte; ex altera verò Christum nudè spectatum: Quo pacto minori argumenti proposito, verisimilitudo aliqua obtenditur. Sed instituta comparatione ad modum prædictum, minor illa manifestè apparet falsa.

Ad tertiam, de Christi depreciatione.

138. Æquè ex iactis fundamentis occurrere licet tertiæ rationi aduersariorum, qua vrgebatur Christi depreciatio, si admitteretur factus propter nos, & salutem nostram. At nos negamus minui inde nobilitatem Christi Domini, quia Christus non est vltimo factus propter nos, sed propter Deum: proximè tamen Deus, propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & Christus productus est: quod non tam Christum deijcit, quàm Dei in nos misericordiam patefacit, qui tale tantumque opus suum, vsibus nostris addixerit. Sicut quod Angeli, administratorij sint Spiritus in ministerium missi propter nos, nullo modo Angelorum præ nobis nobilitatem imminuit. Nullum quippe munus, cui Deus pro Scopo præfigitur, deprimit reuera creaturam: Tantaque & tam plena est Dei potestas ad disponendum de quacumque re creata, vt sine eius iniuria, nobiliorem ad despicationem possit ordinare: quia tandem omnia reuoluuntur ad ipsum Deum, cuius honori seruire, quomodocumque id fiat, gloriosissimum est, superque omnia optandum creaturæ.

Absit autem, vt ex eo quòd Christus propter salutem nostram tamquam propter finem proximum factus sit, existimemus eum nobis quicquam debere, quod in eadem tertia aduersariorum ratione, præterea vrgebatur. Quamquam Rupertus qui aduersariorum signifer fuit, apertè id admittit lib. 2. de operibus Spiritus sancti cap. 6. verbis illis. [Ecce homo Christus, homo iustus, hominibus peccatoribus multum debet. Confortentur manus dissolutæ, & roborentur genua peccatorum debilia, quæ videlicet si fide & pietate eruditi, si sapientes caufidici vel iurisperiti sint, habent quo constringant iudicem suum. Dicant adhuc peccatores fideles, peccatores pœnitentes. Et si quidem tibi multum debemus nos, Deus Christe, quia homo factus es; at tu è contra multum nobis debes homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es. Nam nisi fuissemus peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset. Confortentur, inquam: nec enim id solùm attendere debent, quod tantæ dignitatis Dominus, propter tam indigna seruilium personarum delicta, tantis affectus est iniurijs & ipsa morte, morte autem Crucis. Verum id quoque; nisi peccassent serui, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura seruilis. Nec enim Dominus ille, pro seruis contumacibus siue sceleratis, plus iniuriarum, quàm gloriæ pro ijsdem suscepit.] Quamuis tale quid aduersarijs, ex eorum præsertim signifero reponere liceret, nihil tamen tale

ingero ; nec Christum quicquam nobis debere admitto. Hæc enim non minùs infulsa esset cogitatio, quàm si quis medicum ægro obstrictum diceret, quià depellenda eius ægritudine, lucrum aut decus reportauit. Sciut ergo non medicus ægro, sed æger medico obstrictus est in eo euentu ; & ad summum medicus ijs obstringitur, qui cum possent vel ægrum abijcere, vel alio minùs congruente modo eidem opitulari, adnocarunt medicum : Ita Christus nullo nobis obligationis nexu alligatur, ex eo quod ob curandam salutem nostram sit à Deo datus, sed tantùm obligatur Deo, qui cum posset nos abijcere, aut incongruè ex sola misericordia curare, prælegit nostræ calamitati opem ferre per Christum suumvsibus eum nostris ac peccatorum nostrorum expiationi, tanquam fini proximo addicens. Vnde ipse Christus, absolutè rem spectando, optare potuit numquam fuisse. Nam quilibet benè effectus in Deum, ita comparatus esse animo debet, vt suum bonum diuino semper postponat, velitque etiam existentiam abijcere, atque adeò eam numquam obtinuisse, si id è maiore Dei gloria esse supponatur. Potuit itaque Christus dicere, Vtinam numquam fuisset peccatum, ego numquam fuissem, eo quod homines numquam meo aduentu indiguissent. Vt tamen res se habebant, seu quia peccatum in mundum intrauerat, gaudendum potiùs Christo fuit, quod diuinitùs accepisset esse, vt tanto malo mederetur.

Ad quartam, quod plus Christo, amati à Patre essemus.

139. Ad quartam aduersariorum rationem, qua dicitur, Christum iuxta nos minùs amari à Patre quàm homines puros ; respondendum est, restringendo nomen Christi, ad designandam solam humanitatem & eius cum Verbo vnionem, excluso tamen Verbo à termino illius amoris. Nam quod ad Verbum attinet, perspicuum est Verbum plus amari quàm nos, nec esse propter nos: Spectando autem Christi humanitatem & vnionem eius, admitto Deum quoad dandum esse, priùs, & eatenus plus, amasse nos & salutem nostram, quàm Christum : quia non nisi ob salutem nostram voluit dare esse Christo. Quamquam ad viuum rem resecando, non sic est instituenda comparatio, vt nos & salus nostra ex vna parte, comparemur cum Christo ex altera : sed ita vt gloria Deo adueniens ex procurata perfectè nostra salute, conferatur cum Christo. Ob eam namque gloriam, Deus voluit esse Christum, non autem nudè propter nos. At spectando Christum iam factum, hoc est humanitatem eius iam productam cum vnione ad Verbum, plus sibi Deus in illa humanitate sic vnita complacuit, quàm in nobis: pluriſque ipsa apud Deum fuit, quàm mortales omnes, & orbis vniuersus.

Ad quintam, ex casu Dæmonum, ob propositum eis Deum hominem.

Quinta aduersariorum machina, supponit Luciferum & partiarios, corruisse ob propositum ipsis Christum in ratione capitis ; quod latè reijcitur à Iustiniano in Epistolam Iudæ v.6. à num. 27. Nec certè adeò explorata est ea occasio peccati Dæmonum, vt negari facilè non posset ; si ita necessarium esset, ad retinendam hanc in qua versamur de Christi fine sententiam, longè in Patribus & Scripturis manifestiorem. Nihilominùs, etiam ea causa ruinæ Dæmonum admissa, verum esse potest, finem Christi esse salutem nostram, quod hoc modo exponi breuiter potest. Deum fixum habens, hominem condere, & eius lapsum permittere, ac eum condignè reparando gloriæ suæ velificari decreuit permittere peccatum hominis, vno aliquo ex varijs modis quos conditionaliter præuidebat : Præscius item quod quidam Angeli si eis Christus proponeretur tanquam caput, essent peccaturi, & postea ad peccatum impulsuri genus nostrum, cui redimendo congruentissimum foret venire Christum, & teipsa si clades nostra permitteretur venturus esset : Horum inquam omnium conditionaliter præscius Deus, decreuit permittere hanc humani peccati per Satanæ artes admissionem cui Christus in ratione obiecti præiret, & tamen ei subsequeretur tamquam effectus in alio causæ genere.

140. Huius rei gratia, distinguamus in hoc negotio tria signa rationis subsequentia conditionalem præuisionem variorum modorum quibus permitti poterat peccatum hominis, ad quod eluendum Christus venturus esset. Primum signum est, in quo Angelus præuisus est peccaturus, occasione Christi, Deo intenti ad eluenda hominum peccata, & Angelis proposiri sub ratione capitis : non quidem detegendo Angelis vniuersum hunc processum, sed tantum obijciendo illis Christum venturú, tacito fine ob quem venturus erat : ac etiam pressa connexione aduentus Christi, cum Angelorum peccato. Hæc enim dumtaxat euincunt, qui contendunt Christum Angelis in via non fuisse propositum, vt Molina 1.p.q.57. art.disp.2. Becanus tract. de Angelis c.2.q.6.Præpos.3.p.q.19.n.46.Lessius disp. de Christi prædest.s.2.n.29, Secundum signum est, in quo præuisum fuit hominis peccatum, malo Angelo suadente causandum. Tertium, in quo præuisa est Incarnatio vt executioni mandata ad reparandam hominis cladem, & abolendum peccatum.

Deus ergo qui præuisis conditionaliter varijs occasionibus lapsus humani ob quem venturus esset Christus, statuerat vnam aliquam earum permittere ; potuit Angelis proponere Christum vt venturum : quia certo venturus erat per hanc vel illam occasionem, ex varijs quæ Deo occurrebant in primo illo signo quo præuidebat lapsum dæmonum ; eoque lapsu absolutè præuiso, potuit decernere executionem Incarnationis per hanc viam. Atque ita incarnatio & Christus venturus, habuit in diuina præscientia rationem aliquam prioris, respectu peccati Angelici; in genere scilicet obiecti, & causæ formalis extrinsecæ. Habuit item rationem posterioris in genere causæ effectiuæ ; quatenus peccatum Angelorum interuenit ad executionem incarnationis, per modum causæ peccati humani, cui aduentus Christi est destinatus. Ex ea autem Christi priqritate & posterioritate respectu peccati Angelorum, commodè explicabitur cohærentia finis quem Christo præfiximus ; hoc est humanæ salutis, cum sententia quæ Angelos humanæ ruinæ autores, contendit lapsos esse occasione propositionis ipsis factæ, de Christo statuendo capite super omnem Ecclesiam, etiam Angelorum. Nam præsuppositio Angelici peccati, est causalis per actionem & impulsum ; ad quod exigitur prænotio illius peccati in statu exercito. Præsuppositio autem Christi venturi, non est necesse vt sit in statu exercito ; quia est tantùm præsuppositio in ratione obiecti quæ non postulat existentiam exercitam, & à causis suis explicitè præuisis pendentem; sed optimè potest consistere cum sola prænotione futuritionis postea exercendæ per aliquam è pluribus causis, de quibus veluti vagè sumptis, constitutum est quod forent permittendæ. Obiectum enim non postulat esse de facto, vel concipi existens in illo priore signo ; quia obiectum non est propriè causa. Debet tamen in illo signo concipi fore per causas & occasione eius, de quibus acceptandis vel permittendis, postea explicitè & in particulari decernetur. Habemus præsuppositionis prædictæ cum posterioritate cõiunctæ, affine exemplum in vltimo merito Angelorum bonorum. Nam huiusmodi meritum habuit pro obiecto hominis salutem ;

sine

sine quia Angeli eorum societatem diuinitùs propositam acceptarunt: siue quia libenter amplexi sunt humanæ salutis negotiationẽ diuinitùs sibi demandatam. Eatenus ergo, salus humana fuit prior vltimo Angelorum merito. Et tamem cum salus hominum esset curanda ministerio Angelorum non cadentium, necesse fuit eam prout exercitam, prænosci in signo posteriori, quàm perseuerantiam & meritum vltimum Angelorum bonorum. Item finis permouet voluntatem vt habendus reipsa. Potest ergo præuideri vt talis, etiamsi exercita eius assecutio per media & causas determinatas, posthea sequatur & præuideatur.

Quæ vt in pauca rem contraham, si admittamus quod occasio lapsus Angelorum malorum, fuerit facta illis hominis Dei, Angelorum quoque capitis propositio; ita se habuit in præsenti negotio Dei præuisio. Vidit Angelos peccaturos eo quod Christus proponendus illis esse vt caput; simulque vidit causam meditatam & remotam executionis aduentus Christi, fore illud ipsum Angelorum peccatum, profectum ex propositione Christi: qui proinde præcognoscebatur à Deo, vt obiectiuè præexistens, non tamem vt præexistens in actu exercito; seu prout iam in eo signo habens futuritionem exercitam, & à certis iamque determinatis causis deriuandam.

Ad sextam, ex eo quod Christus sit prædestinatorum princeps.

141. Sexta ratio soluitur, dicendo Deum antetulisse omnibus, ac principem & caput prædestinatorum constituisse, Christum suum. Non quod cæteri homines non sint prædestinati priùs ratione quàm Christus: (Reuera enim Christus est effectus prædestinationis aliorum hominum, nec nisi occasione hominum qui præuisi erant lapsuri, prædestinatus est, vt eos erigeret ac repararet.) Non igitur ob eam causam Christus dicitur primus prædestinatorum, quod sit prædestinatus in signo aliquo rationis, præcedente signum prædestinationis cæterorum hominum: sed quod Christus, posteriùs ratione prædestinatus constitutus sit fons gratiæ pro cæteris omnibus, & consequenter autor gloriæ quoad allecutionem. Deus enim intelligendus est, primùm elegisse homines ad tantam gloriæ mensuram, nihil explicitè ac determinatè sanciens de medijs. In posteriore autem signo rationis, approbata peccati permissione cuius occasione venturus esset Christus, concipere oportet, Deum prætexendo totum processum anteriorem, eumque referè contuendo & ratum habendo, constituisse vt quandoquidem pro occasionem peccati Christus venturus esset, autor fieret salutis electorum; promerendo eis omnia media quibus destinatam diuinitùs gloriæ mensuram essent assecuturi, iuxta illud, *benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Itaque Christus tametsi alijs electis ratione posterior, quia peccatum hominum iam electorum occasionem præbuit producendi & prædestinandi Christum; tamen dignitate prælatus est alijs electis ratione prioribus, facitque est prædestinatorum omnium caput, & fons vniuersæ hominum gratiæ ac gloriæ. Accedit quod ex quo Deus, per occasionem humanæ salutis, & curandæ electis gloriæ, Christum decreuit, illico per actum quasi reflexum, omnia in eius gloriam extrinsecè retulit, eoque actu veluti de nouo, ex hoc nouo fine, approbauit decretum ante latum, de condendis & ad gloriam promouendis electis. Quæd conducere etiam potest, vt intelligamus quo sensu Apostolus Rom. 8. dixerit, Deum præscisse electos, & *prædestinasse conformes fieri imaginis filij sui.* Quamuis enim Christi prædestinatio, non fuerit exemplar prædestinationis nostræ quoad primam Dei intentionem; tamen producto in diuina voluntate, & prædestinato Christo, consecuta est, & quasi reflexè approbata, conformitas Christi, & electorum cæterorum.

Infertur signum rationis in quo decretus à Deo est Christi aduentus.

142. His paucis quæ ad quintum & sextum argumentum tradidi, satisfactum sufficienter puto, immensæ Syluæ difficultatem quæ apud DD. agitantur, circa signum rationis quo Christus in diuina prouidentia decretus intelligi debet. Nam quamuis pauci Nominales, difficultates illas eliserint vel eluserint, affirmantes signa illa, esse mera figmenta: tamen communiter cæteri, rectè statuunt, in diuinis actibus, & in obiectis prout sub actus illos cadunt, signa illa priora & posteriora non distingui frustra, sed cum fundamento concipi à nobis atque secerni. Quamuis enim nemo dubitet, quin in Deo vnicus & simplicissimus actus quo omnia intelligit, & vult ea in quæ voluntate fertur, tamen cognitio, etiam in Deo, præsupponitur amori, quia nihil volitum quin præcognitum, saltem priùs ratione & virtualiter: quæ prioritas, in eadem simplici entitate, ad seipsam diuersimodè conceptam comparata, reperiri potest; vt in anima rationali, immaterialitas censetur præire immortalitati, tanquam radix proprietati; & hæc per illam vt per virtualem causam ratione priorem demonstratur, quamuis sint ambæ eadem entitas. Similiter ergo idem & simplicissimus actus diuinis, qui simul est cognitio & volitio; si sumatur prout est cognitio, censetur prior seipso prout est volitio; dicturque esse in priori quodam signo non fictitio, sed verè habente fundamentum in re. Et similiter inter varios actus diuinæ voluntatis, ille censetur prior, & ad anterius signum spectare, qui est causa virtualis alterius: vt est intentio respectu electionis; Et inter electiones mediorum subordinatorum, ea quæ in nobis influit in aliam, est item in Deo ratione prior. Et hæc ipsa signorum vel rationis prioritas, quæ inter actus distinguitur, in obiectis quoque locum habet. Nam obiecta prout subijcent actibus inter se habentibus ordinem illum, dicuntur ipsa quoque ratione priora aut posteriora, vel esse in priori aut posteriori signo. Sunt ergo in diuinis actibus, & in obiectis eorum, secernenda varia illa signa prioritatis & posterioritatis, nec possunt ijs abrogatis præcludi difficultates, quas inter DD. agitari aiebam quoad signum rationis quod Christus in diuino intellectu & voluntate est sortitus.

Caietanus circa hoc improbatus.

143. Video autem communiter & merito improbari sententiam Caietani de hoc signo, quoad Christum. Ait enim Caietanus 3. p. quæst. 1. art. 3. approbante ibidem Aluare disp. 9. *in fine*, tres rerum ordines esse distinguendos, naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ: quorum ordinum primum, ait supponi à secundo vt fundamentum eius; similiterque secundum; tertio: ita vt omnia quæ spectant ad ordinem naturæ, inter quæ numerat peccata, fuerint in priore signo, quàm quæcumque spectant ad secundum ordinem; & rursus hæc, sint priora omnibus quæ spectant ad tertium ordinem, in quo est Christus: qui proinde iuxta Caietanum, posteriùs ratione decretus est; & consequenter in posteriore signo præuisus, quàm omnia alia. Improbatur (vt aiebam,) communiter hæc doctrina, & iure. Nam totum fundamentum priori atis inter diuinos actus, aut obiecta eis substantia, peti debet ex connexione aut dependentia, saltem virtuali, intercedente inter obiecta illa, vel actus. Atqui constat; nullam vel connexionem, vel dependentiam aut quasi dependentiam, cerni in-

ter non pauca quæ ad varios illos ordines pertinent. Quæ enim dependentia est inter scientiam Aristotelis, & gratiam Michaelis, vt possimus hanc posteriorem, illam priorem statuere in signo aliquo rationis? Nam quamuis in eodem subiecto natura supponatur gratiæ, tamquam subiectum eius; tamen in diuersis suppositis, ea comparatio tollitur. Accedit quod iuxta Caietanum, peccata crucifigentium Christum quæ spectant ad ordinem naturæ, fuissent Deo obuersata in priori signo, quàm ipse Christus: quæ est manifesta repugnantia.

Variæ aliorum de eo signo sententiæ.

144. Explosa itaque Caietano, cæteri pro varietate sententiarum circa motiuum incarnationis, varie in hac re sunt philosophati. Ac primùm Scotus, & alij qui censent Christum fuisse productum ex motiuo excellentiæ internæ, tamquam fine vnico totali substantiæ suæ, statuunt in primo signo, diuinam gloriam ex qua Deus se communicare voluerit. In secundo autem signo, statuunt Christum, tamquam medium maximè idoneum ad diuinam gloriam promouendam. Ex ijs verò qui censent finem Christi vnicum esse humanam salutem, nonnulli cum Valentia 3.p.disp.1.q.1. p.7.ad 4. affirmant, Christum vt causam gratiæ, fuisse primò & ante omnes prædestinatum, etiam ante præuisum peccatum: Tametsi non nisi post peccatum, decretus & præuisus fuerit, quatenus liberatio & salus nostra Deum mouit ad eius productionem; qua ratione morbus noster fuit in priore signo, medicus autem & curatio eius, in posteriore. Qui verò censuerunt, finem ex quo Christus venit, integratum esse ex salute nostra, & Christi excellentia, tamquam ex causis partialibus; consequenter dixerunt, neutrum illorum finium fuisse altero priorem, sed vtrumque æquè primò cecidisse sub diuinam voluntatem intendentem ac decernentem; atque adeò etiam sub diuinam scientiam visionis, quæ decreto antecedenti se accommodat. Atque ita iuxta hos Autores, Deus partiales illos fines, in vnum suum decretum inseparabiliter connexuit & fines ac media complicauit indissociabiliter; ita vt salua inter eos prioritate naturæ, quatenus vnum pendet ab altero; defuerit tamen prioritas secundùm subsistendi consequentiam, quæ tunc censetur dari, cum ex vno non rectè infertur alterum. Vt quia ex eò quòd Petrus sit animal, non licet inferre quod sit homo; animal censetur prius homine, secundùm subsistendi consequentiam. Quia ergo Christi excellentia, & salus humana, ita mouerunt Deum intendentem hoc mysterium, vt alterutro illo fine deficiente, Deus esset illud omissurus: propterea illi fines prout obiecti Deo intendenti, non se antecedunt, vel subsequuntur, sed comitantur: & actus diuinus prout ad alterutrum illorum finium terminatus, non priùs in vnum, postea in alterum, sed inseparabiliter in vtrumque fertur. Vnde in nullo signo rationis Christus præiuit peccato hominum, eiusve saluti, aut contra. Ita Mol. 1.p.quæst.23.art.4. disp.1. memb.7.& 8.& à Rua controu.8.Scholast. in 2.p. Tandem Suarez t.1.3.p.disp.5. sect. 2. & 4. & alij, qui censent excellentiam Christi & humanam salutem, esse fines totales, consequenter admittunt eumdem cum Scoto ordinem signorum, & Christum in secundo signo collocant, quandoquidem iuxta ipsos, æquè Christus foret vi præsentis decreti, etiamsi defuisset peccatum, ac nunc fuit, posito peccato.

Reÿciuntur.

145. Omnes hæ sententiæ, succisis antea ipsarum radicibus, exarescunt. Nec est necesse, vlteriùs in eis refellendis immorari, quandoquidem ex illis quæ de fine Christi constituta sint, planè euertuntur. Tantum quoad placitum ex Valentia propesitum, spectat, quia is nobscum in sententia de Christi fine consentit, aduerto obiter, videri manifestam pugnam; admittere. Christum vt causam gratiæ, fuisse decretum in priore signo quàm peccatum; Tum addere, Christum vt liberatorem à peccato, decretum esse in posteriore signo quàm peccatum. Hæc dico collidere sese, & non cohærere. Nam si Christus, in priore signo quàm peccatum decretus & præuisus est, vt causa gratiæ effectiua, saltem moralis; ergo decretus & præuisus est, vt existens: quomodo ergo posteriùs peccato decerni & præuideri potuit, quoad existentiam suam? Aut quid noui circa esse Christi poneretur, vi posterioris decreti, quod non æquè poneretur vi prioris? Par propè næuus notari potest in doctrina Hieronymi à Rua controu. illa 8. quatenus etiamsi Christum in eodem signo collocat cum peccato & salute nostra, tamen putat finem Christi non esse peccati remedium; sed Christum iam ante volitum ob excellentiam suam, simul decerni per ordinem ad peccatum, quod sit postea præuidendum vt futurum; non quidem quod Christus decernatur per ordinem ad peccatum tamquam ad finem; sed quod decernatur per ordinem ad illud, tamquam ad occasionem propter quam Christus venit. Aio hæc non cohærere. Sic enim peccatum, statuitur reipsa Christi finis & non finis. Illa enim occasio propter quam Christus venit, non est reuera nisi finis, & verum motiuum, vt ipsa vocum notio præfert. Nam esse id propter quod fit aliquid, est esse finem eius.

Vera eiusdem signi constitutio.

146. Consentaneè igitur ad constitutam de Christi fine sententiam, pronuncio, Deum ita se habuisse circa Christum quoad signum quo illum decreuit ac præuidit, vt supposita notitia simplicis intelligentiæ & conditionata, primùm intenderit communicare se ad extra, ad suæ gloriæ manifestationem, non omni illo modo aut etiam optimo, quo est communicabilis; (sic enim Christus qui est optima Dei communicatio; ex directa Dei intentione, & non per peccati occasionem decretus esset;) sed iuxta mensuram ex diuino placito constituendam; & eo modo quem ratio diuinæ sapientiæ, pro re nata & occasionibus subsequentibus, feret. Quamuis enim absurdum esset, huiusmodi indistinctam & generalem decernendi rationem Deo tribuere in aliqua reali duratione; tamen in signo tantùm rationis, nihil vetat id admittere. Hoc est ergo primum signum quod in hoc negotio statuo; & in quo, vt vides, Christus nondum comparet: vt neque in secundo, in quo Deus eligit ex misericordia aliquos efficaciter ad gloriam, cæteris non nisi inefficaciter electis, & negatiuè reprobatis. Et quia electio ad gloriam mandanda est executioni per dona supernaturalia, simul in hoc signo decernit subministrationem donorum illorum, proportionatam intentioni; hoc est efficacium pro electis, & tantùm sufficientium pro cæteris. Ac interuias subministrandi hæc dona, eam elegit, qua gratia, vni homini primo cæterorum capiti, communicaretur in prima productione: ab eo autem in diuinis mandatis perstante, transfunderetur in posteros in ipsa generatione. At cum in tertio signo, præuidisset capitis illius perfidiam, ac parentalem cæterorum omnium noxam, insuperque actualia pleraque peccata & Adami & posterorum, quibus genus humanum miserè obterendum & perdendum foret; per eam peccati occasionem subsecutum est in quarto signo decretum de Christo producendo

ducendo, vt destrueretur peccatum, & salus humana repararetur: adiunxirque etiam Deus in illo Christi decreto, vt hoc anterius præuisorum peccatorum remedium, illis quoque peccatis mederetur, quæ patranda forent occasione Christi, ex quo productus esset. Sicque Christus, non ex directa Dei intentione, quod Scripturis & Patribus non quadraret, sed per solam peccati occasionem, decretus ac præuisus concipitur, vt Scripturæ apertè tradunt. Non me latet, alios longè multo plura signa ponere; quia in minutiora membra secant ea quæ protulimus, aliaue adduntur non necessaria; vt præsertim videre est in Fonseca 6. Metaph. cap. 2. q. 6. sect. 1. sed mihi numerus signorum quem proposui, sufficiens videtur, & eorum dispositio accommodata.

Summa disputationis, de salute nostra, solo motiuo præsentis decreti Incarnationis.

147. Nunc faciendum mihi video, quod pueris matres facitare vsus docet. Vt enim illæ ad asseruanda quæ ingesserunt bellaria, vestis partem reducunt, ita post longiorem expatiationem, contrahendam esse in parca disputationem, obseruat S. Chrysostomus homil. 3. de Verbis Esaiæ. Hoc vt in præsenti seruem, ago breuiter, haberi ex dictis, finem vnicum ex quo Christus decretus est & præuisus à Deo, esse hominum salutem plenam ac perfectum, qua & eorum à peccato condigna liberatio, & sanctificatio, & glorificatio continetur. Missum enim ex hoc affectu ad nos fuisse Verbum Dei, cum alia Scripturæ oracula superiùs prolata contestantur, tum disertissimè Christus Ioannis 3. verbis illis. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quæ verba perspicuè ferunt, salutem nostram plenam & perfectam, fuisse finem vnicum productionis Christi. Salutem humanam quam Christo pro fine præfixi, plenam est atque perfectam dico, eo nomine designans, salutem per Christum partam, complecti liberationem à quocumque peccato, & respectu cuiusuis hominis copulatiuè loquendo: ita scilicet vt non hoc illudve dumtaxat peccatum sit abolitum per Christi aduentum vi præsentis decreti præfinitum; sed omne omnino peccatum, & in omnibus planè hominibus, hac reuna sit curatum, quacumque restrictione vtrobique sublata, vt sanè in Scripturis & Patribus nulla vtrobique comparet.

Ea salute, peccati cuiusuis excisio continetur.

Et quidem salutem per Christum partam, omnia planè peccata, & quod originis dicitur, & actualia quæcumque destruxisse, & Christum eo fine esse productum, docent pleræque scripturæ. Dan. 9. Christus prænunciatur venturus, *vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.* Hebr. item 9. Christus dicitur *mortuus ad destructionem peccati.* Et Matth. 1. Christus dicitur *saluum facturus populum suum à peccatis eorum.* Cum ergo peccatum originis, & quælibet actualia peccata, siue grauia siue leuia, sint vera peccata; certum esse debet, finem ex quo Deus Christum produxit, esse destructionem omnium huiusmodi peccatorum: quod disertè profitentur Patres Concilij VI. Toletani in fidei confessione quam edunt cap. 1. verbis illis. [Ex tribus diuinis personis, solum filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita quæ per inobedientiam Adæ originaliter & nostro libero arbitrio contraxeramus resoluenda, à secreto Patris arcano prodijsse, humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse.] Idem habetur ex effectu Sacramentorum, quæ per Christi merita in ipsis inclusa, omnibus prædictis malis medentur. Estque id apud Catholicos adeò exploratum, vt nemo repugnet.

148. Lutherani tamen nonnulli, quos refert & reijcit Val. 3. p. disp. 1. quæst. 1. p. 6. contrarium malè tribuerunt Sancto Thomæ; quem volunt censuisse, humanum genus per Christi aduentum à solo peccato originis esse exolutum: cum tamen S. Thomas conceptis verbis 3. p. q. 1. art. 1. *in corp.* dicat, quod [certum est Christum venisse in hunc mundum, non solùm ad delendum illud peccatum quod traductum est originaliter in posteros; sed etiam ad deletionem omnium peccatorum quæ postmodùm superaddita sunt.] Longè porrò ab his Lutheri conbibonibus distant, non modò quidam Patres qui videntur Christo præfigere pro fine destructionem peccati Adami, tacitis culpis actualibus posterorum; sed etiam nonnulli Scholastici quibus visum est, Christum Dominum ex vi suæ prædestinationis, & ex primaria intentione Dei, productum esse propter solum Adami peccatum: ita vt ex ea intentione, ne peccatum quidem vnicuique posterorum Adami originaliter insertum, comprehendatur in ea peccatorum serie quam Christus abolere ac perdere venit. Et hos Scholasticos, & Patres illos, aio à Lutheranis in hoc negotio distare plurimùm.

Nam Patres quidem ita proponunt culpam Adami pro fine aduentus Christi, vt eo nomine non excludant alias culpas, siue originis, siue actionis: sed eas potiùs comprehendant, eo quod prima earum radix fuerit prima illa culpa Adami, quæ diuinum rorem sic cauit, & natiua sterilitate nos perculit. Ferè enim quæcumque peccamus, inde oriuntur, quod destituamur fœno iustitiæ originalis ob hominis primi demeritum. Vnde in eo peccatorum fonte, expressos volunt riuulos; & in ea radice, ramos omes. Sanè D. Augustinus l. 22. Ciuit. cap. 22. peccatum originis appellat [erroris & peruersi amoris radicem, cum qua omnis filius Adam nescitur.] Itaque non malè Patres, vt dixi, per eam radicem ramos item signatos voluerunt; præsertim cum non excludant peccata actualia, etiamsi in actu signato ea non exprimant: vt neque exprimunt singularia peccata originis, primùm cuique insidentia, sed tantùm peccatum Adami, quod actuale fuit, non originale nisi radicaliter & causaliter. Æquè ergo ad alia peccata quæ primum illud humanum peccatum consequuntur, extendenda est Patrum oratio, quoties simpliciter dicunt, Christum venisse ad abolendum Adami peccatum. Cùm verò Patres dicunt, Christum venisse ad reparandam cladem per Adamum inuectam, multo apertiùs intra ambitum finis quem Christo assignamus, comprehendunt peccata actualia, quæ verè magna pars sunt cladis prædictæ, & maior quàm peccatum originis, ad vnumquemque hominum in generatione transfusum, Nam etiamsi peccatum originis quod cuique in generatione aduenit, extensiuè dicatur esse maximum peccatum, quatenus vnicuique macula similis inuritur: tamen intensiuè, peccatum actuale ex genere suo est longè tetrius, quippe liberum & sponte admissum, non autem naturâ & vi generationis contractum.

Scholastici verò quos referebam, non excludunt à fine Christi peccata posterorum Adami, siue quod singuli vi originis contrahunt, siue quæ postea volentes admittunt: sed tantùm volunt, per se primò Deum intendisse abolere per Christum, primum illam culpam humanam quæ Adamum euertit, & genus nostrum vniuersum infecit, tamquam venenum radici illatum. Quæ eorum sententia, quamuis nobis non probetur, tamen ab errore Lutheranorum proposito admodùm discrepat.

Quare concludo, ex primaria intentione Dei defacto posita, Christum Dominum, & ob peccatum actuale Adami, & ob nostra, cùm originalia singulorum, tum actualia fuisse productum, omnibus illis peccatis indiuisibiliter ad modùm vnius motiui ac finis, principiantibus Christum: nec distinguo de ijs peccatis quæ principaliùs, aut secundariò, siue minus principaliter Deum mouerunt. Omnia enim vera peccata, æquè primò ac indiuisibiliter Deum mouerunt, ad formandum decretum quod de Christo producendo formauit: planeque ita sonant vniuersales locutiones, exprimentes finem aduentus Christi vt destruatur peccatum, & deleatur iniquitas, aliæque sexcentæ in Scripturis passim obuiæ. S. Bernardus luculenter idipsum exposuit sermo. de feria 4. hebdom. pœnosæ, vbi describit triplex peccatum; videlicet originale, actuale vulgare, & actuale omnium maximum, nempè decidium, quæ omnia peccata in se pertulisse Christum, docet argumento ducto ex eo quòd teste Isaia, peccatum illud vltimum, rogans pro transgressoribus deleuerit. Igitur & cætera minora abstulit. Ad omnia igitur delenda venerat.

Item liberatio cuiusuis hominis quoad sufficientiam.

149. Iam verò neque quoad fines *cui*, seu quoad singulares homines, restrictionem vllam esse admittendam, sed indiuisibiliter Christum pro omnibus negotiatum esse salutem, extra controuersiam esse debet, contra Prædestinatianos, autore imò instauratore Gotescalcho Pseudo-Monacho apud Baronium anno Christi 848. quibus visum est, Christum non nisi prædestinatorum salutem fuisse operatum. Qui si illud dumtaxat voluissent, salutem per Christum omnibus quantum in ipso fuit comparatam, nemini reipsa obtingere, nisi solis electis, qui in seipsis adimplent quæ desunt passionum Christi, & pro seipsis appendunt Deo dues illud litrum, quod Christus ad manum cuique statuere contentus, vnius cuiusque applicationi permisit; si inquam hoc vnum voluissent præd. cti errores, non esset quod reprehenderentur: Nam id quoque visus est insinuare Apostolus, vocans Christum: *Saluatorem omnium hominum. sed maximè fidelium* 1. Timo. 4. Et hoc sensu quidam Catholici, asseruerunt Christum pro solis electis mortuum esse; nempè quoad efficaciam; vel Christum solam electorum salutem operatum esse, vtique cum effectu, & ita vt redemptio ad id destinata, fuerit fructuosa, & euentus labori ac curæ Christi responderit. Sic accipio. Faustum lib. 2. de lib. arbitrio cap. 4. & 16. imò etiam S. Ambrosium 3. fidei cap. 4. Et concilium Valentinum canone 4. Et denique eodem sensu Ecclesia Lugdunensis lib. de tenenda veritate Scripturæ q. 2. latè negat, Christum mortuum esse pro damnatis. Et lib. de tribus epistolis *sub medium*, latè negat, Christum mortuum esse pro infidelibus, quâuis admittat mortuum esse pro fidelibus reprobis, ob imbres gratiarum quibus frequenter sunt perfusi, & possessam aliquando Christi beneficio gratiam, & ius ad gloriam.

At sensus prædictorum hæreticorum est longè alius. Reuera enim intendunt quod cortex verborum præfert; nempe Christū non pro ijs nisi qui reipsa salutem adipiscuntur laborasse: Quod autem cæteri à salute excludantur; stetisse quoque per Christum, qui suam illis redemptionem ad manum esse noluerit: ita vt ipsi eam sibi applicare non possent, etiamsi vellent. Hic verò sensus, omni ratione detestandus est; quippe vbertati, imo infinitati miserationum Christi contrarius, & ita purgans reprobos, vt ijs ad salutem impotentibus, in Christum refundatur causa ruinæ & exilij eorum. Neque enim vitio verti potest reprobis quod æterna clade sunt obtriti, cum resurgere absque Christo nequiuerint. Christum autem eis manum subleuatricem denegasse, supponant hi errores.

Damnauit errorem suum antiquum hac in parte, Lucidus Presbyter in Concilio Lugdunensi. Sic enim habet 4. articulus.] Quod Christus Dominus Saluator noster, mortem non pro omnium salute susceperit.] Eum articulum sic reuocat Lucidus. [Asserto Christum Deum & Saluatorem nostrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse] Additur in pleniore nupera editione per Henricum Canisium. [Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendum est, memini me ante dixisse, quod Christus pro ijs tantùm quos credituros præscuit, aduenisset; sententias Dominicas sequens quibus ait sic, *Filius hominis nõ venit ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis.* Et illud: *Hic est calix sanguinis mei, noui testamẽti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vel illud Apostoli, *sicut semel statutũ est hominibus mori, ita & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Nunc verò sacrorum testimoniorum auctoritate quæ abundè per spatia diuinarum literarum inueniuntur ex seniorum doctrina patefacta; libens fateor, Christum etiam pro perditis aduenisse, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est, circa eos solum qui videntur esse saluati, immensæ diuitias bonitatis ac beneficia diuina concludi. Nam si Christum his tantùm remedia attulisse dicimus qui redempti sunt; videbimur absoluere non redemptos, quos pro redemptione contempta, constat esse puniendos.] Hactenus Lucidus, & fundamentum anterioris suæ sententiæ proponens, & palinodiam adhibens, annitente præsertim Fausto Rhegiensi, vt docent Fausti literæ ad Lucidum, quas exhibet Baronius anno 490.

150. Gotescalchum quoque Monachum Synodus Moguntina adegit ad reeantandam sententiam quam disseminarat, quod Christus pro solis electis sit passus. Vide Serarium lib. 1. Moguntiæ cap. 33. & Hincmarum Rhemensem epistola ad Nicolaum 1. Papam quam descripsit Flodoardus lib. 3. de hist. Eccles. Rhem. cap. 14. vbi ad veterem Prædestinatianorum hæresim, refert hanc Gotescalchi assertionem, quod Christus non sit mortuus nisi pro electis, nec redemerit nisi electos redemptione cruenta, quamuis redemptione baptismi, (ita eruebat ex Apostolo Ephes. 4. vocante, diem Baptismi, *diem redemptionis*) fateretur à Christo redemptos, etiam Christianos reprobos.

Hos errores iam olim ab Ecclesia eliminatos, auersemur, & copiosam apud Deum redemptionem esse fateamur. Omnes planè homines, saltem quoad sufficientiam, saluatos à Christo asseramus: hoc est agnoscamus, Christum quantum est ex se, omnibus adultis prouidisse vnde saluari possent, si luberet; & remedia per Christum medicum confecta sibi adhibere non fastiditent. Alijs verò qui ante rationis vsum, & libertatis expeditionem excedunt è vita, statuamus Deum prouidisse media, quæ si eis applicarentur, certam salutem illis (vt Prosper loquitur) pancorum dierum hominibus, conciliarent. Sanè S. Chrysostomus hom. 7. in 1. ad Tim. tractans illud: *Christus Iesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, quærēs qui sint illi pro quibus Christus mortuus est, interrogat. [Numquid etiam pro gentibus?] Respondet autem. Nemo id ambigit. Et Christus quidem etiam pro Gentilibus mortuus est, tu pro illis orare non sustines? Et quo pacto, (inquies.) illi non crediderunt? Quia noluerunt. Suas tamen ille (Christus) partes executus est, dum pro eis in cruce penderet.] Optimè item Richardus Victor. lib. 1. de Emanu. cap. 9. tractans illud, *dabit Dominus ipse vobis signum* sic philosophatur. [Cur quæso in commune dicit *vobis*, cum non prosit nisi solis bonis? Sed meritò dicitur *vobis*, in commune, cum signum

quod

quod datur, quantum in ipso est, omnibus sit vtile omnibus patiter possit prodesse.

Christus, pro omnibus ac singulis hominibus indiuisibiliter sumptis, decretus.

151. Quod porrò circa finem *cuius* antea tradidi, hîc quoque circa finem *cui* seruatum volo. Nempè vt quemadmodum salus ab omnibus peccatis, integrat indiuisibiliter Christi finem; æquè primò ad finem illum concurrente, liberatione à peccato originis, & à peccatis quibusuis actualibus: Ita quisuis sigillatim, & omnes vniuersè mortales, coërcantur ambitu illo personarum quibus Christus venit medicinam facere, & salutem parere. Pulchrè id insinuauit S. Paulinus epist. 36. agens de Valgio cui æquè soli in naui ac si omnes adfuissent, astitit Deus. [Non alia (inquit) istum pietate, quàm omnem hominem in huius mundi pelago volutantem, dedita patri vsque ad Crucis mortem pietate miseratus est, quia videlicet vnus homo, vniuersitatis portio, & vniuersitas vnius forma hominis, & causa est.] Et omnes igitur homines, & quilibet sigillatim Christi salutationi sunt obiecti.

Nec est quærendum, quod aliqui otiosè faciunt, an si vel vnus ex ijs pro quibus liberandis Christus præsenti decreto missus est, defuisset; nihilominus Deus vt eiusdem decreti, aut alterius concomitantis de facto adiuncti, Christum misisset. Hanc quæstionem appello otiosam; quia Christus præfinitus est Saluator omnium reipsa futurorum ab origine mundi; ita vt si vel vnus defuisset, decretum Dei de mittendo Christo ob illorum omnium salutem, non fuisset terminatiuè qualis reipsa est, vt ipsæ voces demonstrant. Omnibus autem illis homnibus reipsa futuris obuersantibus Deo cùm Christum pro illorum salute præfiniret, frustra Deus addidisset de facto decretum conditionale, de mittendo Christo propter pauciores homines, vel propter vnicum, si pauciores futuri fuissent, vel etiam dũtaxat vnicus. Vt quid enim reipsa decretum illud inutiliter conciperet, cum præcisè tot homines futuri reipsa essent, non pauciores, aut plures? Christus itaque, vi præsentis diuini decreti, ad salutem omnium ac singulorum hominum missus est; tota illa subiectorum multitudine in diuisibiliter integrante finem *cui*, quem Deus propositum habuit, cum Christum decerneret.

Quod pro alijs quoque venerit, nihil minuit singulorum obligationem.

152. Neque tamen ex eo quod Deus indiuisibiliter omnes ac singulos spectauerit, cum Christum ad nos mittere præfiniuit, decedit quicquam de immensa illa obligationum summa qua Deo obstringimur singuli. Id quod egregiè tradiderunt nonnulli Patres, vt Chrysost. *sub finem* lib. 2. de compunct. cordis. [Hic est (inquit) affectus serui fidelis, vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus qui mortem Domini & Saluatoris nostri, quæ pro vniuerso est mundo, sibi soli præstitam dicit: quasi enim de se solo loquens, ita scribit; *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui tradidit semetipsum pro me.* Hæc autem dicebat, non coangustabevolens amplissima & per orbem terræ diffusa Christi munera; sed quasi qui, vt diximus, pro omnibus se solum iudicaret obnoxium. Et re vera quid interest si & alijs præstitit, cum quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & perfecta, quasi nulli alij ex his aliquid fuerit præstitum? Ideò denique & in illa boni pastoris parabola, non dicitur, *quia venit oues multas quærere*, sed *vnam*; Vna namque est, quia sic omnibus, quasi vni, diuina beneficia conferuntur.]

In eandem sententiam pulchrè Eucher. hom. ad plebem obtrectatricem *ad finem*. [Vnusquisque nostrum quantum sibi prospicit fuisse collatum, tantùm à se nouerit reposcendum. Secundùm illam formam sumus discutiendi, secundùm illam regulam iudicandi, qua gratiam vel creati accipimus à Domino, vel redempti. Sed forsitan dicas: Quid me ita constringis, quasi solus acceperim! Quid me in publico munere priuata lege obligas: in munere vtique, quod omnibus Deus in commune largitus est. Vnumquemque specialiter non constringet ad debitum generale beneficium. Non est ita: Nec ideò vnus minus debet, si & alius idem debeat. Christus enim sicut pro cunctis passus est, sic pro singulis. Sicut & totum debent vniuersi, sic totum singuli, sed quodam modo plus singuli, quàm vniuersi. Quia quantum acceperunt singuli, tantum vniuersi. Sed ex hoc vnusquisque magis putatur obnoxius, dum videtur omnibus executus.]

Tandem Saluianus lib. 2. ad Eccles. *sub initium*, cùm fusè & egregiè tradidisset quãtum obstringantur Deo, præsertim ob missum nostra causa Christum, subdit, [Sed forsitan dicit, generale in his quæ diximus omnium hominum esse debitum, & in hoc vniuersorum hominum genus, indiscrete obnoxium. Verum est: sed numquid aliquis ideò minùs debet, si & alius idem debeat? Aut si centum hominum cautiones de centenis septertijs scriptæ sint, num ideirco alleuatur vnius debitum, si omnes sint ejusdem numeri debitores? *Vnusquisque enim* inquit Apostolus, *suum onus portabit, & vnusquisque pro se rationem reddet.* Nequaquam ergo vnius pondus pondere alleuatur alterius, nec absoluitur reus societate multorum: neque ideo minus est cuilibet tetra damnatio, si multos videatur complices pœnæ habere damnatus. In hoc quod supra dixit, licèt generale sit debitum, & speciale tamen esse, non dubium est: licèt sit commune omnium, est tamen peculiariter singulorum: ita ad omnes æqualiter peruenit, vt tamen de summa vnicuique nil decedat. Christus enim sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis & cunctis se impendit, patiter & singulis; & totum se dedit vniuersis, & totum singulis. Ac per hoc quicquid passione sua Saluator præstitit, sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli: nisi quod propè hoc plus singuli, quàm vniuersi; quod tantum acceperunt singuli, quantum vniuersi: vbi enim hoc vnus accipit, quod vniuersi, & si par est mensura, maior inuidia est. Quo fit vt licet idipsum accipiat, plus debere videatur, quia magis fit vnus obnoxius, qui videtur omnibus comparatus.] Quæ in hanc sententiam disserit Gerso p. 2. serm. de S. Bernardo docens, pluris apud vnumquemque esse debere quod non pro eo solo venerit Christus, legi apud eum poterunt.

Difficultas hypothetica, an secluso peccato, ex ijs hominibus, Christus ex alio decreto, esset venturus.

153. Restat quæstio hypothetica initio propositaj an scilicet Deus ob aliquem finem diuersum ab eo ob quẽ Christus productus est, eum reuera produxisser, si finis qui de facto præfixus Christo fuit, defuisset, in totum aut ex parte: puta si nullum fuisset peccatum cui remedium per Christi satisfactiones esset adhibendum; aut si aliquod quidem peccatum fuisset, non tamen omne illud quod nunc fuit; originale vedelicet, & actuale cùm mortale tum veniale. Potest que tale quid vestigari de fine *cui*, quærendo nimirum an Christus productus fuisset, si non tot mortales, aut plures, vel alij quàm qui reipsa fuerunt, extitissent; ac præsertim an ita Deus intenderit salutem vnius singularis hominis per Christum conciliandam, vt quamuis eo decreto quod de facto latum est, homines quotquot ali-

quando futuri erant omnes & singuli indiuisibiliter sint comprehensi, tamen hoc decreto sublato, si vnicus in mundo homo fuisset indignus remedij per Christum conferendi, Christus vi alterius decreti tunc ferendi, productus fuisset, ob vnicum illum hominem Christo liberatore indigentem.

Sententiæ.

In vtroque puncto variant sententiæ. Nam quod attinet ad finem *cuius*, fuerunt qui censerent, etiamsi omnino defuisset peccatum, Christum nihilominus ex motiuo interno, siue ob excellentiam suam fuisse producendum vi alterius decreti: quod vnum sentire debere, qui nunc duobus totalibus finibus Christo præfixis, nempe salutis nostræ, & diuinæ gloriæ per internam Christi excellentiam manifestandæ; admittunt, vi præsentis decreti Christum fuisset producendum, etiamsi peccatum defuisset. Apud illos namque Autores, decretum præsens non est vnũ & simplex, sed duplex; quatenus duplici nostræ volitioni æquipollet: vnde sublato licet motiuo peccati expiandi, alterum decretum, saluis omnibus ad illud spectantibus æquè perstaret.

Quod verò attinet ad finem *cui*, S. Chrysostomus planè existimat, etiamsi vnicus fuisset homo cuius peccatum fuisset expiandum, nihilominus Christum ex eo fine fuisse producendum. Sic enim loquitur hom. 3. in Acta. ad illud, *dederunt sortes* &c. [Vnius animæ perditio, tantam habet iacturam, vt nulla ratione possit æstimari. Etenim si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur; perditio cogita quantam conciliabit pœnam.] Et in cap. 2. ad Galat. Ad illud: *dilexit me & tradidit semetipsum pro me*, expendit quantum vnusquisque nostrum Christo obstringatur, quandoquidem [recusaturus non erat, vel ob vnum, tantam exhibere dispensationẽ, adeò singulum quemque hominẽ pari charitatis modo diligit quo diligit orbem vniuersum.] Affinia illa ex eodem, t. 5. Græcol. serm. 6. qui est in terræ motum & Lazarum. [Non exiguum est vel ouem vnam seruari: quandoquidem & pastor ille qui nonaginta nouem reliquerat oues, ad vnam cucurrit, quæ aberrauerat. Hominem non contemno; licet vnus sit, homo est. animal Deo carissimum: licet seruus sit, contemnendus mihi non videtur: non enim dignitatem quæro, sed virtutem: non dominationem aut seruitutem, sed animam. Licet vnus sit homo est, propter quem cœlum extensum est, Sol lucet, Luna decurrit aër effusus est, fontes scaturiunt, expansum est mare, Prophetæ missi sunt & lex data est; & quid opus est cuncta persequi? Propter quem vnigenitus Dei Filius factus est homo. Dominus meus immolatus est, ac sanguinem suum pro homine fudit, & illum ego contemnam? Qua verò dignus venia fuero?]

Resolutio.

154. Mihi tota hæc quæstio, videtur ferè inutilis. Quis enim diuinare possit, quid decreturus esset Deus, si hoc illudve quod nunc non est, positũ fuisset, cum id à mera Dei libertate pendeat, nec quid tunc facturus esset, vllatenus in Scripturis expressum, vel etiã insinuatum habeatur? Quare Vasquez 3. p. d. 110. n. 5. & Ragusa ibid. d. 33. silentium in hoc puncto inducunt. Et rectè, si hæc quæstio ventilanda assumatur pluspiam ex coniectura, expecteturque firma & solida resolutio. Si tamen dumtaxat probabiliter coniectandum proponatur, quid verisimile sit constituturum fuisse Deum, si hæc aut illa è propositis finium mutationibus contigisset; sic non vetamur sobriè inquirere in hanc controuersiam, & de ea pronunciare: potestque eius discussio non nullum vsum habere, ad firmandam meliusque perspiciendam veritatem assertionis, qua finem vnicum Christo quoad præsens decretum præfiximus, salutem nostram.

Aio igitur, si peccatum prorsus abfuisset, verisimilius esse Christum non fuisse producendum ex alio fine. Repugnant aliqui recentiores, vt Suarez t. 1. 3. p. d. 5. sect. 5. Ruis disp. 52. de prædest. conclu. 4. Ita autem disserte habent vatij Patres, qui negant Christum fuisse producendum si homo non peccasset. Audi nominatim Origenem tomo. 1. in Ioann. ad illud, *in principio* cum tractat titulum *principij & primogeniti omnis creaturæ*. [Deus quidem vnum est, & simplex. Seruator verò noster propter multa quandoquidem proposuit illum Deus propitiationem, & primitias omnis creaturæ, efficitur etiam multa, vel etiam fortasse omnia hæc purgat ipsius creatura, quæ vniuersa liberare valet. Hinc fit lux hominum, quando homines à vitio obscurati luce egent, lucente in tenebris, & à tenebris non apprehensa; lux non futurus, nisi homines obscurati fuissent. Simile considerate possumus de eo, quod dicitur primogenitus ex mortuis. Nam si ponamus mulierem deceptam non fuisse, nec Adam deliquisse, sed creatum hominem immortalitatem obtinuisse; neque in puluerem mortis descendisset Christus, neque mortuus fuisset; Non existente peccato, haud erga humanum genus amore, moriendum illi erat.] Eadem habet Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 3.

155. Hos Patres non licet eludere, dicendo, Christum si homo noo peccasset, non fuisse quidem venturum vi præsentis decreti, fuisse tamen venturum vi alterius: Hæc inquam elusio Patrum, non est apta. Nam, Patres simpliciter & absolutè negant Christum fuisse producendum, si hæc causa motiua defuisset: & cum per se euidens sit, si Christus ex alio motiuo fuisset producendus, oportuisset aliud decretum interponi, vi cuius Christus produceretur; non sunt censendi adeò ineptijsse, vt negantes secuturum Christi aduentum in illis circumstantijs, id intellexerint spectato præsenti decreto, quod per se liquebat subsistere non posse mutato termino, siue motiuo. Itaque haud dubiè, mens Patrum qui negant Christum sublato peccato fuisse venturum, (plurimos supra adduxi, confirmans finem præsentis de Christo decreti diuini, esse salutem nostram) ferre videtur; sublato prorsus peccato, Deum de Christo producendo non fuisse consilia agitaturum. S. Thomas planè est in nostra sententia 1. ad Timo. 1. lect. 4. ad illud *peccatores saluos facere* sic enim scribit. [Peccatores saluos facere, id est, propter salutem populorum. Ioan. 3 *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum*, Ioan. 12. *Non veni vt iudicem mundum*. Sed si nullus fuisset peccator, numquid incarnatus non fuisset? Videtur quod non: quia venit peccatores saluos facere. Non ergo fuisset necessaria incarnatio. Item Glo. [Tolle morbum, & medicinæ opus non erit.] Respondeo: Dicendum est, quod ex verbis Sanctorum satis hoc patet. Sed hæc quæstio non est magnæ authoritatis, quia Deus ordinauit fienda, secundùm quod res fiendæ erant. Et nescimus quid ordinasset, si non prævidisset peccatum. Nihilominus tamen autoritates videntur expresse sonare quod non fuisset incarnatus, si non peccasset homo: in quam partem ego magis declino.] Seueriùs etiam de contraria sententia pronunciant non pauci Scholastici & DD. Nam Iustinianus 1. Ioann. 3. v. 5. nunc. 7. planè affirmat, eam esse nouam, & priscis Theologis inauditam, omnique destitutam fundamento. Lensæus lib. 5. de libert. Christ. cap. vltimo, latè in eandem inuehitur, tanquam in diuinationem inanem. Repudiant denique eam Turrecr. in qq. Euang. ad Dom. 1. Aduentus art. 2. Maldon. in cap. 18. Matth. num. 12. Azor t. 1. l. 3. cap. 33. q. 1. Albertinus 6. princip. compl. Corol. 1. num. 4. Ægid. 3. p.

q. 61.

§.6.1.num.8.& disp.17.de actibus supern. num.19.Becanus tract. de incar.cap.1. quæst.7. Aluarez 3.p.d.9. concl.3.alijque passim.

156. Si verò peccatum non omnino defuisset, & quoad speciem, & quoad subiecta, hoc est si fuisset solum peccatum originis, & vnicum actuale Adami, vnde nostra originalia virus suum hauserunt; Vel certè si Adamo non habente rationē capitis,eoque sibi soli nocente, vel solis eius posteris peccantibus, sola peccata actualia locum habuissent; Et denique si pauci dumtaxat hominum succubuissent peccato, aut etiam vnicus; Tunc Val.3.p.disp.1. quæst.1.p.7.existimat, non modò vi præsentis decreti, (quod suprà fusè confirmauimus) Christum non fuisse producendum, sed ne alterius quidem vilius diuini decreti tunc ferendi,efficacitate: eò quòd tunc, salus humana vniuersalis non monuisset Deum ad Christi productionem. Iudico tamen satis consentaneam diuinæ benignitati, sententiam quam à D.Chrysostomo suprà affirmari vidimus, quoad vnius hominis peccatum : nempè tunc producendam fore Christum vi alterius decreti,quod ea suppositione facta inferretur à Deo. Cum enim ratio motiua ad Christi productionem fuerit satisfactio pro peccato, quam solus Christus condignè & æqualiter exhibere poterat; ea autem ratio motiua perseueret formaliter integra, si vel vna peccati species detur in omnibus hominibus,aut in vno saltem homine,vnum vel plura peccata reperiantur; verisimile omnino videtur, Deum posita ea suppositione,ad ingenerandum peccati horrorem, & monstrandam eius virulentiam quæ tali malagmate indigeat, ea ratione motiua alliciendum fuisse ad Christi productionem.Quamuis verissimum sit,nec possit negari, in hoc statu rerum,supponente longè maiore eiusdem motiui extensione ac diffusione,longè congruentius fuisse, Deum hominibus diuitias gloriæ suæ & benignitatis,Christo producendo patefacere.

Summellam totius doctrinæ huius capitis, sic accipe. Christus proximè ob solam salutis nostræ procurationem aduenit, hoc est, ad peccati iam ptiùs ratione quàm Christus decerneretur præuisi, abolitionem & remedium; nullo alio fine,siue totali siue partiali, mouente Deum ad præsens decretum de producendo Christo: ac ne moturo quidem ad illum alia voluntate decernendum, si peccati saltem alicuius destructio, eique iuncta salutis nostræ negotiatio, defuisset.

Vsus doctrinæ.

157. Vsum doctrinæ huius planè insignem,suppeditat Bucher.hom. de beato latrone,verbis illis. [Agnoscat homo quantum ab illo expectet Deus, & quem tanta dignatione habuit charum, quàm velit esse in conuersatione pretiosum. Agnoscat homo quantum valeat, & quantum debeat: & dum pretium suum cognoat, vilis esse sibi desinat: & potiùs vicem numeris Saluatoris ex ipso bono suo, id est de conseruata restituat salute. Custodiamus ergo sollicitè, quod tanti sudoris commercio Christus redemit. Reus itaque erit non parui pretij, sed sanguinis Christi, qui violat & commaculat animam, Christi sanguine & passione mundatam.] Et hom.1. in symbolum ad art.7. [Non ergo talis veniet exactor, cui in paruo inueniamur obnoxij: Ille ergo veniet ad iudicandos nos, qui se iudicio meminit addictum pro nobis.Ille veniet ad discutiendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam, Ille inquam pro commissa nobis salute nostra, rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, scit quantum repoſcat. Nouit quanti & constiterit homo suus. Non ergo nobis viles simus, qui tam pretiosi Deo fuimus: nihil ille à nobis abiectum, nihil mediocre suscipit vult consentire cum generositate pretij, dignitatem redempti: Tale conuersationis nostræ expectat meritum, quod sanguinis sui possit valere commercium.]

S.Chrysostomus pijssimè omnino hom.23. in Genes.*in fine*, cum præmisisset quanta pro nobis, & ad bonum nostrum creasset Dens, subdit. [Et quid miraris si ista omnia propter hæc facta sunt, & innumera alia? Qui in sinu Patris est,formam serui suscipere voluit, & omnia illa sustinere quæ ad corpus pertinent: ex virgine nasci, nouem mensibus in vtero gestari, & panniculis inuolui, patrem suum putari Ioseph sponsum Mariæ; paulatim crescere, circumcidi, sacrificium offerri, esurire, sitire, fatigari, & tandem etiam mortem sustinere: & mortem non vulgarem,sed eam quæ ignominiosissima habebatur, Crucem dico: & hæc omnia propter nos, nostramque salutem suscepit omnium conditor, qui inalterabilis, qui omnia ex nihilo vt essent produxit, qui respicit super terram & facit eam tremere, cuius gloriæ fulgurantem maiestatem, neque Cherubin, & incomparabiles illæ virtutes videre possunt; sed auersas facies tegunt obiectis alis: Quem semper laudant Angeli &Archangeli & innumeræ myriades, hic propter nos & propter nostram salutem homo fieri voluit, & optimæ vitæ nobis viam parauit, per quam & ipse transijt,hac ipsa nostra natura assumpta. Quæ igitur posthac nobis erit excusatio, si cum tot adiuuant salutem nostram, in rebus inutilibus nos occupamus, sola negligentia nostram amittentes salutem?.]

Hoc ipsum alite[r] dixit Orig. hom. 22. in Lucam, verbis illis. [Quid [pro]dest si Christus quondam venit in carnem, nisi ad animam quoque tuam venerit? Oremus vt illius in nobis quotidie aduentus fiat, & possimus dicere, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.*Idipsū sanè si annuamus,nec gratiæ oblu[c]temur, perfecturum quotidie quoque Christum in spiritu aduenientem quod semel olim in carne fecit,& hunc esse fructum aduentus illius primi, tradit præclarè S.Bernardus hom.1.de Aduentu: *sub finem.*

Alium fructum missi ad salutem nostram Christi, proponit S.Gregorius lib.4. in 1.Reg. cap.1.ad illud: *iuxta omnia opera sua* &c.Verbis illis de Deo puniente. [Districto iudicio permittit mala fieri, sed misericorditer prouidet de his malis,quæ per iudicium irrogat, quæ bona facere disponat. Nam quæ maior culpa, quàm illa qua omnes morimur? Et quæ maior bonitas, quàm illa per quam à morte liberamur? Et quidem nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret.*Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Si ergo pro peccatoribus venit,si peccata deessent,eum venire non oporteret. S peccata ad quæ delenda veniſſe creditur, per iustitiam Dei permissa esse sentiuntur: dum pro peccatoribus Deus homo nasciturus erat, ex illo malo quo morituri erant, bonum quod malum illud vinceret, omnipotens Deus sese facturum prouiderat. Cuius profectò boni magnitudo, quis fidelis non videat, quàm mirabiliter excellat? Magna quippe sunt mala quæ per primæ culpæ meritum patimur, sed quis electus nollet priora perpeti,quàm tantum Redemptorem non habere?]

SECTIO II.

De altera extrinseca Christi causa, moraliter aut physicè effectrice.

158. EXposita priore externa causa Christi Domini hoc est finali, progredimur ad alteram, id est ad effectiuam; quæ generatim loquendo, vel est moralis,vel physica. Appellatur causa afficiens physica,illa quæ per se & per realem influxum sibi proportionatum, dat esse rei productæ. Moralis autem causa dicitur,

tur, quæ per se non influit immediatè in effectum, sed cum dumtaxat producit, applicando moraliter causam physicam intellectu & libera voluntate præditam, eamque inducendo ad operandum interuentu rationis alicuius moralis, puta meriti, petitionis, satisfactionis, consilij, similisue. Ex quo liquet, nonnullam esse affinitatem inter huiusmodi causam effectiuam, & finalem proximè expositam; quandoquidem vtraque causat interuentu agentis physici, quod per eas mouetur; sed diuersimodè. Nam causa moraliter effectiua, supponitur aliquo modo existens, nec mouet vt fiat vel habeatur, sed vt ratione illius iam existentis fiat aliquid aliud; vnde respectu causæ physicæ, se habet vt ratio agendi: & propterea ad efficientem causam reuocatur. At finalis causa, supponitur non existere, mouetque vt ipsa fiat vel habeatur, quæ est ratio causandi longè diuersa ab ea quæ efficienti physico competit. Quare non immeritò, causam moraliter effectiuam finali subnectemus, ob propositam vtriusque affinitatem. Cum autem tam multiplex sit causa moralis; nempe meritoria, impetrans, satisfaciens, consilium præbens &c. nos hîc de sola meritoria disputabimus, quia sola difficultatem ingerit circa Christi productionem.

CAPVT I.

De meritoria Christi causa, secundùm potentiam ordinariam.

CAusa Christi meritoria duplex distingui potest; nempè de condigno, & de congruo, Prior est absolutè & simpliciter meritoria: posterior valdè affinis est impetratoriæ, imò cum ea confunditur à nonnullis; sed perperam, cum beati qui extra huius vitæ scamma nihil vltra merentur, impetrent tamen. Quia tamen magna affinitas est, inter impetratoriam causam, & eam quæ dumtaxat congruè meretur, vtramque hic coniungemus. Porrò causa & condignè & congruè meritoria, vel spectatur secundùm potentiam Dei ordinatam, seu quoad meritum quod aliqui reipsa habuerint; vel quoad potentiam Dei absolutam, & meritum quod præter leges de facto positas obtingere potuisset. Rursus in vtriusque meriti obiecto, substantia incarnationis, siue entitas & existentia vnionis humanitatis Christi cum Verbo (quæ vnio est Christus formaliter;) secernenda est à circumstantijs eiusdem, puta à tempore & loco in quibus producta est, & à personis creatis cooperantibus, ac si quæ sunt huiusmodi alia incarnationis substantiam circumstantia. De his quippè, diuersa ratio est, quam substantiæ; ideoque seorsim de vtriusque est pronunciandum.

Substantiam Incarnationis ne ipse quidem Christus condignè meruit.

159. Initio igitur facto à substantia Incarnationis, eoque merito condigno quod reipsa & de facto cuipiam obtigerit; negandum omnino est, siue Christum ipsum, siue alium quempiam, meruisse incarnationis substantiam, prout primò collatam. Quod addo, quia hic non est quæstio, de replicationibus Incarnationis quæ fiunt in Eucharistia: has enim Christus mereri potuit, quippe cui ex merito concessa est potestas excellentiæ ad Sacramentorum institutionem: & per se liquebit inferiùs, difficultates quibus meritū primum collatæ vnionis cum Verbo diuino implicaretur, non habere locum in reproductionum illarum merito. Erit qui idem pronunciet de merito continuationis incarnationis semel collatæ, eo quod similiter, difficultates quibus meritum incarnationis in primo momento impeditur, non habeant locum circa continuationem. Aliunde tamen adigimur non aliter philosophari de merito continuationis incarnationis, quàm de merito eiusdem primò collatæ: quia vnio hypostatica est aliquid suapte natura incorruptibile, nec nisi per miraculum destrui à Deo potest, ex quo semel fuit collata. Quare cadit sub meritum, vel ab eo eximitur, eodem modo quo prima vnionis hypostaticæ collatio. Nec dissimiliter de vnione noua partiali, facta per alimenti conuersionem, philosophatur cum plerisque quos citat Bonac. disp. 2. q. 12. p. 5. §. 1. num. 8. Agendo igitur de incarnatione primùm facta, negaui quodcumque meritum condignum substantiæ eius; siue per Christum, siue per alium quemcumque. Hoc quantum ad Christum attinet, duobus modis accipi potest. Primò scilicet, vt negetur, Christum priùs tempore quàm eius humanitas Verbo vniretur, fuisse aliquamdiu hominem purum, postea verò promectum esse ad dignitatem filij Dei naturalis, ob merita. Secundò vt negetur, Christum quamuis ab initio productionis suæ semper potitum Verbi personalitate, eique vnitum; tamen priùs natura quàm humanitas eius personalitate diuina terminaretur, elicuisse actiones meritorias, quibus promeruit ad vnionem cum Verbo mereretur.

Tale Christi meritum, tempore præcedens vnionem, fides excludit.

160. Prior sensus, est de fide. Nam affimare Christum per aliquod tempus ante vnionem cum Verbo, fuisse purum hominem, & in eo statu meruisse humanitati suæ vnionem cum Verbo, hæresis est explorata. Propterea que S. Gregorius lib. 9. regis tri epist. 61. tradens Hibernis Episcopis professionem fidei, quam docendi essent emittere, qui è Nestorianismo ad Ecclesiam regrediebantur, inter alia præscribit, vt docerent Christum à primo momento conditionis suæ humanæ, fuisse Deum, [Dum vnigenitus Dei (inquit de Deipara) existens ante sæcula ex eius vtero natus est homo, inuestigabili miraculo facta est ancilla hominis per diuinitatem, & mater Dei per carnem. Non autem priùs in vtero virginis caro concepta est, & post modùm diuinitas venit in carnem; sed mox vt Verbum venit in vtero, mox Verbum seruata propriæ virtute naturæ, factum est caro. Et perfectus homo, id est, in veritate carnis & animæ rationalis, natus est per vterum Virginis, vnigenitus Filius Dei. Vnde & vnctus præ participibus dicitur, sicut Psalmista ait: *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*]

Sed quia de ea perpetua coexistentia humanitatis & vnionis hypostaticæ, agēdū ex instituto est capite sequenti, præstat hîc dumtaxat meritum & promotionem in Deum excludere, quod pulchrè fecit idem S. Gregorius lib. 18. Mor. cap. 35. ad illud: *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia.* Quod idem esse ait, [Ac si dicat apertè: Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamē nigredine mundi collectus, æquari ei potest de quo scriptum est *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum Prophera dicamus; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea:* Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ, conceptus non est. Huic se sapientiæ quasi quoddam topazium de Æthiopia æquari voluit, cum quidam hereſiarches dixit. [Non inuideo Christo Deo facto, quoniam si volo, & ipse possum fieri.] Qui Iesum Christum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiæ Deum putauit, peruersa allegatione astruens, eum purum hominem natum; sed vt Deus esset, per meritum profecisse; atque ob hoc existimans & se, & quoslibet alios, posse

posse ei coæquari, qui Filij Dei per gratiam fiunt; non intelligens, non attendens, quia non adæquabitur ei copaxium de Æthiopia. Aliud est enim, natos homines gratiam adoptionis accipere; aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiam, Deum ex ipso concepto prodijsse. Nec æquari potest gloria vnigeniti habita per naturam, ab alijs accepta per gratiam. Mediator quippe Dei & hominum, homo Christus Iesus, nō sicut iste hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est. Non purus homo conceptus atque editus; post, per meritum, vt Deus esset, accepit: sed nunciante Angelo & adueniente Spiritu mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & cum Sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera: & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante secula, temporalis posset esse in fine seculorum.]

Leporius item insigniter, in suæ emendationis libello, cui S. Augustinus habetur adscriptus, & à Cassiano etiam commendatur in opere de incarnatione lib. 1. c. 4. Leporius inquam, ex Pelagiano in Gallia hæretico, factus Carthagine Catholicus, referens & damnans errorem quo priùs sorduerat, ita scribit. [Agendum nobis semper est & credendum, vt Dominum Iesum Christum, Filium Dei Deum verum, quem cum Patre semper & æqualem Patri ante sæcula confitemur, eundem à tempore susceptæ carnis, factum Deum hominem non negemus; nec quasi per gradus & tempora proficientem in Deum, alterius status ante resurrectionem eum fuisse credemus, sed eiusdem semper plenitudinis, atque virturis.] Ad hanc prouectionem per gradus, quam Christo negat, pertinet locus eiusdem libelli, quo Leporius simpliciter meritum à Christo remouet, & maximè detestatur qui illud inuehunt. Sic enim ait. [De eo autem, quod stultissimè in epistola illa proposuimus, sed ignoranter, quodque nunc execrabile confitemur; idest aptantes ad Christum, laborem, deuotionem, meritum, fidem; in tantum inconuenientia hæc Dei Filio iudicamus, vt reminiscentes dictum à nobis, summam cæcitatem nostræ insipientiæ reputemus, & ex aperto cernamus quàm vera quidam sine aduersum nos ratione commoti. Qui tanquam vnicuique sanctorum, (licet hoc numquam habuerimus in corde) penè Christum similem fecerimus, illis & qui super omnes est Deus, hæc quæ habet simplex & nuda mortalitas adsignantes, inter cæteros quodammodò eum posuerimus in numero.] Hoc quid sit, & quid dicens, Christum in numero posuerit, explicat non ita multo post, hunc in modum. [Nescit labore, deuotione, fide, merito, finem adprehendere meritorum, qui infinitus & sine terminis, agit omnia potestate.]

161. Sanè si Leporius, meritum quodcumque Christo negasset in libello emendationis, non tam emendasse errorem pristinum, quàm de nouo erasse dicendus esset: nec S. Augustinus, alijque Affricani Episcopi libellum eius suis suffragijs muniissent. Itaque meritum quod Leporius iam Catholicus, approbante S. Augustino, & Africanis Episcopis, Christo negat, est meritum incarnationis suæ, per actiones tempore aliquo anteriores; quale meritum antea male admiserat. Idque ex Cassiano constat, qui errorem à Leporio tradium, his verbis refert lib. 1. de incarn. cap. 2. [Nuper quoque, ideſt, in diebus nostris emersisse hæresim venotam, & maximè Religarum vrbe conspeximus, nti erroris, incerti nominis: quia cum recenti capite ex antiqua Ebionitarum stirpe surrexerit, dubium admodum est, antiqua magis dici an recens debeat. Nouæ enim assertoribus, sed vetusta erroribus fuit, Sotarium quippe hominem Dominum nostrum Iesum Christum, natum esse blaphemans, sed quod ad Dei

postea honorem potestatemque pertinenit, humani meriti, non diuinæ asseruit fuisse naturæ: ac per hoc, cum diuinitatem ipsam non ex proprietate vnitæ sibi diuinitatis semper habuisse, sed postea pro præmio laboris passionisque meruisse: Cum vtique Dominum Saluatoremque nostrum, non Deum natum, sed à Deo blasphemaret assumptum: confinis scilicet huic hæresi quæ nunc exrat, & quasi germana ac consanguinea; quæque tam Ebionitis quàm his recentibus consentanea: tempore quidem inter vtrosque media, sed vtrisque tamen; eruersitate coniuncta.]

Illud *postea*, vt docet cap. 3. intelligebant post passionem. Ita senserat Leporius, vt habet Cassianus cap. 4. & lib. 7. cap. 12. iuxta Pelagij errorem, ac etiam antecessorem eius, Photini scilicet, Theodori, Diodori, atque Nestorij vt ait Elias Cretensis ad orat 52. Naz. vbi Theologus, hoc telum vel potiùs fulmen vibrat in huiusmodi errorem. [Si quis eum, (*Christum*) ex operibus perfectum fuisse, aut post Baptismum, vel resurrectione à mortuis, in filium adoptatum dixerit, quemadmodum quos Græci adscriptitios inducunt, anathema sit. Neque enim id, quod initium habuit, aut proficit, aut perficitur, Deus est: tametsi hæc de eo idcirco dicantur, quod paulatim sese patefecit.] Quamquam dubitari potest, verè ne Elias, hunc Theologi locum intorqueri dicat in Nestorium, & antecessores eius. Nam errores prædicti, præter errorem de vnione ad Verbum actionibus à Christo puro homine editis partа, alio item sordebant errore; nempe quod vnionem non censebant esse realem, sed quoad affectum, cuiusmodi est nostra cum Deo vnio. Qua ratione, Christus non esset verè & substantialiter Deus. At manifestè vides, Anathema quod Nazianzenus in eos vibrat, & locum quo ait iuxta eos Christum inter Deos adscriptitios referendum fore, intorqueri in eos qui Christum verè Deum profiterentur; sed per opera elicita postetiùs tempore, quàm humanitas primùm producta esset, quod ibidem agnoscit Elias.

Alcuinus lib. 3. de Trinit. c. 1. exponens cur Christus dicatur conceptus de Spiritu sancto, [quid hic (inquit) Spiritus sancti mentio facta est, nisi quod magna Dei gratia commendatur? Quid enim natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ vnici filij Dei, singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, vna fieri persona cum Deo, imò & homo ipse Deus? Nempè ipse Deus; ex quo homo cœpit, non aliud cœpit esse, quàm Dei filius: & hoc vnicus vnigenitus & proprius, & propter Dei Verbum, quod caro factum est, vtique Deus: vt; quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit Christus vna persona, & Verbum caro. Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis; (Sine dubitatione gratuito munere;) nisi quia magna hîc & sola Dei gratia fideliter & sobriè considerantibus euidenter ostenditur, vt intelligant homines per eandem gratiam se iustificari posse à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum posset habere peccatum.] Exscripsit Alcuinus Augustinum, qui eundem errorem potenter debellat lib. de correp. & grat. 11. adducendus lib. 5. cum videbimus quo sensu Christus dictus sit *Dei gratia*. Quare tempero pluribus.

Scripturæ quædam in contrarium.

162. In contrarium obtendi possunt quædam Scripturæ loca, quibus videtur significari, humanitatem assumptam fuisse diuinitate inunctam, eamue accepisse propter merita, præelicita tempore aliquo ante vnionem. Ita enim sonare videtur locus ex Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatē: propterea vnxit te Deus*

Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vbi vnctio sponsi, facta dicitur propter odium peccati, & iustitiæ amorem, quibus eam vnctionem promeruerit. At ea vnctio, vt supra iam diximus, & plenius infra confirmabimus, est assumptio humanitatis ad Verbi personam: nec potest exponi de nuda vnctione gratiæ sanctificantis purè creatæ, cum eam Christus non habuerit ex merito, quippe debitam vnioni admodum proprietatis connaturalis. Igitur Christus habuit vnionem humanitatis suæ ad Verbum, propter dilectionem iustitiæ, & iniquitatis odium, tamquam causam meritoriam. Insulsè quidem Arriani, referente S Hilario l. 11 de Trinit. & Athanasio orat. 2. contra Arrianos, illum Psaltis locum referebant ad Verbum in natura Verbi: indeque inferebant, Verbum non esse naturâ Deum, sed profectu; nec esse Patri æquale, sed esse creaturam. Quod Patres prædicti meritò explodunt, cum totus Psalmus manifestè cadat in Christum. At interpretando eum locum de Christi humanitate vnguento diuinitatis delibuta, quod egregiè facit S. Augustinus ibi, & Hilarius lib. 4. Trinit. videtur locum habere difficultas proposita. Quæ etiam acriùs pungit in loco ex cap. 5. Apocal. vbi agnus qui occisus est, dicitur *dignus accipere virtutem, & diuinitatem*: vtique in præmium exceptæ moris: qua ratione Christus, non fuisset Deus in hac vita mortali; sed post mortem dicendus esset obtinuisse Deitatem, hîc per merita comparatam.

Enodantur.

163. Verùm neuter locus probat intentum. Nam locus Psalmi, non incommodè à quibusdam longè alio sensu accipitur: nempe ita vt illud *propterea*, sonet effectum dilectionis iustitiæ, & odij iniquitatis: oleum autem lætitiæ, sonet gloriam externam, & exaltationem, ac celebritatem nominis, Christo ex meritis illis concessam. Qua ratione, sensus loci illius est, quia dilexisti iustitiam, & peccatum odisti; & obediendo vsque ad Crucis mortem illud destruxisti, idcirco Deus te glorificauit; deditque tibi nomen super omne nomen, & exaltauit te supra omnes exaltationis & gloriæ quomodo participes, cùm Angelos tum homines. Hoc sensu acceptus locus Psalmi, nullomodo officit veritati propositæ. Est & alius sensus, quo vnctio accipitur de assumptione humanitatis ad Verbum. Sed tunc particula *propterea*, non sonat effectum dilectionis & odij, sed potiùs causam; estque sensus. Causa quare dilexeris iustitiam & oderis iniquitatem, fuit vnio hypostatica tibi communicata diuinitùs: Vel clariùs & cortici literæ conuenientiùs, cum S. Athanasio orat. illa 2. contra Arrianos. Tu quidem ô Deus homo dilexisti iustitiam & odisti peccatum, idque vt præstares, inunctus es à Deo oleo lætitiæ. Itaque non quia Christus dilexit, & odit factus est Deus: sed è contrario, vt diligeret & odisset dignè Deo, posset que peccatum ita odisse, vt illud exhibita æquali satisfactione destrueret, inunctus est oleo lætitiæ, & diuinitatis vngnine in sua humanitate delibutus. Sic expositus locus ille, prorsus vacat difficultate.

Et idem est de loco Ioannis, in quo plerique Codices non legunt *diuinitatem*, sed *diuitias*. Obseruat autem ibi Ribera, plerosque Græcos codices quos se vidisse testatur habere πλεῖον cui responderet ea vox latina quam dixi; censetque idem interpres, non inuerisimile, festinantem librarium dum cogitat *diuitias* scribere, scripsisse *diuinitas*; quem nominandi cæsum, ad vitandum soloecismum, alij commutarint causa accusandi, scripserintque *diuinitatem*. Nobis, saluis omnibus apicibus vulgatæ editionis, facile est eius loci impetum declinare, dicendo; *accipere diuinitatem*, ibi non significare, accipere vnionem hypostaticam; sed significare manifestationem diuinæ potentiæ, virtutisque infinitæ præhabitæ, quæ tum demum predita est cum omnes aduersarij subiecti sunt Christi pedibus, & nomen eius exaltatũ est super omne nomen: Quam nominis celebritatem, beatus ille cœtus, agno occiso optabat; vt posteriores gloriæ, abiectionem anteriorem compensarent; & qui se humiliauerat, exaltaretur. Ita ibi Hieronymus. Vides quàm nihil in eo loco aduersarijs ferat aut metatur, quamque absurdè Ansbertus in cap. illud 5. ea verba de vero merito hypostaticæ vnionis acceperit. Firmabitur autem quod hîc diximus, per ea quæ mox addemus contra posteriorem sensum, quo negabam posse meritum incarnationis Christo arrogari.

Idem meritum per actus naturâ tantùm priores, an Christo negandum.

164. Posterior ergo Sensus quo dicebam non posse Christo tribui de facto condignum meritum incarnationis; ille est, quo Christus semper quidem, etiam in temporis quocumque momento, dicatur fuisse verus Deus: sed ita vt per actionis in primo productionis suæ momento priùs natura elicitas meruerit humanitatis suæ vnionem cum Verbo. Sic enim Christus numquam fuerit purus homo, qualem eum fuisse blasphemabant autores prioris sensus proximè discussi: Tamen per actiones elicitas independenter à gratia vnionis, eam dicetur promeruisse, & adeptus esse; qua ratione Angeli in primo productionis suæ momento potuerunt liberè operari ac mereri vt est communior sententia inter tractandum de sanctificatione Angelorum. Videtur esse in hac sententia S. Augustinus l. 2. de incarnatione *sub finem*, sic scribens de præexcellentia animæ Christi. [Sed & vnus Spiritus esse cum Deo, cui magis conuenit, quàm huic animæ, quæ se ita Deo per dilectionem iunxit, vt cum ipso Deo vnus Spiritus meritò dicatur, Propheta dicente, *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Dilectionis ergo merito, vngitur oleo lætitiæ; ideſt, anima cum Verbo Dei Christus efficitur: Vngi namque oleo lætitiæ, non aliud intelligitur, quàm Spiritu sancto repleri. Quod autem *præ participibus* dixit, indicat quia non gratia Spiritus, sicut Prophetis data est, sed ipsius Verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo: sicut & Apostolus dixit. *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*] cum enim nihil ibi habeatur de præexistentia animæ ad corpus, videtur locus ille accipiendus de merito dilectionis priùs tantùm naturâ elicitæ qua sibi Christi anima condignè meruerit vnionem ad verbum.

Negat illud D. Augustinus.

Hunc sensum asserendi Christi condignum meritum vnionis hypostaticæ, omnino repudio: non modò quia est contra torrentem Doctorum post S. Thomam 3. p. q. 2. art. 11. vbi Caietanus, Medina, Aluarez, Vasque, Suarez, Ragusa, passimque alij Scholastici, tale meritum à Christo amoliuntur; sed etiam quia est contra manifestissima D. Augustini testimonia, & apertam rationem in Scripturis fundatam. E Diui quidem Augustini locis, insignis est qui habetur tract. 82. in Ioan. Ibi enim expendens illud, *Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione*, sic scribit. [Dicendo, *sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*, gratiam mediatoris ostendit: Mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est, Christus Iesus. Et profectò secundum id quod homo est, de illo legitur; *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Secundùm hoc igitur possumus rectè dicere, quod cum ad naturam Dei non pertineat natura humana, ad personam tamen vnigeniti filij Dei per gratiam pertinet humana natura, & tantam gratiam

tiam, vt nulla sit maior, nulla prorsus æqualis: neque illam susceptionem hominis, vlla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione, merita eius cuncta cœperunt. Manet ergo filius in dilectione, quia eum dilexit Pater: & ideò seruat præcepta eius. Quid est tamē & ille homo, nisi quod Deus susceptor est eius? Deus enim erat Verbum, vnigenitus gignenti coæternus, sed vt mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

165. Præterea huc maximè facit locus ex lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. Nam quamuis S. Augustinus loco supetius contra primum sensum adducto, ex lib. de corrept. & gratia c. 11. disertè affirmet, Christum non meruisse effici filium Dei per opera arbitrij humani, sed iam ex vtero, & ab ipsa conceptione fuisse Deum & hominem; tamen locus ille videtur tantùm ferire opera consequentia conceptionem; ita vt sensus esse videatur, Christum esse Deum ab initio suæ productionis, & ex vtero materno: nec per merita post nationem comparata, prouectum esse ad Deitatem; sicut nos per merita rationis ac libertatis vsum, atque adeò adultam ætatem consequentia, prouehimur in Dei filios adoptiuos. At locus in quo nunc versamur, apertissimè excludit merita, etiam si non nisi anteriùs natura in primo productionis Christi momento comparata. Ita enim habet. [Vitiorum omnium humanorum causa, superbia est. Ad hanc conuincendam atque auferendam, talis medicina cœlitùs venit; ad elatum hominem per superbiam, Deus humilis descendit per misericordiam; gratiam claram manifestámque commendans in ipso homine, quem tanta præ participibus suis charitate suscepit. Neque enim & ipse ita Verbo Dei coniunctus, vt ipsa coniunctione vnus Filius Dei, & idem ipse vnus filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Vnum quippe illum esse oportebat. Essent autem & duo, & tres, & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipuè commendatur, hoc in sapientiæ atque scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum existimare audeo, præcipuè docetur & discitur.]

Manifestissimè ibi S. Augustinus, quæcumque Christi merita, etiam quæ non nisi natura præiuerint adeptionem vnionis, euertit. Ait enim ita planè se habuisse Christum ad gratiam vnionis, sicut nos comparamur ad primam gratiam actualem; eóque ait spectasse Deum, cum Christum produxit & humanitatem eius Verbo vniuit, vt agnoscerent homines quomodò potestatem accepissent Filij Dei fieri: nempè post præuentionem planè gratuitam. Sicut filius naturalis ex pura Dei misericordia & nullo suo interposito merito, copulationem diuini Verbi cum humanitate sua est adeptus. Atqui fides docet, primam gratiam actualem ex nullo merito nobis obtingere, sed diuinitùs ex pura misericordia conferri. Igitur multo magis, eminentissima illa gratia vnionis quæ est prototypum & primum exemplar omnium gratiarum, eodem modo obtigit Christo. Frequens est in ea collatione & æquiparatione modi quo Christus vnionem accepit & nos primam actualem gratiam adipiscimur, idem S. Pater, ac nominatim egregiè id tradit l. de prædest. SS. cap. 15. & ad finem libri de dono perseuer. & epist. 57. *in fine*, & in Enchir. c. 36. & 40. ac serm. 8. de verbis Apostoli.

Suffragium rationis.

166. Iam ratio valida ad probandum, Christum de facto non meruisse sibi condignè vnionem ad Verbum in primo momento suæ productionis, eruenda est ex egregia doctrina S. Hilarij lib. 11. de Trinit. expendentis illud ex Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, propterea vnxit te Deus.* Sic enim scribit. [Consequens & posterior causa numquam refertur & prior sit, quia meruisse aliquid posterius est, quàm esse qui possit mereri. Mereri enim eius est, qui sibi ipse meriti acquirendi autor existat.] Sensus est, actum merendi cum sit actus quidem secundus, supponere completam existentiam eius qui mereri dicitur. Atqui Christus non habuit existentiam completam, qua operari posset priùs natura quàm eius humanitas Verbo vniretur. Nam vi vnionis Christus accepit subsistentiam diuinam, quæ est naturæ complementum, ac terminus vltimus substantialis, ante quod complementum appositum, natura non est apta operari. Prius si quidem est, esse in se completè quàm agere, & foras erumpere per operationem. Igitur Christus non potuit profundere actum merendi, respectu vnionis qua eius humanitas nexa est Verbo: sic enim operatus fuisset priusquàm completè esset, quod per vnionem & subiunctam ei diuinam subsistentiam habuit. Neque verò fas est eludere hoc argumentum, assignando humanitati nudæ prioritatem naturæ: siue dicendo, humanitatem quidem Christi fuisse semper Verbo vnitam in quacumque temporali duratione, eiúsque omnibus momentis; tamen præexistisse vnioni in aliquo priori naturæ & in eo priori esse operatam, ac meruisse suam cum Verbo copulationem. Hoc effugium nego esse idoneum. Nam quamuis verum sit, humanitatem antecedere prioritate naturæ operationem quam profundit, tamen prioritas naturæ non est concipienda tanquam prioritas *in quo*, sed *à quo*, vt alibi ex Durando & Ochamo obseruaui; ita vt esse in priori naturæ, non sit minutissima aliqua antecessione præire alteri, quod natura posterius dicitur; sed idem sit quod causare aliud, eique à se dependenti, conferre esse. Cum ergo meritoria operatio in Christo non habuerit vllam dependentiam ab humanitate, priusquàm intelligatur terminata per subsistentiam Verbi, sed manauerit ab humanitate, prout completa quoad esse suum interuentu diuinæ subsistentiæ, (actiones enim, iuxta vulgare effatum ex Aristotele huc detortum, sunt suppositorum;) perspicuum est, actionem meritoriam, in Christo non fuisse natura priorem vnione ad Verbum: ideóque eam de facto condignè non promeruisse. Quod secundò validè euincitur, ex eo quod ad meritum condignum exigatur sanctitas operantis. Atqui Christi humanitas priùs natura quã vniretur Verbo, caruit sanctitate; cùm substantiali, vt patet, tum accidentaria, quæ omnis in Christum ab vnione deriuata est. Non igitur priùs natura quàm vniretur, potuit humanitas eius condignè mereri vnionem.

Ad argumenta in contrarium.

167. Quæ in contrarium proponebantur, nullius sunt momenti. Falsò quippe supponebatur, Angelos in primo creationis suæ momento, meruisse condignè sanctificationem. Nam quamuis verius sit: Angelos eam meruisse de congruo, liberè operando per auxilia quibus diuinitùs præuenti sunt, tamen cum meritum condignum sit effectus & frutex sanctitatis, impossibile fuit eos condignè mereri, priùs natura quàm sancti essent: atque adeò non potuerunt condignè promereri suam sanctificationem, quod fusius confirmat Suarez lib. 12. de gratia cap. 14. num. 9. Autoritas verò quæ subijciebatur, malè proferebatur tamquam Augustini, cuius tam expressa támque concepta in contrarium testimonia adduximus. Est itaque alterius, qui verbatim Origenem exscripsit ex lib. 2. periar. cap. 6. & inter alia præclarè ibi ab Origene dicta de sanctitate animæ Christi, has quoque eius feces bibit. Tametsi enim Verbum lubricum ibi ab Origene adhibitum, quo insinuatur præexistentia animæ Christi, vt & cæterarum omnium, prætermisit consultò is quem dixi pseudo-Augustinus: tamen quod ab Origene con-

sequenter ad illum errorem fuerat affirmatum, de merito vnionis, quodcumque tandem illud tribueret, improuidè hausit, & in opus suum deriuauit. Me verò hic Origenis locus maximè confirmat in sententia iam olim concepta, quod homiliæ in diuersos quæ eius nomine circumferuntur, alterius reuera sint. Ibi enim hom. 2. *ad finem*, ad illud *plenum gratiæ* Autor disertè affirmat, Christum non meruisse vnionem. [Maximum inquit & particulare exemplum gratiæ, qua nullis præcedentibus meritis homo efficitur Deus, Christus est, & in ipso primordialiter manifestatum est.] Quæ è diametro pugnant cum loco prolato ex indubitato libro Origenis.

Extenditur resolutio ad meritum compensatiuum.

168. Neque verò hoc dumtaxat de quo hactenus egimus propriè dictum meritum condignum, quod scilicet est attractiuum præmij nondum obtenti, negandum Christo est respectu vnionis hypostaticæ, vt hactenus euicimus: sed etiam improprium illud quod consistit in compensatione mercis credito antea traditæ, vt postea explicabitur. Negandum inquam est, Christum per bonum vsum vnionis acceptæ, & per opera inde exorta, compensasse beneficium illud ex misericordia antea concessum, sed sub expectatione huius solutionis postmodùm consecuturæ, cum debitor ad pinguiorem (vt ita dicam) fortunam venisset. Deus enim illas ipsas ob causas ob quas indicauit expedire vt nobis prima gratia omnino gratis obtingeret, & nostram prædestinationem quoad totam seriem effectuum eius non mereretur vlla ratione, etiam hac impropria, quæ compensatio ac potiùs ac solutio est quàm propriè dictum meritum; ob easdem censuit conuenientius, vt Christus Dominus quem S. Augustinus l. de prædest. SS. cap. 15. & l. de dono perseu. cap. 24. appellat *illustrissimum nostræ prædestinationis exemplar*, fieret hoc modo similis nobis. Vt omni prorsus creaturæ innotescat Deum supernaturalia dona, cuique primùm elargiri planè gratis, & absque argento numerato aut numerando: atque adeò puram eius misericordiam, præuenire nos.

Et ad meritum condignum propriè dictum, cuiuscumque creaturæ.

169. Quod si meritum condignum vnionis ad Verbum, Christo de facto negauimus, multo manifestius esse debet, meritum illud, puræ cuicumque creaturæ negandum esse. In primis quia Scriptura passim tribuit Verbi cum humanitate copulationem, immensæ Dei misericordiæ ac benignitati, quod saltem valet respectu nostri: quandoquidem interdum verbis conceptis remouet ab hoc negotio humana merita. Sic ad Titum. 3. Apostolus. *Apparuit* (inquit) *benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit.* Idem sonant illa Lucæ 2. *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Et illa Ephes. 2. *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus, filium suum misit.* Ea ipsa de causa Christus Hebr. 2. dicitur *gratia Dei.* Deinde, principium meriti, de potentia saltem ordinaria in qua nunc versamur, non cadit sub meritum propriè acceptum; quod scilicet tendit in præmium vt habendum. De eo namque merito, est hoc loco sermo. Atqui vnio hypostatica siue Christus per eam constitutus, fuit principium propriè dicti meriti quorumcumque purorum hominum, quatenus fuit principium vniuersalissimum, & fons totius gratiæ puris hominibus communicatæ, vnde est eorum meritum. *Deus* enim *benedixit nos omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo.* Expendenda vox (*omni.*) quæ planè fert, ne stillam quidem gratiæ communem vlli, aliter quàm per Christi merita. Igitur vnio hypostatica sub nullius planè puræ creaturæ condignum meritum cecidit. Quod tandem solidè confirmat improportio quorumuis actuum puræ creaturæ, cum tali præmio condignè promerendo. Est enim præmium adeò sublime ac eminens, vt omnis nostrorum meritorum tenuitas subtus iaceat, nec ad illud exæquandum possit assurgere, quantumuis promissio de eo præmio rependendo interueniret, quam tamen constat defuisse. Nulla igitur pura creatura, condignè de facto promeruit vnionem humanitatis Christi ad Verbum.

Neque reclamant Patres, qui interdum dicunt aliquas personas creatas, ac nominatim Deiparam, dignas fuisse aliquo dono aut prærogatiua, inuoluente vnionem humanitatis Christi ad Verbum, v.g. maternitate Dei. Ita plane Epiphan. hær. 78. inuectus in Antidicomarianitas, quod auderent impetere eam quæ digna facta est habitaculum fieri Filij Dei, eúmque concipere & parere. Similiter S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus. Maria digna exitit, ex qua Dei Filius nasceretur.] S. Chrysostomus serm. de hypapante. [Beata mater, vltra omnem humanæ naturæ modum, modestiam ac temperantiam excoluit, & ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit.] Hieronymum ad Eustoch. de custod. Virginitatis. [Tantæ puritatis Maria extitit, vt mereretur effici mater Filij Dei.] Fortunatus libro de æternis gaudiis.

Virginitas felix, quæ partu est digna tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Alia similia quamplurima Patrum loca, addensat eruditè Canis. lib. 2. Mar. cap. 16. quæ nego positæ veritati incommodare. Latiùs enim patet, B. Virginem fuisse dignam maternitate posito quod maternitas esset alicui conferenda, quàm condignè promeruisse donum illud. Qua de re rursus infra, tractando meritum circumstantiarum productionis Christi Domini.

Ne congruum quidem meritum, Christo circa vnionem tribuendum.

170. Vnica de vnionis merito dubitatio superest, an de facto ceciderit sub meritum congruum, siue Christi, siue puræ alicuius creaturæ: & fermo semper est, de merito propriè accepto, id est tendente in præmium habendum, non autem compensante iam adeptum: quamquam & hoc quoque Christo defuit. Sed nos illud hic non curamus, intenti in solum meritum congruum [propriè acceptum. Negandum Christo esse huiusmodi meritum, perspicuè euincitur rationibus supra propositis at de facto negandum Christo meritum condignum vnionis cum Verbo. Nimirum quòd Christus, ad vnionem promerendam perinde se habuerit, ac nos ad meritum primæ gratiæ actualis, quam constat meritis nostris, etiam congruis, subduci. Deinde quod omnia Christi opera quomodolibet meritoria subsequantur vnionem ad Verbum, eúmque supponant, tamquam existentiæ complementum ac terminum vltimum, cui nulla operatio potest præintelligi; cum prius sit esse completè, quàm operari. Tandem quod auxilia gratiæ communicata Christo, data sint titulo vnionis adeptæ. Omnia enim supernaturalia dona quæ accepit, habuit titulo filiationis naturalis: atque adeò priùs natura sortitus est eminentissimum illud gratiæ beneficium, quàm anxilia vlla, vel habitus, creatos infusos. Cùm ergo principium meriti, (saltem loquendo de facto, siue de potentia ordinaria, non cadat sub meritum, etiam congruum; manifestè concluditur, Christum ne congruè quidem promeruisse de facto vnionem humanitatis suæ cum Verbo Dei. Dices, si actiones Christi quas in momento

mento incarnationis elicuit, spectentur præcisè prout dignificantur à donis creatis quæ Christo inerant; (negari quippe non potest quin ab eis quoque dignificari, cum in nobis ea dignificatio cernatur;) certum est, eas non posse esse meritorias vnionis de congruo ob inæqualitatem. Ergo erant meritoriæ de congruo. Respondeo, actiones Christi non potuisse spectari vt præcisè dignas per dona creata: quia impossibile est quin supponatur ad quod spectat vnio, informet moraliter atque dignificet actiones bonas quæ per eius naturam eliciuntur. Possunt quidem Christi actiones considerari à nobis inadæquatè prout præcisè dignificantur à donis creatis: sed non poterant sic exerceri. Erant autem meritoria non vt possunt considerari, sed vt reipsa exercebantur. Deinde dona creata Christo communicata, supponebant vnionem; & tanquam eius fuerunt collata. Non poterant igitur, principium illud suum promerere. Itaque ratum esto, meritum congruum Incarnationis & vnionis, negandum Christo esse. Nec circa hoc video esse controuersiam.

Idem de puris quibusuis creaturis, statuitur.

171. At quoad puras creaturas, dissident nonnulli, secuti vt videtur S. Thomam 3.p.q.2.art.11. concedentem puris hominibus meritum congruum illiusmet obiecti, cuius negauerat condignum; nempè vnionis ad Verbum. Et conceptis verbis in 3. sent. ad Annibaldum dist.4.q.vnica art.4. concedit, substantiam Incarnationis cecidisse sub meritum congruum antiquorum Patrum. Cui sententiæ subscribere omnes Thomistas, affirmat Aluarez 3.p.disp.17.annúntque Soarez 1.3.p.disp.10.sect.6. Valentia disp.1.quæst.2. p.8. Ragusa disp.44.§.1. Bonacina disp.2. de Incarnatione quæst.12.p.5.§.1. Aliique non pauci. Sed sunt qui aliter de prædestinatione vnionis hypostaticæ, siue de diuina intentione eam producendi, philosophentur; quàm de executione. Nam prædestinationem siue intentionem, fatentur non cecidisse de facto sub vllius puræ creaturæ meritum congruum, quod de executione fatentur. Sicut de quibusuis electis, censent, eos non fuisse efficaciter electos ex meritis præuisis, etiam si in tempore & quoad executionem, adipiscantur per merita gloriam, ex pura misericordia præfinitam.

Mihi hæc omnia parum consequenter dici videntur. Inprimis enim in re præsenti, hi autores affirmant nobiscum, vnionem humanitatis ad Verbum non cecidisse de facto sub meritum condignum vllius puræ creaturæ: eo quòd principium meriti, (saltem loquendo de facto, & secundùm legem Dei ordinariam,) non cadat sub meritum. Atqui ea ratio, si quicquam probat pro excludendo merito condigno purarum creaturarum respectu vnionis, æquè excludit meritum congruum. Nam huius quoque meriti principium, in puris hominibus est gratia collata dependenter ab vnione, siue per Christi merita. Igitur necesse est, priùs decerni vnionem seu Christum; ac proinde verum non est, quod puri vllius hominis merita, substantiam vnionis meruerint. Distinctio verò prædestinationis diuinæ & executionis, est planè friuola. Prædestinatio enim & executio, non nituntur variis causis: sed si res prædestinata est ab æterno merito gratis & absque meritis, necesse omnino est vt mandetur executioni eodem modo: cum prædestinatio non conflet ordinem seiunctum ab executione; sed res sit prædestinata, vt sic vel sic executioni mandetur: alioqui liceret quoque nouum finem executioni appingere, distinctum ab eo quem intentio præfixerat: quod esset, executionem in nouam intentionem transformare. Impugnata pleniùs est ea distinctio, tractando beatorum electionem ad gloriam, cum Vasque 1.p.d.89. Quare concludo, non modo Christum, vt præuisi, sed neque vllam puram creaturam, meruisse de facto congruè, Christi substantiam formaliter sumptam, siue vnionem humanitatis eius ad Verbum.

Circumstantiæ Incarnationis sub nullum Christi meritum, nec nisi sub congruum purorum hominum ceciderunt.

172. De circumstantiis v.g. quod hoc tempore, aut loco, aut per hanc personam, producta sit vnio hypostatica, alia est ratio quoad meritum de facto competens puris creaturis. Nam quoad Christum quidem, cum eas planè subsequeretur, certum est non promeruisse se vllo proprio modo tales circumstantias, siue condignè siue congruè. Puras verò creaturas, negandum est meruisse condignè vllam huius mysterij circumstantiam. Circumstantiæ enim, cum spectent, ad eundem ordinem cum re quam circumstant, sunt præmia extra communem ordinem gratiæ, & veluti extranea actibus hominis quantumlibet meritoris. Itaque non ceciderunt sub meritum condignum purarum vllarum creaturarum. Admitto tamen, eas meruisse reipsa de congruo Incarnationis circumstantias, saltem aliquas: non modò quoad executionem, sed etiam quoad intentionem diuinam, contra hic recurrentem inutilem Pesantij distinctionem 3.p.q.2.art.2. disp.3. haustam ex Suare t.1.3.p. disp.10. sect.6. Est enim longè alia ratio circumstantiarum quoad puros homines, quàm substantiæ Christi. Circumstantiæ namque, non sunt principia meriti purorum hominum, vt non possint sub illud cadere. Substantia autem est principium nostri meriti, quod de lege saltem ordinaria non cadit sub meritum. Itaque circumstantiæ vnionis, possunt obijci, & de facto aliquæ fuerunt obiectæ, merito purorum hominum.

Nec opponi potest, actiones huiusmodi circumstantiarum meritorias, præsupponere Christum tamquam principium earum, prout vi meritoria pollentium. At Christus non potest præsupponi, nisi cum suis adiunctis ac circumstantiis: neque enim est nisi certo loco, ac tempore, per aliquam matrem, & auos ac proauos. Nulla igitur vi, circumstantiæ illæ poterunt sub meritum congruum hominum purorum cadere. Hoc inquam opponi non potest, saltem quoad omnes circumstantias. Potuit enim Christus Deo obuersari quoad suam tantùm substantiam, ea quæ ratione intelligi futurus principium donorum per quæ aliqui essent promerituri circumstantias productionis ipsius Christi. Non quod reipsa Deus, non viderit semper Christum prout erat futurus, atque adeò cum omnibus suis adiunctis: sed quod secundùm nostrum imperfectum concipiendi modum, quæ sunt ab aliquo obiecto independentia, censeantur intelligi à Deo, priùs: nempè priùs ratione, saltem semper concomitantia quoad realem durationem. Quod si aliquæ circumstantiæ Christi, tales fuissent, vt omnino præsupponendæ essent ad Christum, atque adeò ad actiones à Christo pendentes, quibus videri potuissent obijci tamquam præmia; tunc negandum esset, meritum illud verè dependisse à Christo tamquam à principio, etiamsi dependerit ab eo, vt compensante beneficium collatum antecedenter ad ipsum Christum. Et ita nominatim videri poterit philosophandum circa meritum quo B. Virgo promeruit maternitatem, & quo progenitores Christi meruerunt originem Christi ex stirpe sua. Cæterum non videtur difficile, ad has quoque circumstantias applicare doctrinam propositam; concipiendo Christum quasi vniuersè decretum, & præuisum cum multis bonis operibus ac meritis,

principiare meritoriè auxilia gratiæ, & dona, quibus elici possent actiones matris & anteriorum Christi progenitorum, promerentium vt Christus iam quasi vage & in vniuersum prædestinatus, determinaretur à Deo ad nascendum à tali stirpe, & ex tali matre. Sed de hac re, plenius cum de Christo capite.

Quale illud congruum meritum fuerit, nominatim in Deipara.

173. Ita tamen accipi volo, hoc circumstantiarum meritum congruum, quod admitto, vt non semper velim, eos qui circunstantiam aliquam incarnationis congruè promeruisse dicuntur, ad illius præmij consecutionem actiones suas direxisse; vel Deum cum illis, de talibus actibus, sub huius præmij conditione pepigisse. Constat quidem, in nonnulis exemplis veterum Patrum qui aliquam incarnationis circunstantiam congruè meruisse censentur, id interuenisse: & admittendam esse, directionem piorum operum ab eis factam, ad promerendam circumstantiam aliquam huius mysterij. Nam v. g. ita philosophandum est de Acceleratione incarnationis, quam plerique prisci iusti, de congruo meruerunt. Sic Danielis 9. dicitur abbreuiatum fuisse tempus aduentus Messiæ, quia Daniel vir desideriorum erat. Et Psalm. 11. Dauid ex ore Dei prænunciat, *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam*: quod passim Patres, de aduentu Christi, propter sanctorum priscorum ardentissima vota accelerato, interpretantur. Et apud Malachiam, Christus dicitur, *Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis*, qui & idcirco dicitur *venturus statim*. Accelerationis porrò nomine, non est intelligendum quod cortex vocabuli præfert: nempè quòd Christus sit productus, ante tempus quo decretum antea erat illum esse producendum: Id enim non cohæreret cum immutabilitate diuini decreti. Sed nomine Accelerationis, in hoc negotio, intelligere oportet virtualem anteceßionem in Christi productione, sitam in eo quod Deus ab æterno propter merita quorumdam iustorum præuisa dependenter à Christo, priùs ratione diuinitus prædestinato, sanxerit vt Christus in aliquo certo tempore fieret, & non in vlteriore in quo alioqui fieri potuisset, vel etiam factus fuisset, nisi petitiones & merita iustorum prædictorum interueniissent.

At alias quasdam personas, constat meruisse congruè aliquam incarnationis circumstantiam, etiamsi nulla actionum ad hoc præmium directio interueniisset quia ex parte huiusmodi personarum saltem idoneitas & aptitudo aliqua est Deo obuersata, cuius intuitu eam circumstantiam decreuerit, & executus sit. Sic Abraham, in præmium obedientiæ diuino mandato exhibitæ, nihil tale cogitans, retulit diuinum promissum de ortu Christi ex genere suo; ac vt surculus diuinitatis (vt sic dicam) oleastro suo insereretur. Operatio enim illa, & vita integra Abrahami, tam accepta fuit Deo, vt decuerit prærogatiuam prædictam Abrahamo concedi: quod sufficit ad aliquale meritum de congruo, etiamsi defuerit formalis directio actus boni, ad consecutionem præmij cadentis sub meritum congruum.

Similiter B. Virgo meruit de congruo eligi in matrem Christi, vt admittit D. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. ad 3. & ita accipio quod passim Patres dicunt, Deiparam meruisse eligi in matrem Christi. Pulchrè S. Bernardus serm. de aquæductu. [Sed quomodò noster hic aquæductus, fontem illum attigit tam sublimem? Quomodò putas nisi vehementia desiderij, nisi feruore deuotionis, nisi puritate orationis? Sicut scriptum est: *Oratio iusti penetrat cœlos*. Et quis iustus, si non Maria iusta, de qua Sol iustitiæ ortus est nobis? Quomodò ergo illam inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique & quod quærebat inuenit; cui dictum est, *Inueniſti gratiam apud Deum*. Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: sed quemadmodum scriptum est: *Qui bibit me, adhuc sitiet*; Petit super effluentiam ad salutem vniuersitatis.] Idipsum est quod Ecclesia sæpè canit, Deiparam meruisse Christum portare, quod nominatim in Antiphona Paschali ad Deiparam cuius initium est *Regina cœli*, quam hac ex causa allatratam à Sectariis, inde propugnat Petrus Sutoris in Apol. contra nouos Anticomaritas quos Patres quorum multos in eam rem profert, admittant hoc Virginis meritum. Latè quoque in eam rem disputat & aliquot Patres in eam sententiam adducit Clyctouæus lib. 2. de venerat. Sancto. cap. 13. Retuli superiùs alios nonnullos; & plures allegat Canisius lib. 2. de Deip. cap. 16. cum quo ita de hoc Deiparæ merito philosophor, vt quamuis nullum B. Virginis cum Deo pactum explicitum vel implicitum interuenerit, de tali præmio ob bonos aliquos actus rependendo. (Nullo enim modo Deipara, [de hac tanta Dei circa ipsam benignitate cogitarat, ante Angeli aduentum.) Tamen idcirco dicatur Deipara congruè meruisse sic eligi, quia tanta sanctitate & puritate enitebat, vt ex suppositione quod Deus decreuisset homo fieri ex muliere; ex nulla tam congruè (certè non congruentiùs) quàm ex ista fieri posset. Quo pacto posset quispiam, tametsi non mereatur, Regis aduentum in vrbem aliquam, dici tamen promereri, vt Rex si eo venturus est, diuertat ad ipsum; eo quòd nullus sit tali hospite aptior, vel etiam æquè idoneus ad excipiendum Regem, neque congruentiùs alibi sit habiturus hospitium. Vbi vides, cerni dumtaxat eam rationem meriti, quam describebam. De variis virtutum actibus quibus hoc Deiparæ meritum constitit, pulchrè Dionys. Richelius lib. 1. de Laud. B. Virginis articulo 26. & Petrus Sutoris in Apol. contra Anticomaritas cap. 9.

Aliæ de congruo illo Deiparæ merito opinationes improbatæ, siue statuatur à Christo dependens.

174. Qui verò aliud in Deipara meritum congruum maternitatis inuexerunt, audiendi non sunt: siue dicant Deiparam meritum illud habuisse dependenter à Christo; siue habuisse independenter. Meritum maternitatis à Christo dependens, agnoscit Suarez t. 1. 3. p. d. 10. sect. 8. Argumenti verò propositi impetum declinat, tribuendo Deiparæ meritum congruum propriè dictum maternitatis, quoad executionem, non quoad prædestinationem diuinam. Sed eam distinctionem inutilem esse, supra monstrauimus.

Salazarius l. de concept. cap. 24. sect. 5. alia ratione tuetur, quomodò Deipara dependenter à Christo, potuerit maternitatem suam merito congruo propriè dicto adipisci. Ait ergo merita Christi pro B. Virgine, & Christum ea merita profundentem, posse præintelligi B. Virgini, & meritis eius: nec vicissim necesse esse Deiparam & eius merita Christo, licet ex Virgine procreato præintelligi: quia principium meriti, quod solum non potest sub meritum cadere, quia præintelligendum est merito, & immediatæ meriti causæ; non est quodcumque meriti principium; sed illud tantùm, sine quo singularitas & essentia specifica actus meritorij, prout talis est, concipi & esse nequit; non autem cætera, sine quibus actus meritorius esse posset idem numero. Quia ergo principium essentialiter necessarium ad actum meritorium B. Virginis, ita vt sine eo actus meritorius substantialiter tum specie tum individualiter

viduáliter idem manere non posset, fuit Christus Dominus, præcisè quatenus in esse physico & in esse Filij Dei per vnionem hypostaticam, qui posset esse idem, etiamsi à solo Deo fuisset editus, & à Deipara non processisset : idcirco merita Deiparæ quibus adepta est maternitatem, potuerunt esse effectus Christi, & meritorum eius : quia Christus & eius merita, potuerunt Deiparæ & eius meritis præintelligi.

Verùm iuxta hoc principium, non modò B. Virgo potuisset maternitatem suam mereri dependenter à Christo, sed etiam potuisset mereri substantiam Incarnationis. Id quod æquè de antiquis Patribus esset affirmandum, contra omnium ferè Doctorum opinionem. Actus quoque charitatis, habitum à quo proficiscitur posset mereri. Item Christus, suam vnionem hypostaticam mereri potuisset. Perstaret enim idem numero meritum, actus à Christo eliciti, etiam si hæc numero vnio hypostatica quæ meriti fundamentum esset, varietur individualiter : Et multo magis potuisset Christus mereri vnionem naturalem partium suæ humanitatis inter seipsas : posteriorem incarnatione, & vnione partium ad Verbum. Quæ omnia sunt paradoxa, & ab omnibus explodentur. Non igitur verum est, maternitatem potuisse sub Deiparæ meritum cadere, quia illa dumtaxat causa meriti non potest cadere sub meritum, quæ est causa essentialiter requisita ad actus meritorij specificationem vel individuationem.

Non est multo congruentius, quod Vasquez 3. p. disp. 25. cap. 4. vt meritum maternitatis à Christo dependens in B. Virgine mereretur, commentus est. Ait enim, idcirco Christum potuisse mereri matri suam maternitatem, quia B. Virgo non fuit causa per se Christi, habens verum influxum actiuum in eum : id est non concurrit efficienter ad substantiæ Christi productionem, sed tantùm subministrauit materiam ex qua Christus à Deo solo efficienter est compactus. Principium autem causæ merentis, eiúsve meritorum, quod solum debet ad meritum præintelligi, est principium per se effectiuum, quale non fuit Deipara respectu Christi. Sed neque hæc doctrina satisfacit difficultati. Nititur enim falsa suppositione, quod Deipara non concurrerit efficienter ad effectionem humanitatis. Deinde præsuppositio causæ materialis, æquè est vera præsuppositio, ac ea quæ est causæ efficientis. Aduersatius autem admittit, Deiparam quatenus matrem, præexistisse Christo in genere causæ materialis. Non ergo potuit mereri dependenter à Christo, vt esset mater.

Siue independens à Christo asseratur.

175. Sed neque audiendi sunt alij, qui Deiparæ tribuerunt proprié dictum meritum congruum maternitatis, independens à Christo ; siue absolutè, siue prout dependente à matre, quod varij autores variis modis exponere tentarunt ; sed frustra. Inprimis ergo Valentia 3. p. d. 1. q. 2. p. 8. maternitatis meritum congruum proprié acceptum tribuit Deiparæ actibus, quatenus erant precisè moraliter recti, & eatenus à Christo independentes. Hic modus dicendi, nullomodo placet. Nam nemo non videt, quàm sit hoc præmium improportionatum actibus prout purè naturali perfectione collucent. Imo cum circumstantiæ, (vt supra præmittebam,) eiusdem sint ordinis cum re quam circumstant, videri possit valdè incongruum, ac fortassis incaute dictum, tale præmium ad supernaturalitatis veritatem reducibile, actibus prout purè moralibus repensum conferre.

Alij inter recentiores, vt proprié acceptum meritum congruum B. Virgini respectu maternitatis adscriberent, nec vrgerentur dependentia quorumuis Virginis meritorum à Christo ; asseruerunt humanitatem Christi, in primo momento sui esse duplici adæquata & totali actione fuisse productam : nempè vna à solo Deo, & independenter à matre ; altera à Deo simul ac matre. Christum ergo prout in illo tantùm primo momento existentem independenter à matre, dixerunt meruisse illi gratias per quas congruè meruerit maternitatem : vnde Christus vt principium meriti materni, non cecidit sub meritum matris vllo modo, ac nec indirectè quidem ratione maternitatis ; nec præsuppositus est causis suis, atque adeò sibi ipsi, vt fatendum foret, si ab eis tantùm productus esset. Verùm illa nõ nisi momentanea Christi existentiæ independentia à matre, non cohæret cum dependentia totius meriti Christi pro nobis à Christo in Cruce existente, quam Apostolus Hebr. 10. significat.

176. Ideò alij dixerunt, Christum non nisi in extrema vita habuisse existentiam à matre independentem : nempè à tempore quo Christus dixit se tristem esse vsque ad mortem : à quo tempore dicunt, Christum fuisse suprà naturæ debitum diuinitùs peculiari actione cõseruatum, & vi existentiæ sic independentis, elicuisse actiones, quibus Deiparæ principia merendi maternitatem sit emercatus. Quamquam horum autorum nonnulli, præter illum quasi limbum vitæ Christi, idem censent dici posse de actibus à Christo editis per tempus ieiunij quadragenarij, ex quo Christus vitam intra illud tempus cœpit retinere per miraculum. Hic tamen dicendi modus, tempus aliquod vitæ Christi, nempè totam vitam dempta extrema eius parte, aut dempta quadragena dierum ieiunij continui, subducit merito Christi pro puris creaturis : quod non satis cohæret cum perpetua & numquam intercisa meritorum Christi pro nobis serie, quam Scripturæ & Patres agnoscunt.

Reperio aliam rationem vendicandi Deiparæ meritum congruum maternitatis, independenter à Christo prout pendente à matre sua. Hanc rationem excogitauit Valentinus Herice 1. p. disp. 29. n. 44. annuente Arriaga disp. 1. de gener. sect. 6. n. 62. Existimat ergo Hertice, primò Christum in primo instanti habuisse esse independens à matre per vnam peculiarum actionem totalem à solo Deo dependentem, re distinctam ab ea qua Christus tunc accepit esse dependenter à matre : etiamsi non sit duplex modus, sed vnicus à matre dependens : actio autem à matre independens sit in Deo, quippe virtualiter transiens, formaliter immanens, iuxta doctrinam D. Thomæ de diuinis operationibus q. 3. de pot. art. 3. & 5. & 17. ad 12. & 16. quod sufficit, vt intelligamus Christum in eo primo momento habuisse esse independens à matre, atque adeò potuisse tunc matri mereri dona gratiæ quibus maternitatem alia actione posteriùs natura causandam mereretur. Existimat secundò idem autor, Christum præterea reliquo vitæ decursu ad finem vsque, habuisse esse per simile decretum & per actionem totalem similiter independentem à matre : non quod ea totalis actio, post primum instans sit realiter duplex, vt in primo momento, in quo & causa secunda actu influit, & prima, sed quod actio qua Christus post primum momentum à Deo solo conseruabatur, à duplici diuino totali decreto manaret : vno independenti ab exigentia causarum secundarum, atque adeò etiam primi influxus materni ; altero autem late dependenter ab exigentia causarum secundarum : quod est, virtualiter vel æquiualenter duplicem conseruationem admittere. Ex ea verò Christi existentia, partim primùm accepta, partim per totam vitam conseruata independenter à matre, infert autor prædictus, Christum per totam vitam, à prima eius intra vterum actione ad extremum vsque halitum in Cruce, meruisse omnibus non exclusa matre ; prout actus eius meritorij, non tantùm ab existentia per primam maternam productionem accepta, & consequenter ad eam actionem conseruata, pendebant ; sed etiam deriuabantur ab existentia, per aliud totale decretum à matre prorsus independens, conseruata.

177. Mihi hæc dependentiarũ Christi multiplicatio, non modò inaudita priscis Scholasticis & SS. Patribus videtur; (nemo quippe profertur, vel proferri potest, qui ante paucos hos dies, eam subolfecerit;) sed etiam sine necessitate conficta, atque adeo reijcienda. Nam vt liquet ex prædicto Autore, num. 38. tota necessitas independẽtiæ Christi à matre, siue in solis vitæ terminis, siue per totam vitam admittendæ, est meritum congruum matris, & anteriorum matris progenitorum; quod non debet statui pendens ab existentia per matrem immediatè, & mediatè per anteriores progenitores collata: ne Christus provt meritum illud principians, præsupponatur sibi, provt producto per vnicam causam suam; nempè per matrem: quod incommodum declinatur posita alia Christi causa totali; prorsus independente à matre. Atqui meritum illud congruum, implantatum vni aut pluribus actionibus quas Deipara ad huiusmodi præmium direxerit, commentitium est, vt iam dixi. Ruit igitur fundamentum tot nouitatum, omnibus retrò Theologis inauditarum. Deinde in proposito philosophandi modo, multa peccantur. Nam duplex actio cum vnico modo effectibus intrinseco, intelligi non potest: quia quo iure actio Dei dicitur formaliter immanere Deo, nec esse nisi virtualiter transiens; eodem actio causæ secundæ, immanebit causæ secundæ, nec nisi virtualiter erit transiens. Itaque nullus planè modus dependentiæ immanebit effectui, quod aduersarius ipse non concedit. Videbitur etiam concedendum, iuxta eam doctrinam, Christum non obijsse: quia quantumcumque tormenta & cruciatus euerterint statum dispositionum vitæ conseruandæ congruentium; tamen potuit retinere esse, per decretum totale, independens à causis secundis, & per actionem conseruatiuam illhuc vsque protractam, quatenus à tali solius Dei decreto oriundam. Nec verò dumtaxat potuit Christus, esse suum ea via retinere, & impetum mortis effugere, sed etiam debuit. Nam Deus pro sua sola voluntate, & secluſa exigentia ex parte causæ secundæ, non destruit res quas immediatè ac per seipsum, conseruat independenter à dispositionibus; vt patet ex perpetua Angelorum conseruatione. Denique nemo hactenus tam multorum qui historiam Euangelicam & Christi mysteria explanarunt, commentus est, Christum per tempus ieiunij quadragenarij consetuatum esse duplici actione, vel duplici totali decreto ad conserua tionem directam terminato: cum sufficerit abundè illud vnum quo priùs conseruabatur, vinctis dumtaxat & impeditis miraculo, causis naturalibus, ne Christi dispositionem ita immutarent, vt necessaria esset conseruationis abruptio. Facessat ergo multiplicatio illa, siue actionum, siue decretorum totalium, de Christi conseruatione.

Modus legitimus meriti maternitatis per Deiparam, concluditur.

178. Quomodò autem Deipara mereri cõgruè potuerit hanc Christi circumstantiam, siue maternitatem quæ Christo præsupponitur; (id enim est totum fundamentum ex quo ad tot nouitates facta progressio est;) enodati alia ratione commodiore potest. At primùm si quis omnino putet se adigi ad meritũ maternitatis congruum, & propriè dictum Deiparæ tribuendum respectu maternitatis; eodem planè modo exponendum erit, quomodò Deipara maternitatem meruerit, quo de alijs quibusvis Deiparæ meritis id necessariò exponitur: & quo passim DD. explicant idoneitatem & aptitudinem Virginis ad eum titulum, ex gratia & meritis Virgine diuinitùs adita comparatis, oriundam. Fuit quippe Virgo maximè idonea, vt posito decreto de Verbi Incarnatione, eligeretur in eam quæ tanti miraculi officina foret; quia meritis omnino eximijs abundauit, & gratiæ cooperata est summa nauitate & diligentia, supra humanam conditionem non roboratam extraordinarijs gratiæ suppetijs. Hæc autem merita, à Christi meritis profluxerunt: vnde B. Virgo profundens ea merita, præsupposuit Christum in prænotione Dei existentem, quippe merentem pro ipsa. Dices quomodo ergo Christus prænoscebatur accepturus suum esse per matrem? Respondent plerique, Christum priùs ratione cognitum esse venturum vi decreti prædefinitiui diuini, quàm per has vel illas determinatas causas creatas, producendus determinaretur: Atque ita in eo priori rationis, intelligi potuisse, profuturum aliquando merita, quibus omnes mortales, & quæ ex eis in eius matrem deligeretur, mereri posset. Vnde Christus provt præcisè vi diuini decreti ac non nisi generatim, & indeterminatè, vel quasi vagè præcognitus existens, est prior matre, & eius meritis; quibus posterior est, provt cognitus quatenus productus de facto, per determinatas causas. Hæc est apud plerosque & nominatim apud Præpositũ 3. p. q. 2. n. 153. & 154. ratio exponendi Christi merita pro matre, & pro antiquis iustis. Essétque potiùs ea ratio ineunda, quàm quæ prolata est, nixa Christi independentijs inauditis, si alteruerã tueri adigeremur.

Quod si prædicta via exponendi verum Christi meritum, pro Patribus & matre, ipsum ex se producendum promerentibus, nimium difficilis videretur; facile esset mollire difficultatem, abrogato merito Christi propriè dicto quoad personas illas; & reuocato ad meram compensationem doni quasi credito anteà dati à Deo; vt saltem de Adami innocentis, & de Angelorum gratia philosophandum est, iuxta ea quæ dicentur infrà, exponendo dignitatem Christi capitis; vbi rursus de his nonnulla. Vsum doctrinæ propositæ, dabo ad calcem sequentis capitis.

CAPVT II.

De causa Christi meritoria secundùm potentiam absolutam.

179. HActenus de eo merito, quo de facto concessum aliquibus est aut negatum, Christi substantiam siue vnionem hypostaticam, eiúsve circumstantias, propriè mereri. Nunc considerandum est, quid contingere potuisset de potentia absoluta, si ita visum Deo fuisset, quoad ea quæ negauimus cecidisse de facto sub meritum, aut cadere potuisse de potentia ordinata. Nam reliqua, constat cadere posse sub meritum de potentia absoluta, cum possint sub illud cadere de potentia ordinata. Negauimus igitur, de potentia ordinata cadere potuisse sub quodcumque omnino Christi meritum, quicquam ad Incarnationem spectans, siue sit substantia eius, siue circumstantiæ: quam etiam omnem materiam subduximus merito condigno puratum creaturarum; ac etiam substantiam, congruo eerumdem merito eximus. Videndum itaque est, an de potentia absoluta, aliquid aliud statui possit respectu obiectorum, quæ & propriè dicto Christi merito, & propriè item accepto merito purarum creaturarum, neganda diximus.

Status controuersiæ de merito Incarnationis secundùm potentiam absolutam. Meritum compensatiuum seponitur.

180. Verùm ante omnia statuendum duco, non esse hîc controuersiam de merito illo improprio quod situm est in compensatione rei antea credito exhibitæ. Duobus enim modis aliquid potest intelligi se habere per modum meriti. Primò per modum causæ moraliter efficientis, quæ est vera meriti notio. Nam vt ratiocina

tiolinatur D.Thomas q.29. de Verit. art.6. meritum est causa præmij; non per modum finalis causæ, (sic enim potiùs præmium est causa metiti,) sed per modum causæ moraliter efficientis; nimirum impellendo agens liberum, vt velit conferre præmium operanti. Secundò laxata vocis notione, dicuntur etiam mereri, ij quibus præmium non obtingit ad modum meritis pro opere priùs natura exhibito, sed ad modum mercis coëmptæ credito; Hoc est, non quidem ex meritis misericordia & liberalitate præmiatis, sed ex iustitia misericordiam præsupponente; & iustè retinente vel compensante quod antea acceperat misericorditer, & ex liberalitate, vt fit in solutione mercis antea concessæ credito. Similéque exemplum esse potest, vel instrumenti quod gratuito commodatur artifici, vt habeat vnde dissoluat nomina priùs apud commodantem cõtracta; vel doni quod gratuito concedatur, vt compensetur per fructus inde exortos: quo exemplo, hoc latè dictum meritum exponit Dur.in 2.d.5.q.3.n.8. Est autem harum discrimen inter duos illos merendi modos. Nam hic secundus, eatenus dumtaxat aliquid merito commune participat, quatenus res sub illum cadens, non retineretur ex pura misericordia eius à quo data est; sed ab eo intuitu futuræ compensationis data, & fine antecede præsenti accepta, ac eatenus ex misericordia; posteà exhibito pretio de quo conuentum erat, retinetur ex iustitia: estque quasi quædam venditio misericors, seu facta absque pretio præsenti, quandoque tamen exhibendo: ac proinde motiuum quo donans inducitur vt velit sic præuenire pretium, non est ipsum pretium, sed benignitas præuenientis; certa tamen id sibi non fore fraudi, ob consecuturam aliquando iustam solutionem.

Ex quo facilè erui potest solutio difficultatis quæ recentiores plurimos plurimum torsit: nimirum cur non possit pro demeritis præconceptis anticipari supplicium; possit verò pro meritis præconceptis anticipari præmium. Deum certè non anticipare delictorum aliquando futurorum pœnas, S.Gregor.27. mor.c.2. docuit statuit, nec non D.Hieron. dialo.3. contra Pelag. & optimè S.August. lib.11. de Genes. ad litteram cap.17. [Numquid (inquit,) Deus priùs vltor, quàm Dæmon peccator? Absit: Neque enim Deus damnat innocentes.] Indéque demonstrat, Dæmonem cum ante admissum reipsa peccatum bonus erat, non debuisse iam tunc subire pœnam, propter peccatum quod Deus ab eo admittendum præuidebat. S. quoque Basil. in Scholijs ad psalmum 104. negat conuenire, vt præscientia præuentionem fundet supplicij. Hoc igitur est extra dubium: sed difficultas est, cur præmium ante exhibitum reipsa meritum anticiparo tradi possit, non item supplicium ante positum reipsa peccatum. Huic difficultati ægrè satisfaciunt, qui propositam doctrinam, & dupicem nunc assignatam meriti notionem, non aduertunt. Iis verò consideratis, nulla est difficultas. Nam Deus à benignitate sua potest excitari ad præueniendum, & tradendum quasi credito, quod postea videt compensandum: non potest autem superexaltante misericordia iudicium, moueri à iustitia vt aliter quàm secundùm præsentem statum inferat iram.

Erui præterea facilè ex dictis potest, cur circa munera gratiæ, modus ille anticipandi & quasi credito ea conferendi, perrarus sit. In eo quippe agendi modo, non est misericordia pura, sed iustitia quoque in eo inuoluitur: propterèque hic merendi modus, in toto gratiæ negotio de potentia ordinaria considerato, præterquàm fortassis in merito Christi pro Angelis & Adamo innocente, & si qui sunt huiusmodi rati euentus de quibus suo loco, indidem exulat, vnde verum meritum; vt patet de prima gratia actuali, & de habituali, quæ sub neutrum hoc meritum hominis cadit. At in altero, siue in modo merendi propriè dicto, cernitur dumtaxat iustitia, quatenus operans exhibet de facto merces, quas is penes quem est præmium, confestim remunerat, repenso præmio: vt sit ibi quasi quædam conductio operæ ex parte præmiantis, & locatio ex parte operantis.

Eo improprio merito, & Christum, & puros homines, Incarnationem meruisse, non repugnauit.

181. Si igitur sermo dumtaxat esset de merito illo compensatiuo quo non attrahitur præmium ad promerentem, sed iam possessum & gratis datum, compensatur ac soluitur; sic non grauatè concederem, & Christum, & puros homines, de potentia absoluta, potuisse mereri saltem de congruo, illud quod haberet rationem principij respectu talis meriti, essétque eo anterius, & idcirco negatur cadere sub meritum propriè dictum de potentia ordinata. Fateor quidem Deum de facto, circa primam gratiam & alia meritorum nostrorum principia, genus hoc compensationis, & improprium meritum non expectare, aut admittere. Ita enim apertè fert nomen *gratiæ*, quod in Scriptura principijs prædictis semper aptatur: cum tamen constet, non fore *gratiæ* nomine appellanda, si emeretur, etiamsi credito. Vnde iure D.Augustinus gratiæ arcanorum scientissimus, negat primam gratiam concedi ob bonum vsum futurum liberi arbitrij. Non negat tamen, quod vnum nunc contendo; nempè quod Deus de potentia absoluta, si libuisset eam concedere ob bonum vsum prædictum: quia quamuis gratia sit essentialiter forma supernaturalis, non est tamen illi essentiale vt detur gratis. Neque id euincitur ex nomine *gratiæ*: alioqui deberet etiam dari nobis gratis respectu Christi, cum tamen omnes gratiæ quas accipimus, ita sint donandæ nomine *gratiæ* respectu nostri, vt respectu Christi, dentur nobis ex iustitia. Itaque est quidem gratia eiusdem speciei cuius esset si purè daretur ex misericordia: tamen respectu Christi, non est donum gratuitum, atque adeò non est nisi materialiter gratia: siue, est eadem entitas quæ alicubi denominatur gratia, at ibi non est sic denominanda. Consentaneè igitur ad proposita principia dico, Christum de potentia absoluta, si ita Deo visum fuisset, potuisse compensare, atque adeò impropriè mereri vnionem suæ humanitatis cum Verbo: quia posset per bonum eius vsum, & per opera interuentu eius dignificata, compensare beneficium quod in illius concessione antecesserit: Vt accidit in exemplis quæ superiùs sunt adducta. In quibus tamen vt seruetur proportio cum re de qua agimus supponendum est, non interuenisse quasi commodatum: sed verè opus est rem fuisse absolutè & simpliciter factam eius cui concessa est. Sicut vnio non potuit non concedi simpliciter Christo, & ita vt eius non esset, cum per eam constituatur: qua de re infrà diligentiùs.

Verum Incarnationis meritum per Christum, de potentia absoluta dari potuisse, qui censuerint.

182. Hoc itaque impropriè dicto merito sepositò, quod attinet ad meritum propriè dictum, an substantia Incarnationis, siue vnio hypostatica possit sub Christi meritum cadere de potentia absoluta, variant sententiæ. Vna affirmat, quam docet Suarez t.13 p.d.10. s.4. & l.2. de prædest. cap.20. à num.19. Ruis disp.6. de prædest. s.2. num.15. & Ægidius disp.8. de actibus supernat. dub.7. Quorum vnicum fundamentum est, quod nulla in eo merito monstrari queat repugnantia. Quamuis enim actiones Christi vnione anteriores, nullæ fuerint, ac ne de potentia quidem absoluta, quantumuis

tumuis Christi humanitas solitaria præextitisset, vllæ esse potuerint quæ præmium vnionis adæquarent: Tamen nihil obstabat, quominus Christus ratione operum vnionem subsequentium, quæ præmium vnionis planè adæquarent, mereretur condignè tale præmium dummodò interposita fuisset Dei promissio, & Christi cum eo de hoc præmio conuentio, quæ de potentia absoluta interponi poterat: sicut etiam interponi pro nobis potuisset respectu primæ gratiæ, si Deus nobis promisisset, se daturum gratiam ad actus aliquos, cum obligatione eos postea eliciendi; nósque diuinitus intimatam huiusmodi promissionem acceptassemus. Accedunt exempla vulgaria, quibus Suarez numquam satisfactum esse contestatur: nempè principis, qui militi arma & equum præberet, cum obligatione vt ea posteà mereatur militando. Miles enim implens conditionem, merebitur condignè ea præmia; quæ tamen fuerint principia operis meritorij quo obtenta sunt à milite. Simile est exemplum eius qui emit vineam, cuius pretium postea numerat ex eius fructibus. Ad hunc ergo modum, hi Autores de Christo quoad condignum meritum vnionis, per opera eam subsequentia, philosophantur.

Vnum est quod opponi posse videtur; nempè his ita se habentibus, fore vt principium meriti cadat sub meritum videlicet vnionem quæ in Christo fons & totius meriti condigni, etiam ius quod ad promerendam vnionem necessarium est, cadere sub meritum quod ipsa principiat, atque adeò esse merito priorem; quippe principium eius; & posteriorem, cum ipsa per meritum obtineatur. Hoc tamen hi Autores non censent incommodum, putántque se propositam contradictionem declinare non incommodè, per distinctionem duplicis status in quo vnionem & Incarnationem considerant. Nimirum spectant eam, primò vt prædestinatam; quo pacto est principium meriti futuri, per Christum eliciendi, nec cadit sub illud meritum quod ipsa est principatura. Secundò vt executioni in tempore mandatum; sub qua ratione potest esse principium meritorum provt actu existentium. Atque ita vnio sine incarnatio, non est principium & effectus seu præmium meritorum Christi, sub eadem ratione.

Contrarium placet, Repugnantia ostenditur.

183. In contrariam sententiam consentire scholam vniuersam, dixit Canisius lib. 2. Mar. cap. 16. Nominatim verò eam tradunt S. Thomas 1. p. q. 23. art. 5. *in corpore*, Medina 3. p. q. 2. art. 11. & ibidem Aluarez disp. 16. Val. 1. 2. d. 8. q. 5. p. 4. Vasquez 1. p. d. 91. cap. 6. & 1. 2. d. 219. cap. 1. & 3. p. d. 21. cap. 5. Torres opusc. 8. de gratia disp. 2. dub. 2. & disp. 3. dub. 4. Herice 1. p. d. 28. cap. 2. Becanus tract. de incar. cap. 14. q. 6. Præpositus 3. p. q. 2. num. 139. mihique omnino placet; Neque est ad eam stabiliendam agmine rationum opus, cum videatur, eam quæ ducitur ex natura meriti & præmij, esse ineluctabilem. Sic igitur argumentor. Meritum habet rationem medij ad præmium tamquam ad finem, éstque id intrinsecum naturæ meriti. Atqui medium præcedit necessariò acquisitionem finis, ita vt in præuisione ordinantis finem & media, præcedant media. Ergo necesse similiter est, vt saltem in prænotione præmiantis, priùs cognoscatur existere meritum quàm præmium: atque adeò impossibile est, meritum subsequi illudmet præmium cuius est præmium & existere post illud, siue effici per illud. Sic enim medium, siue meritum quod daretur ad habendum præmium, daretur propter præmium præhabitum, quod manifestissimè est impossibile. Non igitur fieri potuit, vt vnio hypostatica quæ respectu Christi principiat omnia merita, atque adeò teneret se ex parte mediorum, simul teneret se ex parte finis, haberétque rationem præmij, adipiscendi per illud ipsum quod supponendum est iam adeptum. Confirmatur, quia meritum pollet vi quadam morali attractrice præmij. Nulla autem ratione fieri potest, vt idem seipsum attrahat. Ergo impossibile est, vt idem sit meritum sui ipsius: atque adeò etiam impossibile est, vt idem sit meritum sui principij, à quo habet vim merendi: quia quod est causa causæ, est etiam causa causati. Vicissim verò præmium, est id ad quod & meritum & meriti principium ordinatur. Si igitur præmium esset idem cũ merito aut meriti principio; idem esset, ad hoc vt idem ipsum esset; & idem ad se referretur vt ad finem; contingéretque vt intra eundem causalitatis modum, & eumdem executionis ordinem, idem esset prius & posterius. Nam præmium esset prius, quatenus principium effectiuum; (tale quippe est medium:) & esset posterius, quatenus per tale medium, hoc est per seipsum causaretur. Quare vnio hypostatica, quæ est principium totius meriti cõdigni quod Christo potuit obtingere, nulla ratione potuit sub meritum Christi condignum cadere.

Effugium primum, præcluditur.

184. Non declinant hanc contradictionem aduersarij, per diuersas illas eiusdem vnionis considerationes, quas ab eis proponi diximus: nempè vt prædestinatæ, & vt mandatæ executioni; vel provt conceptæ, & provt exercitæ: quasi liceat affirmare, vnionem vt prædestinatam, principiare merita futura: provt existentem verò, principiari à meritis existentibus. Vel quasi dicere liceat, vnionem vt præuisam quandoque obtinendam, antecedere merita: provt obtentam verò, ea subsequi, & posteriorem meritis esse. Non inquam sic declinatur contradictio. Nam merita, à sola vnione exercita & obtenta, principiantur: non autem ab vnione tantùm præconcepta vt obtinenda, vel prædestinata. Oporteret igitur aduersarios monstrare, quomodò in ipsorum sententia, idem respectu eiusdem, non simul cognoscatur vt præexistens, & vt non præexistens. Vnio enim necessariò intelligitur præexistens & præhabita, quatenus causat meritum. Cognoscitur autem vt non præexistens, neque præhabita, si obuentura est per meritum, quod ad eius consecutionem deducat operarium, & ad concessionem moueat præmiantem. Habet sanè locum suum distinctio illa duplicis ordinis, nempè & intentionis & executionis, cum de medio & fine agitur. Ita tamen vt finis qui ad ordinem intentionis pertinet, non sit nisi finis, cui satis est præconcipi absque existentia exercita; neque induat rationem medij, quod necesse est præexistere, vt possit munus medij obire. At vides, aduersarios id non seruare. Cauendum item est, ne pro duplici ordine proposito, duplex agentis motiuum comminiscamur. Debet enim vnum & idem esse motiuum, quo agens intendit assumere media, & quo illa vsurpans, peruenit per ea ad finem intentum: alioqui ordo executionis, inferret nouum ordinem intentionis. Et hic quoque peccant aduersarij. Nam incarnationem, siue vnionem prædestinatam & conceptam, non statuunt pro fine obtinendo per merita proditura ex ea sic spectata: sed id tribuunt incarnationi exercitæ & executioni mandatæ, quam dicunt, posse per Christi actus, vt per causam meritoriam, obtineri. Cùm ergo iuxta aduersarios, incarnatio prædestinata & incarnatio exercita, non subsit eidem merito tamquam vnus & idem finis medio per quod obtinetur; liquere videtur, eos diuersum finem pro duplici ordine proposito comminisci; & affirmare alium finem intendi cum vnio prædestinatur, alium cum executioni mandatur. Quare argumentum à nobis propositum ex prioritate simúlque posterioritate eiusdem formæ respectu eiusdem, perstat inconcussum, nec eluditur ea aduersariorũ responsione.

Alterum

Alterum quoque effugium, intutum.

185. Multò verò apertius est, inidoneam quoque & insufficientem planè esse responsionem, quam præterea adhibet Ægidius supra num. 121. dicens, etiamsi concederetur totale meriti principium non posse cadere sub meritum, tamen quod est dumtaxat partiale principium meriti, posse sub illud cadere. Incarnationem autem, non fore nisi principium partiale meritorum Christi, quibus eam mereretur. Additque n. 122. etiamsi media quæ debent physicè causare finē suum, necessariò præexistant acquisitioni finis: tamen ea media quæ finem non causant nisi moraliter, (cuiusmodi sunt merita, quibus monetur aliena voluntas vt finem conferre velit;) non præexistere necessariò, sed sufficere si priùs existant obiectiuè, quod satis est vt possint monere alterius voluntatem ad rependendam mercedem. Cùm ergo merita quæ Christus de potentia absoluta posset elicere, nó essent causatura physicè vnionem, sed moraliter tantùm; omnino videntur habitura sufficientem rationem mediorum ad illam obtinendam, etiamsi eidem non præexisterent nisi in præmiantis præconceptione. Adde quod ipsa donatio mercedis, ex parte remunerantis, habet se per modum medij, respectu meritorum quæ remunerator cupit obtinere internentu mercedis, vt aduersarius n. 113. ostenderat. Atque ita nihil vetabit, donationem vnionis, præcedere merita tamquam medium ad ea.

Hanc argumenti propositi declinationem, aio multo insufficientiorem esse priore hactenus reiecta. Nam siné meriti principium sit totale, siue partiale, vrget semper idem incommodum; quia prioritas simul & posterioritas eiusdem formæ, non repugnat ex eo quod forma sit totalis; sed ex eo præcisè quod sit forma, nec idem possit simul & respectu eiusdem, esse prius & posterius: quod æquè implicat circa formam partialem, ac circa totalem. Insuper verò quæram; quodnam sit alterum meriti principium partiale in re præsenti. Haud dubiè dicent esse voluntatem Christi humanam, quæ adiuncta vnioni & auxilijs gratiæ ab ea profusis, principiaret meritum. Quidni ergo, quo iure vnio & auxilia admittuntur posse esse posteriora simul & priora meritis inde oriundis, eodem quoque dicatur, voluntatem creatam quæ est partiale meriti eam principium, posse cadere sub meritū ab ea oriundum? Atque ita principium totale meriti, posset in re nostra, cadere sub meritum ab eo dimanans. Altera item pars responsionis, æquè infirma est. Nā siue mediam causet per efficientiam physicam, siue per moralem; tamen eo ipso quod medium est, & ad causam efficientem reducitur, nec pertinet ad ordinem intentionis, non sufficit illud præconcipi absque existentia exercita, sed omnino debet præintelligi habens esse finum verum ac physicum, pro eo tempore pro quo intelligitur causare ad modum medij: nec potest fingi non præhabere existentiam respectu eius ad cuius assecutionem causat, non intentionaliter & ad modum finis, sed causatione reali, ad genus efficientis reductiuè pertinente. Est enim patens discrimen inter causationem finis & medij. Nam finis ex sua causandi ratione, debet non existere: imo idcirco causat, & attrahit pellicitque causam efficientem, vt communicetur ipsi fini existentia. At medium ita terminat voluntatem causæ efficientis liberæ, vt necessariò debeat præintelligi habens esse, saltem pro eo tempore, pro quo præconcipitur fungi munere medij. Vnde tametsi non est necesse, causam meritoriam quæ reuera habet rationem medij ad præmium, tunc de facto actualiter esse cum monet agens ad decernendum ei præmium; tamen necesse est, vt intellectus agentis, priùs feratur in existentiam causæ meritoriæ, quàm in præmij collationem, eiúsve decretum. Sic Deus, ex præuisione meritorum, decernit præmia longè antequàm reipsa ponantur merita: sed satis est, quod ea quandoque ponenda præconcipiat: & ex eorum sic præconceptorum determinatè sibi obiecta existentia pro tali differentia temporis, feratur ad decernendum illis præmiū, reponendum in temporis articulo subiungendo ei differentiæ temporis, in qua meritum fuerit. Et ratio vno verbo est, quàm præmisi; nempè quod causa meritoria non mouet vt ipsa fit, sed vt propter ipsam iam existentem, & saltem in præconceptione agentis præhabentem esse, alia producantur. Igitur cum Christi merita, in re præsenti, habeant se vt media respectu vnionis; impossibile est, vt ei non præintelligantur; & vt non concipiantur existentiam possidere ante vnionem. Quomodò ergo possent simul intelligi, vendicare ab ea esse, quod præhabere intelliguntur, & acquirere quod iam possident?

186. Inane verò est, nec cadit in rem nostram, quod præterea addebat aduersarius, de donatione mercedis habente rationem medij respectu præmiantis, qui per donationem mercedis, nititur ad media peruenire. Vt videre est in Rege, qui militibus strenuè pugnantibus, promittit certos honores, qui respectu militis habent rationem finis, ad quem per pugnam strenuam est deuenturus: Respectu verò Regis, illi honores, habent rationem mediorum, & pugna strenua rationem finis immediati. Hoc dico non satisfacere, nec posse ad rem nostram accommodari. Inprimis, quia quod habet rationem medij respectu Regis præmiantis, non est reuera mercedis donatio, seu collatio honorum, quæ planè subsequitur exhibitionem meritorum; hoc est pugnæ strenuæ. Sed quod in eo euentu habet rationem medij, est propositio ac veluti ostentatio honorum, ei rependendorum, qui operam in pugna generosè nauauerit. Ea verò ostentatio & propositio mercedis, omnino præexistit meritis, quibus ad honores est aspirandum, ac pertingendum. Oporteret ergo similiter, media quibus Christus condignè pertingeret ad vnionē, præexistere vnioni: quod constat dici non posse, cum suum esse, ab vnione & vnionis fructibus accipere supponantur, imo esse ipsismet fructus. Deinde argumentum considerat quæ se habent ex parte Dei vnionem rependentis, quidve in ea comparatione prius sit, quid posterius: (quò tamen aduersarius auocat difficultatem:) sed argumentum, vrget rem ex parte operarij promerentis, quem omnino necesse est præcognosci exhibentem merita, atque adeò existentem, priusquàm præmium recipiat. Quomodò ergo priùs videri potest habens præmium, & per illud profundens actus, quibus tamquam medijs finem intentum assequatur? Cùm itaque vnio in re præsenti sit præmium, siue res obtinenda per merita, impossibile est, merita quibus obtinenda est, atque adeò etiam illorum meritorum principia, intelligi acquirere existentiam per merita; sicque posteriùs natura habere esse, quàm illud cui in genere causæ efficientis, hoc est in ratione mediorum, contulerint existentiam.

Concluditur, rectè monstratam repugnantiam; vanæ declinationes hostilium telorum, reiectæ.

187. Ostensa ergo est repugnantia, quam aduersarij negabant interuenire, in eo quòd Christus de potentia absoluta mereretur vnionem suæ humanitatis, per opera subsequentia vnionem: nam oportuisset, ea opera, (quippe merita & media,) præintelligi existentia ante vnionem & tamen eam subsequi, quandoquidem ab ea accipiunt esse, & vim ac rationem meritorum ac mediorum.

Exempla verò vulgaria quæ aduersarij pro se adducebant,

cebant, incommodè extricantur à nonnullis eorum qui in noſtra ſunt ſententia. Nã Vaſquez 1.p.diſp.91. c.6.*in fine*, ait, in priore exemplo, equum & arma tribui vt præmium, non actionibus equitis quas principiarunt, ſed eius dexteritati ac ſtrenuitati, quæ eſt independens ab equo & armis. In poſteriore autem exemplo, ait, fructus non eſſe meritum vineæ priùs traditæ, ſed pretium; quod admittit poſſe eſſe poſterius merce, & ab ea pendere tamquam effectum, & in hoc differre à merito. Nam pretium, qua tale, nõ eſt natura priùs merce, cuius pretiũ dicitur cum viciſſim merces poſſit dici pretium nummi qui exhibetur in pretiũ, eò quòd in emptione & venditione ſit quædã permutatio vnius cum alio, quorum vnumquodque comparatione alterius habet rationem pretij, atque adeò pariformiter & exæquo inter ſe comparantur, nec vnum eſt altero natura prius aut poſterius; contra quàm accidit in merito & præmio. Nam meritum eſt ſuapte natura prius præmio, quia ordinem cauſæ ad illud habet. Hanc exẽplorum illorum dilutionem, aduerſarij facilè repellent. Verè enim equus non datur militi ob dexteritatẽ vel induſtriam, quæ niſi bonos actus pareret, non compenſaretur, ſed probro potiùs eſſet. Datur ergo æquus militi ob ſtrenuam pugnam, eáſque actiones quarum æquus eſt partiale principium. Similiter negabunt aduerſarij, quod vniuerſaliter ait Vaſques, pretium non poſtulare præexiſtere merci. Id enim contendent falſum eſſe, dicéntque pretium eſſe ante mercedem, ſaltem in præuiſione & expectatione vendentis.

Abſurdiùs etiam Aluarez 3.p.d.16.ad 2. vt primum exemplum extricet, negat actiones quibus miles in pugna præmium meretur, prodire efficienter ab æquo & armis. Itaque ait mirum non eſſe, ſi æquus & arma poſſint dari in præmium ſtrenuæ pugnæ quam non principiarunt. At quis nõ videt, & æquum & arma influere ſaltem partialiter in actiones illas quibus præmium rependitur? puta in accurſum ad hoſtem, eiúſque percuſſionem & confeſſionem. Nec deſunt exempla alia, in quibus locus non eſt effugio propoſito: eò quòd tota meriti ratio, & adæquatum principium effectiuũ operis meritorij, ſit res conceſſa in præmium illius operis. Vt ſi medicus, ſumptibus ſuis multis ac magnis ægrum aliquem reſtituat ſanitati, qua ille adepta vtatur ad refundendos medico ſumptus, impigrè laborans in eius gratiam. Tunc enim ſanitas, eſt præmium laborum hominis ad ſanitatem reſtituti; eadémque fuit laborum illorum totale principium. Idem contingeret, ſi quis conſtitueretur in munere, cuius exercitio præuideretur promeriturus illudmet officium ceu munus.

Declinationes idoneæ.

188. Quare dicendum eſt cum Durando in 2. d.5. q.3. n.8. equum & arma duobus modis poſſe à largitore præberi. Poteſt enim primò contingere, vt abſolutè & ſimpliciter donentur ante pugnã: & tunc dicendum eſt, pugnam ſtrenuam non eſſe equi & armorum meritoriam, quia nullus meretur quod ſuum eſt: cum potiùs meriti ſit, efficere vt aliquid ei debeatur, eiúſque fiat; quod antea nec illi debebatur, nec eius erat: tunc itaque pugnam eſſe compenſationem gratam beneficij priùs collati. Poteſt ſecundò contingere, equum & arma ante pugnam non dari gratuito & ſimpliciter, ſed ex pacto oneroſo militandi: & tunc dicendum, eſt pugnam quidem eſſe meritoriam equi & armorum, quæ priùs non eſſent militis, ſed eſſent quaſi commodato accepta, vt per opera interuentu equi & armorum elicita, equum ſibi & arma cõpararet, & ſua faceret. Idem proportione ſeruata dicendum eſt, ad exemplum de vinea data vt per fructus ex eius cultura prouenientes compenſetur. At ſupponimus, vnionem hypoſtaticam non eſſe quaſi cõmodato dandam Chriſto, de potentia abſoluta, ſic enim non eſſet eius, quam tamen conſtat non poſſe nõ eſſe eius, cum ſi aliquid Chriſto eſſentiale, & ſpectans ad eius conſtitutionem. Exempla ergo propoſita quæ aduerſarij cenſent inexpedibilia, cõmodiſſimè expediuntur ad modum prædictum. Nec incommodè per ea exempla ſi cum debita proportione huc aptentur, exponi poteſt, quid vnũ poſſet Chriſtus condignè præſtare circa vnionem hypoſtaticam de potentia abſoluta. Nempe quemadmodum miles equo & armis & vinea ſimpliciter donatis poteſt benè vti, eáq; adhibere ad gratam beneficij liberaliter impenſi recognitionẽ: ita Chriſtus circa beneficiũ hoc diuinũ erga ſe præſtitum, poſſet gratitudinem ſuam teſtari, vtendo vnione quæ commodato dari non poteſt, ſed tantùm poteſt ſimpliciter donari; cum neceſſariò fiat proptia eius cui confertur, quippe quæ eum conſtituat.

189. Non incõmodè quoque dici poteſt, equum & arma eſſe causã ſaltem inadæquatã, meriti quod à pugnante elicitur per bonũ equi & armorum vſum. Viciſſim autẽ tunc bonum vſum nõ eſſe cauſam entitatis equi, & virtutis eius cauſatiuæ meritorum; nec non entitatis armorum, ac virtutis ijſdem conſertæ: ſed tantùm eſſe cauſam motiuam & excitatiuam Principis, ad tranſlationẽ Dominij equi vel armorũ. Sicut ratio motiua qua venditor vrgetur ad vendendum agrum, & transferendũ eius Dominium, eſt pretij ſolutio. Quòd de equo dictum, æquè dici poteſt de prolato exemplo vineæ, quæ eſt ſuo modo cauſa pretij quo emitur: ipsũ tamen pretium, non eſt verè cauſa vineæ, ſed tantùm eſt cauſa tranſlationis Dominij vineæ. Itaque principium meriti, id eſt vinea, & equus, vel armatura, nõ cadit ſub meritum; ſed aliquid à vinea, equo, & armatura diuerſum; nempè tranſlatio dominij eorum. Quare non obſtantibus tricis quas exempla propoſita in hanc rem ingerunt. Fixum eſto, Chriſtum nullo merito proprè dicto, ac ne congruo quidem; (nam pro eo quoque vrget ratio propoſita) potuiſſe vnionem hypoſtaticam promereri, etiam de potentia abſoluta.

Meritum vnionis, per actus à ſolu creatis donis manantes, Chriſto impoſſibile.

190. Erit qui dicat, poſſe à Chriſto proſluere actiones aliquas, quæ tantùm dignificẽtur à donis Chriſti creatis: & eas quà tales, tametſi inæquales vnioni, poſſe eſſe (ſaltem de potentia abſoluta,) meritum congruum reſpectu eius; eò quòd nullo modo ab vnione penderent. Sicut Angeli in primo momẽto ſui eſſe, fuerunt ſancti, & tamen quia eorum ſanctitas non influxit in operationes quibus tunc liberè ſe diſpoſuerunt ad gratiam; quin potiùs eis poſterior natura fuit, quippe parta per eas; opera quibus gratiam ſanctificantẽ promeruerunt per actus à ſolis gratiæ auxilijs & voluntate manantes, non fuerunt meritoria ſanctitatis, niſi de congruo. Similitérque peccator, per cõtritionem qua iuſtificatur, non meretur niſi de congruo primam gratiam: quia quamuis actus ille gratiam ſecum in animam conuehat eodem temporis momento; tamen cõtritio non pendet à ſanctitate, poſteriùs natura ſubſequente. Vnde quia vt ſic, non eſt actio hominis iuſti & digni, non meretur condignè primam ſanctitatem. Si igitur aliquid tale in Chriſto intelligamus; id eſt, ſi conſideremus aliquas Chriſti actiones, interuentu dumtaxat auxiliorum, aut per dona gratiæ accidentatia, elicitas ab eius humanitate priùs natura quàm terminetur per ſubſiſtentiam Verbi, (quod non videtur negandum quin de potentia abſoluta fieri poſſit:) habebimus aliquas Chriſti actiones, quæ quamuis ob improportionem & inæqualitatem cum vnione, non ſint ſuffectiuæ ad meritum eius condignum, ſufficere tamen poſſent ad meritum congruum.

Ad hanc difficultatem, reſpondendum eſt, negando, poſſe à Chriſto, etiam de potentia abſoluta, elici actiones vllas, quæ ſimul quidem tempore ſint cum vnione, ſint

sint tamen naturâ priores. Neque enim intelligi potest causalitas vlla talium actionum in vnionem, fundans prioritatem illam naturæ, nisi meritoria. Atqui ea quoque causalitas, remouenda est. Nam supponit præexistentiam huiusmodi actionum ad vnionem; quæ tamen præexistentia est impossibilis: quia cum subsistentia sit intimus naturæ terminus, aduenit prius natura quàm quæcumque formæ accidentariæ simul tempore aduenientes; quia priùs est esse completè, quàm operari. Nec influxus, aut quasi influxus subsistentiæ, simul tempore afficientis naturam, est impedibilis, etiam diuinitùs. Nam influxus ille, vltra substantialem naturæ terminationem, cuius operationi præuiam, eáque anteriorem natura, ratione substantiæ quam complet, & cum qua vnum completè facit; continetur dignificatione morali operum elicitorum à natura substantiali, quam vltimò complet. Atqui ea dignificatio non potest diuinitus impediri, vel suspendi, quia confertur à diuina subsistentia, & ab vnione, per modum formæ: in vt eo ipso quod actiones prodeunt à natura tali supposito terminata, non possint non tedolere illius suppositi fragrantiam. Effectus autem formales, si forma ponatur, ne diuinitùs quidem inhiberi, aut suspendi possunt. Quare falsum est, dari potuisse in primo Christi momento, actiones aliquas à solis donis Christi accidentarijs pendentes, quibus congruum vnionis meritum posset implantari.

Ne Circumstantiarum quidem meritum, Christo possibile.

191. Nihil circa obiecta meriti quod Christo de potentia ordinaria negauimus, expendendum restat, an possit Christi meritis de potentia absoluta obijci, præter circumstantias Incarnationis, siue effectionis vnionis. Sed eas quoque, dicendum est, nulla ratione potuisse cadere sub Christi meritum vllum; qui ad omne Christi meritum debent præintelligi positæ & iam existentes: quomodo ergo meritum Christi ad eas tendere potuit, vt ponantur in rerum natura, quod est meriti proprium, & ratio eius? Habet verò etiam hîc locum, argumentatio superiùs formata. Nempè quod actiones Christi, quibus circumstantias Incarnationis sue mereretur; vel essent priores vnione, vel posteriores. Priores tempore esse non possent, quia sic non essent actiones Christi. Neque enim agimus de actionibus quas Christi humanitas nuda & sine supposito, per anteriorem aliquâ durationem producta, posset elicere: sed agimus de actionibus Christi; quæ vox, sonat naturam diuina suppositalitate terminatam, qualis non erat Christi humanitas, ante productam vnionem. Non possent item illæ Christi actiones esse priores natura vnione, quia Christus (vt sæpè dictum est) non potest spectari, vt operans priùs natura quàm subsistat: quia subsistentia pertinet ad complementum existentiæ. Posito ergo quod existentiam terminet, intimior ei est quauis operatione, tametsi non causata physicè per subsistentiam. Ostendendum itaque esset, dari in-finitum aliquem quarumdem Christi actionũ in vnionem, quo dato intelligere possimus prioritatem illam naturæ in qua fundandum est meritũ congruũ talium actionũ in vnionem. Nã idcirco finguntur mereri posse, quia sunt priores natura. Cum ergo nulla talis naturæ prioritas detur ex parte actionum; nec simultas naturæ admitti possit; quia omnes actiones naturæ per aliquam subsistentiam de facto terminatæ, principiantur moraliter à subsistentia illa, sintque ea posteriores, eodem titulo quo sunt posteriores ipsa subsistentia cum qua terminus vltimus connecti intelligitur ante omnem operationem; manifestè sequitur, nullam de quacumque potentia posse admitti Christi meritum, respectu circumstantiarum Incarnationis, per actiones natura dumtaxat anteriores. Et idem multo clarius est, de actionibus vnionem subsequentibus: quia nemo mereri propriè potest, quod iam habet. At circumstantiæ Incarnationis, eo ipso quod Christus supponitur iã operatus, antecesserunt, nec possunt intelligi non antecessisse. Quomodò enim præintelligeremus Christi operationes, nisi præintellectis omnibus Christi adiunctis; quippe sine quibus exerceri nequit operatio? Nec plura de illo Christi merito respectu vnionis, ac circumstantiarum effectionis eius, quod de potentia absoluta elici posset.

Quale & vnionis & circumstantiarum meritum, puris creaturis possibile absolutè.

192. Iam verò spectando meritum quod puris creaturis circa eadem obiecta concedi potest de potentia absoluta; meritum quidem condignum, est procul ablegandum, quoad vnionem ipsam. Nam si gratia qua puræ creaturæ condignè mererentur vnionem, penderet ab vnione; recurrerent omnia argumenta facta ad negandum Christo huiusmodi meritum vnionis, etiam de potentia absoluta. Si autem ea gratia quæ esset proximum principium meriti purarum creaturarum, nullomodo penderet ab vnione, (vt sanè de absoluta potentia, conferri potuisset inde planè independens) ne tamen actiones inde manantes possent esse condignum vnionis meritum, obstaret inæqualitas. Hæc porrò ratio adhiberi æquè potest ad diiudicandum an meritum congruum de potentia absoluta tribui puris hominibus possit respectu vnionis. Nam si opera purorum hominum supponantur pendere ab vnione, vt à talis meriti principio, impossibile erit, etiam vi diuina, talibus operibus conferri meritũ congruum vnionis: quia sic principium meriti caderet sub meritum, quod impossibile esse vidimus. Si autem supponeremus, data puris hominibus aliqua gratiæ dona independenter ab vnione; (sanè fieri potuisset, si ita Deo visum esset;) nihil esset quod obstaret, quominus puri homines, per opera prædicta possent vnionem congruè mereri.

Quoad circumstantias verò, non est dubium, quin possent sub congruum puri hominis meritum cadere, si principium merendi datum illi fuisset independenter à Christo. Supposita autem dependentia totius meriti purorum hominum à Christo, dicendum est, iuxta doctrinam supra traditam de circumstantiarum merito quoad potentiam ordinariam, non modò nihil vetuisse dari earum meritum congruum, sed ne condignum quidem. Nam congruum meritum huiusmodi circumstantiarum admisimus datum de facto esse in nonnullis. Nulla ergo supereſt dubitatio, an fuerit de potentia absoluta possibile. Meritum itaque circumstantiarum vnionis, quod reipsa non fuit nisi congruum, potuisse de potentia absoluta esse condignum, inde ostenditur; quod idcirco tantùm circumstantiæ illæ non ceciderint de facto sub meritum condignum purarum creaturarum, quia sunt præmium veluti extraneum operibus meritoriis purorum hominum. Spectant enim ad eumdem ordinem cum vnione cuius sunt adiuncta & accidentia. Hæc tamen ratio non potuit obstare, quominus Deus, si ita visum fuisset, posset cum puris creaturis pascisci de talibus circumstantijs, & ad eas promerendas acceptare illorum opera, quæ quamuis meritoria per vnionem, non essent tamen meritoria per circumstantias vnionis: vnde principium meriti sub meritum non caderet. Quare admitto, de potentia absoluta dari potuisse meritum condignum circumstantiarum Incarnationis, quas puri homines non nisi de congruo reipsa meruerunt.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

193. Cogamus in pauca doctrinam huius capitis. De facto neque Christus, neque pura vlla creatura, Incarnationis substantiam, siue humanitatis Christi cum Verbo vnionem, quomodolibet meruit. Tantùm nonnullæ eius circumstantiæ, sub purorum quorumdam hominum meritum congruum ceciderunt. Ac ne id quidem meritum, multóque minùs condignum, de potentia eorum absoluta, dari potuit quoad vnionem, per opera ex auxilijs, eius interuentu concessis elicita; siue à Christo, siue ab alijs. Circumstantiarum tamen meritum condignum, puris creaturis (non item Christo,) de potentia absoluta concedi potuit.

Vsus doctrinæ hoc & præcedenti capite propositæ esse debet, grata expensio verborum illorum Apostoli, de Christi productione & aduentu agentis. *Apparuit gratia & benignitas Dei Saluatoris nostri, qui non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed* permotus sola sua benignitate, & ea bona voluntate quam nato Christo celebrarunt Angeli, remedium malis nostris ab æterno præparatum, lubens exhibuit in tempore. Hac enim in re, apparuisse Dei gratiam puram ac meram, demonstrant quæ dicta sunt de exclusione cuiuslibet causæ meritoriæ, promerentis Incarnationem Verbi Dei, & aduentum Christi. Plenè hoc argumentum versabimus lib. 5. tractantes quare Christus dictus sit *gratia & misericordia Dei.*

CAPVT III.

De causa physicè Christi effectrice, quoad configurationem corporis; & partium humanitatis inter seipsos consertionem.

A Morali Christi efficientia, transeo ad physicam, quam constat spectandum hic non esse, nisi primò, penes configurationem corporis Christi, eique adiunctam animæ cum corpore consertionem naturalem. Secundò, penes totius humanitatis sic formatæ, colligationem cum Verbo. Creatio enim animæ Christi, & productio materiæ primæ, quæ cum configuratione notionem corporis humani integrat, nullam ingerit specialem circa Christum difficultatē. In duobus verò quæ proposui, multa sunt discussione & examine dignissima. Præter ea porrò quæ spectant ad illorum capitum quasi substantiam, cōsideranda quoque erunt, quæ pertinent ad eorumdem capitum circumstantias, quas post tractata quæ ad substantiam pertinent, simul discutiam; quia eadem fuerunt pro vtroque capite; id est, & pro humanitatis Christi productione, secundùm substantiam naturali, & pro eiusdem humanitatis copulatione cum Verbo.

Status controuersiæ de causa physicè Christi effectiua, quoad esse naturale.

194. In primo capite gravis difficultas est, quæ fuerit physica causa vnionis partium humanitatis Christi inter seipsas, & configurationis materiæ Christi in eam accidentariam dispositionem, quæ supra materiam importatur voce *corporis*. Quamuis enim quoad puros homines, communior sententia ferat, ista omnia effici per vim formatricem, insidentem semini subministrato per vtrumque parentem; saltémque per patrem; Tamen hîc nullum tale principium siue conformationis corporeæ siue vnionis animæ cum corpore agnoscere posse videmur sine iniuria intemerati pudoris Deiparæ nullo quantumlibet tenui libidinis afflatu vmquam fœdatæ. Nam decisio seminis & deductio ad locum proli efformandæ destinatum, talem aliquam pudoris commaculationem inferre, necessario videtur.

Vt hæc difficultas radicitùs eruatur, & solidè possit proponi resolutio, statuendum ante omnia est, quomodò & per quam effectricem causam peragatur efformatio corporis humani, & vnio eius cum anima, in communibus & ordinarijs generationibus. Indubitatum itaque apud omnes est, efficientiam illam in quotidianis hominum procreationibus, præcipuè esse tribuendum paterno semini, quod actuosius est ac efficacius. An tamen soli, controuersia est: nam Aristoteles omnem vim prædicta præstandi effectiuè, soli paterno semini assignat, ratus maternum semen, (si quod est,) adeò inefficax & debile esse, vt non nisi passiuè concurrat; quatenus ex eo semine sanguini permisto efformantur præcipuæ quædam corporis partes, nulla interueniente talis seminis actiuitate. Alij vtriusque parentis semen interuenire, & actiuè se habere contendunt, quamuis vegetiorem & potentiorem actiuitatem semini paterno non negent: quæ est nunc communissima, non Medicorum modò, sed & Philosophorum sententia, pro qua latè pugnat Hurtadius disp. 2. de gener. Denique alij, mediam viam iniuerunt, contendentes neque semper maternum semen actiuè concurrere, neque semper se habere passiuè tantùm; sed interdum vno, interdum alio modo concurrere. Quandoque enim efformari potest fœtus absque actiuitate seminis materni: ob peculiares causas inefficacis & languidi; quia tanta interuenit copia seminis virilis valdè efficacis, vt sola sufficiat ad exhibendam totam efficientiam procreando fœtui necessariam. Est in ea sententia Suarez t. 2. 3. p. d. 10. sect. 2. qui ibidem sect. 1. (reclamantibus tamen Medicis, & cum eis Hurtadio disp. 2. de gener. §. 68.) tradiderat, posse interdum tantam esse vbertatem seminis à patre subministrati, vt maternum semen ne materialiter quidem & passiuè concurrat, sed fœtus ex illo multo & copioso semine paterno elaboretur, matre necessarium sanguinem ad fœtus molitionem subministrante. Mihi sententia quæ maternum semen actiuè concurrere agnoscit, omnino probatur, quia explorata est iudicio Medicorū. Quod si aliquando ob peculiarem alicuius matris indispositionem, semen eius non concurrit effectiuè, tamen non est cur saltem passiuus concursus ei negetur ad efformationem partium spermaticarum. Nec dubium videtur, quin mater quæ interuentu seminis concurrit actiuè ad generationem prolis, perfectiùs sit mater quàm alia quæ tolam prolis materiam suppeditat; siue ex nudo sanguine, siue ex sanguine simul & semine incocto ac inefficaci.

Non fuit vis actiua Patris cuiusquam creati, qui prorsus Christo defuit.

195. His ita constitutis, certum est ex fide, in Christi productione nullum virile semen interuenisse. Innumeris & Scripturis & Patrum testimonijs, aduersus omnis generis aduersarios, id confirmat Canisius l. 1. Mar. à cap. 4. ad 9. Ex Scriptura, vulgatissimus locus est Genes. 3. vbi Christus serpentem contriturus, vocatur *semē mulieris*, quia ex sola muliere absque viro erat proditurus. Passim etiam vrgetur locus ex Psal. 131. quo Christus *fructus ventris Dauidis* prænunciatur: quē locum pulchrè ita in hanc rem tractat Tertull. lib. 3. contra Marcio. cap. 20. [Iurauit inquit in Psalmo ad Dauid *ex fructu ventris tui collocabo super thronum tuum.* Quis iste venter est? Ipsius Dauid? Vtique non. Neque enim pariturus esset Dauid; sed nec vxoris eius non enim dixisset, *ex fructu ventris tui*, sed potiùs, *ex fructu uēris vxoris tuæ.* Ipsius ergo dicendo ventrem, superest, vt aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit. Idcóque & *fructum ventris* tantùm nominauit, vt propriè ventris, quasi solius ventris, non etiam viri: & ipsum

sum ventrem ad Dauid redegit, ad principem generis, & familiæ patrem : nam quia viro deputare non potest Virginis, eum ventrem, patri deputauit.] Optimè item S.Irenæus lib.3.cap.27.

Scripturæ à Patribus ad eam rem accommodatæ.

196. Varij item Patres, varias Scripturas huc accommodant, quibus typicè purissimum hunc Christi conceptum volunt expressum. S.Bernardus serm.2. de aduentu, huc accommodat illud Cantic. *ego flos campi*, quod sic glossit. [Manifestum iam arbitror quænam sit virga de radice Iesse procedens, quis verò flos super quem requieuit Spiritus sanctus. Quoniam *virgo Dei genetrix virga est, flos filius eius.* Flos itaque Filius Virginis, flos candidus & rubicundus, electus ex millibus, Flos in quem prospicere desiderant Angeli, flos ad cuius odorem reuiniscunt mortui : & sicut ipse testatur, flos campi est, & non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, nó defossus sarculo, nó impinguatus fimo. Sic omnino, sic Virginis aluus floruit, sic inuiolata, integra, & casta Mariæ viscera, tamquam pascua æterni viroris, florem protulere cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat.] Diffusiùs ibi similia habet Philippus Abbas l.2.in Cant.c.18.

In hanc sententiam, accipe alia ex S.Hieronymo in Epitaphio Lucinij Bætici, *initio*. Docet enim ad mortis per Christum euersionè pertinere, locum Oseæ 13. *Adducet ventem ventum Dominus de deserto ascendẽtem, qui siccabit omnes venas eius, & desolabit fontẽ illius.* Exiuit enim virga de radice Iesse & flos de virginali semine pullulauit : Qui loquitur in Cantico Canticorum : *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Flos noster, mortis interitus : ideoque & mortuus est, vt mors illius morteretur. Quod autem de deserto dicitur addoctendus, virginalis vtetus demonstratur, qui absque coitu & semine viri, Deum nobis fudit infantem : qui calore Spiritus sancti exsiccaret fontes libidinum, & doceret in Psalmo : *In terra deserta, & in via, & inaquosa, ut sancto apparus tibi.*]

Rursus S.Bernardus hom.2.super missus est, accommodat in hanc sententiam illud Num.24. *Orietur stella ex Iacob*, quod tribuit Virgini. [Ipsa namque (inquit, aptissimè sideri comparatur : quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spatiosum necessariò fabricata, micans meritis, illustrans exẽplis.]

197. S.Ephrem huc refert templi ædificationem absque malleo & securi. Ita enim habet tract. de Margar, pretiosa *sub finem*. [Non lapidibus ascia vel securi dolatis, humanoque quodam artificio politis, sapientia sibi domum ædificauit. Non est auditus ferri sonus in ædificio : neque enim vir in Maria ministrauit, sed virgo ipsa permansit. Vt enim in templo Salomonis politi per se ac dolati iam lapides erant, non ibi ab hominibus præparati ; ita etiam in Maria, assumptio non virilis opera facta est, sed ex natura nostra delecta, de castissima ac venerabilissima Virgine. E terra sumpti fuerant lapides, & aucti : similiter & assumptio per naturam, & diuinitas mansit immaculata propter incontaminatam naturam. Absque ferro consummatum est templum : & sine dolore atque corruptione, natus est Christus. Sola illic terra ministrauit : sicut etiam hic sola Virgo concepit. Non est scissa petra, neque sensit lapidum percussionem terra : & virgo neque mota est, neque ex carnali voluptate concepit. Non aliunde terra lapides acceptos præbuit : verùm ipsa sine labore atque experientia, ex seipsa suppeditauit. Similiter quoque in Virgine, non superinductus quispiam assumptioni fuit, sed ab ipsa assumptus extitit.] De eodem conceptionis Christi typo, audi etiam Rupertum l.9. de processione Spiritus sancti cap.9. [Quomodò ædificata est ista domus ? Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur, sed in secreto silentio, nulla interstrepente humani operis inquietudine, Spiritus sanctus qui in principio ferebatur super aquas, in beatam Virginem supervenit, eiusque vtero ineffabiliter obumbrauit in modum volucris, ouum subiectum desideratissima sessione calefacientis. Qua tamen similitudine, nisi ante nos præsumpta fuisset, fortè nostra infirmitas in tanto mysterio vti non auderet.] Paulò post, de ea oui excluſi & Christi concepti comparatione, alia addit : & plenè etiam eandem similitudinem prosequitur l.7. in Matth. ad cap.7. tractans illud Lucæ 11. *Si petierit ouum, numquid porriget ei scorpionem ?*

Gregorius Nyssenus l. de vita Mosis, huc accommodat tabulas posteriores digito Dei scriptas, ad priorum per culpam contractarum restaurationē. [Dicere licet (inquit,) infractam atque immortalem diuinis fabricatam manibus naturam nostram in principio fuisse, quam lex non scripta sed innata, non exteriùs acquisita, sed impressa exornabat. Naturaliter enim nobis voluntas legis inerat, quæ ad malorum abominationem, & bonorum expeditionem nos institueret. Verùm posteaquàm peccati sonitum, in auribus nostris susceptmus ; (quem quidem sonitum, Scriptura *vocem serpentis*, hæc verò de tabulis historia, *vocem vino cantantium* nuncupauit ;) tunc naturæ integritas in terram decidit, & cõtrita est. Sed rursum verus legislator, cuius signum Moyses gerebat, ex natura nostra naturæ nostræ tabulas sibi confecit. Nec enim nuptiarum solemnitas carnem Dominicam produxit, sed ipse suæ carnis factus lapicida, digito Dei eam inscripsit. Spiritus enim Sanctus superuenit in Virginem, & excelsi eam virtus obumbrauit. Quo facto rursus natura confracta facta est, illius impressione digiti immortalitatem consecuta : Digitus enim sæpiùs à Scriptura Spiritus sanctus appellatur.] Et egregiè hom.13. in Cant. tractans illud *electus ex millibus*, cum dixisset (id quod etiam præmiserat hom.4.) Christum ob carnem & sanguinem collatum esse pomo, & dictum esse candidum & rubicundum, subdit, cauendum tamen esse, ne quia homo est sicut vnus è nobis, censeatur procreatus eodem modo. [Nimirum inter omnes hominum myriades, ex quo illi esse cæperunt, & quousque veluti fluendo natura succedentium sibi per partum progredietur, solus hic noua quadam partus specie in hanc vitam venit : cui ad nascendum natura non cooperata est, sed seruiuit. Propterea inquit, candidum hunc & rubicundum, qui per carnem & sanguinem in hac vita versatus est, solum ex vniuersis hominum myriadibus, de puritate virginea electum esse, cuius conceptio duorum à coniunctione profecta non sit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers cuius thalamus, altissimi potestas quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans ; fax nuptialis, Spiritus sancti splendor ; cubile, vitiorum expers conditio ; nuptiæ, puritas incorrupta. Qui ex talibus ortus est, rectè appellatur electus ex vniuersis myriadibus, quo quidem significatur, non ex coniugali toro ipsum existere.]

Idem hom.1. de Christi natiuit. pulcherrimè huc transfert tubum ardentem, nec tamen cinerescentem. [O rem (inquit) admirandam ! Virgo mater efficitur, & permanet virgo. Cernis nouum naturæ ordinem ? In aliis mulieribus quamdiu aliqua est virgo, non est

mater. Nam posteaquàm est facta mater, virginitatem non habet: hic autem vtrumque nomen in idem concurrit. Eedam enim & mater & Virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus Virginitatem soluit. Decebat enim, vt qui in vitam humanam introibat, vt homines integros incorruptosque seruaret, ab incorrupta sibi deseruiente integritate initium duceret; nam hominum consuetudo expertem connubij incorruptam appellat. Hoc mihi antè magnus ille Moyses per eam lucem, in qua sibi Deus apparuit, videtur cognouisse, qui cum rubus arderet, nec tamen consumeretur, *Ascendam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam*, non loci motum, vt arbitror, per ascensum declarans, sed temporis transitum. Quod enim tunc per flammam & rubum significabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perspicuè in mysterio Virginis apertum fuit. Quemadmodum enim illic est rubus, & tangit ignem, & nō comburitur; ita hic est Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur. Quod autem per rubum Virginis corpus, quod Deum susceperit, intelligatur, ne te similitudinis pudeat: Nam omnis caro propter peccati susceptionem, & ob id ipsum tantùm quod est caro, peccatum est. Peccatum autem, in Scriptura vocatur spina.]

Ruffinus ad tertium Symboli articulum, huc aptat quod apud Ezechielem habetur de porta clausa. [Nota sunt omnibus (inquit,) & in Euangelijs decantata de hoc scripta Prophetarum: qui dicunt, quod *Virgo concipiet, & pariet filium.* Sed & partus ipsius mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formauerat, Mariam figuraliter portam Domini nominans, per quam, scilicet, Dominus ingressus est mundum. Dicit ergo hoc modo: *Porta autem quæ respicit ad Orientem, clausa erit, & nō aperietur, & nemo transibit per eam quoniam Dominus Deus Israël trāsibit per eam, & clausa erit.* Quid tam euidens dici de conseruatione Virginis potuit. Clausa fuit in ea, virginitatis porta: per ipsam introiuit Dominus Deus Israël & per ipsam in hunc mundum de vtero Virginis processit: & in æternum porta Virginis clausa, seruata virginitate, permansit. Igitur Spiritus sanctus refertur Dominicæ carnis & templi eius Creator.] Idem pulcherrimè tradit Rupertus l. 1. in Matth. ad illud *pariet autem filium.* S. Ambrosius serm. 13. accommodat ad hanc rem descensum pluuiæ in vellus, vt retuli agens de Verbo vestito.

Ad eandam veritatem, manuductiones Patrum è rebus naturalibus.

198. Manuductiones complures eiusdem veritatis, accumulant adducti superiùs Iudæorum impugnatores. Optima verò est quam suppeditat Leontius Episcopus Arabissi hom. de Lazaro apud Photium Cod. 17. qui argumentum geniti Christi ex Deipara sine corruptione, & absque virili semine, petit ex rerum prima productione. [Vox (inquit) aquas viuificauit, peperit terra, & sine congressu fetu impleta est. Quid dicis ô hæretice? Vides pro immissione seminis, Verbi mandatum factum, & quomodò dubium dicis Virgineæ conceptionis mysterium? Quæ enim iam sine semine non concipiuntur, cum his aliquando concurrit vox vocantis ad generationem; & conceptionis modum præcepti lex imitata est, & vna voce omnia incarnata sunt: & qui tunc creaturam carne induit, & semen sine semine omnibus contulit, ille à carnea terra carne indutus, sine semine descendit, maris radicem, quam caro plantauit, falce virgineæ generationis præcidens.]

S. Ambrosius 5. Hexaëm. c. 20. profert exemplum vulturum. [Negant enim vultures (vt ille ait) indulgere concubitui, & coniugali quodam vsu, nuptialique copulæ sorte misceri: atque ita sine vllo masculorum concipere semine, & sine coniunctione generare natosque ex his in multam ætatem longæ vitæ procedere, ita vt vsque ad centum annos vitæ eorum series producatur, nec facilè eos angusti æui finis excipiat. Quid aiunt, qui solent nostra videre mysteria cum audiunt quod virgo generauit; & impossibilem inuptæ, cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Auis sine masculo parit, & nullus refellit: & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionem? Nonne aduertimus, quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret, & astrueret veritatem?] Profecit ex S. Basilio hom. 8. Hexaëmeri. In quo tamen sit vera proportio & disproportio, conceptus ac partus vulturū, & Deiparæ, accipe ex Pisid in Cosmop.

Quis semine edidit sine vllo vultures,
Vbi feminæ omnes, masculum nullum genus?
Hi virginem nostram gerentem lampada
Præferunt, quantum alitis natura quit.
Oportuit sed enim istius miraculi
Naturam imagines habere absconditas,
Vt ne nouata appareat partu hoc, neque
Arcana prosus ditegat partus sacri:
Nam virgines intactæ, vt illa, non manent,
Fetusque maturo meandi tempore
Sua claustra constringit, foresque transilit.
At si parere sic constat istos alites,
Vterumque ferre flamine Euri perritos:
Cur non magis quæ Virgo partum pepererit,
Faciet fidem nullo editæ prolis satu
Vitalis auræ plena cum esset Spiritu?]

Fortè ad vultures, fortè ad æquas Cappadociæ, vento concipientes, vt D. Augustin. scribit 21. Ciuit. cap. 5. aut Hispaniæ, vt habet Varro 2. de rust. c. 1. & Plin. lib. 8. cap. 42. respexit Lactantius lib. 4. cap. 12. cū dixit. [Quod si animalia quædam vento & aura concipere solere, omnibus notum est, cur quisquam mirum putet, cum spiritu Dei, cui facile est quicquid velit, grauatam esse Virginem dicimus. Quod sanè incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa secula Prophetæ cecinissent. Salomon in Ode vndeuigesima, ita dicit, informatus est vterus Virginis, & accepit fetum, & grauata est, & facta est in multa miseratione Virgo mater.] Hic locus non extat in nuper edito Salomonis Psalterio quod octodecim dumtaxat Odas continet. Inde tamen habetur agnouisse veteres Salomonem scripsisse Psalterium. Alia animalia sine commixtione concipientia adhibet ad hoc ipsum Euodius epist. 209. inter Augustinianas.

Ruffinus ad 3. symboli articulum, alias ex rebus naturalibus manuductiones non multùm absimiles, adhibet. [Quid mirum (inquit) videtur si Virgo conceperit, cum Orientis auem quam Phœnicem vocant, in tantum sine coniuge nasci vel renasci constet, vt semper & vna sit, & semper sibi ipsa nascendo vel renascendo succedat? Apes certè nescire coniugia, nec fetus nixibus edere, omnibus palam est. Sed & alia nonnulla deprehenduntur, vti huiusmodi sorte nascendi. Hoc ergo incredibile videbitur diuina virtute ad totius mundi redintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur?] Similia S. Gregorius in Psal. 5. Pœnitentialem ad illud, *scribantur hæc in generatione altera*, Cassianus lib. 7. de incarnatione c. 5. Autor operis de mirabil. Sacræ Script. lib. 3. cap. 2.

Pro eadem veritate, rationes congruæ complures.

199. Eiusdem veritatis sex causas ex varijs Patribus adducit Tolet. in c. 1. Lucæ annot. 95. Partim easdem, partim

portim alias proferens Canisius lib.2. Marial.cap.3. nouem proponit. Optima videtur quam his verbis tradit S.Ignatius epistola ad Heronem. [Est verò & admirabilis ac præter communem omnium opinionem partus Domini ex sola Virgine: Non quod abominabilis sit legitima commixtio, sed vt diuinam decebat natiuitatem. Decebat enim opificem non vsitata vti natiuitate, sed admirabili, & noua ac inaudita, vt Creatorem.] Planè decebat noua illa formatio Creatorem, quippe mirabilis & aliquatenus Antistropha generationi æternæ; in qua Christus ἀμήτωρ est; vt hic ἀπάτωρ. Quod eleganter expressit Lactant. lib. 4. instit. cap. 13. & attigit quoque S. Ambrosius epist. 82. Estque hic modus non plane nouus generationis quem S. August. serm. 20. de tempor. & Max hom. 3. de natiuit. à naturali, & miraculosis duabus ad Christum vsque editis generationibus contraponit. Breuiter sed pulchrè & nerusè Tertull. l. de Christi cap. 18. [Non competebat ex semine humano Dei Filium nasci, ne si totus esset filius hominis, non esset & Dei Filius, nihilque haberet amplius Salomone, & amplius Iona, & de Hebionis opinione credendus erat. Ergo iam Dei filius ex patris Dei semine, id est Spiritu, vt esset hominis filius, caro ei solet ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabit enim viri semen, apud habentem Dei semen. Itaque sicut nondum natus ex Virgine, Patrem Deum habere potuit absque matre: æque cum de Virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum Spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine: Spiritus cum semine, ex Deo.] Videndus Rupertus l. 1. de operibus Spiritus sancti cap. 13. & Richar. lib. 1 de Emm. cap. 12. & Guitmundus insigniter lib. 1 de Eucha. contra Bereng.

100. Decuit item Christum ea formatio, quod ab illinie peccati originalis, & concupiscentiæ parentum fœtis motibus, esset eo pacto remouenda, iuxta præclaram S. Augustini doctrinam l. 1. de nupt. & concupis. cap. 12. Quotquot enim ex viri & feminæ societate procreantur, cum ea parentum confusione & pudoris prætritione generantur: ac etiamsi speciali prærogatiua, possent iam ex matris vtero, ac etiam ex pucto animationis mundari, tamen debitum saltem peccati contrahunt quia ex Adami stirpe vitiata naturaliter propagantur: vnde ratione virtutis actiuæ per quam procreati in Adamo peccatore præextiterunt; quia quam gignendi virtutem habuit Adamus, eam immediato filio, & per eum reliquis posteris communicauit: atque ita qui naturaliter ex maris & feminæ societate procreantur, virtute seminis virilis, eo modo præextiterunt in radice corrupta (hoc est in Adamo,) quo effectus præexistunt in causa: Indeque hauserunt virulentiam peccati originalis, qua carerent si ex sola femina nascerentur; quia femina non fuit caput humani generis, vt egregiè ratiocinatur S. Anselmus l. 2. cur Deus homo cap. 16. & l. de concept. Virg. c. 23. Quia igitur conuenientissimum erat, Christum ab omni fœcilitate peccati, etiam quoad debitum elongari; & Pontificem qui ad cœli nostri abstersionem venturus erat, decebat sanctum, innocentem, & impollutum, ac segregatum à peccatoribus apparere: propterea Christus, ex sola matre, absque paterna opera natus est. Expressit luculenter hanc doctrinam S. Fulgentius l. de fide ad Petrum cap. 2. verbis illis. [Dei ergo filius vnigenitus qui est in sinu Patris, vt carnem hominis animamque mundaret i susceptione carnis atque animæ rationalis, incarnatus est: & qui est Deus verus, homo verus factus est, non vt alter Deus esset, alter homo, sed vt idem Deus, idem homo. Qui vt illud peccatum, quod in concubitu mortalis carnis, generatio humana contraxit, auferret; conceptus est nouo more, Deus incarnatus in matre virgine, sine coitu viri, sine libidine concipientis Virginis: Vt per Deum hominem, quem absque libidine conceptum inuiolatus edidit Virginis vterus, ablueretur peccatum, quod nascentes trahunt omnes homines: quibus in corpore mortis huius, nascendi talis est conditio, vt matres eorum fœcunditatis opus implere non possint, nisi priùs virginitatem carnis amiserint. Solus igitur abstulit peccatum conceptionis atque natiuitatis humanæ Deus vnigenitus, qui dum conciperetur, veritatem carnis accipit ex Virgine; & cum nasceretur, integritatem virginitatis seruauit in matre. Ista causa est, qua Deus factus est filius Virginis Mariæ, & Maria Virgo facta est mater vnigeniti Dei; vt quem pater genuit ex æternitate, ipsum Virgo conceptum proferret in tempore.]

201. Magisterij Virginitatis necessitatem, huc aduocat Gregor. Nyss. l. de Virginit. cap. 2. [Facile est, (inquit) diuinum hoc munus perpetua memoria colere, atque id bonum in ore semper habere, quod incorporeæ, diuinæque naturæ proprium quidem ac præcipuum est. Dei tamen benegnitate ijs etiam, qui carne & sanguine effecti huius vitæ vsura fruuntur, datum & tributum est, vt virginitas quasi manum munditiæ participem porrigens, hominum naturam vitiosa affectione abiectam rursus erigat, & ad cœlestium contemplationem perducat. Ob eam enim causam, mihi Dominus noster Iesus Christus à quo veluti fonte quodam omnis castimonia manat, non nuptiarum via quæsita, in hanc vitam ingressus videtur, vt ex eo modo quo carnem humanam assumpsit, admirabile hoc & magnum planè mysterium patefieret: quoniam quæ Dei aduentum demonstraret, sola castitas idonea est: quam aliter perfectè omnino præstare nemo potest, nisi quia ab omni carnis affectu, se etiam atque etiam totum auertit. Quod enim in Mariæ Virginis inuiolatæ corpore effectū est perfecta Christi diuinitate, quæ in ipsa Virgine eluxerat hoc ipsum in omni animo contingit, qui sit castitate ornatus, rationemque ducem in Virginali vita sequatur; quoniam non amplius, vt corporis humani formam habitumque induat, venturus est Dominus (*non enim etiam nouimus*, inquit, *secundum carnem Christum*) sed in Spiritu venit.]

Congruentia alia quam adhibent S. Cyrillus Hierosol. Catech. 12. Anast. lib. 3. de dogm. *sub initium* & Damasc. 4. de fide cap. 15. elegans est. Aiunt enim, Deiparam masculum concipiendo & pariendo sine viro, persoluisse debitum Euæ, quæ ex viro sine matre procreata fuerat: eoque nomine sexus femineus virili obstrictus erat, ob collatum esse. Neque enim debitum illud relaxatum fuerat tam multis maculis in lucem editis per feminas, cùm hæ non nisi præuia virorum opera concepissent. At Deiparæ conceptio, qua masculus ex femina sine viri opera editus est, debitum Euæ planè dissoluit. Et eadem opera, apparuit proportio ac conformitas Christi & Adami, toties in Scripturis & Patribus testata. Nam vt Adam de terra pura, ac vt Tertull. l. de carne Christi dixit, adhuc virgine, & hominis manu nondum subacta procreatus est, ita Christus excluso carnali patre, de Virginei alui purissima substantia, est procreatus. Vide quæ superiùs de primi & secundi Adami, primæ item & secundæ Euæ Antithesis, sunt adducta: & nominatim quoad hoc punctum formatorum amborum ex terra virgine & humano operi intacta, quod pulchrè versant Irenæus lib. 3. c. 31. Chrisostomus tomo 5. Græcol. serm. 64. Ambrosius serm. 37. Augustinus serm. 9. de temp. Vnum hîc repræsento Rupertum, frequenter id tradentem toto l. 1. de oper. Spiritus sancti, sed præsertim cap. 14. [Omnes quidem homines (inquit) formantur de limo terræ, sed longè alio modo & alio ordine, id est non nouo opere, sed vsu naturæ. Ambos istos formauit Dominus Deus de limo terræ: sed illum quidem Dominus de limo terræ insensibilis & inanimatæ, istum autem Spiritus san-

ctus de limo terræ, sed animatæ, id est de humore carnis Virgineæ sua formauit operatione. Et illum quidem absque Patre & matre, istum autem de matre sine Patre. Vtraque formatio mirabilis. Verumtamen contra argumentatores hæreticæ temeritatis dicentes, quomodò de limo terræ primus homo formari potuit? istam quidem mirabilem, sed illam dicere non dubitamus mirabiliorem. Mirabilius quippe est, de terra inanimata hominem fieri, quàm de carne feminæ, licèt virginea, hominem concipi aut nasci. Ergo ista quidem formatio venerabilior, sed illa mirabilior.]

Primæ denique Virginis lapsus, per secundam reparatus eo pacto est. Audi Iustinum cum Tryphone. [Homo natus est de virgine, vt per quam viam fraude serpentis subintrauit inobedientia, per eamdem sequeretur venia. Cùm enim integra Virgo esset qua, concepto verbo serpentis, inobedientiam mortemque peperit. At Virgo Maria, postquam concepit fidem cum gaudio, afferente sibi Gabriele lætum nuncium quod Spiritus Domini ei superueniat & obumbret ipsam virtus altissimi, & ideo quod ex ea nascatur sanctum, esse filium Dei, respondit; *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ex hac natus est hic de quo tot Scripturas loqui docuimus, per quem Deus & serpentem illum, & similes eius Angelos hominésque destruit: pœnitentibus verò & credentibus in eum, absolutionem à morte concedit.] Audi etiam Hesychium homil. 1. de Deipara. [Cum enim prima virgo concluderetur molestijs per sententiam condemnatoriam ob transgressionem inflictis, & ab ea gemitus plurimi prodirent; omnisque mulier, illius causa, in dolore esset constituta, & partus omnis propter eam, acerbitatem pateretur, secunda virgo ex denominatione etiam Angelica, miseriam omnem feminei sexus repulit, omnemque tristitiæ fontem qui inter pariendum adesse solet, obstruxit: & nubem desperationis, qua premuntur mulieres in partu, dissipauit; & lumina lætitiæ apud contribules coruscare fecit.]

Errores in contrarium, adducti & contriti.

202. Aduersus hanc Christi generationem ex sola matre, senserunt fatui quidam hæretici apud S. Irenæum lib. 3. cap. 21. Christum de Iosepho generatum affirmantes: qui cum Christum censerent purum hominem, confutati sunt reiecto superiùs eorum parente Hebione, & latè à S. Irenæo exploduntur lib. citato tanquam mysterii incarnationis hostes, & euacuatores salutis humanæ, & fructuum omnium aduentus Christi. Ipsi Ethnici vt est apud Origenem lib. 1. contra Celsum *sub medium*, confessi sunt Christum non fuisse filium Iosephi, sed solius hominis matris: vt tamen conuellerent miraculosum conceptum de Spiritu sancto, ait Origenes, finxerunt Virginem deprehensam fuisse cum panthera in adulterio, & inde natum Iesum, eoque nomine Mariam à Iosepho fuisse demissam. Refellit hoc fabulæ portentum Origenes diligenter, sed reuera superuacuè; cum tam monstrosa mendacitas, detestanda potiùs fuerit quàm refellenda. Nunc illud dumtaxat accipimus, ne Ethnicis quidem visum esse, Christum ex Iosepho verè patre fuisse progenitum, contra quam affirmant fatuè illi hæretici quos refellimus. Nec fauet eis Euangelium, cum aliquoties vocat Christum *Filium Ioseph*, & hunc appellat *Patrem Christi*: Aliquando enim se satis explicat scriptor sacer, addens, *vt putabatur*. Videsis D. Augustinum lib. 2. de consensu Euang. cap. 1. scitè verò Iustinus quæst. 66. de orthod. obseruat Christi veram ex æterno patre, & hanc ex Iosepho, tantùm titulotenus generationem, adumbratam in ipso Iosepho; qui secundùm generationem ex vno patre; secundùm fictionem verò veris, ex alio natus est. Ita enim Christum, Deo sic prouidente, contingit, vt Iustinus expendit.

Alii quidam deliri Hæretici apud S. Irenæum lib. 1. cap. 7. Christo alium patrem tribuerunt. Sic enim scribit ibi Irenæus. [Alii autem sunt qui ipsum propatorem omnium & proarchen & proanennoeton *Anthropon* dicunt vocari; & hoc esse magnum & absconditum mysterium: quoniam quæ est super omnia virtus & continet omnia, *Anthropos* vocatur; & ideò hoc filium hominis (se) dicere Saluatorem.] Hi quamquam planè insaniebant circa causam nominis quod Christus sibi sæpè tribuit, vocans se *filium hominis*; tamen quia illum quem nominetenus, vocabant voce Græca hominem, censebant esse primam mentem, & summam ac supremam virtutem omnia continentem, quæ alia non est quàm diuina. Laborarunt erroribus non spectantibus ad hunc locum, in quo dumtaxat astruimus Christi generationem temporariam absque patre creato, non exclusa diuina vi, efficientiam patris creati supplente.

203. Cæterum quod Iudæi quidam, & Ethnici apud Iustinum, generationem Christi ex homine patre, probare conati sunt ex illis ipsis Christi proximè adductis vocibus, quibus se toties Christus ipse filium hominis esse professus; refellit id ipse Iustinus quæst. 66. ad orthod. idemque in dialog. cum Tryphone Iudæo hanc prodit causam, cur se Christus filium hominis denominaret etiam si humano patre careret. [Filium hominis seipsum dicebat, vel quia natus de Virgine oriunda (vt dixi) à Dauide, Iacobo, Isaaco, Abrahamoque: vel qui ipse Abraham, etiam teliquorum deinceps pater est ex quibus Mariæ stirps deducitur. Scimus enim patres filiarum, etiam liberorum patres esse, quos illæ pariunt.] Itaque quod Christus se filium hominis dixerit, non probat eum de patre genitum. Imò verò Nazianzenus orat 4. de Theol. num. 92. varia Christi nomina expendens, hanc filij hominis appellationem eò pertinere censet, quod Christus ex sola Virgine absque patre homine sit natus, ortum mediatè habens ex Adamo: quod approbat Euthym. Matth. 8. ad illud *filius autem hominis, non habet vbi caput reclinet*. Hæc tamen repudiant Catharinus in cap. 1. Genesis ad illud *faciamus hominem*. Iansenius cap. 17. concor. & latè Ribera Ioan. 1. *in fine*: qui notant Hebraismum esse, & verba quæ Latinè vertimus *filium hominis*, idem planè sonare quod hominem, & quidem virum, non feminam; ac proinde tantùm abest vt Euthymij expositio subsistat, vt potius planè concidat. Ex eo autem quod in nouo testamento quoties Christus se filium hominis vocat, Græcus contextus geminum articulum ferè semper adhibeat: (Imò ne semel quidem aliter vmquam haberi in Euangeliis affirmat Ribera Apocal. 1. num. 82.) manuducimur ad intelligendum, certum illum filium certi hominis dictum, esse Christum: quia est ille filius iam olim Adæ prædictus, qui idcirco factus est Adami terreni filius, & tantoperè deijci sustinuit, vt nos faceret Dei Filios. Ea enim tam crebra huius denominationis vsurpatione, voluisse Christum commendare quid dignatus sit esse pro nobis, egregiè dixit S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangel. cap. 1. mihique ea causa vsurpatæ adeò frequenter illius appellationis, maximè probatur cum Maldonato Matth. 8. numer. 20. quamuis non ignorem alias præterea complures proferri à Toleto in cap. 3. Ioan. annot. 19. & alias insuper cumulare Scheuichauium lib. 4. de Trinit. cap. 26.

Corolla

Corollarium 1. Summus amor Christi in matrem.

204. Hinc verò obiter colligendum est, quantus fuerit Christi amor in matrem. In quam rem, semota omni comparatione, transferam cum reuerentia quod alia occasione dixit Synesius epistola 3. *in fine*, agens de prole spuria & incerto patre nata, quæ quia certo patre destituta est, debet matri amorem quem ex patre deberet patri si de eo constaret. Cum ergo Christus certò sciret se ex sola matre natum esse, debebat ei amorem quem vtrique parenti debuisset si patre creato & matre editus fuisset, vt cæteri. Et vicissim summus Deiparæ amor in filium, expendi potest ex modo quo eum procreauit. In quam rem S. Anselmus de excel. Virginis cap. 4. insigniter planè philosophatur, & quoad matris in filium, & quoad Filij amorem in matrem. [Perpendat (inquit) aliqua bona mater, quo affectu teneatur circa vnicum & bonum filium suum; & bonus Filius simili modo perpendat, qua pietate moueatur erga bonam & dilectissimam ac dulcissimam suam matrem; & aliquatenus tentet, si quo modo in se coniunctare valeant amorem huius bonæ matris erga verè bonam & dulcissimam matrem suam. Equidem omnes homines, ex coniunctione duarum personarum, hoc est, matris & feminæ procreantur, & amorem suum vtrique personæ, idest, patri & matri naturaliter debent, qui sic generantur, ipsumque vis nihilominus amorem suum parentes ambo qui eos genuerunt. Cùm autem amorem, quem pater & mater singuli debent filio suo, debet hæc felicissima matrum sola filio suo: amorem etiam quem debet quilibet Filius simul suo patri & matri, ille Filius veræ Virginis, suæ debet soli matri. Nam sicut alii filii naturaliter ex patre & matre, ita Filius eius natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores patentum in filios, aut filiorum in parentes, amor istius matris in filium suum, & istius filii in matrem suam. Et hæc ita se habent iuxta rationem filiationis, quæ facta probatur extra legem humanæ procreationis.

Seorsim de proposito capite amoris Deiparæ in filium, præclarè disserit Amed. Lausan. hom. 6. de Deip. verbis illis. [Quæ mater dilexit filium suum, vt illa? Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres? sed vnicus Patris pia electione, & gratuita bonitate, matris visceribus influxit: hoc est vnde magis diligebat.] Et mox: [Eumdem quoque habuit Deum, quem & filium, quia *homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Et hoc est, vnde magis incomparabiliter diligebat. Sola enim à sæculo meruit habere eundem, filiumque & Deum. Ergo abyssо abyssum inuocante, duæ dilectiones in vnam conuenerunt; & ex duobus amoribus factus est amor vnus, cum Virgo mater, filio diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet.] Implerum tunc fuisse quod de se sponsa dixit, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis*, Christo inquam intra matris viscera recubante nardi maternæ fragrantiam in eum emicuisse, piè omnino ac benè commentatur Philippus Abbas lib. 2. in Cant. cap. 9. Habet omnino hìc locum insignis ratiocinatio D. Chrysostomi homil. 2. de fide Annæ, cum agit de ardentissimo per eam Samuelis amore, ex coniuncta duplici flamma, naturæ nimirum & gratiæ quod in eum & vt in filium, & vt in rem sacram à Deo datam inardesceret.

Corollarium 2. Summa Deiparæ de hoc mysterio peritia.

205. Rectè quoque hinc colligit S. Bernardus, Deiparam de mysterio Incarnationis, cuius ipsa officina fuit Christum concipiendo, perspexisse multo pluta quàm vllum alium infra Deum. Sic enim scribit hom. 4. super missus est. [Quid est, & *virtus altissimi obumbrabit tibi?* Qui potest capere, capiat. Quis enim (excepta fortassis illa quæ hoc sola in se felicissimè meruit experiri.) intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor inaccessibilis, virgineis sese visceribus infuderit; & vt illa inaccessibilem accedere ad se ferre posset de portiuncula eiusdem corporis cui se animatæ contemperauit, reliquæ massæ vmbraculum fecerit? Et fortassè propter hoc maximè dictum est, *Obumbrabit tibi*, quia res nimirum in Sacramento erat, & quod sola per se Trinitas, in sola & cum sola virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo; *Spiritus sanctus superueniet in te*, qui vtiqui sua potentia fœcundabit te. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*, Hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi.]

Defectum Patris creati circa Christum, supplenit Spiritus sanctus, dictus idcirco Virgini obumbrasse.

Sic excluſa patris humani opera à Christi generatione & quod Daniel prænnnciarat, lapidis de monte sine manibus abscissione, hoc est [Virginis vtero non aduentitio sed indigena puerperio fecundato] vt scitè dixit D. Augustinus epistola 3. addendum est, Spiritum sanctum vimem efficientiam per seipsum suppleuisse: ideoque Christum de Spiritu sancto conceptum dici. Nam præpositio illa *de* supplementum illud operæ paternæ designat sicut particula *ex* maternam submministrationem materiæ vt Tertull. potenter disserit aduersus priscos hæreticos qui illud *ex* expunxerant & in *per* commutarant l. de carne Christi c. 20. Quamquam S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto c. 5. vbi Matth. 1. legimus. *Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est*, legit *ex Spiritu sancto est*, quam lectionem contendit esse germanam. [Nam licet (inquit) plerique habeant *de Spiritu*, Græcus tamen vnde transtulerunt Latini ἐκ πνεύματος ἁγίου dixit, hoc est, *ex Spiritu sancto*. Quod ergo ex aliquo est, aut ex substantia est, aut potestate eius. Ex substantia, sicut filius, qui ait: *Ex ore Altissimi prodiui*, sicut Spiritus qui à Patre procedit. De quo dicit Filius: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ex potestate autem, sicut illud est: *Vnus Deus pater, ex quo omnia* Quomodò ergo in vtero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi ex substantia; Ergo Spiritus in carnem & ossa conuersus est? Non vtique. Si quasi ex operatione & potestate eius Virgo concepit, quis neget Spiritum creatorem?]

206. Eandem Spiritus sancti efficientiam in Christi conceptione, expressit Gabriel Lucæ 1. Verbis illis ad Virginem *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Virtus enim illa altissimi, tametsi eam Maximinus Arrianus apud S. Augustinum lib. 3. contra eum cap. 17. interpretabatur filium, suffragante Ruffino ad 3. Symboli articulum, Andrea Hierosolimitano orat, de annunciat. *sub finem*, Paulino Aquilegensi in sacro Syllabo columna 3. & autore quæstionum noui testamenti in 51. Reuera tamen est Spiritus ipse sanctus; ita vt hoc quod de altissimi virtute dicitur, sit repetitio eius quod præmissum fuerat de superuentu Spiritus sancti in Deiparam, ad obumbrandum illi. Quo verbo iuxta aliquos vt Eusebium 10. demonstr. cap. vltimo significatur absconsio conceptus virginei vt lateret Dæmones. Iuxta alios, significatur protectio abæstu libidinis inter concipiendum, iuxta illud, *scapulis suis obumbrabit*

tibi: id est, *proteget te*, quæ est Bedæ interpretatio Lucæ 1. nec non autoris libri de oper. Christi Cardin. serm. de natiuit. Christi, cum ait, Spiritu sancto obumbrante incendium originale in Virginis conceptu actiuo extinctum esse. Perpulchrè idem tradit Ambrosius l. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 3. *sub medium*.

At iuxta alios, ea voce significatur roboratio Virginis, vt ferre posset æterni Solis fulgorem præsentem, prout exponit Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 9. & elegantissimè his verbis Cassianus. lib. 2. de incarnatione cap. 2. [Pulcherrimè loquens Angelus, diuinitate verborum, maiestatem diuini operis explicuit. Spiritus enim Sanctus, virginis interiora sanctificans, & in his potentia diuinitatis suæ spirans, humanæ se inseruit miscuitque naturæ: atque id quod alienum à se fuerat, suum fecit, virtute id sua scilicet, ac maiestate præsumens. Ac ne ad introitum diuinitatis, humana fortasse infirmitas non subsisteret, venerandam omnibus virginem, virtus Altissimi roborauit, vt corpoream imbecillitatem circumfusa vmbræ suæ protectione firmaret, & ad consummandum conceptus sacri inenarrabile Sacramentum, humana infirmitas non deficeret, quam diuina obumbratio sustineret.] Non dissimiliter Amed. Lausan. hom. 3. de Deip. *sub finem*. [Obumbrabit tibi Christus Dei virtus & sapientia. Ille humanam ex te naturam suscipiet, & plenitudinem diuinitatis, quam ferre non posses, habebit in carnis susceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia se inaccessibili, assumpta à Verbo humanitas obijciet, cuius obiectu lux illa temperata, castissima viscera tua perfundet.] Nec multùm ab ea expositione abest Damasc. 3. fid. cap. 2. potestque familiari exemplo declarari. Sicut enim sole flagrante vmbra petræ prominentis est opportunissima ne quis Sole contactus planè defluat, itane Virgo ad Dei præsentiam (veri Sanè solis iustitiæ) colliquesceret, fuit ei obumbrandum per Spiritum sanctum.

207. Alij malunt hoc loco idem esse *obumbrare*, quod *ruditer delineare*. Audi Athanasium orat. de Deip. [Obumbrauit virtus altissimi, corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se concipi. Non enim suspicandum est, quod secundùm simplicem suæ naturæ proprietatem, virgo in se habitantem Deum videre potuerit, aut quod ipsa anima rationalis & intellectualis incarnationem conspicere valuerit, sed quatenus possibile fuit, vt potè obumbrante illam virtute Altissimi, & vmbras lineamentaque quasi faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, Deum in se habitantem. Et vt nos ipsi animam inhabitantem in carne nostra possidemus, nec tamen quomodò qualisve ea sit, conspicere possumus, sed quasi vmbram eius, & lineamenta ex virtutibus eius & internis efficacijs colligimus: Tale quiddam, tum virgo, tum ipsa rationalis & intelligens anima contueri poterat, atque etiam nunc potest, ex potentijs operationibusque inde prodeuntibus.]

Admodùm probabile est quod alij statuunt, idem hìc esse *obumbrare* quod *contegere*: ita vt significetur, pro viri virtute & complexu, assuturum Dei cõplexum atque virtutem. Et ita hæc verba exposuerunt Sa ibi, atque Toletus annot. 100. Vel denique eodem sensu sed diuersimodè aptato, *obumbrare* idem est quod *obnubere*: quod est verbum maritale, ductum à veteri consuetudine, qua sponsus sponsam obtegebat, atque obnubebat: ita vt sensus sit, Spiritum sanctum forè Deiparæ loco mariti, Christumque ex ea non viri interuentu, sed purissima & incoinquinata Spiritus sancti operatione concipiendum esse, prout hunc locum interpretatus est Salaz in cap. 8 Prouerb. n. 119.

Postremò is quem allegabam Autor qq. noui Testamenti, aliter nec inconcinnè sumpsit eam obumbrationem, sic scribens q. 51. [Ambigenti Mariæ de conceptu, possibilitatem Angelus prædicat, dicens: *Spiritus sanctus superueniet in te*: Hoc est, ne dubites, quia virum nescis: quod enim dixi, *quia concipies*, Spiritus sanctus superueniens in te, operabitur vt concipias sine viro: *& virtus Altissimi*, (inquit,) *obumbrabit tibi*. Altissimi virtus, sine dubio Christus est: hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superueniens ergo Spiritus sanctus in Virginem, sanctificauit eam, opere suo efficiens corpus sanctum ex ea, in quo virtus, quæ dicitur Dei Filius, nasceretur; cuius obumbratio in Virginem, (hoc est vt de immensitate diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur,) virtus Dei esset, qui Dei virtus, nec nõ & Deus.] Quamuis hæc obumbrationis interpretatio, minùs propria videatur quàm reliquæ, tamen æquè ad rem præsentem facit, & æquè ostendit defuisse Deiparæ in Christo concipiendo officium coniugis, sed Angelum maritum fuisse, vxorem auriculam, in hac conceptione, vt dixit S. Eleuch. Tornac. serm. de Annunciat. Spiritum videlicet sanctum, nunciante Angelo, in Virginis nitentissimis visceribus Christum efformasse.

Quamuis non idcirco sit pater Christi, plusquàm Pater aut Verbum.

208. Non tamen propterea inferendum inde est, Spiritum sanctum esse Christi patrem, solamue Spiritus sancti personam aliquid circa Christi formationem præstitisse, quod æquè aliæ duæ personæ nõ præstiterint. Spiritus enim sanctus non potest dici pater Christi, quia vt rectè philosophatur S. Augustinus c. 38. & 39. Enchir. non contulit aliquid de sua substantia per quod fetus constitueretur, vt confert is qui in humanis pater dicitur. Id enim fecisse Spiritum sanctum ne sustinere quidem valeant aures Catholicæ, ait D Augst. c. illo 38. Itaque Spiritus sanctus non fuit semen Christi, quod voluisse Irenæum (alium profectò à Lugdunensi, & delirum aliquem, non sanctum,) testatur S. Idelphonsus, initio sermonis de parturitione & purificatione B. Mariæ: sed merè actiuè concurrit, quod non sufficit, vt quis pater dicatur. Sicut ex Sole liquet, quem nemo dixerit patrem hominis, quamuis Sol & homo generent hominem. Fusè id prosequitur Alcinus lib 3. de Trinit. cap. 3. Marius portò Victorinus lib. 1. contra Arrium *sub finem*, Spiritum sanctum vocat *matrem Iesu*. Sed ita se exponit homo cæteroquin tenebricosissimus, vt nihil officiat ijs quæ diximus.

Nihil verò præstitisse Spiritum sanctum circa Christi formationem quod non æquè præstiterint aliæ personæ Augustissimæ Trinitatis, inde certissimum efficitur, quod opera Trinitatis ad extra, sunt indiuisa. Cùm enim ratio agendi non sit personalitas, quæ merè terminat, sed natura; hæc autem sit omnibus personis æquè communis, meritò agnoscimus omnes æquè personas ad Christi formationem efficiendam interuenisse. Et ita tradit Conc. Lateran. sub Innoc. III. in confessione fidei, ac pulchrè Hugo Victorinus l. 2. de Sacramentis parte 1. cap. 3. & Cassianus l. 7. de incarnatione cap. 17. cuius argumentatio, est in hanc rem luculenta. [Quod ais, (inquit Nestorium coapellans.) quia humanitatem eius Spiritus sanctus creauit, possemus id nos simpliciter intelligere, si agnosceremus te id non infideliter protulisse. Neque enim nos conceptam ex Spiritu sancto Domini carnem negamus: sed ita tamen conceptum corpus cooperante Spiritu dicimus, vt creatum tamen sibi à filio Dei, hominem suum esse dicamus, dicente ipso in Scripturis sacris Spiritu sancto, atque testante; *Sapientia ædificauit sibi domum*. Vides ergo quod id quod conceptum est à Spiritu sancto, ædificatum à filio Dei atque perfectum est; Non

quia

quia aliud opus Filij Dei, aliud Spiritus sancti: sed quia per vnitatem diuinitatis ac maiestatis, & operatio Spiritus, ædificatio Filij Dei sit, & ædificatio Filij Dei, cooperatio Spiritus sancti. Et ideò non solùm Spiritus sanctus in Virginem superuenisse, sed etiam virtus altissimi obumbrasse Virginem legitur: vt quia Sapientia ipsa plenitudo diuinitatis est, sapientiæ sibi domum ædificanti, omnem diuinitatis plenitudinem nemo ambigeret affuisse.]

209. Filium ipsum, de quo magis ambigi poterat, conceptioni huic cooperatum esse, diserte agnoscit Damasc. orat. 1. de natiuit. Deip. & Gregentius in dispurationc secundæ diei cum Hertano Iudæo, vocantes verbum, *semen patris* in hac generatione. Quod videtur sumpsisse ex Iustino in expositione fidei de Trinitate sic loquente. [Verbum de cœlo ad nos descendit, non corporali descensu, sed diuinæ voluntatis effectu, ad eam dispensationem, vsum est sequestra Virgine stirpis Dauidicæ, sicut illi regi promiserat: & ingressum in eius vterum, quasi semen quoddam diuinum, finxit sibi templum perfectum hominem, sumpta parte quadam illius naturæ, quæ fieret formantis eius templi essentia; hoc indutus & huic vnitus, Filius Dei, prodijt naturæ geminæ.] Citatur hic locus à Leontio Byzantino l. 1. contra Nestorium & Eutych. *sub finem* tamquam depromptus ex l. 3. Iustini de Trin. cap. 3. At Tertullianus loco superiùs prolato ex l. de carne Christi cap. 18. semen Dei patris quod hic interuenisse vult, ait fuisse Spiritum sanctum, quod splendidè expressit S. Hilarius lib. 2. de Trinit. cum exponit Christi conceptionem, & Gabrielis colloquium cum Virgine, ait. [Mariam Angelus benedixit, materem Filij Dei Virginem pollicetur. Illa virginitatis suæ conscia, difficultate facti commouetur. Angelus ei diuinæ operationis efficientiam exponit; ait enim: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Spiritus sanctus desuper veniens, virginis interiora sanctificauit, & in his spirans (quia vbi vult Spiritus spirat) naturæ se humanæ carnis immiscuit, & id quod alienum à se erat, vi sua ac potestate præsumpsit: atque vt ne quid per imbecillitatem humani corporis difficileret, virtus Altissimi virginem obumbrat, infirmitatem eius veluti per vmbram circumfusam confirmans, vt ad sementiuam ineuntis Spiritus efficaciam, substantiam corporalem diuinæ virtutis inumbratio temperaret.] Non fuisse reuera Spiritum sanctum semen producendo Christo Virgini inditum nisi analogicè, quatenus scilicet idipsum præstitit quod in alijs generationibus præstat semen paternum, notius est quàm vt moneri debeat, & ab Hugone Victorino l. de perpet. Virginit. B. Mariæ cap. 2. scitè traditur.

Testatur tamen S Augustinus, perditos quosdam adeò peruersè accepisse quod fortassè ex his Patribus audierant; Spiritum scilicet sanctum Christo fuisse pro semine, vt inde nefandissimam hæresim fabricarent, quæ cum Sancti Spiritus summa puritate & immutabilitate consistere nequeat. Sic enim scribit serm. 191. de temp. [Ipsum Dei Filium, qui absque initio cum Patre & Spiritu sancto est, dicimus in fine seculorum, perfectum naturæ nostræ hominem suscepisse ex Maria semper Virgine, & Verbũ carnem esse factum, sed assumendo hominem, non permutando Deitatem. Nec vt quidam sceleratissimi opinantur, Spiritum sanctum dicimus pro semine fuisse, sed potentia & virtute creatoris operatum.] Ea ipsa verba habentur in symbolo quod nomine Damasi circumfertur. Et hoc sensu accipio, quod inter errores Messalianorum numerat Nicetas 4. Thesau. c. 33. hunc apponens articulum eorum 13. [Quod Maria semen & Verbum conceperit.]

In pari diuinarum quarumuis personarum interuentu, cur Christi conceptio tribuatur Spiritui sancto.

210. Non plus igitur Spiritus sanctus ad Christi formationem contulit, quàm Personæ reliquæ diuinæ, ad quarum omnium ad hoc opus concursu, est locus pulcherrimus apud Goffridum Vindoc. serm. 8. [Ad hanc (inquit) Beatissimam Virginem, Deus pater ex se genitum Filium misit, vt ipse Dei Filius, Virginis etiam Filius fieret & sponsus. Hoc Pater disposuit caritate, Filius voluntate complcuit, Spiritus sanctus parauit thalamum & ornauit; id est ab omni corruptione peccati mundauit Virginis vterum, & multiplici sanctitate repleuit. Ibi tamquam in aula regia, Deus qui antè omnia creauerat, seipsum creauit in vtero Mariæ. Nemo miretur quod sponsum Mariæ, eius filium diximus. Nã pater & sponsus huius Virginis, est Filius eius; Pater planè quia ab ipso creata est; Filius quia natus est ex ea: sponsus quia ei caritate coniuncta. Mirum coniugium, sed fide & pietate mirandum; Vbi Virgo, mater extitit, virginitas vxor, maritus Spiritus sanctus, per aurem conceptio, conceptionis interpres Angelus, semen Christus, proles Virginis, Filius Dei.] Similiter locutum S. Eleuther ũ Tornacensem, supra iam retuli.

Sed cùm illam creaturam, ait D Augustinus cap 38. Enchir. [Quam Virgo concepit & peperit, quamuis ad solam personam Filij pertinentem, tota Trinitas fecerit, (neque enim separabilia sunt opera Trinitatis) cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est.] Cur inquam peculiariter hæc conceptio Spiritui sancto tribuitur, non item Patri & Filio? Nam quod illicò sibi respondit D. Augustinus non excludi reliquas personas, etiamsi non exprimantur, est quidem verissimum, & exemplis doceri potest, vt D. Augustinus rectè tradit? cuius ibi paritatem in hoc edisserendo & his exemplis proferendis, compensaui in purgatione Valeriani cap. 6. & benè idem habet Paschal. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 4. Ea inquam D. Augustini prima responsio non tollit difficultatem. Idipsum enim est quod interrogatur, cur exprimatur solus Spiritus sanctus, cum æquè aliæ duæ personæ, Christo formando sint cooperatæ. Dici itaque potest, conceptionem Christi appropriari Spiritui sancto, vel ad significandam summam vndecumque munditiem ac sanctitatem huius generationis; vel ad denotandum formationem Christi, & hoc quod erat humanitatem sic formatam in Deiparæ vtero Deo coniungi, esse merum opus gratiæ, quæ Spiritui sancto appropriatur. Ita habet S. Augustinus c. 40. Enchir. Idemque insinuat Fulgentius lib. 2. ad Monim. c. 10. & diserte Alcuinus 3. Trinit. c. 1. & 3.

Homo Deus, potuisset de creato Patre concipi.

211. Quare statuamus vt ex fide certum, quod natum est ex Virgine sanctum, non de patre vllo carnali, sed de Spiritu sancto, ad modum propositum fuisse conceptum. Tametsi agendo de potentia absoluta, non videatur dubitandum, quin humanitas Christi Verbo Dei vnienda in posteriori naturæ, potuisset concipi opera viri. Neque enim vel vmbra contradictionis ea in re potest occurrere; vt mirum sit Bartholomæum Medinam 3. p. q. 31. art. 4. id primò in dubium vocasse, moxque etiam apertè negasse, eo argumento nixum, quod nulla creatura possit efficere vnionem hypostaticam, quam tamen putat oportere effici ab eo, qui dicendus sit pater Christi, eò quòd generatio per se non terminetur ad humanitatem, sed ad personam subsistentem in natura humana. Quod eodem argumento idem Medina q. 32. art. 4. *in fine*, videtur adactus fatesi, nutritionem in Christo non fuisse actum vitalem;

ne partialis productio vnionis hypostaticæ, tribueretur virtuti Christi nutritiuæ, quam æquè necesse est aggenerando terminari ad personam partialem, ac vis generatiua terminatur ad personam totalem. Hoc tamen argumentum est, valdè infirmum. Neque enim generatio dicitur terminari ad personam, quasi subsistentia totalis quæ personam formaliter constituit, adueniat totali naturæ quam terminat vi generantis: aut subsistentia partialis, adueniat parti substantiæ vi agentis aggenerantis, & eam partem vnientis reliquæ substantiæ. Id enim apertè falsum est in nobis, qui cum duplici partiali subsistentia potiamur, neutram à generante vel nutriente habemus. Nam subsistentia animæ, cum sit spiritualis, fit à Deo solo. Subsistentia verò materiæ, præexistebat ante hanc generationem: & à Deo primùm materiæ indita in prima creatione, perstitit exinde semper in materia. Ratio igitur cur hominis generatio dicatur ad subsistentiam terminari, ex eo petenda est, quod eo ipso quod generans effectiuè attingit vnionem partium humanitatis inter ipsa, resultat persona in natura integra subsistens, si res fiat iuxta consuetum naturæ ordinem, & secludatur extraordinarium miraculum quo Deus vellet modos partiales subsistentiæ subtrahere à materia corporis, cum primùm animatur, & ab anima quam infundit. Tunc enim etiamsi impediretur resultãtia personæ, tamen vera generatio fieret, & tota parentum efficientia suum locum haberet, sed tantùm procreatetur humanitas. Eo itaque excluso miraculo, quia cum generans efficit vnionem partium physicarum essentialium exurgit persona, meritò dicitur generationem terminari ad personam. Hoc tamen nollam infert generantis efficientiam in personam, vel vnionem hypostaticam humanitatis sic productæ: sed eo ipso quod Deus humanitati sic productæ diuinam suam subsistentiam in eodem momento apponeret, homo qui prædictam efficientiam ei humanitati contulisset, etiamsi nihil in vnionem hypostaticam influxisset, esset verè Christi pater. Sed hæc, vt dixi, spectant ad illud quod de potentia absolura posset contingere.

Christum de facto, absque Patre creato conceptum, concluditur.

212. Attendendo autem ad illud quod reipsa factum est, planè ex fide constat, omnem viri efficientiam procul exulasse ab hoc negotio, vt satis hactenus demonstratum est. Qui in huius veritatis confirmationem pluta desiderat, adeat DD. pro B. Mariæ Virginitate disputantes. Astipulantur enim huic veritati, eo ipso quod probant, eam de Spiritu sancto concepisse, ideoque Virginem fuisse concipiendo. Hoc passim sacri DD. confirmant, siue contra Iudæos, siue contra Ethnicos, siue contra vtrorumque symmistas, quosdam hæreticos. Splendidissimè id contra Iudæos agitarunt S. Hidelphonsus in opere de perpetua B. Mariæ Virginitate, Abulensis opusc. in illud Isaiæ, *Ecce virgo concipiet.* Finus toto lib. 2. Flagelli, Galatinus lib. 7. de Arcanis à cap. 14. & luculenter de more Canisius lib. 2. de B. Maria cap. 6. Contra Ethnicos verò idem versant, Lactantius 4. instit. cap 6. & 18. Eusebius lib. 7. de demonstr. cap. 1. (quamquam æquè in Iudæos differit,) Ruffinus ad tertium Symboli articulum, & laudatus proximè. Canisius ibidem cap. 7. aduersus quos satis superque esse potest exemplum Buddæ ex Virginis latere geniti, & Platonis è Virginis partu editi vt ferebant fabulæ ab Ethnicis admissæ, quas memorat S. Hieronymus lib. 1. in Iouinia. Ethnicis tamen in hoc puncto annumerandi non sunt Mahumetani, quos hac in parte rectè sentire refert Cantacuz. Apolog. 1. Denique contra hæreticos, propositum fidei veritatem confirmat Canisius ibidem cap. 8. & 17. præiueratque contra Heluidium S. Hieronymus. Nam quamuis hic nebulo, in solam S. Mariæ virginitatem post partum fuereat, tamen S. Hieronymus vniuersè monstrat, Deiparam semper Virginem, & viro inaccessam fuisse. Nec iuuat hæret eos, locus quem ex Apostolo obtendunt, vbi asserit Christum *factũ ex muliere.* Vox namque *mulieris*, sexum notat, non corruptionem, vt latè tractat Tertull. l. de valend. Virg. cap. 4. 5. & 6. & insigniter planè Orig. hom. 8. in Leuit. *initio.* Contra omnes verò prædictas impietatis ac nequitiæ turmas, pugnant Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 1 x 1. Suarez t. 1. 3. p. d. 3. Vatquez 3. p. d. 121. Coccius t. 1. lib. 3. art. 2.

Christi igitur generatio sic fuit, quam non diffiteor fuisse & nouam & planè mirabilem Sed vt ait S. Maximus hom. 1. de natali Domini. [Si in sanctis suis mirabilis Deus, quomodò non in se ipse mirabilis? Si mirabilis in Ioanne quem nasci de patre senissimo, & sterili de matre præcepit, quanto magis in se est mirabilis, qui vt nostræ conditionem carnis indueret, nouum Virgini & conceptum dedit & partum? Ait sanctus Abacuc. propheta: *Domine audiui auditionem tuam, & timui, consideraui opera tua & expaui.* Quis nõ expauescat, & metuat tanti profunditatem mysterij, quando quidem vnus idemque, sine conceptione natus est Deus, & sine creante factus est homo?]

B. Virginis concursus in Christi conceptionem, perfectè maternus, ac primùm passiuus, per materiæ suppeditationem.

213. Procul amandato à Christi conceptione concursu quocumque patris creati, excutiendus est maternus. De quo illud generatim præmittendum est, B. Virginem fuisse verè matrem hominis illius, qui Christus dictus est; nec paruulum fortuitò peperisse, vt fabulabantur Sabelliani apud S. Augustinum serm. 18. de ss. sed verè eum concepisse & peperisse, vt apertè fert vox *matris*, qua in Scripturis & traditione donatur, & quod in regula fidei conceptus ex Virgine dicitur. Vnde etiam habetur, B. Mariam omni eo modo ad filij conceptionem concurrisse, quo aliæ quæ verè matres sunt, concurrere solent: Ita vt cum certum sit, matres eò dici matres, quod saltem ad fœtus efformationem suppeditent sanguinem; id saltem præstiterit Deipara. Neque id diffiteri voluit Anast. Synai. cap. 13. ἐδώϰ, cum ait Christum in Deiparæ vtero absque materia fuisse formatum. Id enim intelligit, de materia extrinsecùs subministrata, seu de semine vitili, quod hinc prorsus exulauit.

Difficiliùs visus est loqui S. Hilarius lib. 10. de Trinit. *non multùm ab initio*, vbi negat, B. Virginem dedisse initium corpori Christi. Deo quo loco, digladiatus est cum Philippo Abbate, quidam Ioannes Præpositus, qui rectè monuit (id quod etiam à Gilberto Porretano se didicisse ait Philippus epistola 5. *in fine*) librum quo ea propositio continetur, non esse S. Anastasij, vt ferebat titulus Codicis, sed verè esse S. Hilarij. Eum verò in illa propositione lapsum esse, citra ambages pronunciat Ioannes ille tertia ad Philippum epistola, nec admittit responsionem Philippi; quod scilicet sensus S. Hilarij tantùm fuerit, Christum non accepisse à B. Virgine vitium originis nostræ, nec esse procreatam cum æstu libidinis, & concupiscentiæ flamma. Id enim procul abesse à S. Hilarij verborum sensu, affirmat Ioannes; nec immeritò, vt rectè etiam notauit Hunaldus epistola ad eundem Ioannem, qui propiùs quàm Philippus aut Ioannes attigit verum S. Hilarij sensum; qui fuit, B. quidem Virginem suppeditasse Christo, quidquid aliæ matres liberis suis suppeditant; atque adeò saltem materiale corporis Christi principium: Christum tamen non habuisse ab ea sui initium, quatenus alia causa efformandæ tam subitò humanitatis, &

Verbo

Verbo vniendæ, necessaria fuit; nimirum Spiritus sanctus-Verba S. Hilarij, seipsa explicat, nisi attentè legantur, & eius stylus paulo fortior & durior habeatur pertinens. [Virgo (inquit) non nisi ex Spiritu sancto, genuit quod genuit: Et quamuis tantum ad natiuitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent: non tamen Iesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam. Sed omnis causa nascendi, inuecta per spiritum, tenuit in hominis natiuitate quod Dei est. Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimum susceptæ hominis Sacramentum, Dominus ipse ostendit dicens: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Quod descendit de cœlo, concepta de Spiritu originis causa est. Non enim ex se corpori Maria originem dedit: licet ad incrementa partumque corporis, omne quod sexus sui naturale est, contulerit. Quod verò hominis filius est, susceptæ in Virgine carnis est partus.] Et mox. [Absolutè B. Apostolus etiam huius inenarrandæ corporeæ natiuitatis Sacramentum locutus est, dicens; *Primus homo de terra limo, secundus homo de cœlo*; Hominem enim dicens, natiuitatem ex Vigine docuit: quæ officio vsa materno, sexus sui naturam, in conceptu & partu hominis, executa est. Et cum ait, secundum hominem de cœlo, originem eius ex superuenientis in Virginem sancti spiritus aditu testatus est. Atque ita cum & homo est, & de cœlis est, hominis huius & partus à Virgine est, & conceptus ex Spiritu est.] Nihil clarius pro sensu proposito S. Hilarij, quem errores hi tanta Christianæ veritatis luce insimulare hac in parte, quod fecit prædictus Ioannes Præpositus, audaciæ est plusquàm giganteæ, & nullomodo ferendæ. Certum igitur esto, B. Virginem, materiam formando Christi corpori necessariam contulisse.

De actiuo per verum semen, pars negans.

214. Cùm verò insuper, Medicorum experimentis & rationibus sit ferè certum, matres omnes semen aliquod ad prolis conceptionem conferre, quod in ijs saltem mulieribus quæ bona & vegeta sunt corporis affectione, actiuum sit, nec materialiter tantùm, sed & effectiuè ad generationem concurrat; Idem planè, & cum eodem certitudinis vel probabilitatis gradu, affirmandum est de B. Maria quoad Christi Domini putissimam conceptionem. Videtur omnem efficientiam Deiparæ hac in re negare S. Ambrosius in institutione Virgine cap. 16. Sic enim scribit: [Beatus Mariæ vterus, qui tantùm Dominum coronauit quando formauit. Coronauit eum quando generauit, quia & si eum sine aliqua sui operatione formauerit, quia Spiritus sanctus superuenit in Virginem (vnde & ipse ait; *Inoperatum meum viderant oculi tui*) tamen hoc ipso quod ad omnium salutem eum concepit & peperit, coronam capitis eius æternæ pietatis imposuit, vt per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus. Inoperata est ergo caro Christi, quam vt Maria Virgo conciperet, invsitato quodam nouoque Incarnationis mysterio, sine vlla virilis seminis admixtione, diuinæ gratia dispositionis, quod erat carnis assumpsit ex Virgine, atque in illa nouissimi Adam immaculati hominis membra formauit.] Verùm S. Ambrosius eo loco nihil minùs cogitauit quàm de abrogando Virgini actiuitate in Christi formatione. Sed quod ait Virginem sine aliqua sui operatione Christum genuisse, *operationem* sumit passiuè pro cultura à vito. Frequens enim esse vt paternus ad maturis fecundationem interuentus, nomine operationis in aluo femineo exprimatur, Conradus Ritherusius ad lib. 4. Halient. Oppiani num. 26. ex sacris & profanis fusè persequitur. Deipara ergo absque vlla tali sui operatione Christum concepit, quia planè intacta semper à viro fuit. Creditus Bernardus tract. de vite vera cap. 1. Eodem sensu ait, benedictam Virginis terram, non accepisse operationem humanam ad concipiendum Christum, sed à solo Spiritu sancto fuisse irrigatam exclusa quacumque viri, opera. Igitur in illis Ambrosij verbis *operatio sui* sumitur passiuè pro cultura ab alio. Sicut passiuè sumitur verbum operandi apud Apostolum, cum ait, fidem per dilectionem operari ideſt excoli & exerceri. Ac proinde locus ille Ambrosij nihil officit præsenti instituto, neque excludit veram Virginis actiuitatem in Christi procreationem interuentu seminis sui, etiamsi excluso prorsus alieno.

Quamuis autem si semel statuatur B. Virginem verum semen ad Christi formationem contulisse, facilè concedendum videam, non sterile ab ea, quodque in solam partium spermaticarum materiam cederet, sed actiuum & efficax semen fuisse suppeditatum, cum corpore esset optimè constituto: Tamen quod B. Virgo semen aliquod contulerit ad Christi formationem, quibusdam perticulosè asseri videtur. Candor enim Virgineus, & nitidissima puritas qua Deipara in corpore supra omnes Angelos & spirituales substantias enituit, efficere planè videntur, omnem seminis interuentum in hac conceptione defuisse. Et ita simpliciter affirmat Rubio in 3. d. 4. q. 1. art. 3. concluſ. 3. annuitque Palac. Ioan. 3. enar. 1. ac Med. 3. p. q. 32. art. 4. & Aquat. in 3. d. 4. conclu. 1. qui vrgent libidinis sensum, & impuræ voluntatis Afflatum ex quo semen deciditur. Et idcirco sententiam contrariam notant asperiùs, vocantque ineptam, & falsam, ac malè sonantem. Catherinus verò lib. 4. contra Caiet. pag. 269. tit. de ijs quæ à Caietano peccata refert aduersus Deiparæ puritatem & integritatem, *tamquàm indignam & impuram feditatem*, insectatur dictum Caietani 3. p. quæst. 31. artic. 5. quod Virgo concepisse Christum dicatur ex suo semine, aut ex menstruo sanguine. Accedunt pleræque autoritates disertè ferentes, Christum processisse hominem sine semine, & ex purissimis sanguinibus fuisse conceptum. Non igitur ex materno semine.

Eligitur affirmans, reiecta eius probatione ex Scripturis.

215. Mihi tamen sicut de alijs matribus ferè certum videtur, quod per verum semen à se subministratum ad prolis generationem concurrant, ita de Deipara idem quoad Christi conceptionem videtur statuendum. Quod & ratio, & autoritas multiplex, & inanitas eorum quæ in contrarium opponi diximus, satis persuadet. Et ratio quidem in eo sita est, quod vt iam attigi, eumdem planè concursum debeamus B. Virgini respectu Christi tribuere, quem alijs matribus assignant Medici ac Philosophi, qui hæc penitiùs perua-serunt: alioqui periclitabitur veritas maternitatis pro Deipara. Atqui alias matres, semen aliquod ad prolis efformationem conferre, peritis est extra dubium; qui testantur id planè ferre naturalem necessitatem feminis, ad materialem causam præcipuarum prolis partium. Igitur non videtur dubitandum, quin B. Virgo verum semen contulerit ad Christi conceptionem, ne minori iure mater Christi dicatur, quàm cœteræ vulgo matres liberorum suorum. Ex quo etiam principio, supposita optima corporea cõplexione B. Virginis, eruitur ratio, confirmans hoc semen fuisse actiuum & efficax, non autẽ sterile, quale Aristoteles omnium mulierum semen esse censuit, reclamantibus Medicis, qui è contrario, mulierum quorumuis semen actiuum & efficax esse contendunt. Nobis autem ad rem præsentem sufficit, quod nunc omnium ferè sententia habet; nempè saltem

saltem semen quod à mulieribus vegetis & benè affectis suppeditatur, actiuum & efficax esse. Id inquam nobis in hac causa sufficit. Nam B. Virginem fuisse corpore sano & optimè affecto, nemo in dubium reuocat, & congruentissimè asseri per se liquet.

Vento ad autoritatis suffragium, vbi abstinendum est nonnullis Scripturis quæ videri possent nostram sententiam sonare. Cuiusmodi est illud Genes. *3. inimicitas ponam inter semen tuum & semen mulieris*: quo loco Christus dicitur *semen mulieris* vt interpretantur SS. Cyprian. l. 2. ad Quirin. cap. 9. Irenæus lib. 4. contra hær. cap. 78. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 416. Chrysost. homil. 17. in Genes. Augustinus lib. 12. de Genes. ad lit. cap. 36. Leo serm. 2. de natiuit. alijque passim. Nec obscurè Isid. Pelus. lib. 1. epist. 416. significat Christum dici semen matris quia ex solo eius semine procreatus est, citra omnem puritatis oblæsionem. Hic tamen locus, non multum promouet causam nostram. Nam Christus dictus est *semen mulieris*, iuxta Hebraicam phrasim, qua filius nomine *seminis* nuncupatur, eò quòd proles in ordinarijs generationibus, à patre pendeat interuentu seminis. Vnde extensa est appellatio ad matrem: quia qui concipitur, eius quoque proles est; siue mater semen actiuum conferat, siue non conferat semen, saltem actiuum. Sanè autor epistolæ de viro perfecto, quæ habetur t. 9. Hieronymi, cum hunc locum de Christo, eiusque in Deipara conceptu interpretetur, disertè tamen negat semen eo loco significare posse quod vocis cortex præfert: quoniam (inquit) semina non habent mulieres. Quare non possumus eo Scripturæ loco niti. Eodemque modo exarmamur illis alijs Scripturis, quibus Christus dicitur *factus ex semine Dauid*, vtique per Virginem. Hæc inquam loca, eodem modo enodari possunt, quo locus ex Genesi citatus; ita vt Christum ex semine Dauid concipi, sit concipi ex successione Dauidis, esseque eatenus filium eius: siue Virgo quæ immediatè influxit in Christum, semen aliquod suppeditarit, siue nullum. Præterquam quod mediati progenitores Christi trahentes à Dauide originem, hoc quod erat esse Christi mediatum, transmisso verò semine assecuti erant: & eatenus ipsa Virgo ex qua Christus est factus, semen Dauidis vere fuit. Itaque locus ille frustra proferretur in rem præsentem.

Probatur ex Patribus.

216. Autoritates ergo quibus nititur sententia proposita, partim sunt Patrum, partim Scholasticorum. Inter Patres S. Epiphanius hær. 30. quæ est Ebionæorum num. 31. videtur expressè suffragari huic sententiæ, tractans illud Psalmi 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, quod Christo accommodat, & ita exponit. [*In libro tuo omnes scribentur. Dies formabũtur & nemo in eis: nam cum libro vterum comparauit. Propterea, imperfectum*, ait, *meum viderunt oculi tui, hoc est proseminatũ me antequàm fingeres cognosti, imo etiam antequàm proseminatus forem. Sed Hebraica vox, expressius quiddam sonat. Pro eo enim quod legimus* imperfectũ, *habet ille* Golme, *quod idem est atque alica siue granum similes, quod videlicet nondum in panem coaluit ac subactum est sed è contuso frumenti grano velut medulla quædam crassior ac minuti calculi instar est. Sic igitur ea voce, id ipsum quod in semine hominis ineſt simillimum accuratius exprimere voluit, cum dixit* imperfectum, *id est infermè iam tum ex vtero, imò ante vterum viderunt oculi tui. Nouit enim omnia Deus antequam fiant. Ac libri segnitiue nomine maternus vterus indicatur.*] Apertissimè S. Epiphanius eo ipso loco quo semẽ quodcumque vitile à Christi conceptione excludit, subdit Christum proseminatum, vtique ob maternum semen, & hoc esse ait *imperfectum* illud, siue *Golme* subalbens & colore ac substantia semini humano simillimum.

Beda in cap. 11. Lucæ, ita scribit. [Christus matris lacte nutritus est, & eius semine conceptus. Ex eodem enim fonte secundùm physicos, vtrumque manat.] Liquet semen de quo agit, esse verum semen, nec posse dici vsurpatum ab eo semen pro sanguine, cum vtrumque secernat.

S. Anitus libro contra Photinianos, ea plagula quam inde exscerpsit Agobardus l. contra Felicem, *sub finem*, diserte tradit Christum. [Per concordiam genitoris ac generis per traducem maternorum parentum, ex Abrahæ semine.] esse procreatum. Quæ verba apertè ferunt sententiam pro qua pugnamus.

Hincmarus Opusc. de diuortio Lotharij & Thetbergæ, adeo clarè tradit quod hic intendimus, vt non possit clariùs. Initio ferè Opusculi in breuicalo responsionem ad interrogat. ad 12. [B. Mariæ conceptio, non naturæ fuit, sed gratiæ, dicente ad eam Archangelo, *Ave gratia plena*. In quam Spiritus sanctus superuenit, qui ei ex Virgineo semine, Virgineoque sanguine, sine voluntate carnis, & sine voluntate viri fecunditatem prolis contulit.] Eadem verbatim repetuntur infra ad plenam discussionem interrogationis 12.

Odo Cameracensis in disput. de aduentu Christi contra Leonem Iudæum, laudato insigniter nitore veteri Deiparæ, cuius patrorem à Iudæo obiectum retulerat, addit, *B. Virgo de cuius visceribus sumebantur seminalia quæ fierent Deus.*

Petrus Damiani serm. de S. Victore. [Assumitur purum semen de Virginea puritate, & illum propitiationis fontem sapientia Dei secretiori nouitate repurgat.]

S. Remigius vel vt alij malunt Haymo in cap. 8. ad Roma. ad illud *in similitudinem carnis peccati*, [Corpus Christi non libidinoso vsu maris & feminæ est procreatum, sed opere Spiritus sancti, de semine mulieris sine semine virili; ideoque sine peccato conceptus, sine peccato est natus, & sine peccato ab hoc mundo transiuit.]

S. Bernardus serm. 2. de Pentecost. *initio*, tractans illud Isaiæ 4. *in die illa erit germen Domini in magnificentia*, ita habet. [Germen Domini, Iesus Christus, solus de mundissimo conceptus semine.]

Richardus Victorinus l. 12. de Emman. c. 12. [Christus matrem in eo glorificauit, quod ei aliquid supra naturam dedit. Fecit siquidem in ea aliquid quod fuit contra naturam; aliquid quod fuit secundùm naturam; aliquid quod fuit supra naturam. Contra naturam infirmitatis nostræ fuit, quod virgo concepit. Secundùm naturam fuit, quod in vulua conceptus, & formatus, & tandem secundùm legitima nascendi tempora, natus fuit. Supra naturam non solùm huius infirmitatis nostræ, sed etiam supra naturam conditionis primæ fuit, quod sine virili semine virgo concepit. Puritatis fuit, quod sine concupiscentia seminare potuit; honoris, quod prolem ab omni peccati contagio munda effudit. Gloriæ, quod non de viro, sed Spiritu sancto concepit.] Nota illud *seminare potuit*; id est, *reipsa semi nauit.*

Rupertus in cap. 3. Ioan. ad illud, *filius hominis qui est in cœlo*, ait Christum formatum fuisse [de semine Abrahæ de stirpe Dauid, de carne vel semine Mariæ, licet Virginis.] Et in cap. 1. Matth. ad illud, *pariet autem Filium* ait de Spiritu sancto [Ille vterum Virgineum cœlitùs irrorauit, de non sua substantia sed de naturali humore ipsius incorruptæ carnis. In quo mira & magna distantia est ab omni conceptu vniuersæ carnis, quia vim sementinam sacri corporis, non vir extrinsecùs accedens, sed Spiritus sanctus intus operans excitauit.] Guerricus serm. 4 de assumpt. [Benedicta in mulieribus, benedictum semen de ventre profundit.]

S. Illephonsus l. contra disputantes de perpetua Virginitate B. Mariæ, allegato B. Augustino, vt ex sequentibus constat (nam principio interuenit lacuna, quæ vnde depromptus sit Augustini locus facit obscurum,) allegato inquam Augustino, hæc verba habet. [In vulua Virginis,

Virginis, sanguis genitalis, & semen eius humor fuit. Huius humoris sanguinisque substantiam, celatam, carnem intus fecit. Accessit quoque Spiritus sanctus, & hæc quæ fuerant Verbi glutino cõmassata, animando formauit.] Et paulo post, expendens & reuoluens Augustini verba. [Cæterum de liquore seminis,& de coagulo humoris quod fuit in virtute & potentia Verbi, quodammodò prout loqui fas est, eleganter est locutus,quontam ipse est mons Dei,ille in Psalmis mons pinguis & coagulatus in vtero Virginis, non illi quos falsò suspicati sunt montes incasceatos,sed solus ex Virgine Christus, mons est in quo beneplacitum est Deo Patri habitare in finem. Et ideò per Spiritum sanctum inre dicitur coagulatus, quia sicut lac emulsus est, & concretus de humore vel sanguine, quod est vt physici volunt semen mulieris. Coagulatus est autem; ac si ex lacte seminis, vt vnus sit Christus, ex quo conceptus est Deus & homo.]

217. Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Deip. tractans comparationem B. Virginis cum ligno vitæ, accommodat ei illud, *Cuius semen in semetipso sit super terram.* [Aliarum enim arborum vel lignorum, hoc est aliarum mulierum semen, ex quo fit fructus, in se non est,sed in alio; hoc est in viro, quia fructus id est puer, ex semine nascitur vtriusque. Sed hoc benedictum lignum,in semetipso,id est in se solo, habuit semen.]

S. Anselmus l. de conceptu Virginis actiuo cap. 8. agnoscit assumptum esse de Virgine semen ad Christi formationem: & agit de vero semine, vt liquet ex ijs quæ paulo ante dixerat in calce 7. capitis cum quibus continuantur quæ habet cap. illo 8. Rursus cum c. 13. edidisset corpus in femina ex semine muliebri diuinitùs segregato compactum, peccato originis caritumsubdit cap. 14. hæc ad Christum aptans, illa quæ apud Iobum leguntur de conceptu hominis ex immundo semine,non posse Christo applicari; nec DD. qui eum Iobi locum vniuersaliter vsurpare videntur, Christi formationem verbis illis comprehensam censuisse. [Illi vtique (inquit) qui hoc dixerunt, aut noluerunt ea intelligi de omni hominis semine; aut tantùm de illo quod cum consensu seminatur voluptatis, quod non esset nisi brutorum animalium si homo non peccasset. At si de omni hoc senserunt: ergo semen de sola Virgine sumptum, immundum tanti viri asserunt, quod impium est credere Non itaque hoc de illo scripserunt. Sed si de aliquo hominis semine, hoc iuxta hunc sensum protulerunt, non nisi de illo quod cum prædicta voluptate concipitur,intelligi voluerunt. Hoc autem nullatenus refragatur nostræ rationi, quæ semen de Virgine sumptum asserit esse mundum,quamuis de massa peccatrice.]

Autor Anonymus qui tempore D. Bernardi scripsit, in declaratione eidem libro B. Anselmi subiecta, apertissimè Christum ex vero B. Virginis semine concepturn tradit.

218. Eodem tempore idem docuit Philippus Abbas epist. 5. *sub medium*, verbis illis. [Sicut ille *Christus* verus homo,sic illa *B. Virgo*,vera mater fuit quæ ex carne propria illum progenuit,quod Eutiches & qui cum eo erant negare præsumpserunt, & eum nihil accepisse de carne Virginis contenderunt:Dicebant quippe, quia etsi in vtero Virginis fuerat incarnatus,non erat tamen ex illius semine procreatus: fortè ne illi iniuriam inferre viderentur, si ex tali materia eum esse genitum fateretur. Erroneam quorum sententiam, Beda ille Venerabilis, ad quem me remisistis, molitur euertere; & eos,imo eorum similes ad finem conuertere: asserens quia ille carnem sumpsit non de nihilo,non aliunde,sed ex proprio Virginis semine: alioquin, ait, nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. In quo non existimo, eundem Bedam, Augustino, vel Athanasio contraria dicere vel sentire: neque illos conuerso ab huiusmodi sententia dissentire: cum iste loquatur de materia corporis sementiua, ille verò de operatione diuina.] Egregiè quoque idem, & multo expressiùs epist. 6. agens de S. Hilarij sententia,qua negarat Christi corporis initium ex B. Virgine lib. 10. de Trinit. Ait enim Philippus. [Nec tamen per hoc abnegat, quin materiam ministrauerit sementiuam, ex qua sibi Dei sapientia ædificauit corporis officinam: vt non aliunde,non de nihilo illam sibi crearet extruxisse; sed in vtero,& ex vtero Virginis corpus veraciter assumpsisse In qua assumptione quidam,sicut præsens audiui,scrupulum patiuntur, qui diuinis litteris eruditi pro constanti defendere moliuntur, quod etsi Christus in vtero,& ex vtero Virginis carnem sumpsit, illam tamen particulam ex qua nos alij concipimur, non assumpsit. Horrent enim vel credere vel dicere, quod illam carnem liquidam, quam physici vel semen,vel sperma nominant, in Virgine Christus assumpserit; & non potiùs aliam sanctiorem vel saltem digniorem in eadem elegerit; tamquam non conueniat corpori tantæ sanctitatis, vt conceptum sit ex illa communi materia nostræ omnium vilitatis Denique, fides, (vt putant,) non exigit vt ex semine Virginis Christus conceptus asseratur, sed ex carne conceptum Virginis,necesse est eum quisque Catholicus fateatur: multoque credibilius, multò esse conuenientius ab illis æstimatur, vt non illam, sed aliam assumpsisse carnis particulam videatur. In qua æstimatione, quantum Christo deferunt, tantum Virgini videntur derogare, & matris iniuriam,certum est in filium redundare? & neutrum eorum possunt dignis laudibus honorare qui alteri non verentur honores ingratos arrogare. Ex qno illam Virginem Angelus Gabriel salutauit; ex quo,facta salutatione, virtus illi altissimi obumbrauit; totam eam ineffabilis gratia permundauit, totam permundatio mirabilis mirabiliter honestauit. Et sicut nostra caro tam solida quàm liquida, peccati & dedecoris accusatur, quia legi Spiritus à lege membrorum pænaliter repugnatur: sic posteaquam dictum est Virgini, *Spiritus sanctus superueniet in te*, illud Salomonis completum est: *Tota pulchra es amica mea,& macula nõ est in te.* Carnem ergo Virginis sementiuam, existimo dedecoris nil habere; nil maioris decoris alteram illi proximam obtinere: quin ex ea quæ ad formandos conceptus à principio est diuinitus ordinata, ædificet congrue domum suam Sapientia humanitùs incarnata. Propter illam materiam quam accepit ex Maria, dici potest ex ea Christus carnis originem habuisse propter operantem in ea Spiritum, recte dicitur non ex Maria sed ex Spiritu originem accepisse.]

219. Non abs re quoque, inter Patres sententiæ nostræ astipulatos, recensuerim Damascenum: non modò eo loco quem in hanc rem adducit S. Bonau. in 3. d. 4. art. 3. 1. ex 3. fidei cap. 2. sed etiam l. 4. de fide c. 15. vbi sic scribit. [Quando veniet plenitudo temporis, missus est Angelus Domini ad ipsam, annuncians Domini conceptionem, & sic concepit filium Dei, consubstantialem Patris virtutem, non ex voluntate carnis,neque ex voluntatè viri, id est ex congressu & semine, sed ex Patris bona voluntate, & cooperatione Spiritus sancti, suppeditauit Creatori creari,& Plasmator plasmari, & filio Dei & Deo, incarnari, & humanari, ex puris & illibatis carnibus eius & sanguinibus, primæ matris absoluens debitum.] Quod S. Damascenus, Deiparam, Ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ ἀμολύντων σαρκῶν καὶ αἱμάτων: *Ex purissimis & illibatis carnibus ac sanguinibus*, Christum concepisse ait, cum non possit de carne vulgariter sumpta intelligi, (neque enim ex ea formatur fetus, pugnaretque ea formatio cum vera maternitate vt benè monstrat Abulens. in c. 12. Leuit. q. 6.) vt proinde vnà benè sub disiunctione Christum ex propriè dicta carne formatum referat Iord. p. 2. c. 2.

omnino

omnino videtur accipiendum de semine materno: quod carnem vocarit. Damascenus, quia potentia est caro, moxque in eam transmutatur in fetu. Quo eodem modo accipi potest quod ait Anastasius c. 20. ὁσ γε. [Verbum fuisse vnitum carni, & visceribus, & vtero Virginis.] Id enim constat falsum esse, si iuxta verborum extimum corticem accipiatur. Carnem liquidam pro semine, vsurpantem Philippum Abbatem, proximè retuli. Idemque Tom. 2. Moralit. in Cant. tractans illud, *Aquila magna venit ad cedrum quæ erat in libano & tulit de medulla cedri & asportauit eam*, cum hunc locum accepisset de assumptione humanitatis per Verbum intra Deiparam, ait, medullam cedri esse carnem Virginis è qua formatus est Christus, vbi *carnem* apertè sumit in sensu quem dixi.

Suffragium Scholasticorum.

220. Ex Scholasticis, suffragantur sententiæ propositæ, benè multi. Nonnullos refero, vt in re grauissima, quorumdam meticulosorum pauor discutiatur S. Bonauent. apertè id habet in 3. d. 4. art. 3. q. 1 *in corpore*. Nec refragatur in responsione ad 2. Nam ibi, tantùm intendit excludere indecentem materiæ congregationem. Annuit item Scotus cadē distinc. illa 4. vnica §. *si autem teneatur*, & passim per reliquam quæstionem.

Henricus Gandauensis diserte nobis suffragatur quodlib. 15. q. 13. versic. *ab illo ergo*, & inferiùs versic. *Ego autem*.

Optimè Richardus in 3. d. 4. art. 2. q. 1. *in corpore*. [B. Virgo (inquit) verè potest dici mater Christi, quia quicquid requiritur ad rationem maternitatis, fuit in Virgine respectu Christi. Per virtutem enim generatiuam, humorem sanguineum in membris digestum in semen conuertit, eo modo quo semen est in mulieribus, & illud semen decidit sine quacumque deordinatione, & ad debitum locum conceptionis transmisit; & in conseruatione, & in nutritione pueri in vtero, cooperata fuit perfectiùs, & excellentiùs, quàm aliæ matres. Plura autem non requiruntur ad rationem maternitatis.]

Mayro in 3. d. 4. art. 4. primis quatuor conclusionibus, cum præmisisset, quid pater, quid mater ad prolis generationem conferat; statuisseque matrem concurrere actiuè per semen suum, subdit. [Et iuxta hoc, ad propositum introducuntur aliæ duæ conclusiones. Prima est quod B. Virgo Maria non se habuit totaliter actiuè in generatione suæ benedictæ prolis: vel quod idem est; non causauit eam totaliter in genere causæ efficientis, quia aliàs posset aliqua mater sufficere sine viro ad prolem. Secunda conclusio, quod B. Virgo Maria suam benedictam prolem causauit vel generauit totaliter in genere causæ materialis; quia ibi nulla alia materia concurrit, nisi purissimi sanguinis Virginis Mariæ. Habuit autem B. Virgo Maria verum semen quod est prolis & generationis, verum principium actiuum: non tamen omnino digestum. Sed Spiritus sanctus illud semen, vel illum sanguinem vltimatè digessit: vt sic haberet sufficientes Spiritus actiuos ad digerendū.] Quod quasi sub disiunctione ait extremo loco, *illud semen*, vel *illum sanguinem*, non pertinet ad exclusionem veri seminis aut dubitationem an hic intercesserit. Sed vt variorum variis loquendi modis seruiret, vocauit *sanguinem*, illud ipsum quod immediatè ante vocarat *semen*, qui modus loquendi adhibetur Ioan. 1.

Aureolus eadem distinctione 4. vnica art. 5. præsertim *sub finem*, concluſ. 1. & 2. Apertissimè suffragatur sententiæ propositæ.

Aquilanus ibidem q. 1. in calce primi articuli, subscribit sententiæ agnoscenti in Deipara veram vim actiuam generationis Christi, per materiam quæ non passiua tantùm, sed etiam actiua fuerit, quæ alia non est quàm semen, tametsi absque libidine decisum.

Ocham in 3. p. 3. art. 3. incidentali, & dubijs quas art. 4. partiali dissoluit, disertè & frequenter iterat, verum semen, B. Virgini Christum concipienti, ac per illud actiuè concurrenti, esse adscribendum.

Dionysius Cistercienſis 3. q. 2. art. 1. concluſ. 2. est expressè in eadem sententia, adducto Scoto.

222. Gabriel in 3. d. 4. q. vnica art. 1. ad 3. & articulo 2. concluſ. 2. & art. 3. ad 4. dubium, diserte admittit in B. Virgine semen actiuum, quoad Christi conceptionem exhibuerit concursum. Et art. illo 1. refert verba Henrici de Oyta, idem perspicuè affirmantis, & refellentis Argentinatem qui in 3. d. illa 4. q. vnica art. 2. refellens sententiam cui adhæremus à quibusdam antiquis traditam, ei refragatur, eo tantùm philosophico argumento ductus, quod matres iuxta Aristotelem careant vero semine: quod fundamentum inane esse, constat ex dictis. Oyta ergo hoc Argentinatis dictum refellens quoad B. Virginem, perspicuè suffragatur nostræ sententiæ.

Franciscus à Christo in 3. d. 3. q. 6. circa ad 4. fusè ac splendidè idem docet, adductis alijs, & nominatim Caietano 3. p. q. 32 art. 5. quē etiam hoc nomine acriter de more fugillat Catharinus l. 4. contra eum, pag. 269.

Vincentius de Flumaro l. de nominibus Christi, V. *nouus homo*, sic scribit. [Christus conceptus est in vtero Virginali, opere & virtute Spiritus sancti, de semine mulieris sine semine viri.]

Canisius l. 1. de Deip. cap. 4. §. *principio*, expendens sententiam Autoris epistolæ de viro perfecto, agnoscit verum B. Virginis semen quoad efformationem Christi, (quam idcirco ex semine Dauid dictam putat,) concursum præstiterit: idque ab autore illo affirmatum refert. Sed etiamsi autorem illum nobis non esse astipulatum, liquet ex ijs quæ supra ex eo adduxi, itemque etiam si Christum dici factum ex semine Dauid, nihil causam nostram promoueat, vt supra expendimus. Nunc illud vnum ago, esse apertè Canisium insententia quam proposui. Disertissimè quoque in ea est Franciscus Biuarius in Anselmo Vindicato lib. 2. §. 5. num. 5. cum de verbis Bedæ.

Et fuit absque dubio in eadem, Baptista Mantuanus tract. de loco conceptionis Christi. Nam contendit, B. Virginem actiuè concurrisse, & quidem naturaliter, vt cæteræ matres ad Christi formationem. Id verò constat à cæteris matribus non fieri nisi interuentu seminis quod suppeditant. Quo eodem modo potest pro hac sententia citari Molina 1. p. q. 45. art. 5. disp. 2. ad 1. Eandem omni labe eximit & æquè probabilem habere videtur Suarez t. 2. 3. p. disp. 10. sect. 1. & 2. itemque Sanchez l. 2. de Matr. d. 21. num. 11. apud quem Peramatus Medicus latè id ipsum confirmasse refertur in append. ad suum tractatum de semine. Ex Philosophis, planè id agitat & stabilit Mendoza disp. 2. de Gener. sect. 5. Disertè item inter sacros Chronologos Torniellus anno mundi 4051. num. 2. Et explicatissimè inter Asceticos Raymundus Iordani vulgo *Idiota* parte 8. operis integri de B. Maria cap. 10.

Ad argumenta partis negantis.

222. Nec difficile erit quæ oponebantur retundere. Quod enim Scripturæ & PP. B. Virginem sine semine concepisse affirmant, intelligendum est de vitili semine; cuius admissio Virginitatem violat, saltem ordinariè. Et quamuis aliquando contigisse referatur, ab Auerroe, latè hac in parte reprehenso à Mercuriali l. 1. de morbis mulier. cap. 2. vel contingere certè possit iuxta D. Thomam quodlib. 6. art. 18. Nauarrum l. 4. consil. tit. de frigid. consilio 2. (aliàs 3.) num. 23. aliosque adductos exponendo vim generatiuam, vt mulier sine vlla claustri virginei effractione, atque adeò manens Virgo, concipiat ex viro; (concipiat dico, non pariat;)

stiat:) tamen quæ ita concipit, de viro concipit. At B.Virgo concepit de Spiritu sancto supplente paterni seminis actuitatem. Nec tantùm de fide est, quod Virgo in filij conceptione manserit; sed etiam quod de viro non conceperit. De virili ergo semine, intelligendæ sunt Scripturæ & PP. quoties semen à Christi conceptione remouent. Qui verò PP. Christum ex purissimis Deiparæ sanguinibus conceptum dicunt, non sunt censendi excludere verum semen. Nam ob originis seminis ex sanguine, & magnam vtriusque affinitatem, honestati quoque ac verecundiæ consulendo, semen plerumque sanguinis nomine donatur: vt cum passim dicitur quis, ex regio sanguine creatus, & cum Ioan.1. dicitur *qui non ex sanguinibus*. Et quod honestatum antium pace, dictum sit, præsertim feminum semen, sanguinis nomine iure donatur, cum sit sanguinolentum, vt Rabbanus in Glossa capitis 7. sapientiæ ait, ex sententia physicorum, seu Medicorum, qui maris semen, quia excoctum & elaboratum magis, esse dicunt albere; fœmineum verò quia humidius & crudius, rubere & sanguinem referre. Nulla denique ex hac sententia, summæ puritatis in B.Virgine commaculatio sequitur: nec dubium est, quin planè abijcienda esset hæc sententia, si vel labecula exquisitissimo nitori augustissimi diuinitatis delubri aspergeretur. Isque infelicissimus, & supra omnem orationem infortunatissimus iure sit habendus, qui Reginam Virginum, quæ prima professæ & voto firmatæ virginitatis labarum exrulit, commaculare aliquatenùs ausit, & vel tenuissima fœditatis aspergine oblinere. Sed reuera nullum ex proposita sententia omnimodæ Virginis integritati detrimentum infertur. Semen enim in Virginis naturalibus vasis formatum atque concoctum, ad conceptionis locum transmitti potuit, absque vlla prorsus inordinatione, & inhonesta voluptate, aut membrorum commotione, extraordinario cœlesti afflatu Virginem tunc occupante, & Spiritu sancto illi obumbrante. Quod multo minus mirum videbitur, si attendamus naturaliter sæpe cõtingere, vt semen sine sensu & titillatione vlla decidatur. Nulla ité in eo seminis traiectu in matricẽ, vel ruptio, vel apertio virginitati cõtraria interuenit. Quod facilè admittent, qui docent Virginem salua virginitate posse cõcipere & suum & virile semen excipiendo. Vt fortassis non sit necesse, (quod facit Hurtado supra § 67.) recurrere ad miraculum, & affirmare semen subitò diuinitus translatum esse in Virginis viterum, non per consuetas vias. Quo fortassis pertinere possit illud Ambrosij lib.2. in Lucam ad illud *Sanctum Domino vocabitur*, de Deipara & Christo in ea concepto. [Non virilis coitus, vuluæ virginalis secreta reseranit; sed immaculatum semen inuiolabili vtero Spiritus sanctus infudit.] Et indubitatum est sic fore affirmandum, si ita necesse esset ad vndecumque intemeratam Deiparæ puritatem in Christi conceptione retinendam.

223. Sanè diuinam efficientiam miraculosam in tãto opere, & vt S.Ignatius Epist. ad Ephes. (approbante qui cus verba refert Damasceno orat. 3. de Virginis natiuit.) vocauit, *verè clamoris mysterio*, admittere quoad aliqua planè adigimur. Nempè primò ad supplendam materni seminis inefficacitatem. Nam quamuis B.Virgo subministrarit semen in suo genere planè perfectum, tamen semen maternum non est sufficienter actiuum generationis humanæ, nisi adsit semen paternum quod planè defuit. Ergo necessaria fuit peculiaris efficientia diuina, naturaliter indebita, qua interueniente Christus formaretur. Nec minùs secundò, necessaria fuit ea efficiẽtia & interuentus diuinæ manus, vt vniuersùs apparatus tam variarum actionum quæ ad humani fœtus organizationem & perfectionem interueniunt, momento peragereturi. Semen enim maternum etiam si fuisset paterno commixtum, tamen si virtuti suæ fuisset relictum, non potuisset tam promptè effectus illos præstare. Igitur multo minus id potuit solum, & absque virili semine, sed necessaria fuit diuina coëffectio extraordinaria. Et fortassis huc referre liceat quod apud Anastasium cap.3. ὁδηγ. traditur, *B.Virginem esse naturaliter & supernaturaliter Dei matrem*, damnatis ijs qui id inficiabantur. Sensus enim esse videtur, Deiparam fuisse naturaliter matrem; quia & actiuè & passiuè omnia ea ad Christum formandum adhibuit, quæ matres reliquæ naturaliter adhibent. Fuisse autem supernaturaliter matrem, ob indebitum illum influxum quo Deus eam assumpsit, ac extulit, ad subitò supra naturam præstandum, quod aliæ matres per naturales vires sensim ac interiecta mora præstare solent.

Cautio de sobria sententiæ propositæ vulgatione.

Cæterum quamuis ea quæ de adhibito per Deiparam vero semine diximus, videbantur non modò probabiliora, sed etiam simpliciter vera; tamen in tam sancto támque puto mysterio, placet sobrietas & verecundia S.Bonauenturæ qui in 3. d.4. art.2. q.1. negat eam sententiam esse frequenter in ore versandam. Quas enim voces, de ordinarijs hominum in iniquitatibus conceptorum generationibus audire honestæ aures non ferunt, quâ pudoris contritione, in tam sancto, támque puro mysterio, sine verecundo anfractu vsurparemus? Et tamen in naturalibus, negotium hoc, non conditio sed libido fœdauit, vt Tertullianus egregie dixit lib. de anima cap.27. Itaque meminerimus de Christo in splendoribus sanctorum genito, purè semper ac verecundè esse loquendum: ac proinde non esse nudè & apertè, aut passim vulgandam sententiam quam censuimus veriorem.

Corollarium de B.Virgine, verè Deipara, & θεοτόκῳ.

224. Ex cõstituta Deiparæ efficientia in Christi generationem, & partium essentialium naturalem vnionem, inferendus est eminentissimus titulorum eius; nempè maternitas Dei. Hoc in primis facilè declaratur ex sententia superiùs tradita, quod vnio hypostatica cum aduexerit humanitati subsistentiam Verbi, eodem ordine aduenit humanitati, quo aduenisset subsistentia connaturalis, si permissa fuisset profluere. Hæc autem profluxisset ante aduentum vnionis naturalis cum alia essentiali patte, vel cum quouis accidente. Igitur B.Virgo agens quod marris erat erga partes essentiales, iam priùs natura subsistentes subsistentia Verbi, iure dicitur mater Verbi siue Dei. Et licet quis assereret, totam humanitatem priùs natura fuisse productam quàm Verbo vniretur; adhuc tamen salua maneret Deiparæ appellatio. Quia enim humanitas, quæ eo modo quo dictum est, accepit esse interuentu B.Virginis, illo ipso momento quo cæpit, terminata fuit hypostaticè per subsistentiam Verbi, vt infra probabo; & constat ex vigente iam hinc communicatione idiomatum: propter ea verum fuit, illum hominẽ cuius humanitati esse tunc conferebatur per B.Mariam, fuisse tunc verum Deum: ac proinde verum etiam fuit, B. Virginem genuisse illum, qui Deus erat: Nam denominatio geniti, non cadit in naturam, sed in personam, vt docet D.Thomas 3. p.q.35.art.1. Ergo verissimum quoque fuit, B.Virginem fuisse iam tunc matrem Dei, & θεοτόκον siue Deiparam, restricta Dei appellatione ad personam filij, quod de fide definitum est in synodo Oecumenica Ephesina contra Nestorij blasphemiam, & latissimè à Canisio stabilitur lib.3.Mar.à c.13. Mihi vna illa quam proposui ratiocinatio, sufficientissima in hanc rem videtur. Expressit eam Lyrin.cap.21. Com-

monit verbis illis. [Absit vt quisquam, sanctam Mariam diuinæ gratiæ priuilegijs & speciali gloria fraudare conetur. Est enim singulari quodã Domini ac Dei nostri, filij autem sui munere, verissimè ac beatissimè Θεοτόκον, confitenda. Sed non eo modo Θεοτόκον, quo impia quædam hæresis suspicatur; quæ asserit, eam Dei matrem sola appellatione dicendam; quæ eum scilicet peperit hominem, qui posteà factus est Deus: sicut diximus presbyteri matrem, aut Episcopi matrem, non iam presbyterum aut Episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea presbyter vel Episcopus factus est. Non ita inquam sancta Maria Θεοτόκος: sed ideò potiùs, quoniam vt supra dictum est, iam in eius sacrato vtero sacro sanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque vnicam personæ vnitatem, sicut verbum in carne caro, ita homo in Deo, Deus est.]

225. Idem quidem sonat *Christiparæ* nomen, quod nomen Deiparæ: Tamen quia Nestorius contendebat B. Virginem non esse Deiparam, sed Christiparam, & eo nomine vtebatur in sensu hæretico, iure vox *Christiparæ*, ab Ecclesia est eliminata. Audi Theorianum in legat. ad Armenos. [Nec ignorat magna sanctitas tua, vocem aliquando non malam, quæ malè tamen ab aliquibus intelligeretur & exponeretur, reiectione dignam à Patribus esse iudicatam; qualis & *Christiparæ* vox est, Deiparæ Virgini tributa. Nam & Christiparam dicere poteramus. Christum enim peperit, Deum & hominem; quod ipsum nomen, propriè denotat. Sed quod eius nominis significatum, à Nestorio nequiter acciperetur, veluti sacrilegum à sanctis hominibus repudiatum est.]

Similiter Orthodoxus apud Abucaram opusc. 14. quærenti Nestoriano cur non nominaret Virginem *Christotocon* sed *Theotocon*, [Respondet, cum infinitis autoritatibus scripturæ Christum Deum esse probo, simul probo, quæ ipsum peperit, debere Theotocon nominari. Et quomodò non Theotocos dicenda est, quæ Deum filium habet? Aut dic, si audes, matri Regis, non genuisti Regem, neque mater Regis es? Quare cum vocetur Iesus, Christus, non vocas matrem eius Iesutocon? Sed potiùs prætermisso primo nomine Iesus, vocas eam Christotocon? Quod igitur tu fecisti in nomine *Iesu*, cum præterito nomine *Iesu*, nomen *Christi* elegisti, hoc ego etiam feci, prætermisso nomine Christi, nomen Dei elegi, primum & proprium, & excellens. A meliore enim parte, non à minore appellationes fiunt, ac nomina imponuntur, ab ijs præsertim qui laudant, & honorare volunt.] Instanti autem Nestoriano, quod ex Deiparæ appellatione sequatur Patrem quoque & Spiritum sanctum esse Virginis filios; cum Pater quoque & Spiritus sanctus sint Deus, æquè ac filius; Respondet Orthodoxus, sicut cum Christus dicitur homo Deus, inde non infertur Patris & Filij corporatio, quia ibi nomen *Deus* supponit pro sola Filij persona: ita neque cum B. Virgo dicitur Deipara, significat natiuitatem Patris vel Spiritus sancti ex Virgine; eo quod in hac voce, Dei nomen restringatur ad secundam personam.

Est ergo verè ac propriè B. Virgo Θεοτόκος: quam vocem oscitantissimè Motnæus à Concilio Ephesino primùm fabricatam pronunciauit lib. de Euchar. p. 180. vt inde exploderet liturgiam S. Iacobi, in qua ea vox legitur. Hoc dico oscitantissimè pronunciatum. Nam longè ante Concilium Ephesinum, Origenes, & Eusebius Cæsariensis, ea voce vsi sunt, vt refertur apud Socratem lib. 7. histor. cap. 32. sed & Alexander Episcopus Alexandrinus Epistola ad Episcopum Constantinopolitanum ante Concilium Ephesinum data, quæ legitur apud Theodoretum lib. 1 histor. cap. 4. ea voce vsus est. Ipse quoque S. Athanasius serm. 4. contra Arrianos, eam vsurpauit. Citat eum Athanasij locum in hanc rem, S. Cyrillus Epistola ad presbyteros, Diaconos & Monachos Ægypti: additque traditionem esse Apostolicam, denominare B. Mariam, *Deiparam*, Θεοτόκον: idque negantes, Nazianzenus Epistola ad Cledonium, percellit Anathemate. Pari supinitate idem Plessæus, ibidem ὁμόσιον ait vocem esse fabricatam in Concilio Nicæno, cum tamen legatur in epistola Dionysij Alexandrini ad Paulum Samosatenum data, ante tempora Nicæni Concilij: testetúrque Theodoretus 1. histor. cap. 13. id fassum esse Eusebium Cæsariensem Arrianorum signiferum: Et multo ante, Theognostus & alij quos citat S. Athanasius l. de decretis Nicænæ synodi, & ad Episcopos Africæ, vocem illam vsurparint.

Vsus doctrinæ; Immensa propè dignitas, & sanctitas Deiparæ, delibata.

226. Vsus doctrinæ toto capite propositæ, is præsertim esse debet, vt B. Mariam tamquam speciale Spiritus sancti sacrarium, & officinam tot miraculorum, cui Christus ipse tamquam veræ matri, humanum suum esse debet, ex animo veneremur. Deiparæ sanè titulus quantus sit, quamque sublimis, diligenter suis momentis expendit Canisius lib. 3. Mar. cap. 13. & Suarez t. 2. 3. p. d. 1. sect. 2. & optimè S. Bernardus serm. 1. super missus est, verbis illis. [A sæculo non est auditum, vt aliqua simul mater esset & virgo. Quòd si & cuius mater attendas, quo te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, vt te videas, nec satis posse mirari? Nonne tuo, imo veritatis iudicio, illa quæ Deum filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? An non Deum & Dominum Angelorum, Maria suum audacter appellat filium, dicens; *Fili quid fecisti nobis sic?* Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum sint Spiritus ex conditione, & gratia facti sunt & vocati Angeli, testante Dauid: *Qui facit*, (inquit) *Angelos suos Spiritus*. Maria verò matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui illi cum reuerentia seruiunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulo subdit Euangelista: *Et erat*, inquiens, *subditus illis*, Quis, quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantum Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid amplius miteris, siue filij benignissimam diuinationem, siue matris excellentissimam dignitatem. Vtrimque stupor, vtrimque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: & quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginũ singulariter canitur, quod sequuntur agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit.] Quatenus scilicet, Christus homo, iure naturali subdebatur matri.

Nec illud omittendum quod idem Bernardus egregiè prosequitur homil. 3. eiusdem argumenti, nempè quod Christus, atque adeò Deus, cum matre sua à qua & ex qua accepit esse, sit peculiari modo quo cũ nullo alio est; nempè per identitatem. [Deus (inquit) qui vbique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis, quàm in cæteris, & quoad ipsas aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationalibus creaturis, vt tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem. Sed à bonis tantùm, capitur etiam per amorem. In Solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum ipsis propter cõcordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita iustitiæ subdunt, vt Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt: per hoc quod ab eius voluntate non dissentiunt,

tiunt, Deum sibi specialiter iungunt. Sed, cum ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua vtique tanta ei consensio fuit, vt illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua, virginisque substantia vnum Christum efficeret, vel potiùs vnus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, tocus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filij, sed vnus vtriusque filius.]

De sanctitate verò immensa Deiparæ, ob cõceptum in ea & consequenter natum ex ea, & educatum ab ea sanctum Domini; cum vbinis prostent permulta, præsertim apud Sophronium homil. de assump. siue tom.9 Hieronymum epistola 10. adscribam dumtaxat nonnulla: Et in primis locum ex Richardo Victorino l.de differentia sacrif. Abelis & Mariæ, cum tradit B. Virginem non exoptasse mortem timore ne in peccatum laberetur, sed ex mero Dei amore. [Metu cadendi (inquit,) quomodò vrgeri potuit, quæ in carne qua Christi carnem genuit, & nutriuit, nihil contrad ctionis portauit? Ad momentaneum contractum dextræ Saluatoris, leprosus mundatur, ad tactum fimbriæ mundatus est & illa quæ fluxum sanguinis patiebatur; quanto magis illam ab omni contagio mentis & corporis mundari oportuit, quæ tamdiu totum in vtero, quæ toties totum in gremio circumplexa fuit; quæ illius (vt sic dicam) medelæ plenitudinem, modò intus insulam, modò exteriùs adhibitam sufficienter habuit; illius inquam medelæ, quæ tollendis omnibus omnium morbidorum morbis, satis superque sufficere possit.] Idem lib.2.de Eman.c.27. [Terra vtique mortalitatis & passibilitatis nostræ, à facie duorum regum horum derelinquitur, quando natura mortalis, atque passibilis tã à vitio cõcupiscentiæ, quàm à vitio ignorantiæ penitus emundatur. Hoc est vtique quod B. Mariæ promittitur, cum ei ab Angelo dicitur: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Legitur de discipulis Saluatoris, & testibus transfigurationis. Quia *nubes lucida obumbrauit eos.* Si lucida fuit quæ obumbrauit discipulos Christi, quàm lucida rectè creditur quæ obumbrauit matrem Christi? Sed si illud eius vmbraculum lucidum erat; ergo & lucem & vmbram exhibebat: Lucem ad depellendam ignorantiam, vmbram ad extinguendam concupiscentiam. Mira illa obumbratio Spiritus sancti, quæ sub vno momento, detersit, & exterminauit à Virgine, tam ignorãtiam boni, quàm concupiscentiam mali. Quamque in ea omnis concupiscentia extincta fuerit, probat profectò quod cum virginitatis integritate postmodùm cõcepit, & peperit. Quàm profundè illuminata fuerit, probat: quod illud tantæ profunditatis Sacramentum, tam veraciter, tam velociter credidit; quod huius mũdi sapientibus, v a tandem aliquando per tot, & tanta miracula persuaderi potuit.]

127. Petrus Damiani serm.46. [Hinc, *(ex concepto Christo,)* Hinc rogo perpendite, quibus laudibus digna sit Beata, & gloriosa Virgo Maria, quæ illum nobis de castissimis suis visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture auidissimi draconis eripuit. Ad eius namque dignè efferenda præconia, non Rhetoricorum diserta facundia, non Dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat; cum & ipsam generis humani naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apostolorum senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ chrismate plena fuit? Sic namque ab Angelo, dum salutaretur, audiuit; *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum; quæ adinstar cœli, plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium? In Christo enim, sicut per Paulum dicitur, *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*]

Basilius Seleuciæ orat.39. [Quis ingentem Deiparæ potentiam non miretur; quis non miretur quantoperè superemineat quotquot honoramus, Sanctos? Nam si Deus seruis tantum impartitus est gratiæ, vt non tactu solùm ægros persanarent; (proponebant enim in foro medio ægros, vt Actorum liber docet & vmbra Petri morbos depellebat; Pauli verò nescio quis apprehenso linteo manuali, & corporis ipsius extet se odore dæmones vltores abigebat:) qualem Matri virtutem inesse cogitabimus? cuinis notum. Et quid mirum si viuentes virtute miraculorum pollebant sancti, quando eorum postatem, non vnà cum ipsis de mortuis humus consepeliuit? Lapides enim qui horum occulunt corpora, ijs qui malè anguntur, si modò pro dignitate accesserunt, salutem dare possunt. Quod si his tam rara perpetrare concessit, quale nutricationis pretium Matri dederit? aut quibus ipsam gratijs illustrauerit? Si Petrus, Beatus appellatus est, Clauésque regni cœlorum concreditas habuit; cur non præ omnibus vna beata prædicetur, cui eum datum est eniti, quem ille confessus est? Si Paulus, vas Electionis cognominatus est, quòd augustum Christi nomen extulerit, quòd vbique terrarum id euulgauerit: quale vas erit Dei Mater? non aureæ instar arcæ, quæ manna cœpit, sed cœlestem panem aluo comprehendit; panem alimenti, roborisque causa credentibus datum. Sed cauero, ne dum de ipsa plura paro dicere, parúmque ex eius dignitate, mihi plus pudoris afferam. Quare orationis vela contraham, & in tutum silentij portum referar.]

Petrus Cellensis l. de panibus cap.21. negat altiùs posse efferri B. Virginem, eiusque sanctitatem aptiùs denotari, quàm si Christi Dei nostri genitrix dicatur. [Et quid amplius (inquit) ei assignare possumus diuini muneris & honoris, quàm (vt quod verum est, fateamur,) genitricem eam Dei esse & hominis? Infrà hoc, dicitur; quicquid in eius commendatione effertur. Si cœli reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore excogitatum protuleris; non assurget ad hunc super indicibilem honorem, quo creditur & prædicatur Dei genitrix.]

Itaque verissimè in hac Christi conceptione, de tam sancta matre, locum habet multo magis quod de vulgaribus conceptionibus ait S. Chrysostomus hom. de formatione Adæ. [O rem miraculi plenam! Conditur templum, in alio templo: formatur infans in vtero: domus in domo constituitur.] Domum externam vocat corpus matris, quæ hic meritò templum dicitur ob tam eximiam sanctitatem, tam eminenti matris titulo adiunctam.

Poterat hic quoque non inopportunè tractari, proportio Christi in Virgine concepti, & per Spiritum sanctum producti in vnoquoque nostrum, cum Deo coniungimur. Sed de ea re, plenè infra tractando titulum Christi Ecclesiæ sponsi. Nunc obiter dico cum Guetrico serm.3. de Annunc. *in fine*, curandum nobis in Ecclesiæ vtero concepris esse, vt quemadmodum Christus matris vterum non grauauit in ea conceptus, ita neque nos Ecclesiæ sumus oneri, nec intra eum vterum collidamur cum alijs.

CAPVT IV.

De causa physicè effectrice vnionis humanitatis & Verbi, tam principali, quàm instrumentaria.

228. PErgo ad secundum caput difficultatis initio propositũ, quod spectat productionem vnionis humanitatis cum Verbo & causam eius effectricem physicam; cum partialem, tum instrumentalem.

Principalis causa vnionis ad Verbum, Deus solus, liberè operans.

Sed de principali quidem causa, si quæratur quænam sit, non est diu litigandum. Est enim absque controuersia solus Deus, eóque Remigius in cap. 3. Abacuc, ex D. Augustino quem refert, aptat illud eiusdem Prophetæ, *Domine, opus tuum.* Quis verò extrema tantoperè seiuncta coniungere valeat, præter omnipotentem Deum? Et sanè entitas vnionis illius, est in vertice supernaturalitatis, atque adeò causam principalem postulat supra naturam, longè potiore iure quàm entia cætera secundùm substantiam supernaturalia, quæ non nisi à Deo vt principali causa prodire possunt. Præterquàm quòd præuenienda hîc fuit emanatio naturalis subsistentiæ ex humanitate profundendæ: quam emanationem, vtpotè necessariam, nulla vis creata inhibere poterat. Necesse igitur fuit, virtutem altissimi principaliter interuenientem, impedire effluxum illum, productione formæ incompossibilis cum propria humanitatis subsistentia; hoc est vnionis cum diuino supposito. Atque ita scripturæ & Concilia semper effectionem tanti mysterij absolutè tribuunt Deo, quem dicunt misisse filium suum, & superuenisse ad id in Virginem. Deum portò intelligo vt in tribus personis subsistentem, ita vt non sit æterna hæc operatio magis propria Filio, quam Patri aut Spiritui sancto: quod cum Nestorius negasset, & hanc operationem Filio tantùm tribuisset, grauiter à S. Cyrillo castigatus est lib. 4. pentabibli cap. 2. vbi sic concludit disputationem. [Eadem igitur operatur S. Trinitas; & quæcumque gesserit, ac voluerit Pater efficere, eadem & filius eodem modo facit; similitérque Spiritus sanctus. Singulis verò hypostasibus tribuere seorsim operationes cuique proprias, nihil est aliud, quàm tres seorsim & prorsus inter se disiunctos Deos pronunciare. Nam in S. Trinitate, illa naturalis vnitatis ratio, vnam prorsus in omnibus operibus motionem ostendit. Quod si dicamus, cum vna hypostasis mouetur ad opus, reliquas duas nihil agere, quomodò negari poterit, quin corporea inducatur sectio, propemodum locum quemdam singulis hypostasibus tribuens, eo ipso quod extra reliquas & abiuncta cogitatur, non eo quod propriè subsistit, id enim verè dicitur, sed quod in cuiusque rei diuersitate, rationem, quæ ad naturalem vnitatem colligat, non patitur? Vna enim diuinitatis natura, in sancta & consubstantiali Trinitate, intelligitur.]

229. Hæc igitur vt dixi sunt extra dubium. Tantùm quia modus operandi cum necessitate aut libertate, spectat ad causam efficientem, interrogari circa hanc principalem Incarnationis causam potest, an liberè an necessariò sit operata effectum in quo versamur. Qua in parte, videbimur disputationem non necessariam mouere, cum hactenus exploratum apud omnes fuerit, Deum liberrimè executum esse Incarnationem. Quia tamen nonnulli recentiores, adhibita physicæ & moralis necessitatis distinctione, pronunciarunt; Deum necessitate quidem physica in productione de qua agimus astrictum non fuisse, sed tamen moralem sic operandi necessitatem subijsse, eo quòd necessitate morali semper vrgeatur ad operandum quod est melius; cuiusmodi profectò est Incarnatio: Propterea operæ pretium est, excutere, liberè ne an necessariò Deus effectum de quo agimus sit operatus. Ago de operatione, & de Deo à quo prodit. Neque enim hic intendo refellere fatuam planè opinionem veterum quorumdam Hæreticorũ, qui censuerunt Verbum Dei eo quòd naturæ esset ancipitis, & ex parte passibilis, naturali pondere cui nõ plus obsistere quiuerit quàm lapis suæ propensioni deorsum, ad cognatam carnis passibilitatem venisse, & necessariò fuisse incarnatum. Latè hoc in Eunomio refellit Gregorius Nyssen. orat. 11. (veriùs 12.) in Eunom. *sub finem*, éstque adeò delirum vt alia refutatione non egeat. Hic ergo ago de libertate operationis toti Trinitati communis; & quæro, an libera, an necessaria fuerit.

Liberrimam Dei causalitatem effectiuam in hunc effectum, tradiderunt passim Patres; cum docuerunt potuisse Deum non incarnari, & homines relinquere in statu illo infelici ad quem per peccatum delecti fuerant. Ita Theodoretus *in fine* sexti contra Græcos. S. Anselmus l. 2. cur Deus homo c. 5. Ratio non alia est in hac re, quàm in omnibus aliis. Omnes enim hactenus DD. cum Magistro in 1. d. 44. affirmarunt, Deum omnia creata liberè voluisse, quia sunt bona non plena: quæ sicut propter bonitatẽ qua pollent amari possunt, ita etiam propter defectum boni quod non habent, repudiari possunt. Quia igitur Incarnatio est quid creatum, (tametsi nihil aliud sit creatum quod cum ea de bonitate possit contendere,) potuit à Deo non fieri. Nec sanè alioqui teneremur ob eam factam esse erga Deum grati. Nihil enim Deo debemus pro eo gratiarum, ad quod natura sua necessitatur, v. g. pro æterna generatione, aut spiratione. Nisi ergo Deus liberè Christum effecisset, non teneremur Deo propter Incarnationem factam & productũ Christum gratias agere, quod abs it vt quis concedat. Argumentum est Gregorij Nysseni orat. 11. (veriùs 12.) contra Eunomiũ. Cum enim Eunomius fabularetur Verbum diuinum ex necessitate fuisse Incarnatum, sic eũ refellit Nyssenus præfatus id eum conatum, vt homo nihil Deo debeat, nec agere gratias teneatur. [Quis enim in gratiæ parte sine beneficij loco ponat, quod necessariò accidit, quamuis sit lucrosum & pervtile? Neque enim igni, calotis causa; neque aquæ fluxus, gratiam habemus, ad naturæ necessitatem, quod sit reuocantes: quia non possit ignis à calorifica operatione destitui: neque aqua stabilis in plano manere, sponte locali inclinatione motum prorsum attrahente. Si igitur natura necessitate beneficium incarnationis à filio hominibus factum esse dicunt, nullam omnino gratiam habent: quia non ad liberam & absolutam potestatem, sed ad naturalem necessitatem, quod factum est, referunt.]

Operatum ex morali necessitate, qui dixerint.

230. Receptissimæ huic doctrinæ, limitationem adhibuerunt recentiores quidam, affirmantes Deum omnia quidem creata (atque adeò etiam Incarnationem,) liberè producere, si sermo sit de libertate physica. At si agatur de libertate morali, Deum non posse non velle efficaciter, atque adeò etiam non producere, quod melius est. Ordinatissimæ quippe voluntatis, (cuiusmodi est diuina,) esse putant, non posse non ferri semper in optimum moraliter, seu quod magis decet illam, magisque promouet gloriam eius.

Ita Granado 1. p. tract. de voluntate diuina disp. 3. sect. 2. & sequenti, Ruis latissimè in opere de voluntate Dei d. 9. & 10. & alij nonnulli, qui nituntur primò autoritate D. Thomæ, affirmantis Deum semper facere quod melius est; nominatim verò ita habet 1 cõtra Gent. cap. 75. & 1. p. q. 25. art. 6. & q. 47. art. 2. & 3. Adducunt itẽ Patres, qui dicunt, Deũ semper velle optima: & quicquid reuera melius occurrerit, non licere

dubitare

dubitare quin Deus illud voluerit, & fecerit. Ita Adrianus I. in epistola ad Episcopos Hispaniæ. Augustinus lib. de quantit. animæ cap. 33. & lib. 1. contra aduers. cap. 14. & lib. 3. de lib. arbit. cap. 5. Cyrillus 2. Thesau. cap. 1. & optimè 8. in Iulian. ad tit. 3. Damascenus 2. fidei cap. 9. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 10. & 16. Nituntur insuper ijdem Autores variis rationibus. Præcipua est, quæ ducitur ex summa Dei propensione in seipsum. Nam quisquis aliquem perfectè amat, vult perfectè bonum eius; ita vt quod magis è re eius est, potiùs velit quàm oppositum. Amare quippe est velle bonum. Ergo perfectè amare, est perfectè velle bonum eius qui perfectè amatur. Non velles autem perfectè bonum illius quem amas, nisi velles quod est illi melius. Cum itaque Deus perfectè se amet, necessarium prorsus est, non physica sed morali necessitate, vt velit id vnde videt exiturum vberiorem suam gloriam; cuiusmodi sine dubio est, incarnatio præ non incarnatione. Accedit ratio ducta ex necessaria conformitate voluntatis diuinæ cum sua regula. Quò enim voluntas perfectior est, eò arctiùs alligatur regulæ suæ, & ab eius ductu non discedit. Atqui regula diuinæ voluntatis, alia non est quàm diuinus intellectus, pronuntians de amabilitate obiectorum. & monstrans quodnam ex illis dignius sit quod ametur efficaciter à diuina voluntate. Tam igitur necesse est, diuinam voluntatem efficaciter ferri in obiectum amabilius, (cuiusmodi est illud quod est melius, id est ad diuinam gloriam commodius,) quàm necesse est, voluntatem diuinam conformari suæ regulæ; id est diuinæ sapientiæ rubrica dirigi, eiúsque per omnia ductum sequi. Minutiores quasdam eiusdem sententiæ probationes, quod in ijs radicentur, missas facio.

Refelluntur.

131. Mihi verò hæ ipsæ quas recitaui, & autoritates quas retuli, si quid probarent, multo plus viderentur probaturæ, quàm Aduersarij intendant. Nimirum non modò probarent, injici Deo necessitatem moralem faciendi quod melius est per ordinem ad Dei gloriam, vt Aduersarij affirmant; sed etiam injici idem præstandi necessitatem physicam, quod repudiant. Atque ita rationibus illis ac testimonijs, (contra quàm velint Aduersarij,) concluderetur, Deum physicè necessitati ad producendum Christum, & efficiendam Incarnationem. Id verò sequi, manifestissimum est. Nam Deum perfectè amare seipsum, non modò necessarium est moraliter, sed etiam physicè. Diuinam quoque voluntatem sapientissimè se gerere, & à prælucentis sibi æternæ Dei sapientiæ ductu non aberrare, non modò moraliter est necessarium, sed etiam physicè. Igitur si efficax volitio, atque adeò productio eius quod est melius, consequitur perfectum Dei erga se amorem, & per diuinæ sapientiæ præscriptum indicitur, ideóque Deo necessaria est moraliter; profectò consequens est, vt ei etiam physicè sit necessaria: quod tamen ne aduersarij quidem admittunt, éstque planè absurdum; quippe pugnans cum diuina libertate in prosecutione cuiusvis boni diminuti, cuiusmodi est bonum omne quod non est Deus. Sanè si efficax volitio atque productio eius quod est optimũ, est physicè libera à Deo; igitur potuit ab æterno illam nolle efficaciter, & eius executione abstinere in tempore. Id enim omnino fert libertas physica circa talis rei productionem. Si itaque Deus ea volitione efficaci æterna, & applicatione temporaria potentiæ suæ circa illud obiectum quod melius est, carere potuit; statuamus catuisse. Tunc ex tali carentia, vel nihil consequeretur dedecens Deum; & sic Deus ne moraliter quidem dicendus esset necessitatem eam moralis necessitatio? Vel consequeretur aliquid, diuinæ sapientiæ & summo in se amori indecorum; & sic Deus (contra suppositionẽ, necessitaretur) physicè ad carentiam prædictam excludendam, sicut ex doctrina quam expendimus, consequi affirmabam.

Meræ verò offuciæ sunt, quas Granado supra sect. 6. num. 30. affundit, vt eius argumentationis splendorem deterat. Ait enim, cum necessitatione morali, probè cohærere libertatem simpliciter: quemadmodum in nobis datur libertas physica quoad declinationem omnium venialium collectiuè sumptorum, quamuis ad aliquando venialiter labendum, necessitemur moraliter, secluso speciali priuilegio. Ex quo infert, non debere mirum videri, si cum diuina morali necessitatione, quoad illud quod melius, est. dicatur rectè cohærere physicam circa id ipsum libertatem. Has dico offucias esse meras; quia necessitas illa moralis aliquando leniter impingendi, qua omnes citra speciale priuilegium laboramus, aliud non est quàm fragilitas nostra, impotens diu obsistere torrenti, quo abripitur in bonum sensibile aduersans regulis rationis rectæ. Fastidimus enim connisum illum perpetuò adhibendum, quandiu non cespitamus: ex quo fastidio, & illi adiuncta dormitatione, oritur prolapsio: qua consecuta, euigilamus denuò, & vires animósque resumimus, donec fatiscentibus rursum viribus, lassati denuò torpemus, & cadimus, sicque identidem infallibiliter labimur, & supposita tædij illius depellendi molestia quam illibenter subimus, impotentiam incutrimus; id est fragilem & certò difficultati succubituram in rectitudine obfirmandi facultatem, quæ dicitur moralis impotentia, & necessitatio; non physica, sed moralis. Quis verò ex ipsis vocum notionibus non perspicit, talem moralem necessitationem, infirmitate constitutam & imperfectionibus scatentem, in Deum non cadere? Quare ratioc natio, qua nouitium hoc placitum de morali diuinæ voluntatis necessitatione ad decernendam & in tempore dandam Incarnationem appetijmus, perstat inconcussa. Accedit exclusio precum, quæ ex sententia aduersariorum, manifestè sequitur. Nemo enim prudenter oret, pro eò quòd Deus non potest non facere. Si ergo bonum quod peto, est ad maiorem Dei gloriam, frustra peto: quia Deus necessitatur moraliter illud efficere. Si non est ad maiorem Dei gloriam, æquè frustra laboro in petendo, quia Deus necessitatur velle & efficere oppositum, quod est ad maiorem gloriã Dei. Euane cerent item admirationes illæ Apostoli, & Patrum, de iudicijs Dei inscrutabilibus in vnius prædestinatione, non alterius; quia Deus non potuisset non facere quod facit. Concludendum ergo omnino est, Deum in Christo efficiendo fuisse causam vndecumque liberam, cùm physicè tum moraliter, vt reiecta prædicta Dei necessitatione morali, rectè statuunt Valentius Herice 1. p. d. 20. cap. 5. Alarcon d. sp. 3. de visione Dei cap. 7. & passim alij.

Ad testimonia in contrarium.

132. Argumentatio in contrarium confecta, facilè infringitur. Ac primum D. Thomas perperam allegatur, eum agat de effectibus diuinis melioribus physicè ac in genere entis: qua ratione, ipsimet Aduersarij fatentur Deum non necessitari moraliter ad faciendum quod est optimum, cum potuerit perfectiores rerum species in infinitum producere, vt constat ex diuinæ potentiæ infinitate, & specierum meliorum semper ac meliorũ producibilitate. Potest etiam S. Thomas, facilè accipi eodem sensu quo Patres qui postea allegabantur: ita scilicet vt significare tantùm velit, Deum procreasse quod optimè habetur: non quasi dari melius nequeat, siue secundùm se, siue comparatione omnium rerum, siue in ordine ad Dei gloriam: sed quia quod factum est, verè bonum est, & ordinatum ac vitio vacans. Hic enim est sensus Patrum, quoties

aiunt Deum ſemper facere quod optimum eſt. Aliquando verò dicunt, Deum ſemper facere quod eſt melius, vt retundant temeritatem humanorum iudiciorum, quæ interdum tanta fuit, vt pronunciare auſa ſit, quædam aptiùs congruentiúſque potuiſſe in vniuerſo diſponi, quàm reuera ſint à Deo diſpoſita. Quò ſpectat fatuitas Alphonſi Caſtellæ Regis, de qua Rodericus Sanctius 4. p. hiſtor. cap. 5. Eam igitur impiam mortalium fatuitatem ac temeritatem vt comprimerent Patres, commonent nos hebetudinis noſtræ & concutientis viſus; aiúntque, quicquid Deus fanxit ac fecit, debere nobis videri optimè factum ac conſtitutum, & longè melius quàm ſi factum eſſet, provt nobis occurrit futurum fuiſſe melius: eo quod Deus maior ſit corde noſtro, & plura perſpexerit quàm nos perſpiciamus, agnouerítque rem in ordine ad finem quem habet ſibi propoſitum, ſecundùm regulas æternæ ſuæ ſapientiæ, meliùs ſic conſtitutum iri, quàm ſi fieret provt nobis occurrit futura melior: quamuis ipſum Deum non lateant modi, eam & phyſicè & moraliter meliorem producendi, ac cum vberiore gloriæ ſuæ prouentu: quem tamen captare non neceſſitatur. Nihil itaque eſt Aduerſarijs in autoritate præſidij.

Ad rationes.

233. Sed neque in ratione. Nam quamuis Deus ſummè ſe amet, ideóque intrinſeca bona ſua ſibi ex neceſſitate velit; tamen de bonis extrinſecis quæ Deum non perficiunt, alia eſt ratio: vnde quamuis inter homines, quiſquis alium perfectiſſimè diligit, adigatur ei velle quod eſt melius, quia inde magis perficietur; ad quod ei curandum, neceſſitatur vi perfecti amoris quo ſupponitur eum proſequi; tamen in Deo alia eſt ratio: quia Deus non emendicat à ſecundarijs voluntatis ſuæ obiectis vllam perfectionem; ſed ſiue adſint, ſiue abſint, eſt ſumme perfectus: nec plus ei accedit boni aut perfectionis per productionem eius quod eſt ſecundùm ſe amabilius quia melius, quàm per productionem deterioris. Quare ad neutrum præeligendum neceſſitatur. Hinc euertitur ratio pro aduerſarijs primo loco propoſita, quæ ducebatur ex ſummo Dei erga ſeipſum amore.

Non difficiliùs conteritur ratio poſterior, quæ petebatur ex neceſſaria diuinæ voluntatis confirmatione cum intellectu prælucente, & quæ meliora ſunt præmonſtrante. Negandum quippe eſt, diuinam voluntatem teneri ſequi ductum intellectus monſtrantis aliquid eſſe altero melius; ſiue ſecundùm ſe, ſiue per ordinem ad diuinam gloriam. Alligatur quidem voluntas regulæ ſuæ, ſiue dictaminibus æternæ ſapientiæ, quatenus ſine eis non poteſt concipi, quia nihil volitū quin præcognitum. Item quatenus Deus omnia in ſapientia facit. Vt tamen teneatur Deus amplecti quod ſapientia eius iudicat optimum, nulla ratio perſuadet.

Quare fixum eſto, Deum quem Chriſti efficientem cauſam principalem eſſe vidimus, in Chriſto cauſando fuiſſe libertimum, ac ne moraliter quidem neceſſitatū.

Phyſicum inſtrumentum ad vnionem cauſandam repugnare, qui dixerint.

234. De cauſa verò inſtrumentali difficultas eſt; ſupponendo (vt nunc ſupponimus,) potentiam obedientialem actiuam eſſe poſſibilem, poſſéque Deum aſſumere creaturam ordinis inferioris, ad coëfficiendum quidlibet, etiamſi ſupernaturale, & ad quod nullam naturalem virtutis proportionem vel inchoationem congenitam habeat; cuiuſmodi eſt aqua reſpectu gratiæ. Quamuis enim quod actinet ad id quod de facto contingit, planè exiſtimem multa à plerisque Theologis diuinari, & gratis effundi; cuiuſmodi eſt quod aqua baptiſmi de facto efficiat phyſicè gratiam; & quod verba conſecrationis Chriſtum phyſicè producant: Nam aliquid tale reipſa effici, nihil eſt quod congruenter perſuadeat, nedum euincat; tamen ſi ſermo ſit de poſſibili; multorum qui de facto diſſentiunt ſententia eſt, poſſe Deum extrinſecùs aſſiſtentem, vti entitate prorſus extranea ad effectum producendum, cuius productioni naturaliter impar eſſet. Id ergo an in hac re valere poſſit, quoad B. Virginem circa vnionis effectionem, controuerſia eſt. Negat Medina 3. p. q. 31. art. 4. nec ſine ſale & aceto in diſſentientes, quos vocat *ridiculos Theologos* additque, eorū *dogma, ridiculum ac ſine fundamento, & non ſanum eſſe*. Argumentū Medinæ eſt, quod nulla creatura poſſit efficienter concurrere, ad communicationem ſubſiſtentiæ diuinæ faciendam humanitati. At concurrit ad eam, quiſquis vnionem hypoſtaticam coëfficit: Probat Medina antecedens, quia ſi creatura poſſet ita concurrere, neceſſe eſſet fateri creaturam habere in poteſtate & virtute ſua eſſe diuinum: ac proinde fatendum eſſet, creaturam eſſe Deum, quæ eſt aperta repugnantia. Eſt in eadem ſententia Aluarez 3. p. d. 19. conclu. 2. & probat primò, quia creaturam attingere eſſe perſonale diuinum eſt impoſſibile; & tamen ita fieri oporteret, ſi vnio hypoſtatica poſſet inſtrumentaliter effici per vim creatam. Secundò quia creatura non poteſt operari abſque præſuppoſito ſubiecto: ad vnionis verò hypoſtaticæ effectionem, nullum præiacuit ſubiectum. Non enim Verbum, quod eſt actus purus; nec humanitas, quæ ante vnionem non fuit. Molina qui itidem diffiteatur dari potuiſſe inſtrumentum efficiendæ vnionis hypoſtaticæ, inde hoc probat 1. p. q. 45. art. 5. diſp. 2. ad 1. quod ita concurrere, longè altius quid ſit, quam creare; & virtute ſit conferre eſſe, nullo præſuppoſito ſubiecto; ad quod quomodocumque fiat, ac etiamſi non niſi inſtrumentaliter, virtus eſſentialiter infinita exigitur, quæ non poteſt enti creato communicari.

Non repugnare, veriſimilius.

235. Contraria tamen ſententia, pleriſque grauibus Scriptoribus probata eſt, nec video quorſum Medina eam tantoperè deſpuerit atque exploſerit. Docent eam Suarez t. 1. 3. p. d. 10. ſect. 1. Becanus tract. de Incarnatione cap. 2. q. 5. Bonacina diſp. 2. de Incarnatione q. 1. p. 4. n. 3. Ratio ducenda eſt, ex inanitate contradictionum quæ ab aduerſarijs obtenduntur. Eſt enim reuera ridiculum quod obijcit Medina, neceſſe fore, creaturam quæ eſſe perſonale Verbi vniat inſtrumentaliter creaturæ, habere in poteſtate & vi ſua actiua, eſſe diuinum. Nihil enim tale ſequitur ex ſententia propoſita; ſed tantùm ſequitur, vnionem effici per cauſam creatam inſtrumentalem; quod propriè loquendo, non eſt vnionem ſubeſſe poteſtati talis cauſæ, vel in ea contineri. Neque enim ita loqui ſolemus, de effectibus quos inſtrumenta accedente cauſæ principalis eleuatione producunt. Itaque euaneſcit portentum illud contradictionis, quo Medina ſententiam propoſitam infamabat. Æquè infirmum eſt, quod Aluares opponebat. Nihil enim vetat, creaturam diuinitus ſuſtolli ad attingendum eſſe diuinum perſonale; non ipſum eſſe efficiendo, vel actum aliquem ei imprimendo, quæ ſunt planè impoſſibilia, ſed tantùm coëfficiendo ſublime illud vinculum, ex cuius immiſſione in humanitatem, factum eſt, vt ea natura per Verbum ſubſiſteret, & homo eſſet Deus, communicato huic humanitati per viam illam, ipſo perſonali eſſe diuino. Quod verò nullum ad vnionem præiacuerit ſubiectum, falsò dicitur. Non præiacuit quidem anteceſſione temporaria, ac ne momentanea quidem; ſed ſatis ſupérque eſt, quod priùs natura præiacuerit. Alioqui ſi Deus in primo temporis momento quo creat portionem aliquam materiæ, educeret ex ea formam, dicendum eſſet, eam

formæ

formæ productionem fieri ex nullo subiecto præsupposito, atque adeò esse creationem ; quod constat nullo ratione verum fore. Vt ergo productio vnionis, intelligatur fieri ex subiecto præsupposito , & non esse creatio; sufficit quod humanitas cui vnio aduenit, priùs natura præiacuerit. Quamuis autem daremus, vnionem creatione propria effici, & ex nullo subiecto præsupposito ; non propterea excusum censeri deberet instrumentum creatum in eius effectione. Neque enim vt aduersarius supponit, repugnat dari creatum instrumentum creationis. Vnde corruit repugnantia aduersus nostram sententiam, quam postremo loco ex Molina produximus. Potuisse igitur creaturam aliquam assumi diuinitùs, ad coëfficiendam instrumentaliter vnionem hypostaticam, extra dubium esto.

Verisimile etiam , de facto dari.

236. Addiderim verò, non esse improbabile , quod de facto B. Virgo , hoc est semen quod ipsa ad fœtus conformationem suppeditauit , siue substantia semini contigua, eleuata sit ad instrumentaliter coëfficiendam vnionem hypostaticam : videríque possit id insinuasse Hesychius homil. 2. de Deip. sub finem , vocans eam *instrumentum Incarnationis*. Fauet etiam S. Bernardus lib. 5. de consid. c. 10. explicans Euangelicum fermentum à muliere commiscente confectum. Sic enim scribit, Sed & illa tria sata de Euangelio mixta & fermentata in panem vnũ, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videbitur. Quam bene ea mulier fermentauit, vt nec diuisione quidem facta carnis & animæ ; à carne , vel anima , Verbum diuideretur ? Mansit & in separatione inseparabilis vnitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit vnitati præscribere , permanenti in totis tribus. Siue coniunctis, siue disiunctis, duobus, nihilominus perseuerauit in tribus vnitas personalis. Æquè vnus Christus, vnáque persona, Verbum, anima, & caro ; etiam mortuo homine perdurauit. In vtero Virginis (vt sensu ego,) commixtio hæc & fermentatio facta est ; & ipsa , mulier quæ miscuit & fermentauit.] Liquet agere Bernardum, non modò de naturalis compositi quod in Christo fuit compactione , sed etiam de supernaturali ; & significare, B. Virginem ad illud concurrisse effectiuè. Quod autem addit , fermentum fuisse fidem Mariæ, non pugnat cum physica efficientia instrumentali Deiparæ in vnionem, sed tantùm continet causam, cur Deipara assumpta à Deo fuerit ad tam sublimem efficientiam.

In contrariũ magis propendet Suarez t. 1. 3. p. d. 10. sect. 1. eo ductus argumento , quod maternus concursus incipiat ab vnione materiæ & formæ , cui in Christo præiuit vnio hypostatica; quippe pertinens ad substantiale complementum existentiæ vtriusque illius partis ; & eodem ordine aduenies vtrique , quo aduenisset propria & cõnaturalis subsistentia nisi fuisset impedita ; nempe ante quamcumque cum alio conuentionem ; siue substantialem, siue accidentariam. Hic tamen discursus non vrget. Negandum quippe est, concursum maternum obedientialem , imo qui ad maternitatis rationem non pertinet, anspicari ab vnione materiæ & formæ ; nec hoc vlla ratione confirmat Suarez ; Quare meritò non admittitur.

Acriùs pungit , quod efficientiam physicam instrumentalem rerum creatarum in entia supernaturalia, vt aquæ in gratiam sanctificantem , inficiati supra simus, si agatur de facto : quamuis admiserimus, eam efficientiam, quod attinet ad potentiam Dei absolutam, vacare repugnantia. Quomodò ergo physicam efficientiam instrumento creato dabimus in vnionem ? Sed dicendum est, sententiam quæ admittit Sacramenta de facto causare gratiam , vel verba consecrationis physicè Christum in Eucharistia producere , eo nomine displicere, quod quamuis rem possibilem asserat, fidei tamen mysteria nouit & non necessarijs difficultatibus onerat , reddátque inimicis nostris minùs persuasibilia ; affirmando , tantum miraculum quantum est in gratiæ productione per aquam quotidianum ac propè perpetuum esse. Et idem est de physica productione substantiæ Christi per verba consecrationis in iugi sacrificio. Tamen in productione instrumentali vnionis hypostaticæ per Deiparam, quia semel tantùm facta est ; incommodum illud non vrget. Ideóque non improbabiliter affirmari potest , non modò id fuisse possibile ; sed etiam de facto ita accidisse ; quod affirmarunt graues quidam recentiores.

Vsus doctrinæ propositæ esse debet , resumptio & accrementum stuporis, quo supra perculsi sumus, considerantes B. Virginem, vt Damascenus scitè dixit, vnitarum inter se naturarum & tot miraculorum officinam fuisse quod enim multo mirabilius est ; habemus, non modò in ea, sed etiam per eam tam magna & mira fuisse patrata.

CAPVT V.

De circumstantijs Physicæ effectionis Christi Domini.

237. SIc expositis ijs quæ ad substantiam effectionis ambarum vnionum Christum cõpingentium spectant , agendum sequitur de vtriusque circumstantijs: quas non est quod seiungamus, quia eadem, & pro naturali, & pro supernaturali vnione efficiẽda fuerunt.

Eædem circumstantiæ , productionis humanitatis, & vnionis.

Quod easdem fuisse vtriusque productionis circumstantias assero ; nempe & humanitatis Christi , & vnionis eius cum Verbo ; supponit certam ex fide doctrinam , quod Christi humanitas non præextiterit vnioni ; sed quo primùm temporis momento formata est , eodem vnita fuerit Verbo Dei. Erratunt in hoc puncto Pelagiani & Nestoriani , qui Christum profectu ac meritis Deum statuebant ; vtrumque eam Dei cognominationem acciperent ; hominem item factum esse Deum, affirmabant. At Ecclesia Catholica vtrumque respuit. Nam Deum quidem, quia præextitit humanationi , factum carnem profitetur : negat tamen hominem esse Deificatum , vel factum Deum ; quod supponeret præexistentiam hominis ad vnionem.

Gregorius quidem Nazianzenus orat. 51. vt refertur & approbatur in Conc. Chalced. act. 1. hæc verba habet. [Aliud est quidem & aliud ea ex quibus constat Saluator ; quoniam non idem est illud inuisibile , huic visibili : & id quod sine tempore, ei quod sub tempore. Non alius vero, & alius; Absit. Nam vtraque vnum sunt , propter temperamentum ; Deo quidem humanato , homine verò Deificato, siue quocumque modo quis nominauerit.] Ita inquam apud Nazianzenum Latinè factum legitur, contra modum loquendi quem tenendum diximus. Sed is, non Nazianzeni, qui accuratissimè semper loquitur, sed interpretis error est, qui *hominem* dixit *Deificatũ* , quod Nazianzenus nõ dixit: & ideò Billius melius sic expressit Nazianzenũ. [Aliud quidem atque aliud sunt ea ex quibus constat Saluator : (nisi verò id quod cerni non potest , idem est cum eo , quod in oculorum aspectum cadit , & quod temporis expers est, cum eò quòd tempori subest :) Non tamen alius atque alius : absit. Ambo enim hæc connexione vnum sunt. Deo nimirum humanitatem, atque homine diuinitatem suscipiente , aut quocumque tandem nomine, quispiam vti malit.] Hanc autem esse veram Nazianzeni mentem, liquet cùm ex Græco con-

textu, tum ex verbis proximè præcedentibus. [Si quis formatum hominem fuisse, Deúmque postea subijsse dicat, damnationi obnoxius est. Hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga.] Verè ea est fuga generationis filij Dei. Neque enim ipsum filium Dei conceptum de Spiritu sancto, ac pro nobis in Deiparæ vtero genitum, liceret dicere, si priùs vel per momentum fuisset genitus homo purus, isque postea euasisset in Deum.

Patrum suffragium de humanitate in primo momento vnita Verbo.

238. Attestantur Nazianzeno Patres reliqui, & ex iam tunc vigente communicatione idiomatum, colligunt simul & semel humanitatem fuisse productam, & Verbum Dei, illi fuisse copulatum. Attexo nonnullos. S. Athanasius dialogo 4. de Trinit. cum dixisset, Sanctos participasse Verbum; at Verbum participasse humanitatem, subdit id exponens. [Sancti prius extiterunt, & tum demum participarunt Dei Verbum: hic verò non ita est. Sed Deus Verbum quod erat ante sæcula, cum vellet fieri homo, sese illi insinuando, sanctificauit Virginem, & corpus ex ea sibi vniuit: non quod prius extiterit, & tum demum vniuerit; sed faciens vt per ipsam vnionem existeret.]

S. Gregorius Nyssenus Epistola ad tres mulieres, explicatissimè idem tradit *pag.* 1092.

S. Cyrillus l. de S. Trinit. cap. 18. [Vna ex tribus diuinitatis personis, quæ est filij, duas naturas inter se inuicem in seipsa & secundùm seipsam citra confusionem vniuit. Neque enim humanitas Christi, vel momentum subsistit per se, vt ipsa, persona diceretur: (neque enim etiam opus erat. Quid enim nobis lucri inde foret, si vt vna persona consideraretur?) sed totam humanitatis naturam, Deus Verbum in seipso assumpsit, vt omnium nostri rationem haberet.]

Cassianus potentissimè l. 2. de Incar. c. 6. cum Nestorio agens. [Primùm ergo, illud à te requiro; Dominum Iesum Christum, qui ex Maria Virgine natus est, hominis tantùm filium, an etiam Dei dicas filium? Nos enim ideò est Catholicorum omnium fides, nos inquam omnes, vtrumque hoc & credimus & intelligimus, & scimus & confitemur; quod & hominis est filius, quia ex homine natus est; & Dei filius, quia ex diuinitate conceptus. Tu ergo vtrumque hoc, ideò est Dei filium atque hominis, an tantum hominis esse asseris? Si tantùm hominis; reclamant tibi Apostoli, reclamant Prophetæ, reclamat denique ipse per quem est facta conceptio, Spiritus sanctus. Obruitur impudentissimum os tuum cunctis diuinorum apicum testimoniis, obtruitur sacris voluminibus, sanctis testibus, obruitur denique ipso Dei Euangelio quasi diuina manu. Et Gabriel ille magnus, qui in Zacharia vocem incredulam virtute verbi sui coërcuit, multo magis in te blasphemum atque impium suo ipso ore damnauit, dicens ad Mariam Virginem Dei matrem; *Spiritus*, inquit, *Sanctus, veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideò & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Vides quod secundùm carnem, hominis fieret filius Iesus Christus; ante est filius Dei prædicatus.] Et mox cap. 7. [Omnis ergo in eo gratia, omnis virtus, omnis potentia, omnis diuinitas, omnis denique diuinitatis ac maiestatis ipsius plenitudo, cum eo atque in eo semper fuerunt; siue in cœlo, siue in terra, siue in vtero, siue in ortu. Nihil vmquam Deo de Deo defuit: semper enim cum Deo Deitas, non loco vmquam ab eo, non tempore separata. Vbique enim Deus totus, vbique perfectus, non diuisus, non demutatus, non imminutus est: quia nec addi vmquam Deo, nec detrahi quicquam potest: sic enim imminutionem Deitatis non habet, sicut nec augmentum. Idem ergo in terris fuit, qui & in cœlis: idem in humilibus, qui in excelsis: idem in hominis exiguitate, quia in Dei maiestate. Et ideò benè Apostolus, Christi gratiam nominans, *Dei gratiam* nominabat: quia Christus totum erat quod Deus, omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus, omnis diuinitatis venit plenitudo. Inde enim illi omnis diuinitatis perfectio, vnde & origo. Neque enim vmquam sine Deo fuerat homo ille, qui vtique hoc ipsum quod erat, à Deo conceperat.]

239. Sophronius optimè serm. de natiuit. Christi versic. *an non*, sed disertissimè his verbis in epistola quæ habetur in 6. Synodo actio. 11. non multùm ab epistolæ initio. [Incarnatur ergo Verbum Deus, quod nostrum est, non præfactæ carni copulatus, præformatóve atque in sese præsubsistenti aliquando corpori conlinitus, vel animæ præexistenti coniunctus: sed tunc his ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum & Deus, naturaliter copulatus est, contemporalem habens vnitionem atque subsistentiam: & non ante verissimum ipsius Verbi conuentum, in seipsis vnquam extiterunt, vel cuiuspiam secundùm nos alterius hominis penitus extiterunt; sed cum Verbi ipsius naturali conuentu, subsistentiam habitura concurrerunt: & nec quantum in ictu oculi, hanc quàm illam priorem habentia, sicut Paulus Samosatenus perstrepit, atque Nestorius. Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis. In illo itaque, & non in semetipsa, habuit existentiam vnam. Cum conceptu quippe Verbi, hæc ad subsistendum prolata sunt, & secundùm subsistentiam ei vnita sunt, quando ad subsistentiam prolata sunt: quæ certè vera est & inseparabilis, quæ neque diuisionem perpetitur, neque mutabilitatem, aut confusionem admittit, ab ipso prolata, & in ipso consistentia, & cum ipso, composita, nullúmque prorsus tempus, propriæ constitutionis tulerunt, quod inconfusam atque inseparabilem ad eum compositionem præcederet.]

Fulgentius l. de incarnat. & gratia Christi c. 3. [Beata igitur Maria, Deum Verbum, secundùm quod caro factum est, & concepit & peperit: cuius vtero, Verbum Deus, non carnem, in qua conciperetur, intulit, nec ex ea materiam conceptæ, siue formatæ carnis, non ipse Deus concipiendus, sed tantum nascituras assumpsit, sed ex ea, & in eadem Virgine, humanæ carnis naturam, secundùm quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur, & nasceretur, accepit. Ipsa quippe acceptio carnis, fuit conceptio virginalis: neque enim in vtero sanctæ illius & matris & virginis, illa spiritualis; & ex Deo patre sine initio genita Verbi Dei natura, poterat absque carne temporaliter concipi; sicut nec caro sine Verbi Dei vnitione potuit aliquatenus, nullius viri coitu seminata, in intimo vuluæ Virginalis innasci. Hanc ergo carnem, tunc ex se natura Virginis concipientis exhibuit, cum in eam Deus concipiendus aduenit. Non est igitur aliquod interuallum temporis æstimandum, inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ maiestatis aduentum. Vna quippe fuit in vtero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis, & carnis.] Idipsum aliis verbis iterat l. de fide ad Petrum c. 18. quem locum nomine Augustini citat, & egregiè confirmat Petrus Cellens. l. b. 1. de tabern.

240. Nec minus perspicuè his verbis S. Gregorius lib. 9. regiistri epist. 61. quæ est ad. Quirinum & alios Hyberniæ Episcopos, contra Nestorij errorem. [Non priùs in vtero Virginis caro concepta erat, & post modum diuinitas venit in carnem: sed mox vt Verbum venit in vtero, mox Verbum sernata propriæ virtute naturæ, factum est caro, & perfectus homo, id est, in veritate carnis & animæ rationalis, natus est per vterum virginis, vnigenitus Filius Dei. Vnde & vnctus ptæ participibus dicitur: sicut Psalmista ait: *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vnctus quippe

quippe est oleo, dono videlicet Spiritus sancti: Sed præ cæteris vnctus est, quia omnes nos, priùs peccatores homines existimus, & postmodùm per vnctionem Sancti spiritus, sanctificamur. Ipse autem qui existens Deus ante sæcula, per Sanctum spiritum in vtero Virginis homo conceptus est in fine sæculorum, ibi ab eodem Spiritu vnctus est, vbi conceptus. Nec ante conceptus, & postmodum vnctus est, sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à Sancto spiritu vngi fuit.] Non est sensus idem formaliter fuisse vngi & concipi. Nam *concipi* propriè & formaliter est, *produci humanitatem*; vngi verò est, accipere diuinitatem, quo veluti balsimo delibuta humanitas, fragrat. Quare hoc ipsum fuit concipi quod vngi, quia concomitanter vtrumque simul factum est, nulla interposita mora, ac ne instantanea quidem capedine interiecta.

Alcuinus lib. 3. de Trinit. cap. 11. [Nullatenus credi debet, carnem Christi, sine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priusquàm susciperetur à Verbo; sed ipsum Verbum Domini, suæ carnis acceptione, conceptum: ipsámque carnem, Verbi Dei incarnatione conceptam, eandem carnem humanæ naturæ veram habere Dei filium, qua de Virgine, Verbum Deus natus est. Idem habet egregiè Ferrandus sub initium Epistolæ ad Severum aliosque multos adducit Paulinus l. 4. contra Felicem *sub finem*.

Consentiunt, quotquot Christum ad finem Angelicum cum Deipara colloquij hominem factum, ac Deum cum copulatum affirmant, quos infra referam. Nunc locus sufficiat ex serm. 2. Guerrici Abbatis de Annunc. vbi Christum die salutatæ ab Angelo Deiparæ imo (vt postea addit) excepti auribus ab ea Angelici alloquij, & scilicet præstiti consensus, conceptum Christum, his verbis docet. [Hodie Verbum caro factum est, & habitare cœpit in nobis secundum regulam sanè fidei quam Ecclesiasticorum dogmatum diffinitio tradidit nobis. Firmissimè namque tenet & nullatenus dubitat Ecclesia, carnem Christi non priùs conceptam, quàm à Verbo susceptam: sed ipsum Verbum Dei, carnis acceptione conceptum, carnémque, Verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in vtero Virginis, & ad ædificandam vnitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit, dum sine opere humano, de corpore Virginali carnem sibi nostræ redemptionis separauit. Ab hoc ergo die, Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster, Deus Iacob: quia hodie Domini est assumptio nostra, vt inhabitet gloria in terra nostra.]

Sigillatim de Circumstantiis effectionis Christi.

241. Itaque indubitatum esto, idem fuisse momentum quo vtraque substantialis actio ad Christi compectionem pertinens, primùm extitit: ac proinde meritò constitutum à nobis fuisse, easdem esse vtriusque illius actionis circumstantias. Comprehenduntur autem vulgato versu, *quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur quomodo, quando*. Eas igitur sigillatim percurrere, & quæ tum de illis tradita sunt recolere, ac quæ supersunt adiungere, operæ pretium videtur, ne vlla prorsus tam boni doni particula nos prætereat; & vt diligentiam quam in rebus naturalibus, & plerisque nullius momenti materiis, vndecumque rimandis & circumspiciendis adhibemus, circa tam diuinum opus non præmittamus.

Quis?

242. Denotatur hac voce causa efficiens, eiúsque conditio. Quæ sit hoc loco causa efficiens, iam præmisimus. Nam principalem causam vnionis hypostaticæ, diximus esse Deum solum. Instrumentariam verò staruimus esse Deiparam, quæ item fuit principalis causa vnionis naturalis inter partes physicas essentiales. Nam quamuis aliæ nonnullæ actiones ad eam præparatoriæ, quia momento & supra naturalem ordinem ac cursum factæ sunt, indignerint indebito Dei concursu, nec ad eas Deiparam propter modum quo fiebant concurrere potuerit principaliter; tamen ad ipsam vnitionem substantialem, quæ ex se est actio momentanea, posit s illis aliis actionibus miraculo editis, Deipara principaliter per solam vim suam naturalem communi concursu adiutam, potuit concurrere. Et ita factum oportuit, vt non minùs causa Christi esset, quàm matres cæteræ sint causa filiorum suorum.

Cùm autem de Deo prout hic habet rationem causæ efficientis, nihil occurrat annotandum, Deiparæ tamen coeffectricis causæ, & maiorum eius conditio non est prætermittenda. Attingendum ergo obiter est, qualem filio suo Deus matrem delegerit. Optimè id complexus videtur S. Bernardus hom. 2. super missus est *sub initium*, cum ait [Factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis & humilis corde proditet, habitum in se virtutum necessarium omnibus, salubertimumque exemplum ostensurus. Dedit virgini partum, qui ei iam ante & virginitatis inspirauerat votum, & humilitatis prærogauerat meritum. Alioquin quomodo Angelus eam in sequentibus gratia plenam pronunciat, si quippiam vel parum boni quod ex gratia non esset, habebat? Vt igitur quæ sanctum sanctorum conceptura erat pariter & paritura, sancta esset corpore, accepit donum Virginitatis; vt esset & mente, accepit & humilitatis. His nimirum virgo regia, gemmis ornata virtutum, geminóque mentis pariter & coporis decore præfulgida, specie sua & pulchritudine sua in cœlestibus cognita, cœli ciuium in se prouocauit aspectus, ita vt & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuncium ad se de supernis educeret.]

Et poterat quidem Deus è mulieris inquinatæ ac peccatricis substantia, pérque maternam eius cooperationem, corpus nitentissimum & purissimum Christi filij sui efformare. Tamen decere se censuit, è matre purissima concipi. Vtrumque egregiè prosequitur S. Anselmus lib. de conceptu Virginali, sic concludens cap. 18. [Quamuis ergo de mundissima Virgine Filius Dei verissimè conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret: Sed quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, vt ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idémque communis Dei Patris & Virginis filius; & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur & nasceretur ille de quo procedebat.] Per hæc exponendum est quod idem S. Anselmus l. de quatuor virtut. B. Mariæ cap. 7. dutiusculè ait, non potuisse Verbum ex alia Virgine quàm ex B. Maria carnem fieri. Quod enim ex loco adducto liquet, *non potuisse* sumit, pro eo quod est, *non decuisse*.

Cur femina adhibita ad Christi procreationem, causæ variæ ex PP.

243. Poterat item Deus filio suo concinnare humanitatem absque Virgine. Non dico prorsus absque ea, quamuis

quamuis enim & hoc poterat, tamen dedecebat vt probat S. Ansel. l. de concept. Virg. c. 11. dico igitur absque ea, id est ea non nisi materia iteri se habente, & vel dormiente, vel ignara, sed noluit. Causam optimè tradit Gulielmus Pamus ad c. 1. Cantic. sic scribens. [Incarnandus Dei filius ex virgine, præmisit ad eam vnum ex familiaribus suis, vt auriculam eius reuelaret, & arcano quod absconditum fuerat à sæculis & generationibus, referato, consensum & cooperationem eius flagitaret. Quippe nolebat omnipotens, suæ incarnationis miraculum operari in ipsa, non cooperante ipsa; nec carnem volebat sumere ex ipsa, non dante ipsa. Itaque non tantùm ex ipsa carnem suscipere volebat, sed etiam ab ipsa. Non sic olim, non sic, quando immisit soporem in Adam, vt de corpore nascentis tolleret, vnde illi mulierem formaret. Non enim missus est sopor in Virginem, sed missus est Angelus à Deo ad Virginem vigilem, vt illam tanti mysterij conscium redderet. At & hoc patum esse iudicauit ad futuræ matris suæ gloriam, si arcani sui tantùm redderet conscium, sed etiam reddidit cooperatricem & magistram. Et licet alias sublimius videatur intus doceri per vnctionem, quàm foris per signa, tamen sublimius fuit, & intus inungi, & foris doceri per nuncium. Nisi fortè putes ignaram fuisse mysterij, quod intus per fidem operabatur. Spiritus sanctus eam intus vngebat, Angelus autem reuelabat. Per fidem cooperata, & incarnato ex se Verbo, carnis substantiam de sua carne, credendo dedit. Quomodò crederet sine prædicante, aut quomodò prædicaret Angelus nisi mitteretur? Credidit, vt opponeretur mortiferæ fidei primæ mulieris, salutifera fides secundæ. Siquidem fides Euæ venenum, fides Mariæ antidotum fuit. Denique per fidem Euæ, quæ mentienti diabolo credidit, mors intrauit in mundum: per fidem verò Mariæ, quæ Angelo Euangelizanti assensit, vita mortem occisura, intrauit in mundum. Tantùm valuit ad malum fides Euæ, vt cunctis hominibus mortem propinaret; & tantum valuit ad bonum fides Mariæ, vt electis omnibus mortem mortis generaret. Credendo enim concepit vitam nostram, quæ ait. *Ero mors tua, ô mors.* Quod si peccatrici mulieri veraciter dictum est *fides tua te salvam fecit:* & fœcundæ Virgini potest dici, *fides tua te grauidam fecit.* Notandæ verò & distinguendæ in his causæ duæ, operans, & cooperans. In emundatione illius peccatricis, emundantis Domini pietas, causa fuit operans: fides verò eiusdem mulieris, causa fuit cooperans. In conceptu virginali, quo Deus concipiebatur, concipiendi, virtus altissimi obumbrans, causa fuit operans; fides verò Virginis, causa cooperãs.]

244. Ad alia item pleraque iuuit Christi ex muliere procreatio, vt docet in hunc modum S. Cyrillus l. 1. pentabibli. cap. 1. [Erat non impossibile omnipotenti illi verbo, vbi statuisset propter nos fieri secundùm nos, si generationem ex muliere refugeret, sibi extrinsecùs ac propria virtute corpus formare, vt procul dubio in Adam primo parente factum dicimus: *Accepit enim Deus pulueren*, inquit, *de terra & formauit hominem.* Sed quia id perfidis hominibus calumniari volentibus Incarnationis mysterium, pro occasione futurum erat, & ante cæteros impiis Manichæis, quos subinde te metuere dicis ne in eos scilicet qui sanctam Virginem Dei genitricem dicunt, insiliant, quasi asserant Verbi incarnationem in sola specie factam; ideò necessarium fuit, vt per humanæ naturæ leges pergeret. Et quia id illi propositum erat, vt se verè hominem factum omnibus demonstraret, apprehendit semen Abraham, & ad eam ipsam rem beata Virgine media interueniente, similiter ac nos participauit carne & sanguine. Neque enim aliter licebat nobiscum fieri Deum. Vtilissima autem & alia quoque ratione his qui versantur in terris, Verbi Incarnatio siue humanatio fuit. Nisi enim similiter atque nos secundùm carnem fuisset natus, nisi similiter participasset ijsdem, numquam hominis naturam criminibus in Adam contractis absoluisset, neque à nostris corporibus corruptionem repulisset, neque maledictionis illius potestas desijsset, quam primi fœminæ illatam dicimus, cui dictum est; *In tristitia paries filios.* Sed hominis natura quæ in Adam inobedientiæ morbo laborauit, nunc in Christo grata facta est, per illam ipsius ad omnia obedientiam. Scriptum est enim: *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita per obedientiam vnius hominis, iusti constituentur multi.* Subiacuit Adam illi maledicto: *Terra es, & in terram ibis*: acquisiuit in Christo vt calcare possit mortis laqueos, & quodammodò adnersus mortem tripudiare, illud propheticum dicens; *Vbi est mors victoria tua? Vbi stimulus tuus inferne?* Facta est maledicta, vt dixi, sed id quoque euacuatum est in Christo. Itaque dictum est ad sanctam Virginem, ipsa Elisabeth in spiritu prophetante: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.*]

Insuper aduertendum est, quod plerique PP. obseruarunt, non abs re Deum voluisse Christum suum sic fieri ex muliere. Nam sic decuit honorari vtrumque sexum. [Deum cum liberat (ait S. Aug.) non partem aliquam liberat, sed totum liberat, quod fortè in periculo est. Sapientia ergo & virtus Dei, qui dicitur vnigenitus filius, homine suscepto liberationem hominis iudica autem liberatio, in vtroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat vt fœminæi sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de fœmina natus est.] Ita ille q. 11. ex 83.

Par item erat inde salutem nostram repeti, vnde clades initium sumpserat. Frequenter id tradunt Patres S. Irenæus lib. 5. cap. 31. [Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum de muliere. Neque enim iustè victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim hominis Dominatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Propter hoc & Dominus; semetipsum filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea quæ secundùm mulierem est plasmatio facta, in semetipso recapitulans, vt quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem Victorem ascendamus in vitam.]

Iustinus in dialogo cum Tryphone. [Homo natus est de Virgine, vt per quam viam fraude serpentis subintrauit inobedientia, per eandem sequeretur venia. Cum enim integra Virgo esset Eua, concepto Verbo serpentis, inobedientiam mortémque peperit; at Virgo Maria postquàm concepit fidem cum gaudio, afferente sibi Gabriele lætum nuncium quod Spiritus Domini ei superueniat, & obumbret ipsam virtus altissimi, & ideo quod ex ea nascatur sanctum, esse filium Dei, respondit: *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* Ex hac natus est hic, de quo tot Scripturas loqui docuimus per quem Deus & serpentem illum & similes ejus Angelos hominésque destruit: pœnitentibus verò & credentibus in eum, absolutionem à morte concedit.]

S. Augustinus de ago. Christ. cap. 22. [Dominus Iesus Christus qui venerat ad homines liberandos, in quibus & mares & fœminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidiuit, quia matrem suscepit; nec fœminas, quia de fœmina natus est. Huc accedit magnum Sacramentum, vt quoniam per fœminam nobis mors acciderat, vita nobis per fœminam nascerentur; vt de vtraque natura, id est fœminina & masculina, victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subuersione lætabatur; cui parum fuerat ad pœnam si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur.]

245. S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 8. Cum congruentias mysteriorum quas proferre possumus, dixisset

dixisset vocati à fidei hostibus, *picturas super nubem*, subdit. [Pingi igitur non super fictam vanitatem, sed super solidam veritatem; & die quia valdè conuenit, vt quemadmodum hominis peccatum, & causa nostræ damnationis, initium sumpsit à fœmina: ita medicina peccati, & causa nostræ salutis, nascatur de fœmina: Ac ne mulieres desperent se pertinere ad sortem beatorum, quoniam de fœmina tantum malum processit, oportet vt ad reformandam spem earum, de muliere tantum bonum procedat. Pingi & hic; Si virgo erat, quæ causa fuit humano generi totius mali, multo magis decet vt virgo sit, quæ causa erit totius boni. Hoc quoque pingi: Si mulier quam fecit Deus, de viro sine fœmina facta est: de Virgine conuenit valdè, vt vir quoque qui fiet, de fœmina, sine viro fiat, de Virgine.]

S. Bernardus serm. 2. super missus est. Instat tempus quo iam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur aduersus fœminam: qui vtique dum se impudenter excusare conatetur, crudeliter illam accusare non cunctatus est dicens; *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno & comedi.* Propterea curre Eua ad Mariam, curre matet ad filiam; filia pro matre respondeat, ne matris opprobrium auferat: ipsa pari pro matre satisfaciat; quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam. Quid dicebas, ô Adam? *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi?* Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando eligere tentauit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis inuenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ; & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ accusationis verbum, in vocem gratiarum actionis, & dic; *Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me.* Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! ô fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posteriorum vinificatricem!

Multa his paucis in hanc rem complexus est S. Maximus hom. 6. de natali Domini. [Nascitur itaque Christus ex Maria, vt & sexus fœminæus hominem daret, & Deum proderet integritas virginalis. Nascitur Christus ex fœmina, vt sicut Adam, decipientem per Euam diabolum non potuit præcauere, ita diabolus aduentantem per Mariam Deum, non deprehenderet esse præsentem. Parturit igitur fœmina salutem mundi, vt quæ extiterat fomes iniquitatis, fieret ministra iustitiæ, & per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum: Atque vt ostenderet creator humani generis, vtriusque se sexus curam habere, & vtrumque se velle saluare, vir nascitur, & procedit ex fœmina; quatenus aduertere-mus nullam esse apud Deum inter virum ac fœminam in percipienda salute distantiam.] Commendatum item esse studium castitatis, per natiuitatem ex hac matre, quæ simul Virgo, præmiserat ibidem hom. 3. *in fine.* Non modò autem concipiendo & post partum, sed in ipso etiam partu fuisse Virginem latè contra quosdam probat Goffridus serm. 4. de natiuit. Cur hanc Virginem, in flore iuuentutis, non ætate prouectiorem concipere Christum, voluerit Spiritus sanctus, pulchrè prosequitur S. Ambros. serm. 63.

Ad calumnias de matre plebeia, & filij ex ea sordibus.

246. Ex matre porrò, humilis & plebeiæ sortis fabro desponsata, nasci voluit quod cum despicatui haberet Iulianus Apostata, ita retunditur à S. Cyrillo lib. 6. aduersus eum ad t. 11. [Imaginarium sapientem virum agis ô strenue, & quod nos magnificamus, id etiam Deum putas magnificare. Ignoras autem omninò, quantum intersit, & quantum diuina gloria excelsa sit, quamque sint cogitationes nostræ augustæ. Nam oportebat omnino Ieiun existentem Deum, curam habere ne videatur hominibus gloria minor, & desiderare nobiscum momentaneas has gloriolas, & parta dimensas prosperitates pompasque vanas: quomodò non melius erat illi omittere dispensationem, & non fieri nobis similem hominem, quum æqualem habeat cum patre thronum, summa gloria decorus, & diuinis dignitatibus conspicuus? Igitur si quippiam videtur arguendum & dicendum, cur non potiùs regis cuiusdam terreni appellatus est filius, & natus est ex regina matre, secundùm carnem scilicet? Reprehendat obiter etiam, quod & homo factus est, & exinaniuit semetipsum, forma serui accepta. Nam si omnino ignobilitas grauis, & intolerabilis ei fuisset, quum tempus & res ipsa id postularent, melius vtique fuisset dispensationem non ferre: sed erant vt Deo humana omnino nihil, & etiam terreni regni amplitudo res parua ei erat, quamuis à nobis summis honoribus celebretur. Vnde & quando cum Pilato loquebatur, summam gloriæ suæ eminentiam manifestabat dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quo circa quare increpas eum qui secundùm naturam existit Deus, quod voluerit etiam exinanitionem dispensatiuè pati? quamuis nemo dubitet quod in tantum sapientia Dei sumus inferiores, quantum & natura minores.]

Bacchantes in Christum, occasione huius causæ suæ Manichæos, & sordes (vt blasphemabant,) matris concipientis & patientis, refundentes in prolem, sic arguit S. Augustinus lib. 5. hæresibus cap. 5. [Deus erat: homo factus est; susceptit humanitatem, non amisit diuinitatem, factus humilis, mansit sublimis: natus est homo, non destitit esse Deus: natus est paruulus, latens magnus: Qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat Virginis partum. Dicit tibi Deus creator hominis, filius hominis, quid est quod te permouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem, de qua nascerer, feci: ego viam meo itineri præparaui atque mundani. Hanc quam despicis Manichæe, mater mea est, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui in illa inquinari cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo, illius non est corrupta virginitas; sic & mea non est ibi maculata maiestas. Si Solis radius, cloacarum sordicies desiccare nouit, eis inquinari non nouit: quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumque radiauerit, mundare potest, ipse pollui non potest. Stulte, vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre? Vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? Vnde sordes in domo, ad quam nullus hospes accesserit? Solus ad eam Dominus & fabricator eius venit; vestem quam non habebat, induit, eámque sicut inuenit, clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic iustæ ex qua natus est matris pudor, solus est integer. Eua inobediens meruit pœnam. Maria obediendo consecuta est gratiam. Illa gustando prohibitum, maledicta: hæc credens Angelo, est benedicta. Illa nobis mortem, contulit, hæc Virgo vitam nobis peperit. Quid agis Manichæe? Christianum premis, non Christum defendis. Taceat immunda vanitas, quia munda nata est diuinitas.] Hac de re pluribus cum de Deipara in Dypticis Marianis.

Obiter de Christi maioribus.

247. Præter causam efficientem proximam, interuenerunt quoque remotæ; nempè maiores Christi per Virginem. Sed de illis nihil hoc loco, præter illud quod à S. Hieronymo Matth. 1. & ab aliis notatum est, nempe voluisse Christum, quosdam maiores habere ingloríos & infames; Nimirum vt discerenus nobilitatem contemnere de quo pulchrè Blesens. epist. 3. verbis illis. [Quid inter parentelas hominum variando distinguis? Ab vno patre descendimus vniuersi, & singuli. Certè speciosus forma præ filiis hominum Christus Iesus, de quo scriptum est, quia *vir nobilis est in portu eius*, cuius nobilitatem & generationem Propheta non sufficit enarrare, & qui vnicus nostræ generositatis est auctor; de iustis, & iniustis, de magnis & humilibus carnem traxit. Nam & agnus paschalis iuxta 70. interpretes, de ouibus & capris assumebatur: in quo manifestissimè vides, quod apud Christum, omnis fortuna, omnisque conditio acceptatur.

Notandum tamen cum S. Paulino epistola 10. nobiles fuisse. [Ipsius (inquit) Domini ortum, præter illum à diuino fonte fluentem, etiam istum quo filius hominis esse dignatus est, Euangelistæ duo, numeratis ab initio maioribus ordiuntur, diuersam vtroque scriptore corporei sanguinis venam, pari fide & dignitate referente: quia dignum erat, vt vnigenitus Dei, & primogenitus totius creaturæ, atque vniuersi corporis caput, etiam in generis corporei dignitate primatum teneret. Vt vnius in cœlo Dei filius, ante sæcula ineffabili natus exordio, etiam in terris illustrium titulorum sibi apices vendicaret; Regum pariter & sacerdotum, (vt duo testantur authores) clara progenies.] De immediatis Christi maioribus SS. inquam Ioachimo & Anna, multa coacernarunt Spinellus in opere de Throno Dei c. 18. & Castro in histor. Deiparæ c. 1.

Quid, *circumstantia secunda.*

248. Hæc vox, vt sit verè circumstantia, designare debet rei conditionem aliquam: quæ hic non videtur posse proferri alia, quàm sexus Christi masculinus. In virili namque sexu assumptam fuisse à Dei Verbo humanitatem nostram, tam exploratum est ex Euangelio, vt probatione opus non sit. Decuisse autem ita fieri, nec fuisse congruum vt sexus fœminæus assumeretur, euincunt planè rationes illæ quinque quas Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 82. proposuit; nempè quòd cum ruinæ nostræ ac exilij causa vnica immediata, fuerit Adamus; (nam Eua sola peccante non cecidissemus originaliter, vt probat S. Anselmus l. de concept. Virg. c. 9.) conuenientissimum fuerit inde prodire reparationem, vnde clades acciderat; hoc est à viro. Item quod Christus caput sit Ecclesiæ, & sacerdos ac Pontifex summus, atque magister, cuius partes sunt Ecclesiam docere, congregare discipulos, aliáque præstare à sexu fœmineo aliena. Decebat denique, vt qui filius erat Patris quoad diuinitatem, similem filij, non filiæ denominationem acciperet in humanitate, vt vitaretur confusio.

Nemo autem fuit adeò insanus, vt huic veritati obstreperet. Nam quod apud Anastasium cap. 3. *ὀδηγὸς in fine*, damnantur qui dixerint in Christo fuisse maris ac fœminæ naturam, non est referendum ad sententiam alicuius qui ita delirarit & Christum fecerit androgynum: (id enim nemini vmquam venit in mentem:) sed referendum est ad calumniam Seuerianorum, qui vt rubore perfunderent Catholicos geminæ in Christo naturæ assertores, nequissimè ac fedissimè illis vocibus turpes notationes subijciebant, quod breuiter accipe ex eodem Anastasio libri eiusdem cap. 10. [Testor charitatem vestram, Seuerianos, quando audiunt in Christo hypostases; hypostases, nisi fallor, facultatum possessionem seu fortunarum intelligere: Eáque de causa animo intrepido, & imperterrito eas prædicare & confiteri. At verò quando audiunt naturam, turpia quædam & absurda animo effotmare, vt pote partes, quæ virorum atque mulierum corpora constituunt, quamobrem vocem hanc auersari, quasi in Sarracenorum disciplina institutus essent. Nam & isti, cum Dei conceptionem & natiuitatem audiunt, derepentè nuptias & semen, carnalémque coniunctionem somniantes blasphemant. Etenim, si Seueriani aliter effecti sunt, qua ratione cum corpus Domini nominant, plurimásque & diuersas appellationes prorsus frigidas, indignas, alienásque etiam ab Angelica natura recipiant, solam naturæ appellationem in Deo respuunt.] Non igitur spurcissimi hi hæretici, non alij vlli, sexum in Christo alium quàm masculinum asseruerunt. Scitè tamen de more Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti. cap. 13. Christo aptat illud, *masculum & fœminam creauit eos*; masculum interpretatus. Verbum; fœminam verò, humanitatem.

Vb, *alia Conceptionis Christi circumstantia.*

249. Locus concepti Christi, vel est communis & externus Deiparæ, vel proprius & matri internus; ea videlicet pars materni corporis, quæ tanti mysterij, & vt S. Damasc. pulchrè dixit, tot miraculorum officina fuit. Priorem locum, S. Lucas. cap. 1. docet fuisse, Galileæ vrbem Nazareth: nam ibi facta est allocutio Deiparæ per Angelum, in cuius clausula perfectum est hoc mysterium. Delectæ ad id regionis, & vrbis illius, causas nonnullas ex notationibus nominum profert Toletus in c. 1. Lucæ annot. 49. & 50. Certa porrò traditione docemur, cubiculum in quo res tanta gesta est, & Verbum caro factum, esse illam ipsam ædem sacram, quam Laureti in Piceno etiam nunc videre licet aduectam Angelico ministerio, vt fusè referunt qui sacræ illius ædis historiam mandarunt literis, Riera, Turselinus, & alij; itémque Canisius lib. 5. Mar. c. 25. Gretesius l. 2. de peregr. c. 3. Bonif. lib. 2. histor. Virg. cap. 4. Spinellus de templis Deiparæ, & Bronius anno 1300. n. 25. Nec est de hoc Christi concepti loco inter Catholicos controuersia; rigantur licet hæretici, & qua solent cerulcositate, in contrarium obfirmentur.

Somnium de Christo non in vulua concepto.

At circa locum immediatum, siue Deiparæ internum, nonnulli Catholici, specie Christi honorandi, recessere ab aliis, negantes Christum conceptum esse in vtero seu matrice B. Virginis; affirmantes autem, conceptum fuisse in parte matris vicina cordi. Ita censuisse iam olim videntur nonnulli apud Damascenum 4. fidei c. 15. *sub finem*, fabulantes Christum è matre editum fuisse per latus. Sub sæculi autem superioris initium, Petrus quidam Lucensis, Canonicus Regularis, causatus honestatem mysterij maiorem, & Christi dignitatem ac honorem, Mantuæ de suggesto tradidit, Christum in parte matris, vicina cordis, esse conceptum sicque cuidam piæ fœminæ, à qua id ipse didicisset, reuelatum affirmabat. Scilicet hoc deerat patellæ operculum. Nam prætensa illa reuelatio, si non fuit merum mendacium muliebre, apertè fuit dæmoniaca impostura: cum disertè Esaias c. 7. prænunciarit, Virginem in vtero concepturam; idque Angelus apud Lucam cap. 1. confirmat, dicens Virgini, *ecce concipies in vtero.*

Erroneè autem & insulsè, Petrus ille, vocem *vteri* detorquebat in alienum sensum; dicens, eo nomine designatum fuisse ventrem superiorem, seu thoracem, cuius pars sit ea prætensa pectoris cauitas. Fanéque quod Iustinia 1. Ioan. 1. v. 1. num. 51. obseruat, apud Hebræos voces quasdam vterum significantes, tam mas-

culj

oli quàm fœminæ viscera denotare. Sed præterquàm quod huiusmodi interpretationis figmento, conuelliter verborum & Prophetæ & Euangelistæ proprietas, nullibi in pectore humano propè cor, cernitur cauitas excipiendo ferui idonea. Eáque gratis admissa, adiungendum necessariò fuisset perpetuum miraculum per totum nonimestre, vt impediretur suffocatio Deiparæ per ferum pectori appositum. Deinde cum B. Maria inuenta esset in vtero habens, Ioseph cum nollet eam traducere, voluit occultè dimittere, ratus grauidam ex intumescente vtero. Quod si non vterus, ordinaria conceptionis officina, sed commentitia illa cauitas cordis vicina intumuisset, non venisset B. Virgo in suspicionem adulterij, ob quod homo iustus, veritus participare & ratum habere eius peccatum, de illa dimittenda debuisset cogitare; sed visa esset extraordinario rumore ægra: nec ob sceleris suspicionem dimittenda, sed ob morbum fouenda & retinenda, iuuandáque in charitate. Vterus ergo Virginis in quo Christus conceptus est, is planè fuit qui passim vterus dicitur: idque Romæ aduersus illum Petrum fuisse declarauit, prodit Mantuanus tract. de Christi concepione; in cuius opusculi calce, addit, ipsum quidem Petrum quod pertinacia defuisset, ab hæresis nota abisse immunem; dogma tamen quod improuidè proulerat, fuisse damnatum. Se affuisse damnationi, ait Caietanus 3. p.q.31. art.5.

Nullum Christo dedecus ex conceptione in vulua matris.

250. Frustra verò Petrus ille refugiebat Christi dedecus ex conceptione in tali loco, ex conceptione vel in corde vel circa cor matris, Christi maiorem honorem obrendebat. Nam vt scitè dixit Basilius Seleuciæ grat.39. [Quis modestiam Deo obiectabit? quis susceptam nostro nomine mendicitatem, per quam nobilem regiam & diuitias parare licet, illi probro vertet? Quid aiunt, qui superstitiosa religione laborant, trepidant timore, vbi non est timor, ne quid quod opinantur, Deus patiatur; cum passiones, hominum sine passione medicatur, ac ideo credere refugiunt, Dei incarnati generationem, ventri mulieris esse concredendam? Hoc Deo honorificentius hoc modo magis impatibile demonstratur, quod & patibili celatus sit corpore, & quod diuinitatis impatibilitatem ostendat. Si enim Solis huius, cum sordentia fetentiáque loca contingit, nullius inquinamenti contagione puritas infertur; quomodò non magis Sol iustitiæ, in inclitam assurgens Virginem, & eam per sanctum corpus deliberans, impatibilis in ipso perstitit, vt Deo dignum est?] Similia latè S. Chrysostomus in calce homiliæ de die natiuitatis Domini à Pantino editæ.

Nullum ergo hic reipsa interuenit probrum, nullæ sordes, iuxta illud Fulgentij serm. de laud. S. Mariæ ex parte Saluat. [ô coniunctio sine sordibus facta, vbi matrimonium est, & vxor auricula. Quin etiam vt rectè contra Marcionem de hac ipsa & aliis Christi ignobilitatibus & puusillitatibus blaterantem, aiebat Tertullianus lib.2. contra Marc. cap.27. [Deus vim maiestatis suæ, intolerabilem vtique humanæ mediocritati, humilitate temperauit, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ita iam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quàm salus hominis.] Rectè item aduersus Heluidium Hieronymus. [Iunge si libet & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum infolestem, fastidia, partum, sanguinem, pannos.] Hæc sunt ordinariorum partuum dedecora & probra, ex aduersarij persona addensata, quamuis à conceptu & vteri gestatione ac partu Virginis, exularint. Sed pergit Hieronymus. [Ipse sibi describatur infans, tegmine membranarum solito conuolutus. Ingerantur dura præsepia. Vagitus paruuli, octauæ diei circumcisio, tempus purgationis, vt probetur immundus. Non erubescimus, non fleamus. Quanto sunt humiliora, quæ pro me passus est, tanto plus illi debeo. Et cum omnia replicaueris, cruce nihil contumeliosius proferes, quam profitemur, & credimus, & in qua de hostibus triumphamus.] Expressit apertè Hieronymus, insignem Tertulliani disputationem aduersus Marcionem l. de carne Christi cap.4. & lib.3. contra Marcio. c.11. iure verò Cassianus lib.2.cap.3. *in fine*, ex eo quod Deus, ad hæc vt nobis videtur, dedecora se abiecerit, concludit augeri in nobis debere, non imminui venerationem & affectum erga Christum, quia maximum vtique & immanissimum scelus est, vt ideo apud nos minus honoris habeat, quia plus amoris impendit. Nec dissimilia S. Gregor. 29. mor. cap.1.

Quare immensam quidem Dei in subeundo femineo vtero dignationem admirati ad stuporem par est iuxta illud Ruperti l.1. de oper. Spiritus sancti. cap.14. [Cæterum si ad magnitudinem dignationis respicias, nihil mirabilius inter omnia quæ facta sunt; siue in cœlo, siue in terra, quàm id quod Deus dignatus est concipi vel nasci de femina. Nec enim adeò miramur, quod omnipotens Virgini conceptum vel partum dare potuit; mirari autem multo maximè simul & venerari debemus, quia tantus hoc voluit, quia femineum Deus Dei filius, Deus Dei Spiritus vterum non horruit. Non horruit, inquam, Verbum Dei, Verbum Deus quin femineæ carnis humori, quasi coagulum se commisceret.] Igitur magnam quidem, & si per vires liceret, immensam tantæ demissionis ad Virginis vsque vterum, admirationem concipere, Deúmque vt cæcas feminei vteri latebras componendo, promouere, dignum est; tamen admirationi iungendus amor, tantæ benignitati par.

Neque ex aduentu ad nos, per portam communem.

251. Hæc notanda quoque & expendenda, Petri illius correctori Baptistæ Mantuano fuerunt, qui vt id hic obiter addam, specie honoris Christi, & maioris honestatis huius mysterij adductus, quod in Marcione damnat graniter Tertullianus, Christum, per matris pudenda prolatum, vel negat vel nimiùm insinuat se negare, dicens id certum non esse, cum potuerit Christus ex vtero matris aliter ad nos prodire, & tamen dici natus ex Virgine. Nam & Verbum Dei dicitur natum ex Patre. Igitur liquet notationem vocis *natus*, in omni proprietate constitutam, non ferre prolationem ex vtero per portam communem. Præterquàm quod qui dicuntur Cæsones, hoc est qui secto matrum vtero eximuntur, nati earum dici possunt, etiam aliúnde ad lucem venerint quàm per materna pudenda. Potest ergo Christus quoque, natus Deiparæ censeri, quamuis probroso illo exitu ad nos non venerit. Hæc dico, à Mantuano prolata esse non benè, & correctione, vel etiam abrasione egere. Nam quamuis nomen *matris*, non inferat necessariò partum per viam naturalem, vt benè notauit Aureolus in 3.d.4 q.Vnica art.5. *sub finem*, tamen vox *natiuitatis humanæ*, in omni proprietate, fert eum quem dixi exitum ex vtero eúmque etiam multo expressiùs insinuat vox *pariendi*. Neque enim B. Virgo Lucæ 2. dicta fuisset Christum peperisse, nisi vt S. Hilar. lib.2. de Trinit. loquitur, Christus communi lege, hoc est per genitalia, citra omnem tamen apertionem, prolatus esset. Id quod S. Hieronymus l. aduersus Heluid. perspicuè tradidit, nec non S. Augustinus 22. Ciuit. cap.8. & Nazianzenus orat.51, ac Damasc.4. fid. c.15. Nec semel idem affirmat Tertullianus. Quamquam quod ait l.contra Valentinianos cap.27. eos inuexisse Christum in præpositis quæ-

ſtionibus ſuppoſitum, id eſt per Virginem non ex Virgine editum, quia delatus in Virginem tranſmeatorio potiùs quàm generatorio more proceſſerit, per ipſam, non ex ipſa; non matrem eam, ſed viam paſſus. Hæc inquam video iuxta ea quæ habentur l. de præſcript. cap. 49. accipi ita poſſe, vt ad hunc locum non pertineant, ſed tantùm ferant, Chriſtum quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. Alibi tamen nec ſemet, diſertè in hæreticis damnat Tertullianus, quod Chriſti per intacta matris virginalia prolationem, ſtultè erubuerint.

Poſitio Chriſti in matris vtero, circumſcriptiua.

252. Sed illud non minùs inſulsè & falsò circa Chriſti exitum ex materno vtero dixit Mayronis in 3. d. 4. q. vnica. art. 6. quod etiam ad conceptionem primam in vtero de qua hic diſputamus potiùs pertinet; nimirum idcirco Chriſtum ex vtero matris exeuntem, ſeruaſſe matris integritatem, quia Chriſtus in vtero matris habuit ordinem partium in toto, non autem ordinem partium in loco, fuitque in vtero definitiuè, ſicut eſt in Euchariſtia. Quare exiens ex vtero, quamuis haberet tantam quantitatem quantam alij pueri, tamen integram ſeruauit matrem abſque nouo miraculo, quo duo corpora fuerint ſimul localiter; ſed vnum corpus fuit in alio definitiuè, qui fuerat modus eſſendi Chriſti in vtero. Hoc meritò reprehendit Rubionius in 3. d. 4. q. 1. *in fine*, & videtur mihi ſufficienter conuelli eo argumento quod ipſemet Mayro ſibi obijcit; nempè quod Chriſtus in vtero nutriri poſſet: corpus enim definitiuè locatum, & nutritionis & cuiuſuis extenſæ ac materialis actionis eliciendæ, incapax eſſet: Quam difficultatem non aliter diſſoluit Mayro, quàm dicendo, relinquendam eſſe diuinæ admirationi. At nemo non videt, has difficultates diſſoluendi libertate, fas fore quæcumque ſine aperta contradictione alicui occurrerint, facta comminiſci. Promptum quippe erit, intortis in contrarium difficultatibus, ſe liberare, relinquendo eas diuinæ admirationi. Fuit itaque Chriſtus in matris vtero, circumſcriptiuè & extensè vt & alij pueri. Hunc Chriſti in matris vtero ſtatum, pietatis miraculis refertiſſimum, aptiſſimè ad excitandum & fouendum pietatis noſtræ ſenſum, expendit pluribus ſacris commentationibus, fortiſſimus Chriſti pugil & inuictus Chriſtianæ fidei apud Iapones teſtis Carolus Spinola quæ ad calcem vitæ eius habentur.

Encomia vteri Virginis, ex Chriſto inibi concepto.

253. De ſanctiſſimi huius vteri ob exceptum Chriſtum ſummis præconiis, multa habet Dionyſius Richel. lib. 1. de laud. Deip. art. 20. Ego nonnulla ex Patribus hic adducam. Ad rem quippe præſentem facit, quod Patres de tam ſancta Dei arca dixerunt S. Iacobus in Liturgia, poſt multiplex *memento*, in dicta commemoratione Deiparæ, ſic habet. Dignum eſt, vt te verè beatam dicamus Deiparam, ſemper beatam, & omnibus modis irreprehenſam, & matrem Dei noſtri, honorabiliorem quàm Cherubim, & glorioſiorem quàm Seraphim, quæ ſine corruptione Denm Verbum peperiſti. Te reuera Deiparam magnificamus. Tibi, ô plena gratiæ, vniuerſa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es templum ſanctificatum, paradiſus Spiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem aſſumpſit, & puer factus eſt Deus noſter, qui eſt ante ſæcula. Tuum enim vterum, thronum fecit; & tuum ventrem latiorem, ac ampliorem cœlis ipſis reddidit. Tibi, ô gratia plena, vniuerſa creatura gratulatur. Gloria tibi.]

Origenes hom. 14. in Lucam, vocat ſanctum vterum & omni dignatione venerandum.

Gregor. Nyſſ. orat. de natiuit. Dom. [ô Beatum vterum illum, qui bonitatis præſtantia, ad ſe traxit animi bona. In reliquis enim omnibus, vix animus purus, Spiritus ſancti præſentiam capit: hic autem, caro fit Spiritus receptaculum.] Senſus eſt, idcirco quod Chriſtus in matris vtero formandus & excipiendus eſſet, vt Mater dignum tantæ prolis habitaculum effici mereretur, oportuiſſe vbertatem gratiæ propè immenſam, conferri animæ.

Epiph. orat. de laud. Deip. ex Deiparæ perſona ita loquitur. [Ego Virgo incorrupta, quæ in vtero geſtaui, effecta ſum templum impollutum habitantis in me Verbi Dei nuptiarum expertis. Emanuelem geſtaui in vtero incorrupto, in ventre impolluto, ſimilis effecta throno Cherubico: in qua caro factum eſt Verbum patris, qui Deus eſt initio carens: & licet inuiſibilis, ſpectabilis tamen per diſpenſationem aſſumptæ carnis factus eſt. Non experta, nec cognoſcens virum, peperi Deum, qui eſt ante ſæcula, ipſum Chriſtum. Nam etiam nûc ſum virgo poſt partum, purior, ſi dicere licet, quàm antea.] His dictis, exclamat Epiphanius [ô vterum impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehenſum, in te verò comprehenſum portaſti. O vterum, cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctaſti. O vterum, qui cœlum es ſeptem circulis conſtans, & capacior illis exiſtis. O vterum ſeptem cœlis ſublimiorem atque latiorem. O vterum, qui es octauum cœlum, ſeptem firmamentis celſiorem. O vterum, habentem inextinguibile lumen ſepties lucentis gratiæ.]

Mox iterat quod iam præmiſerat, Deiparam ſcilicet ratione vteri eſſe thronum Cherubim: quibus alludit ad illa Gregorij Neoceſar. verba orat. 2. de annunc. [Ipſe cœleſtium omnium poteſtatum Dominator, ex omni creatura, te ſanctiſſimam & ornatiſſimam elegit; & per ſanctum, ac caſtum, purum atque impollutum ventrem tuum, fulgidiſſima margarita in ſalutem totius terrarum orbis progreditur: quoniam & tu ſancta, omni humana natura glorioſior ac purior ſanctiórque effecta es; ac nine quidem candidiorem habens mentem, quouis autem auro quantumuis probato, purificatum magis corpus: Ventrem verò, qualem Ezechiel vidit, & qualem recenſuit, talia dicens: *Similitudo animalium ſuper caput, quaſi firmamentum, & quaſi aſpectus cryſtalli formidabilis, & ſimilitudo throni; ſuper ea quaſi aſpectus lapidis Saphiri: & ſuper thronum, tamquam ſimilitudo hominis, & quaſi aſpectus electri: & intrinſecus eius, velut aſpectus ignis, per circuitum.* Perſpicuè igitur Prophera, natum ex ſanctiſſima Virgine, in figura ac vmbra cernebat: quem tu ſacra Virgo portare non poſſes, niſi omni gloria atque virtute pro tempore illo refulgeres.]

Andreas Hieroſol. orat. in ſalut. Ang. [Benedicta tu, quæ cœleſtem theſaurum, in quo alij omnes ſapientiæ & cognitionis theſauri ſunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè complexa es. Verè tu benedicta, cuius venter, aceruus quidam arææ, quoniam fructum benedictionis, ſpicam immortalitatis, Chriſtum inquam, ſine ſeminantis ac coloni opera perfectiſſimè produxiſti, meſſem copioſam infinita millia congratulantium ſibi de ſalutis noſtræ operatione adduxiſti.]

254. Cadit in hunc vterum, & ratione eius in Deiparam, corolla aut ſertum illuſtriſſimorum titulorum, quibus Chryſippus presbiter orat. de Deipara *initio*, eam condecorat. [Aue gratia plena, Aue quæ vulnam adepta es præter naturam, vel ipſis cœlis latiorem: quando quidem per hanc comprehendiſti eum, quem ne cœli quidem capiunt. Aue fons lucis omnem hominem illuminantis. Aue Solis ortus qui nullum ferre poteſt occaſum. Aue armarium vitæ. Aue quæ & hortus

tus patris. Aue quæ es pratum totius fragrantiæ Sancti spiritus. Aue radix omnium bonorum. Aue speciosa gemmæ omne pretium excedentis. Aue virtis, vuas pulchras producens. Aue nubes pluuiæ, potum animis sanctorum exhibentis. Aue quæ es puteus semper viuentis aquæ. Aue quæ es rubus ardens igne Spirituali, nusquam tamen adureris. Aue porta clausa, soli regi aperta. Aue mons, vnde lapis angularis absciſſus est sine manibus.]

Proclus perelegantèr hom. de Christi natiuit. t. 6. Conc. Ephes. cap. 7. de hac spiritali paradiso Adami secundi, hac vnitarum inter se naturarum officina, sic loquitur. [O venter, in quo communis libertatis Syngrapha confecta est: ô vtere, in quo arma aduersus mortem fabrefacta sunt: ô aurum, ex quo naturæ colonus, sine semine exortus est! ô templum, in quo Deus naturam non demutans, sed eam, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, induens, nostri miſericordia, Verbum caro factum est.]

S. Ambrosius in instit. Virg. cap. 14. vterum Deiparæ, cum aliis laudibus ornat, tum veluti granatissimi describit, è quo eductum sit mundo vniuerso pascendo granum optimum. Sic enim habet. [*Venter tuus sicut acerus tritici munitus inter lilia*, eo quod continens sibi sit in omnibus Christi ortus ex Virgine. Sicut victores solent sæcularium præliorum, strenuorum virorum donatis torquibus honorare cervices: ita iugum nostrum leuuit, vt fidelium colla virtutis insignibus coronaret. Vere autem alius ille Mariæ, crater tornatilis, in quo est sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis piæ gratiam, diuinitatis suæ pietatisque subministrans. In quo Virginis vtero, simul acervus tritici & lilij flos gratias germinabat, quorum & granum tritici generabat, & lilium. Granum tritici, secundùm quod scriptum est: *Amen amen dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Sed quia de vno grano tritici, acervus est factus, completum est illud propheticum: *Et conualles abundabunt frumento*; quia granum illud mortuum, plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum, omnes homines perpetua cœlestium munerum esca saturauit. Consummatum est illud prophetici oris eloquium, dicente eodem Dauid. *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.* In hoc grano etiam illum, diuina testantur oracula, quia scriptum est: *Ego flos campi & lilium conuallium: sicut lilium in medio spinarum.*] Hunc S. Ambrosij locum, perpulchrè imitatus est Amedeus Lausan. hom. 6. de Deip. *ante Deum.*

S. Hieronymus in Psal. 18. cum Sole confert vterum Deiparæ, ad illud *in Sole posuit tabernaculum suum.* Sic enim ea verba glossat. [In Sole, in vtero Sanctæ Mariæ Virginis. Maria interpretatur *stella maris.* Lumen Solis magis licet, quàm stellarum. Sol iustitiæ, Dominus, vt ait Propheta: *Orietur vobis Sol iustitiæ*, qui est Christus illuminans. Sol iste, stellam, ideſt, Mariam vt esset sicut Sol. Ideò posuit tabernaculum suum in Sole, quàdo corpus assumpsit de vtero suo.] Imo cœlis ipsis fortiorem hunc vterũ inde probat Fulgentius serm. de laud. Deiparæ ex partu Saluatoris, quod in tantis vteri illius angustiis, multo plus contineatur quam in Solari tabernaculo, sed in illis sustineatur quicquid sustinent cœli.

255. Cum corde Patris, in quo Verbum genitum est, vterum Deiparæ in quo idem homo factum & genitum est, componit Augustinus orat. contra Iudæos & Pag. c. 9. vbi etiam de hoc vtero tamquam thalamo nuptiarum Verbi cum Ecclesia, qua de re suo loco cum de Christo sponso, & pulchrè quoad vteri thalamum S. Hildephons. l. de perp. Virg. & partu. B. Mar. *ferè in fine.* Illam vero materni vteri & paterni sinus analogiam, prosequitur omnino egregiè Petrus Damiani serm. de annunc. describens duplicem locum voluptatis è quo fluuius egrediebatur. [Fluuius iste (inquit) est Deus meus Iesus, qui à duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris & vtero Virginis. Vnde Propheta: *Dominus Deus noster, fluuius gloriosus, exiliens in terram sitientem.*] Et post fusè descriptam generationem æternam, & processionem huius fluuij è loco voluptatis, addit. [Nunc accingamus nos ad videndum qualiter egrediatur de Virgine; quia egressio ista dulcior, & affectuosior est humanæ miseriæ, quæ intuentium pectora concutit, irrorat oculos, & beatis fontibus vultum amantium superfundit. Hic locum voluptatis, vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delicias delitiarum Dominus, de cuius delitiis Spiritus sanctus admirabili sermone in amoris cantico sic eructat: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* Numquid in Angelis voluptatem habet altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? Numquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cœlo, aliæ in tenebras obscurantur? Numquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in Spiritu Dominus si verax est ille, qui curru igneo, & equis igneis est assumptus in cœlum. Numquid in aquis, vbi furens & tortuosus Leuiathan immoratur; aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit, & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis.] Superiùs verò vteri Deiparæ amplitudinem, quam iam ex S. Iacobo, & Epiphanio, ac Chrysippo, & aliis celebrauimus, ita suspicit, [Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, quæ postquam ei locutus est, sensit Deum suis illapsum visceribus, maiestatémque illius virginalis ventris breuitate conclusam. O venter diffusior cœlis, terris amplior, capacior elementis, qui totum claudit, omnia concludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur.] Et serm. 45. [In Mariæ vterum, velut reuera sacratissimum templum, Deus ipse descendens, & humanam naturam ex ea suscipere, & cum hominibus dignatus est visibiliter habitare. Licet enim & in illud Salomonis templum, Deus descendisse credendus sit; in hoc tamen rationabili sanctuario, hoc est, in Beatissimæ Virginis vtero, multo mirabilius, multòque felicius dignatus est manere pro nobis, in quo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.]

256. Hunc esse locum quem omnes creaturæ suspiciunt, ac stupent, ob perpetrata ibi mirabilia, sic tradiderat idem Petrus Damiani loco allegato, *initio ferè sermonis.* [Cum fecerit Deus omnia opera sua valdè bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inueniret. Hoc est quod natura miratur, reuereatur Angelus, veretur homo, stupescit cœlum, contremit terra, infernus exhorret. In huius vtero maiestas altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe & pinguedine repleuit terras, infudit cœlos, inferna respersit. Hic exinaniuit semetipsum Excelsus & immensus, mensuram bonam & confertam, & coagitatam mittens in sinum nostrum. Hic diuinis manibus vnctus est, oleo lætitiæ, & sicut ad altare in summum Pontificem consecratus. De hoc altari ad aram Crucis ascendens, proprio cruore tamquam alterius generis oleo perfusus, iam non solùm consecratus, sed & consecrans; totum corpus machinæ mundiali, lagitori, ligamine copulauit.]

Nomine horti deliciarum Domini, vterum Deiparæ celebrat Gulielmus Paruus ad illud Cantic. 4. *Veni Auster, perfla hortum meum*, his præter cætera. [Iam Dei filius cum Virgine erat, de qua carnem sumpturus erat. Iam inquiebat, *Veni Auster perfla hortum meum, & fluãt aromata illius.* Nempe si cum Virgine iam non degeret, non diceret, *Veni Auster*, sed potius, *Vade Auster.* Austro ergo dicit, *Veni*, quia non mentiebatur Angelus dicens ad Virginem. *Dominus tecum.* Veni, aiebat, Spi-

ritus sancte, sanctifica vterum Virginalem, vt fluant aromata illius, vt quod nascetur ex eo sanctum, vocetur filius Dei, quod vtique erit in odorem suauissimum omnibus sæculis. Planè vterus Virginalis, est cœlestis sponsi hortus deliciarum, hortus aromatum. Quantæ in eo deliciæ, quanta intimæ suauitatis aromata fuerunt, cum ibi Dominus gloriæ per Incarnationis mysterium dignatus fuit habitare, & præclaras illas nuptias in eo per spatium nouem mensium celebrare? Eodem spatio exacto, aromata illius fluxerunt, quia sacra Virginis viscera, filium Dei fuderunt. Quare missus est ad Virginem Angelus congrua salutatione præmissa; *Ecce*, ait, *concipies & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM.* Citò de vtero tuo fluent aromata cœlestia, tamquam de horto voluptatis Dei.]

257. Hic esse locum auro, in quo conflatur, egregiè dixit Richardus Victor. serm. in illud Psalmi 71. *descendet sicut pluuia in vellus.* [In hac terra (inquit) inuentus est lapis ille sine manibus excisus, qui creuit in montem magnum, & impleuit vniuersam superficiem terræ. Puto quia in hac terra, secundùm Moysi sententiam, nascitur aurum, & aurum illius terræ optimum; ibi inuenitur Bdellium & lapis Onychinus. Qualem quæso dicimus hanc terram, in qua facilè inuenimus si volumus, aurum optimum, & lapidem pretiosum? Sed quid dicturi sumus, de illius terræ auro tam optimo, tam pretioso. Puto quod secundùm hoc, quod in Beato Iob legitur. Quoniam & huic *auro, locus est in quo conflatur.* Sed quis quæso huius conflationis locus; an fortè ipse est vterus virgineus? Quis huius operis conflator aurique mundator, nisi Spiritus sanctus; huius sanè operatione, in ventre virginali conflatum est aurum, & decoctum ad purum natura humana purgata, & ab omni labe mundata, Verbo vnita, & in vnam personam coniuncta.]

Nullus in terra dignior locus hoc vtero, in quo filium Dei Maria susceperit, ait S. Bernardus serm. 1. de assump. sed mellitissimè de more serm. 2. de Pentec. docet hoc esse terræ medium, in quo Dominus salutem nostram est operatus. Similiterque Fulbertus Carnot. serm. 3. de natiuit. Deiparæ. [Et vbi vsquam inueniri poterat locus, qui infra se concluderet maiestatem coæqualem Patri, auctorem omnium rerum, nisi vterus Mariæ ante sæcula præscitus? In hunc siquidem tota diuinitas, cum humanitate versata est. Et qui in coæqualitate cuncta disponebat cœlestia, & terrestria, in Virginea per angusta septa venturam & promissam præparabat carnis suæ redemptionem.] Non malè huius sanctissimæ Christi figlinæ laudes celebrat creditus Bernardus in meditatione super *Salue Regina* in ipso fine.

258. Exebertus Abbas, (ipse enim vt alibi trado, autor est, non S. Bernardus, cuius operibus inseritur,) in deprecatione ad Deiparam luculentissimè. [Benè Sancto Spiritui in te complacuit ô Maria, cum diuinis adeò mysteriis vterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam, totam inflammauit se ipso; atque splendore diuinæ maiestatis impleuit, tuumque vterum ineffabili modo fecundauit, fecitque vt Deum & hominem clausa concipere, clausa pareres, & post partum Virgo permaneres. Iam ergo vterum tuum Domina, velut sacratissimum Dei viui templum, totus mundus veneratur. In eo salus mundi initiata est; ibi decorem indutus est Dei filius, ac præelectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, formosus in stola candida exultanter occurrit; desideratum diu osculum præelegit, ac prædestinatas à sæculo nuptias, Virgo cum Virgine prælibauit. Ibi ruptus est paries inimicitiarum, quem inter cœlum & terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi confederata sunt terrenis cœlestia, & obuiauerunt sibi in osculo pacis, quando in vnam eandémque personam concurrerunt diuinitas & humanitas: factúmque est nouum illud super terram, vt esset Deus homo, & homo Deus, ibi magnus Elisæus, in mensuram suscitandi pueri sese contraxit. Ibi antiquus dierum, prædilecto filio suo, tunicam induit polymitam. Ibi Reberra futurorum præsciæ, magnificandi filij manibus pelliculas hœdorum circumdedit, & colli nuda protexit. Ibi enim cooperante gratia Spiritus sancti, filius à Deo patre hæreditandus in omnibus gentibus, diuinæ maiestatis potentiam similitudine carnis peccati cooperuit, & quasi absconditus est vultus eius, in infirmitate. Vnde nec reputauimus eum. Ibi consilij prouidentia inescatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de cœlo traiectus est. Inde egressa est armilla aurea, vt perforaretur maxilla Leuiathan, vt emoueret mortuos non suos, quos ab origine mundi securè deglutiuerat. Hortus deliciarum nobis saciatissimus tuus vterus, ô Maria: quia ex eo multiplices gaudij flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis, toti orbi inde affulsit.]

Guerricus Abbas serm. 1. de Annunc. Thronum ex ebore grandem à Rege Salomone sibi paratum, aptans ad Deiparæ ventrem eburneum, sic habet præter cætera. [Gloriosus & prorsus ille thronus ac mirabilis de quo Scriptura perhibet quia non est factum tale opus in vniuersis regnis, &c. Quàm beatus igitur ille venter eburneus, vnde caro eburnea sumpta est redemptoris, precium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ maiestatis, thronúsque potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis! Quotquot (inquit) tangebant eum sanabantur à languoribus suis, nam virtus de illo exibat & sanabat omnes. Beatus igitur venter, qui te Domine Iesu portauit, felix castitas vteri Virginalis, quæ huic operi materiam ministrauit.]

259. Hoc esse bonum desertum in scripturis celebratum, tradit in hunc modum Gillebertus serm. 15. in Cant. [Bonum desertum, aluus virginalis. Talis erat Beatæ illius & specialis Virginitatis vterus quem nullius impudici motus, affectionis immundæ temerauit læsio. Caro ipsius, sicut in terra deserta, & inuia, & inaquosa, in qua Christus apparuit. Non tamen deserta penitus, quæ Christum parturiuit. Irrigua est, sed fluentis virtutum. Ideo quasi puteus dicitur aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano, quod Virginalis munditiæ candor Spirituales refundat gratias hortus conclusus venter eius, castimoniæ Virginalis disciplina, eo quod integritatis sepem carnalis desiderij non dissipauerit ardor; propterea in talibus irriguus aquis, fructum dedit in tempore suo. Vis audire qualem hæc terra deserta dedit fructum? Osee te docet, qui dicit. *Adducet Dominus ventum de deserto vrentem, & desiccabit venas mortis.* Quis alius mortis desiccauit venas, nisi Christus Iesus, quem nobis intemerati ventris desertum effudit?] Præiuerat D. Augustinus in Psalmum 101. nam Pelicanum in solitudine, interpretatur Christum in matris vtero solum absque patre formatum.

Hanc esse virgam *decorem* dictam, virgam pulchritudinis, in qua Dominus pauit gregem suum, affirmat Petrus Damiani serm. 1. de Exalt. S. Crucis, *initio.* Quæ de hoc vtero, tamquam clibano panis vitæ, nonnulli Patres proferunt, adducam infra sect. 3. c. 1. Amorem Christi erga nos, ex descensu in vterum propter nos, benè demiratur Tertull. l. de carne Christi cap. 4. Inde autem vterus Deiparæ, apparuit clibanus incensissimus, vt loco prædicto monstrabo. Ad extremum Richardus à S. Laurentino lib. 2. de Deip. partic. 2. sub finem, hæc de Deiparæ vtero habet. [Ventrem Virginis creator suus sibi construxerat pausatorium speciale,

speciale, vnde *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Eccles. 24. Quem verus Salomon sibi thronum paranerat, & solium eburneum grande; 3. Reg. 10. quem Spiritus sanctus sibi sacrauerat sanctuarium singulare, hospitium palatinum factum est summo Regi qui à regalibus sedibus veniens, ibi primùm sibi mansionem inter filios hominum prælegit. Ibi præterea decorem induit, & stola candida se cooperuit, id est mundissima humanitate, cuius decor immunitas à peccato. Gratia etiam huius hospitij, hospitantur modò fideles animæ in palatio cœlesti, cum omnes antea lectulos sternerent in obscuris inferni. Iob. 17. *in tenebris straui lectulum meum.* Alia habet in hanc rem lib. 5. *sub finem*, vbi aptat ad vterum Virginis illud desponsi vtero dictum Cant. 5. *Venter tuus eburneus, distinctus saphyris.* Quod ad nonnullas Deiparæ cum Angelico nitore Analogias refert: Et addit iuxta aliam translationem quæ sic habet, *sicut pixis eburnea super lapidem saphyrum*, anteferri nitorem Virginis nitori Angelorum; & hanc ait esse pixidem, in qua transmisit nobis Pater illud medicinale vnguentum, scilicet corpus Christi quo medicatum est genus humanum, & de cuius odore tota respersa est Ecclesia fidelium.] Alia habet lib. 2. particula 5. glossa illud piæ mulieris, *beatus venter qui te portauit*, & expendens quæ & quanta mirabilia facta sint in vtero Deiparæ, & quanta inde manarint bona in vniuersum genus nostrum. Denique lib. 12. ferè initio la è ac beat, vterum Deiparæ cum terrestri paradiso ita comparat, vt longè anteponat vterum.

Quibus auxiliis, *circumstantiia alia Christi concepti.*

160. Hic præmissis illis quæ de instrumentali causa effectionis Christi sunt tradita, nulla huiusmodi circumstantia notari posse videtur, præter Angelum mysterij huius paranymphum, & Virginis pronubum, quem Gabrielem nominat Lucas cap. 1. appositè sanè ad hoc mysterium, si vera est notatio quam suggerit Proclus hom. in natali Domini, habita in Conc. Ephesino. [Ipsa quoque (inquit,) Archangeli Virginem salutantis appellatio, obseruanda hic venit. Ille namque, qui lætum illud nuncium Mariæ detulit, Gabrielis nomen sortiebatur Et quid quæso, *Gabriel* interpretatum sonat? Audi, & disce. Idem vtique sonat, quod *Deus & homo.* Quia ergo ille qui annunciabatur Deus erat & homo, quo dispensationis mysterium facilius persuadeat, rei miraculum nominis notione anticipat.] In hanc notationem, nonnulla ex Hebræis confert Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 46. Nec multùm abest altera illius nominis Ethymologia a S. Gregorio hom. 34. in Euangelia Origene 1. periarc. cap. 8. Hieronymo l. de nom. Hebr. & Danielis 8. aliisque, prolata; cum dicunt, idem sonare hoc nomen ac *fortitudo Dei.* Facilè enim eo reuoluitur (quod monstrat Toletus, *Gabriel* Hebraicè idem significare posse, ac *vir Deus.* Vir quippe est, fortem esse. Sed dimittamus Grammaticam S. Gabrielem immediatè à Deo accepisse legationem suam, non ab Angelo vllo superiore, textus Lucæ, apertè fert, & multis confirmat Benzonius in explicat. Salut. Angel. cap. 26. contra Toletum in c. 1. Lucæ annot. 47. Vt tamen affirmemus soli Gabrieli patefactum primò esse mysterium quod Deus celarit ceteros beatos Spiritus, vt ibi contendit Benzonius, egrè suadetur.

Quod Proclus S. Gabrielem vocabat Archangelum, ita accipio, vt de Angelorum omnium primariis, intelligendum sit vnum esse Gabrielem; quod rectè statuit Canisius lib. 3. de Deip. cap. 1. & disertè ita habet S. Damascenus orat. de assumpt. Deiparæ, & S. Gregor. hom. 34. in Euang. ac Andreas Hierosol. orat. de Angel. Salutat. nec obscurè S. Bernardus serm. 1. super missus est. Estque optima in eam rem coniectura, quam S. Gregorius petit ex concredita tanta tamque sublimi legatione. Quamquam S. Bernardus l. 5. de consider. cap. 4. Gabrielem putat esse è secundo dumtaxat Angelorum ordine, subijciens postquàm de Angelis egerat. [Putemus his præesse Archangelos, qui conscij mysteriorum diuinorum, non nisi ob præcipuas & maximas causas mittuntur. E quibus magnus ille Archangelus Gabriel, missus legitur ad Mariam: ob causam vtique qua maior esse non potuit.] Quæ verba apertè suffragantur sententiæ, quæ Gabrielem non absolutè vnum è primariis inter omnes Angelos, sed vnum tantùm è primariis in ordine sursum versus secundo, statuit; in qua sententia est S. Thomas 4. p. q. 30. art. 2. ad 4. Toletus Lucæ 1. annot. 45. Suarez lib. 6. de Ang. c. 10. num. 30. & t. 2. 3. p. d. 9. s. 1. Quid quod idem S. Bernardus epistola 77. *in fine*, ait credendum, (nempè piè,) Gabrielem fuisse Angelum Deiparæ custodem ab initio, quod alij quoque nonnulli Patres tradunt V. Castrum 2. hist. n. 9. At Angelos custodes esse ex infima Hierarchia, peruulgatum est apud Scholasticos. Mihi tamen fixa stat sententia quam proposui eique fusè astipulatur Himerius concio. 6. super *missus est*, & Serar. in cap. 5. Iosue q. 45. concluss. 2. Nec dubito, quia sicut ordinarij Principum legati, deliguntur ex inferiore ordine nobilium; cum verò de Regis coniugio, alióve grauissimo negotio agendum est, legantur extraordinariè, apices (vt sic dicam) nobilitatis, & ex supremo ordine, ita & in præsenti acciderit circa causam qua maior esse non potuit, vt S. Bernardus rectè dixit. Cæteraque ad hanc effectionis Christi circumstantiam spectant, petenda sunt ex Interpretibus ad c 1. Lucæ. Pereleganter autem descriptum Angeli & Deiparæ colloquium, legere licet apud Gulielmum Paruum in cap. 1. Cant. ad illud *osculetur me osculo oris sui.* Describit eum ibi Delrio, in interpretatione mixta. Latè etiam illud colloquium repræsentat Franco Abbas, tomo 6. seu libro 6. operis de gratia Dei.

Cur; *alia insuper concepti Christi circumstantia.*

261. Si finis aduentus Christi, siue productionis eius absolutè sumptæ, quæratur, non est hic vlteriùs de eo agendum, cum tam plenè superiùs sit de ea causa disputatum, monstratúmque Christi finem esse salutem nostram. Et æquè quidem finis ille, in omnia huius mysterij adiuncta influit: tamen assignantur interdum immediati quidam fines in istum tandem reuoluendi, qui aliquibus conditionibus & circumstantiis mysterij sunt peculiares. Itaque si spectetur immediatus finis, cur Christus ob salutem nostram producendus, hoc speciali modo & non alio sit productus; nimirum per conceptionem in vtero matris de qua proximè: quamquam non est dubium quin id totum à Christo salutis nostræ sitientissimo in eum finem sit relatum, tamen alius præterea finis proximior & immediatior profertur à Patribus: nempè vt maiorem nobiscum vel sortiretur coniunctionem, sicque ad amorem sui quippe vndecumque nobis simillimi, potentiùs nos fortiúsque pelliceret. Nam poterat sanè Christus vt D. Augustinus rectè vidit lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 16. de costa, vel de aliquo matris membro, præternaturaliter corpus sibi progreare, sicut ex costa Adæ formauit Euam. Sed maluit ea conceptionis similitudine quoad materiam & locum, germanitatem inire nobiscum, essèque frater hominum, & filius hominis, quod ad maiorem amorem conciliandum erat validissimum incentiuum. At nisi eodem quo nos modo formatus & conceptus esset, filius hominis dici nequiuisset: quod S. Iren. lib. 3. c. 21. & S. Cyrillus l. de fide ad Reg. probè monuerunt, & patet ex exemplo

Euæ, quam Adæ filiam nemo dicat, quamuis ex eius costa fuerit efformata. S.Augustinus alium huiusmodi productionis Christi finem immediatum tradit cillo 16. nempe [vt in matris corpore, ostenderet nihil pudendum esse, quod castum est.] Iuuit id quoque non parùm, ad veritatem naturæ, quam phantastici quidam hærerici inficiaturi erant, stabiliendam & infigendam magis: quod Tertullianus l. de carne Christi cap. 3. & 4. annotauit. Hoc item pacto vtrumque sexum sanctificauit. [Christus factus est per mulierem (ait S.Paulinus epistola 4.) vt subiugatos legis solueret, factus per mulierem, sed mulierem sexu, virg nem partu, vt sanctificaret vtrumque sexum Creator vtriusque; suscipiendo virum, nascendo per feminam.]

Denique vt S.Fulgentius optimè docet l.de incarn. & gratia Christi c.4. decuit Christum sic conceptum, sanctificare conceptionem nostram. [Nam quia omnes homines ex coitu matis fœminæque nascentes, ipsius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum; quia peccatum quod primus homo cum esset natura bonus, diabolica malignitate seductus admisit, in posteros quoque cum pœna, ac cum morte transiuit; (Quod in veritate sanctus Dauid enunciat, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.*) Necessarium vtique admodũ fuit, vt misericors Dominus & iustus, iniquitatis humanæ vestigia deleturus, in ipso conceptu sibi humanam naturam dignaretur immaculatam immaculatus vnire; vbi eam consueuerat per inflictam peccati originalis maculam suæ patri Dominióque Diabolus vendicare. Naturæ igitur humanæ, cuius veritatem plenitudinémque Deus Vnigenitus assumere voluit, conceptum quoque eius natiuitatémque suscepit. Absit enim, vt quisquam Catholicus credat, aut dicat, quod vnigenitus Deus suo nos sanguine redempturus, in ea carne qua idem Deus factus est homo, respuerit humanæ conceptionis initia, cum in eadem carne Deus ipse immortalis permanens, humanæ mortalitatis fuisset passurus extrema.]

Quomodò; *Circumstantia alia productionis Christi.*

262. Huc spectat modus quo humanitas Christi producta, & verbo vnita est. Sed de vnione quidem, nihil ad ea quæ in superioribus sunt tradita occurrit addendum. In productione verò humanitatis, considerandus est modus celeritatis & promptitudinis causæ efficientis. Neque enim humanitas Christi, lentè aut sensim efformata est, sed subitò & tardis moliminibus exclusis. Distinguenda verò est materiæ è qua humanitas Christi coaluit; confectio, & congregatio in locum efformandæ humanitatis. Nam confectio quidem materiæ illius, fuit planè naturalis: ideóque lente & pedetentim contigit, provt facultates naturales elaborare eam in nobis solent. At eiusdem materiæ congregatio in locum vnum, & efformatio humanitatis Christi ex ea, aliter peracta est. Vt proinde videas, rectè dixisse S.Ambrosium l.de incar. Dom. Sacramento c.6. multa in Christo, & secundùm naturam inuenìri, & vltra naturam. Id quod in ipsa quoque Christi productione habuisse locum, affirmat: & idem habet Nazianz. verbis illis orat.51. quæ recitantur in Conc. Chaked.act.1. [Si quis sanctam Mariam, Deiparam non credit, extra diuinitatem est Si quis Christum per Virginem tamquam per carnalem fluxisse, non autem in ea diuino modo, quia absque viri opera; humano, quia iuxta patiendi consuetudinem, formatum esse dixerit, æquè Atheus est.] Vides diuinum & humanum modum, de Theologi sententia Concilio Oecumentio probata, ad Christi Domini productionẽ interuenisse. Idque ex re in qua versamur, licet agnoscere.

Christus, subitò formatus.

263. Efformatio ergo humanitatis Christi, facta est subitò & exclusis moris illis, quæ formationem marium ad dierum quadragenam citeriter protrahunt; dedignante anima subire hospitium ante illud tempus, quippe non satis dispositum. Eas moras quoad Christum non interuenisse, certa traditio est, quam ex paucis Patribus confirmo. Nam plerique quos in hanc rem producunt Abusin cap.1. Matth. q.53. Salmer. tom.3.tract.9.Rosuedius tab 9.pro Baronio, Canisius 3.Mar.cap.22. & Canisij exscriptor. Castro cap.5. histor. Virg. num.14. momentaneam dumtaxat Verbi cum carne hanc primùm plenè formata vnionem asserunt, de quo nunc non agimus; sed de sola humanitatis productione, quæ quod fuerit momentanea, non ita multi disertè docent. Imo negasse eam momentaneam productionem visus est Humbertus Sylvæ Cand.dæ Episcopus l. ad Græcorum calumnias, cum de azymo & fermentato, agnoscens corpus corporis Christi productionem tradunt, occurrunt isti.

S.Basilius homil.de huma.Christi generatione, tractans illud Angeli ad Iosephum, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, subdit. [Hinc deprehendi licet, quod non secundùm communem modum carnis constitutio Domino fuit. Conceptum namque illicò perfectum fuit, non per interualla paulatim formatum, vt planè verba declarant. Non enim dicit, *quod in ea conceptum est*; Sed, *quod in ea natum est.*]

S.Augustinus serm.18.de sanctis, Beatam Virginem *subitò factam prægnantem* docet, vt infra referam. At hæc verba propriè sumpta, sonant subitam corporis Christi formationem.

Damascenus 3.fid.cap.2. [Dei sapientia construxit sibi ipsi, ex castis & purissimis sanguinibus, carnem animatam anima rationali & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, non cum semine, sed conditorio opere per Spiritum sanctum: non paulatim per additamenta, expleta figura, sed vno contextu absoluta.]

Petrus Blesen. serm.de annunc. [Hodie quidem impletum est illud Hieremiæ. *Nouum faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum.* Post annunciationem enim Angelicam, *concipies, & paries filium*, & verecundam Virginis consensionem, *fiat mihi secundùm verbum tuum*, conceptus est Dei filius, vel, vt verius dicam, inceptus. Non enim ex diuersis seminibus simul captis, conceptus est, sed ex sola Virginis carne formatus, non per interualla temporum, vt cæteri: sed statim homo in omnibus membris suis, statim animatus; eiusdem potentiæ, & virtutis, cuius erat, dum tricenarius prædicaret: vnde & *viri* nomine censetur in Propheta.]

Euthym.Matth.1. ad illud *quod in eo genitum est*, (ita enim ex interprete habet) [formatum in ea (inquit,) genitum dixit, vt discamus non paulatim, modo seminis formatum esse, sed repentè, quantum ad formationẽ, perfectè factus est.] Goffrid.Vindoc.ser.3. de natiuit. Dom. in hanc rem allegat aliquot Patres, sed ferè extra rem, vt liquebit adducto eius loco, qui solâ duntaxat Goffridi auctoritate fretus est habendus. [Aliorum hominum priùs formantur corpora in vteris matrum, & formatis corporibus inspirantur posteà animæ, quibus corpora ipsa viuificantur. Filij verò Dei vera caro, non priusquàm ipse venisset in Virginem, in vtero Virginis concepta est: nec postquàm carnem suscepit, carni ipsi anima coniuncta: sed mox vt ipse venit in Virginem, totum simul concepit hominem, animam scilicet & carnem. Vnde Augustinus: *Cum Verbũ Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit, & corpus.* Et Deo magnus: *Dei filius accepit simul in Virgine animam & corpus.* Et D.Gregor. *Domino* (inquit) *caro non priùs in vtero Virginis concepta est,*

est, & post modum diuinitas venit in carnem. Sed mox vt Verbum venit in vterum, factũ est caro, & perfectius homo, id est, in veritate carnis & animæ.] Vides hæc aliò spectare quàm quò diriguntur à Goffrido, cuius tamen mens de subito Christi corporis opificio, aperta est.

Idque statim à præstito per Virginem consensu.

264. Idem omnino volunt, qui mox ab Angeli discessu à Virgine, vel mox à præstito per Virginem consensu, Verbum vnitum esse carni nostræ profitentur. Vnitum enim est carni animatæ, siue humanitati, atque adeò corpus perfectè formatum fuit ante vnionem cum Verbo. Si ergo Verbum mox à colloquio Angeli, vnitum est humanitati, liquet formationem humanitatis, quæ ante colloquium Angeli cum B. Virgine, ac etiam durante eo colloquio non erat inchoata, & non nisi in eius fine cœpit, planè subitam fuisse. Vnionem porrò verbi cum humanitate, in clausula colloquij Angelici cum Deipara, fuisse perdam, docet Augustinus serm. 18. de sanctis, verbis illis. [O Beata Maria, seculum omne captiuum, tuum deprecatur assensum; Te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari Virgo, nuncio festinanter respondere verbum, & suscipe filium; da fidem, & sentivirtutem. *Ecce* inquit, *ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Nec mora, reuertitur nuncius, & Virginalem thalamum ingreditur Christus. Efficitur subitò prægnans beata Dei genitrix, & cuncta per secula prædicatur fœlix. Concepit mox ad credulitatẽ verbis, virilis ignara consortij: impletur vterus, nullo humano pollutus amplexu.] Et pulchrè serm. 21. de temp. ijsdem verbis ex parte iteratis. [O Beata Maria seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior, qui offensus est, misit, claustrum quod iniquitas nostra cælo infixerat, reserauit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris & tibi, quia nobis pœna successit, & tibi nuptias filio suo, in uo thalamo pater præparabit. Deus in ipsis sponsalibus gaudijs, relaxat quicquid eum offenderat mundus. Et tu Angele tanti Regis nuntie, & secreti diuini legate, qui ex palatio Imperatoriæ maiestatis, indulgentiam te ldis criminosis, vitam mortuis, & pacem factam attulisti captiuis; vrge Virginem non de Dei munere diffidentem, sed de muneris magnitudine cogitantem. Faue partibus seculi, conscius secretorum cæli, lætabuntur socij tui, si negotium inueris mundi. Nos à vestro consortio, impietatis mucro diuisit, per vos de reditu nostro tractatur. Inspice squalentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad Mariam. Viqequo moraris ô Virgo, nuntium festinantem? Intuere Deum in cœli me vestibulo sustinentem, responde verbum, & suscipe filium. Da fidem & sentivirtutem. Pande sinus roseos Virgo perpetua, fides tua mundo aut aperit cœlum, aut claudit. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini.* Introeat Rex in cubiculum suum. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Nec mora reuertitur nuntius, & nuptialem thronum ingreditur Christus. Accipit stolam carnis in thalamo Virginis; intra thesaurum maiestatis sacculum carnis cessit.] Simili planè modo & omnino piè Deiparam affatur S. Bern. hom. 4. super missus est.

265. Anastasius Papa Epistola ad Vrsinum, cuius fragmentum refertur in additionibus ad Breuiarium Liberati, Tomo 2. antiquioris editionis Conciliorum, sub Vigilio Papa, [Dignatus est post consensionem sanctæ Virginis, cum dixit ad Angelum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*, ineffabiliter sibi ex ipsa ædificare templum, & statim sibi vniuit: quod non coæternum de sua substantia è cœlo detulit corpus, sed ex massa nostræ substantiæ, hoc est ex Virgine hoc accipiens, & sibi vniens, non Deus Verbum in carnem versus est, neque vt phantasma apparens, sed inconuertibiliter & incõmutabiliter suam conseruauit essentiã, & primitias nostræ naturæ sibi vniuit.]

S. Gregorius 18. mor. c. 36. [Christus non purus homo conceptus atque editus, post per meritum, vt Deus esset, accepit: sed nunciante Angelo, & aduenientе Spiritu, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & cum Sancto Spiritu cœterna, assumpsit intra Virginea viscera: vnde & impassibi is pati, & immortalis mori, & æternus ante secula, temporalis posset esse in fine seculorum: Vt per ineffabile Sacramentum, conceptu sancto & partu inuiolabili, secundùm veritatem vtriusque naturæ; eadem Virgo, & ancilla Domini esset & mater.]

Richardus à S. Laurentio lib. 1. de Deip. cap. 7. idcirco ait dixisse Isa. c. 4. *apprehendent septem mulieres virum vnum*, quia septenarius, id est vniuersitas virtutum, confluxit in Christum, [qui à momento suæ conceptionis fuit vir perfectus, quantum ad sapientiam, & virtutem, & quantum ad organizationem membrorum, ideò dicitur *nouum faciet Dominus*, quia alij homines, nouem mensibus formantur.] Quod autem l. 12. tit. *de carne Christi mirabili*, ex Archiepiscopo Cantuariensi, ait non potuisse tamen tunc visibus humanis distingui lineamenta, repudiandum est, quia constat lineamenta embryonis cum animatur, esse visu humano distinguibilia. At Christus in momento consensus per Virginem præstiti, fuit animatus.

Confirmat hanc subitam Christi organizationem Franciscus Lucas ad caput 1. Lucæ v. 38. quia nisi ea admittatur, persona Verbi assumpsisset individuũ hominis per se subsistens, atque adeò personam humanam, quod est Nestorianum. Sed hæc probatio non est idonea. Nam quamuis materia ad recipiendam Christi animam fuisset sensim disposita, vt in nobis accidit, dummodò in puncto animationis nulla subsistentia humana fuisset in composito sic exurgente, nulla vnquam fuisset persona humana in Christo, procúlque abessemus à Nestorij errore. Itaque sola traditione cõstat, Christum esse in momento conceptum, seclusis mortis illis quæ in communibus formationibus interueniunt. E Scholasticis latè in hanc rem disputat Dionysius Carthus. l. 1. in sectam Mahum. c. 15.

Grunnitus Lutheri, ac Buceri, in contrarium.

266. Reclamauit huic veritati Bucerus in c. 2. Lucæ, subsannans Scholasticos tamquam eam ex se commentos, quod à Luthero vt cœ:era hausturn, monstrat Canisius lib. 3. Mar. cap. 22. Sed qui Lutherum antichristianum, ac Bucerum semi Iudæum nouit, non mirabitur tam multorum calculis firmatam veritatem, ab eis fuisse improbatam. Anceps item in hoc puncto fuit Theophilactus in cap. 1. Lucæ. Sed de Græco homine non adeò antiquo, & in alijs apertè lapso, non debemus esse admodùm solliciti. Apud S. Hildefonsum serm. de purificat. tractando de formatione fœtus humani per quadraginta sex dies, literis nominis Adam expressos hæc verba leguntur. [Quadraginta dierum numero, corpus Dominicum in vtero Virginis, formatum credimus.] Sed eum sermonem perperam adscribi S. Hildefonso, alij iam monuerunt. Contrarium certè in Sinonymis tradidit. Quare perstandum est in sententia. De fide sanè esse, Christi conceptionem fuisse momentaneam, plerique censent: saltémque de fide est, non fuisse tardam, ad modum vulgarium conceptionum humanarum: sed vel in instanti peractam esse, vel in tempore permodico, si tamen sermo sit de ijs quæ intrinseca fuerunt conceptioni Christi, & productioni humanitatis assumptæ.

Limitatio veritatis propositæ, ad intrinseca conceptioni. Lux S. Athanasio.

Restringo me ad ea quæ conceptioni & productioni humanitatis intrinseca fuerunt, quia fateor non esse adeò certum, quod materiæ deductio ad locum conceptionis, fuerit ita subita. Hæc enim deductio & congregatio materiæ, est aliquid ad conceptionem antecedens in quotidianis conceptionibus, nec adeò certò affirmari potest, fuisse non modò in instanti peractam, sed etiam perbreui tempore. In instanti sanè peragi non potuit, si facta est per motum localem, qui essentialiter successiuus est, nec potest intra instans perfici. Et tamen nisi gratis miracula multiplicare velimus, fatendum est, eam materiæ congregationem, factam esse per motum localem. Nam si per reproductionem absque fluxu per medium facta statuatur, grande miraculum gratis & absque necessitate inuehetur. Quare cõmodiùs dicitur, factam esse perbreui tempore, cum primùm Deus paulo ante præstitum à B. Virgine consensum cuius exhibendi præscius erat: vidit tempus appetere congregandi materiam; interuentu quidem naturalium Deiparæ facultatum, sed extraordinario & indebito influxu, ad celerrimè operandum subleuatarum. Hoc tamen (vt dixi,) non est adeò certum, quàm quod de ipsa conceptione dictum est, quoad ea omnia quæ illi sunt intrinseca; hoc est materiæ iam aggregatæ conformationem, & organizationem, tandémque animationem. Hanc enim certissimum est, ac ex fide credendum, non fuisse adeò tardam ac vulgares conceptiones, atque adeò subito esse factam: id est, vel in instanti, vel in tempore imperceptibili, intra quod peragi diuinitùs potuerint varij illi motus locales quos partium è materia iam aggregata conformatio & organizatio continet. Nam vt motus illi per transitum ab extremo ad extremum facti dicantur, quod affirmat Almainus in 3.d.2.conclus.1. non puto admittendum: cum existimem talem motum repugnare. Posset tamen dici, loco horum motuum, quæ necessaria erant facta esse in non tempore, per reproductionem. Hic enim non potest opponi, quod circa materiæ congregationem, si per reproductionem facta statueretur, opponendum esse dicebam; nempe admitti gratis miraculum. Non enim gratis admittitur, cum fides subitam Christi conceptionem nos doceat, quod saltem valet quoad ea quæ sunt intrinseca conceptioni, id est non animationi tantùm (nam hæc in omnibus hominibus est momentanea,) sed etiam quoad omnes alterationes & collocationes materiæ, ad debitam eius aptationem & organizationem prærequisitas, tam in Christo, quàm in nobis; sed in Christo factas subitò.

267. Videri possit repugnare Athanasius orat. de Deip. *in fine*, descriptionis mysterij Incarnationis. Refero locum, vt res sit perspicua. [Diuinus character Filij, substantiæ Patris incommutabile sigillum est, ferens omnia verbo potentiæ suæ, secundùm suum ipsius exemplar, carnique suæ, quasi ceræ, eum typum formámque impressit. Non enim est impossibile vel incredibile, vt tempore Patris voluntati grato, vti character (siquidem & character est) Incarnationem in se configuraret, qua veluti pro cera, aut quasi pro auro vsus videri potest; quemadmodum totum illud mysterium, ineffabilis huius & inenarrabilis Incarnationis nonnihil subostendit. Id enim adhuc ineffabile & inenarrabile permanet, ob rationem crescendi. Siquidem pro modulis gradibúsque crescendi, de eius carne sentiendum, non quod simul eodem temporis momento absolutus sit, quod in cera effigienda ex impressu sigilli animadvertimus: simul enim super multis, & in multis ceris, annulli signatorij effigies induci potest: contra, in diuina Incarnatione, non statim simul, sed per incrementum perfectitudo intelligitur. Quod ipsum quoque facilè intellexerit, quisquis habet mentis subtilitatem, ac vrinãndi peritus sit, & in profunditates animalis corporis, quod & ineffabiliter, & inenarrabiliter seminatur, intellectu descendere possit, ac perspicere primùm illic, subsidente genitali semine, paulatim id in minimam coalescere particulam, & per gradus incrementum capere. Neque enim illud ipsum in rebus nostris satis perspicitur, nisi quatenus imaginando obscuris vestigijs indagamus. Secundùm igitur crescendi rationem, diuina Verbi Incarnatio progressus fecit, non quidem seorsum diuina increscente forma, nec simul vnà concrescente, sed crescente animata carne ad solidam eam integritatem, qua homo perficitur, dum in vtero gestatur; ideóque nouem mensium lege, hominum ritu, eius partus absolutus fuit.] Hæc referenda puto, non ad primam productionem corporis Christi Verbo vniti, quæ verè fuit momentanea, sed ad lentum eius incrementum quale in nobis efficitur naturaliter. Quod si hic locus, videatur alicui inexpedibilis, facilè erit illum adiungere cæteris, propter quæ hic sermo, D. Athanasio adiudicatur à Cardinali Baronio anno Christi 48. & à Bellarmino l. de scriptor. in Athanasio.

Quomodò Christus, si subitò conceptus, hæsit in vtero per nonimestre.

268. Ex hac subita Christi Domini conceptione, sequi videtur conuulsio traditionis illius Ecclesiasticæ qua Christus per nonimestre intra matris viscera hæsisse creditur: scilicet à 25. Martij, ad 25. Decembris iuxta illud Sophronij in 6. Synodo actio. 3. [Vtero Virgineo deportatus, tempus expectauit legitimi puerperij.]

Hæc difficultas facilè expediri poterit, si dicamus, præcisam quidem in Christo fuisse necessitatem moræ illius quadragenariæ, per quam nos sensim in inferioribus terræ, (vt Psaltes ait,) efformamur ac fingimur: atque adeò potuisse Christum, si libuisset, 40. diebus ante exactum nonimestre extrahi de ventre. Tamen illud ipsum tempus 40. dierum, quo Christus subitò perfectè efformatus non eguit, vt eius materia organizaretur, impensum fuisse intra vterum alia ratione. Nempè quia Christus conceptus est, in quantitate, humano quidem corpori consentanea, & naturali humano corpori; sed tamen minore quàm sit ea in qua solent concipi qui per nonimestre spatium immorantur maternis vteris: quod apertè voluit Magister in 3.d.3. exponens locum D. Augustini ex tract. 10. in Ioan. & Abul. paradoxo. 1. cap. 25. In ea autem quantitate conceptus Christus, eguit spatio 40. dierum, ad attingendum modulum magnitudinis quem habere solent qui in maiore quàm Christus quantitate concepti, nouem integris mensibus hærent in maternis viscetibus, vt organizentur, & roborentur, ac crescant quantum conuenit proli antequam educatur ex vtero. Nulla tamen ratione placet quod huic modo dicendi subscribens Pelbartus affirmauit l. 1. Stellarij p. 7. art. 2. c. 2. puncto. 1. post Holcothum, & Aureolum ac Mayronium quos profert: nempè quod corpus Christi, & minimum fuerit omnium quæ vnquam in illo primo momento fuerint humanorum corporum, & tam exile fuerit vt vix humano visui posset subijci. Primum enim certo asseri non potest: secundum autem videtur perspicuè falsum quia termini paruitatis humanæ non possunt eò vsque dimitti. Quare philosophandum potiùs est vt fecimus.

Vel certè dici potest, Christum in conceptione fortitum ordinariam magnitudinem paruulorum, per nonimestre intra matris viscera hærentium, exacto nonimestri exijsse ex vtero, adeptum maiorem quantita-

tem

tem quàm habere soleant patuuli qui materno vtero per nonimestre spatium detinentur. Est enim latitudo in quantitate per huiusmodi paruulos parabili. Itaque etiam aliqui ex ijs qui explent commune spatium commorationis in vtero materno, plus intra eam, alij minus progrediantur; Christus pro quo communis illius spatij quadragena non fuit impendenda in conformatione materiæ congregatæ, impendit quadragenam illam in attingenda auctiore illa quantitate, quam neque paruuli vltra nonimestre vtero concluſi cõsequuntur. Non pauci siquidem, vt de se profitetur Salomon, per decem menses longa matri ferunt fastidia: nec desunt qui longè quoque vlteriùs prouehantur, vt Pineda l.1. de Salom. c.10. & Cazanza in opere de partu naturali & legitimo cap.13.14.15. latè prosequitur. Et vt Medici tradunt, spatium decem mensium, est satis accommodatum humanæ naturæ. Itaque Spiritus sanctus Diuini illius templi artifex, tam prouidè ac sapienter admensus est quantitatem in qua primùm concepit est Christus ad eam quantitatem in qua processit tanquam sponsus de thalamo suo, vt hærens in vtero per nonimestre, eandem consequeretur quantitatem quam communiter alij paruuli, prorogata vlteriùs per 40. dies generatione consequerentur.

Mora decimestris in vtero, recidit in nonimestrem.

169. Hanc nonimestrem Christi in vtero commorationem, non tollunt aliqui, qui Christum per decem menses immoratum materno vtero affirmant. Sic enim affirmat Armenjorum Generalis apud Theorianum in legatione, quem reprehendit Theorianus, audiente D. Chrysostomi, oratione de natali Domini, qui affirmat Christum nomen mensibus à conceptione habuisse in materno vtero. Ad locum verò libri Sapientiæ quo Armenij nitebantur, in quo Salomon primogenitus matris suæ, defixum se in materno corpore decem mensium spatio profitetur, quod ad Christum item primogenitum extendebant Armenij; respondet Theorianus, Salomonem more Hebræorum locutum, menses decem lunares nostris mensibus minores, conformationi suæ intra matris viscera attribuisse; non tot attributurum, si de nostris mensibus qui dierum 30. vel vnus supratriginta sunt, habuisset sermonem. Cui doctrinæ Generalis dat manus, & quinque illos dies quos ab Doctorum suorum sententia supra nonimestre cõmorationem in vtero Christum dixerat, expungit è tempore commorationis Christi in vtero. Sed non fuit cur dies illos quinque expungeret: quin etiam illis retentis, vnum insuper diem superaddere debuit, vt legitimum tempus commorationis Christi in materno vtero exponeret: in quo, vt dicebam, qui decem menses, (tempe decimo per aliquot dies inchoato,) tribuunt Christo, quod disertè habet Damascenus 4. fid. cap. 15. cætera non dissentiunt. Nam menses commorationis Christo tributi, siue nouem siue decem numerentur, non sunt accipiendi more Calendarij, in quo dies mensibus adscripti, non sunt semper pares numero; sed accipiendi sunt præcisè pro numero dierum 30. quo pacto definiendo mensem, Christus manserit in matris vtero nouem integros menses, & dies sex. Qui igitur nouem mensibus commorationem Christi in materno vtero definiunt, vt S. Chrysostomus hom. allegata, rationem habent nouem mensium integrorum: paucos verò dies superadditos, non numerant. At idem Chrysostomus hom. 1. in Lucam, & alij qui numerant decem menses, numerum fractum habent pro integro, & illum senarium dierum mensis decimi, pro mense decimo habent. Atque ita nulla inter eos, rerum est dissidio.

Puerilis logomachiæ, depulsio.

170. Obiter porrò obseruandum est, Alfonsum Caranzam in opere de partu naturali & legitimo cap. 12. sect. 1. n. 17. cum Consaluo Ceruantes in cap. 7. Sapientiæ, insimulare Pinedam, conuulsarum traditionum sacrarum, & rituum vniuersalis Ecclesiæ; ac quod magis mirandum esse ait, constitutionis Eugenij 4. Vers. *Octauo, cum inter*, eo quod Pineda l. 1. de rebus Salomonis c. 1. n. 6. & 7. ac 20. ex Apologo dubiæ auctoritatis, è ducentis septuaginta sex diebus qui à concepto ad editum Christum intercurrunt, vnum detrahat. Nam à vigesima quinta die Martij, qua Verbum Dei Incarnatum est, ad 25. Decembris inclusiuè, qua Christus homo Deus ex matris intemeratæ vtero in lucem venit, numerantur 277. dies: cum tamen Pineda non nisi 275. numeret, vt illi quos dixi Autores illi tribuũt, & velut immane piaculum damnant; quantum video, valdè ridiculè. Nam Pineda disertè, cum omnibus alijs affirmat, Christum conceptum esse 25. Martij; eadem scilicet die qua Angelus ad S. Virginem est missus: editum verò in lucem fuisse ait 25. Decembris: quod tempus nõ productius neque angustius assignant ipsi quoque, qui Pinedam notant. Quod ergo Pineda spatium dierum dumtaxat 276. assignet cum ipsi 276. in ea periodo inueniant, non est factum per errorem subductionis Arithmeticæ, (qui tamen nullius momenti esset suppositis veris terminis conceptionis, & natiuitatis Christi quos cum his criminatoribus suis statuit:) sed idcircò factum est, quia Pineda (quod isti non perspexerunt) agebat de tempore commorationis Christi in vtero materno: quæ commoratio, non vltra 275. dies porrecta est; nam in 6. die proximè sequente Christus desijt ibi commorari, & ad lucem prodijt. En quo omnis illa strepera & clamosa viri vndecumque eruditissimi & de sacris literis optimè meriti accusatio, verè cauillatio, verè legomachia recidit.

Lenta Christi concepti crementa, & quorsum.

171. Sic igitur habuit conformatio corporis Christi & domus sibi à sapientia, subitò quidem intra matris viscera ædificatæ sed per nonimestrem dierum numero vel decimestrem commorationem consummatæ; (proportione diuinitùs prouisa,) respondente annorum numero quo templum fuerat à Iudæis constructum secundò, vt optimè ac scitissimè his verbis expressit Petrus Damiani serm. de Exalt. S. Crucis, postquàm multa de senarij laudibus & patratis in eo diuinis operibus tradidisset. [Videamus quomodo per eundem senarium numerum, Dominici corporis templum diuinæ prouidentiæ sit arte constructum. Templum sanè illud Ierusalem, per quadraginta & sex annorum curricula fuerit fabricatum: vnde à Iudæis Domino dicitur: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in triduo, reædificas illud?* Qui videlicet numerus, si per senarium ducitur, omne tempus, quo Dominus in matris vtero mansit, impletur. Nam quadragies sexies seni, ducenti Septuaginta sex dies fiunt. Qui dierum numerus complet nouem menses, & sex dies, qui videlicet tamquam decem menses, parientibus feminis imputantur. Non quia omnes mulieres ad sextum diem post nonum mensem parituræ perueniant, sed quia tot diebus ad partum perducta ipsa perfectio Dominici corporis competitur: sicut à maioribus traditur, & firma auctoritate Ecclesiæ custoditur. Octauo nãque Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus. Eo videlicet die sepultus est in monumẽto nouo, vbi nec ante, nec post quisquam est positus mortuorũ, quo cõceptus est in vtero Virginis, vbi constat nullũ seminatũ fuisse

morta

mortalium. Natus autem traditur octauo Kalendas Ianuarij. Ab ipso ergo conceptionis die, vsque ad diem natiuitatis, ducenti septuaginta sex reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies continent. Qui igitur numero lapideum illud templum antiquitus est ædificatũ, eodem quoque numero & templum Dominici corporis, per senarium est perfectum: hac tantummodò discretione seruata, quod in constructione templi, annorum numerus ponitur, in ædificatione verò corporis Domini, dierum calculus supputatur. Annorum igitur numerus templi illius antiqui, si per senarium ducatur, omnes dies quibus mansit Dominus in Virgineo ventre, complentur. Coniuncto itaque numero, quo Deus opera sua fecit, cum illo, quo templum est conditum, Domini corpus efficitur; vt nobis detur intelligi, quia per illud diuinitatis templum, quod in Virginis vtero constructum est, vniuersa sunt Dei opera restaurata. Sicut dicit Apostolus: *Quem posuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cœlis, & in terris sunt, in ipso.*] Eandem doctrinam magis illustrat opusc. 37. parte 2. dub. 1. vbi pro eadem adducit D. Augustinum 3. Trinit. cap. 5. & lib. 83. qq. in 56. quamquam hoc secundo loco, numerorum proportionem aliter deducit.

Itaque Christus, & repentè formatus est, & sensim iusta incrementa suscepit. Nimirum qui subitò conformari debuit, eo quòd humana opera & viribus naturæ moras in operando sustinentis non procrearetur, exinde tamen sensim creuit & adolevit, vt verus homo probaretur: quæ nostrorum vegetatiuæ vitæ processuum, per Christum vsurpatorum, optima ratio in hunc modum redditur à D. Augustino epistola 3. [Iam illud quod in somnos soluitur, & cibo alitur, & omnes humanos sentit affectus, hominem persuadet hominibus, quem non consumpsit vtique, sed assumpsit. Ecce factum est; & tamen quidam hæretici, peruersè mirando laudandóq; eius virtutẽ, naturã humanã in eo prorsus agnoscere noluerunt; vbi est omnis gratiæ commendatio, qua saluos facit credentes in se profundos thesauros sapientiæ & scientiæ continens, & fide mentes imbuens, quas ad æternam contemplationem veritatis incommutabilis prouehat. Quid si omnipotens, hominem vbicumque formatum, non ex materno vtero, sed repentinum inferret aspectibus? Quid si nullas ex paruulo in inuentam mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet somnos? Nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse vllo modo crederetur; & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit. Nunc verò ita inter Deum & homines mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.] Accedit perelegans ratiocinatio Nysseni in orat. Catechet. cap. 27. monstrantis decuisse Christum lentè per omnes ætatis nostræ mensuras transcurrere: vt omnes purgaret & sanctificaret. Nec omittendum illud Tertulliani de his Christi pusillitatibus sensim prouectis differentis lib. 2. in Marcio cap. 27. [Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret.]

Quandò: *postremum conceptionis Christi, adiunctum.*

272. Superest circumstantia temporis, cui implantandum est instans productæ humanitatis Christi, & vnionis hypostaticæ, siue vno verbo, productionis Christi. Tempus ergo producti Christi, vel spectatur quoad mundi ætatem, vel quoad mundi annum, aut quoad eius mensem vel diem, vel diei horam. De singulis breuiter dicam.

Mundi ætatem, nimiùm tardam fuisse ad hoc mysterium delectam, obiecere sæpè Gentiles, ac nominatim Porphyrius, cui S. Hieronymus sub finem epistolæ ad Cresiphontem, impugnans Ruffinum, ita respondet, vt ad Dei sapientiam rem totam reuocet. [Quod soler (inquit) nobis obijcere contubernalis vester Porphyrius, qua ratione clemens & misericors Deus, ab Adam vsque ad Moysem, & à Moyse vsque ad aduentum Christi, passus sit vniuersas gentes perire ignorãtia legis, & mandatorum Dei. Neque enim Britannia, fertilis prouincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omnésque vsque ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes, Moysem prophetásque cognouerant. Quid necesse fuit eum in vltimo venire tempore, & non priùs, quàm innumerabilis periret hominum multitudo? Quàm quæstionem Beatus Apostolus, ad Romanos scribens, prudentissimè ventilat, ignorans hæc, & Dei concedens scientiæ. Dignare igitur & tu, ista nescire quæ quæris, concede Deo potentiam sui, nequaquam te indiget defensore.] Hoc tamen ægrè Ethnicis satisfaceret; qui & iam olim, & tunc quoque, hunc arietem aduersus fidem Christianam temperant. Itaque aliqua sunt addenda, præter ea quæ apud recentiores in hanc rem prostant vt Lensæum l. 5. de libert. Christ. à c. 14. Ribcram in cap. 9. ad Hebr. n. 113. ad illud *nunc autem semel in consummatione sæculorum*, & Scholasticos 3. p. q. 1. art. 5. & 6.

Ætas mundi, qua Christus venit, opportunissima, ob consummatam tunc malitiam.

273. Ætas ergo mundi ad formandum Christum delecta, opportunissima omnino fuit, & rectè de ea dixit Apostolus Rom. 5. Christum venisse & passum esse, *secundum tempus*, κατὰ καιρὸν, id est interprete S. Hieronymo q. 7. ad Algas tempore opportuno. Reuera enim Christus, opportunissimo tempore aduenit. Si namque tardiùs venisset, caruisset mundus nimis longo tempore exemplis aduentus Christi, iisque fructibus quos Christi exhibito mundo vberrimos contulit. Si autem Christus venisset maturiùs, non ita innotuisset quantis malis orbem compleuerit inobedientia; & è quantis calamitatibus per viscera misericordiæ suæ eruerit nos Deus noster, oriens ex alto. At quo tempore super terram visus est, inundauerat orbem terrarum malitia. Audi Eusebium 4. de demonstr. cap. 10. [Diuturnus quidam atque immedicabilis, omnes qui terram incolerent, possidebat morbus, gentésque stimulis alias alijs, mali Spiritus in furias agebant, quibus illæ agitatæ in profundam insanabilis malitiæ voluebantur. Iam enim quidam more belluarum, quæ & crudas & humanas carnes denorare consueuerunt, vesci charissimorum sibi carnibus, pulchrum existimabant: omníque pudore abiecto, & matribus, & sororibus, & filiabus commisceri, atque eos qui cõsenuissent strangulare, & mortuos canibus, volucribúsque proijcere. Iam verò quid tibi commemorem atrocitates, & maximè Deorum: ipsorum, vtique malorum dæmonum, omni crudelitate atque immanitate refertas humanas victimas, in quas humanum genus insanire coëgerant? Hæc igitur in ijs quæ opus hoc antecesserunt, quod nunc in manibus est, ipse præparauit. Etenim cum tot mala à pernicioſis & prauis Spiritibus, nec non ab eo qui in ijs totius orbis tyrannidem occuparat, proposita essent, nullúsque eorum Angelorum qui præfecti fuerant malis subuenire esset idoneus, meritò illud Dei Verbum, ille Saluator vniuersi, salutari nutu Patris, qui humani generi est amantissimus, ne hoc ipsum illi tam clarum genus in impietatis profundo versaretur, antea quidem exiguos quosdam atque obscuros propriæ lucis radios, per prophetam Mosem, pérque eos Dei amicos viros, qui ante illum & post illum floruerunt, emisit: sic vtique hominum malis, remedium in sacrosanctis legibus afferens.]

afferens.] Subdit pleraque de legibus, Mosi ac per eum genti Iudaïcæ datis. Tum subdit. [Hæc quidem atque innumerabilia regionis documenta & præcepta, per Mosem illis Deus verbum, antea in legibus dabat: atque vt in rudimentis fieri solet, religiosæ vitæ elementa, per signa & vmbratilem quandam corporalémque adorationem in corporis circumcisione, per quam alia quædam eiusmodi quæ in terra conficiunt, tradebat. Quum verò procedente tempore, nullus tam potens, ne prophetarum quidem qui post illum, extiterunt, vt remedium malis vitæ afferret, ob nimis abundantem malitiam esset, ac dæmoniaca efficacia quotidie in maius impelleret, vsque adeò vt ipsa quoque Hebraïca gens, eadem cum impijs perditione raperetur: tum demique Saluator ac Medicus vniuersi descendit ad homines.]

274. Proponit quoque hoc murmur Ethnicorum ob tamdiu dilatum Christo spiratoris aduentum, Arnobius lib. 2. num. 57. sed ibi eludit dumtaxat, non elicit difficultatem. Sub eiusdem verò libri finem n. 68. rursus eadem difficultate proposita, primùm interrogat è contrario, quæ causa sit cur non suis aliquando reddantur mensibus tempora; sed seriùs hyems, seriùs æstas, ver, atque autumnus fiant. Harum quippe & huiusmodi aliarum tarditatum rationem aliquam esse sed latentem. [Ratio igitur (inquit Arnobius) & hic fuit, cur non nuper sed hodie, sospitator nostri generis adueniret. Quænam igitur ratio est? Non imus infacias, nescire nos. Neque enim promptum est cuiquã, Deimentem videre, aut quibus modis ordinauerit res suas, homo animal cæcum, ei ipsum se nesciens, vllis potest rationibus consequi. Quid oporteat fieri, quando, vel quo genere, ipse rerum cunctarum pater, moderator, & Dominus, scit solus. Nec si ego nequiuero causas nobis expromere cur aliquid fiat illo vel hoc modo, continuò sequitur. Vt infecta fiant quæ facta sunt, & amittat res fidem, quæ generibus virtutum suis & potestatum, indubitabilis esset, monstrata est.] Ne tamen nullam prorsus, dilectionis illius esse rationem quam proferre liceat, admittere videretur Arnobius, subdit, potuisse eos quibus opem conueniebat ferri, opportunitatem istam temporis exigere. Quia scilicet ad fines improbitatis deuenerant, quod recidit in propositum Eusebij discursum. [Potest ergo fieri, (inquit) vt tum demum emiserit Christum Deus omnipotens, Deus solus, postquam gens hominum stabilior, & infirmior cœpit esse nostra natura: Si quod hodie factum est, ante millia fieri potuisset annorum, fecisset istud Rex summus: aut si post totidem millia id quod hodie factũ est, debuisset impleri, nihil Deum urgebat necessarias temporum non expectare mensuras. Rationibus fixis peraguntur res eius, & quod semel decretum est fieri, nulla potest nouitate mutari.] Quod ait, si quod hodie factum est, potuisset ante fieri, faciendum vtique à Deo fuisse: caue referas ad impossibilitatem mittendi Christum ante tempus quo missus est: sed non potuisse fieri, idem est ac non decuisse, vel non debuisse. Quo eodem modo accipiendi sunt PP. quotquot dicunt, Christum non potuisse citiùs appellere.] Ita planè intelligendus est Nyssenus orat. de Christi natiuit. *sub initium*, qui & ipse in hoc argumento egregiè eo loco versatur, cum ait expectandum Deo fuisse necessariò hoc tempus.

Breuiùs & pulcherrimè eandem doctrinam proponit, hanc quoque difficultatem soluens idem Nyssenus in orat. magna Catechet. cap. 29. Iunat eam inde potius haurire. [Per sapientiam (inquit) & eius quod nostræ naturæ conducit curam ac prouidentiam, beneficij in nos collati facta fuit dilatio. Nam in morbis corporalibus, quando aliquis humor prauus & corruptus irrepit ad potos: priusquàm in superficie apertum fuerit quicquid est præter naturam, corpori condensantia non adhibent medicamenta, ij qui medendi morbis artem profitentur: sed expectant donec extra prodierit quicquid intrinsecus in imo delitescit: & ita nudæ affectioni adhibent medicinam. Postquàm ergo humanæ naturæ semel incubuit morbus vitij, expectauit Medicus vniuersitatis, vt nullum esset reliquum genus vitij immisti naturæ. Propterea non statim post inuidiam & à Cain factam fratris cædem, homini adhibet medicinam. Nondum enim in lucem prodierant scelera eorum qui Noëmi tempore perierunt; neque corporalis flagitij grauis morbus fuerat apertus; Neque Ægyptiorum aduersus Deum pugna; neque Assyriorum superbia; neque nefaria ab Herode facta cædes infantium; nec quæcumque alia literarum monimentis sunt mandata, & quæcumque historiis non comprehensa in deinceps sequentibus facta sunt generationibus, cum in libero hominum arbitrio multifariam, multisque modis germinaret radix vitij. Postquàm ergo vitium peruenit ad summum, nec erat vllum genus sceleris quod admittere non ausi essent homines, vt per omnem ægritudinem peruaderet medicina, ea de causa non insipientem, sed iam perfectum morbum curat.]

Ratio alia delectæ eiusdem mundi ætatis, petita ex Iudæorum ruditate.

275. Ex parte præsertim Iudæorum, iustificat Deum in sermonibus suis & decretis, hac ex parte, S. Chrysostomus hom. 4. in 4. in ad Colosss. & causam dilati aduentus Christi profert, sic scribens. [Non subitò Deus omnia facit, sed vtitur accommodatione, propter multam suam benignitatem. Atque hoc in causa est, cur non olim, sed postea Christus. Et in Euangelio hoc declarat, quòd huius gratia seruos primùm miserit, ne in necem filij inciderent. Si enim neque post seruos aduenientem Filium reueriti sunt, multo minùs eum ante illos reueriti fuissent. Si minora mandata non audierunt, quomodò maiora audijssent? Quid igitur inquis, an non & nunc quoque Iudæi pariter & Gentes ineptiores sunt, & minùs ad veritatem affecti? Hoc iam ex nimia sit negligentia & socordia. Quod enim post tantum temporis, post tantas disciplinas prophani & inepti adhuc manent, multæ segnitiei est. Quando ergo Gentes dicunt, quamobrem nunc demum venit Christus, non permittamus hoc eos dicere; sed rogemus an non ad quod venit perfecerit. Quemadmodum enim, etiam si mox ab initio venisset, non tamen rem ipsam exequntus esset, non sufficisset nobis ad defensionem temporis maturitas; ita quoniam omnia executus est, non erimus obligati, vt temporis rationes, demus. Neque enim à Medico quispiam sanitatis rationem exiget, si morbum dispuleris, & ægrotum ad sanitatem reduxerit: neque à duce exquiret, si vicerit, cur vel hoc tempore, vel hoc loco vicerit. Nã iste qui negotium non perfecit, rogandus est. Qui verò omnia bene executus est, probari cõmendarique debet.] Instar prolato exemplo conditionis mundi, circa quam similiter expostulare liceret, cur non priùs v.g. ante decem annorum millia extiterit, quàm facta est. Item exẽplo productionis singularium hominum, cur hunc Deus primò, alium posteriùs eduxerit in existentiæ lucem. Itaque concludit, ætatum seriem quandam in humana natura esse distinguendam; & aliam fuisse eius puritiam & adolescentiam, aliam verò ætatem maturiorem: Et illam quidem fuisse gentis Iudaïcę quod probat fusissimè, iterans quod ex Eusebio iam retuli; Iudæis tamquam abecedariis elementa à Mose fuisse de picta, id est adumbrata mysteria. Tales ergo cum essent homines, non esse visum Deo conueniens, priusquàm per Mosem ludimagistrum leniora & humiliora præcepta didicissent, mittere doctorem iustitiæ, qui altissima

altissima & perfectissima traderet præcepta, & mysteria promeret. Limbum longissimæ & eloquentissimæ disputationis præscindo, & hic appono. Ita habet. [Ita non peccarit, si Moysem quisquam præceptorum educatorem & pædagogum appellauerit, multámque viri huius sapientiam esse dixerit. Non enim eiusdem virtutis est, viris imperare iam philosophantibus, & pueris præesse rationis industriam nondum consequutis. Et si vultis aliud quoque audire, quemadmodum puero nutrix dicit; quando ventrem expurgas, collige & attolle vestimenta, & hactenus desidebis, ita & Moyses fecit. Nam omnes animi passiones tyrannidem in pueros exercent. Nondum habent rationis aurigam. Vana gloria, concupiscentia, negligentia, fastus, inuidentia, quemadmodum in pueris; ita in illis dominabantur. Consuebant & percutiebant Moysen, & quémadmodum puero lapidem accipiente clamant omnes, heùs vide ne iacias; ita & illi, lapides aduersus patrem accipiebant, ipse verò fugiebat. Et quomodò si ornamentum quoddam puer habeat, puer aliud ab eo ornamenti cupidus exigit, ita sanè qui cum Dathan & Abiron erant, faciebant; aduersus sacerdotium insurgentes. Erant itaque omnium ingratissimi, animo pusillo, & ad omnia inutiles. Dicas igitur velim, oportuerítne Christum tunc temporis comparare? tunc philosophica illa præcepta proponere? quando ex concupiscentia insaniebant, quando equorum more post mulieres hinniebant, quando pecuniarum, quando ventris erant serui? Sed inaniter effudisset philosophiæ præcepta, si rudibus ac nihil dum intelligentibus diseruisset: Et neque illa sanè, neque ista percepissent. Et quemadmodùm qui antequam elementa cogitata sint, lectionem instituens, numquam re ipsa quidem elementa docebit; ita & tunc factum fuisset. Nunc verò non ita, sed multa iam est tractabilitas, multa vbique plantata virtus. Gratias itaque agamus pro omnibus, & nihil curiosè inquiramus. Temporis enim opportunitas, non nobis, sed illi cognita est, qui factor est temporis, & seculorum opifex, ac dominator. Permittamus ergo illi omnia.] Hoc, sapientissimè de diuino isto consilio prolatum, ad omnia est extendendum.

Ad idem, simile à Medicis, ex Theodoreto.

276. Exemplo Medicorum curationem quandoque differentium, idem illustrat Theodoretus in calce 6. contra Græcos, verbis illis ad Gentiles. [Quod si fortè mirabundi inquiritis, cur non olim multo priùs humanitate assumpta, opifex mundi nobis consuluit, agedum & Medicos accusate, qui in postremum curationis tempus differunt actiora remedia. Lenioribus siquidem priùs vsi, quæ potentiora sunt vltimo loco adhibent. Idem itaque fecisse inuenitur Creator ac Medicus animarum nostrarum. Nam cum priùs olim multa & varia remedia attulisset, cunctis quidem hominibus ad pietatem alliciendis, ea inspectanda proponent quæ in mundi fabrica & natura rerum ab eo facta cernuntur; Hebræis autem prophetas mittens & scriptam legem contribuens, postremò & hoc vndique potens pharmacum ac saluberrimum nobis attulit, quo omnis ægritudo funditùs tolleretur.] Eodem item modo, prolixè hanc rem agitans, philosophatur S. Cyrillus l. contra Antropom. cap. 24.

Quæ Augustinus in eandem rem, contra Porphyrium.

277. Aliunde modum propositum expedit S. Augustinus epist. 49. q. 2. cum eum ex Porphyrio Christianis obstrepente retulisset. Hæc enim erat Porphyrij in Christianos argumentatio. [Si Christus se, salutis viam dicit, gratiam & veritatem, inséque solo ponit animis credentibus reditum, quid egerunt tot seculorum homines ante Christum? Vt dimittam, tempora ante Latium regnatum, an ipso Latio quasi principium humani nominis sumamus: In ipso Latio ante Albam Dij culti sunt: In Alba æquè religiones ritúsque valuere templorum. Non pauciotibus sæculis ipsa Roma, longo seculorum tractu sine Christiana lege fuit. Quid, actú de tam innumeris animis, qui omnino in culpa nulla sunt, siquidem is cui credi posset, nondum aduentum suum hominibus commodarat? Orbis quoque, cum ipsa Roma, in ritibus remplorum caluit. Quare Saluator, qui dictus est, sese tot seculis subduxit?] Ita Porphyrius argumentabatur.

Ad hoc argumentum respondet D. Augustinus, primò illud retorquendo, & noua quoque Paganorum instituta quæ anteriotibus sæculis non fuerunt, quorsum tamdiu dilata essent, si hominibus necessaria vel vtilia erant, inquirendo. Similiter ergo, omnes quidem antiquos qui Christum præcesserant, eadem substantialiter fide qua nos, iustitiam & sanctitatem esse adeptos: non priùs tamen expressam hanc & euolutam fidem ex qua viuimus fuisse propositam; nec priùs venisse Christum ad mortales præsentia sua inuandos, quia Deo visum non est conuenire. Et vna quidem est omnium salus per Christum. [Quid autem quando fiat, quod ad vnam eandémque fidelium & piorum liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus.] Tandem verò directè ad argumentum propositum sic respondet. [Quid respondebunt si excepta illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, vbi fortassis aliud diuinum consilium longè secretius latet, sine præiudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus inuestigari queunt; hoc solùm eis breuitatis gratiæ in huius quæstionis disputatione dicamus; tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri? his enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt: quales etiam nunc multos videmus, cum tanta manifestatione de illo compleantur præconia prophetarum, nolle adhuc & credere; & malle humana astutia resistere, quàm tam claræ atque perspicuæ, támque sublimi & sublimiter diffamatæ diuinæ credere Authoritati. Quamdiu paruus & infirmus est intellectus hominis, diuinæ debet credere veritati. Quid ergo mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis nouerat, vt eis apparere, vel prædicari meritò nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Neque enim incredibile est tales fuisse tunc omnes, qualis ab eius aduentu vsque ad hoc tempus, tam multos fuisse, & esse miramur.] Quod si non omnes, certè plurimi tales erant, vt summa indispositione ad Christum, eiúsque prædicationem excipiendam laboraturi præscirentur, si tunc venisset. Quare opportuniorem ad homines aditum captauit, & aduentum suum in aliud tempus distulit; illud inquam quo reipsa ad homines descendit.

Alia per satyram in eandem rem, ex Iobio, & Bernardo.

278. Concinnè de more Iobius apud Photium eod. 222. cap. 30. in hanc rem disserit. [Mox ab initio (inquit) Verbum Incarnatum non est, cum aliis de causis, tum idcirco quod non oporteret statim maximum medicamentum morbis adferre, sed quæ vim haberent paulatim morbum abigendi. Ad hæc, ab initio Verbum Incarnatum, nō modò quantam in fine temporum, aduentu suo vtilitatem non præbuisset, sed incitamen

cramentum potiùs idololatris ad errorem, iudicatum fuisset. Nam si, cum Græci rerum potirentur, similibus affectionibus obnoxios homines tam facilè in Dei euehebant dignitatem, quomodò scientes in carne Verbum apparens, tamquam Deum celebrari, non itatim inde fictorum à se Deorum exempla peterent, ipsque qui conarentur, ab hoc errore auellere, non promptissimè exprobrarent, illos ipsos, qui reprehenderent, hominem æquè pro Deo prædicare ac venerari? Propterea enim quo tempore Græci Deos fabricarent, Patris quoque vnitas, prædicata est. Nec item dicerent; Si distulisset; Suis se viribus humanum genus saluare potuisset. Atque ita summa gratia, fuisse ingratis summum ingrati animi vitium. Et si nihil etiam ab initio venisset, salutis loco contentionum amantes homines, sic tantùm dubitare: Cur non in fine; ed in principio? aut, cur non in medio temporum cursu, sed in principio Verbum incarnatum est? Ita in se mutuo quæstiones secundùm triplicem temporum differentiam torquentes) Oportebat itaque primùm illa euacuari, & ea quidem prædicatione, quæ Patrem solum annunciaret: Deindeque Deorum effigendorum error à memoria sublato, verum Deum in carne manifestari. Sic igitur se habet, hæc de Verbi in temporis plenitudine incarnatione, ratiocinatio.]

179. Scitè denique S. Bernardus hom. 1. de aduentu tactis nonnullis quæ hactenus protulimus ex alijs. [Tempus est (inquit post expensas alias incarnationis circumstantias) iam ipsum quoque considerare tempus, quo Saluator aduenit. Venit enim (quod & vos credimus non latere) non initio nec in medio temporis, sed in fine. Nec incongruè factum est, sed verè sapienter dispositit Sapientia, vt cum magis esset necessarium, nunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans. Verè enim adnesperascebat, & inclinata erat iam dies; recesserat paulatim Sol iustitiæ, ita vt exiguus nimis splendor eius, aut calor esset in terris. Nam & lux diuinæ notitiæ parum admodùm erat, & abundante iniquitate feruor refrigerat charitatis. Iam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, cessabant velut desperatione vidi, præ nimia vtique duritia hominum & obstinatione. At ego, (ait filius,) tunc dixi, ecce venio. Sic, sic, *dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter peragaret, omnipotens sermo tuus Domine, à regalibus sedibus venit.* Quod & Apostolus innuens aiebat: *Quando venit plenitudo temporis misit Deus filium suum.* Nimirum plenitudo & abundantia temporalium, oblionem & inopiam fecerat æternorum. Opportunè ergo tum aduenit æternitas, quando magis temporalitas præualebat. Nam vt cætera sileam, ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit, vt ad hominis vnius edictum, describeretur vniuersus orbis.

Quod Apostolus aliquoties, aduentum Christi, ait, fuisse in plenitudine temporum, videtur referendum ad tempus à Deo præstitutum incarnationi. S. tamen Chrysostomus hom. 1. in ad Ephes. *sub finem*, tempora plena censet idem esse, quod non vacua, qualia absque Christo fuissent. Commentatio est digna Chrysostomo. [Aduentus (inquit) eius in carnem, plenitudinem illam temporum declarabat. Simul itaque vt nihil non molitus est per Angelos, per Prophetas, denique per legem: neque tamen per hæc quidquam promouerat; Sed & res hæc eò reciderat periculi, vt homo ipse fructa productus; imo in malum genitus cunctis semel pereuntibus, magis etiam quàm tempore diluuij: inuenit sua solius miserentis gratia talem assumptæ carnis à Verbo dispensationem, vt non iam frustra, neue inaniter factus foret homo. Hoc sanè est, quod plenitudinem dicit esse temporum, simul & sapientiam: quia cum omnibus graue immineret discrimen, ne interirent, tunc salutem consequuti sunt.]

Theoph. Rayn. Christus.

Annus, mensis, dies, concepti Christi.

280. Ætate aduentus Christi peropportuna, sic constituta, agendum sequeretur de anno pacti huius mysterij; quotus à mundo condito fuerit. In quod latè inquirit Villanic. lib 2. de ratione studij Theolog. c. 14. obseruat. 10. & Gordonius t. 2. Chronol. *initio.* Mihi verò vniuersa illa disquisitio, chronologis potiùs videtur præmittenda, inter quos æui nostri lumen Card. Baronius, diligenter de more eam prosequitur, sub finem apparatus Annalium, & ad Romanum martyrologium 25. Decemb. vbi dies natiuitatis Christi per comparationem ad quæuis illustria tempora consignatur, & natiuitas Christi in annum à mundi creatione quinquies millesimum centesimum nonum proditur incidisse: à qua summa si nonimestre spatium Christi in vtero commorantis subtrahamus, exabit numerus annorum Christi concepti, quem nunc inquirimus.

Mensem concepti Christi, Ecclesiastica traditio statuit Martium. Negligendæ verò sunt ineptiæ (ne insanias dicam,) Michaelis Beroaldi Caluiani, qui lib. 4. chronol. cap. 2. & 3. Christum Decembri mense conceptum, & Septembri natum contendit: Nec absimiliter contra traditionem prædictam Ecclesiasticam arietant Temprarius & Caluisius item sectarij, quos Salianus t. 6. anno mundi 4502. num. 56. meritò castigat. Præiuerantque nuperis hisce sectarijs, Actaui eorum Basilidiani, apud Clementem Alexandrinum l. 1. strom. quorum aliqui cum Christum statuerent natum mense Iulio, alij verò mense Maio, longè aliter de mense concepti Christi philosophabantur, quàm cum Ecclesia fecerimus. Nobis tamen pluris est vnicus Ecclesiæ nutus, quàm omnium sectatorum disputationes & argumentationes. Cùm ergo Ecclesia mensem concepti in Deiparæ vtero Verbi, statuat Martium; non est dubitandum errare segreges illos, siue nouos, siue antiquos aliter de eo mense quem inuestigamus philosophatos. Partes benè multos in rem nostram laudat Canisius lib. 3. Mar. cap. 12. *sub finem.* Chrysostomum inquam, (quamquam alius mihi à Chrysostomo videtur, autor homiliæ de natiui. Baptistæ, qua id apud Chrysostomum fusè confirmatur;) Augustinum, Cyrillum Alexandrinum, Bedam, Orosium, & auctorem qq. ad Antiochum Principem in 17. vbi hæc ratio concepti Martio mense Christi Domini traditur; quod congruum fuerit, quo mense conditus primùm est mundus, eodem per instauratationem de cœlo venientem, secuturæ mox reparationis felicem cursum auspicari. Alias præterea delecti ad hoc mysterium mensis Martij conuenientes rationes, profetunt Azor. t. 2. l. 1. c. 17. q. 2. & Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 38.

281. Diem eiusdem mensis, tanti mysterij exhibitione consecratum, eadem Ecclesiastica traditio Catholicis omnibus indubitata, statuit 25. Martij, quo Angelica ad Virginem annunciatio recolitur. Disserteque ita habent S. Augustinus 4. Trinit. cap. 5. Athanasius q. 17. ad Antiochum. Beda lib. 1. in Luc. cap. 3. Calendarium Græcorum 25. Martij. Zacharias Chrysopolit. lib. 1. monotessari c. 3. Huc etiam Beda l. de natura rerum c. 47. refert antiquum nonnullorum vsum, annos salutis, initiandi à 25. Martij, quod inde cæperit salus nostra concepto ea die Christo. Quis verò fuerit hebdomadæ dies is, in quem eo anno 25. Martij dies cecidit, controuersia est: quibusdem, vt Saliano anno mundi 4052. num. 59. affirmantibus fuisse diem Mercurij, id quod Astronomicis supputationibus conficit: alijs contendentibus fuisse diem Veneris, quod Mathematicis item subductionibus firmat Azorius t. 2. lib. 1. cap. 17. q. 3. annuit Bonacina disp. 1. de incarn. q. 4. p. 1. num. 8. eleganterque Rupertus l. 3. de diu. off.

cap.19. quem audire iuuat, quia egregium mysterium ea in re detegit. [Mirabilis (inquit) plastes noster, qui, vt dictum est, Dominica nocte natus est, feria sexta cōceptus est. Nam si superius Scriptos illius anni quinque concurrentes, vni Aprilis regulari adijcias, fiunt sex. Cum autem sexta feria mensis Aprilis incipitur, profectò octauo kalendas Aprilis, sexta nihilominus feria habetur, quando Domincam annunciationem habemus. Igitur pium, atque pulchrum ordinem, pronidamque disposition em in hoc salutis nostræ opifice mirantes veneramur, qui die qua veterem formauit Adam de limo terræ, nouum reformare cœpit hominem de vera carne Virginis Mariæ, eadem nihilominus die redempturus mortis passione.] Ex Cyrilli Alexandrini epistola ad Synodum Carthaginensem, conceptum eadem die & mortuum Christum confirmat Canisius lib.3. Mar.c.22. quod quamquam possit præcisè ad numerum dierum mensis referri, tamen ad diem quoque significatum, puta diem Veneris, quo Christus mortuus est, spectare potest. In re à longis Mathematicis subductionibus pendente, nec nisi longo disputationum anfractu terminanda, nolo arbiter sedere.

Hora conceptionis Christi.

282. Hora, iuxta Toletum in cap. 1. Lucæ annot. 63. & Suarem t.2.3.p.disp.9.sect.5. fuit media nox, cum medium silentium tenerent omnia. Sic enim figuratum probè respondet figuræ, hoc est internecioni primogenitorum Ægyptiorum factæ per Angelum è cœlo media nocte delapsum, vt habetur cap. 18. libri Sipientiæ. Præterquàm quod cum conceptionis & natiuitatis tempora fuerint in Christo ordinatissima, sicut Christus media nocte natus est 25. Decembris, ita eadem hora conceptus videtur, 25. Martij. Video hæc non omnino cogere; Ex alia verò parte traditionem Ecclesiasticam hic silere. Quare non prorsus abre Vasques 3.p.d.126. cap.3. negat certi quicquam hac in parte statui posse. Quæ tamen referebam, nec sunt improbabilia, nec prorsus destituta fundamento. Confecta sanè res esset, si constaret de hora qua Gabriel ad Virginem ingressus est. Nam in clausula colloquij Gabrielis cum Maria, quod perbreue fuit, peractum est hoc mysterium, vt habet vnanimis Patrum consensus de quo mox. Ineptit autem Mayro in 3. d.4. q.vnica art. 1. qui colloquium illud protrahit, ab hora completorij ad mediam vsque noctem, quo toto tempore, luctatam, cum Angelo consensum expectante, Deiparam, comminiscitur Mayro. At hoc repugnat humilitati, & fidei, & summæ docilitati tantæ Virginis, ex quo de Dei voluntate fuit planè edocta. Itaque non videtur dubitandum, colloquium illud non admodum longum fuisse, vt eius quoque apud Lucam repræsentatio videtur prodere. Possemus ergo facilè habere horam conceptionis Christi, si de hora salutatæ per Angelum Virginis, certò constaret. Nam Christus, nec ante finitum colloquium, nec aliquanto tempore post illud, sed statim in ipso consensus per Deiparam præstiti puncto, conceptus est, vt habet S. Chrysostomus in liturgia, in absolutorio feriæ 2. verbis illis; [Gabriele dicente tibi Virgo Aue, cum voce incarnatus est omnium Deus in te sacrosancta arca.]

283. Pauci quidem Patres censentur anticipasse momentum illud, quod S. Petrus Alexandrinus relatus t.2. Conc. Ephes. cap.7. & sess. 1. Concilij Chalcedonensis, videri potest sensisse; affirmans illa Gabrielis verba ad Deiparam, *Dominus tecum*, significasse Verbum in Virginis vtero carnem factum. Profert quoque in eandem sententiam Rosuedius tab. 9. pro Baronio, S. Hieronymum Epistola ad Principiam, vbi affirmat, Deiparam quia conceperat Christum, salutari plenam gratia. Itemque S. Ambrosium lib. 2. in Lucam cap. 2. quia dicit, rectè Deiparam salutari gratia plenam, quia consecuta est, vt gratiæ repleretur autore Tandem Gregorium Neocæsar. orat. 2. de Annunc, qui non dissimiliter exponit illud *gratia plena*. Sic enim scribit de Gabriele. [Hic ac ineffabilibus supernis potestatibus ad sanctissimam Virginem deueniens, primùm illis verbis *Aue gratia plena*, ipsam compellauit ac salutauit: qua quidem verborum voce ad eam facta, in ipsa mox auditione, Spiritus sanctus in immaculatum Virginis templum ingressus est; & sanctificata est mens eius, simul cum membris: steritque natura ex aduerso, & concubitus procul, cum stupore spectantes naturæ Dominum præter naturam, atque adeò supra naturam, rem admirabilem in corpore perpetrantem, & per quæ diabolus arma decertauerat, per contraria nos Christus liberauit, assumpto corpore, quod pati posset, vt nostrum; vt deficienti humano generi, maiorem gratiam tribueret: *Et vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.*] Hos Patres fateor proferri, quasi censuerint ante conclusum Gabrielis cum Deipara colloquium, verbum factum esse carnem. Sed reuera nihil huiusmodi censuerunt, si non cortex verborum, sed ipsorum Patrum scopus, & textura orationis attendatur. Mens enim horum Patrum, & aliorum qui similiter locuti sunt, dumtaxat fuit, indicare sublimissimum Deiparæ titulum, & radicem tantæ gratiæ, quantam consecuta est, accommodando illi post factum verba Angeli, & demonstrando quò nunc sensu ea accipere & piè inflectere possimus.

Itaque ratum esto quod dixi, Verbum non esse carnem factum, ante clausulam colloquij Gabrielis cum Deipara. Sed neque post eam, quia certum est, Verbum factum esse carnem, cum primùm Deipara consensum exhibuit, quæ est constans Patrum doctrina, Athanasij serm. de Deip. Augustini serm. 18. de Sanctis, Damasceni 3. fidei c.2. Gregorij 18. Moral. cap. 3. Basilij Seleuciæ orat. de Annunciat. Anastasij Papæ epistola ad Vrsinum, Sedulij lib. 2. Paschali cap. 2. Ruperti lib. 1. de operibus Spiritus sancti cap.9. passimque aliorum. Inter recentiores latè id confirmat Canisius lib. 3. Mar. cap. 22. fusè disputans contra fluctuationem Centuriatorum in hoc puncto. Et cum Angelus post exhibitum à Deipara consensum, non potuerit in momento discedere; (esto paulò post, vel etiam statim, profundissimo honore, Deo carne circumamicto; non sine stupore ac extasi exhibito, discesserit:) perspicuum videtur non rectè Toletum in cap. 1. Lucæ annot. 114. negare Verbum conceptum esse præsente adhuc Angelo. Rectè autem Euthymius Lucæ 1. admittit quod dixi. [Discessit (inquit,) ab ea Angelus, simul ac iam per Verbum suum conceperat.] Annuntque reuera Patres illi quos Toletus pro se profert. Non enim quod Toletus ait, affirmat Christum fuisse dumtaxat conceptum cum primùm Angelus recessit; sed cum primùm conclusum est colloquium Angeli & Deiparæ, siue in momento præstiti per Deip. consensus ab Angelo expetiti. Post hoc enim momentum, atque adeò concepto iam Christo, recessit Angelus. Si ergo (vt affirmabam,) constare nobis posset, de hora qua Angelus salutationem Deiparæ exorsus est; constaret quoque de hora qua Dei Verbum est conceptum, & factum caro. Sed quia de hora illa nemo scit, propterea non nisi probabiliter asserui, horam Christi concepti fuisse noctem mediam.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

284. Breuem doctrinæ superiùs traditæ summam, vt faciliùs hæreat, attexamus, in Christi humanitate efformanda nullam virilem efficientiam interuenisse fide certum est; materna tamen perfectè interuenit. Ideoque

que probabilissimum est, corporis Christi configurationem vi seminis materni diuinitùs eleuati peractam esse, ac etiam corpus subitò perfectè organizatum animæ rationali fuisse coniunctum. Vnde extitit humanitatis, quam eodem temporis momento, plenissima miraculi coniunctio, per modalis vinculi productionem, cooperante instrumentaliter Deipará diuinitùs facta, ad Verbi æterni suppositationem euexit, in sacrosanctæ Virginis vtero, cum primùm illa, assensum suum Angelo internuncio, præstitum voluit.

Opportunè verò, cum peruentum hoc loco sit ad consummationem diuini opificij tam eximij, adhibeo hic monitum à S. Bernardo propositum serm. 3. de natiuitat. Dom. *in finem*, quo vsus totius huius doctrinæ continetur. [Obsecro vos dilectissimi, considerate diligentiùs quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inueniatur in vobis sermo tam viuus & efficax, sermo fidelis, & omni acceptione dignus, sermo non tam oris quàm operis. Putatis fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum Verbum quod nunc loquor ad vos vacuum & sine aliqua vtilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imo & nihil; quàm iustiùs indignabitur Dominus maiestatis, si tantam eius operam nostra aut duritia aut negligentia contingat euanescere? Auertat hoc à seruulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam serui, vnigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

SECTIO III.

Symbola sacra, de causa finali & productiua Christi Domini.

Quod circa Christi substantiam superiùs fecimus, quæ Scholasticè de ea dicta fuerant exornantes sacris symbolis ac emblematis, ad amœnitatem aliquam tractationi Scholasticæ conciliandam; hoc item loco præstandum videtur, sed parcè & delectu habito. Quare ex innumeris huiusmodi expressionibus, quibus finis aduentus Christi eiusque productio, in Scripturis vel apud Patres adumbratur, seligam nonnullas huic instituto accommodatas.

CAPVT I.

Panis, Symbolum finis & effectionis Christi Domini.

285. Vexabat orbem terrarum vniuersum fames, qualem nullam omnes retro historiæ adeò atrocem vel horrendam prodiderunt, quamuis multiplex referatur & teterrima. Nam 4. Reg. 6. Benadad. Syro obsidente Samariam, facta est fames magna, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum, quinque argenteis. Ibidem contigit truculentum factum, matris quæ ex pacto cum vicina, natum suum coxit, & sumpsit cum ea in cibum: quo consumpto, vrgere truculentum conuiuam cæpit, ad apparandas vti pepigerat ex nati carnibus similes epulas, ad quas fames teterrima adegerat. Horrendam cibationem alterius matris, ex filij carnibus, præ acerbissima fame, per tempus Hierosolymitanæ obsidionis, describunt Iosephus lib. 7. belli cap. 7. & 8. ac Egesippus lib. 5. cap. 39. & 40. Quæ apud Hieremiam in Threnis leguntur, de manibus mulierum miseticordium coquentium filios suos, & paruulos suos ad mensuram palmæ comedentium, itemque de paruulis in sinu matrum præfame deficientibus, & exhalantibus animas; ac denique de pelle omnium exusta quasi clibano à facie tempestatum famis; hæc inquam omnia, tristissimam inauditæ teterrimæque famis præferunt speciem. Nec procul ab eo horrore absunt quæ Eusebius lib. 9. cap. 7. de fame sub Maximino orta scribit; Et quæ habet Zonaras 6. annal. de fame Honorio imperante excitata; cum audita est in Circo vox illa horrenda, ad ipsum Honorium directa, *pone pretium carni humanæ*. Quàm dira item fames vrserit Placentinos & Romanos, obsidente vrbem Totila, videndus Procopius lib. 3. de bello Gothico; apud quem lib. 11 sub Iustiniano per tempus belli Gothici in Piceno, 30. hominum millia fame consumpta produntur.

Fames orbis vniuersi, omnium dirissima.

286. Hæc omnia tametsi dira & horrenda, nihil ad famem quæ per annorum millia quinque, non vnam aliquam prouinciam, certosve in ea mortales, sed orbem vniuersum nemine incommodis subducto vexauit, eò tetriùs, quod animas ipsas à materiæ concretione liberas corriperet, & æterna tabe mulctaret; eoque remotius à remedio, quod panis quo sedanda esset hæc fames, in terra inueniri & confici non poterat. Suspirabant præ fame hac; ad escam diuinitùs suppeditandam, antiqui Patres, intentis in cœlum oculis, velut aquilæ. De eis quippe S. Gregorius 9. Mor. cap. 23. accipit illud Iobi 9. *Sicut aquila volans ad escam*. Prospectantes enim escam hæ aquilæ, vt eiusdem Iobi cap. 39. legitur, ad eam saliuarunt, & votis ardentissimis, vt tandem demitteretur, famesque rabida vniuersum orbem opprimens depelleretur, expetierunt.

Miseratus tandem Deus famem vniuersi orbis, panem quo aleretur, & fames sedaretur, submisit. In quam rem pulchrè, vt æui illius ferebat poësis, Petrus Blesen. carmine de Euchar. cap. 2.

Verbi dira fames, homines aliquando premebat,
Esuriens nec homo quod manducaret, habebat.
Angelicus panis de cœlis venit ad ima.
Cum iam iam mundum succideret vltima lima.
Qui nostræ carnis palea, sua numina velans,
Innotuit mundo Deitatis signa reuelans.
Noluit ergo suum pius autor plasma perire
Descendens, vt homo sua posset ad astra redire.
Totus corruerat homo, totus erat labefactus,
Occurrit Dominus pereunti victima factus.]

An alludit ad illud Prophetæ, *cum panibus occurrite fugienti?* id est: *pereunti.*

De Christo pane ad eam sedandam dato loca veteris instrumenti.

Is panis est Christus Dominus, quod veteris nouique instrumenti testimonijs illustrare, & ratione etiam confirmare non erit operosum. Nihil enim adeò per vniuersum scripturarum ambitum videas repetitum, quàm quod [sermo caro factus,] vt est apud Tertullianum lib. de resurrectione cap. 37. [panis nostret sit, in causam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.] Illustrissimus est in hanc rem ex antiquo instrumento locus Hieremiæ 11. quo prænunciatur maligna Iudæorum in Christum conspiratio, verbis illis concepta. *Venite, mittamus lignum in panem*

eius,& eradamus eum de terra viuentium. Quo loco,*panis* pro corpore & humanitate crucifixa, apertè sumitur. [Lignum (inquit, cum locum glossans Lactantius lib. 4. cap. 18.) crucem significat, & panis corpus eius, quia ipse est cibus & vita hominum qui credunt in carnem quam portauit, & in crucem in qua pependit.] Et S. Gregorius 12. Mor. cap. 3. [Lignum in panem mittere, & Dominico corpori crucem adhibere.] Sed frequenter Tertullianus eo ipso sensu panem accepit in illo Hieremiæ loco. Nam lib. contra Iudæos cap. 10. [Vtique, (inquit prolato eo textu,) in corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans, cuius retro corpus Propheta in pane figurauit.] Eadem propè verba habet lib. 3. in Marcio. cap. 19. & lib. 4. cap. 40. [Si propterea (inquit) panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis,vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Hieremiam,*Aduersus me cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite coniciamus lignum in panem eius, scilicet Crucem in corpus eius?* Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem.

287. Adeò autem apertus visus est in hanc rem ipsismet Iudæis hic Hieremiæ locus, vt scribat Iustinus agens cum Tryphone, incredulos Iudæos non ita multo ante quàm ipse ea scriberet, erasisse hunc Hieremiæ locum: nec defuisse tunc exemplaria integra in quibusdam Iudæorum Synagogis, malignitati præcidenti attestantia. Et quamuis non desunt ex Catholicis, qui aliorsum quàm ad Christi corpus flectant panem de quo in hoc Hieremiæ loco agitur, & vel de vero pane materiali, admistione veneni ac toxici inficiendo, vel immissione ligni veneniferi imbuendo ad certam mortem edenti inferendam; vel prouerbialiter de eodem in furcæ lignum commutando, indeque cibando Christo; id est ibi suspendendo, interpretentur: Tamen apud nos, longè pluris est autoritas tam multorum Patrum, qui panem ibi, pro corpore Christi acceperunt; ita vt idem fuerit *mittamus lignum in panem eius*, ac si per hypallagen dictum fuisset, *affigamus corpus eius ligno*: vel *mittamus corpus eius in crucem.* Viginti è Patrum proceribus, in hanc interpretationem appendit Ghislerius ad eum Hieremiæ textum.

Apud Oseã,c.11.Christus,(ipse enim loquitur,)nutricium se nostrum fore spondet, & ad nos declinaturum vt vescamur; eoque consilio exaltaturum se iugum super maxillas nostras. Quod enim bubus faciendum est vt vescantur cibo suo tranquillè, hoc nobis qui in bruta transieramus, præstitum est à Verbo Dei seipsum nobis apponente panem viuum,feni specie, propter brutalitatem per nos contractam. De quo pulchrè autor sermonis cuiusdam de cœna Domini apud Bernardum. Sic enim habet, post descriptam hominis felicitatem. [Repentina igitur conuersione, seipsum inuenit homo propter infirmitatem iacentem in stabulo. Stabulum quid est? Mundus est. Is propter pecorinam similitudinem indigens erat feno. Et propterea cibus cœlestis mutauit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Panis enim Angelorum, factus est fenum: vnicus patris, filius hominis: Verbum quippe caro factum est.Et iuxta Prophetam; *Omnis caro fenum* Comedunt igitur Angeli Verbum de Deo natum, comedunt homines Verbum, fenum factum. Pane suo viuunt Angeli in cœlis, & beati sunt; feno suo viuunt homines in terris, & sancti sunt. Fenum quippe istud de prato Virginalis vteri collectum est refectio iumentorum; Verbum vt fenum fieret, latuit in Virgine, Sol in sydere, artifex in opere. Hoc autem liberalioris excellentiæ donum contulit nobis primo in loco, sacrosancta Verbi patris incarnatio.]

288. Est insignis locus apud Esaiam cap. 33. vbi promittæ innocentia spondetur habitatio in excelsis, & in munimentis saxorum; itemque suppeditatio panis & aquarum fidelium: Quod S. Gregorius 23.Mor. c.25. refert ad gratiam doni Spiritalis, quæ pijs & à malo declinantibus bonumque facientibus communicatur: quo etiam acommodat illud Psal. 131. *Pauperes eius, saturabo panibus.* A sancto autem Iustino, in colloq. cum Tryphone, refertur ad panem Eucharisticum, quem sensum pulchertimè confirmat Turrianus lib. 2. de Eucharistia cap. 32. Quæ interpretationes piæ sunt ac probabiles, sed extra rem presentem. At S. Cyrillus in eum locum, simpliciter accipit de pane vitæ, qui Christus est: cuiusmodi panis rationem (vt mox dicam,) non habet tantùm Christus ratione Eucharistiæ, sed etiam prout per incarnationem est panis noster. Nec ab hac illius loci expositione Iustinus. Nam panem datum habitanti in spelunca petræ fortis, (vt iuxta 70. loquitur ibi Esaias,) id est in Ecclesia, quæ Christi petræ fortis est habitaculum: exponit Iustinus primo loco,vt idem sit quod lapis abscissus de monte sine manibus: quod manifestè spectat ad Christum vt incarnatum. Quamuis autem mox addat Iustinus eum Isaiæ panem, valere quoque de pane quem Christus tradidit in commemorationem humanitatis suæ, Τῶ σωματοειδῶς αὐτὸν, qui quidem panis est Eucharistia, tamen hic sensus probè cohærere potest cum priore, nec illum excludere: præsertim cum Eucharistia sit corporationis Verbi commemoratio, vt hic affirmat Iustinus; perque eam, vt dixit S. Chrysostomus hom. 60. ad pop. Christus se vnicuique nostrum commiscendo, rursus nobis persuadeat, quod carnem nostram assumpserit. Vt meritò proinde Rupertus lib. 2. de offic.cap.22.vocet Eucharistiam *reparationem incarnationis quoad nos.*Sed de ea analogia assumptæ per Verbum humanitatis, & coniuncti nobiscum Christi per Eucharistiam,alibi agendum est, & videri potest qui eam optimè prosequitur S. Anselmus l. de Sacramento altaris p.2. à cap.3.

Christi panis, veteres typi.

289. Spectant ad hunc ordinem, veteres quidam typi, quibus Christus panis specie adumbratus est.Sic enim Gedeon victor, panis hordeacei subcinericij in castra Madian deuoluti, & omnia funditùs subuertentis imagine, expressus Iudic. 7. ab ipso Isaia cap.9. affertur vt typus Christi, superantis exactorem & iugum humeri eius excutientis, sicut in die Madian. Et ipsum Gedeonis nomen, firmat Christi cum eo per panem expresso analogiam. [Gedeon namque (ait S.Gregorius 30. Mor.32.) interpretatur *circumiens in vtero.* Dominus enim noster, per maiestatis potentiam omnia complectitur, & tamen per dispensationis gratiam, intra vterum Virginis humanitatem sumens, venit. Quis est ergo circumiens in vtero, nisi omnipotens Deus, sua dispensatione nos redimens, diuinitate cuncta complectens, & humanitatem intra vterum sumens? In quo vtero, & incarnatus est, & clausus non est: quia & intra vterum fuit per infirmitatis substantiam, & extra mundum per potentiam maiestatis.] In eandem sententiam Petrus Damiani serm. 68. tractans eum Gedeonis subcinericium panem, ex hordeo, volutatum & disturbantem castra

Madian;

Madian; sic habet. Per Gedeon, qui non circuitus sed circuiens in vtero dicitur, ille meritò designatur, qui dum virginali clauderetur in aluo, totam mundi machinam suo circundabat, ac disponebat imperio. Per Madian autem, qui de iudicio interpretatur, populus infidelis accipitur, de quo Dominus ait: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Porrò autem vsque ad Sanctorum aduentum, more hordei sub paleis litterarum, & legis præcepta, & Prophetarum tegebantur oracula; sed postquàm ille veniens, panes hordeaceos fregit, deditque Discipulis, vt turbis apponerent; cuius etiam operis expositio est, quod Euangelista dicit: *Quorum aperuit illis sensum, vt intelligerẽt Scripturas*, iam ex hordeo, quod Brutis videbatur animalibus congruere, panem facere dignatus est animarum. Sicut enim hordeum, inter molam vtramque conteritur, vt à farinæ farragine cantabrum secernatur: ita velut inter duos, legis scilicet, & Euangelij lapides, sanctæ Ecclesiæ doctrina commolitur, vt litteræ superficies à medullis Spiritus discernatur. Sed vt in his verbis non diutiùs immoremur, hæc hordei farina, sacri baptismatis aqua conspersa, siue conflata, & Sancti Spiritus igne percocta, fit panis, qui videlicet Madian castra subuertit, quia cunctas infidelium machinas destruit. Hic panis, iuxta veri illius interpretis coniecturam; Gedeonis est gladius; quia sicut Apostolus ait; *Gladius Spiritus, est Verbum Dei.*]

Sed & inter alias insignes Christi & Iosephi Patriarchæ conuenientias, quas plurimi protulerunt, nominatimque S. Ambrosius l. de Ioseph. cap. 3. Prosper pr. de promiss. à cap. 25. ad 31. Guerricus Abbas sermone 1. de resurrect. Dom. & fusè ac diligenter S. Ephrem in Iosephi laudatione, *initio*, ea est præclara, quam Prosper p. illa 1. operis de promiss. cap. 29. annotauit; nempe quod vt Ioseph fratribus suppeditauit panem, sic & Christus: cum ea tamen differentia, quod Ioseph alius erat à pane quem prouidebat; noster autem Ioseph, Christus Dominus, ex horreis suis, diuinam nobis sui corporis annonam administrat. Panes faciebant, fuisse Christi symbolum, alibi diximus ex S. Cyrillo. Hoc est firmamentum panis in terra, in summis montium, cuius fructus super libanum elatus est: vnde factum est, vt de ciuitate florerent vt fœnum terræ, iuxta Psaltis prænunciationem de Christo Verbo Dei carne obducto.

230. Panes primitiarum, tametsi duo erant, vnum tamen Christum expressisse, pulchrimè prosequitur Petrus Cellensis l. de panibus cap. 7. [Dominicæ (inquit) dispensationis incarnationem, per Spiritum sanctam in vtero Virginis adimpletam, obumbrabat legislator, cum diceret; *Panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ, coquendos in primitias Domini.* Qui enim tũ panes primitiarum duo, de duabus decimis similæ fermentæ; nisi duæ puræ & perfectæ naturæ, in vna persona Christi Iesu inseparabiliter coniunctæ? Fermentum enim hic, non coagulum corruptionis, sed operationem significat inseparabilis vnitionis. Hi coquuntur in primitias Domini; quia Dei & hominis eadem persona, in vtraque naturarum suarum compactarum, primogenitus siue primitiæ dormientium, ab Ecclesia Catholica appellatur & creditur. In natura quidem diuinitatis; ante omnia natus est de Patre; In natura verò humanitatis, in fine seculorum editus ex Virgine. In eiusdem certè Virginis clibano, cocti sunt panes isti, quia Verbum & caro sic fuerunt ad inuicem coniuncta in vtero Virginali in vna eademque vnitate personæ, vt vltra non diceretur separatim homo, vel Deus; sed diceretur vna persona, inseparabiliter, homo Deus. Et duo quidem sunt panes, secundùm Moysem, propter inconuertibilitatem naturarum, nam sine confusione manserunt; & aliud habet principium de Principio. Sine tamen principio, natura diuinitatis; vtique Patrem: & aliud principium scilicet cum principio existendi; natura humanitatis, vtique Virginem. Nihilominus vnus panis est; propter vnam eamdemque personam; iuxta Apostolum qui ait; *Vnus panis, vnum corpus, multi sumus in Christo.* Sed quare Moyses duos, Paulus, vnum vocat panem Christum? Salua fide & authoritate maiorum, potest dici, (vt mihi videtur,) quia in tempore *Moysis, reipsa nondum facta fuerat incarnatio* Christi; & idcirco, quasi duo panes *erant illa duæ naturæ: quarum vna in* maiestate sua & Patris existens; altera, nondum in propria essentia apparens; prædestinatione quidem sola coniungebatur, nondum autem assumptione vel vnione. Tempore verò Pauli; id est, gratiæ (nam post Ascensionem Domini vocatus est,) assumptione hominis à Verbo, iam celebrata; vna eademque persona Christi, ex duabus & in duabus naturis (diuina scilicet & humana,) subsistens, prædicatione Apostolica excellebatur. Vnde, non immeritò Paulus ad personam attendens, vnum dicit: Moyses, duas naturas intuens, duos panes nominauit: Ille personam non diuidens, iste naturas non confundens.

Potest etiam huc referri, quod locus in quo Christus nasciturus erat, prædocente Spiritu sancto, Bethleem, id est *domus panis*, est appellatus In quam rem suauissimè philosophatur S. Bernardus serm. ad milites templi cap. 6

De Christo pane, loca noui Testamenti.

291. In nouo testamento, locus illustrissimus de Christo pane habetur Ioan. 6. Non me latet dissidium Doctorum circa panem de quo eo capite agitur. Quidam enim contendunt, omnino agi eo capite de Christo pane prout est in Eucharistia, quod definitum esse in Concilio Ephesino, vt Sanctesius repetit 6. cap. 5. & 6. potestque etiam adduci Tridentinum, quod sess. 13. cap. 2. verba illa *qui manducat me* & ex eo 6. capite petita, exponit de Eucharistia: de qua, agi eo capite, latè confirmant Ribera, Maldonatus Pererius, Toletus ibi, Sanderus lib. de eo sexto capite, Bellar. lib. 1. de Eucharistia à cap. 5. Alanus lib. de Eucharistia cap. 31. Turria lib. 1. de Eucharistia cap. 12. Vasquez 3. p. disp. 179. cap 4. Suarez tom. 3. 3. p. disp. 46. sect. 2. Alij verò negant agi eo capite de pane Eucharistico, sed affirmant, agi tantùm de Verbo incarnato, quod est panis animorum. Ita Armacarius lib. 9. de qq. Armenorum cap. 8. Hesselius in assertione veritatis Eucharistiæ, Iansˌ cap. 59. concor. Caietanus Ioan. 6. qui maximè in sententia firmantur, quod eam commodam putent ad declinandum argumentum quod ex eo 6. capite peti videretur pro necessitate communionis laicorum sub vtraque specie, si illud caput de pane Eucharistico exponeretur. Mihi, vt certum planè apparet, agi eo capite de Eucharistia, ita quod plerique è prioribus Auctoribus notarunt, primò agi de Christo per incarnationem pane nostro, perspicuum videtur. Agebat enim Christus Dominus ad plebem panum miraculo excitam, de pane materiali & corporeo. Inde pro more suo ad panem spiritualem adrepsit, & sicut Ioan. 4. occasione sensibilis aquæ, sermonem transtulit ad aquam vinam ita hic occasione panis corporalis, cæpit agere de spirituali animorum pane, quem duplicem proposuit, Nempe primò seipsum quatenus Verbum incarnatum & fide viua manducandum, dicens; *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum.* E de Christo tali cibo, ait ibi August. tract. 25. [Vt quid paras dentem & ventrem; crede & manducasti] Euseb. l. 3. de Eccles. Theol. contra Marcellum Ancyr. c. 12. hunc locum Euangelij, contra distortam

Marcelli interpretationem latè scrutatus, panem & potum carnemque & sanguinem, de quibus Christus ibi disserit, ait esse ipsos Christi sermones, quos fideles sumunt, aut glutiunt: quod quantum ad rem presentem attinet, eodem recidit quo panis ille primus à Christo propositus iuxta D. Augustinum. Secundò vlteriùs per eandem occasionem proponit Christus seipsum, vt dandum aliquando sub specie panis in Eucharistia: mirum cũ ait, *caro mea verè est cibus.* Et *panis quem dabo*, (en *dabo*) *caro mea est.* Si enim de se tantùm vt fidei obiecto loqueretur, toto eo capite, non diceret *quem dabo.* Igitur Christus Dominus eo loco, ita de se vt in Eucharistia dando in cibum sensibilem differit, vt tamen de se quoque vt per incarnationem vero animorum pane, nonnulla præmiserit.

292. Non pauci Patrum, ad Christum referunt petitionem illam orationis Dominicæ, *panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Putant enim nos edoctos non fuisse, petere tantùm materialem panem, sed ἐπιούσιον vt habet vox Græca, respondens Hebrææ voci *segula*, quam 70. περιούσιον frequenter vertũt. Symmachus solet interpretari ἐξαίρετον id est, *egregium, præcipuũ, exquisitum*: quam interpretationẽ vocis in Dominica precatione adhibitæ, commendat S. Hieronymus in c. 6. Matth. & in cap. 2. ad Titum, circa illa verba, *populum acceptabilem.* Liquet autem, eam cadere non posse in panem hunc materialem, qui tanti non est, nec debet peti exquisitus aut supersubstantialis, vt plerique vertunt vocem Græcam ἐπιούσιον, eo quod hic panis vt notat D. Hieronymus, sit supervniuersas substantias. Itaque vt rectè tradit Tertull. l. de orat. c. 6. [Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Spiritaliter potiùs intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ.* Et paulo supra: *Panis est sermo Dei viui, qui descẽdit de cœlis.* Tum quod & corpus eius in pane censetur; *Hoc est corpus meum.* Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.] Perspicuum est ex particula copulatiua, qua probationem tertiam suæ interpretationis orditur dicens, *Tum quod &*, Tertullianum in anterioribus & posterioribus verbis, agere de Christo pane extra Eucharistiam; & velle, sensum petitionis esse, vt detur nobis coniunctio cum Christo, eiusque tamquam veræ escæ nostræ fruitio. Quare interpretatio panis petiti, de Christo pane animarum, etiam extra Eucharistiam, probabilis & idonea est, cum sit Patrum plurimorum vt Marij Victorini lib. 1. contra Arium, Rustici Diaco. l. contra Acephalos & aliorum quos appendunt Dur. lib. 2. de ritibus cap. 46. à num. 61. & interpretes Matth. 6. Cur autem hic panis dicatur *quotidianus*, Græcè ἐπιούσιος, præter ea quæ de huiusmodi voce eruditè ibi protulit Maldonatus, addenda est perelegans obseruatio Caninij l. de locis noui testamenti c. vltimo, qui secutus S. Hieronymum id referentem ex Euangelio Hebræorum, demonstrat Græcam vocem, respondere Hebrææ quæ idem significet quod *crastinum*: vt proinde petamus *panem crastinum*, siue *panem posteridie*, nouata enim voce ἀπὸ τῆ ἐπιούσιον, quod Græci nullum haberent nomen quo vox illa Hebræa adiectiua exprimeretur, vocauit, ἐπιούσιον panem, id est panem crastini diei. Fit autem alluſio ad panem de cœlo, siue manna, cuius copia fiebat in parasceue, vt Sabatho esset vnde viuerent Hebræi. Vt ergo doceremur instare Sabathum, nosque esse in perpetua parasceue ad vitam æternam, petimus, Christum panem Sabathi, & panem vitæ futuræ, nobis concedi. Alia pleraque minutiora loca, quibus Christus etiam extra Eucharistiam, *panis* dicitur, piget accumulare, cum sint protritissima.

Christum panem denominandi, rationes variæ ex Patribus.

293. Rationes eiusdem denominationis, suppetunt complures. In primis, panis cum sit primarium alimentum & vitæ sustentandæ adminiculum præcipuum, est figura vitæ, vt ait S. Cyrillus lib. 15. de ador. (384) Esse autem Christum vitam, ipsemet professus est. In quam rationem reuoluitur secunda qua Christus panis dicitur, quia est cibus animarum. Eam sic proponit, & alia subtiliore roborat Isido. Pelus. lib. 1. epist. 360. [Panis Dominus appellatus est, ipsemet sibi hoc nomen imponens: si sensum eum, qui prima fronte se offert, spectes, quia salutis cibus omnibus extitit: si autem abditum & arcanum, quia humanæ consperſionis fermentum copulauit ac perpugauit, atque diuinitatis suæ igne velut excoxit, atque vnâ cum eo persona, atque vna adoranda hypostasis factus est.] Esse Christum panem, quia cibat, non est ad homines arctandum, iuxta Fulgentium, cuius illa sunt serm. de dupl. natiuit. [Dies æternitatis, Christus Deus, de Deo Patre: Christus in die temporis Deus homo, de Virgine matre. Christus dies æternus, Verbum eructatum de corde Patris: Christus in die temporis, Verbum caro factum, de vtero Virginis matris. Christus dies æternus, Deus verus de Deo vero: Christus in die temporis, sponsus procedens de thalamo suo: Dies æternitatis, Christus, Angelos sanctos creans. Dies in tempore Christus homines saluans. Dies æternitatis Christus in cœlo sanctos Angelos pascens. Dies temporis Christus, homines in terra reficiens. Vt enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo, vtrosque pascens, & integer permanens. Quàm bonus panis, qui & Angelos pascit per spem vt de ipso satientur in patria, & nos pascit per fidem, ne deficiamus in via? Ille panis, qui seipsum dat Angelis, gaudium stabilitatis, seipsum dedit hominibus, ad remedium sanitatis; & qui est Angelorum esca, nobis factus est medicina.]

Tertia ratio cur Christus dictus sit panis, suggeritur à Clemente Alexandrino l. 1. pedag. cap. 6. his verbis. [Panis notandum est mysterium, quod ipsum dicat carnem, vt quæ per ignem resurgat: quemadmodum ex corruptione & satione frumentum resurgit; atque adeò quæ etiam per ignem consistat, in gaudium Ecclesiæ, vt panis qui pinsitur.] Idem ex transitu panis in corpus nostrum, confirmat Nyssenus in orat. Catechet. cap. 37. [qui panem videt, (inquit,) humanum corpus videt quodammodò, quod cum ille in eo fuerit, hoc fit.] Iuuat verò, vt hæc ratio liquidius deprehendatur, & quod Clemens subobscuriùs dixit, perspiciatur à pertiùs, recolere quod in Scalis à visibili creatura ad Deum gradu 9. ex Meletio aliisque notaui, de naturali in nobis molendino, & alueo pistorio, ac clibano. Eodem namque proportionaliter modo, panis apratur vt in nostram carnem vertatur, quo granum vt fiat panis edulis. Sicut enim granum subijcitur molis duabus, perque eas attritum & in farinam comminutum, adhibita aqua, transit in massam, quæ pinsitur & clibano immittitur; ita panis molis duabus, maxillis inquam & molentibus in eis, (sic enim dentes vocantur Ecclesiastis 12.) subigendus committitur; tum ad alueum stomachi affuso potu deijcitur, tandemque hepatis & adiunctarum partim calore veluti furno coquitur, (vt propterea clibanorum artificium inde petitum tradat Possidonius apud Senecam epist. 90.) & tum demum in carnem transit.

Meritò igitur corporis nostri ac carnis symbolum habetur panis, ac proinde Verbum caro factum, & corpore nostro obtectum, non abs re panis appelletur. Eius micas esse dogmata fidei de Christo, motat S. Ambros. lib. 8. in Lucam ad illud *cupiens saturari de micis;*

vbi

vbi etiam diserè ait, Christum Dei Verbum, esse panem illum. Accedit ipsa panis structura, quæ aptissima est ad exhibendum Christum, eiusque compositionem: de quo audi Humbertum Episcopum Syluæ candidæ l. contra caluminas Michaelis. [Romana & Occidentalis Ecclesia, à ministris sacri altaris in secretario consectum offert azymum, quod ex grano fermenti & limpida Lympha per ignem fuerit præparatum; significans se in vna mediatoris Dei & hominum, hominis Dei Iesu Christi, persona, tres perfectas credere, & veneranti substantias: humanam scilicet carnem, animam rationalem, & Verbum Dei, Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cœlesti, non autem aliqua commixtione virili factum, omnipotens diuinitas animauit. Puriorem substantiam, id est animam, quasi aquam præclaram & nobilem, ei infundens. Quasi geminas substantias, ab ipsius Virginalis conceptionis exordio, Verbum Dei ritè susceptit, & mediante suæ diuinitatis calore, tamquam igne, sibi construxit, & consolidauit.]

In eandem rem Christiani ritus antiqui, & Latinorum, & Græcorum.

294. Et huc crediderim respexisse, crebrum olim vsum panis in Christianæ communionis Symbolum; cum in publicis, tum in priuatis inter amicos elogiis. Iejunius enim philosophati videntur, qui concreti panis compactione ex pluribus granis in farinam comminutis, & aquæ iniectu commistis, non aliud quàm concordiæ & beneuolentiæ Symbolum, in eo munere agnouerunt. Eo autem sensu non excluso, sublimiùs cogitabimus, si vitos in Christum semper inentos, panem tamquam Christi conuenientissimum Symbolum adhibuisse, arbitremur: & ex ea vnione qua Verbum corpori nexum est, & caro factum, optimè per panem adumbrata, inuitatos dicamus ad vnionem & charitatem eos quos tali munere donabant. Sic S. Germanus Antissiodorensis Episcopus, Rauenam appulsus, cum à Placidia Augusta paropsidem auream exquisitissimis dapibus refertam accepisset, remisit ad eam in lignea scutella panem hordeaceum. Similiter S. Paulinus Epistola 46. Romaniano quinque panes mittat, de buellato (vv ait) Christianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus. Plura ex eo loca annotat Rosuedius ad epist. 41. Eidem S. Paulino S. Augustinus epist. 34. panem similiter destinat, munus sacrum. Benè multa in eam sententiam colligit Steph. Durantius lib. 2. de ritibus c. vltimo, & Baro. anno 313. *ad finem.* Ipsa sanè prisca formula benedicendi panem, quæ apud Burchardum legitur lib. 5. cap. 28. demonstrat quo respiceret ea panis benedictio & missio. Nam in ea formula, interpellatur Pater per Christum, panem vitæ qui de cœlo descendit, & dat vitam & salutem mundo.

295. Iuuat, huic ritui duos alios eodem facientes adiungere; alterum ex S. Dionysio cap. 3. Eccles. Hierar. *sub finem*: vbi describit sacrificium Christiani Antistitis, post præmissam ad Deum excusationem & contestationem, quod non nisi iussa eius capessens, ad tantum opus aggrediatur, [Venerandissima (inquit S. Dionysius) mysteria consummat, & laudata oculis subiicit, in signis sanctè propositis. Sanè opertum panem & individuum aperit, in frusta concidens, & singularem calicem omnibus impartiens, vnitatem signanter multiplicat atque distribuit: inque his consummat cœleste mysterium. Vnum enim illud & simplex atque secretum Iesu diuini Verbi nostræ humanitatis assumptione ad compositum atque visibile sine immutatione sui, per summam clementiam benignitatemque processit; Societatemque nostram, qua sibi iungeremur, beneficentissimè excogitauit, nostra humilia diuinis suis excellentiis iungens; Si quidem, & nos illi tamquam membra corpori congruamus, & per vitæ sinceræ ac diuinæ similitudinem compaginemur: ne corrumpentibus mortificati vitiis ad diuina & sanissima membra incongrui efficiamur, vt qui hærere, eademque vita viuere nequaquam valeremus. Oportet enim nos, si ad illius aspiramus societatem, diuinam ipsius in carne vitam intueri assiduè, sanctamque ipsius impeccantiam imitando, pro viribus ad sacrationem habitum exactissimamque recurrere intelligentiam: ita enim conuenienter nobis Societatem ad similem consortium largietur. Ita hic quæ mysticè fiunt, Pontifex signat, dum operta munera in apertum ducit, ipsorumque vnitatem in plurima diuidit: & perfecta Sacramẽtorum sic distributorum, ad ea in quibus fiunt insitione, socios eorum, illos qui ea præceperint, efficit. Describit enim in his, fermè sensibiliter in conspectum dans, Christum Iesum, nostram spiritalem, (vt in imaginibus) vitam, ex diuinitatis occulto (perfecta & inconfusa nostræ mortalitatis assumptione,) clementissimè proprietaté ex nobis accepisse, atque ad diuisibile nostrum, sine immutatione sui, ex vnitate naturali processisse, perque hanc beneficam clementiam, ad participationem sui suorumque bonorum, inuitare genus humanum, si tamen ipsius sacratissimæ inseramur vitæ, ipsam quantum fas imitando; sicque veraciter consortes Dei, diuinorumque participes efficiamur.] Manifestissimè refert S. Dionysius, ritum sacri panis, ad Incarnationis expressionem.

296. Est & alius Græcorum ritus, Christum significans per panem non consecratum, sed in honorem Christi sepositum, quem ex Græcorum Horologio, titulo *de exaltatione Panagia, quomodo facta sit, & quare*, placet exhibere, paucis etiam adscriptis quæ ad Christum non pertinent, sed ad Deiparam; vt *Panagia* nomen, de quo Caluinianus Curopalatæ Scholiastes meras fabulas obtrusit, perspiciatur. Ita ergo habet horologium. [Post Sernatoris nostri tremendam Resurrectionem, & Spiritus sancti descensum, vsque ad diuisionem Apostolorum prædicandi causa, versabantur simul omnes Apostoli concordibus animis; & cum post orationem mensæ accumberent, relicto vacuo loco, in eo puluinat ponebant, & super puluinar partem panis, ex quo comedebant vice & loco Christi, sumpto autem cibo surgentes, & precantes, & gratia agentes, accipiebant fragmentum panis in partem Domini sepositum; & cum id eleuarent, dicebant; *Gloria tibi Deus noster, gloria tibi gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Et loco eius *Magnum nomen*, & dicebant, *Christus resurrexit*, vsque ad Ascensionem. Ab illo tempore vsurpabant illud: *Magnum nomen sanctæ Trinitatis. Domine Iesu Christe adiuua me.* Et hæc quidem isto modo peragebant. Faciebat autem hoc quilibet illorum, vbicúque tandem degeret, vsque ad obdormitionem Deiparæ. At quando ex toto mundo in vnum conuenerunt, ducti per nubes, propter translationem Dei genitricis & Dominæ, iustis persolutis, post sepulturam illius, videlicet tertia die, sese refocillantes, & post sumptum cibum surgentes, fragmentum panis, quod Christo sepositum & destinatum erat; more consueto exaltarunt; cumque irlud: *Magnum nomen* pronunciarent, (ô inopinatum miraculum;) quæ mortua fuerat, viuentis instar, nubibus & lucidissimis Angelorum choris circumdata, in sublimi apparet: *Auete* (inquit,) *ego vobiscum sum, omnibus diebus*, hoc solatium & gaudium Verbis filij illi impertiens. Discipuli autem miraculo obstupefacti, loco eius: *Domine Iesu Christe*; exclamarunt; *Panagia* (sanctissima) *Deipara adiuua nos.* Deinde ad sepulchrum euntes, nec inuento sanctissimo corpore verè sibi persuaserunt eam tertio die, instar sui filij, corpore rursus indutam ex mortuis resurrexis-

se ; & in cœlum assumptam esse.] Vides quid sit panagia, & quomodò, (licet eius ritus vsurpatio adiunctam tandem habuerit Deiparæ inuocationem, vnde nomen *panagia*) tamen exordia, Christum panem vitæ respexerint, eumque sub panis specie adumbrarint.

Christo pani conficiendo, è qua terra granum, & vbi molitum.

297. Operæ pretium porrò videtur, ad Christi panis nostri vsum & confectionem liquidius deprehendendam, vniuersas eius conficiendi causas, materiales & effectrices, ijs quæ ad panis materialis confectionem interueniunt proportionales, repræsentare ex varijs Patribus, qui huiusmodi panis & Christi similitudinem frequenter vsurpant. Cum verò constet, panem ex grano confici, hoc autem existat è terra, initium faciendum videretur à terra grani nostri. Sed quod hanc, nemo non videat esse Deiparam, de qua sub *terræ* metaphora multa sunt dicta lib. 2. sect 5. obiter tantùm nunc dico, eam ob causam, sanctissimam Dei matrem à S. Damasceno orat. de dormit. Deiparæ, dictam, *terram inarabilem cælestis panis*. S. Augustino serm. 18. de temp. Virgo sine corruptione fœcunda, cõfertur [terræ in eremo, cuius semen arator nullus induxit.] A Proclo orat. de natiuit. t. 6. Conc. Ephes. cap. 7. vterus Deiparæ nominatur, [arcanum ex quo naturæ colonus sine semine exortus est.] Eundem Deiparæ sanctissimum vterum, granarium, & horreum grani nostri, iure dixerimus. Nam etiam S Bernardus serm. 2. super missus est, in vtriusque Iosephi parallelis, id non omisit, quod vt Ioseph antiquus, horrea habuit quibus Aegyptum per tempus famis nutriret; ita & Ioseph Deiparæ sponsus, horreum vniuerso orbi pascendo in S. Maria habuerit. Acervum tritici in hoc horreo exhibuit Sapiens Cant. 7. à S. Ambrosio illustratus in institut. Virg. cap. 14. vt retuli proponens elogia, sanctissimi vteri Deiparæ.

Granum ex eo granario desumptum, molitum est mola tribulationis, & perpessionum, quæ Christo Domino grauissimæ iam à primo conceptionis suæ momento fuerunt, vt ait additio ad Glosam in cap. 2. Leuit. Legis & gratiæ molas, in farinam aptasse granum nostrum, ait Chrysol. serm. 71. Et scitè sanè S. Maximus serm. 2. de aduentu, legem & gratiam, conferri cum duabus molis demonstrat; annuitque Rupertus lib. 10. in Matth. *in ipso fine*, sic scribens. Itaque vt competenter Euangelica vtar similitudine molentis: Ait enim ipse Dominus; *Duæ erunt molentes in vnũ, vna assumetur, & altera relinquetur*. Hæc prophetica quasi mola inferior ponẽda est, & cœpta iam Euangelica narratio Dominicæ passionis superponenda, quasi mola superior, vt agente manu Domini circumacta volucri cursu, fructuosum frumenti granum salubriter nobis teramus, & de optima eius medulla cãdidissimum fartis panem in vsum vitæ æternæ conficiamus. Tale frumenti granum Christus est, qui de semetipso dicit; *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuũ fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Tale (inquam) granum est, vt molendo numquam dissipetur; eoque integro permanente, diffundi aut dissilire numquam desinat medulla eius.] Ecclesiasticas disputationes molis pulchrè confert S. Ambrosius lib. 1 de pœn. c. 15. Et his quoque commoli granum nostrum, dicere licet, cum tam crebræ sint de Christo disputationes in vtriusque sacris suggestis.

Farina, aqua, & alueus, pinsendo Christo pani.

298. Farinam sic commolitam, esse carnem Christi, ait Theophanes Ceramæus orat. de cruce apud Gretserum t. 2. de cruce. Materiam sanè ex qua homines compingentur, esse similem farinæ, & idcirco notari Hebræa voce *Golme* quæ grumum simile contusum & nondum pistum designat, S. Epiphan. hær. 30. scitè obseruauit, expendens illud Psaltis, *imperfectum meum*, quod perinde est ac si dixisset *farinam meam priusquam pinserer & formarer in panem viuum*. Quamuis autem ad formationem Christi defuerit materia seminalis paterna, tamen id quod veræ matres conferunt ad prolis efformationem, atque adeò vera farina ad sensum propositum, interuenit. Hanc farinam tametsi de nostræ naturæ aceruo depromptam, fuisse purissimam, dubitare non licet. Opifex namque huius panis, ait Petrus Cellensis l. de panibus c. 4. De massa humanæ naturæ, solummodò farinam incorruptæ carnis tulit, euentilando furfur iniquitatis, cribro Spiritus sancti. Adiuncta est farinæ corporis aqua, id est, anima, iuxta Anastasium Sinaitam 2. Hexameri, & Humbertum sylvæ candidæ opusc. de Azymo, posteà adducendum. De fermento Verbi, dictum plenè est cum de Verbo fermentante l. 2. sect. 5. His omnibus commixtis in aluo, imò alueo Virginis, ait Petrus Chrysol. serm. 99. per ipsam Virginem immittentem Verbi fermentum, cælestis massa confecta est. Hæc est enim mulier Euangelica, quæ in tribus farinæ satis abscondit fermentum, hoc est, Dei Verbi personam, animæ & carni commistam; (non refugio vocem peristque Patribus vsurpatam, vt supra vidimus aduersus Eutychetem agentes;) in vnam massam coagmentauit. Diuinè hoc tradit S. Bernardus l. 5. de consider. c. 10. vbi cum Verbum, animam, & carnem coniuncta in Christo præmisisset, addit. [Sed & illa tria Sata de Euangelio mixta & fermentata in panem vnum, Si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videbitur. Quàm benè ea mulier fermentauit, vt nec diuisione quidem facta carnis & animæ, à carne vel anima, Verbum diuideretur? Mansit & in separatione, inseparabilis vnitas. Nec enim quæ ex parte contingit separatio, potuit vnitati præscribere, permanenti in totis tribus. Siue coniunctis siue disiunctis duobus, nihilominus perseuerauit in tribus vnitas personalis. Æque vnus Christus, vnaque persona, Verbum anima & caro, etiam mortuo homine perdurauit. In vtero Virginis (vt sentio ego, commixtio hæc & fermentatio facta est: & ipsa, mulier quæ miscuit) & fermentauit. Nam fermentum non immeritò fortassè dixerim fidẽ Mariæ.] Alium locum S. Bernardi in hanc rem ex homilia 4. super *Missus est* profert Richardus à S. Laurentio l. 1. de laud. Virginis cap. 4. *sub finem*. Sed non est omittendus locus ex serm. 2. de natiuit. Dom. [Verbum (inquit) quod erat in principio apud Deum, & Deus erat,) anima quæ de nihilo creata est, ante non erat, caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua diuino segregata artificio, (qialis nulla iam caro erat.) vinculo indissolubili in personæ coëunt vnitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: Quod non erat, creatum quod perierat, reparatum; quod super omnia erat, paulo minùs ab Angelis minoratum. Hæc sunt Euangelica illa sata farinæ, quæ pariter fermentantur, vt sit panis Angelorum quam manducet homo, panis confortans hominis confirmans. Fœlix mulier benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superueniente igne sancti Spiritus, coctus est panis iste. Felix inquam mulier, quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit, &, vt ait Elizabeth, *beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt & à Domino*. Nec mireris, quod fide eius mediante vnitatem dixerim Verbum carni, quandoquidem & carnem ipsam de eius carne susceperit.]

Clibanus, Christo pani coquendo.

299. Quod in Deiparæ vtero coctum hunc panem ait S. Bernardus, astipulatores habet alios Patres. Vulgatissima sunt illa Epiphanij orat. de S. Maria. [Aue clibanus

clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum, mundo in escam attulisti,] Glossa idem disertè habet in c. 2. Leuit. & ibid. Hesychius planè insigniter verbis illis [Sacrificium coctum, Christi appellat incarnationem, ad hoc enim incarnatus est, vt immolaretur. Propter quod enm qui tollit peccata mundi, Ioannes Baptista appellauit, agnum Dei.]

Recte ergo hoc loco, sacrificium, vt denunciaret naturitatem eius dicitur coctum in clibano, Dei genitricis videlicet vtero; illa enim clibanus necessariè nominatur, quia & panes ignemque desuper clibanus suscipit, sicut & Dei genetrix, desuper vitæ panem, Dei videlicet Verbum, in suo vtero, ignemque susceptæ præsentiæ spiritus. *Spiritus enim* (inquit) *Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hunc Moyses, quando Deus ad Abraham disposuit seminis testamentum, clibanum commendauit, ait enim: *Quia occidente Sole ad occasum*, significauit finem mundi, *flamma facta est, & ecce apparuit clibanus ardens.* Et quid est hoc addidit *& fumigans, & transiuit per medium diuisionum. In die illa, pepigit dominus fœdus cum Abraham.* Quando enim cœlestis ignis, spiritus videlicet in clibano veri genitricis Dei venit, vt totas accenderet mundi partes, tunc testamentum Deus, Abraham, id est gentibus disposuit: Abraham enim *pater gentiũ* nominatur. Siergo munus offertes incarnationis vnigeniti, quæ in ventre virginis facta est, non aliter acceptum est Deo, nisi coctũ de simila, id ex Dei scientia, vel notitia fiat]

Richardus à S. Laur. l. 10. de Deip. pag. 595. cum alia plerique de hoc clibano habet, cum illud perbellè, quod sicut clibanus primò ignem, deinde panem suscipit, sic vterus Virginis, primò ignem, id est Spiritum Sanctum, secundò panem vitæ, id est Filium Dei suscepit. Et hic ordo designatus est ibi, *Spiritus Sanctus superueniet in te*; hoc primò *& virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Hoc secundò] Anastasius Sinaita 4. Hexameri, Virginem Deiparam confert fornaci Babylonicæ, intra quam visus est quartus similis filio Dei, id est Christus ipse, interprete Anastasio. Concinnissimè verò in hanc rem differit Petrus Cellensis l. de panibus toto c. 21. libabo quædam. [Clibanus, vterus est virginalis; ignis, gratia S. Spiritus, panis Incarnatio filij Dei.] Et mox. [Virgo igitur virginum, clibanus est ad panem suscipiendum, vel concipiendum, non consumendum vel vrendum. Ignem enim vrentem nunquam admisit, quæ carnis concupiscentiam non sensit: Ignem fumantem non suscepit, quæ non concepit iniquitatem: Ignem consumantem non nouit, quæ totem de cælis in corde & ventre plenissimè accepit. Virgo, inquam haec, non solùm clibanus est, Spiritum suscipiendo, sed Thalamus, Deum concipiendo, templum quoque cælũ viuendo. Clibanus est, prorsus dignè conuersando; Thalamus, ineffabiliter concipiendo: templum, hostiam viuam, Sanctam, Deo placentem, se offerendo: Clibanus ad panem præparandum; Thalamus ad Spõsum excipiendum; Templum ad Pontificem introducendum: Clibanus victum esurientium; Thalamus ad sobolem Christianorum; Templum ad emundationem delictorum.]

Esse sanè viscera hominis clibanum Orig hom. 5. in Leuit. probat ex Oseë 7. vbi cor impiorum, specie clibani succensi describitur. Possumus ergo eodem referre, quod iuxta Psaltem impij in tempore vultus Dei, dicuntur ponendi vt clibanus ignis. Possumus præterea eò adducere, quod Messaliani apud S. Augustinum Ide hær. fabulabantur; nempe eum qui à peccato purgatur, fœtem fœtam, siue serophan, & ignem flammantem intus succensum vomere; quod mysticè est verissimum. Nam & Satan, qui pectore hominis ab impietate penitentis cedere cogitur, à S. Gregorio specie visus est depelli è prostibulo Arriano, in templum Catholicum consecrato; & flamma concupiscentiæ intus succensa, idemmet cor quod haram diximus, vertit in clibanum. Itaque pectora multorum mortalium, sunt clibani ad coquendos panes mendacij, alioſque lapidosos & mortiferos panes, de quibus Cassianus l. 5. instit. cap. 21. At cor Deiparæ, eiusque vterus, fuit clibanus in quo panis vitæ in cibum vniuersi humani generis coctus est.

Clibani flamma; ardor Deiparæ in Christi conceptione.

300. Flammam clibani, duplicem video, alteram ipsiusmet Deiparæ, quæ in momento maximè concepius Christi, exarsit incendio amoris supra quàm explicari queat flagrantissimo. Quis enim dubitare possit, quin fuerit eo tempore collustratus Deiparæ intellectus, lumine ac splendoribus Sanctorum? At vt lumini commensus est calor, ita notitiæ intellectus, flamma voluntatis. Neque verò qualiscunque flamma concipienda est; sicut neque lux qualiscunque, etiam supra naturæ ordinem, intellectum Deiparæ collustrauit per tempus illud; sed planè eximia & omnino singularis. Nec desunt grauissimi Scriptores, quos Suares t. 2. 3. p. d. 19. sect. 4 commemorat, & probabiliter philosophatos non ambigit, qui tradant, Deiparam in eo momento, vidisse Deum. Sunt in ijs Antoninus, Gerso, Albertus, Richelius, Vbertinus, Villanoua, atque Medina. Adde etiam Bruliferum serm. in illud *Verbum caro factum est*, & latè Mendocam l. 2. florum sacrorum problem. 10. Et qui de alijs item temporibus quorundam mysteriorum in Virgine diuinitus editorum, idem affirmat: sed de nullo tempore aut mysterio, tanto iure, quanto de eo quod in præsentia proponimus, asserere id licet. Notauit eos Salazarius l. de concept. cap. 32. §. 4. At quanta sit flamma visionem gloriæ consequens, nemo satis explicet verbis nostratibus. Richardus sanè Victorinus l. de sacrif. Abelis & Mariæ, & suo cap. 10. in Cant. flammas omnes nostrates, præ cælestibus illis, flammas pictas arbitratur. Dei enim ignis in Sion, & caminus eius in Hierusalem. Igitur Deipara, in puncto conceptionis Verbi, si clarè Deum contuita, est, vt quò pertingeret maternitas quam tunc cõtrahebat, posset perspicere, & decus inde suum quantumque Deo obstringeretur, agnoscere; incendijs plusquàm Ætneis conflagrasse dicenda est, vereque clibanus fuisse, non fumans, sed inflammatissimus. Vt mirum non sit, illam, præsertim à momento concepti Verbi Dei, æstuasse semper incredibili amore in Deum: & quod de matre Samuelis obseruat Chrysostomus, post hunc multo magis gratiæ fœtum quàm esset Samuel, piam mattem in fœminam alteram euasisse. Id quod etiam narratur in vita S. Elzeerij, de eius matre, quæ ex quo benedictum illum fructum concepit, tantam mundi contemptionem simul concepit animo, vt ægrè inhibita fuerit, ne sæculo abtecto ad religionem prægnans abiret. Quanto potiora & sublimiora censebimus fuisse Deiparæ in omnem virtutem & sanctitatem desideria, ex quo ipsum Dei filium, de Spiritu sancto concepit? Hæc vna, clibani panem vitæ coquentis, flamma.

Item feruentissimi actus animæ Christi, in primo suæ productionis momento.

301. Alteram, panis ipse vitæ, habuit intrinsecam. Quis enim humanus intellectus penetrare, & multo minus enunciare valeat, flammas pectoris Christi, in momento conceptionis suæ? Fuit quidem semper in altari pectoris Christi, ardens ignis diuinus, nunquam decrescens, nunquam imminutus, si spectetur flamma consequens visionem gloriæ. Erignes quoque habituales, quotquot Christus habuit, vt nullum decrementum, sic neque incrementum sortiti sunt vnquam.

Tamen

Tamen erumpentes inde scintillæ, actus inquam voluntatis, subiuncti notitijs supernaturalibus beatificâ inferioribus, non fuerunt semper pares, eiusdémve incensionis. Nec dubium videtur, quin primo illo ex ortu, Christi sanctissima anima tot se Dei beneficijs propè oppressam videns, in actus feruentissimos & æstuosissimos eruperit. S. Ambrosius l. de instit. Virg. c. 16. & alij apud eum lib. 3. de fide cap. 7. putant, in persona Christi in eo statu constituti, dixisse Dauidem Psalmo 138. *in operatum meum viderunt oculi tui*; sic enim legit quod in vulgata habetur, *imperfectum meum*; vt sensus sit. Christum paruulum, in primo ortu, & cõceptione, dixisse Patri, *vidisti ab æterno hoc meum corpusculum, non factum virili opera.* Quare ex S. Ambrosij sententia, cæteri quoque eiusdem Psalmi proximè antecedentes versiculi, qui de humana formatione perspicuè agunt, ex Christi persona in hoc primo ortu proferuntur; cum dicitur, *quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ*: id est tu formasti, & iure formationis possedisti, corpus hoc meum: nam me suscepisti formandum in ipsomet materno vtero. S. Hieronimus vertit *orsus es me.* Ex quo liquet, susceptionem illam non intelligi de susceptione in eggressu ex vtero, sed de ea quam dixi molitione in vtero materno. Tantam autem in se formando & exornando Dei magnificentiam contuens, exclamat continenter ad Deum, opificem & exornatorem suum *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Hebræa habent, *terribiliter magnificatus sum*; estque metaphora, vt hic obseruat S. Chrysostomus, ducta ab immani altitudine, ex qua cum qui deorsum prospicit, terrore percellitur. Similiter enim Christus, altitudinem diuinorum erga se beneficiorum, exquisitè pernadens, & immensum propè internallum, quo magnitudo perfectionum quas diuinitus acceperat dilatata est, exactissimè dispiciens, velut terrore, id est admiratione & sancto ac reuerentiali diuinæ Maiestatis timore percellitur; contestaturque, animam suam, in ea beneficiorum & diuinæ erga se largitatis mole cõtemplanda, nunquam inertem aut tepidam fore. Quæ sequuntur, vix egent applicatione aut explicatione, cum perspicuè cadant in rem presentem sintque enodia & expedita. *Non est* (inquit) *occultatum os meum à te quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* Ossium specialiter meminit & commissuræ eorũ, quia est in corpore veluti carina in naui, vt Galenus animaduerit. *Inferioræ* verò *terræ*, sunt viscera materna, intra quæ, corporea Christi substantia, compacta est, & creata anima eius sanctissima. Ibi *imperfectum meum viderunt oculi tui.* Quemadmodum Deus auctore S. Hilario, imperfectus dici potest, si vox *imperfecti* sumatur pro eo cui non accessit perfectio: ita Christus *imperfectus:* dici potest, quia subitò elaboratus est, nec vti nos pedetentim dispositus est eius substantia. Eandem *in operatum Christi*, vocabat S. Ambrosius, quia non est ab homine (si per Priscianum liceat,) operata. Christus enim sine manibus, id est absque virili opere exortus est. In his Psaltis versiculis, quanta lateat materia, non iam igniculorum, sed incendiorum, puto vel leuiter cogitanti esse perspicuum.

Suggerit verò Eusebius l. 10. de demonstr. c. vltimo, vnde insuper intelligamus ardentissimos in hoc suo primo momento, Christi erga Patrem affectus. Verba enim illa Psalmi 21. *Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero; de ventre matris meæ, Deus meus es tu,* Eusebius refert ad Christum, inde sibi per tempus passionis captantem angorum lenimen, quod is ipse Deus, qui ei in vtero ab ipsomet exordio Deus & pater fuerat; & cuius iam tunc agnitam Maiestatem adorauerat è materni vteri cella, non esset suauissimo filio, in ærumnis mortis acerbissimæ, defuturus. Expendatur verò illud maximè *in te proiectus sum ex vtero.* Apertè enim fert, Christum iam ex vtero matris, & cum non esset differendi ratio vlla, iam ex primo momento, proiecisse se in patris sinum; eius se nutibus & prouidentiæ totum commisisse, oblatis illi corpore, anima, & omnibus quibus donatus à Deo erat prærogatiuis; sed præsertim vita, iam tunc in sacrificium addicta Deo pro vniuerso humano genere. Itaque verum fuit etiam tunc quod aiunt Ethetius & Beatus l. 1. contra Elipan. pag. 354. [Illum panem, quod corpus est Christi, lignum crucis coxit.] id est, actus illi feruentissimi quibus Christus se cruci iam ex materno vtero addixit. Quæ flammæ, qui carbones igniuomi ex his actibus emicuerint, nihil attinet dicere. Durasse hos ignes solidum nõ mestre, aduertit Richardus à S. Laur. lib. 10. de Deipar. post expositum clibanum. [Decoctus (inquit) fuit hic panis igne charitatis ipsius, & hoc nouem mensibus, in natiuitate eductus est de clibano. Vnde Filius dicit Patri, *Tu es qui extraxisti me de ventre.*

Nec non perpessiones Christi in vtero, quoad corpus.

302. Habemus autem insuper alias Christi flammas & ignes, in virgineo clibano. Non rarò in Scripturis, flammarum & ignis nomine veniunt aspera & dura quæ quis subit. Vnde Deuter. 4. & 3. Reg. 8. ac Hierem. 11. sæpeque alibi, filij Israel æruminis innumeris in Ægypto oppressi, dicuntur fuisse in fornace. Ipsam combustionem & pœnam ignis, non rarò in scriptura idem esse quod graue quodcunque supplicium, docet agens de Achani supplicio Salianus t. 2. annal. Caminus paupertatis in quo eligitur iustus, vt Deus ipse cõtestatur, incommoda per pauperatem subeunda, quosdam ignes esse confirmat. Tandem Radulphus l. 1. in Leuit. cap. 2. per clibanum succensum, tribulationes huius vitæ intelligendas tradit iuxta hæc, lectori vel mediocriter attento perspicuum esse poterit, quantæ fuerint Christi in materno vtero flammæ & ignes, cum tantæ ibi fuerint eius perpessiones & ærumnæ,

Cuius rei gratia, considerandus obiter est, status pueri in materno vtero. Eundem enim statum Christus Dominus intra matris vterum habuit, quem inibi sortiuntur alij infantis. Hunc autem infantis in materno vtero statum, exhibent physici ac Medici. Incuruus totus & contractus, talos ad nates applicat: manibus genua apprehendit, in quæ sic caput demittit, vt oculi pollicibus manuum veluti assignantur; nasus verò procumbat inter genua. Si mas est, priorem corporis partem in matris abdomen, posteriorem in dorsum, vergentem habet. Si fœmina; aduerso situ collocatur. Quamdiu fœtus eo statu cõtinetur, nec spiritum ore ducit, nec thoracem distendit, & contrahit, nec vitales vllos spiritus procreat, nec cordis & pulmonum motus subit; sed sola transparatione reficit singularum partium calorem. Nutritur per vmbilicum hausto materno sanguine, qui hepati prolis immittitur ei attemparandus. Inde excrementitiæ sanguinis partes in fœtus intestina demissæ, in nigrum & lutulentum sanguinem commutatæ deiiciuntur in partu vnà cum fœtu, qui carceris illius & pœdoris pertusus; acetabula seu oscula venæ spermaticæ per quam matri connectitur; & membranas quibus obvoluitur, crebra impulsione & conuolutione disrumpit, ac vt maturum malum, ab arbore soluto pediculo auellitur. Vides quanto iure S. Nilus orat. 1. de Pasch. apud Phot. Cod. 176. Sic scribat de nostra intra vterum formatione, & cõmoratione exituque exeo. [Formatur tanquam in sepulchro, in vtero, nõdum exsistens infans, naturæ fascijs inuolutus, & similis est mortuo fascijs sepulchralibus circũsto. Nã mortuorum quidem vultus, arctiùs concluſus est, os in vtero mutum, manus & pedes in ventre tanquam in tumulo extenduntur. Matrix egregium fœtibus sepulchrum

pulchrum est, & sepulchrum quidem sœtoribus non carens. Tali fœtus formatus in sepulchro, formantis natum vocatus sequitur.] Hæc considerans Guerricus Abbas serm.3.de Annunc.intrepide affirmat,hanc Dei hominis infirmitatem vt tempore primam, sic omnium maximam extitisse, & nunquam sic esse eximanitum fic à seipso defecisse.

Ac etiam quoad animam.

303. Verùm hæc incommoda, sunt solius corporis: animæ verò sunt multo plura & grauiora. Gregorius Palamas in corporis & animæ prosopopeia, describens querelas animæ in corpus, animam duplici sepulchro, velut Saram in spelunca duplici,conditam exhibet: nã corpus, animæ est tanquam sepulchrum ; vnde illud Platonis quod σῶμα sit veluti σῆμα Corpori verò, tanquam alterum sepulchrum priori obductum, est maternus vterus.Et liceat sanè hac ratione non duplicem modò,sed etiam quadruplicé, animæ sepulchrale eellam agnoscere. Nam præter ipsum corpus quod animæ sepulchrum vocat palamas, & vterinum corporis sepulchrum quod idem agnoscit, aitque esse locolum duplicem;habemus secundinas, siue membranas illas multiplices quibus fœtus obuoluitur, & intra quas conditur tanquam intra monumenta. Vn imeredinæ fœtum obuoluens, & sudoris ex fœtu materni receptaculum, dicitur *amnios*, vel *charta virginea*. Secunda quæ illi apponitur, dicitur *corion*. Tertia quæ est vrinæ fœtus receptaculum ad partum vsque, non omni ex parte ambit fœtum : diciturque *allantoides*. Hanc non agnoscit pro humano fœtu Laurentius c.5.alij tamen agnoscunt.En igitur benè multos fœtus loculos, internos & abditos. Exterior deinde matris venter siue abdomen pro antemurali & anteriore sepulchro numerari debet. Quis igitur non videt, quàm miser & miserandus sit, quamque ærumnosus infantis fœtus quoad animam ; in materno vtero, tam multiplici vallatam atque conclusam ; quodque miserabilius est, vi status illius omni propè actione sua prohibita præterquàm vegetatione, & obscura sensatione?

Ad has ærumnas Christus nostra causa se demisit. Et quamuis de hoc argumento, & sobriè & cum omni reuerentia sit agendum ; tamen dignum est, exordiorum nostrorum illuuiem & ortus nostri abiectionem recognoscendo, Christum quod eam paupertatem ac pudorem humani exordij transcurrere voluerit, (vt S.Hilarius l.12.de Trinit.*sub finem* dixit,) eo impensius venerari. Scio non omnino eodem modo de Christo quoad hunc statum, & multo minus quoad eggressum ex vtero, philosophandum esse,ac de alijs infantibus. Quo enim mundior, & rectè affecto corpore erat Virgo mater ; & quo opifex huius conceptus, diuina manus, nitentior & purior fuit, eo maiorem quàm in alijs foetibus, agnoscere in isto nitorem ac puritatem, par est. Tamen qui ad nostram vsque naturam exinaniri & dejici sustinuit,nostri ortus vilitatem admisit:vt idcirco Ecclesia, de loco licet sanctissimo & omnium dignissimo, pronunciet Deo verbo laudes, quod *ad liberandum suscepturus hominem,non horruerit* (libra hoc verbum ;) non inquam *horruerit Virginis vterum*. Ibi conclusum Verbum infans, excrementis intra secundinas coacteruatis oblitum, & in vteri illuuie aliqua vt Abulensis in c.12.Leuit.qu.20.disertè tradit,tanquam in cœno, per nonimestre spatium iacuit, expers intellectionis (quantum erat ex vi status illius,)ac ferè etiam sensationis: vt proinde S.Proclus Epistola de fide ad Armen.pag.130.ita accipiat illud, *Verbum caro factum est*,ac si dictum esset ;verbum æquè ac caro nullis functionibus,superioribus in humanitate sua distentũ fuit, quantum erat ex vi status illius: quamuis per supernaturalem Dei operationem, Christus iam tunc vsum scientiæ tam multiplicem habuerit,quàm in sequentibus videbimus ; Idque agnoscentem Christum,dixisse de se in isto statu *ego sum vermis,& non homo*,pulcherrimè prosequitur Orig. hom.14. in Lucam relatus cum de Verbo hamato.Hinc verò deterior longè fuit Christi conditio quam infantium cœterorum, qui in illius careeris pædore degunt absque sensu, & notitia sui incommodi, quia sunt priuati vsu rationis. At sapientia Patris, non ita. Sic igitur se habuit in vtero Christus.

Neque verò quod Synodus Trullana, secundinatum Deiparæ celebritate interdixit,can.79. quicquam commune habet cum eo quod hic diximus de Christi statu intra maternum vterum. Quamuis enim in partu non fuisse emissas à Deipara (vt ab alijs matribus fit,) secundinas, multamque illuuiem, rectè constituerit Synodus illa Quinisexta, ambigua cœtetoqui fidei,& reprobata à Sergio Papa,vt videre est apud Beliarminum 1.de Conc.cap.7. & l.2.de Pont. cap.18. ad 2. Tamen nisi velimus multitudinem miraculorum gratis inuehere ; fatendum est, Christum in vtero quidem obuolutum fuisse secundinis, vt buoluuntur cœteri:prodiisse tamen inde illinem & nitidum, vt pulcherrimè tradit Zeno Veron.serm.6.(alias 11.) de natiuit. & Bernard serm.3.de purif. Nec plus volunt,qui Trullanum illum Canonem propugnent, Suares t.2.3.p.d.13.sect. 2.Delrio Phemica 1. & Salaz.l.de concept.cap.28.§.4. Etiamsi S.Hieronimus, cruentum Christi eggressum non reformidauit dicere ; qua de re plenius agendo de Deipara. His tamen dimissis, nemo non videt, quàm multiplices Christi intra vterum matris per nonimestrem inibi conclusionem fuerint ærumnæ ; quæ illi flammarum multiplicium (prout loquebamur,) ad excoquendum in clibano intellectuali panem vitæ, aggestio & addensatio fuit.

Ignes extremarum Christi perpessionem à quibus huc aduocati.

304. Vt non sit sanè necesse, ad ignem & flammas passionis & crucis, coctionem panis huius relegare, quod faciunt non pauci, Petrus Chrysologus scitè sermon.67. [Cœlestis pater,cœlestem panem,cœlestes filij vt postulemus,hortatur ipse dixit : *Ego sum panis qui de cœlo descendi*. Ipse est panis,qui satus in virgine,fermentatus in carne, in passione confectus, in fornaci coctus sepulchri, in Ecclesijs conditus illatus altaribus, cœlestẽ cibum quotidie fidelibus subministrat.] Et serm.71.[Ipse est panis qui de cœlo descendit, qui legis & gratiæ mola aptatus est in farinam, qui crucis confectus est passione, qui magnæ pietatis fermentatus est Sacramento, qui conspersionis leuis leuamentum sustulit de sepulchro, qui vt diuinitatis suæ calore coqueretur, ipse clibanum decoxit inferni, qui ad cœlestem cibum quotidie Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissionem frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit, & enutrit ad vitam.] Auctor item Tractatus de pass. Dom.sub allegoria vitis veræ apud Bernardum cap. 43. [Quis ardori fornacis crucis, aliquod audeat supplicium comparare,]

305. Nexum sanè aliquem panis vitæ coquendi, & crucis, insinuauit vsus priscorum Christianorum, partiendi panem crudum priusquàm clibano immitteretur, aut cineribus operiretur, efformato quadrifida incisione crucis signo. Nam quamuis hic esset iam olim vsus Iudæorum, ac etiam Romanorum, vnde *quadræ* dictæ, quod essent quarta pars panis, vt notat Saro anno Christi 58. cum de fractione panis differit : Tamen Christiani eum vsum tanquam religiosum & crucis Christi expressione sacratum, admiserunt : vt liquet ex ijs quæ de pane subcinericio non signato; moxque per S.Martinum monachum quadrifidâ illa incisione sub prunis notato,scribit S.Gregor.1. dialog. cap.11. Et idem constat ex Theodemaris Abbatis Calsinensis

sinensis epistola, ad Carolum Magnum data. Scitè verò Petrus Cellensis l. de panibus cap. 6. *in fine*, quadras illas panis nostri, ait esse iustitiam, sapientiam, sanctificationem & redemptionem, iuxta Apostoli pronunciatum. Ideò vnus hic panis, habet *quatuor quarteria*, iuxta Cellensem ibi. Quid quod vniuersam panis nostri confectionem, ad Crucem refert Catharinus in c. 3. Genes. ad illud, *vescéris pane tuo*? Christum enim panem esse, præfatus, ex grano contrito admista aqua compactum, obseruat, Christum verè granum frumenti cadens in terram, & in cruce mortuum iuxta ea quæ habentur Ioan. 12. datum esse ad modum pistrini Hierosolimitani, lapidantis eos qui à Deo mittebantur: ibi plurimis molis fuisse contritum, nempe re lacerantium, manibus verberantium & contũdentium, spinisque & clauis configentium. Sic granum comminutum est in farinam, cui affusa est aqua, id est benignitas illa & humanitas, qua volens oblatus est. Clibanus fuit crux, in qua Spiritus sancti ardore, & immensa nostri caritate, panis vitæ coctus est. Hæc summatim ex fusiore Catharini oratione. Drogo de Sacram. Dom. pass. fractum in cruce panẽ vitæ, his verbis exhibet. [Verè non cognoscéris Domine, nisi in fractione panis. Panis caro tua est. Fregisti manibus tuis corpus tuum, quia potestatem habebas ponendi animam tuam, & iterum sumendi eam: fregisti corpus quod foris apparebat, & ostendisti medullam quæ intus latebat. Nisi enim patiaris, non cognoscéris. *Ibi*, (inquit,) *abscondita est fortitudo eius*. Quæ est autem fortitudo tua, nisi mãsuetudo, nisi humilitas, nisi patientia & obedientia? Has virtutes fortissimas, & susuissimas, in fractione panis, hoc est, in passione tua nobis ostendisti.]

Vsus doctrinæ de Christo pane, transitus fidelium in panes.

306. Vsum vberrimum doctrinæ de Christo pane, subijcio ex ijs quæ addit Drogo, de modo quo nos quoque, Christi imitatione, transire possimus in panem mysticum. [His virtutibus (quas videlicet in Christo descripserat, mansuetudine inquam, humilitate, obedientia) caro tua quæ nos sumus, nutritur paulatim & perficit, & perficitur. Et primùm quidẽ inter duas molas spei & timoris, molitur sicut frumentum, vt fiat noua conspersio: deinde cum in formam panis transierit, coquitur in clibano passionum: posta cum benè dixeris ei omni benedictione spirituali, & dixeris, consummatum est, frangis & ipsum corpus nostrum quod in manibus tuis est, & in manus tuas committimus, & ibi agnoscéris, non specie peregrina, sed in facie propria: vt iam non lancea nobis latus tuum aperiat, sed digito palpare & videre possimus, quia tu es, Domine, Deus noster.]

Affinia sunt, quæ de Christianorum in Christi corpus allectione, sub typo efformationis eorundem in panem, habent varij Patres. Eucherius scitè hom. 5. de Pasch. *sub finem* [In hoc ipso quod panem numerosis tritici granis confici nouimus, vnitatem constat adsignari populorum. Sicut enim frumentum, quod solita purgantis sollicitudine præparatum, in candidam speciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignem in vnius panis substantiam congregatur; sic variæ gentes, diuersæque nationes in vnam fidem cõuenientes, vnum de se Christi corpus efficiunt: & Christianus populus quasi tritici innumerabilia grana, à sacrilegis nationibus, fide purgante atque cribrante discernitur: & in vnum, quasi infidelium lolio pertranseunte, colligitur: & duorum testamentorum instructione, velut frumentum gemino molarum opere curatum, nitescit: in illam primæ originis dignitatem natiuo candore mutatur: ac per aquam baptismi, vel per ignem Spiritus sancti, æterni illius panis corpus efficitur.]

307. Zeno Veron. concinnè de more serm. 6. ad Neophytos. [Exultemus fratres in Christo, tantique prouentus reditu ditati, Deo patri omnipotenti laudes, & gratias referamus: qui zizania, lolium, lappas, tribulos, in læta frumenta mutauit: quæ diligenti cultu purgata, molarisque lapidis pio pondere feliciter fracta, ordinabiliter creta, omni furfure abiecto, mirifico splendore in farinam candidam micuerunt, quæ nullo adulterata fermento est, conspersa, ac subacta diligenter; Sal inditum est illi, leuigata est oleo germinali, officijs competentibus temperata, in panes azymos reddita. Hi quos videtis, egregia coctura suaue redolentes, qui excocti sunt non furno, sed fonte; non humano, sed igni diuino: non illos aura corrupit, non fumus amarus infecit, non frigus elisit: quod plus est, sine fermento leuati sunt. Certè cacabacij non sunt, non vetusti, non vsti, non crudi; non mucidi: lacteus illis color est: lacteus sapor est.]

S. Augustinus serm. ad infantes de Sacramento, quem S. Fulgentius suæ Epistolæ de baptismo Æthiopis intexuit, sic habet *ad finem*, alloquens Neophytos. [Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Intelligite & gaudete. Vnitas, pietas, veritas, charitas, vnus panis, vnum corpus multi sumus. Recolite enim quia panis non fit de vno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini: quando baptizati estis, quasi conspersi estis: quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis.]

Petrus Blesensis carm. de Euchar. cap. 18.

[*Hoc est frumenti granum, quod terra fidelis*
Germinat assiduè, reddens sua semina cœlis.
Hoc grano, cœli sunt horrea multiplicata.
Vrbs sacra Ierusalem pingue scit eo satiata.
Hoc est frumenti granum quod ab æthere venit,
Cuius adeps animas nostras & corpora lenit,
Illud sponte cadens in terram mortificatum
Est prius, atque per hoc surrexit multiplicatum
Ex vno multis affluxit copia granis.
De quibus efficitur nunc viuus in æthere panis.
Nam quoties Christo, crescente fide generamur
Ex vno grano, quasi plurima grana creamur.
Cuius cum sapimus carnes, vel sanguinis haustum,
Vnus fit panis, vnumq; sit hoc holocaustum,
Vna sic in carne, duo simul esse leguntur;
Christus & Ecclesia, sic vnum constituuntur,]

308. Sebastianum Comitem, Bonifacij item Comitis generum, Geisericus Arrianus ad nefandum anabaptismum & Arrianam impietatem sollicitabat, vt refert Victor lib. 1. de persecut. Vandal. At Sebastianus, constans & firmus in Catholica fide, panem similaceum & mundissimum popposcit; quo allato, ita effatus est. [Hic panis vt ad tantum decorem splendoris veniret, & mensæ regiæ necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis, conspersus per aquam transiuit & ignem; ideirco & aspectu clarus & esu suauis habetur. Ita & ego, mola Catholicæ matris commolitus, & cribo examinationis vt simila munda purgatus, rigatus sum aqua baptismatis, & igne Sancti Spiritus coctus. Et vt hic panis de furno, ita & ego per officia Sacramentorum diuinorum, artifice Deo de fonte mundus ascendi. Sed fiat si velis, vt ipse propono. Ipse panis confringatur in frusta, madidetur aquâ, & iterum conspergatur, mitattur in furnum: si melior exierit, faciam quæ hortaris. Quam propositionem Geisericus cum omnibus qui aderant cum audisset, ita ligatus est, vt se soluere omnino nõ posset.] Sunt ergo Christiani, panes; vel quod S. August. habet in Psal. 147. *Frusta panis*, quia sunt membra Christi, qui est verus panis debentque omnes conniti vt in panes euadant.

Plerique tamen non sunt granum bonum, & idoneum

neum ex quo panis Christum panem referens confi-citur: quod optimè notauit Petrus Cellensis l. de pa-nibus cap. 18. his verbis. [In vno vase regenerante Ba-ptismi; diuina consecratio insertum quodcumque ho-minum genus quasi frugum & leguminum diuersas species, misericorditer reponit. Satis enim corporali-ter, tam morum quàm studiorum dissimilitudine; ho-minum alij frumento; alij, hordeo; alij, fabæ, alij, lenticulæ; alij milio; alij, yiciæ conferuntur: dum alij, grano frumenti; id est, Verbo Incarnato quod misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israël, per charitatis imitationem conformantur. Alij hordeo legis Mosa-giæ, per assiduam meditationem diuinæ seueritatis pas-cuntur: alij fabæ, qui per vanam gloriam mundanæ sapientiæ inflantur. Alij, neticula Sophisticarum argu-mentationum; præsumendo de ingenij sui viribus ex-cæcantur, alij, milio exquisitarum ratiocinationum, vs-que ad exinanitionem veritatis euanescendo, exte-nuantur: alij belluinæ fœditatis tam vita quàm sensu, vltima quasi viciarum vel auenæ vilitates, oculos ad terram deprimendo confunduntur.]

309. Enitendum ergo quod possumus, vt è loliis ef-ficiamur bona grana. Nec omittendum Crucis cri-brum, (vt loquitur Hesychius Hierosol. orat. de S. An-dreæ) vt perfectè expurgemur. Subactio tribulationis & mola adhibenda, cũ passionum clibano, quæ Diogo supra exhibet distinctiùs. Probat etiam Scriptura sub-cinericium panem. Idcóque quærendum in coctione lenem calorem nec plus iusto festinandum, sic docet S. Ambrosius lib. 2. de Cain. cap. 9. *sub finem*, tractans azyma subcinericia Hebræorum exeuntium de Ægyp-to. [Coque ergo subcinericiam tuam vapore Spiritus sancti. Coque etiam animi passiones tuas, nuper for-tasse de Ægypto egredientes; operito eas, & lento ca-lore excoque, ne fortiorem ignem dum ferre non pos-sint, semiustulẽtur potiùs quàm coquantur. Sunt enim plurima quæ præmaturo sermone infidis auribus vel infirmis quasi incocta committas, ad quæ auertatur auditor, & cum horrore fastidiat: si coctiora gustaret, Spiritualis cibi perciperet suauitatem.] Hoc est dicere, cupido conformandi se in probatum & Christo simi-lem panem, consectandam esse studiosissimè humilita-tem, suique despicietiam. Sed super omnia calor panis nostri conciliandus est, & eius amore inardescendum. Hortatur ad id grauiter Bernardus aut quisquis apud eum Auctor tractatus de Christo vitæ c. 43. [Sequitur Iesum (ait de SS. animabus,) imitantes bestiam quan-dam, quæ odore cocti panis, recentis ita delectatur, vt vbicumque illum senserit, illum sequatur, etiam vsque ad interitum. Ecce ipso teste, panis viuus, qui de cœlo descendens, decoctus duplici igne Charitatis & Passio-nis, odorem suum longè latéque dispergit. Quis hunc non sequatur? Sequitur irrationalis bestia odorem pa-nis cocti, & consumendi non sequetur homo rationa-lis, odorem panis bis cocti, Angelorum? Imo stultior est quàm bestia, qui illius odoriferi panis odorem non intelligit & honorem.]

310. Hæc quidem quod ad dispositiones per nos conferendas, vt in panem bonum & probatum euada-mus, rectè disputantur. Apostolus tamen 1. Corin. 10. vt vnus panis efficiamur, tribuit nominatim perceptio-ni Eucharistiæ: nimirũ quia sanctissima Christi huma-nitas, ex coniunctione cũ Verbo, sortitur vim viuificã, & nostri cũ Deo, & inter nos ipsos sanctè coniunctiuã. Illustrissimè planè id prosequitur S. Cyrillus l. 4. pen-tabili c. 5. lõga in Nestoriũ disputatione de hoc argu-mento, ex qua illud dumtaxat profero. [Quemadmo-dum viuificum est illud ipsius Verbi corpus, quod sibi proprium fecit per veram vnionem, quæ & intelligen-tiam & sermonem superat; Sic nos quoque, qui illius sanctæ carnis, & sanguinis eius participatione fruimur, omnino viuificamur, cum in nobis maneat Verbum, non solùm diuino modo per sanctum Spiritum, verùm etiam humano, per sanctam illam carnem, pretiosúm-que eius sanguinem. Hæc quæ dixi, vera esse, beatus Paulus suo suffragio confirmat, sic scribens ad eos qui Corinthi in Dominum Iesum Christum crediderant: *Tamquam credentibus dico, iudicate vos quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne cõmunicatio, sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne cõmunicatio corporis Christi est? quoniã vnus panis, & vnũ corpus multi sumus; omnes de vno pane participamus.* Participes namque sancti Spiritus effecti, & ipsi omnium Saluatori Christo, & inter nos vnimur. Concorporales etiam hoc modo sumus, quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus. Omnes enim de vno pane participamus. Conligat námque nos ad vnitatem corpus Christi, quod est in nobis, neque est vllomodo diuisum.] Con-firmat id ex alio Apostoli loco Ephes. 3. quo gentes per corporis Christi participationem, dicuntur ab Apostolo, factæ Christo concorporales.

311. Claudo vniuersum hanc de Christo pane expa-tiationem, sapienti monito B. Paulini epist. 5. [Exulte-mus (inquit) in eo qui iustificat impium per fidem, & dat escam omni carni. Escam non istam quæ pe-rit, sed illam quæ conficitur in æternum victum, qua-lem vel anima in Dei rebus operosa, vel Catholica Ec-clesia coquit. Corpus est enim veri panis, qui de cœlo descendit, & dat escam viuificantem esurientibus iu-stitiam, non enim carnem farcit. Sed cor hominis fir-mat. Hic panis & fons est, qui quo amplius editur, plus esuritur, & quo magis bibitur, plus sititur. Hunc pa-nem vt edamus in æternum, molamus in huius mundi pristino triticum bonum, quod est obedientiæ fidelis operatio, & charitas in corde puro, & fide non ficta. Qua gratia & virtute cum plenus sis, bonam Deo fru-gem nobis, téque ipsum in azymis sinceritatis & ve-ritatis epulandum Deo exhibes: cuius esca est, quis-quis voluntatem eius efficiens, in corporis ipsius mem-bra conuertitur.] Hæc conuersio, pro idonea & Deo valdè accepta gratiarum actione, esse possit. Qui verò abuntur tali tantoque pane diuinitùs prouiso, æmu-lantur in damnum suum Manichæos quorum erat horrenda corruptela in vsurpatione panis, referente ac detestante Cyrillo Hierosol. Cath. 6. his verbis. [Qui afferunt illis cibos, hilari facie recipientes, pro benedictionibus maledictis insectantur. Cum enim ignorans aliquis illis panem adfert, paululum, (in-quit,) extra subsiste, & benedicam tibi. Deinde in manus recipiens panem, (quemadmodum illi qui ex illis pœnitentiam egerunt, confessi sunt;) Ego te (di-cit Manichæus) panis non feci, & execrans, proijcit in altum, & maledicit ei, qui fecit illum, atque sic factum comedit. Si oderis cibos, cur hilari facie in-tueris illos adferentem? Si danti habes gratiam, cur factorem & opificem omnium blasphemas? Et rursus. Ego te, inquit, non seminani, seminetur seminans te. Ego te non messui falcibus, metatur metens te: Ego te igne non coxi, coquatur qui coxit te. Pulchra sanè gratiarum actio.

CAPVT II.

Manna, finis, & effectionis Christi, typus.

312. NOn semel in Scripturis, nominatímq; Ps. 77. manna nomine *panis* appellatur. Imo alio loco vocatur *adeps frumenti*, iungitúrque cum melle de petra, ex quo saturati sunt Hebræi. Itaque quando-quidem de Christo per panis typum adumbrato, pro-ximè egimus; commodè eius quoque per manna de-lineationem subiicimus. Ago autem de manna, iuxta vsum receptum. Nam quod Clemens Alexand. lib. 1. pædag. cap. 6. id lactis quod primum ad potum effun-ditur, *manna* appellatum testatur, non spectat ad hunc

locum. Quamuis esse quidem Christum, lac nostrum rationabile & sine dolo, docet Apostolus Epistolæ primæ cap. 2. id quod multis, citato capite illustrat Clemens, aduertens diuinantem Homerum in tale quid incidisse, cum homines iustos vocauit γαλακτοφάγους, hoc est qui lacte vescuntur. Non pauca item in eam de Christo lacte nostro allegoriam, Turrianus l. 2. de Euchar. c. 20. Sed vt dixi, non est hoc manna de quo nunc agimus; sed illud typicum, quo Iudæi in deserto cœlitus per 40. annos sunt pasti, de quo Psal. 77. scriptum est, *ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis; panem Angelorum manducauit homo.*

Christus, etiam extra Eucharistiam, verum manna.

Esse se verum manna, eo Psalmi loco typicè expressum, Christus ipse Ioan. 6. disertè contestatus est, respondens Iudæis, qui Christo inuitante ad credendum quod esset à Patre missus, obiecerant, *quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptū est, panem de cœlo dedit eis manducare.* Quasi dicerent, etiamsi quod aliquot hominum millia multiplicato terreno pane aluisti, eximium opus videatur: tamen multo plus fecit Moses, qui pane cœlitus dato, per annos 40. vniuersam gentem nostram aluit: neque tamen idcirco missum se à Deo in quem crederent, tanquam in filium eius, iactauit. Huic Iudæorum obiectioni, respondet Christus; *Amen amen dico vobis, non Moses dedit vobis panē de cœlo; sed pater meus dat vobis panē de cœlo verū. Panis enim verus est, qui de cœlo descēdit, & dat vitā mundo.* Obsecrantibus autem Iudæis, vt eum verum panem acciperent, reponit Christus. *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Ex his verbis vt Rupertus l. 1. in Matth. ad illud *pariet autem filium*, rectè notauit; liquidò constat, Christum asserere, se esse verū panem Angelorum à Dauide propositum, iis verbis quæ Iudei allegauerant, & quæ de manna pane cœlesti patribus indulto diuinitus, typicè vera erant, in ipsomet Christo expressa haberi, non iam in typo, sed ad solidam veritatem. Neque verò referuntur hæc à Christo, ad Eucharistiam nondū tunc institutam; sed ad ipsum Christum provt per Incarnationem est panis verus animarum nostrarum; de quo pane primùm agi eo 6. capite, notatum est superiùs. Ait enim Christus, panem illum verum à Patre dari, & se esse eiusmodi panem in quem credendum esset; séque de cœlo descendisse, daréque mundo vitam: quæ omnia in præsenti vel præterito tempore tunc prolata, Christum in eo statu quem dixi spectabant, non autem in Eucharistia. Id quod optimè vidit S. Ambrosius l. de bened. Patriarch. cap. 9. Neque tamen idcirco diffitemur, esse quoque manna, typum Christi in Eucharistia; quod adeò protritum est, vt pigeat ferè de eo monere. Videsis Rupertum l. 3. in Exod. cap. 13. Turrianum l. 2. de Euchar. cap. 1. & 2. Viegā in cap. 2. Apocal. comment. 3. sect. 4. Magalianum in c. 5. Iosue v. 12. annot. 24. Non excluſa igitur panis Eucharistici adumbratione in manna, hoc vnum affirmo; Christum extra Eucharistiam, provt fidei nostræ obiectum, appositè per manna exprimi: idque à Christo ipso Ioan. 6. traditum esse: & siue finem in quem manna suppeditabatur spectemus, siue eius effectionem, perbellè Christo respondisse.

Quia est cibus populi Dei in deserto.

313. Et finis quidem, perspicuè idem est vtrobique; nempe alimentum populi Dei in deserto. Esse enim hanc vitam, præsertim iustis, desertum quoddam, in quo animabus aliunde pabulum non suppetat quàm ex diuina largitate, rectè in hanc rem obseruarunt veterum plerique. Videndus S. Chrysostomus hom. 23. ad Ephes. *in morali*, & Petrus Damiani ser. 40. tractans ascensum sponsæ de deserto. Non inficior, Christum de cœlo non iam oculis fidei, sed perspicuè & reuelata facie contemplandum, dici quoque manna: hoc est enim manna illud nunc absconditum, nec nisi fide peruium, quod iustis in cœlo esse repositum, Ioannes in Apocalypsi testatur. Sicque perficitur quod Psaltes Psal. 30. pronūciatat, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quā abscondisti timentibus te: Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*: id est ex aduerso angorū quos ab hominibus nequam exceperunt, dabis eis multitudinem dulcedinis perfectam & cumulatam, quæ verè queat manna dici: ipsum scilicet Regem in decore suo, quem & vt Deum, & vt hominem clarè conspicient, & eo ipso beabuntur. Quamuis igitur hoc manna, in cœlo quoque sit cibaturum beatos, tamen qua ex parte peregrinantibus per hoc desertum alendis prouisum est, perbellè cum manna typico conuenit. Firmat quod diximus figura vrnæ mannā plenæ, quam exhibet Villalp. l. 2. appar. disp. 4. c. 27. in peruetusto nummo æreo, à Samuele (vt putat) cuso, addita hac epigraphe, *redemptus es*, hoc est ereptus à fame. Id enim nobis viatoribus, redemptione sua copiosè præstitit Christus Dominus.

Et quia Christus, panis absque satione, verè de cœlo.

Effectio verò Hebraïci manna, quomodò cum effectione Christi consentiat, accipe ex Nysseno 8. de vita Mosis. [Cœlestem (inquit) cibum, nulla nobis satio, agriculturæ artibus produxit. Sed panis est absque semine, absque aratione, absque alio humano opere nobis paratus. Is desuper defluens in terris, inuenitur: panis enim qui de cœlo descendit, qui verus cibus est, qui ænigmaticè hac Historia significatur, non incorporea quædam res est. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? res verò quæ incorporea non est, corpus omnino est, huius corporis panem, non oratio, non satio, non agricolarum opus efficit, sed terra intacta permansit, & tamen pane plena fuit, quo famescentes, mysterium Virginis perdocti, facilè saturantur.]

Scitè Rupertus in c. 1. Matthæi ad illud *pariet autem filium*, idipsum annotauit; obseruans idcircò dixisse Psaltem, cum de huius panis effectione ageret, ianuas cœli fuisse apertas. [Beata Maria (inquit) cœlū illud est, de quo fuerat præscriptū. *Et ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandū*; Si enim cuiuslibet iusti anima cœlum est, quanto magis hæc singularis Dei habitatio vel sedes? Quot autem vel quæ sunt ianuæ huius cœli; quas Dominus Deus aperuit? Duæ; altera mentis, altera ventris. Ianuam mentis, Deus aperuit, quia beata hæc credidit quæ dicta sunt ei. Ianuam ventris aperuit, quia sine viro concepit, virgo peperit, & post partum virgo permansit. Quis enim alius nisi Deus, ianuam ventris sic aperiret, vt pareret, & virgo permaneret?] Ad literam, quod ianuæ cœli sint apertæ ad fundendum cibum illum qui manna dictus est, hoc est quod è nubibus stillarit Angelorum opera, dictus est cibus ille, panis Angelorum. Id verò multo melius in cibum de quo agimus cadit. Est enim Angelorum ipsorum cibus, quandoquidē & ipsi quoque desiderant in Christum prospicere, etiam provt hominem. Quo aptè accommodes, quod Rabbi Moses Gerundensis apud Paulum Burgensem additione ad c. 16. Exodi affirmauit; nempè idcirco vetus manna dictum est panem Angelorum, quia Angeli reficiuntur diuino lumine, quod per voluntatem Dei incorporatum est, & factum manna. Absurdum hoc, de prisco manna: de nostro verissimum, in quo diuinum lumen, Dei Verbum, carni ac corpori est coniunctum.

Tempus

Tempus & dies demissi manna, ad Christum aptata.

314. Ipsum tempus quo manna defluebant, Christi aduentui aptat Orig. hom.7. in Exod. Præfatus enim carnes datas fuisse vesperi, quia pridie diei quo manna defluxit, ceciderunt coturnices, subdit. [*Sed & mane*, (inquit) *replebimini panibus*. Nobis in quo positus est panis? Verbum Dei est. Ipse enim est panis viuus, qui de cœlo descendit, & vitam dat huic mundo. Sed quomodò dicit mane dari hunc panem, cum aduentum eius in carne, factum dixerimus ad vesperam? hoc modo intelligendum puto: quod ad vesperam quidem declinantis mundi, & propè finem cursus sui positi, domino venerit, sed aduentu suo, quoniam ipse est Sol iustitiæ nouum credentibus reparauerit diem. Quia ergo nouum mundo scientiæ lumen accendit, suum quodammodo mane effecit, & suum manè tanquam iustitiæ Sol produxit, & in hoc manè replentur panibus qui eius præcepta suscipiunt. Nec miretis; quia Verbum Dei & caro dicitur, & panis, & lac dicitur, & holera dicitur, & pro mensura credentium, vel possibilitate sumentium diuersè nominatur.] Ipsum quoque diem quo primùm descendit manna, Stephanus Cantuariensis in Tylmanni allegoriis ad cap.16. Exodi, notat respondere diei quo Christus visitauit nos orens ex alto, quem obseruat fuisse diem Dominicum. Idémque notat Hilarius Diaco. 1.Cor.10. *initio*, tractans illud, *omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*.

Item forma & gustus mannæ.

315. Quod autè manna dicatur iacuisse vt ros, idem Stephanus ad Incarnationem item refert, quam *roris* nomine in scripturis esse adumbratam, probat ex verbis illis Esaiæ, *rorate cœli desuper*: hunecque etiã ait esse rorem illum de quo scripsit Ecclesiasticus *ros obuians ardori venienti, humilem fecit Aquilonem*. Id est, (inquit) [beneficium Incarnationis obuians ardori vitiorum, humilem fecit Diabolum. Sed suauiùs & in rem nostram expressiùs est, quod de hoc rore habet Rupertus illo 1.in Matth, verbis illis [Secundùm similitudinẽ illius facti quod ita scriptum est: *Mane quoque ros iacuit per circuitũ castrorum: cùmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutũ, appellauitq;* (ait Scriptura,) *domus Israël, nomen eius Man*, Secundùm similitudinem, inquam, illius signi, factum est hîc. Spiritus sanctus superuenit in beatam Virginem, qui in Sãctis Scripturis per rorem solet significari. Et hoc fuit vtiq; rorem iacere in solitudine, visceribus infundi Virginis solitariæ, nullíque viro perviæ. Ille iterum virginem cœlitus irrorauit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorruptæ carnis. In quo mira & magna distantia est, ab omni conceptu vniuersæ carnis, quia vim sementinam Sacri corporis, non vir extrinsecus accedens, sed Spiritus sanctus intus operans excitauit. Tunc in eadem solitudine apparere minutum, hoc fuit adesse in eodem secreto Verbum subtilissimum atque fortissimum, quod eidem se humori misceat tanquam coagulum.]

Quid si cum Balduino in Tilmanni allegorijs ad 16. Exodi & Gilleberto in altercatione Synagogæ & Ecclesiæ, cum de argumentis ex libro Exodi cap.9. & late Philippo Abbate Tomo 2. moralis in Cant. quod manna minutum & quasi pilo tusum exhibetur, referamus potiùs ad Christi vilitatem in speciem, atque pressuras quibus & ipsum in corpore suo, & doctrinam eius ac fidem, pilum persecutionum & cõtradictionum experiri, sicque validè cõtundi contigit? Christus enim vt idem Balduinus rectè ponderat, propter nimiam exiguitatem, Infidelibus fuit contemptui: indidémque est, quod fidelibus, subtilis & propè imperceptibilis obijcitur: Contusus verò est per multiplices impugnationes. Quanquam possit etiam contusio, vt idem attigit, referri non commodè ad euoluta & semota à Christo in volucra typorum & Prophetiarum, quibus tanquam folliculis diuinum hoc semen abdebatur S. Ambrosius epist. ad Irenæum cur manna minutum esset, hanc causam reddit. [Quia & granum Sinapis minutum est, quod comparatur regno cœlorum, & fides quæ sicut granum est Sinapis, potest montes tollere, & iactare in mare. Et fermento simile est regnum cœlorum, quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus, donec fermentatur totum. Et Moyses caput vituli aurei comminuit sicut puluerem, & misit in aquam & dedit populo bibere (Incrassatum enim erat cor eorum perfidia & immanitate,) vt emolliretur, & fidei sumeret subtilitatem. Denique illa mulier quæ benè moluerit, assumetur, ea autem quæ malè moluerit, derelinquetur.] Sic contusum manna, non erat tamen vt farina, sed specie coriandri; quod S.Cyrillus l.3. in Ioan. cap.34. refert ad vim frigidissimam coriandri. Similiter autem Christus in nobis passionum ardores frigiditate sua restinguit.

Erat manna gustus suauissimi, & quasi similis cum melle; quod Rupertus ad Christi cõpositionem egregiè accommodat l. illo 1. in Matth. ad illud *vocabitur nomen eius Manuel*, sic scribens. [Quid enim est iuxta mysterium supradictum, simila cũ melle, nisi caro huius Emanuel cum diuinitate? Qualis est gustus, vbi talis Emanuel videtur? Etenim visio eius, & Sanctorum Angelorum, & omnium beatorum Spirituum, siue hominum, vitalis est cibus, & immortalis indeficiens gustus: quod nos & si credimus, & vtcumque scimus, tamen impossibile est scire sicut est, donec videndo, manducemus, atque ita manducando experiamur, quia verè est simila cum melle, id est vera & munda est humanitas, cum dulci & suaui diuinitate.] Quod verò manna ad quod quisque volebat conuerteretur, vt habet Sapiens, hoc Gregorius Nyssenus l.de vita Mosis eatenus in Christo habere locum notat, quatenus Christus est infantibus lac, infirmioribus olus, perfectis autem solidus cibus: ac proinde omnibus fit omnia. Stupemus autem eum colligentes ac gustantes, & dicemus *manhu, Quid est hoc?* Tot enim noua in huius panis confectione contigerunt, nominatímque partus Virginis præter & contra naturæ morem quo hanc admirationem refert loco allegato Rupertus, vt cogamur exclamare, *quid est hoc? quis audiuit vnquam tale?*

Ac denique vespertina mannæ collectio, & vetita in crastinum asseruatio.

316. Sed & quod manna colligendum erat vesperi, nec seruandum vsque mane, laudatus supra Balduinus præuio Origene hom.7. in Exod. refert ad necessariam cuique per huius vitæ tempus fidem & obseruantiam Christi, quam qui vsque ad mane differunt, graues de tali beneficij contemptione pœnas dabunt; quod est adumbratum mannæ mutatione in vermes, vt idem Balduinus admonet. Sed perelegantet S.Maximus hom.1.in Psal.21. verbis illis. [Legimus in libris Moysis, de manna vermiculos procreatos: digna planè & iusta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de virgine procreatur. Quin potiùs ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suauis & Virgo, quæ velut cælitùs veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit; quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit; sicut ipse Dominus ait. *Nisi quis manducauerit meam carnẽ, & biberit meũ sanguinem, non habebit vitã de semetipso*, sed potiùs ipse cibus in iudicium conuertetur, sicut

Apostolus dicit. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat.* Quod filiis Israël subtiliter prophetatum est in veteri testamento. Manna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt, id est contumacia vltores & iudices. Quæ similitudo, Christum indicat Dominum, quem qui suauem cibum & dulcem potum hautire neglexerit, iudicem patietur, sicut ipse ait; *Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio suo.*]

Aliter S.Cyrillus, quod manna Hebræi seruare in diem crastinum extra parascenem vetabantur, l.3. in Ioan.cap.34.sic exponit. [Sensibile illud manna, intelligibile hoc figurabat. Est autem intelligibile manna, ipse Christus: sensibile verò rudior legis disciplina. Ad dies autem singulos colligebant, & in crastinum reseruare vetabantur. Quia Saluatoris aduentu, figuræ legis cessarunt: & colligere inde alimenta non possumus, ipsa veritate nobis, & pane cœlesti ad fruitionem proposito. *Die autem sexto parent quod inferant, & sic duplum quũ colligere solebant per singulos dies.* Considera diligenter, quia septima die sensibile manna colligi noluit, sed pridie collecto vti iussit. Septima enim dies, Saluatoris tempora significat, in quibus significatis Sabbatismum peccatorem agere debimus, alimenta fide ab ante collecta quoque legis cognitione accipientes non tamen necessariò modò colligimus, qui verum cibum habemus, & panem de cœlo retinemus: duplici autem mensura ante septimam manna colligitur, quia tempore legis exacto, & septima, id est, Christi aduentu incipiente, duplici quadam gratia, legali scilicet Euangelica, in fide homines roborantur: quod per parabolam Dominus docuit. *Omnis scriba regni cœlorũ discipulus effectus, diuitis hominis similis est, quia ex thesauro suo noua & vetera producit.* Vetera enim legalia sunt, noua verò Christi.] Scitè D.Damascenus hom.de Sabatho sancto, quod manna vespere Sabathi in parascene recondebatur; refert ad hunc contextum sepulchro Christum: id quod etiam habet S. Chrysostomus orat. de serpente Mosis. Asseruatum in vrna manna, sic ad Christum aptat Admod. Lausan.hom.1. de Deip. *in fin.* Vrna aurea Beata est Maria, aurea per excellentiam vitæ, aurea per integritatem & puritatem; aurea per plenitudinem gratiæ. Hæc vrna manna reconditum habuit, quem panem Angelorum, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, Sacrosancto gessit in vtero.]

Vsus doctrinæ.

317. Est itaque Christus verum manna, etiam extra Sacramentum, & præcisè ratione Incarnationis. Sic enim cibus hic suauissimus, præparatus est à Deo in dulcedine sua, non cuiuis, sed pauperi, vt habetur Psalm.67. quod non aliud ferre videtur, quàm quod à Gregorio Nysseno traditum est l. de vita Mosis verbis illis. [Illud verò prætermittendum nullo pacto est, quod posteaquàm mare transierunt, postea quàm amaritudo aquarum sitientibus virtute ligni in dulcedinem conuersa est, postea quàm deliciosè apud fontes & palmas fuerunt, postea denique quàm ex lapide biberunt, tunc quæ ab Ægypto viatica & cibos sibi assumpserunt, penitus eos defecerunt; tunc omni nutrimento quod ab Ægypto ferebant absumpto, desuper sibi defluit cibus varius simul & simplex. Simplex visu atque vnicus. Qualiter varius. Ad singulorum cupiditates se vertens, quid igitur hinc discimus? Quod oporteat videlicet fide, baptismate, labore, omni virtute, omni Euangelica doctrina, mundos purósque animos nostros facere, ita vt omnino alienigeni mores, & Ægyptiaca vita, vitiorum scilicet omnium turba, nos deficiat, & demum depurato defæcatóque animo cœlestem cibum esse suscipiendum, quem nulla nobis satio, agriculturæ artibus produxit.] Hic esto doctrinæ de Christo manna, fructus reuera exquisitus & insignis.

CAPVT III.

In vino adumbratio finalis & effectricis causæ Christi Domini.

NOn minor sitis vrgebat vniuersum orbem terrarum ante Christum, quàm fames: nec sitis aquæ corpora dumtaxat excrucians, sed qua etiam animæ deficerent & exaresserent. Itaque prouidit optimus Deus tantæ siti remedium; illudmet videlicet quod fami; nempe Christum suum; qui ita panis est, vt simul sit vinum inebrians ebrietate sobria spiritus. Omnia enim Christus est nobis, vt suauissimè disserit S. Ambrosius l.3.de Virgin. *sub medium.*

Christus panis, & vinum, iuxta triplicem vini statum.

318. Prænunciauit optimè panem hunc inebriantem, Oseas cap.14.cum intendens in Christi tempore, dixit in persona Dei. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè*, id est absque eorum merito, præueniam illos meis donis, *quia auersus est furor meus ab eis. Ero quasi ros Israël*, refrigeriũ illis præstãs, vt fecit quartus similis filio Dei, ad cuius aduentum, tres pueri experti sunt medium fornacis quasi ventum roris flantem. *Germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani*: excrescet in amplitudinem & proceritatem præcellarum Libani arborum. *Ibunt rami eius, conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico.* Quid mirum si in mortalium nutritione per triticũ, vt signatim id monitum oportuerit, equidem non appareret, nisi ex versione 70. Interpretum disceremus, magnum aliquod arcanum subesse verbis illis ex mente Spiritus sancti. Non enim simpliciter verterunt *viuent tritico*, sed *inebriabuntur frumento.* Vnde habetur, hoc frumentum, & panem diuinitus prouidendum in lege gratiæ, hoc est Christum, cibum simul & potum fore. Idque etiam præsignatum est in manna; in quo aiunt Hebræi apud Autorem fasciculi myrrhæ, [erat panis & aquajac erat humidum per sese, & quando descendebat, rorem habebat subter, & rorem supra.] Videsis Genebrardum in Psalm.94. n.10. Itaque exposita iam mannæ allegoria, videri poterat prætereunda hæc comparatio. Nihilominus ad commodiorem tantæ rei introspectionem, exposita adumbratione finis & effectionis Christi in pane, eiusdem finis & effectionis adumbrationem in vino, videamus.

Potest autem vinum in triplici statu considerari; nimirum primò intra botrũm; secundò extra botrum iámque ex eo expressum, sed purum & impermistum; tertiò vt aqua mixtum. In quolibet illorum statuum, magnæ vino affinitas cum Christo Domino, quoad finem & productionem suã. Attigit hoc egregiè quoad primos status, Nyssenus *sub finem* homil.3.in Cant. tractans illud *Botrus Cypri, dilectus meus*, vbi diuinam vitem in omnibus domus lateribus extensam, & per dilectionis pampinos circumuolutam vitæ describens, ait. [Quis est adeò beatus, imò verò quis adeò omnem superat beatitudinem, vt in se suum fructum videns, suæ animæ botros, videat vineæ dominum? Vide enim quantum creuit, quæ in sua nardo sponsi bonum cognouit habitum, myrrha quæ seipsam fecit odoriferam, & cordis fasciculo complexa aroma, vt sibi perpetuò permaneat, bonum nunquam expicandum, fit mater diuini botri, qui ante passionem quidem *ecupriæ*; id est, florebat, in passione autem vinum effundebat. Vinum enim cor lætificans, fit & nominatur sanguis vuæ post passionis œconomiam. Cum autem botro fruamur dupliciter, nempè & cum flos bono odo-

re

ut sensus delectat, & cum fructu iam perfecto eam commedendo voluptatem capimus, aut cum in conuiuio vino exhilaramur, hic sponsa accedit ad botrum florentem vt fructificet, Cyprum nominans, florem vitis. Qui enim natus est puer Iesus, qui in ijs qui ipsum susceperunt diuersè proficit Sapientia & ætate & gratia, non est idem in omnibus, sed pro modo eius in quo est, quatenus is qui ipsum rapit est idoneus, talis apparet; aut infans, aut proficiens, aut perfectus, conuenienter botri naturæ; qui non semper cernitur in vite in eadem forma, sed formam mutat cum tempore, flores, perfectus, maturus, vinum factus.] Varios ergo illos Christi cum vino collati status, consideremus.

Vini intra botrum, seu vuæ, contentio cum Christo.

319. Esse Christum, vinum in botro & vuæ acino, intelligimus ex præclara, & apud Patres frequenti, Deiparæ comparatione cum vite. Nam si Deipara vitis, perspicuè sequitur, fructum vitis eius Christum Dominum, botrum esse. Esse autem Deiparam vitem, plenissimè prosequitur Richardus à S. Laurentio l. 12. de Deip. in 6. particula horti conclusi, à pag. 926. splendidè item Delrio polem. 5. & 6. suffragatúrque ipsa Ecclesia, accommodans Deiparæ illud Ecclesiastici 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* S. tamen August. ser. 100. de temp. Deiparam, terræ promissionis è qua botrus optimus Christus collectus est, conferendam censuit, astipulante Petro Damiani serm. 46. Sed hoc eodem recidit. Non enim vua immediatè ex terra prodit, sed ex vite terræ implantata. Itaque æquè habemus quod intendimus; nempe Christum, botrum esse. Dicitur quidem etiam ipse Christus, vitis quod ipsemet de se professus est, [vt qui pectus humectantem ac voluptate afficientem, prædicationem præbuerit,] ait Isidorus Pelusi. l. 1. epist. 168. Idipsum iusto tractatu apud Bernardum minutissimè exponitur. Chrysostomus in Psalm. 1. vocat Christum [vitem vnigenitam, quæ palmites pandit Apostolicos, & botros fert Patriarchicos.] Tamen alia & alia consideratione Christus vitis aut dicitur, nec est nouum, vt quando vno verbo nostro vnàve comparatione adæquare Christi varias perfectiones non possumus, pluribus vtamur; tametsi apud nos se excludentibus.] Id quod circa Deum facitari à nobis necessariò, notatum egregiè est à S. Dionysio cap. 2. de cæl. Hierarch.

Christus igitur, botrus & vua est. [Dictus est & Dominus, botrus vuæ; quem ligno suspensum, de terra promissionis qui præmissi erant à populo Israël tanquam crucifixum attulerunt.] Verba sunt S. Augustini in Psalmi 8. titulum. Alludit autem ad historiam quæ narratur Numer. 13. vbi ex ijs quos ad terram promissionis lustrandam miserat Moses, duo vuam vnam prægrandem, specimen fertilitatis terræ, retulerunt ad populum. Quomodò autem in ea vua, & eius bajulis, Christus & quæ ad Christum attinent sint præsignata, notarunt plurimi Patres, sed præclarè ipse S. Augustinus serm. illo 100. de temp. vbi primùm vuam in vite à duobus illis succollantibus portatam, exponit Christum in duobus testamentis: tum addit interpretationem aliam, de duobus illis, duo charitatis præcepta referentibus. Reueniens verò ad priorem interpretationem, ait. [Hæc vua in ligno suspensa, duorum defertur obsequio, qui nobis vtique sicut iam dictum est, duorũ testamentorum repræsentantur oraculis: quæ in ligno crucis pependit, cuius vinum in pretiũ nostrum, passionis expressione profluxit. Sed operæ pretium est, arcana Sacramentum apetiri effectibus rerum. Hanc vuam duo deferunt inserto vecte pendentem. Possunt illi duo, etiam Christianum vel Iudaïcum populum figurare. Ibi ergo sunt duo, id est, Synagogæ vel Ecclesiæ populi. Et quia prior fuit Iudæorum populus, præcedit Iudæus; sequitur Christianus. Salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum. Hic obsequium præfert, ille contemptum. Ideò & de Iudæis Propheta testatus. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum illorum semper Incurua.* Incidunt duo sub sacro fasce, ordine suo. Hic semper videt, ille semper relinquit. Iudæus autem proximum se æstimat, sed absentat. Christianus ergo præsenti munere fruitur, Iudæus solo onere prægrauatur. Vua Christus sicut credenti salus, ita onus est non credenti. Iudæis enim ille specialiter annunciatus, de quibus dictum est, *In sua venit, & sui eum non receperunt*; factus est eis lapis offensionis, & petra scandali: & quem Israël nõ cognouit, gentium fides recepit. Et ideò post sequitur iste, sed spem suam sub oculis habens, antecedit & proficit; ille prior graditur, sed deserit & recedit. Portat quidem Christum in lege Iudæus, sed à gratia, quam in mysteriis portat, auersus est; quia quem prædicatione susceptit electus, corde perdit incredulus: & quem vnus aspernatur in lege, alter miratur in corpore. Vnde amborum dominus & redemptor noster, ab hoc adorante gestatur, ab illo se auersante suspenditur: Ac sic impletum est in Iudæis; *Posuerunt ad me dorsa, & non facies suas.*]

320. Eadem breuiter habet Prosper. de promiss. p. 2. c. 9. nec non Ambrosius serm. 72. & Rupertus in Numer. l. 1. c. 37. & l. 10. in Matth. ad c. 26. nec multum discrepat Petrus Damiani serm. 46. nisi quod paulo aliter aptat quæ de duobus vectoribus ac vecte sunt adducta [Mediatorem (inquit,) Dei & hominum, hominem Christum Iesum, botrus ille signauerat, quem de terra repromissionis exploratores in falanga ad filios Israël deferebant. Duobus autem portitoribus hinc inde suppositis, altero videlicet præcedente, altero subsequente, botrus in medio ferebatur; quia Redemptor noster, dum à Patribus veteris Testamenti venturus esse prædicitur, à nouis verò prædicatoribus iam venisse nunciatur, quasi botrus in falanga defertur; vt ad capessendam supernæ repromissionis terram, mens fidelium accendatur. Falanga quippe delata humeris portitorum, diuina Lex est, imposita ceruicibus hominum. Cuius parte, botrus ille medius continuauit; quia Saluator noster, qui fecit, vtraque vnum, cum Euangelica doctrina, legis & Prophetarum mandata coniunxit. Sed qui præcedebat, quod humeris portabat, oculis non videbat; qui autem sequebatur, onus suum semper intuebatur. Per illum ergo qui præcedebat, Iudæorum; per illum verò, qui sequebatur, non incongruè designatur multitudo Gentium. Ille enim per Sacræ Scripturæ paginas quasi in humeris Christum portauit; sed quia præsentem in carne, impediente infidelitatis suæ caligine, non cognouit, dorsum ei quodammodò in faciem misit. Iste verò, qui sequitur, aspicit; quia Gentilis populus, Redemptorem suum in quem fideliter credit, manifestè cognoscit.]

Ferè eadem repetit serm. 50. vbi etiam addit, ex hoc botro, Ecclesiæ Christianæ præcellentiam supra Synagogæ paupertatem, deprehendi. Quò refert verba Gedeonis Iudic. 8. [Hunc botrum (inquit,) Gedeon figurauit, cum Ephratæis calumniantibus, sub excusatione respondit: *Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer.* Nam quia Ephraim, qui fœcunditatem sonat, Ecclesiam exprimit, quid per racemum Ephraim, nisi Christum? quid per vindemias Abiezer, nisi Iudaïcorum multitudinem Sacerdotum? sine etiam per racemum, paruus fidelium numerus primitiuæ Ecclesiæ, per vindemiam verò multitudo intelligenda est Synagogæ? Melior est ergo racemus Ephraim vindemiis Abiezer; quia beatior fuit primitiua Ecclesia quæ vsque in finem sæculi renascentium sobole fœcundatur; quàm Synagoga, quæ paulatim quotidie defectum minuitur.]

321. Latebat intra hunc botrum diuinitatis substantia; sicut vini liquor in botri pulpa. Quod si verbum externum comparatum ad internum, est germanum Christi symbolum, vt tractatum est superiùs: necesse profectò est, botrum esse quoque symbolum Christi. Nam botrum esse veram externi & interni verbi simul compactorum imaginem, S. Augustin. in Psalm. 8. pulcherrimè sic docuit, componens Christum cum vua. [Verbum itaque diuinum, cum enunciationis necessitate vsurpat vocis sonum, quo in aures perueharur audientium; eodem sono vocis tamquam vinaciis, intellectus tamquam vinum includitur, & sic vua ista in aures venit, quasi in calcatoria torcularium. Ibi enim discernitur, vt sonus vsque ad aures valeat, intellectus autem memoria eorum qui audiunt, velut quodam lacu excipiatur, inde transeat in morum disciplinam & habitum mentis; tamquam de lacu in cellas, in quibus non acuerit vetustate firmabitur. Acuit namque in Iudæis, & hoc aceto Dominum potauerunt.] Iure igitur Christus, ex Deitate & humanitate eam veluti connestiente compositus, tamquam ex interno verbo per externi vestem obductus, vocatur *vua*: Eáque ex causa, Christus sic compactus ex gemina substantia, *botrus Cypri* dicitur in Canticis; sanctus quidem Bernardus serm. 2. de cœna Dom. existimauit, botrũ Cypri dictum esse Christum, secundùm Deitatẽ. Alanus tamen Cant. 1. ad illud *botrus Cypri dilectus meus mihi*, & Ambros. serm. 72. ac Prosper pag. 2. de promiss. c. 9. passimque alij, ad humanitatem potiùs referunt: in qua vinum lætitiæ quasi concarnatum, & acino carnis circumamictum ac contectum est.

Torcular botri Christi.

322. Suffragantur quotquot prelum Crucis atque torcular, ad huius vini expressionem adhibitum dicunt, vt Augustinus serm. 100. de temp. & Petrus Damiani serm. 50. qui Christum botrum exhibet, pedibus Iudæorum atque Gentilium in Crucis prelo calcatum, ex quo pretiosi sanguinis vnda profluxit, quæ mentes hominum malè sobrias, vino Spiritualis gratiæ salubriter debriauit. Præcesserat vindemiatio (iuxta Richardum à S. Laurentio lib. 12. particula 6. horti concluso,) cum Christus comprehensus est, & iuxta Isaiam cap. 53. abscissus de terra, vt ad prelum & pressorium Crucis, (sic bonus ille Auctor latinitatem calcans loquitur,) deportaretur, vbi torculari, id est premi intra illud torculat posset, ad succum redemptionis nostræ exprimendum. Quod aliis verbis pulchrè dixit Autor sermonis singularis de cœna Domini, apud Bernardum, sic loquens ad hominem ex Christi persona. [Ego botrus carnis, pro salute tua portatus sum ad torcular Crucis. Inde eliquatum est mustum tuæ redemptionis.] Audi etiam Athanasium q. 110. ad Antiochum, vbi proposita quæstione, quæ sint illa torcularia quorum in quibusdam psalmorum titulis est mentio, respondet, esse. [Ecclesias in quibus vinum funditur. Veluti sacrosanctus Domini nostri Iesu Christi sanguis effunditur & sanctũ corpus eius immolatur. Quod verò dicit Esaias Propheta: *Torcular ego calcaui prorsus solus*, hunc habet sensum: Sicuti torcular est receptaculum, & in eo calcantur botri; sic etiam Christus concalcauit inimicos suos tum intelligibiles, tum sensibiles. Dicimus autem & hoc, quod botrus & vua Christus est, qui seipso comminuto, voluntariè pressus est, & ex morte sua distillauit diuinum mustum, súoque seipsum sanguine rubere fecit. Est verò omnino solus. Nam solus ipse Christus, pro nobis mortuus est.] Non multum abest Clemens Alex. II. pædag. c. 2. sic scribens. [Naturalis & sobrius potus sitientibus necessarius, est aqua. Eam ex prærupta petra manantem, veteribus Hebræis vnicum ac simplicem temperantiæ potum suppeditauit Dominus. Oportebat autem eos, vtpotè errantes, esse maximè sobrios. Posteà sanctæ vitis botrum germinauit propheticum. Hoc signum est, ijs qui ad quietem ex errore instituti sunt, magnus botrus, nempe Verbum pro nobis expressum.]

Non absre, hinc graues Patres admonent Christianum quemlibet, vt si Christo conformari velit, non refugiat pressuras torcularium quibus bonus Christi fructus ab integumentis purgetur, vt disserit S. Augustinus ad titulum Psal. 8. potéstque eodem referri, quod mox addit de torcularibus martyriorum [in quibus tamquam afflictione persecutionum calcatis ijs qui Christi nomen confessi sunt, cum mortalia eorum tanquam vinacia in terra remanserunt, animæ in requiem cœlestis habitationis emanauerunt.] Hæc si paulò laxiùs accipiamus, ita vt ad martyrium quoque latè dictum pertineant, ad omnes æquè fideles, in pace licet Ecclesiæ viuentes accommodari poterunt, vt latè monstratum est in opere de martyrio p. 1. cap. 1. éstque per se manifestum. Nemo quippe est Christianorum, cui martyrium aliquod non sit subeundum, atque adeò nemo est à torcularium pressura immunis, si Christo conformis, & passionum eius socius esse velit.

Vinum è botro expressum, imago Christi, etiam iuxta illos Patres qui sanguinem eo adumbratum dicunt.

323. Alterum vini statum, aiebam esse, vini iam expressi è botro per calcationem aut prelum, sed puri ac impermisti. Vinum sic consideratum, nonnulli Patres videntur ad solum Christi sanguinem referre. Clemens Alexand. II. pædag. c. 2. [Etiamsi aquam vinum in nuptiis fecerit, non tamen permisit inebriari: quod erat autem aqueum sensus legis, vinificauit; operatorem scilicet ex Adam, cum vniuersum mundum repleuit sanguine, & potum vitis veritatis, temperamentum Veteris legis & Verbi noui, ad præstituti temporis complementum, pietati ac Dei cultui præbuit. Mysticum ergo, signum sancti sanguinis, vinum, scriptura nominauit.]

Origenes insigniter hom. 16. in Num. ad illud, *& sanguinem vulneratorum bibet*, hæc exponens de Christi sanguine quem fugimus, & in quo confederamur in Sacramentis, déque Apostolorum doctrina, ait, quod Christum, hunc esse sanguinem vuæ, toties in Scripturis prænunciatum.

Iustinus in colloq. cum Tryphone, tractans locum ex Genes. 49. sic habet. [Item quam è Mose retulimus, Patriarchæ Iacob prædictio: *Lauabit in vino stolã suam, & in sanguine vuæ amictũ suum*; Significabat abluendos eius sanguine quotquot in eum crederent. Nam Spiritus sanctus, stolam vocat eos qui per ipsum remissionem peccatorum accipiunt, quod his semper adsit sua potentia; & manifestè in secundo aduentu aderit. Cæterum sanguis vuæ, non temerè dictus, significat; habere quidem Christum sanguinem, non tamen ex humano semine, sed ex Dei potentia. Sicut enim vitis sanguinem, non homo sed Deus genuit, sic Christi sanguis, non ex humano genere, sed ex Dei virtute proueniturus prædicebatur. Hæc est amici propheta, ex qua dicebam liquere, Christum non esse hominem, ex hominibus communi hominum more genitum.] Rursúsque inferiùs tractans illud Esaiæ *generationem eius quis enarrabit*, ita scribit. [Hæc nonne ita videntur, quasi genus ducat non ex hominibus, cum dicatur propter populi peccata morti addictus à Deo; De cuius sanguine Moses quoque, vt meministis, loquitur, dum ait, eum lauare stolam suam in vuæ sanguine: figuratè subindicans, hunc sanguinem non esse oriundum ex humano semine, sed ex Dei voluntate.] Eodémque aptat, quasi eundem facientia sensum, illa Psal. 109. *Ex vtero ante luciferũ genui te*: quibus æquè ferri censet, [quod superné,

superne, per ventrem humanum, Deus & pater vniuersorum, erat Christum progenituras.]

324. Eodem modo philosophatus videtur Nouatianus l.de Trinit. cap.16. propositum ex Genesis 49. locum expendens, & monstrans, Verbum diuinum carne fuisse amictum tamquam stola, eamque sanguine per passionem cruentasse. [Si stola (inquit,)in Christo caro est,& amictum ipsum corpus est, requiratur quisquis est ille cuius corpus amictum est, & stola caro. Nobis enim manifestum est, carnem stolam & corpus amictum Verbi fuisse: quique sanguine, idest vino, lauit substantiam corporis, & materiam carnis ablens, ex parte suscepti hominis passione. Ex quo siquidem lauatur, homo est: quia amictum quod lauatur, caro est. Qui autem lauat, Verbum Dei est, qui vt lauaret amictum, amicti fusceptor effectus est. Meritò ex ea substantia, quæ recepta est, vt lauaretur, homo exprimitur: Sicut ex Verbi auctoritate qui lauit, Deus esse monstratur.]

Annexo prædictis S. Ambrosium, cui ex parte idem visum l.de benedict. Patriarch. cap.4. tametsi in priore interpretatione, aliter quàm superiores Patres, vinum accipiat. Verba eius sunt. [Bona stola est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ vniuersos induit veste iucunditatis. Lauit hanc stolam in vino, quando cum baptizaretur in Iordane, descendit Spiritus sanctus sicut columba, & mansit super eum. Quo significatur, quod plenitudo Spiritus sancti, indidata in eo fuerit, nec recesserit. Vnde & Euangelista ait: *Qua plenus Spiritu sancto Dominus Iesus, regressus est ab Iordane.* Lauit ergo Iesus stolam suam, non vt lauam, quæ non erat, sed vt nostram quæ erat, sordem ablueret. Denique ait; *Et in sanguine tuo, Anabo ladium suum*, hoc est in passione corporis sui, diluit gentes suo sanguine. Etenim Verbi anabola dium, gentes sunt, sicut scriptum est; *Vino ego dicit Dominus, misi eos omnes indaam sicut vestimentum.* Et alibi: *Sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur.* Non ergo sanguine proprio sua peccata, quæ non erant, sed nostra quæ fecimus delicta mandauit. Et benè vuam dixit, quia sicut vua, pependit in ligno. Ipse est vitis, ipse vua. Vitis ligno adhærens. Vua quia lancea militis apertum latus, emisit aquam & sanguinem. Sic enim dixit Ioannes: *Quia exiuit de eo aqua & sanguis.* Aqua ad lauacrũ, sanguis ad pretiũ. Aqua nos abluit, sanguis redemit. Et ideo ait Propheta: *hilares oculi eius vino, & dentes candidiores quàm lac*: significans Prophetas & Apostolos. Illi enim sicut oculi Christi, præuiderunt & annunciauerunt eius aduentum, de quibus ipse dicit: *Abraham diem meum vidit, & gauisus est.* Et vnus de Prophetis dicit: *Vidi Dominum Sabaoth*, quem videntes Spiritali lætitia complebantur.]

325. His locis, Patres allegati ita vinum restringunt ad sanguinis Christi adumbrationem, vt tamen Metonymicè, contentum pro continente, aut Synedochicè partem pro toto, adhiberi ab eis liqueat. Alioqui enim Iustinus, genetationem Christi ex Virgine absque humano semine, ex vini per vitem procreatione absque semine, confirmandam non censuisset: Neque S. Ambrosius, Christum in extremis verbis ex eo relatis, consuisset cum vino, dicens. Prophetas ex eo quod Christum prospexissent, hilares à vino dictos Genes. 49. Firmat quod dico Eucherius, hom.5. de Pasch. *sub finem*: nam tractans conuersionem aquæ in vinum, ait in aquis figuram gentium demonstrari, in vino autem sanguinem Dominicæ passionis ostendi: & tamen stratum subdit, in Sacramentis, Augustissimo inquam Missæ Sacrificio, dum vino aqua miscetur, significari nexum populi fidelis cum Christo, aquis fidelem populum denotantibus, iuxta illud quod ex Apocalypsi c.17. profert. *Aquæ istæ quas vidisti, populi sunt, gentes & linguæ:* vino autem designante Christum, quæ item est ritus illius interpretatio probata Iulio I. epistola ad Episcopos Ægypti, ac S.Cypriano Epistola 63. n.37. & plerisque aliis quos profert Scortia lib.4. de Missa cap.1. num.5. apud quem ibidem num.15. quod in sacrificio Christiano, non vinum sed sola aqua benedicatur, eo refertur ex Durando Minat. l.4. ration. cap.30. quod vinum designat Christum; qui cum sit fons omnis sanctitatis benedictione non eget. At aqua populum significat, qui benedictione indiget quamdiu militat. Propterea namque in Missis defunctorum, quia mortui vltra non egent benedictione gratiæ, omittitur aquæ benedictio. Quotquot igitur in his ritibus sacris; vino, nunc Christi sanguinem, nunc ipsum Christum adumbratum dicunt, firmant quod affirmabam: & sanguinem in quo est hominis anima, vt Scriptura loquitur, id est quo hominis vita continetur, accipiunt indiscriminatim pro Christo toto. Inde cum vino adumbratum ajunt sanguinem Christi, perinde est, ac si Christum dicerent in vino adumbratum. Deiparam, eadem ex causa, cellaria Regij interpretatur Philipp. Abbas Tomo 5. Moral. in Cant.

Vini meri, & Christi, correspondentia, atque adeò etiam veteri Christiani.

326. Et sunt sanè vini conditiones & effecta, admodum Christo congruentia. Vinum enim quamuis vt est apud Clementem Alexandrinum 2. pædag. c.2. contumelia affectum par pari refert, tamen haustum citra abusum, qui in omnia æquè Dei, opera vitio nostro non suo potest irrepere, egregios omnino habet effectus, vt iucunditatem ei qui biberit alisque præstandi, conciliandi mititatem, corpus vniuersum vegetandi. [Cum enim sit calidum, & habeat suaues succos moderate temperatos, turpia quidem excrementa liquefacit caliditate, acres autem & malos succos, bono odore contemperat.] Verba sunt Clementis loco notato, qui inde concludit, rectè proinde dictum esse à Syracide c.13. *Exultatio animæ & cordis, vinum creatum est ab initio.* Hæc à Christo in nobis præstari, nemo non videt. Est itaque Christus vinum nostrum, vt propterea S.Maximus serm. apud Ambrosium 78. Agar, Synagogæ typum quia Christum non accepit, magno mysterio Genes.12. obseruet ex opulenta domo dimissam cum vtre aquæ, absque vino: & Iudæos qui Christum agnoscere Deum verum & hominem noluerunt, affirmat caupones illos fuisse vinum permiscentes aquæ, quos Esaias c.1. reprehendit; ab ea reprehensione immunes futuros, si Dominum Saluatorem, verè Deum agnouissent, & sinceræ eius diuinitati, turbidum quiddam ac sordidum non intulissent, criminantes quod cum homo esset, faceret seipsum Deum.

Tanta cum sit vini meri & Christi consensio, non abs re S.Ambrosius serm.22. fidelem qui imago Christi esse debet, vini typum esse oportere, confirmat; vt vini vice lapiat quod bonum est, & redoleat quod suaue est. Qui enim eiusmodi non sunt, sicut aqua iacent, rigent & pallent, nullius saporis, nullius odoris, nullius pretij, nec sufficiens ad vsum nec delectabilis ad reficiendum. [Fidelis autem, sicut vinum, fortis & ruber est.] Et paulo post; [Rectè vino comparatur fidelis. Sicut enim ex cunctarum creaturarum substantia, omnis res vetustate deperit, solum vinum proficit vetustate: ita ex omni genere hominum, cunctis ant quitate pereuntibus, solus Christianus proficit vetustate. Et sicut vinum in dies singulos asperitatem suam decoquens, saporis dulcedinem & suauitatem odoris acquirit; ita & Christianus, successu temporis delictorum suorum asperitatem decoquens, sapientiam sibi diuinitatis, beneuolentia Trinitatis assumit.]

327. Sit igitur Christianus vinum merum; nec cauponaria arte, misceatur vinum eius aqua, id est inter-

prete S.Maximo serm. apum Ambrosium 8. ne rebus sanctis & seruidis, inserat res viles & frigidas. Id quod nominatim præstare Præsules sæcularia tractantes, fusè ibidem traditur. Idem facere hæreticos, obseruat Isido. Pelus. l. 1. Epist. 169. quia miseros suos errores, puræ ac limpidæ diuinorum sermonum Sapientiæ inferunt; propterea que lib. 3. Epist. 125. obseruat, non fuisse à Propheta dictum, *caupones tui aquam vino admiscent*, quod faciunt propolæ vini materialis, cum illud adulterant; sed dictum esse, *caupones sui vinum aquæ admiscent*. Hæretici namque diuina dogmata euanidis cogitationibus suis admiscentes, sacram doctrinam adulterant. Quâ specie Paulum Samosatenum exhibet S. Athanasius serm. contra omnes hæreses, dicens illum (diluisse diuinum merum verborum Apostoli; ex quo diluto cum bibisset, aqua intercute concepta, interiisse cum Æthianis.] Fusè præterea de his cauponibus, [sincero mero, id est Dei verbo, insipidum & aquatum, id est terrenam & humanam doctrinam miscentibus.] Beatus & Elhericus l. 1. contra Elipandum p. 349. Hoc est vinum suis conuiuis ab Ægypto & Sodoma mixtum, vt pulchrè prosequitur Philip. Abbas lib. 1. in Cant. cap. 5. Ab omni huiusmodi mixtura, & cauponatione, cùm morum, tum dogmatum, alieni sint fideles & Christi synceritatem ac feruorem æmulari satagentes vinum se merum ac intermistum exhibeant, Alioqui Christus eos abijceret. Audi enim Clementem Alexandrinum 1. pædag. cap. 6. [Quamquam autem dixit; *Et panis quem ego dabo, caro mea est*; caro autem sanguine irrigatur, sanguis autem vinum allegoricè dicitur: Sciendum est quod panis in vinum temperatum minutatim coniectus, vinum arripit, quod est aqueum autem relinquit: Ita etiam caro Domini, quæ est panis cœlorum, ebibit sanguinem, eos qui ex hominibus sunt cœlestes, ad incorruptionem enutriens, solas autem illas carnales cupiditates, ad corruptionem relinquens.]

Vinum quoque aqua mixtum, idonea Christi imago.

318. Videor officere rationibus meis, & tertiam vini cum Christo comparationem initio propositam, mihi ipse præcludere. Quomodò enim fuerit Christus vinum aqua mistum, si est in ea mistura symbolum improbitatis ac adulterationis, quæ à Christo abest longissimè? Verùm quod supra per aliam occasionem monui, agens de fermento, nouum non est, vt in scripturis, res eadem penes varia adiuncta, nunc vnius nunc alterius tametsi oppositæ rei, sit symbolum: ac proinde nihil vetabit, vinum aqua temperatum, quod proximè vitiosæ rei symbolum esse dixi, vsurpari quoque ad Christi adumbrationem. Quinimò rem malam, in eo ipso quod mala est; & malum hominem, in actu malo, typum ac symbolum esse posse rei sanctissimæ, doctrina est grauissimorum Patrum, Augustini 22. contra Faustum c. 83. Gregorij lib. 3. moral. cap. 21. Hieronymi epist. 131. nequicquam refragante Guilielmo Parisiensi l. de legibus cap. 17. qui nominatim Stomachatur in aliquos, iuxta quos Dauid copulans sibi Bersabëe occiso Vria, in opere tam multipliciter tamque grauiter sordente, dicitur typus Christi. Bersabëe verò Ecclesiæ gentilis, Vrias denique vir fidelis & innocens, sed ad eam allegoriam indemnem præstandam, satis esse potest quod sit S. Gregorij loco citato, & Gregorium citantis Richardi lib. 2. de erudit. inter hom. cap. 9. Multo itaque magis, vini & aquæ mixtura, quæ est ex se quid indifferens, figura & typus esse poterit Christi Domini: quamuis quia adulterium est rei ex se synceræ, malè item sonare possit, & typus esse eorum qua præmisimus: Sanè apud Cantipratanum l. 2. apum cap. 49. n. 2. vinum mixtum, proponitur vt symbolum vnionis diuinitatis & animæ beatæ; Et apud Honorium in Gemma animæ capite 158. proponitur vt symbolum, coniunctionis Dei & Ecclesiæ.

319. Esse igitur vinum temperatum, Christi symbolum, Clemens Alexand. 2. pædag. cap. 2. disertè docet. Magni enim botri, succum & vuæ quam sancta vitis germinauit, sanguinem, expressum sanguinis Verbi typum statuit, quod aqua pro nobis temperari voluerit, id est homo fieri. Móxque hominem mysticum, ex spiritus & verbi mystica contemperatione existentem, describens, & *diuinum temperamentum* nominans; eam contemperationem symbolum esse docet, copulationis Verbi cum carne, atque adeò Christi Domini. [Etenim verè quidem spiritus, animæ quæ ab ipso fertur, coniungitur, & familiaris efficitur: caro autem Verbo, propter quam Verbum caro factum est.] Hac ex causa præter cæteras, Christus Dominus vinum quod in cœna vltima consecrauit, admista aquâ, quibus Verbi & humanitatis consertio exprimeretur, adhibuit ad tantum mysterium, quo Incarnationis Verbi memoriam voluit esse perpetuam. Eiúsque mysterij conscij Hydroparastæ propago Ebionæorum, puram aquam adhibebant in mysteriis. Ebionæos namque, quibus Christus erat purus homo, non nisi aquam, vt solam Christi naturam humanam significarent, vsurpasse in profanis suis mysteriis, autor est S. Epiphan. hær. 30. quam pernicioſam hæresim (sic enim eam nominat Chrysost. hom. 83. in Matth.) minùs plenè peruasisse videtur Gennad de Eccles. dogmat. cap. 75. cum censuit, eius autores sola sobrietatis falsos imagine, aquam puram ad sacrificium adhibuisse. Quod tametsi de Entratitis stabiliri vtcumque possit, per ea quæ disserit S. Epiphanius hær. 47. tamen de aliis anterioribus, secus est. Aliud enim spectarunt; nimirum eam quam ab Ebione hauserant Verbi diuini & humanitatis impermistionem, sine inconiunctionem: præter blasphemas fabulas de vino ex veneno serpentis aut draconis, quas primo illi Ebionis fundamento superstruxerunt apud Epiphanium hær. 45. E contrario igitur S. Ecclesia factum Christi secuta, vino in mysteriis aquam admiscet; cum ad alia de quibus S. Cyprianus epistola 63. & plerique Ecclesiastici canones apud Castrum V. *Eucharistia* hær. 7. tum nominatim ad eam quam dixi diuini Verbi & humanitatis consertionem significandam, vt ait Nicephorus l. 18. histor. cap. 53.

Sic habetur nobilissimo modo quod Isidor. Pelus. l. 2. epist. 3. & 5. dixit, de vino mixto, quod propinat sapientia. Ait enim aliud non esse, quàm res diuinas, corporeis velaminibus temperatas. En hîc rem diuinissimam, ipsum Verbum diuinum, corporis adiunctione temperatum. Aptè igitur vino diluto confertur Verbum incarnatum, in quam rem Richard. à S. Laurent. l. 1. de Deip. c. 4. *sub finem* aptat illud ex Prouerb. 9. *bibite vinum quod miscui vobis*. Anastasius autem q. 40. in Script. eodem sensu accipit illud eiusdem capitis, *sapientia miscuit vinum*. Eundem locum accommodat in eum sensum S. Gaudentius Tract. in illud *Pater maior me est*. Addítque etiam alium locum ex Psalmo 74. vbi Psaltes memorat calicem vini meri plenum misto. [Est enim (inquit) Deus & homo, verumque iam Deus in Dei Patris dextera constructus, quoniam calix in manu Domini vini meri plenus est mixti. Et inclinauit ex hoc in illud: veruntamen fœx eius non est exinanita. Et quanquam suum Psalmi huius sensum, alio textu, & quidem rationabili fuisse à prioribus explanatum, ego tamen pro libertate fidei, opportunitatem dictorum secutus, traxi ad Incarnationis Dominicæ Sacramentum. Nam sic vel inclinatus vel humiliatus est Deus in homine, vt permanens Deus esset quod fuerat, hominémque propter quem se humiliauerat, exaltaret: quia ita Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis, & ita rursus homo in Deum conuersus est, vt in Deum quidem promotam, naturæ tamen suæ substan

substantiam retineret, atque ideò Propheta ait, *quoniam calix in manu Domini vini meri plenus est mixti, & inclinauit ex hoc in illud: Verumtamen fex eius non est exinanita.* Vini (inquit) meri, plenus est mixti. Et mixtum prohibet vinum, & illud ipsum, merum testatur esse, vt eundem credamus Deum, quem pro nobis & hominem confitemur. Nam quem inclinatum nunciat, patiter dicit & plenum, vt is qui sese exinaniuit, formam serui accipiens, plenus Deus esse non desinat. Habitauit enim in Christo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Hunc verò calicem, *bibent* (inquit) *peccatores terra.* Rectè iuxta hunc intellectum, *bibent* (ait) *& peccatores terræ.* Quia peccatores cœli, ex Angelis dæmones facti, salutis seculum bibere non merentur. Tertæ autem peccatores, contra venena dæmonum morbósque vitiorum, calicem salutis accipiant, & nomen Domini inuocabunt. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Ideo verò calix iste peccatoribus bibendus tribuitur, quia non est opus sanis Medico, sed malè habentibus. *Non venit* (inquit) *vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Tales enim sapientia Dei ad istum cratera salutiferæ mixtionis inuitat, cum sublimi voce hortatur & dicit, *quisquis est insipiens diuertat ad me, & egentibus sensu ait, Venite edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis.* Ob hoc autem inuitatur insipiens à sapientia Dei, vt fiat sapiens, & peccator vt conuertatur & viuat. Ad istud periculum diuinæ misericordiæ, vniuersi generaliter conuocamur. *Omnes enim peccauerunt*, vait Apostolus, *& egent gloria Dei.*] Expressissimè ergo S. Gaudentius, ex sua & Scripturæ mente Verbum incarnatum appellat vinum mixum.

330. Et est sanè vini & aquæ mixtura, admodùm affinis duarum in Christo naturarum coniunctioni. Quod enim habet multorum nunc autorum sententia, vinum, & aqua cum permiscentur, non transmutatur inuicem, sed ambæ substantiæ permanent, vt inde probat Nemes. c. 3. *initio* quod spongia oleo imbuta, & papyrus, aquam puram attrahunt. Idem confirmat Philo l. de confusio. lingua. *in fine*, & Constantinus l. 7. Geopon. c. 8. & l. 6. c. 16. Vasq. hederaceo aquæ immisso, idem præstari docet Plinius lib. 16. c. 35. Tradunt eam aquæ in vino perseuerantiam, & intransmutabilitatem naturalem, Aquilonius 5. Opus. propositione 18. Dand. 2. animæ digress. 25. Buccaff. de sensu & sensil c. 30. & ibidem homo apostata, vir inutilis, Simon Simonius. Item Ægydius Coninc. 3. p. q. 74. art. 8. sed omnium plenissimè Paulus Anesius, cum ad libros de generatione quæst. 52. tú in peculiari tractatu de aquæ transmutatione in sacrificio. Et quamuis mihi, altera sententia concedens physicam aquæ in vinum transmutabilitatem, quæ omnium est antiquorum Theologorum ac Philosophorum, post Aristotelem 1. de gener. t. 34. videatur longè verior, & à Durando in 4. d. 11. q. 2. n. 7. ac q. 3. num. 6. validè probari videatur, ex omnibus conditionibus ad transmutationem necessariis, intervenientibus in eo euentu: tamen illud vltrò dandum priori sententiæ existimo, non nisi lente perfici eam transmutationem; ac vini & aquæ perseuerantiam, esse validè diuturnam, & in ordinarijs ad potum mistionibus aquam manere intransmutatam, id quod verissimum etiam censeo, de aqua quæ calici ad sacrificium immittitur. Hoc autem satis esse potest ad rem præsentem. Aqua enim vino penitissimè apposita, quandiuque impermista & superstes, quandiu ad potum & ad sacrificio præuiam admistionem adhibetur, illa ipsa est quam alo, assumi posse vt congruum symbolum geminæ in Christo naturæ, inconfusæ ac impermistæ: quamuis S. Ephrem *sub initium* tractatus de Margarita prætiosa, quia censuit vinum & aquam cum miscentur perdere naturam suam, neget comparationem hanc posse esse commodam ad explicandum Incarnationis mysterium. Eáque etiam ex causa, Felix Vrgelitanus hæreticus, primis erroris sui impugnatoribus Beato & Etherio, tribuit quod adunationem duarum naturarum in Christo, conferrent permistioni aquæ & vini in vnam tertiam naturam, vt refert Paulinus Aquil. lib. 1. contra Felicem, *sub initium*. Sed illi aliter accommodabant hoc exemplum, & ad geminæ in Christo naturæ coniunctionem, vtraque salua & impermista, referebant. Intima verò vini & aquæ appositio, quam inter vniones numerat supra Nemesius, & esse omnium vnionum naturalium maximam, docet Pasch. l. de corp. Dom. 11. coniunctioni humanitatis cum persona Verbi & vtriusque naturæ confibulationi, bellè respondet. Demùm refusio qualitatum & affectionum vini in aquam, adeò luculenta, vt aqua abiecto connaturali frigore & insipiditate, calorem, saporem, odorem vini contrahat; quàm congruenter aperit diuinarum prærogatiuarum communicationem cum Christi humanitate ob copulationem cum verbo. Nolo tamen præiudicare aliis mysticis eiusdem mixturæ significationibus supra propositis, inter quas ea quam ex Clemente Alexandrino retuli, de hominis ac Spiritus diuini coniunctione, præclarè apud Cabasilam in Liturgiæ expositione cap. 37. adhibetur, ad exponendum sacrum illum ritum, quo Græci peracta consecratione Eucharistiæ, sub momentum eius consumendæ, quasi omnibus quæ ad Christum attinent peractis, instillant tantillum calidæ aquæ in calicem, ad significandum Spiritus sancti descensum in Ecclesiam, Christo iam regresso in cœlum, & omnibus quæ ad eum pertinebant iam consummatis. Aquam enim calidam, quod & aqua sit, & ignis particeps, vt Cabasilas loquitur, censuerunt accommodatam ad expressionem Spiritus sancti qui specie pluuiæ voluntariæ ignitæ, illapsus est discipulis, & Ecclesiæ quæ est corpus Christi mysticum.

Vsus doctrinæ.

Liquet ex vniuersa hac disputatione, Christum esse vinum quoddam, cuius bibendi finis flagrantissima, hominem occupare meritissimò debeat. Est enim vinum pretiosissimum & cœleste. [Quale vinum est, (exclamat S. Augustinus tract. 34. in Ioan.) Vnde inebriari laudabile est? Quale vinum est quod non turbat, sed dirigit mentem? quale vinum est, quod facit perpetuò sanum, non inebriando facit insanum: Inebriabuntur, vnde? *Ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*: Vnde? *Quoniam apud te est fons vitæ.* Ipse fons vitæ ambulabat in terra: ipse dicebat. *Qui sitit, veniat ad me.* Ecce fons.] Addamus & nos. Quale vinum est, in quo non est luxuria? Quale vinum est quod virgines germinat? læti bibamus sobriam hanc ebrietatem Spiritus. Ipsius Christi adhortatio est, in persona Sapientis, qua inuitat adhibendum vinum quod miscuit nobis: id est Verbum incarnatum, carnis humanæ adiunctione temperatum, vt interpretatur S. Hieronymus, imo Beda Prouerb. 9. & ibid. Glossa & Lyranus.

CAPVT IV.

Margarita pretiosa, Christi Domini; & finis ac productionis eius, Symbolum.

331. MOnitum S. Chrysostomi oratione de S. Cruce, *initio*, opportunè præmittam. [Animos (inquit) intendite. Nam sunt quidam ex vrinatoribus, qui se ipsos à naue in profundum proijciunt margaritas extrahendi gratia; Nos verò nauis loco, vetus ac nouum testamentum habemus, pro clauo crucem, pro gubernatore Christum, proretæ vice Patrem, pro velis gratiam, pro Zephyro Spiritum sanctum, pro nautis Prophetas,

Prophetas, pro vectoribus discipulos, an non & nos cupido animo in pelagus intelligentiarum proijciemus? Itaque ne vosmet neghgatis, nec brutorum instar vos geratis. Scriptum est enim: *ne mittatis margaritas vestras ante porcos, & ne proijciatis sancta canibus.* Porcos audiens, ne veros porcos intellexeris. Nam porcos nominat, ventri deditos; carnes autem, Christo in cruce oblatrantes. Dignas ergo vos margaritas exhibete, quam vobis hodie apponam.]

Huic monito subijcio verba Basilij Seleuc. orat. 39. [Ad hanc orationis partem appulsos, & ad miraculi magnitudinem respectans, præ admiratione mutus sum, & elinguis. Neque enim verbis res exæquare possum. Quomodò inopinatò concelebrabo inopinam illam incarnationis gratiam? quibus laudibus afficiam fontem charitatis? quomodò profusæ charitatis in homines flumen prædicabo? quomodo Virgineum pelagus audens tentabo, & magni mysterij scrutabor altitudinem, nisi me vt in experium vrinatorem, ô Deipara, doceas veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere. Nisi mentis os misericordiæ compleas, quo tui partus fundum pervadat; Vt tuæ miserationis luce circumfulgens in te veritatis margaritam deprehendam? Subuenta, vt veritatem consequar; vt à te doctus eloqui valeam.] Alludit Basilius, ad vium piscantium margaritas. Solent enim huiusmodi vrinatores dum margaritas venantur, quod pleno ore intulerant oleum, effundere in profundo, vt lucem sibi ad diuitem prædam in obscuritate illa concilient. Idipsum autem dimisso oleo lætifico præstandum esse tentanti è profundo mysteriorum margaritam prætiosam expiscari, monuimus huius materiæ principio ex Anastasio c. 3. δδ. 7. Hocque est illud, quod ex interprete dixit Basilius, *os misericordia compleas*; cum vertendum fuisset, *oleo compleas*; Quod mihi lætificum & illuminans oculos, diuinæ miserationis oleum in tenebricositate summa disquisitionis margaritæ huius cœlestis, cum sanctis prædictis, humillimè apprecor.

Comparationis Christi cum margarita, causæ variæ ex Patribus.

331. Esse sanè Christum margaritam, sæpè discimus cùm ex Scripturis, regnum cœlorum (quo nomine Christum sæpè denotant,) cum margarita componentibus; tum etiam ex Patribus, apud quos hæc comparatio frequens est, vt videbimus. Eius autem denominationis ratio, proferri multiplex potest. In primis enim videri possit Christus margarita dici, à pretiositate. Nam [principium culménque omnium rerum pretij, Margaritæ tenent] ait Plin. lib. 9. cap. 35. Indeque etiam assumuntur ad ornatum, quod ibidem Plinius acriter corripit. At pretiositas in Christo cœlesti Margarita, fuit infinita; vt propterea ad captandam hanc margaritam sic horretur Clemens Alexand. 2. pædag. cap. 12. [Maximi autem pretij margarita, mundum muliebrem per summam lasciuiam mirandum in modum inuasit. Ea autem nascitur in quodam ostreo pinnis non absimili. Magnitudo autem eius est, quantus permagnus piscis oculus. Nec pudet miseras, totú suum studium in hoc ostreo ponere, cum eis liceat sancta exornari gemma, nempe Verbo Dei, quod vtique Scriptura appellauit margaritam, qui est pellucidus & purus Iesus, qui est in carne contemplator oculus, qui est ratio, qui perspicuus, per quem caro est pretiosa quæ aqua regeneratur. Illud enim ostreum in aqua natum, carnem contegit; ex ea autem margarita concipitur.]

Quid si etiam margarita dicitur Christus, tamquam res desideratissima & verè *votum mundi*, vt S. Epiph. har. 80. nominauit? Sic sanè Theodora Augusta, Theodosium Antoninæ concubinum, ei post longa desideria exhibens vocauit *gemmam* apud Procopium *sub initium* histor. arcanæ. Proclus quoque in S. Chrysostomi panegyrico vocat eum *prædicationis margaritam*, quia cupidissimè audiebatur. Posuit etiam Christus margarita dici, eo quod innumeris margaritis donorum cœlestium colluceret: Ea ferè ratione qua Pelagia quondam meretrix, vt in eius vita recitat Iacobus Diaconus cap. 8. rogata à S. Nilo quod ipsi nomen esse, respondit [naturali nomine Pelagia vocata sum, à parentibus meis; ciues verò Antiochiæ, Margaritam me vocant, propter pondus ornamentorum, quibus me adornauerunt peccata mea. Ego enim eram ornamentum & promptum ergasterium Diaboli.] Recole quæ ibid. cap. 2. de Margaritarum queis collucebat copia, ab autore vitæ produntur.

Potuit item haberi ratio abditæ hic per vniuersam ferè vitam Christi maiestatis, & vili carnis integumento conclusæ, tamquam ostreo. Sic enim S. Chrysostomus hom. 7. in ad Coloss. ad illud, *vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quid sit hæc cum Christo iustorum absconsio per huius vitæ tempus, declarat exemplo margaritæ, quæ abscondita est quousque in ostreo foerit. Theodoretus item serm. 9. de prouid. inde colligit iudicij necessitatem, quod contingat iustorum plerosque, hic ignotos prorsus latere, & margaritæ in profundo adhuc delitescenti, & ostreo conclusæ simillimos esse. Christum itaque, qui per hanc vitam fuit inglorius, & inter latrones vitam posuit; exemptus verò huius mortalitatis veluti cochlea, honore & gloria coronatus est, margarito non abs re collatum, quispiam dixerit. Videtúrque eò respexisse Anast. Synaita l. 5. hexaëm. cum Christum vocauit [margaritam paterni fulgoris, in aquis absconsam.]

Fuerit etiam qui splendorem margaritæ, ad Christi compactionem referat, cum S. Cyrillo epist. 17. Pasch. vbi nexum diuinæ & humanæ in Christo naturæ, consimilem esse docet nexui fulgoris gemmarum, & substantiæ quam is fulgor imbuit. Quemadmodum enim ipsa per se spectata margarita, aut quælibet alia gemma, [substernitur lumini quod in ipsa diffusum est, vnum tamen ex vtraque suppositum intelligitur; tollit verò ipsius rationem penitus hæc diuisio, (si mente fiat, vt præmiserat,) atque ad informem turpitudinem, quæ inuicem fuerant copulata, deducit: Sic etiam de Christo dicimus.] Affine est quod secundo loco Elias Cretensis ad primam Nazianzeni orationem ait, dictum Christum margaritam, quia vt margarita in carne est & ostreo, atque in locis humidis procreata, corpus purum ac pellucidum esse videtur luce ac Spiritu plenum; sic etiam incarnatum Dei Verbum, lumen intellectuale est, quod per mortale atque humidum corpus exsplenduit. Audi etiam S. Augustinum l. qq. ex Matth. cap. 13. [Est Verbum Domini lucidum candore veritatis, & solidum firmitate æternitatis, & vndique sui simile pulchritudine diuinitatis, qui Deus penetrata carnis testudine intelligendus est: Ille enim ad margaritam ipsam iam peruenerat quæ in tegumentis mortalitatis, quasi concharum obstaculo, inter profunda huius sæculi, atque inter duritias saxeas Iudæorum aliquando latuerat. Ille ergo ad ipsam margaritam iam peruenerat, qui ait, *Et si nouerauus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.* Nec vllus omnino intellectus margaritæ nomine dignus est, nisi ad quem discussis omnibus carnalibus regminibus peruenitur, quibus siue per vbera humana, siue per similitudines circumpositas operitur: vt purus, & solidus, & nusquam à se dissonans, certa ratione cernatur.]

Aliunde causam reddit cur Christus margarita dicatur, Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 182. attingens enim parabolam de margarita pretiosa Matth. 13. propositam, hominem negotiatorem qui omnia sua diuendidit ad comparandam margaritam pretiosam, interpretatur [nonum

nouum Domini populum, qui paternam & substantiam & religionem contemnit, ac Dominum gloriæ quærit. Margarita autem idcirco appelletur Christus, quia diuinitatis profundo copulatus est, solisque piscatoribus atque ipsius interpretibus cognitus.]

Præcipua, Christi & Margaritæ, affinis effectio si Margarita ex fulgetra & aqua, effórmari statuatur.

333. Verùm primatia, & apud plures Patres celebrata huius denominationis ratio, illa est, quæ ex consimili Christi & margaritæ effectione ducitur. Hæc verò triplex profertur iuxta tres sententias. Vna ex fulgetra & aqua gigni ait margaritam. Altera ad rorem cælitus immissum, procreationem eius refert. Tertia ex substantia conchælij margariti feri, absque mate, procreari statuit margaritam.

Ex primo modo exponendi margaritæ generationem, hanc Christi denominationem primo loco obiter explicauit Elias Cretensis ad orationem proximè adductam: plenius verò Patrum plerique, quorum pauos aliquot iuuat adscribere. Gregorius Neocæsar. serm. 1. de annunc. [Sicut margarita, ex duabus naturis; ex fulgure nimirum & aqua, occultis quibusdam indiciis ac signis maris prouenit; ita quoque Dominus noster Iesus Christus, inconfusè & immutabiliter ex pura ac casta & impolluta, ac sancta Maria Virgine progreditur, in Deitate perfectus, & in humanitate perfectus, Patri per omnia similis, & nobis per omnia consubstantialis, omnis peccati expers.] Et mox. [Ad Mariam Virginem, solam sanctam, Gabriel Angelus claro lumine venit, *Aue gratia plena*, ei adnuncians: & ex ipsa Verbum suscepit, & in tempore corporeæ completionis, pretiosam Margaritam produxit.]

Ioannes Geometra hymno 1. de Deipara *sub finem*, sic eam compellat:

Salue concha marina, ex qua verè vnio natus;
Fulgore ex dio, & purpureo latice.

Athanasius (quicumque tandem sit, autor nouarum qq. ad Antiochum) in 19. post alios huius mysterij typos, tunc quoque his verbis proponit, in quibus interpres Græcam *astrapes* vocem retinuit, quam poterat contrà cationem vel fulgetram dicere. [Præterea (inquit) & aliam illustrem, admirandam, & illis similem ambi adumbrationem. Margarita in mari rubro generatur. Generatur autem sic. Extremitates maris rubri fecantur, paucarum aquarum fluxum habentes. Inuenitur autem ibi marini pisces, testacea cute muniti, in toto mari illo rubro, *pinnæ* nominati. Stant igitur pinnæ illæ semper hiantes, & expectantes escas ad nutrimentum sui. Interim dum ita consistunt hiantes, & expectant nutrimentum, & magna copia accedunt astrapæ, accedit aliqua astrape ad pinnam; & cum reperiat pinnæ testas apertas, ingreditur in illam: pinna verò, contracta starim, & constricta in seipsam, intus includit astrapen. Astrape verò coagulata cum pinnæ oculis, oculos pinnæ illustrat fulgore, & commutat eos in margaritas. Egressæ autem margaritæ ex pinna, procidunt ad littus maris illius, atque ita piscatores capiunt illas. Perinde intelligendum de incarnatione Verbi. Mare quidem est mundus, & Virgo concha. Stabat autem Virgo, quemadmodum pinna, in templo, & concipiebat cœlestem panem Christum Deum, qui & descendens & ingressus in eam, vt astrape, & coalescens in visceribus Virginitatis illius, & splendidam edidit ter sanctissimam carnem quam assumebat incarnatus; & sic natus est ex ea, vt pura & pretiosissima margarita, sermo Dei, sine congressu matris. Et vt margarita, cœlestis & terrena: cœlestis quidem, secundùm Deitatem: terrestris autem, secundùm humanitatem. Et quemadmodum Margarita generatur sine congressu masculi & feminæ, ex astrape & pinna; ita etiam natus est Christus sine congressu masculi & feminæ, ex Deitate, & carne Virginis. Et quemadmodum Margarita cum sæpè conteritur; materia quidem oculorum pinnæ, conteritur & resoluitur, nonne fulgor astrapes patitur, alter vero fulgor astrapes, impatibilis manet: materia autem oculorum pinnæ sola conteritur & patitur?) ita & in Christo hæc intelligenda sunt. Cum enim ille Seruator noster flagellaretur, & pateretur à Iudæis infidelibus excruciatus in cruce; materia quidem carnis, hoc est humanitas, sola passa est; Deitas autem impassibilis permansit.]

Ex Eusebio (credo Cæsariensi) insignis in hanc rem locus habetur in Catena Corderij Lucæ 13. num. 26. Refero partem. [Margarita (inquit) non immeritò nominetur ipsum Dei Verbum incarnatum, quandoquidem margaritæ non absimile quæ in corpore quidem & concha, aut ostreo atque aquis nascitur, sed res est valdè pretiosa, atque omnibus quæ in aquis oriuntur corporibus splendidior; ita vt natura sua corpus quidem aqueum, splendore verò & perspicuitate sua, lumine & spiritu plenum esse videatur. Talis est etiam, incarnatum Dei Verbum, lux noua per mortale fluxúmque corpus reluens. Multæ quidem fuerunt & aliæ Margaritæ, sancti inquam & amici Dei, Prophetæ ac viri iusti, qui in carne hac quasi coacti & detenti fuere per mortalem quam in carne duxerunt vitam; sed nullus alius præter hunc qui solus verè vnigenitus est Dei Patris, tanto splendore conspicuus, támque pretiosus, inuentus est ita vt de ipso Isaias vaticinando dixerit, *Ecce ego immittam in fundamento Sion, lapidem pretiosum electum, summum, angularem, honorabilem.*]

334. Nemo plenius & accuratius hanc Christi & margaritæ collationem quoad structuram & generationem executus est, quàm S. Ephrem serm. de margarita pretiosa. Delibo ex eo nonnulla. Contestatus S. Ephrem, margaritam, vt quemadmodum nata sit eloquatur, & muricibus qui sub aquis sunt aduocatis, ad ruborem veræ fidei hostibus ingenerandum, subdit. [Margarita lapis est ex carnibus genitus, quoniam ex consiliis prodit. Quis ergo non credat, etiam Deum ex corpore, hominem esse generatum? Illam, non concharum coniunctio format, sed fulguris & aquæ commixtio. Sic & Christus in Virgine, conceptus est citra aliquam voluptatem; dum Spiritus sanctus ex eius massa assumptionem Deo constituit formauitque. Margarita, neque vt murex generatur, neque vt Spiritus in figura procedit. Et Christus non permistus cum diuinitate, neque purus est homo; neque cum immista diuinitate permistus: sed neque in figura spiritali, factus est. Margarita in hypostasi generatur, & alium per se lapidem non generat: Christus quoque non est alius, nisi ex Patre ab æterno genitus est, & ex Maria Virgine in tempore natus. Non figuram dumtaxat dictus lapis habet, sed etiam substantiam: ita quoque filius Dei in hypostasi est natus, & non in figura. Duarum naturarum est particeps hic lapis pretiosus: Vt ostendat Christum, cum Verbum sit Dei, ex Maria Virgine natum, non vnicam particularem habuisse naturam; quoniam ne aliud quidem animal erat: sed perfectam habet duplicem naturam, ne duas perdat. Neque enim in vna sola natura Deus super terram est visus: neque in altera sola, homo in cœlos ascendit, verùm perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus.] Et inferiùs. [Intellige corruscationis & aquæ commistionem, & Christi parabolas admirare. Considera vilis atque abiectæ carnis ministerium in Margarita: & credas re vera ex muliere natum esse Christum. Murex, nec obolo quidem dignus, lapidem multis auri talentis pretiosiorem parit: sic & Maria Deum, cui nulla comparari potest natura, genuit. Non affligitur dolere ostreum, duru Margaritam concipit,

concipit, sed solùm aliquid sibi accessisse sentit. Et Maria citra omnem concupiscentiam Christum concepit, sentiens solùm accidentem hypostasin. Non corrumpitur murex, neque dum concipit, neque dum parit; perfectum enim parit lapidem sine dolore: Et Virgo, cum ineffabiliter concepisset, absque labore genuit. Non solùm concipitur Margarita, verum etiam dum accrescit, perdurat; atque etiam extra cochleam, suam potest hypostasin ostendere. Cum autem carne indigeat pro adminiculo hypostatico, naturámque extensam habeat ad perfectionem subsistentiæ, latet tanquam in vtero, in sinu cochleæ: & quasi naturaliter ad substantiæ perfectionem insita est. Augmentum quoque accipit, per vitalem naturam; & qualitatem sibi conducentem participat. Natus etiam est Dei filius similiter ex carne, non seminatus: & filium fructificauit natura, sine viro ad generationem concurrente. O magna mysteria? O cœlestia decreta: quia peperit natura non proprium: & filius natus est, non ex viro procreatus.] Rursus infra post multa. [Margarita erat qui generabatur: Ideóque elapsus est, & absque labore atque dolore natus. Neque asper ac durus erat, neque terreus, ac luteus, neque vt humidus ac fluxus, effusus; neque in multas partes diuisus, velut materialis ac crassus: sed infans Deitatem perfectam continebat, quæ sub natura simplici tegebatur: ac propterea vi illius qui in ipsa erat, virgo instar cochleæ naturaliter peperit, & vt mulier affecta est: Nulla tamen ratione, rursus naturâ, (sicut conchiliorum plicis ac finibus vsu venit,) ad virginalem statum recurrente. Non perdidit sigillum natura Virginis, Christo concepto: & ob id, neque eo genito reserata est, vt partum in lucem ederet. Neque verò rupta est, dum gigneret: nam neque rupta erat, dum conciperet.]

Egregiè verò paulo post, refellens hæresim Phantasticorum qui Christo solam humanitatis nostræ figuram adscribebant, sic eos vrget exemplo Margaritæ. [Attendite Margarito, & nolite errare: Non enim cessabo reprehendere, donec corrigam accusatores. Cernite non esse figuram, sed actionem, & naturæ coadunationem suscipite. Inuisibilis, iste pretiosus est lapis. Neque enim aliquis assumptum hominem, ab assumente natura diuina separare poterit. Fulgur & aqua consenserunt in vnum; & duo se contraria complexa sunt, quo igitur pacto quod tenes, ignoras: & quod non tenes, curiosè inuestigas? Ex igne fulgur, & quod ignitum est, illustrat atque inflammat. Conchæ ex aqua & per aquam crescunt. Quomodò ergo non comburit coruscatio, cochleæ corpusculum? Quomodò substantialiter atque essentialiter tunc conueniunt aqua & ignis, ac se inuicem non perdunt atque corrumpunt? Non potes dicere: sed cogeris credere, quod vides & tangis sit tibi pro testimonio, natura, quam edicere nescis: quia filius Dei absque semine nascitur. Illic duo sunt contraria, quorum essentialiter concordant hypostases, & in qualibet ostenduntur natura.

Vestiam enim anteuerte accusationem: quod ex vobis quodam dicentes nouerim; Deus ingenitus, Deus inuisibilis; caro visibilis; Deus passionis ac perturbationis expers. Quomodo ergo inter tot contraria, coadunatio atque consensio cum vna hypostasi facta est? habes Margaritam, omnium quæ dicta sunt, apertissimum explanatorem. Nam ignis, Deitatem significat; & aqua assumptionem. Non aqua fulgetrum assumpsit, grauis quippe est naturæ, & ad sublimissimum ignis locum non prodit: sed fulgur superuolitans coniungitur aquæ, & concha turbata vtrumque simul iunctum concludit calórque corporis, vnitus est rei quæ aduenit; & firmitas plicaturarum, quæ committuntur ac coëunt, conseruat & retinet, ne diffluat humor, qui intus laborat. Natura verò per conjunctionem, auget quod inclusum tenebat: progressúque temporis, aqua & ignis in Margaritam resoluuntur. Dicit enim Euangelium, sic Spiritum sanctum superuenisse in virginem. Cur ita? vt scilicet virtutem acciperet suscipiendi Deum. *Et virtus*, inquit, *Altissimi obumbrabit tibi.* Fulgetrum tuæ insidebit naturæ: quia *quod ex te nascetur Sanctum, erit filius Dei.*]

325. Omittenda non sunt, quæ de Margaritæ qualitatibus ad Christi perfectiones collatis, paulò post subijcit. [Attende (inquit) ad Margaritam, & videbis eam duas continentem naturas. Speciosissima siquidem est propter Deitatem; at candida, ob assumptionem. In candore ergo claritatem cernis; & in virtute inhabitantem potentiam vides. Dura quidem est propter naturam humanam, leuis autem est ob conditionem cœlestem. Aquatica propter terrenam naturam, ignita verò ob Deitatis hypostasin. Cunctis est consideratio physica, quia singulis velut in speculo, quæ illius sunt, resplendent. Specula quidem arte fiunt, ac propterea habent quandam fallaciam, ad rem propositam percipiendam: at Margarita naturalem continet gratiam, vtilitatémque innatam. Multa quoque sunt alia, quæ ex duobus aliquibus fiant quid vnum: at non sicut Margarita, nascuntur; neque ex igne & aqua concipiuntur.]

Nec obstitisse summæ Christi puritati, & sanctis hisce dotibus, ortum ex carne nostra, confirmat mox ex Margaritæ nitore & puritate, non obstante illuuie corporis è quo ortum habet. [Et Margarita (inquit,) ex immundis nascitur animantibus; ipséque Christus ex natura sordibus obnoxia natus est, quæ purgationibus per visitationem ipsius indigebat. Quemadmodum autem fulgur vniuersa explorat.) Sic etiam Deus; & sicut occulta illuminat, ita quoque Christus recondita naturæ lustrat, purgátque. Ideò virgine priùs purificata, sic natus est: vt ostenderet, vbi Christus est, ibi omnem puritatem agere. Mundauit eam in Sancto præparans Spiritu: & sic ipsum Virgo, suo concepit vtero, purificata. Mundauit eam in castitate ac sanctificatione: ideóque natus, Virginem ipsam reliquit.] Hoc confirmat denuò, exemplo muricis qui Margaritam concipit virgo, quod his verbis aperit. [Cochleæ ostendant atque declarent, non per fœmineum membrum concepisse Virginem: nam illæ duabus explicatis commissuris; non carneam constitutionem præbent, sed diuisim solutum habentes corpus, repentè fulgetro replentur. Ita quoque beatissima Virgo, Deum Verbum toto susceptit corpore, simplicitatéque naturæ; & non cutioso ac redundanti motu, Deitate impleta est.] Videbor multa ex Sancto Ephrem in hanc rem produxisse; sed præ iis quæ apud illum diffusè leguntur, pauca libaui. Nec possunt reuera fastidiri vt multa, quæ appositissimè cadunt in rem de qua agimus.

S. Damascenus, breuiter, sed optimè, omnia prædicta comprehendit orat. 1. de natiuit. Deipar. cum ait. [Hodierno die præflarunt auræ, lætitiæ torius orbis prænunciæ. Lætentur cæli desuper, & exultet terra. Commoueatur mundi mare: in ipso enim concha gignitur, quæ cœlitùs ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem, paret; ex qua Rex gloriæ carnis purpura conuestitus, ad captiuos se conferens, remissionem ac veniam prædicabit.] Locum S. Hieronymi ex Epistol. 22. quo ait, Deiparam ad similitudinem, Dei vnione fœcundam factam; Erasmus ibi immutatis quibusdam aduersus omnium Codicum fidem, ad hunc sensum trahit. Sed Marianus Victorius ad eum locum monstrat aliam S. Hieronymi mentem nec aliud voluisse quàm Virginem, Dei vnione & coniunctione ad similitudinem viri, quæ honestè obumbratio dicitur, concepisse.

De

De affine productione Christi & Margaritæ, si hæc ex cœlestis roris illapsu, fieri dicatur.

336. Altera Margaritæ procreatio effectioni Christi affinis, ea est quam tradit Plinius l.9.histor.cap.35.docens certo anni tempore conchas luxuriare. ac matutinum rorem tanquam maritum sitire ; cuius desiderio hiant, & cum maximè lunares liquantur aspergines, haurire cupitum humorem : sic maiore cœli quàm maris societate concipere, & pro roris accepti qualitate, cœlique serenitate, puras edere impuráve Margaritas. Hæc de ortu Margaritæ, quoad Indici maris Margaritas, tata habet Origenes tractans parabolam Margaritæ pretiosæ ad cap.13.Matthæi, additque. [Insuper & hæc dicuntur de Indico Margarito, quod conchis innascitur, quæ similem habent naturam cum prægrandidus cochleis, quæ narrantur veluti turmatim in mari pasci, velut armenti duce quopiam exploratore, qui referat, qualis aut quanta sit regio : atqui hanc aiunt præeminere cæteris sub ipsa degentibus, vt res similitudinem habeat cum examine quod dicitur apum. Narrant autem & de ratione capiendi præstantiores, hoc est, eas quæ in India reperiuntur, quod incolæ posteaquàm magnum littoris ambitum retibus cinxerunt adnatant vrinantes, studentes ducem agminis vnum de omnibus apprehendere. Siquidem hoc capto, ferunt, nullo negotio, capi hoc subditum agmen, quippe nulla iam subsistente ex toto grege, sed vnaquaque seu loco vincta sequente gregis ducem.] Hæc de Margaritis Indicis earúmque captura Origenes: Quæ mox ad Christum aptat, quem optimam & pretiosissimam Margaritam, cœlestiúmque Margaritarum ducem esse demonstrat; aiens præ ea vna pretiosa Margarita, cætera omnia videri iure posse stercora. Quamuis autem proposita Margaritæ generatio minus vera habeatur; tamen Patres, quod circa alia plenaque mysteria faciunt, ex ea quæ siue verè siue falsò circumfertur Margaritarum procreatione, excepto intra concham cœlesti rore, declarant Christi Domini productionem ex Virgine. Sic ex Phœnice, cuius narrationibus fabulæ sunt attextæ, exponunt & confirmant resurrectionem. Sic ex iis quæ de Pelicano pullos suos per suum sanguinem redanimante iactari sciebant, exponunt Christi in nos beneficentiam. Similia multa passim occurrunt. Quare citra culpam, hoc quoque loco, productionem nitentissimam Christi Domini, per vulgatissimam Margaritæ intra ostreum ex cœlesti rore procreationem, declarant.

Tandem de eadem Christi & Margaritæ, quoad veram huius effectionem, affinitate.

337. Germana Margaritæ procreatio, ea est quam Tertullianus his verbis expressit l.de habitu mulieb. c.6. [Si quid de mari Britannico aut Indico ambitio pilcatur, conchæ genus est, non dico conchylio, aut ostreo, sed nec pelotide gratius de Sapore. Ad hoc enim conchas nouerim, maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus postulat, vitium eius magis debet esse quàm gloria. Et licet Margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quàm conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca.] Planè verruca est vnio, & ex substantia conchilij margaritiferi procreatur, eique innascitur : vt in suum carne, grandinem gigni videmus. In quam rem videndi, qui plenè & ex instituto illam confirmant, Anselmus Boëtius lib.2. de Gemmis c.37. Rondeletius l.1.de testaceis c.52. Renodæus l.3. de materia medica cap.23. Fallopius tract. de fossilibus c.7. Aldrouandus l. de testaceis c.4 . §. *ortus & generatio Margaritarum.* Quorum rationes & experimenta qui ritè expenderit, agnoscet nec Ruæum audiendum esse, qui l.2. de Gemmis c.13. tentat hoc generationis Margaritarum modo alicubi admisso, illum quoque alterum de generatione ex rore, tamquam alibi vigentem admittere. Supposita autem hac vera & germana Margaritarum procreatione ex sola conchilij cui innascitur substantia, manifestus est effectionis Christi ex Sola Deiparæ substantia, consensus cum Margaritæ effectione : quem præsertim spectarunt, quotquot anteriores dicendi modos reuera falsos sectari, inde Christum cum Margarita contulerunt, quod intra concham margaritiferam absque semine extrinsecùs inuecto conceptus sit S.Epiphan.in orat.de laudibus Virginis, ab ipso eius nomine confirmat quod diximus. Mariam enim præter cæteras interpretationes, dictam censet Deiparam ; quasi myrrham matis, ab incorruptibilirate & immortalitate cum qua erat paritura gemmam immortalem, in istius mundi mari.

Finis Christi, expositus per proportionem ad finem Margaritæ materialis.

338. Pretiosissimæ huius, vnicæque Margaritæ vsus, quo finis eius continetur, idemmet proportione est qui Margaritarum materialium. Hæc verò ad ornatum, ac opulentiam ostentandam, ad medicinam ; etiam ad cibum adhibentur. De ortu & opulentiæ ostentatione, superuacaneum sit monere ; cum non aliunde magis stupor muliebris ædificetur vt est apud Tertullianum, quàm ex his lapillis : præsertim vt auribus extensis magnos committere elenchos detur, vt Satyricus satyra 6. pridem dixit. [Hæc est sæculi Virginibus per dies singulos cura præcipua (ait Pelagius Epistola ad Demetriadem.) decentibus fucis colorare faciem, implicare auro carnem ; & ardentes concharum lapides, capitis honorem facere ; suspendere ex auribus patrimonia.] Hoc dicit propter Margaritas immensi pretij quibus aures grauabant pleræque illius æui fœminarum, insanientes & ardentes studiis in pretia in aurium, candore Margaritarum rubri maris profunda testantium, vt loquitur ad eandem Virginem Demetriadem S.Hieronymus : qui item ad Principiam Virginem de Marcellæ vita differens, suspensa auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana, inter reliquum mundi muliebris quem exhibet apparatum, non prætermisit : vt neque S.Cyprianus l.de disciplina & habitu Virg. vbi expostulat, de aurium cicatricibus & cauernis preciosa grana dependere ; quæ etsi non suo pondere, mercium tamen quantitate grauent. Apud Plinium lib.37.& l.9.cap.35.insigniter conclamatur in hanc patrimoniorum auribus appensionem, quæ paucis complexus est Tertullianus l.de habitu muliebri. [Breuissimis loculis (inquit) patrimonium grande profertur? Vno lino decies testertium inseritur. Saltus & insulas retia cernix fert. Graciles aurium cutes, Kalendarium expendunt; & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substantiam, vno & muliebri corpusculo baiulare.] Vanam hanc opulentiæ ostentationem ; (vt quid enim veras opes dicam, quandiu nulli alteri vsui seruiunt quàm pascendorum alienorum oculorum?) vera opulentia, veræque diuitiæ in Christo ac per Christum nobis obuenientes, emendant. Hæc est gemma locupies, cui non adæquabitur Topazius de Æthiopia; non Sardonix, non vlla alia pretiosa gemma. Non commutabuntur pro ea, vasa auri excelsa & eminentia. Videsis quæ in eum Iobi de sapientia locum, philosophatur S.Gregorius 18. moral. cap.34. & seqq. accommodans eum ad sapientiam incarnatam, siue Christum.

Neque vsus ille alius Margaritarum, siue ad cibum, siue ad medicinam, quem accuratè illustrat Aldrouandus cap. citato §.penultimo & vltimo, deest reuera nostræ Margaritæ. Imò quod prodigij loco habitum

est, nec nisi inter luxuriæ miracula verius monstra, numeratum, referente suprà Plinio, nobis est quotidianum. Aliquando quidem haustæ ad cibum sunt Margaritæ: vt per Clodium Tragœdi Æsopi filium; de quo sic Tertull. l. de pallio cap. 5. Æsopus histrio ex unibus eiusdem pretiositatis, vt canoris & loquacibus, quibusque sexcentorum millium patinam conflauit, qua filius eius post tale pulpamentum potuit aliquid sumptuosius esurire; Margarita namque vel ipso nomine preciosa dehausit, credo ne mendicius patre cœnasset.] Haustæ item postea per Cleopatram, maceratæ aut tabefactæ aceto forti Margaritæ. Hoc quotidianum & perpetuum in Ecclesia sua esse, Christus voluit, cum curando visui, tum roborando cordi, & pestiferis affectibus auertendis, qui produntur margaritarum materialium effectus. Præstat hæc omnia quotidie animabus cœleste Margaritum Christus Dominus, siue in cibum, siue in peccati antidotum & pharmacum haustus. Eo enim nomine Christum in Eucharistia designauit pulcherrimè S. Anast. Synaita oratione in nouam Dominicam, cuius hanc particulam exhibet S. Damascenus orat. de imag. *in fine.* [Immaculatam corporis Christi Margaritam suscipientes, gestare nos illum ipsum Christum arbitramur.]

Gratiæ Deo, pro tam multis in Margarita mysteriis.

339. Agamus hîc ex animo gratias Deo, pro tam illustribus dogmatibus, & Christi Domini prærogatiuis, vna Margaritæ comparatione expositis, imitantes S. Ephrem, cuius illa sunt tractatu sæpè citato de Margar. pretiosa. [Amo & exosculor Euangelicum lapidem, quia cibus animæ meæ factus est. Suspicio ac collaudo Margaritam, quia de Christo loquitur mihi natrationes mysticas atque arcanas. Adhibui parabolam; quia duplicem mihi cognitionem contulit. Cognoui in ipsa, naturæ coniunctionem, & Deitatis potentiam. Intelligo contrariarum rerum consensionem, ac permutationem naturalis constitutionis. Considero cœlum cum tetra simul vniri, Video duos angulos atque amfractus, in vnum coaluisse vinculum. Obstignauit gratia concordiam: neque inuenio, qua ratione cuiusque substantiam separem. Intelligo vim differentem, & Margaritæ circumferentiam. Abducit mentem meam, ne comprehendat quo pacto simul conuenerint, atque coniunctæ sint. Aqua est vndique Margarita: etenim Christus inæqualitatem abstulit; & velut artifex duas curuitates ac flexus æquales reddens, in vnum conglutinauit; nemóque est, qui ea separare possit. Concharum commissuræ disterminantur: at Margaritæ termini atque dimensiones sunt inseparabiles. Illæ sectionem admittunt; ista verò insecabilis est: vt intelligas duas quidem legis tabulas; sed & Euangelij rectitudinem, ac sphericam perfectámque figuram, atque præstantiam, terrena quidem, lex continet, at Euangelium cœlestia. Ecce concha & Margarita, quas simul coniunxit Christus per gratiam. Ad generationem recurrens, & spiritualis Margaritæ naturam exquirens; Agnoui virtutem, intellexi connexionem, & naturam deprehendi.]

Vsus doctrinæ.

340. Vsum doctrinæ exhibeo, Tertulliani verbis l. ad Martyres c. 4. Tanti vitreum, quanti verum Margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?] Est inquam Christus, vt hactenus monstratum est, Margaritum optimum. Non enim dumtaxat bonum est; alij quippe sancti, quod scitè notauit Origenes in cap. 13. Matthæi, Margaritæ sunt ipsi quoque, & quidem bonæ Margaritæ quas idcirco plures memorat Euangelica parabola: spectauitque eò S. Laurentius apud Prudentium Hymno 2. peristeph. cum recensens Tyranno opes Ecclesiæ, aiebat.

Nunc addo Gemmas nobiles
Ne pauperem Christum putes,
Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis Sacratas virgines,
Mireris intactas anus;
Primique post damnum thori,
Ignis secundi nescius.
Hoc est monile Ecclesiæ,
His illa gemmis comitur,
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.

S. Vincentium Lyrinensem Monachum S. Lupi Tricassinij fratrem, Eucherius l. de laud. Eremi, vocat, *interno gemmam splendore perspicuam.* Cassianus l. de incarn. cap. 25. S. Ambrosium ait, *in Dei semper digito quasi gemmam micuisse.*

Vides, nominatim virgines & continentes, dici Gemmas & Margaritas. Sed inter illas multas bonas Margaritas, inuenitur vna pretiosa, quæ non alia est quàm Christus. Huic coëmendæ, omnis census noster impendendus est, nec census dumtaxat eò conferendus, sed & substantia omnis diuendenda, vt comparetur pretiosa illa Margarita. Nam vt rectè disserit S. Augustinus l. qq. ex Matthæo cap. 13. agens de Christo Margarita pretiosa. [Pretium eius, est nos ipsi: qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ temporaliter possidentur. Venditis enim rebus nostris, nullum earum maius accipimus pretium, quàm nos ipsos, quia talibus implicati, nostri non eramus. Vt rursus nos ipsos pro illa Margarita demus, non quia tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus.] Eodem aliis verbis reuoluitur, quod ait S. Maximus serm. de Margarita. Est apud S. Ambrosium 6. [Perdit cælestis Margaritæ gratiam, quisquis eam fœdissimo peccatori circundare conatur. Gemma enim sicut ipsi scitis, nisi auro non conuenit, Margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum; Estote monile pretiosum, vt possit in vobis Margarita Spiritualis includi. Margarita enim, Christus est Dominus, quam negotiator ille diues in Euangelio venditis omnibus rebus suis emere festinauit, & maluit omnes quas habebat seculi gemmas amittere, tantum vt vnam Christi emeret Margaritam.]

Virgini piissimæ Margaritæ à Castello, tantum fuisse affectum erga incarnati Verbi mysterium prodit Bonifacius l. 2. histor. Virg. c. 1. & Ludou. Granat. conc. 3. in Nat. Dom. s. 3. vt post eius obitum dissecto corde, inuenta intra illud sit insignis margarita, in qua Christus puso nascens in præsepio, affabrè exhiberetur. Prærogatiua fuit, consecuta iugem de Verbo incarnato commentationem & affectum summum tanti mysterij: longè profecto optabilior similis (mysticè saltem ac spiritualiter) margaritæ intra nos procreatio fuerit per iugem eiusdem mysterij agitationem, quàm quod Rondeletius lib. 10. de testaceis c. 35. & 52. scribit de innata cuipiam in renibus insigni Margarita, ex pituita vitrea.

CAPVT V.

Cereus, finalis causa Christi, & eiusdem effectionis, antitypus.

HÆc præcellentissima productionis & finis Christi adumbratio, (vix enim dari illustriorem, statuit Petrus Blesensis infra adducendus,) diligenter ac per partes

partes exponenda est, ducto initio ab analogia finium cerei ac Christi, quam paucis præmissis, patefaciam.

Caligo orbi incubans, depulsa per Christum cereum.

341. Nox altissima vniuerso orbi insederat, per recessum veri Solis offusa. [Erat nox in vniuerso orbe, ante veri luminis ortum, ante Christi natiuitatem; (ait S. Bernardus serm. 5. de Vigil. Natiuit. Dom.) An non profundissima nox, & densissimæ tenebræ erant super vniuersam faciem terræ, cum olim patres nostri factitios colerent Deos, & insano penitus sacrilegio, ligna & lapides adorarent?] Diem ac noctem, Deo & eius æmulo dispertiens Lactantius l. 2. institut. c. 10. imagines esse ait status orbis quoad religionem; vnde sic de nocte scribit. [Nox autem, quam prauo antitheo illi dicimus attributam, eius ipsius multas, & varias religiones per similitudinem demonstrat. Quamuis enim stellæ innumerabiles micare, ac radiare videantur, tamen quia non sunt plena ac solida lumina, nec caloris præferunt quicquam, nec tenebras multitudine sua vincunt.] Non de huiusmodi tantùm malitiæ monstro, & iniquitatum omnium vertice, (sic enim Tertull. idololatriam depingit libro de ea,) sed vniuersè de peccato ita pronunciat S. Chrysostomus hom. 4. in Ioan. *sub finem.* [Peccatum tenebræ, & vorago quidam profundæ: quod vel inde planissimè constat, quod clam & sine arbitris peccata committuntur. Quicumque enim in facinora, sceleráque prolabitur, odio habet lucem, neque luci se credit, & quæ occultè, & in abscondito fiunt, etiam sunt dictu turpia. Sicut enim in tenebris neque amicus, neque inimicus agnoscitur, sed omnia penitùs ignorantur, itidem in peccato vsu venit. Quippe qui lucro inhiat, nullam amici, inimicive intelligendi differentiam; & inuidus familiarissimum non secùs quàm inimicum conspicatur, & latrones similiter in omnes bellum gerunt, omnibus insidiantur: & omnino quicumque se vitiorum sordibus coinquinant, nihil ad rerum differentias dignoscendas, ab ebriis insanientibúsque differunt. Et quemadmodum noctu, amoto lumine, lignum, plumbum, ferrum, argentum, lapides pretiosos, & alia omnia eodem modo & videmus, & diiudicamus; ita qui sordidè, & vitiosè vitam viuit, neque modestiæ vim neque sapientiæ discernit pulchritudinem. In tenebris enim, vt iam dixi, pretiosi etiam lapides nullum præ se ferunt fulgorem, non sua, sed caligantium oculorum culpa. Neque hoc dumtaxat nobis dum sub impia vitiorum tyrannide viuimus, molestum est, verùm etiam illud quod formidine propterea angimur; & veluti qui per obscuram noctem iter faciunt, vt nihil metuendum sit, metu tamen concutiuntur: sic qui scelus aliquod admittunt, & si nemo id videat, nemo reprehendat, nihilo tamen melius sibi fidunt, sed omnia formidant; omnia suspicantur: quippe qui perpetuis conscientiæ stimulis agitantur, omnia formidolosè circumspiciunt.] Quantam ergo, quámque densam & profundam noctem, ad Christi vsque aduentum occupasse vniuersum orbem dixerimus, in tanta vbiuis vitiorum ac peccatorum eluuione?

Miseratus tandem Deus caliginem summam qua premebamur, discussurus illam, lumen nobis de cœlo prouidit Christum Dominum: idque tacitis naturæ vocibus indicari, cum sub tempus quo recolimus quotannis aduentum Christi, dies solito auctior tenebras minuit, egregiè attingit Gregor. Nyss. orat. de Natiuit. Christi *sub initium* & S. Aug. ad illud Ioan. *illum oportet crescere, me autem minui.* Eam per Christum luminis inuectionem, & tenebratum discussionem, declarare consilium est, aptatis ad Christum, cerei, Lychni siue lucernæ, ac laternæ, & Solis corporei typis; in quibus Christi Domini effectio, & finis huius productionis argumenta, pulcherrimè adumbrantur.

Carbonis & Christi analogia, ferè dimissa, eiúsque concentus, cum analogia Christum inter ac cereum.

342. Ad cereum porrò aut lucernam, referenda erit quæ æquè adhiberi poterat Christi & carbonis analogia. Quamquam incommodior visa est ea comparatio S. Gregorio hom. 5. in Ezech. quàm vt iis aptari posset, qui non modò ardent & lucem habent intrinsecam, sed etiam aliis flamma prælucent: atque adeò omnium maximè à Christo abhorrere eam comparationem, pronunciaret S. Gregorius; & verè ex eo capite. Aliunde tamen, siue penes alia capita, iuuare potest ea comparatio ad effectionem Christi intelligendam, vt liquet ex illis S. Cyrilli lib. 12. pentab. in proæmio. [B. Propheta Esaias ait; *Et missum est ad me vnum de Seraphim, & in manu habebat carbonem, quem forcipe acceperat ex altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferet iniquitates tuas, & perpurgabit peccata tua.* Visionis huius profunditatem, vt vires ferunt, exquirentes, non aliud nisi Dominum nostrum Iesum Christum esse dicimus, spiritalem carbonem in altari positum, super quo thymiama Deo ac Patri à nobis adoletur. Per ipsum enim accessum habemus, & spiritalem cultum exequentes, accepti sumus. Hic itaque carbo diuinus, vbi accedentis ad se labia tetigerit, illico mundum reddet, atque peccati omnis prorsus expertem. Sed labia nostra quonam modo contingat, docet Beatus Paulus, cum dicit: *Propè te est verbum in ore tuo, & in corde tuo, quia si dixeris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Dicitur autem carboni persimilis, propterea quod ex duabus ac dissimilibus rebus intelligitur; sed ita secundùm veritatem conuenientibus, vt in vnitatem propemodùm coniungantur. Ignis enim, vbi lignum penetrarit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen seruato quod erat.] Hæc eo loco S. Cyrillus, de Christo iuxta Esaiam carbone; & alia in eam rem paulò distinctiùs tradit Elias Cretensis ad orationem primam Nazianzeni, *ante medium*, circa illa verba, *Esaias per Seraphin, & carbonem purgatus.*

Quatenus autem analogia carbonis & Christi, recidere possit in analogiam, cum cereo ac lucerna, autor sermonis de B. Maria apud Bernardum, *in ipso fine*, monstrat non incommodè. [Ignis (inquit) in carbone, diuinitas est innocens in opere. Ignis in prunis, euidens est indicium diuinitatis. Carbo mortuus, in præsepe iacens; igneus, dæmonia expellens. Mortuus, in Ægyptum fugiens; igneus, vendentes & ementes columbas, de templo eijciens. Mortuus, dormiens in naui; igneus imperans ventis & mari. Mortuus, subditus parentibus; igneus, quatuor satians hominum millia de septem panibus. Mortuus, ad puteum Iacob rogans potum; igneus, circa Hierico illuminans cœcum & sanans leprosum. Carbo erat mortuus, dum à Diabolo tentaretur; igneus, dum ei ab Angelis ministraretur. Mortuus, in proditione discipuli; igneus in filio Reguli; Sopitus, ante Præsidem; igneus, circa Tyberiadem; Sopitus, dum ei Herodes illuderet; igneus, dum mortuorum suscitator magnificus fieret; Sopitus, dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur, igneus dum ab eo decem leprosi mundarentur; Sopitus, dum à Iudæis se absconderet; igneus, dum cum publicanis & peccatoribus ederet; Sopitus, dum ambularet super vndas; igneus, dum ex aqua facto vino lætificaret conuiuas; Sopitus, iacens in cunabulis; igneus, fulgens in miraculis. Sopitus, ante tribunal Præsidis; igneus, in

filia Chananitidis; Sopitus, in cruce; igneus, in monte. Prunæ ergo mortuæ, erant humanitatis opera, ignitæ diuinitatis miracula.] Hinc dico haberi, quatenus carbo ad Christi effectionem & finem analogiam habens, reuocetur ad cereum aut lucernam; nempe quatenus carbo emittit flammam; nec sibi soli lucem habet, sed eam foràs profundit. Sub ea enim ratione, tæda quædam est, & perinde se habet ac cereus aut lucerna. Quare satis erit analogiam effectionis & finis Christi, cum cereo ac lucerna vestigare, dimisso carbone. Ordiar à cereo in hoc capite, dicturus de cæteris consequenter.

Christus cereus, quia homo.

343. Erit quem ea cogitatio subeat initium hîc faciendum à cerei & hominis affinitate. Hominis enim imaginem cereum esse, & profanis & sacris testimoniis edocemur. Nemo in re literaria adeò hospes sit, vt ignoret quod Plutarchus refert tractat. rectè ne dictum sit, latendum esse, cap. 6. itémque Macrob. 1. Satur. cap. 7. & ex Varrone Lactantius lib. 1. institut. Græcos in Italiam profugos, cum ex oraculo accepissent illud.

Καὶ κεφαλὰς χρυσέᾳ, Καὶ τῷ πατρὶ, πέμπετε φῶτα,

ex ponte Miluio, in Saturni honorem iactare solitos hominem, delusos ambiguitate vocis φῶς; quæ & *hominem* & *cereum* significat; Posteros tamen eorum doctos ab Hercule errorem, cereum subrogasse homini, indéque morem cœpisse cereorum per Saturnalia missitandorum, Macrobius est autor. Sed hæc delusorum miserrimè mortalium ludibria, dimittamus. Apud Psaltem Psal. 57. Spiritus sanctus hominem disertè cum cereo collatum voluit, verbis illis; *Sicut cera quæ fluit, auferentur; supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Cera enim quæ fluit, idem est quod cereus. Nam cera in cereum non conformata, etiamsi fluit à facie ignis, non tamen perit & absumitur; atque adeò propriè non auferetur: sed ea tantùm quæ igni in pabulum cedit, quia illita est vel apposita myxo. Videturque mihi eo verbo Spiritus sanctus, appositissimè expressisse caducitatem humanæ vitæ & omnium eius pomparum. Quantuscumque enim sit quispiam, mox tamen auferetur, sicut cera quæ fluit. Hoc in homine, hoc in omnibus humanis bonis, facile est deprehendere cum S. Bernardo serm. 1. de diuers. *in fine.* [Gaudent (inquit) in cibis, gaudent in pompis, gaudent in diuitiis, gaudent & in vitiis homines; sed luctus extrema occupat eiusmodi gaudiorum, quod gaudium in materia conuertibili, mutari necesse sit re mutata. Accenditur cereus, non purum lumen est sed lucerna; siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fouetur: porrò deficiente materia, etiam ipse deficiet: & vbi illam videris prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse reperies. Sicut ergo flammæ illius nouissima, fumus occupat & caligo; sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur.] Sed de ipso maximè homine, appositissimè dictum videtur, quod sit cera quæ fluit, cum perpetuò defluat, depascente illum, sensimque absumente igne interno. Eóque fortassis spectabant qui homini machinantes exitium, vt est apud Balsamonem in Epistolam ad Amphiloch. *sub finem*: cereum in hominem conformatum, loco eius hominis quem perditum vellent, adhibebant ad maleficium.

Item quatenus homo, Deus.

344. Hæc quamuis sint verissima, sirque planè perspicuum, imaginem hominis cereum esse; tamen aliunde ducenda est Christi per cereum adumbratio. Neque enim Christus homo duntaxat est, sed homo Deus. Itaque cerei cum homine correspondentia, Christo Deo simul & homini esset inadæquata: cum tamen Patres plerique, non ratione solius humanitatis, sed absolutè, atque adeò quoad omnia illum integrantia, *cereum* denominent Christum. Sic S. Bernardus serm. 3. in Vigilia natiuit. Dom. [Vnigenitus, Dei Sol iustitiæ, tamquam immensi & præclari luminis cereus, in huius mundi carcerem illuminatus est & accensus, vt omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illíque iungantur, vt nihil medium inter illos sit & ipsum. Peccata enim nostra, separant inter nos & Deum: sed illis sublatis, vero lumini illuminandi, & quasi concorporandi connectimur in idipsum: sicut lumen extinctum, lumini lucenti & ardenti sine aliquo medio coniungitur, vt illuminetur: quatenus per exemplum visibilium, effectus rerum inuisibilium cognoscamus.] En Dei vnigenito, non vtcumque consideratо, sed vt ceræ nostræ coniuncto, rationem cerei tribuit.

Varij ritus Ecclesiastici, id exprimentes.

345. Distinctiùs idem habet S. Anselmus hom. in cap. 2. Lucæ *ad finem.* Agens enim de ritu Christiano iam à temporibus S. Cyrilli Hierosolymitani recepto, (vt ipse Cyrillus refert hom. de occursu Domini,) cereos preferendi in festo Dominicæ oblationis in templo, qui purificatæ Virginis passim dicitur, hæc habet S. Anselmus. [Pulcher Ecclesiæ mos inoleuit, vt fideles in hac celebritate, cereos siue candelas offerant. Nam quia Christus in templo hodie est oblatus; ipsi mystica oblatione sua, hoc ipsum representant, dum singulis recurrentibus annis, ad domum Dei cereos in hac die portant. Cereus enim vel candela, Christum significat. Et quia vnusquisque deuotus ad hanc solemnitatem veniens, Christum lumen verum affert in pectore, ideò conuenienter cereum præsentat in oblatione. In cereo quippe, tria offeruntur; cera, Lychnus, & flamma: cera quam apis Virgo confecit, significat Christi carnem, quam Virgo Maria genuit: interior autem lychnus, animam; flamma verò superior, diuinitatem. Nec inueniri aliquid in creatura potest, quo congruentiùs significaretur Christus.]

Non dissimiliter Petrus Blesens. serm. 9. qui est de eodem festo. [Quia in face cerea designatur Christus, exemplo perseuerantiæ Christi, ad perseuerandum ipsis luminaribus hodie instruantur fideles ac si nobis dicatur, videte quid gestetis in manibus. Typum Christi gestatis; fidem eius gestatis in mente, confessionem nominis eius in ore, imitationem in opere. Tres siquidem substantiæ, in vna Christi persona, per accensum luminare designantur. Per ceram caro Christi designatur: apicula enim quæ non resoluitur in libidinem, quæ commixtione sexuum non frangitur, ceram operatur. Sic Caro Christi, nec ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex illibata Virgine, ex Deo facta est. Ellychnum latens in cera, est anima, carnis domicilio tecta. Ignis vtrumque absumens, diuinitas eius; quia Dominus noster, ignis consumens est. Inde est, quod & Simeon Christum lumen appellauit, factum ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israël. Hoc ergo die gestatur in manibus.]

Guerricus serm. 1. de Purificat. [Tractemus si placet, quid hæc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet aut faciendum demonstret. Quamquam ne id quidem puto vobis incognitum, etiamsi numquam sit auditum. Quis enim hodie cereum ardentem gestans in manibus non statim illius senis recordetur qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas. Verbum in carne tamquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat?]

Idem habet Iuo Carnot. serm. de purif. Et serm. de eodem festo Fulbertus & pulchrè Honorius Augustodun. in sigillo B. Mariæ cap. 8. in ipso fine capitis & operis

operis. Eundem ritum, ad Christum, structuramque cerei, ad Christi structuram, egregiè accommodat Federicus Nausea lib. 6. de ceremoniis Eccles. cap. 5. & apertè autor sermonis de purificatione, adscripti S. Ambrosio tomo 5. *ad finem.*

Alium item Christianum ritum, benedicendi in Paschate cereum, varij Patres Christo accommodant. Repelento vnum aut alterum. Ennodius in benedictione Paschalis cerei. [In huius tibi, Domine sanctissime, nominis ministerio hoc cereum lumen offerimus, per quod caligo vetusta pellatur: in quo species trino compaginata consortio, societatis propemodùm mysticæ glutino coniungatur. Quarum ceram, parauit nectareis partubus fœta Virginitas; papyram ad alimenta ignium, Lympha transmisit; lumen adhibetur è cœlo. Nihil hic habet vox humana, quod consecret, vbi totum dirigit superna cognitio. Agnoscit hic odorem suum salutiferæ Virginis filius, vbi sine coitu nascitur quicquid offertur.]

Rupertus lib. 6. de Diu. offic. cap. 29. [Claram refulgentis magnitudinem, præclari significat magnitudo cerei. Eo vel maximè cereus ad Christi similitudinem accedit, quod paruula quæ substantiam ceræ apis mater educit, absque concubitu concipit, & parit. Cui rectè comparatur Virgo Maria Dei genitrix, quæ inviolata nobis Deum in carne, quasi mel in cera protulit. Cum ergo rectè humanitatis Christi similitudinem gerat, annus illi ab incarnatione eiusdem Domini Christi consequenter inscribitur. Et quia crucifixus est, crucis quoque figura congruè nihilominus insculpitur. Amplius autem id quod dictum est, eiusdem cerei benedictio confirmat. Primò cum in præfatione benedicens rogat, vt qui me non meis meritis intra Leitanum numerum dignatus es aggregare, luminis sui gratia infundendo, cerei huius laudem implere præcipiat. Laus enim cerei, nullo modo nominanda esset; nisi Christum filium, qui cum Patre, & Spiritu sancto Deus vnus, & solus laudandus est, significaret.] Hoc de Paschali cereo Christum referente, distinctiùs exponit Federicus Nausea l. 6. de sacris ceremoniis c. 22. Et mihi esse magis accommodum Christo repræsentando dicitur in cerei Paschalis benedictione, quam ritu Missæ Ambrosianæ descripsit Pamelius t. 1. Liturg. Latin. pag. 346.

346. Sed & quod inter sacros baptismi ritus, cerei gestatio annumeratur, vt latissimè prosequitur Vicecomes l. 5. de baptismo à cap. 20. ad 25. meritò ab Aldrouando lib. 1. de insectis cap. 3. §. *de ceræ vsu in sacris*, refertur ad Christi Domini expressionem. Mergitur enim cereus in aquam, & ibi extinguitur, vt significetur, Christum suo baptismo (quod scitè dixit Nazianzenus orat. 39.) aquas lauisse, & vim eis contulisse nos regenerandi morte sua. Quamquam Amalar. lib. 1. de offic. Eccles. cap. 26. aliò refert ritum illum. Sed is quem ex Aldrouando protuli, est valdè verisimilis: & consequenter gestatio cerei per baptisatum, videtur esse symbolum Christi, quem Neophytus reliqua vita præferre debeat, vt disertè & erudite prosequitur Dominicus Sergentius Ord. Prædic. lib. 2. de baptismo hæretic. cap. 35. à quo sensu non abhorret, quod aiunt Hugo Victor. l. de Sacram. fidei cap. 20. & Iuo Carnot. serm. de Sacram. Neophyt. nempe doceri Neophytum, vt luceat lux eius coram hominibus: nam hoc ipsum est, præferre Christum.

Sicut in Christiano natali per baptismum, ita in altero natali, (sic enim Nyssenus oratione pro mortuis, mortem nominat;) vsurpantur cerei, tradendo morientibus cereum benedictum, qui est Christi symbolum; vt in eius excedant complexu, quem vinentes expresserint imitatione. Mortuis quoque, in funere, eandem ob causam præferuntur cerei, ex antiquissimo ritu quem multis illustrat Thyræus l. de locis infestis c. 81. spectari verò ad professionem Christi, optimè notauit Gabriël lect. 57. in Cano. *litera F.* Ex his coniectura duci potest de alio multiplici cereorum vsu in Sacris, quorsum sit inductus iam olim, & luculentum est exemplum quod subministrat Socrates lib. 6. c. 8. Scribit enim Eudociam Augustam ad vsum nocturni luminis, in Catholicorum cœtu cereos suppeditasse, qui crucibus argenteis imponebantur.

Tripartita cerei compages, Christo aptata. Cera corpori.

347. Constat, Patres Christum prout ex duabus naturis & vna diuina personalitate compactum, cereo conferre. Sed distinctiùs & particulatim id explicemus; Est enim suauitatis permagnæ differtissima consideratio. Sunt in cereo tria; cera, myxus & lumen siue ignis. Totidem in Christo facile est distinguere. Et corpori quidem, respondet cera. Scio S. Athanasium *sub initium* sermonis de sanctissima Deipara, affirmare, humanitatem totam quæ anima & corpore constat, fuisse Dei Verbo pro cera. Sed commodius tenebimus allegoriam propositam, si quid ceræ in Christo respondet, tribuamus sanctissimo Christi corpori iuxta Platonis doctrinam in Thæleto, vbi vestigat causam cur aliqui ingenio sunt docili, quidam agresti; nonnulli literarum capaces, alij obstipo ingenio, & ad alia omnia facto potiùs quàm ad studia; cum tamen animæ omnium sint eiusdem rationis, ac substantialiter æquales. Respondet verò, causam huius rei, in ceram è qua homines illi coaluerunt, esse referendam; aliis enim puriorem, aliis fœculentiorem vel duriorem ceram obtigisse; idque esse Κηρὶ illud Homericum, quo Ῥοιὰ Κηρῷ id est ceræ similitudinem significare ac innuere voluit, vnde animis inæqualitas & diuersitas aduenit. Quibus inuoluctis Plato, idipsum adumbrauit quod clarè Aristoteles initio physiogn. & Galenus iusto Opusculo tradiderunt; nimirum animi mores temperamentum corporis consectari. Itaque ceram Plato humanum corpus appellauit, eáque comparatio arrisit Methodio apud Damascenum 1. parall. c. 8. An quod corporis humani admirabilis planè sit structura, iisque proportionibus ac mensuris exquisitè seruatis, ob quas commendantur insigniter ceræ apicularum à S. Basilio hom. 8. hexaëm. & à Nazianz. orat. 34. num. 53. & orat. 43. *in fine.* Est sanè in humano corpore artificium illud longè insignissimum & symmetria planè admirabilis; ita vt ex eius consideratione, etiam impiissimi homines, teste Theodoreto serm. 9. de prouid. ad pangendos Deo hymnos eruperint. Existimarim tamen aliò potiùs referendam esse rationem, cur corpus nostrum cera dicatur: & aliam præterea esse rationem specialiorem, cur corpus Christi, cera sit dictum. Nostrum quidem omnium corpora, ceræ nomine veniunt; quia ceream temperiem referunt. Idque necessarium planè fuit, vt possent esse sensationis capacia, quod doceo ex Nyss. l. de hom. opific. cap. 30. verbis illis. [Fuerit operæ pretium hoc loco naturæ artificium in corporis creatione considerare. Nam cum ea quæ dura solidaque sunt, sensus actiones nullas admittant, vt est videre in corporis nostri ossibus, & terræ plantis, in quibus esse vitæ quædam species, satis intelligitur ex eo, quod accrescunt & nutriuntur, cum solida ipsorum durities sensum non recipiat: Idcircò necesse erat quoddam quasi cereum opificium sensum actionibus subijci, quod posset cedendo velut impressas notas recipere, sic vt ob nimiam humoris copiam non confunderetur, (quando humidæ rei quod imprimitur, nequit durare;) & ob immodicam duritiem non resiliret; (quando quod cedere nequit, notas per impressionem nullas recipit;) sed mediocriter esset cùm molle tum durum, ne animal hoc facultate inter cæteras pulcherrima careret, sensus nimirum motione.]

348. At ſpecialis ratio cur Chriſti corpus ceræ ſit collatum, perſpicua eſſe poterit, ſi ceræ materiam, & efficientem cauſam, & affectiones aliquas contemplemur. Eſt ceræ ſubſtantia, ſuccus è nonnullis plantis lectus ab apiculis ore legulo. Cum enim duo ſint quæ in fauo ſpectari poſſint; mel ſcilicet & cera, quæ mellis eſt hoſpitium, vt loquitur S.Hieronymus Epiſtola ad Gaudentium; mel quidem de cœlo eſt, cum ſit ros quidam,vt eſt apud Senecam Epiſtola 84.annuentibus benè multis id eſt exquiſitè rimatis apud Aldrouandum l.1.de inſectis c.1.& 2.Cera autem infernè habetur.Legitur enim ab apibus ex plantarum lachryma & gummoſa ſubſtantia, vt habet Ariſtoteles 3.hiſtor.cap. 21.& lib.5.c.22.& Plinius l.11.c.8.& ſuis aliorúmque experimẽtis firmat Aldrouãdus ſupra c.3.§. *quid ſit, & vnde fiat cera.* His ſi addas,ceram ab ape(quod animal Virginitatis ſymbolum habetur,) confici: hoc eſt,collecta ex plantis ea quam retuli materia, conformari in fauum, melliſque cellas, nihil admodum erit, quod corpus Chriſti Domini de materna ſubſtantia ſecluſa paterna opera confectum & configuratum, cum apum cera componendum deſideres. Accedit inſuper inſignis proportio; quod cum cera ſic collecta & efformata vt diximus,ſit colore flauo; affuſione tamen aquæ, & multi luminis ſolaris è quo calor exiſtat luculentus, albeſcit cera. Hanc enim eſſe alboris in cera originem, ex Philoſopho docet Scaliger exerc.325. num.12. Quod naturæ & artis miraculum, proportione locum habet in ſanctiſſimo Chriſti corpore: quod quamuis materiali conditione ex parte mattis, indidem eſſet vnde corpora noſtra; tamen Spiritus ſancti obumbratione tectum, & diuini Verbi radijs concalefactum, ſuper niuem eſt dealbatum, & excipiendæ animæ Deo coniunctæ capax factum, elongatúmque à corruptione iuxta illud *non dabis ſanctum tuũ videre corruptionem.* Quo ex capite, ceræ etiam reſpondet. Nam cera à corruptione eſt immunis; imò incorruptionem etiam conciliat corporibus; vt propterea Perſæ, quod notauit Briſſonius lib.2. de regno Perſarum & ex aliis Tiraq. ad Alexand. l.3.c.2. ceram tanquam balſamum cadauetibus illinerent. Spectauit huc Guerricus Abbas ſerm.1. de Purificat. Deiparam his verbis compellans. [Gratulor & gratificor tibi gratia plena quæ miſericordiam genuiſti quam ſuſcepi: Cereum præparaſti, quem accepi: Tu ceram miniſtraſti ſuſcepto lumini,Virgo,Virginum Virgini, dum incorrupta mater, incorruptibile Verbum, incorrupta carne veſtiſti.] Pulchrè in benedictione cerei ex ritu Miſſæ Ambroſianæ. [Docet in hoc Domini Saluatoris noſtri veſpertinæ reſurrectionis aduentu, cereum nos adolere pinguedinem, cui ſuppetit candor in ſpecie, ſuauitas in odore,ſplendor in lumine; quæ nec marceſcenti liquore defluit, nec offenſam tetri nidoris exhalat, &c. Ceras igitur nec pinus exuſta deſudat, nec crebris ſauciata bipẽnibus cedrus illachrymat; ſed eſt illis arcana de Virginitate creatio, & ipſæ Transfiguratione nitei candoris albeſcunt.] Ad extremum cum ſcribat Ariſtoteles 2.Meteor.c.3.nautas, deficiente eis aqua potabili marinam aquam percolare in vaſe cereo, multis foraminulis pertuſo, indéque aquam colligi dulcem, omni ſalſugine & amarore ad oſtia foraminum hærente; eſt quod agnoſcamus vnde indulcata ſit ſalſugo noſtra,& vnde aquæ noſtræ amariſſimæ,paſſiones inquam & acerbitates,factæ ſint potabiles & tolerabiles. Percolatæ enim ſunt in Chriſti corpore,tã multipliciter pertuſo, quot excepit ſubſtinuítque pro nobis flagella,confixiones,vulnera,atque incommoda.

Myxus cerei, accommodatus animæ Chriſti.

349. Pergo ad cerei noſtri myxum. Plerique iam prolati DD. quod in cereo myſtico reſpondet myxo, animam eſſe tradiderunt: Pulchrè præfato Ambroſiana proximè adducta. [Papyrum (ſic à materia antiqua notat myxum:) liquida fontis vnde producit, quæ inſtar inſontis animæ nullis articulatur ſinuata compagibus, ſed virginali circumſepta materiâ ſit hoſpitalis ignibus alumna riuorum.]Et eſt ſanè magna animæ & mixti conſenſio. Priuſquã enim lanigeræ arbores ex Arabia innotuiſſent, myxi ex lino aqua: macerato, & mox arefacto & tuſo in ſaxo, malleo ſtupario, ferreíſque hamis exquiſitè depexo, conficiebantur, vt eſt apud Plinium l.19.cap.1. & pereleganter ac fusè apud Geropium l.3. Hermathenæ pag.40. (tametſi de lini Ethymologia more ſuo philoſophatur.) Erat igitur myxus lino. Itaque apud Eſaiam c.42.eo loco qui de Chriſti manſuetudine accipitur Matth.12. *linum* pro *myxo* accipitur.Sic enim habet Eſaias.*Non clamabit,& nemo exaudiet vocem eius calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.*Linum fumigans, idem eſt quod myxus, vnde adhuc poſt extinctum ignem fumus exhalet: ſignificatúrque tantam fore Chriſti lenitatem, támque molliter & abſque impetu acturum Chriſtum,vt vel ſi fumigantem myxum pedibus calcet, non ſit extincturus. Quod myſticè ad tunc quaſſatum regnum Iudæorum, & linum Sacerdotij ferè extinctum; per Chriſtum tamen non prorſus extinguendum, accommodat S.Gregorius 33. moral.cap.4. Ad literam tamen, de myxo (vt dixi) accipi debet: ita vt ſit prouerbialis locutio ſignificans Chriſti lenitatem, qui calcans myxum non plenè extinguat. Quia verò animæ noſtræ, quæ corpotum ceris vt myxi inſeruntur, ijſdem proportione (vt ſic dicam,) tormentis, quibus lina aptantur, vt diuino lumini fouendo ſint idoneæ; propterea Origenes hom.7. in Ierem.*in fine*,animas noſtras confert lino,verbis illis.[Linum ex terra naſcitur. Nam cum ſemen eius in humum fuerit abiectum, primùm in gramine pullulat; deinde vt infinita præteream, demeſſum tranſfertur domum, pertitur, lauatur, teritur, tunditur, & ingenti (vt ita dicam) opera excutitur, quo tale fiat, ex quo poſſit cinctorium, aut aliud quid in vſus neceſſarios operari. Et nos ergo vniuerſi qui generationem habemus ex terra, aut linum quod in cinctorium Dei pectitur, multa curã indigemus vt petiamur, vt lauemur, vt colorem terræ abijciamus. Alius quippe color generationis in lino eſt, alius cum fuerit opera mundatus. Generationis color obſcurior eſt & nigrior, operis autem lucidior. Tale quid in exordio euenit. Nigri enim ſumus quando regeneramur, quando credimus, quando in Canticorum cantico dicimus, *Nigra ſum & ſpecioſa.* Æthiopibus ſimilem habemus animam indecoram; abluimus vt fiamus candidi, vt nitorem qui nobis inſitus ex natura non fuerat, diligentia conſequamur, iuxta illud quod in eodem loco ſcribitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata?* & efficiamur linum candidum purúmque aqua.] Eadem pulchrè tradit Autor libri de vita Eremit.ad ſororem cap.38.tomo 1. Aug. in append. canſas tradens cur ſacra corporalia (vt vocamus,)ex lino ſolo confici debeant: vt ſignificetur qua via ad candorem progrediantur Chriſtianæ animæ, & quomodò ſicut linum iuxta Plinium ſupra, ſemper iniuriâ melius, ita Chriſtianis animabus, ex vexationibus & iniuriis,multa bonorum fiat acceſſio.

350. Non fuit quidem Chriſti animæ, è deteriore ſtatu ad bonum progreſſio, qualis in nobis: vt proinde non poſſit eo ex capite conferri cum lino. Penes cætera tamen omnia, perbellè anima Chriſti reſpondet lino. Nulla enim vnquam anima intra aquas adeò macerata, nulla quocunque vitiorum humore adeò exſiccata, nulla acriùs tunſa & depexa, omníque vexationum genere diligentiùs carminata, quàm Chriſti anima. Accedunt alia, quæ in Chriſti animam cadunt inſigniter. Linum enim nota puritatis habetur, iuxta

S.Auguſti

S.Augustinum serm.217. de temp. vbi tractans illud de mulieri forti, *quæsiit lanam & linum*, & quærens quid sit lana, quid linum; [Lana (inquit,) carnale aliquid, linum verò spiritale significat; quia in ordine vestimentorum, interiora sunt linea vestimenta, lanea verò exteriora. Lana etiam de commixtione animalium nascitur; linum verò sine carnis voluptate de terra procreatur; ideò castitatis imaginem præferre videtur, in tantum vt Sacerdotes veteris Testamenti, ex præcepto legis, propter castitatis indicium, lineis femoralibus vterentur. Ergo in lana carnale aliquid, in lino verò Spirituale significatur.] Eodem spectauit Philo lib.2.de Monarch. cum, exponens vestes Sacerdotis ac Pontificis, inter quas linea tunica numerabatur, ait idcirco præscriptam illis vestem huiusmodi; quia linea non conficiuntur è mortali materia, sicut vestes lanea. Pythagoras ea ipsa ex causa, vt in eius vita prodit Iamblicus, statum & corpus lineis vestibus operiebat: laneas vestes, quia ex commixtione & carne orum habent, refugiebat. Vnde illud Apulei in Apologa [linum textum, purissimum rebus diuinis velamentum. Quippe lana segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, iam inde Orphei & Pythagoræ Scythis, profanus vestitus. Sed enim mundissima lini leges, inter optimas fruges terra exorta, non modò induui & amictui sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris vsurpatur.] Ita ille, depellens criminationem qua Magus andebat, ob lineum textum in Pontiani Bibliotheca depositum. Vides quàm appositè spiritualitas & cælestis origo animæ Christi, eiusdémque nitor & summa sanctitas, lineo myxo exhibeatur.

Quod tamen pleræque ex his lini conditionibus, purissimæ carni Christi accommodentur, nonnulli lineum exprimere malunt corpus Christi. Sic Beda q.8. ex variis, exponens quomodò Dauid in typum Christi accinctus legatur Ephod lineo, rationem reddit. [Nam linum quod terrâ procreatum multiplici labore ad candorem vestis peruenit, veritatem humanæ carnis, inter flagella triumphantis ostendit.] Sed & Remigius in cap.27. Matthæi, exponens cur Christus, sindone inuolui corpus suum è cruce depositum voluerit, [Sindon (inquit,) lineus pannus est; linum autem ex terra procreatur, & cum magno labore ad candorem perducitur. Designatur ergo quod corpus illius, quod ex terra, id est ex Virgine sumptum est, per laborem passionis, peruenit ad candorem immortalitatis.] Approbat eam rationem Palæotus cap.2. de sacra Sindo. num.11. vbi Malonius, ad idem profert glossam cap. *consulto* de consecrat.dist.1. & ibid. Turrecrematam, Hostiensem, Panormitanum, itémque Guilielmum, Durandum in Rationale lib.4. rubrica de pallis. Non displicet hæc allegoria. Eam tamen quam prodixi, æquè retineo. Nec est quod vetet idem symbolum penes varia adiuncta, exhibendis aut adumbrandis rebus diuersis, vsui esse.

Flamma cerei Christi, Diuinitas.

351. Tertium quod in cereo considerandum proposueram, est ignis seu flamma, vnde calor & lumen. Hunc cerei nostri ignem, Doctores supra prolati; aiebant esse Verbum diuinum, & rectè. Nihil enim Deo Verbo congruentius, quàm ignis, vt liquet ex 30. illis proprietatibus ignis, quas S.Dionysius c.15. cœlest. Hierarch. considerat, & Deo accommodat: obseruans familiarissimum esse Scripturis, Deum & diuina omnia, per ignem exprimere, ob magnam ignis inter res nostrates affinitatem cum Deo, præsertim (vt obseruat idem annotans Isidor. Pelus. lib.4. epist.66.) ob summam ignis communicabilitatem, & vim altipetam. Quæ omnia cum in omnes diuinas personas, tum maximè in secundam cadant: cum illa personaliter se communicarit, quod aliæ nō fecerunt. Huc refero illud, *erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma*: quod S.Ambrosius lib.1.de Spiritu sancto cap.16. exponit de Spiritu sancto. Nec non ignē innoxium Moysi in rubo ostensum. Verùm sicut hunc ignem, esse symbolum Verbi, quod spineto carnis nostræ adiunctum, non sustulit sed admisit eius incommoda, præclarè obseruauit D. Gregorius 28.Moral. *initio*, nec non Oecumenius Actorum 7. Ita ignem illum, in quo sanctus Dei, & lumen Israël futurum erat, commodè intelligemus Verbum diuinum, quod in carne sua, toties dictum est lumen Israël, & sanctus Domini. Et hic reipsa est ignis illi deuorans, & ardores sempiterni, cum quibus nihil nisi iustum & purum habitare posse, idem Isaias alio loco confirmat. Quantum ab hoc igne cerei nostri lumen, quantus item calor existat, nulla satis assequatur oratio. Iuuat tamen balbutire de vtroque nonnulla.

Item amor Dei per Christi animam, eximiæ eius scientiæ commensus.

352. Lumen à Verbo refusum in cereum suum, hoc est in Christi humanitatē, illa est cognitio euidentissima diuinæ essentiæ ac personalitatum, quæ necessariò communicanda fuit animæ Christi, iam ex primo momento productionis, vt agnosceret suum esse, cuius completio ex diuina Verbi subsistentia pendebat. Cum ea autem lucis vbertate circa Deum & diuinam essentiam, nemo non videt, communicatam insuper esse copiosam lucem circa Dei opera, & ordinis naturæ, & ordinis gratiæ, tam præterita quàm præsentia atque futura. Quæ omnia cum copiosè sint explicanda tractando perfectiones intellectus Christi, nunc quantum ad hoc institutum attinet; satis erit Lectorem ablegare ad Siracidem cap.24. vbi diuina sapientia in procinctu ad suam Incarnationem, vt sentit Palacius ibi, imo quantum ego arbitror, in puncto & momento quo peracta est Incarnatio, inducitur celebrans animam suam, & in Deo honorari, id est non ementitis titulis honorem accipere, sed fundatissimis ac verissimis, idque in medio populi sui, & in Ecclesia altissimi, & in conspectu virtutis illius, & in plenitudine sancta, ac multitudine electorum, & inter benedictos. Tam multis, sed eodem recidentibus loquendi modis, Spiritus sanctus designatum volvit cœtum sanctorum Angelorum omnium, qui virtus Dei sunt, & exercitus cœlestis. Omnes enim affuerunt, & admirabundi exceperunt hoc diuinæ sapientiæ encomium, eámque laudibus gloria & benedictione cumularunt. Hic est sensus vestibuli prædicti capitis 24.Ecclesiastici *sapiētia laudabit animā suā, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur & in Ecclesiis altissimi aperiet os suū, & in cōspectu virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorū habebit laudē, & inter benedictos benedicetur, dicens, ego sapientia* &c. Sermonē hunc panegyricū, Sapientia nō potest dici habuisse ante mundum conditum; cū disertè mox prodat, se lumine cœlum ornasse, & in fluctibus maris ambulasse, quæ mundi ortum præcessisse, hunc autem panegyricum sermonem, esse subsecutum, supponunt. Constat item eundem sermonem, non fuisse habitum ante Mosem atque Dauidem, quorum mox in hoc ipso sermone fit mentio, tamquam anteriorum. Fuisse autem habitum ante Incarnationem, nō rectè à Palacio inde colligitur quod hic dicitur, *posuit Dauid puero suo, excitare Regem ex ipso fortissimū*: quod de Messia, Dauidis lectissimo germine, intelligendum esse non dubito. Cur tamen de Messia nondum producto accipi debeat quod vult Palacius, equidem non video. Nam æquè de Messia iam diuinitus excitato atque producto valere ea verba possunt; quatenus is ipse qui in sæculorum fine

in terris visus est & cum hominibus conuersatus, vi diuini promissi quo eum Dauidi excitare statuerat, est tandem productus.

353. Igitur cum nihil obstet, & omnia longè meliùs quadrent, si diuina sapientia non paulo ante Incarnationem, vt prædictus Auctor ait, sed in ipsomet Incarnationis puncto, commendasse animam suam in tam glorioso cœtu dicatur; in eam planè venio sententiam, vt Syracides edoctus à Spiritu sancto mysterium Incarnationis Verbi, & productionis Christi, describat orationem luculentam, qua Sapientia Dei in puncto Incarnationis, astante Sanctorum & electorum plenitudine, celebrarit animam suam: hoc est sine seipsam (iuxta Scripturæ phrasim qua Deus in anima sua iurasse dicitur, id est per seipsum;) siue simpliciter & iuxta literæ corticem, suam animam, cui tantum decus tunc obtigit ex vnione cum Verbi persona, & tot bonis ex ipsa prodituris, per satisfactoria & meritoria opera, quæ elicitura esset in corpore. Nam ratione diuini suppositi, cedunt in animæ Christi decus, quæ primùm proferuntur in hoc encomio, de ortu sapietiæ ex ore Altissimi, primogenitæ ante omnem creaturam, de productione lucis & orbis stabilitione per eam, atque Dominio supremo & principatu illius in omnia. Ad humanationem verò Verbi, pertinet requies ex præcepto siue decreto Altissimi, in Sion quæsita, ipso creatore quiescente in tabernaculo quod construxit sapientiæ ad inhabitandum in Iacob, hæreditandúmque Israël, & mittendas radices in electis Dei, & populo honorificato, ac Sanctorum plenitudine, in qua vt lectissimæ quæque & odoratissimæ plantæ caput extulit, & fragrauit incarnata Dei Sapientia, omnium aromatum vincens suauitatem, omnes honestatis & honoris fructus proferens, dilectionem pulchram & castam, timorem, agnitionem, & sanctam spem, omnem gratiam viæ & veritatis, omnem spem vitæ & virtutis. Hæ fuerunt sanctarum actionum fruges, è quibus Sapientia Dei laudauit animam suam in puncto Incarnationis coram omnibus Angelis, affusa ei copiosissima luce, qua apertè & clarè conspiceret diuinæ erga se beneficientiæ vbertatem; qua & ad diuini Verbi decora per vnionem personalem est euecta, ita vt ornamenta personæ cui ipsa substantialiter adiungebatur, in eam quoque per communicationem idiomatum, provt partem humani compositi Verbo copulati, refunderentur; & in sua creata entitate, fons bonorum omnium, & Dei benedictionũ perennis ad nos scaturigo, est constituta.

Hac luce perfusa in primo creationis suæ momento anima Christi, quantum conceperit ex tam vberi luce calorem, supra creati cuiuscumque ingenij facultatem sit cogitare, nedum dicere. Suspicari tamen vtcumque possumus, quandoquidem calor lumini commensus est, luculentum planè dilectionis in Deum calorem, imo æstum ac incendium fuisse in sanctissima illa voluntate excitatum. Et quando videret hoc esse Dei beneplacitum, vt requiem sibi in hominibus pararet, his mundatis & sanctificatis, aptatísque ad dignum Deo stratum, exarsisse quoque in eorum amorem: & incentissimo ac flagrantissimo actu caritatis erga homines, obtulisse se suáque omnia studia, labores, vitam ipsam, ad inueniendum & statuendum in eis locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Et cum distinctè obijcerentur per intellectum à Verbo collustratum, labores, calumniæ, ærumnæ, cruciatus, mors teterrima, & quidquid in eam rem ad mensuram redemptionis bonam & confectam necessarium ex decreto Patris foret, tantus fuit voluntatis illius calor, vt & omnia quæ diuinitus proponebantur rata habuerit acceptaríque; & supra quàm exigeretur, excipere ac præstare parata fuerit. Quin etiam magnum sibi esse, vocari & esse Dei animam, agnoscens, præ spirituali calore liquefacta, & sancto timore reuerentiali profundissimè abiecta, ad diuini Verbi conspectum depressa est, & in nihilum suum ac originarias latebras, præ tantæ maiestatis suæque naturalis vilitatis penitissima consideratione, refugit. Quod si plenitudo sancta, & electorum multitudo, vt habent verba Syracidis quæ retulimus, diuinam sapientiam inter benedictos benedixit, & exaltauit, & admirata est, immensa gratiarum actione & laude cumulans ex propositis capitibus diuinam sapientiam, luto nostro tunc consertam, tot tantorúmque operum molitricem & artificem; quas par erit existimare, fuisse in eo negotio sanctissimæ Christi animæ partes, cuius erat & lux ad perspiciendum plenior, & pondus in Deum per habitus infusos longè acutius, vicimáque ad increatam sapientiam planè singularis?

Cerei & Christi, compactio proportionalis, concluditur.

354. Est igitur Christus Dominus, ex humana carne & anima ac diuino Verbo compactus, vt cum S. Bernardo serm. 3. in Vigil. Natiu. Domini dicere memini, [tamquam immensi & præclari luminis cereus, in huius mundi carcerem illuminatus & accensus.] Huius cerei qui Christus est, candelabra fuisse SS. Apostolos, dixit Petrus Damian. serm. 27 *sub finem*: glossans enim illud Apocal. 11. *Isti sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum*, ait. [Candelabrum tribus pedibus innititur, & in altiora consurgens, cereum superportat, vt qui ingrediuntur lumen videant: ita & Apostoli, tribus virtutibus innitentes, operatione, prædicatione, miraculorum coruscatione, lumen verum Dominum Iesum Christum, ingredientibus ad fidem tota claritate monstrarunt.] Iusti quique, quorum præsertim ministerio affulget cæteris lux Christiana, æquè censendi sunt candelabrum tripes, fide, spe, ac caritate subnixum.

Vsus doctrinæ.

Nos quoque Christi imitatione & exemplo, in cereos conformari, & ardere ac lucere, consentaneum est. Non peruerso illo modo quo aliqui in Satanæ cereos aptantur, ardentes & lucentes, vel priuatim in suum, vel communiter in suum & aliorum exitium: Ea ferè ratione, qua vt est apud Tacitum l. 15. Nero perfectum feritatis exemplar, & abiectæ humanitatis in humanis lineamentis & externis exuuijs id ea, primos Christianorum, quorum damnationis in vrbe Roma dedicator fuit, atroci letho consumptums, eos conformari iussit in cereos, ad vsum nocturni luminis. Horresco referens! [adacto per medium hominem, qui per os emergeret stipite,] vt Seneca Epist. 14. loquitur, infelicem cruciarium cera plurima, picéque ac bitumine oblini mandabat, vt arderet velut cereus. Quo ferè modo ad ardendum aptabantur, qui subibant [tunicam alimentis ignium & illitam & intextam] cuius ibidem Seneca meminit; quámque Martialis lib. 10. ac Iuuenalis criminosorum atrocium supplicium attingens, *tunicam molestam* appellant. Et verè molestam dixerunt, in qua cremabantur lento igne per eam materiam serpente, vt ardent cerei. *Ardentem tunicam* vocasse visus est Tertullianus l. ad martyr. agens de ijs qui ad ignes se auctorauerunt. Eodem respexit in Apologetico, cum eum qui illius ardebat, dixit induisse Herculem Oetum. Ad hanc tunicam, si plurimũ ceræ, picis, & huiusmodi facilè ignescentis materiæ immediate carni noxiorum affusam, insupérque pali infixio proposita accederet? perficiebatur ea quam dicebam supplicij atrocitas, hominis in cereum conformati, sicque lento igne absumpti, de qua videndus interpres Iuuenalis ad illud Satyræ 1.

Tæda lucebis in illa
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Non

Non dissimili crudelitate, qui Neroni tam horrendæ immanitatis Auctor & incentor fuit, mortalium pietatisque in profanos cereos conformat, & igne Tartareo miserè absumit. Iuuenes ceræ conferebat S. Anselmus apud Edinerum l. 1. vitæ §. *verùtamen*, ob molliem & cessilem omnibus externis impressionibus naturam. Quò etiam spectasse videtur Plato, referente Clemente 2. Strom. cum dixit, voluptatem homines efficere cereos. Sed non minùs profectò cerei sunt, quatenus facillimè impuris ignibus corripiuntur, atque conflagrant veluti cerei. Et quidem si alijs ad malum præluceant, vel quomodolibet noceant, ignem quem conceperunt diffundentes, non prius alijs sunt damno, quàm sibi exitio. Priores enim ardent, æquè ac cerei priusquam aliquid ab eis incendatur, ipsimet ardent, & nisi ardeant, non incendunt. Quæ est D. Augustini comparatio conc. 1. in Psalm. 34. ad illud, *captio quâ abscondit, apprehendit eum.* Si verò bona malè exequantur, referunt quoque cereas faces, ait Nicol. I. ad Consulta Bulgar. cap. 71. sibi nimirum detrimentum præstantes, dum alijs commodant. Non igitur, damnosis hisce & profanis modis cerei simus: sed Christi exemplo, nostrique in Dei gloriam absumptione per cælitùs illatum à Christo ignem, qui ne in cereo nostro à ventis circumsonantibus extinguatur, vtraque manu adhibita custodiendus est, vt pulchrè philosophatur Bleien. serm. 49. *sub fin.* Optimè etiam S. Bernardus hom. 3. de Vigil. Natiuit.

CAPVT VI.

Ad idem, lucernæ symbolum.

355. CEreum & lucernam, in vsu Autorum interdum confundi, extra controuersiam est. Sicut enim candela apud aliquos sumitur pro lucerna, vt apud Anastasium in Sylvestro, cum ait candelas exisse ex oleo nardino pistico; ita è contrario lucerna quandoque pro cereo vsurpatur: idque vel vno illo argumento efficaciter monstratur, quod plerique Patrum, de sanctis luminibus, siue de baptismo agentes, datum baptizatis cereum disertè testentur: cum tamen alij quidam, eum ritum sacrum attingentes, vocent *lampadem*, vt Nazianz. orat. 40. Cyrillus Catech. 1. mystag. Ex eo nimirum, quem dixi, promiscuo lucernæ ac cerei vsu; quem apertè ferunt illa Venantij Fortunati lib. 4. carm. cum describit baptismum Iudæorum per S. Auitum.

Vndique rapta manu lux cerea pronocat astra,
Credas vt stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.

Quam primò dixerat lucem ceream, mox fulgorem lampade ductum nominat. Sicut etiam Gregor. Turon. l. 5. Histor. Franc. c. 11. eundem baptismum describens, pro eodem habet flagrasse cereos, & lampades refulsisse. Quid quod Gedeonicæ lampades atque lucernæ, non aliud fuere quàm cerei intra laternas? Neque enim vt Lyranus, & Abulensis, Montanúsque notarunt in c. 7. Iudicum, & ibidem Serarius q. 16. Lampades in quibus oleum fouisset ignem, opportunæ fuissent circumactioni illi per milites: Effuso quippe oleo, redditæ fuissent inutiles. Obseruant ergo, eas lucernas fuisse cereos intra testam abditos, quibus lampadum & lucernarum nomen sit datum.

Lucerna pressè dicta, in vsu sacro, iam olim.

356. Quamuis igitur cereus & lucerna interdum in vsu Ecclesiastico confundantur; hìc tamen lucernam sumimus pressè: quatenus in ea ignis fouetur, olei alterius ve liquoris affusione. Quo sensu lucernæ, non modò fuerunt in antiquo vsu sacro cùm Ethnicorum, tum Hebræorum, sed etiam Christianorum, vt docent illa S. Paulini natal. 9. Sancti Felicis.

Ecce vides quantus splendor, velut ade renata
Rideat: insculptum camera crispante lacunar
In ligno mentitur ebur; tectóque supernè
Pendentes lychni stiriis retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus; vndantes flammas lauis aura fatigat.

Prudentius hymno S. Cathemer. *sub fin.* apertè idem tradit illis versibus.

Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natalibus,
Lucem perspicuo flamma iacit vitro.

Et eiusdem hymni initio, describens scintillas ignis Saxigeno semine quæsitas, id est scilicis scintillam excudi à nobis, signante Deo lumen veridicum de Christo petendum.

Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui duri stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis vnde genus venit.
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, aut facibus pascimus aridis,
Quin & fila sauis stirpea floreis
Presso melle prius collita fingimus.
Viuax flamma viget, seu cana testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus picklam fert alimoniam,
Seu ceram terentem stuppa calias bibit.
Nectar de liquido vertice feruidum
Guttatim lachrymis stillat alentibus;
Ambustum quoniam vis facit ignea,
Imbrem de madido flere cacumine.
Splendent ergo tuis muneribus pater
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentémque diem lux agit æmula
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.]

Cur videatur, non posse esse Christi symbolum.

357. Huiusmodi pressè acceptam & cereo contra distinctam lucernam, esse posse Christi symbolum, negare videtur Orig. cuius hæc sunt verba hom. 13. in Leuit. in mystica luminum tabernaculi expositione. [Ante Aduentum Domini mei Iesu Christi, Sol non oriebatur populo Israël, sed lucernæ lumine vtebatur. Lucerna enim erat apud eos sermo legis, & sermo propheticus, intra angustos conclusa parietes, quæ non poterat in orbem terræ lumen effundere. Intra Iudæam namque concludebatur scientia Dei, sicut & Propheta dicit; *Notus in Iudæa Deus.* Vbi verò exortus est Sol iustitiæ Dominus & Saluator noster, & natus est vir de quo scriptum est: *Ecce vir, Oriens nomen est ei*: per vniuersum mundum scientiæ Dei lumen effusum est. Sermo ergo legis, & sermo Propheticus erat lucerna ardens; sed ardebat intra ædem, nec vltra poterat emittere splendorem suum. Quod autem sermo legis & Prophetarum, lucerna dicatur, dominus ipse nos docuit dicens de Ioanne Baptista; *Ille erat lucerna ardens & lucens, & vos voluistis ad horam exultare in lumine eius.* Et alibi dicit, *quia lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Lucerna itaque ardens, est Ioannes, in quo lex concluditur & Prophetæ.]

Non solùm ob lucernæ spiculum lumen, vnde videtur negari Christo ab Origene *lucernæ* nomen; sed etiam ob lucernæ extinguibilitatem, idem videtur docere S. Aug. tract. 23. in Ioan. *ferè initio.* Sic enim scribit, cum præmisisset testimonium Ioannis de Christo, fuisse tanquam lucernæ. [Omnes homines lucernæ, quia & accendi possunt & extingui. Et lucernæ quidem cum sapiunt, lucent, & Spiritu feruent. Nam & si ardebant & extinctæ sunt, etiam putent. Permanserunt enim

enim ſerui Dei lucernæ bonæ, ex oleo miſericordiæ illius, non ex viribus ſuis, Gratia quippe Dei gratuita, illa oleum lucernarium eſt. *Plus enim illis omnibus laboraui*, ait quædam lucerna. Et ne viribus ſuis ardere videretur, adiunxit; *Non autẽ ego, ſed gratia Dei mecũ.* Omnis ergo propheria ante Domini Aduentum, lucerna eſt. De qua dicit Petrus Apoſtolus; *Habemus certiorem propheticũ ſermonem, cui bene facitis intendentes, quẽ admodũ lucernæ lucenti in obſcuro loco, donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Lucernæ itaque Prophetæ, & omnis prophetia, vna magna lucerna. Quid Apoſtoli? Non lucernæ etiam ipſi? Planè lucernæ. Solus enim ille non lucerna: non enim accenditur & extinguitur, quia *ſicut Pater habet vitã in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo.* Lucernæ ergo, & Apoſtoli; & gratias agunt quia & accenſæ lumine veritatis ſunt, & feruent ſpiritu charitatis, & ſuppetit illis oleum gratiæ Dei. Si non eſſent lucernæ, non diceret illis Dominus, *Vos eſtis lumen mundi.*] De quo nimirũ lumine ſtatim ſubiungitur, *neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio*, quod de Apoſtolis dictum eſſe, latè continenter proſequitur S. Auguſtinus. E contrario igitur Chriſtus, quia inextinguibile erat eius lumen, quippe non emendicans de foris fomenta, ſed habens vitam in ſemetipſo, lucerna non erat, ſed lux vera & pura, illuminans omnem hominem. Accedit illud S. Ambroſij l. 7. in Lucam ad cap. 12. [Quia nox eſt dies huius vitæ, lucerna eſt neceſſaria; Chriſtus autem non eſt in nocte.]

In quibus ſtatuenda Chriſti & lucernæ comparatio.

358. Hæc quidem manifeſtè probant, penes quædam capita non poſſe Chriſtum per lucernæ ſymbolum ſignificari v.g. quia manauit ab eo non lux ſpicula, cuiuſmodi eſt lux lucernæ, ſed copioſa & diffuſa per orbem vniuerſum. Quamquam id non officere vſquequaque, quominus Chriſtus lucerna dici poſſit, demonſtrat pulcherrimè verbis illis S. Ambroſius ſerm. 14. in Pſal. 118. ad v. 1. [Verbum Dei (inquit,) lucerna eſt. Nõne hoc *in principio erat Verbum apud Deũ?* Quomodo ergo lucerna eſt? Nonne hoc erat *verum lumen quod illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundũ?* Quomodo ergo lucerna dicitur: Eſaias clamat: *Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Quomodò hic dicitur lucerna? Sed videamus ne fortè idem verbum Dei alijs magna lux ſit, [illegible]js lucerna. Mihi lucerna, Angelis lux eſt. Pet[illegible]: erat, quando aſtitit ei Angelus in carcere, & lumen refulſit ei. Paulo, lux erat, quando euntem ad perſequendum populum Chriſtianum, *circumfulſit eum lux de cœlo, & audiuit dicentem ſibi Saule Saule quid me perſequeris?* [illegible] magna quidem lux. Denique lucernæ Pauli lume[illegible]nuit, vbi diuinæ ſplendor lucis emicuit. Et verè lucerna eſt mihi Chriſtus, quando is noſtro ore recenſetur. Lucet in limo, fulget in vaſe fictili theſaurus ille, quem habemus in vaſis ficulibus.] Et inferiùs. [Ergo ſi gloria Sanctorum nunc ſicut lucerna, nunc ſicut lux mundi fulget in hoc ſeculo, quid dicimus de Verbo Dei, quod & lucerna eſt pedibus meis? Et fortaſſe vbi non ſunt tenebræ, non eſt lucerna, Verbum Dei, ſed ſupra lucernam quia lux eſt. Tenebræ ijs non ſunt, qui vident lucem. Denique *tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol, in regno patris eorũ.* Et fortaſsè ſecundùm legem lucerna eſt Verbum Dei, ſecundùm Euangelium, lux magna eſt. Iudæis lucerna eſt, & lucerna ſub modio. Lucet lex, ſed non videtur, quia operta eorum [illegible]octrina eſt, & contagione vitiorum & cæcitate pe[illegible]iæ. Populo autem nationum, lux eſt. Denique *populus qui ſedebat in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Aperi igitur feneſtras tuas, vt ſplendor tibi magnæ lucis introeat.] Liquet ex his, ſub qua ratione Chriſtus, lux magna, poſſit inſuper lucerna appellari, etiamſi penes ea capita quæ proponebantur, verè negare licuiſſet poſſe Chriſtum cum lucerna componi.

Illud item alterum caput, quamobrem Chriſtus lucerna dici non debeat: quod ex D. Auguſtino propoſitum eſt, non obſtat quominus Chriſtus ſub aliqua ratione eam denominationem admittat. Inde enim ducebatur argumentum, quod lux Chriſti, flammam nunc ardentem, mox extinctam vt nobis accidit, non conſequitur; ſed ingem & inextinctam, quippe ab intrinſeco habentem vnde foueatur: cum Chriſtus quoad gratiam fouentem, ſit fons fluminis ſui, vt de Deo dixit Paſchaſius Diaconus. Sicut enim Chriſto intrinſeca fuit perſona Verbi, ita connaturale ei fuit habere ex hoc extremo ſibi interno, atque adeò non deforis, gratiam qua flamma caritatis perpetuò arderet. Præterquàm quod Verbum ipſum, flammæ munus in hac lucerna obire, dici poteſt, de quo multo liquidius eſt, & eſſe inextinguibile & externa fomenta non emendicare. Hæc tamen probatio illud dumtaxat efficit, Chriſtum provt Verbum, malè cum lucerna eſſe conferendum. Déque Chriſto provt verbo, intellexit D. Auguſtinus quod negat Chriſtum eſſe lucernam, vt pater ex ſerm. 23. in Pſal. 118. Penes igitur ea capita, Chriſtus negatur à citatis Doctoribus lucerna eſſe, quamuis penes alia, rectè cum lucerna componi poſſit, vti factum eſt à Scriptura & Patribus.

Iſaias, & Dauid, ad hoc inſtitutum.

359. Ex Scriptura, luculentus eſt locus Iſaiæ 62. vbi Propheta, vt optimè ibi expendit D. Hieronymus, prænunciato Saluatoris aduentu, & bonis quæ eum obuentura, erant Eccleſiæ, conteſtatur ſe precibus iuncturum preces, nec vnquam oratione & interpellatione deſtiturum, donec veniret Chriſtus, & veluti lampas ardens, illuceret Sioni. *Propter Sion* (inquit) *non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcã, donec egrediatur vt ſplẽdor iuſtus eius*, (id eſt vt fulgur ex nube, vt habent Hebræa, & pulchrè proſequitur Methodius orat. in Hypapantem,) *& ſaluator eius vt lampas accendatur.* En iuſtum Domini, & Saluatorem humani generis, collatum lampadi ſiue lucernæ.

Non deſunt etiam qui illud Pſaltis Pſal. 131. *Paraui lucernam Chriſto meo*, de Chriſto interpretentur. Communiſſima quidem expoſitio id accipit de Baptiſta, qui fuit lucerna ardens & lucens, parata ad Chriſti indicationem, & manifeſtationem. Atque ita S. Cyrillus 10. de adorat. lucernam in primo tabernaculo collocatam, quam legem eſſe alibi aſſerit, exponit de Baptiſta ad Chriſtum præuio. Tamen non malè Euſebius l. 4. de demonſtr. cap. 21. Chriſtum cui ea lucerna parata dicitur, interpretatur ſecundo loco ipſummet Dauidem, cui iuxta promiſſum diuinum, productum ſit illic cornu, id eſt in Bethleem, & parata ibidem lucerna, hoc eſt Chriſtus. [Fortaſſe etiam (ait Euſebius,) ipſum in Bethleem à Chriſto aſſumptum corpus, alio quodam intellectu his verbis ſignificans; quando per corpus, tamquam per [illegible]ſtaceum vas, inhabitans in illo diuina virtus, quaſi per lucernam, diuini illius & rationalis luminis radios, in omnes emiſit homines.] S. Epiphanius orat. de Deip. eidem interpretationi videtur aſtipulatus, cum candelabrum aureum Zachariæ de Virgine Deipara interpretatus, ſubdit. [O candelabrum Virgineum quod illuſtrauit tenebris involutos! O candelabrum Virgineum, repellens tenebras, & lucem ſplendere faciens! O candelabrum Virgineum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem, vnum inextinguibilem, conſubſtantialem, & ad illuſtrandam terram reſplenduit. O candelabrum Virgineum, de quo per Prophetam Deus inquit, *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernã Chriſto meo.*] Liquet S. Epiphanium lucernam de Chriſto ipſo accipere, quæ parata alteri Chriſto, Regi inquam Dauidi dicatur; alioqui

aliqui non quadraret eius loci accommodatio ad B. Virginem. Alios Patres idem sensisse refert, nec refragatur Cyrillus Hierosolym. Catech. 10. sic scribens. [Hunc Christum, negabant Iudæi cognati, dæmones autem confitebantur. Sed nõ ignorabat illum Patriarcha Dauid, dicens, *Paraui lucernam Christo meo.* Ac alij quidem, lucernam prophetiæ claritatem interpretati sunt: alij verò, lucernam capiebant pro Incarnatione & Virgine secundùm illud quod est apud Apostolum; *Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus.*]

Item lucerna Euangelica, Matth. 5. & Lucæ 15. rursúsque Matth. 5. & Lucæ 15.

360. Ad Christum item accommodant aliqui apud S. Hieronymum Zach. 4. quod dicitur Matth. 5. *nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio.* Ibi quippe lucernam aiunt dici Christum, qui non est collocatus sub legis mensura, sed supér candelabrum, id est Euangelij libertatem; vt luceat cunctis qui sunt in domo. Chromatius sanè, ibi, post allatum alium lucernæ eo loco sensum, hunc quoque his verbis adhibuit. [Potest autem & aliter intelligi, (quia multiplex, intelligentia spiritalis est,) vt in lucerna ipsum Dominum significari noscamus, propter assumpti corporis humilitatem. Hic quidem non solùm secundùm gloriam diuinitatis. Sol iustitiæ nuncupatur; sed secundùm assumpti corporis Sacramentum, etiam lucerna ostenditur, quia cum Deus esset gloriæ & Maiestatis æternæ; humilis in hoc mundo, tanquam lucerna apparuit. Et non sine causa tanquam lucernæ, quia lucerna per noctem lucere consueuit. Idcirco itaque in hoc mundo, humilis tanquam lucerna apparuit, vt tenebras erroris de cordibus nostris, & ignorantiæ noctem depelleret, qui in hoc mundo velut in nocte positi degebamus. Huiusmodi ergo lucerna, id est, Incarnatio Christi, obstensa à lege ac Prophetis, iam non obscura prædicatione legis tanquam modio tegitur, nec infidelitate Scribarum ac Pharisæorum, velut quodam vase perfidiæ operitur, sed in cruce velut in candelabro constituta, omnem Ecclesiæ domum illuminat. Secundùm mysterium itaque Incarnationis, lucerna est; secundùm gloriam verò Diuinitatis, Sol iustitiæ est. Denique in ipso crucis candelabro, tanquam Sol resplendit, cum per Apostolorum prædicationem, quasi per quosdam radios, vniuerso orbi, clarissimum suæ cognitionis lumen, inuexit Dominus & Saluator noster, qui est benedictus in sæcula.] Et quanquam D. Augustinus superiùs allegatus, ex contextu confirmet, lucernam ibi dictos esse Apostolos, quibus mox iubetur vt sic luceat lux eorum coram hominibus vt videant bona eorum opera: Tamen Toletus in c. 11. Lucæ annot. 78. posse ibi per *lucernam* accipi Christum, & rationem à Christo redditam in parabola, rectè cohærere cum eo sensu lucernæ, non malè monstrat. Consentitque ipse S. Augustinus orat. de hæresibus cap. 7. vbi Christi & Mosis in Transfiguratione colloquium concinnissimè cum expendisset, vbi venit ad verba Petri, cupientis in monte figere Christo tabernaculum, sic exclamat. [Quid dicis sancte Petre? Mundus parturit, & tu secretum petis? Vides tot gentes in vnũ conuenisse, & tu requiem quæris? Vides tenebras mundi, & lumen abscondis? *Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Ista domus, totus est mundus; lucernæ accensio, Verbi est Incarnatio; Candelabrum autem, crucis est lignum; Lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens. *Nemo accendit lucernam & ponit eã sub modio, sed super Candelabrũ vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Vides tu; videamus & nos: tenebræ sunt, non offendamus in Paganis, non erremus in hæreticis, luceat nobis lucerna, doceat nos Verbum Incarnatum.] Rursus idem D. Augustin. Tract. 117. in Ioan. agens de Christo crucem gestante [lucernæ (inquit) arsuræ, Candelabrum ferebat.] Quamuis autem lucerna de qua ibi Christus, ad Apostolos referenda potiùs esset, quàm ad Christum; nobis tamen in præsentia satis esset, quod DD. à D. Hieronymo prolati quibus ipse suffragari videtur, lucernæ symbolum duxerint eo loco in Christum cadere.

361. Similiter sensit qui parabolam Euangelicam de lucerna accensa ad inueniendam drachmam perditam, egregiè Christo accommodat Gregor. Nazianzen. orat. 42. Hæreticos enim [circa lucem (vt ait) tenebrosos, circa sapientiam imperitos, pro quibus Christus gratis mortuus est, ingratas creaturas, praui illius figmenta] incusans, quod ad Verbi imminutionem traherent, quæ carnis in Christo fuerunt, & pro beneficio ignominiam rependerent, sic exclamat. [Siccine beneficium crimini vertis? Eóne paruus est quia propter te humilis, qui ad ouem errantem bonus ille Pastor venit, animam suam pro ouibus ponens, ad montes & colles, in quibus sacrificabas, errantem & inuenit, & inuentam ijsdem humeris, quibus & crucis lignum, sustulit, acceptámque ad supernam vitam reduxit. Eóque subuectam eodem numero atque ordine collocauit, quo eas, quæ minimè aberrarunt. Quia lucernam, hoc est carnem suam, accendit, & domum euertit, mundũ scilicet à peccato repurgans, & drachmam, regiam videlicet imaginem, fœdis affectibus obrutam, conquisiuit, atque amicas sibi virtutes ob repertam drachmam conuocat, lætitiæque participes facit, quas Incarnationis quoque conscias effecerat.] Descripsit hunc Theologi locum, & propositam in eo lucernæ explicationem, ratam habuit Titus Bostrenus Lucæ 15. Astipulatus est S. Aug in Psalm. 138. ad illud *nox illuminatio, &c.* Nox est, (inquit) quandiu ista vita agitur. Quomodò est nox illuminata? Quia Christus descendit in noctem. Accepit Christus carnem de isto seculo, & illuminauit nobis noctem. Perdiderat enim drachmam mulier illa, accendit lucernam, Sapientia Dei. Perdiderat drachmam. Quid est drachma? Nummus, in quo nummo imago erat ipsius Imperatoris nostri. Factus est enim homo ad imaginem Dei, & perierat. Et quid facit mulier Sapiens? accendit lucernam. Lucerna de luto est, sed habet lucem qua inueniatur drachma. Lucerna ergo Sapientiæ caro Christi. De luto facta est, sed verbo suo lucet, & inuenit perditos; *Et nox illuminatio in deliciis meis.* Facta est mihi nox in delicijs. Deliciæ nostræ Christus.] Optimè quoque Theophilactus Lucæ 15. his verbis. [Per mulierem intelligas Sapientiam & virtutem Dei & patris, Iesum ipsum, qui perdidit vnam drachmam, ex rationalibus, & ad imaginem Dei conditis creaturis; hominem inquam, & accendit lucernam, suam carnem. Sicut enim lucerna, quamuis sit ex terra, illuminat tenebrosa per lucem quam recipit; ita & caro Domini, licet terrena esset, similisque nobis, lumine Deitatis suæ quam in se recipit, lucem exhibuit cum Incarnatus esset.]

Alia in Euangelio lucerna memoratur Matth. 6. & Lucæ 11. vbi Christus, lucernã corporis ait esse oculum qui oculus si simplex fuerit, totum corpus lucidũ erit. Versat accuratè eum locum Theophanes Ceramotus homil. 42. variis prolatis præter literalem interpretationibus, quarum quarta de Christo est, hucque perbellè cadit. Sic igitur ibi Theophanes. [Verùm si placet, hos prætergressi sensus tanquam sancta, peruadamus in Sancta Sanctorum, in captiuitatem redigentes sensum in obsequium Christi, vt hortatur Apostolus. Lucerna enim nobis & oculus, ipse est Christus. Nam lucernam Græci λύχνον, lychnum appellant, quod soluat tenebras. Quis autem alius caliginem peccati discussit, ac cognitionis lumen hominibus largitus est, nisi is qui dixit,

dixit, Ego sum lux mundi? Ipse enim verè est lux quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum virtutum. Quomodò verò hic simul sit oculus & lucerna nostra, planiùs oratio demonstrabit. Caput plenitudinis Ecclesiæ, est ipse Christus. Ita enim ait magnus Apostolus Paulus: non verò membra ipsius, & membra de membro. Præstantissimum autem sentiendi instrumentum in capite, oculus. Qua igitur ratione est caput, ea etiam oculus est, à quo totum corpus Ecclesiæ illustratur. Porrò autem valdè assimilatur Incarnationi Verbi, lucernæ. Nam cum Verbum natura sit Deus, & per dispensationem caro factum sit, vti lumen secundùm substantiam incircumscriptæ testæ carnis quasi lucernæ media anima, vt per ellychnium igni vnitum apparuit tenebras ignorantiæ discussurus. Et certè Dominus sic ait; Nemo lucernam accendens operit eam vase, id est, nemo Verbum in seipso per fidem possidens, tanquam lucernam menti prælucentem, terrena illud cogitatione contegit, ita vt lumen huiusce lucernæ otiosum videatur, non suapte natura, sed eius qui illud continet negligentia.]

Nec non lampas transiens, & lucernæ sacrorum olim Candelabrorum.

362. Lampadem transeuntem cuius mentio est Genes. 37. Christum à Iudæis ad Gentes transeuntem, interpretari licet, cum Ruperto lib. 5. in Genes. cap. 22. Quanquam Richardus l. de differentia sacrificij Abrahæ & Matiæ *sub fin.* aliter eam lampadem interpretatur. Tamen Ruperti expositio elegans est; & aptari ad eam potest, quod habet Cantuariensis apolog. 3. nempe quotannis, in puncto temporis resurrectionis Christi, Hierosolymis tres lampades Christi sepulchro appensas, demisso cœlitùs igne accendi, astante Musulmannorum Principe, & diligentissimè cauente ne alimnde per stropham alicuius veteratoris lumen inferatur. Lampadis enim accensio, manifestum videtur symbolum rediuiui Christi iuxta symbolum quod est apud Firmicum l. de error. profan. relig. c. 20. ac proinde non malè lampas transiens de lumine ad reuelationem gentium veniente accipitur.

Producere in hanc ipsam rem licet, alias quasdam Scripturas in quibus candelabrum Typicum, vel quod à Mose fabricatum est, vel quod Zacharias per visum conspexit, Christum adumbrat iuxta Patrum interpretationem. Quamuis enim candelabrum Mosaïcum septemplex, spheræ cœlestis septilustris imaginè esse, statuat Philo l. quis rerum diuinarum hæres, vbi tria quæ in Sancto erant, ad agendas Deo gratias mensam pro mundi varia supellectile, altare pro elementis, candelabrum denique pro cœlo constituta fuisse existimat; idque ex candelabri positura ad meridiem confirmet l. 3. de vita Mosis, suffragante Clemente Alexand. 5. strom. cap 3. Quamuis item Theodoretus Zachar. 4. Mosaïcum candelabrum septemplex, diuinæ prouidentiæ, mundo per septenarium dierum quibus temporum cursus voluit, consulentis, imaginem esse statuat: Tamen multo plures & congruentiùs, candelabrum illud Christo accommodant. Ita Clemens loco allegato in secunda mystica candelabri interpretatione Rupertus in c. 4. Zach. Gregor. hom. 6. in Ezech. & S. Cyrillus l. 9. de ador. vbi sic explanat cuius rei typus esset candelabrum Mosaïcum. [Aureum candelabrum Christi figuram tenet; filius enim ex natura ac verè Deus est; auro autem similis esse putanda est, vt in superioribus definiebamus, illa diuina claritas atque præstantia. Tornatile autem, quia speciosissimus est, & plus quàm oratione explicari possit, ille Emanuel, si pulchritudinem animo spectabilem cogites. Scriptum est enim, *speciosus forma præ filijs hominum.* Quod igitur candelabrum tornatile factum est, id verò illam pulchritudinis præstantiam, id est, diuinam illam nostri Emanuelis dignitatem aptissimè significabat. Calamos porro ex dextro, sinistróque latere tanquam ex arbore prodeuntes, inquit, eum medio stipite simul exurgere, & ad parem altitudinem tolli. Quamuis enim vnigenitus ille, secundùm naturam vnus sit, & vt Deus simplicem habeat essentiam, diuersitate tamen efficientiæ, quasi multiplex esse videtur: Neque verò aliquid in eo externum est, & aduentitium, tametsi diuinis attributis quodammodò haud simplex intelligatur. Lux enim, & vita & vis, & incorruptio esse intelligitur. Nam cum docere vellet nihil esse in eo adscititium, intulit, vt opinor, illud, *Sphærulæ, & calami, & lilia ex ipso sint, Totũ tornatile ex auro puro,* id est, totus vndiq; Deus, non perinde atque ea, quæ orta sunt, sanctificatus: neque vt Angeli, qui in sua quadam natura intelliguntur, licet sint illius gratia, & gloria decorati, ac tanquam auro mundo, Spiritus munere quodam modo illiti; sed quod suapte natura sit illa ipsa res, nempe Deus; illa nimirum purissima, & suprema natura. Septem porrò lucernæ sunt; multis namque modis à Christo illuminatio tribuitur: & alij quidem datur sermo Sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, discretio spirituum, & reliqua. Perfectionis autem signum est, numerus septenarius: perfectissimus verò est suapte natura Emanuel tanquam Deus, & charismatum ab ipso fluentium distributio perfectè ijs, proposita est, qui merentur accipere; *neque enim ad mensuram dat spiritus,* vt beatus Ioannes ait; sed *ex eius plenitudine nos omnes accepimus.*] Non est sensus S. Cyrilli, typum candelabri præcisè in Christum cadere prout est Verbum: sed indicat ea ratione, quæ fuerit causa & radix tot Christi peculiarium prærogatiuarum ac perfectionum, quæ verè est Verbi persona. Addit lib. 10. in priore tabernaculi parte, vnicam ex Mosis præscripto fuisse lucernam. In tabernaculo autem interiore, fuisse locatum septemplex candelabrorum: quo declaratum putat, legis quæ Euangelio præiuit præexiguum fuisse lumen, quale lucernæ vnius exiguæ; Ecclesiæ autem Christianæ lumen, quippe à Christo candelabro septemplice dimanans, plenum & copiosum fuisse. Ad hanc mentem, piissima Regina Macthildis vt habet Chronicon Cluniacense, candelabrum pedes octodecim altum, illo omni artificio quod Mosi indictum fuerat, fabrefactum, Cluniacensi templo obtulit, in Christi Domini symbolum, monimentúmque sempiternum; vt ibi annotatur.

363. Idem cum hoc Mosaïco, fuisse candelabrum quod Zachariæ obiectum est, S. Cyrillus priore loco allegato, & l. 4. in Ioan. cap. 28. censuit, & Lyranus Exodi 25. Quare sicut illud quod à Mose est fabricatum, exhibuit Christum, ita & istud quod Zachariæ est ostensum. Idque S. Cyrillus confirmat ex eo quod de 7. candelabri lucernis subijciatur, eas expressisse septem Domini oculos, quibus in vniuersam terram prospicit. Geminos item olearum ramos, tenero recentique germine virentes, candelabro circumpositos, quos Angelus Prophetam docuit designare binos pinguedinis filios ante Dominum vniuersæ terræ astantes, S. Cyrillus l. illo 9. ait denotare populum Gentilem ac Iudaïcum: [In quo (inquit,) manifestè & euidenter illud candelabri opificium pro Christi figura posuit; ad cuius dextram, sinistrámque partem, oliuarum rami tamquam circum illud essent collocati, impinguantur oleo, quod sancti Spiritus figuram gerit, mentem credentium irrigantis, iuxta illud. *Impinguasti in oleo caput meum.*]

Guerricus Abbas serm. 1. de SS. Petro & Paulo, candelabrum hoc Zachariæ de Christo exponens, lucem, ait, esse dininitatem, candelabrum humanitatem, quod aureum totum non auratum dici notat; quia siue auro significetur charitas, siue sapientia, siue diuinitas, nihil horum

horum Christus est per participationem, sed per substantiam: cum tamen nos, quippe natura plumbei aut lutei, non aurum vel aurei, sed vt multùm aurati dicamur. Duos filios olei splendoris, assistentes Christo, interpretatur Guerricus SS. Petrum & Paulum.

Rupertus lib. 1. in Daniel cap. 23. duobus illis ramis oliuæ, Angelos & homines, Christi quâ Verbi, quâ hominis, charitate conditos aut redemptos, significari putat. Quidquid verò sit de vniuerso candelabro, de quo discrepantes sunt sententiæ, ipsimet Rabbini apud S. Hieronymum Zach. 4. eam lucernam quæ in summo candelabro eminebat, intelligunt significasse Christum qui caput est legis, quam volunt candelabro significaminùsbidque inferiùs S. Hieronymus, Ecclesiasticos quoque tractatores, lampadem illam in vertice fulgentem, ac commodasse Christo Domino quamuis candelabrum interpretatos esse dicat de Ecclesia. Nobis autem in præsentia satis est, vt lucerna cãdelabri mystici Zachariæ obiecti, symbolum Christi fuisse agnoscatur & eatenus astipulati sint nobis qui candelabrum Zachariæ & Ecclesia sunt interpretati, vt diserte Theophanes Cesmæus homil. 42.

Eadem ex causa, nobis æquè suffragantur, qui candelabri alias expositiones proferunt; ac nominatim bene multi qui Deiparam illo significatam esse volunt. Ita Venantius Fortunatus lib. de partu Virginis, sic alloquens Deiparam.

Virgineo cœtu dux, sexu prima secundo
Prælata astrigeris sola puella choris,
Figmentum figuli super omnia vasa decorum,
Atque creaturæ fulgida massa nouæ.
Candelabrum pulchrum, Verbi capiendo lucernam.
Quam formam sculpsit tam super astra faber.
Ornans Hierusalem sanctum speciosa venustas,
A facie templi, vas in honore Dei.
Ore diem iaculans, radios à fronte, sagittas
Luminibus rutilis, lumen honore rotans.

Idem habent S. Epiphanius orat. de Deip. laudibus, Georgius Nycomed. orat. de Præsentatione Virginis in templo, Andreas Cretensis hom. de Annunc. S. Damascenus orat. 1. de Assump. & pereleganter his verbis Anastasius q. 53. in script. cum proposuisset explicandum quid significaret candelabrum monstratum Zachariæ. [Quod est ergo candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quoniam materiæ expertem lucem gestauit, Deum incarnatum. Cur autem totum aut cum: quoniam post partũ mansit Virgo. Dicit enim, *hæc porta erit clausa, & nemo intrabit per eam, sed Dominus Deus solus intrabit & sedebit quoniam ipse est dux, & egredietur, & claudet portam post se.* Quod autem vterus sit porta, testatur Iob dicens, *Cur non conclusisti portas vteri matris meæ?* Quid est autem lucerna? Deus Verbum incarnatum. Dicit enim Esaias *propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem nõ trãsibo, donec egrediatur sicut lampas iustus meus, & salvator meus sicut lucerna ardebit.*] Hic sisto, dimissis cæteris candelabri illius adiunctis, quæ æquè eodem accommodat Anastasius. Satis quippe nobis est, quod lucernam, id est omnibus supereminentem in candelabro lucernam, cui ferendæ candelabrum Virginis est diuinitùs prouisum, admittat esse Christũ Dominum: quod æque etiam docent reliqui, de Deipara exponentes candelabrum.

Ratio prior eiusdem denominationis Christo tributæ, quia homo lucerna; cum quoad vitam naturalem.

364. Satis superque declaratum manet, ex vsu scripturarum & Patrum, lucernam esse Christi symbolum. Accedit ratio, quæ duci potest cùm ex eo quod genuatim homo *lampadis* nomine aptè designetur, & in naturali & in supernaturali statu; tùm etiam ex speciali ratione compositionis Christi Domini. Generatim, hominem quoad naturalem vitam, cum lucerna rectè componi, docet nomen quo apud Græcos homo nuncupatur. A veteribus enim sapientibus, & notat Cæsarius Dialog. 1. homo dictus est φῶς, eo quod ratio in eo tamquam ignis in lucerna luceat, vt idem Cæsarius philosophatur. Videsis insuper Origenem hom. 15. in Genes. ad illud *reuixit Spiritus eius.* Ipse legit *reaccensus est*, & alludi ad humanam lampadem docet. Quæ analogia à Methodio quippe pulchrè traditur apud Photium Cod. 237. verbis illis. [Quinque Lychnis lampas, verè nostrum corpus est, quod anima instar facis circumfert.] Sicque accipit lampades in parabola decem Virginum. Idem constat ex definitione illa Aristotelica vitæ in l. de respir. *Vita est permansio animæ vegetantis in calido & humido.* Quid enim aliud lucerna? Hæc sanè quamdiu affluit oleum, tamdiu non extinguitur. Vento autem vehementiore fomentum dissipante, vel humore affuso obstruente vias eiusdem pabuli, illudve perperam afficiente; nimio item pabulo aut fumo suffocante flammam, extinguitur lucerna nec vltra ardere pergit. Similiter mortales, aut affusa Catharri quasi aquæ vi, aut magna spirituum dissipatione, aut nimia ingurgitatione, viuere desinunt. [Omnes itaque homines lucernæ sunt, quia & ardere possunt & extingui,] Vt D. August. philosophatur tract. 23. in Ioan. præueratque Plato lib. 6. de legibus, connubiales leges præscribens, nec aliter se rem habere in humanæ speciei propagatione & prolis per coniugium susceptione docens, quàm in Panathenaicis, vbi equites in Deæ honorem concitato cursu acti, lampadem sibi vicissim præbebant: quod expressit Poëta versu illo,

Et quasi cursores, vitai lampada tradunt.

Videndus in eam rem Castellanus l. de festis Græcorum, V. λαμπαδοφόρια & V. *Hellotia.* Spectabat eodem, quod Romanis, vt est apud Plutarchum q. 75. Rom. lampadis extinctione grauissimè interdicebatur; sed permittendum erat, vt linum fumigans seipso deficere, & perfectè extingueretur. Nimirum cum lampas sit symbolum humanæ vitæ, notatum eo ænigmatico iusso volebant, nefas esse, cuiquam innoxio vitam violenter eripere, sed vt quilibet naturali defungeretur, permittendum esse. Inter ipsos Christianos tempore S. Ioannis Chrysostomi grassabatur corruptela, in quam ille stylum potenter stringit homilia 12. in 1. ad Cor. *in morali.* Accendebantur simul lucernæ complures, indito cuiuis certo nomine. Ad duodenatium numerum solitus accendi, inditis nominibus 12. Apostolorum, monstrat narratio de Petro Aragonum Rege apud Marinum lib. 10. & idem ab Andronico imperatore in Simonide filia factum, docet Pachymerij Historia, & ex ea Pontanus in notis ad Epistolam Christoduli, præfixam Historiæ Cantacuseni. Quæ lucerna longiore arsisset tempore, eius nomen indebat infanti, diuturnioris vitæ prognosticum. Vides lucernam, in ea profana & meritò improbata obseruatione, vitæ humanæ symbolum habitam. Idem significatum est ea diuina vindicta quàm his verbis exhibet Petrus Damiani lib. 1. epist. 20. [Quod mihi à senioribus intimatum est, refero. In Babyloniæ partibus, possessionem Apostolica Sedes habebat. vnde tantum balsamo redditum per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare Beati Apostolorum Principis rutilabat appensa. Quam possessionem, accepta pecunia, Papa distraxit, Canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa prædicto sacrosancto altari, quasi deuotus assisteret, & oraret, ecce quidam terribilis, & grandæuus senex, in cuius etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio, colaphum sibi vehementer incussit, & ait: *Tu extinxisti lucernam meam*

ante me,& ego extinguam lucernã tuam ante Deum;mox-que disparuit. Ille verò protinus corruit, & paulo post diem clausit extremum.] En vitam , lucernæ symbolo expressam.

Tum quoad vitam supernaturalem.

365. Multo luculentior est analogia lucernæ cum homine , quoad vitam supernaturalem : ita vt multo magis fas sit quoad hanc vitam, cum D.Augustino dicere [omnes homines lucerna.] Attigit hoc obiter Faustus Rhegiensis lib. 1.de lib. arbitr. cap.12. docens, mulierem Euangelicam quæ accẽsa lucerna drachmam perquirit , imaginem fuisse hominis , qui rem salutis studiosè quærens [ad gratiæ oleum , apponit studium suum , & cum Dei adiutorio iungit suam requirentis intentionem.] Verùm quia hic autor in gratiæ negotio lubricus est ; & fortassis quia oleum, ellychnio iam præparato & dispositio aduenit , existimauit similiter, gratiam voluntati ex se dispositæ tribui , qui est semipelagianismus cuius hic autor inuidia flagrat ; propterea præstat eandem similitudinem petere ex Venantio Fortunato in expositione orationis Dominicæ , ad illam petitionem , *fiat voluntas tua* , vbi grauissimè ex Apostolo & B. Augustino aduersus semipelagianos disputans , iustum confert cum lucerna quæ aliunde succenditur.Ex quo colligit, hominem non habere per se , & ex se ; ad supernaturale bonum voluntatem aliquam , sed à Christo velut lucernam illuminari oportere , hasque naturales tenebras suas , debere vnumquemque agnoscere,ne per ventositatem suæ superbiæ extinguatur,& subducto splendore maneat in cœcitatis caligine,arrogans facultati suæ quod diuini & muneris. [Quicquid promisit , (ait de Deo S. Augustinus in Psal.109.*initio*)indignis promisit,vt non quasi operibus merces promitteretur , sed gratia à nomine suo gratis daretur,quia & hoc ipsum, quod iustè viuit , in quantum homo potest iustè viuere, non meriti humani,sed beneficij est diuini : Nemo enim iustè viuit nisi iustificatus,idest, iustus effectus. Ab illo autem fit homo iustus,qui numquam potest esse iniustus. Sicut lucerna non à se ipsa accenditur , ita nec anima humana sibi præstat lucem , sed clamat ad Deum. *Tu illuminabis lucernam meam Domine.*]

Verùm S. Ambrosius serm. 14. in Psal. 118. ad v.1 aliunde insuper petit , cur lucernæ dicantur iusti. Sic enim scribit. [Conscientia tua lucens benè in hoc corpore,lucernæ lux est,ipsa est oculus tuus. Si purus oculus tuus,si conscientia tua munda sit,mũda est caro tua. Si autem in te est tenebrosa cõscientia tua,etiam corpus tuum conscientiæ tuæ nocte tenebrosum erit. Lucernæ ergo & nos sumus , toto operi corpore, vix aliquid exiguum habentes vnde lucere possimus. Denique & Ioannes lucerna erat , sicut dixit Dominus de eo ; *Ille erat lucerna ardens & illuminans.*Bona lucerna,quæ lumen accipiebat à Christo,vt lucere posset in hoc seculo. Meritò ardens, meritò illuminans, qui erat nuncius Christi, illuminans prædicatione fidei pectora singulorum. Sed & istis lucernis dedit vt lux mundi essent,dicens ad Apostolos,*Vos estis lux mundi.*]

Præter iustos , quod D. Ambrosius lucernæ specie exhibuit , Rupertus obiter lib. de voluntate Dei c.22. & Secundinus Manichæus Epistola ad S.Augustinum, præfixa libro contra ipsum Secundinum *ferè initio*,planeque luculenter S. Paulinus epistola apud Augustinum. 31. ipsum Augustinum tanquam lucernam his verbis exhibet. [O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis vtribus de septiformi Lycho pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis , & lucem veritatis , à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.] Describens S. Honorati perigrinationem Hilarius Arelatensis in Panegyr. Lampadem eum nominat sic Deum alloquens ob eius translationem. [ô quanta Domine dispensatio procurationis tuæ , qui lampades tuas fidei igne fulgentes, non loco fixas stare pateris , sed præfers eas illuminationi diuersorum locorum, inspirans migrandi voluntatem, & fugiendi gloriam.]

S.Basilius lib. de Spiritu sancto cap.29. Gregorium Neocæsarienstem , ait velut insignem magnamque lucernam in Dei Ecclesia resplenduisse B. Paulum S.Ephrem in testamento *sub finem* , clarissimam & iucundissimam Ecclesiæ lucernam appellat S. Athanasium hoc elogio exornat Naz. orat. 23. [Sanctissimus orbis oculus an lucerna ? vt cum Zachar.4. dicitur, *super lapidem vnum septem oculi sunt*,id est lucernæ septem quia olim , vt nunc etiam alicubi , lucernæ forma , oculum referebat;) & sacerdotum Antistes, sublimis vox , fidei columen, secunda Christi lucerna , & præcursor.] De Simeone Stylita collato cum lucerna super candelabrum posita,& instar Solis fulgente ,omnesque gentes ex orbe vniuerso ad eum concurrentes illuminante, scitè Theodoretus sect. 26. Relig. hist. *sub finem*, Baptistam,ipse Christus specie lucernæ exhibuit,quod ita vulgatum est , vt autor homiliæ de Natiuit. Baptistæ, intextæ homilijs additijs S.Chrysostomi in Lucam,testetur ea ex causa , ipsum diem natiuitatis Ioannis Baptistæ , dictum esse *lampada*. S. Germanus oratione de Natiuit. Deiparæ , sic eam compellat. [Lucerna septupla , & toties ardens donorum septem candelabrum, septem fusorijs refulgens Spiritus sancti ; lucerna inextinguibilis luminis omnia collustrantis, quam mystice alit vnctionis oleum.] Alij plerique sancti , lucernæ audiuerunt , non inter homines modò,sed etiam inter Angelos. Nam Pantaleum Diaco. orat. de SS. luminibus , vocat SS. Michaelem & Gabrielem [duas paris momenti,& maximas vnitrinæ Deitatis lucernas.]

Concluditur prior ratio , denominandi Christum, Lucernam.

366.Hæc cum ita sint,concludere omnino licet cum sancto Ambrosio serm. illo 14.in Psalm. 118.sicut iusti lucernæ dicuntur , ita & Christum , meritò nominari lucernam posse , & tanquam iustorum principem , habere cum lucerna proportionem. Nam & homo fuit,atque adeò lampas, & adopertus corpore vix ex aliquo exiguo lucebat : & prout natura humana prædictus , aliunde habuit vt arderet , & illuminaretur; (tametsi non aliunde , attento diuino supposito , quod huic composito erat intrinsecum :) Hac quippe de causa S.Augustin. serm.23. in Psal.118. ad illud,*lucerna pedibus meis verbum tuum*, Apostolos ait dictos esse lucernas Matth.5. [Vt scirent se tanquam lucernas de illo lumine , quod immutabiliter lucet , accensas. Nulla quippe creatura , quamuis rationalis & intellectualis, ex seipsa illuminatur , sed participatione sempiternæ veritatis accenditur : etiam si aliquando dies vocatur , non dies Dominus , sed quem fecit Dominus. Et ideò adhuc subdidit, *Accedite ad eum,& illuminamini.* Propter quam participationem , in quantum homo est ipse mediator, lucerna in Apocalypsi nuncupatur.] Nimirum vbi de templo Dei dicitur,*& lucerna eius,est agnus.*

Facit ad hoc negotium , quod Reuclinus , alijque nonnulli Rabbini & Hebraizantes Scriptores , dum sacerrimum Iesu nomen ex tetragammato nomine deriuare laborant , aiunt nomen *Iehosua* supra nomen quadriliterum *Iehoua* , addere ש quam vocant literam clementiæ,aiuntque significare humanitatem, quia habet formam lampadis : quod aiunt fuisse aptissimum symbolum muneris quo fungitur inter nos Christus Deus homo. Nolo pro hac nominis Iesu notatione contendere. Nam inter Christianos Doctores Hebraicæ linguæ peritissimos , non admodùm recepta est ea nominis

nominis Iesu deriuatio, à nomine *Iehoua*. Et esse nomen Iesu tetragrammaton, non pentagrammaton Iansenius cap. 7. concord. constanter tradit; Veraque notio vocabuli Iesu, ea est quam prodidit Angelus ducta à salute, non tam medendo collata, vt fert vox Græca ἰάσεως quàm redimendo præstita. Videsis Serarium in c.2. Iosuæ q.10. Suarè tom.2.3.p.d.15.serm.2. Vt, vt tamen se habeat veritas illius notationis, & structuræ nominis Iesu ex quatuor literis prisci nominis ineffabilis, ac elemento S. adiuncto lampadem præferente, saltem ad rem præsentem confert, quod ij quos retuli Hebraizantes Doctores, agnouerint aptè cadere in Christum Deum hominem, symbolum lampadis.

Posterioris rationis, ad lucernæ denominationem Christo tribuendam expressio prima.

367. Specialis verò ratio denominandi Christum lucernam, quam ex compositione & structura eius petebam, dupliciter exponi potest. Nimirum in primis cum Antiocho Episcopo Ptolemaidis, loco quem ex eius quadam homilia descripsit Gelasius lib. de duabus naturis, his verbis. [Lucernam intelligo, ex Maria hominem; lucernam quia assumptus ex terra, & ex meto luto factus est: lucernam, hominem ignem habentem, Deum. Quando considerans Deum in homine, & vides hunc quidem de terra, hunc verò de cœlis; quando vides hunc equidem ex Maria, hunc autem ex patre, & vtraque in se inseparabiliter copulata, illud intellige, quod Deus noster ignis consumens est.] Est lucernæ cymbium, & quidem fictile; (cuiusmodi olim in crebro vsu,) corpori siue humanitati collatum, ob dissolubilitatem. Quo etiam respexit Apostolus, cum thesaurum nostrum haberi dixit in vasis fictilibus. Subscripsit Guerricus Abbas serm. 2. de Epiphan. cum dixit. [Intendite lumini æterno quod se vestris infectibus temperauit vt qui lucem inhabitat inaccessibilem, infirmis quoque & lippientibus oculis, posset accedi. Aduertite lumen in lucernæ testa, solem in nube, Deum in homine; in luteo vasculo carnis nostræ, splendorem gloriæ candoremque lucis æternæ. Latet quidem maiestas in humanitate, virtus in humilitate; sed signa virtutum erumpentia, vnde hæc prodeant non sinunt ambigere. [Perpulchrè, item, si sensum non Poëtam spectes, de Christo id valere, monstrauit Petrus Blesensis carm. de Euchar. c.9. versibus illis.

Possibile est illi qui nouit cuncta creare,
Ex alio rursus aliquid quiddam renouare.
Mille lutum figulus, cum vult, & quomodò vult, format,
Qui noua vasa creans, ea cambit, & aptius ornat.
Paret opus domino, cui præminet illa potestas
Vt reparare queat quas vult dissoluere, testas.
Filius ergo Dei, virtusque patris manifesta,
Ad nos descendit, quem texit carnea testa,
Attamen hæc testa, crucis in clibano benè cocta,
Arte fuit figuli de morte resurgere docta.
Sed sane cocta, quam non aqua noxia mollit,
Quæ mundi maculas, & nostra superflua tollit.
Dura nimis testa, qua Tartara fortia fregit,
Et redimens hominem cruce, mortẽ morte subegit.
Manat ab hac testa summa bonitatis oliuum,
Quod fugat in lauacro baptismatis, omne nociuũ,
Testa quidem fœlix, quæ vitæ fonte repleta,
Corpora nostra fouet, animas quoque pace quieta.
Hac simili testa diuina lucerna resplendet,
Inde sacræ mensæ dapibus, benedictio pendet.]

Est ergo in Christo, corpus siue humanitas, testacea lucerna, vt ferebat comparatio ab Antiocho adhibita: quam item superiùs ex D. Augustino & Theophilacto retulit, nec obscurè insinuata est ab antiquis Christianis, quos lucernas habuisse fictiles, quæ Christi nomen compendio expressum in parte antica præferrent, obseruauit Paulus Petauius l. de antiquaria supellectile, & Licetus l.3. de lucernis. Lumen verò seu flammam lucernæ, quod est in lucerna præcipuum, & vnde eius denominatio petitur tanquam à principatione, confert Antiochus cum diuino Verbo, quod erat in Christi structura longè principatissimum Lucernam suo lumine splendentem, cum Christi humanitate à superueniente sole multo vberiùs collustrata, componere mauult S. Athanasius dialog. 5. de Trinit. num. 27. Præmisetat, cogitatione pingendum esse solem, emittentem suam lucem per lucernam, & in lucerna. Tum subdit, esse similiter in Christo è duabus naturis vnam personam. [Nec enim lucerna vt altera lux soli opposita splendet, sed splendet sole in ipsa & per ipsam splendente, & ipsi lucernas dominante, eamque vt sibi propriam vindicante, adeò vt sol etiam accipiat ipsius lucernæ nomen; ita Deus sermo, vim suam in eo quod est rationis particeps, & per animal ratione præditum exerens, facit pro sua bona voluntate, animal supra quàm ferat propria animalium natura perfectum, neque tamen prohibet quo minus sit animal ratione præditum. Idemque adeò non dedignatus est homo vocari, neque dum ederet prodigia, seiunctus fuit ab eo quo cum est vnitus, siue quem assumpsit.]

Expressio altera, eiusdem posterioris rationis.

368. Potest deinde analogia structuræ Christi cum lucerna, ex eo peti, quod vt acutè attingit S. Bernardus serm. 1. de diuersis, lucerna, nomen est luminis non puri, sed admisti materiæ ardenti, & lucem cum flamma fouenti. Quod est egregium diuinitatis humanitati ac personalitati nostræ conferæ symbolum, vt intelligere licet ex eo quod vt est apud authorem Theologiæ Ægyptiorum lib. 11. cap. 4. cogimur diuinitatem lucis imagine describere, quod nihil habeamus illustrius ac purius. Videsis quæ in eam rem profero in Natur. Theol. dist. 7. quæst. 3. art. 3. & quicquid diuinitatis particeps est, (cuiusmodi præterrim sunt intellectualia & rationalia quæque,) eo ipso lucis censetur particeps, & lumen denominatur, vt Gregorius Nazianz. orat. de baptismo & Cæsarius dialog. 1. prosequuntur. Cæterùm Deus, lux pura est, & nullatenus infuscata, omnique concretione planè libera. In cæteris luminibus, pro maiore vel minore ad Deum vicenia, maior minorue est admistio cum tenebris, & opacitate potentialitatis. Qua ergo ex parte Christus vt Deus consideratur, ipse est lux vera: ita vt Ioannes quantumuis nitens, & lucerna ardens ac lucens parata ei à Domino, tamen non esset ipse lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine; atque adeò non lux, sed lucerna, ait Rupertus l.3. de proceſſ. Spiritus Sancti c.7. At qua ex parte consideratur Christus compositus ex persona Verbi & humanitate, eatenus hæc lux desijt esse lux planè pura, & transit in statum luminis lucernæ, quod non est lucis puræ, sed corporatum & materiæ adiunctum, vt aiebam cum S. Bernardo. Agnosci verò insuper ex hoc exemplo vult Nyssenus in orat. Catech. cap. 10. superstitem in Christo Verbi Dei incircumscriptionem, non obstante vnione ad humanitatem. [Quomodò enim ignis videtur in lucernam subiectam apprehendente materiam; & ratio quidem discernit ignem qui est in materia, & materiam quæ accendit ignem; re ipsa autem non potest, ijs à se inuicem dissectis ipsa per se ostendi flamma, disiuncta à materia, sed ambo simul vnum fiant: ita etiam (nemo autem in igne simul fumat ad exemplum, id in quod cadit interitus, sed eo tantùm quod decet sumpto, ad similitudinem, id quod non est proprium & conueniens reijciat.) Ita ergo vt vidimus, flammam quæ subiectum attingit & apprehendit, & in materia non includitur: quid vetat, quo minus diuinæ naturæ, cogitata quadam vnione & appropinquatione ad hominem, conferretur, quæ Deum decet cogitatio

etiam in appropinquatione, credendo Deum esse remotum ab omni circumscriptione, etiamsi sit in homine?]

Lucernæ, quæ Christus est, forma, myxus, oleum.

369. Restat ad plenam lucernæ nostræ cognitionem, vt pauca addamus de eius forma, ac ellychnio, & oleo. Forma est planè singularis. Quod enim Hesychius hom. 2. de Deip. refert antiquiores nominasse Deiparam, *lucernã oris expertem, quæ à seipsa iugiter ardeat*, quemcunque tandem sensum habeat, multo sublimiùs atque illustriùs in Christum cadit, quam Deiparam. Videtur autem sensus eorum qui ea appellatione insigniuerunt Deiparam, is fuisse, quod non esset opus Deiparæ oleum iugiter sufficere, ne deficeret vti nobis vsuuenit, in quibus nisi perpetuò oleum affundatur, deficimus. Et constat quidem eguisse Deiparam iugi diuinorum auxiliorum subministratione: sed quod spectata maternitatis prærogatiua, diuinæ illæ suppetiæ aliquatenùs debitæ videri possent; tanta autem esset earum vbertas, vt nihil opus esset extrinseco afflatu adhortationum flammam vegetantium, & fuligines adnascentes dispellentium, id quod in omnibus iustis est necessarium, nihil item ei ab eruditione, per Apostolos aut quoscunque purè creatos Magistros posset obtingere, propterea Deipara, lucerna à seipsa iugiter ardens, dicta est, & ore ad oleum extrinsecùs excipiendum destituta. Hæc quanto potiore iure de Christo dici possint ac debeant, fastidio monere, cum sit euidentissimum, fonti gratiæ nihil affluxisse ex riuulis, quorum vniuersi latices à fonte scaturiant necesse est. Nec quod Angelus in horto Christum solari & firmare in bono visus est, quicquam huic negotio incommodat. Vt enim inferiùs suo loco manifestum erit, nihil Angelus Christo insinuauit quod eum lateret, nullaque ex parte nutantem firmauit, aut labentem suffulsit. Sed vt veritas susceptæ nostra causa paupertatis proderetur, statuereturque nobis in ærumnis exemplar non respuendi amicorum pia monita, & lenimenta malorum, admisit Christus externam qua non egebat sancti Angeli suggestionem; & sacris literis consignari voluit, apparuisse ei in extremo illo agone, confortantis pio officio fungentem Angelum. Fuit igitur Christus vndecunque lucerna oris expers, multo magis quàm Deipara. Iugiter enim ex se arsit, nec vllo extrinsecùs suppeditato doctrinæ aut incitamenti ad virtutem fomento indiguit, cui omnis plenitudo à proprio supposito affluebat.

370. Quid si verò ille oris in lucerna defectus, id est exclusio necessitatis affundendi subinde olei, pertinuit ad ellychnium asbestinum, eoque facta est allusio ab ijs qui eo nomine donarunt Deiparam, quo nos multo magis donandum Christum contendimus? Sanè Cæsarius dialog. 1. *ferè initio*, describens sanctos Patres specie lucernarum, splendore suo cœli luminaria vincentium, sic habet [qui & splendore suo, firmamenti luminaria vincunt, & vitæ sermonem continent: quorum ellychnium nunquam decidit & lucerna non comminuitur, & oleum non absumitur, & lampas non quassatur, & flamma non extinguitur.] Omnino Sanctos Patres specie lucernarum exhibet, quibus ellychnium erat, non ex Salamandræ pennis aut sanguine, vt aliqui censuerũt reiecti à Langio l. 1. Epistola 66. sed ex Amianto vel ex Asbesto, siue lino viuo. Sic dictum linum, autore Plinio lib. 19. cap. 1. ex quo contexta mantilia, quibus luculentus ignis erat pro lixiuio, & aquis ac sinegmatis quibusliber. In eum enim conijciebantur, cum expurganda erant: perstabant verò inter flammas innoxia, detersis tantùm sordibus. Taci quoque autoritate ex Apollonij opere de mirab. Hist. idem confirmat Mercur. l. 2. var. cap. 27. Nupero experimento idem confirmat Viues 21. Ciuit. cap. 6. m nostra ætate in Cypro Insula venam copiosam huiusce amianti repertam, scribit Ruscellius mox allegandus. Ex quo refellas Pancirolum l. de veteribus deper ditis *sub initium*, vbi hoc lini genus planè desueuisse existimauit. Fuit tamen, & est nunc quoque, rarum & infrequens, nec nisi in vsu locupletiorum. Inde Regibus sepulchrales olim tunicæ, vt cinæres cadaueris reliquis cineribus impermistæ, è rogo efferri possent. Inde ellychnia in quibus ignis oleo nouo non affuso, perstabat diutissimè vt Tacus ille ab Apollonio adductus, diserte ait. lucernam auream Athenis à Callimacho consecratum ex huiusmodi myxo, per annum continenter arsisse, annotat Scholiastes ad prædictum locum Plinij. Multo autem illustrius est, quod Viues ad cap. 6. citatum scribit, de eruta patrum suorum memoria è sepulchro lucerna, quæ vt ex Epigraphe adiuncta constabat, iam supra millesimum & quingentesimum annum ardebat: & vt primùm contrectata est, inter admotas manus friata, abijt in tenuissimum puluerem. Suspicaturque S. Augustinus, (quamquam aliter præterea eum nodum expedit,) lucernam fani Veneris, quæ dicta est inextinguibilis, & tanquam miraculum ab Ethnicis iactabatur, ex huiusmodi lino fuisse conjunctam. Anastasius in Syuestro inter cœtera Constantini munificentiæ erga Lateranensem Ecclesiam argumenta, profert columnam porphyreticam Constantini iussu in medio fontis locatam, cui superposita aurea lucerna pondere librarum quinquaginta, vbi myxus amianthinus arderet balsamo. Idem de agno aureo in lucernæ speciem, iussu eiusdem Imperatoris constructo, pondere librarum duodecim, prodit Damasus. In sepulchro Gigantis Pallantis à Turno occisi, inuentam suo tempore lucernam, quæ nec flatu nec liquore extingui potuit, sed facto subtus flammam foramine, adhibito stylo, scribit Prolomeus Lucensis in annalibus anno 1077. pag. 19. complures huiusmodi lucernas, Patrum memoria in sepulchris refertas, adducit Rescellius ad symbolum Alphonsi Auali, nominatim verò Alexandro VI. Pontifice, Ferentini, quod est dirutum Hetruriæ Oppidum; rursusque Ecclesiam regente Paulo III. Bononiæ, inuentum huiusmodi lucernam, pleriqne tradiderunt. Cæsarius ergo, lucernas Sanctorum ex huiusmodi ellychino concinnat, indeque indeficientia & inextinguibilitas à qua eas commendat.

Nihil hæc ellychnij Sanctorum indeficientia, ad Christi ellychnium, quod verè non modò numquam defecit, & nunquam extinctum est, sed neque deficere vel extingui potuit. Sit sanè Sanctis laus sua, quod præueniente ac iuuante gratia non defecerint: at deficere tamen potuerunt. Et quamuis eorum de vnoquoque, dictum verè sit quoad extremam saltem, vitæ clausulam, quod de forti muliere in typum fidelis animæ dictum est à Sapiente, *non extinguetur in nocte lucerna eius*; tamen non extingui, & extingui non potuisse, quàm longissimè distant. Christi ergo ellychnium nunquam defecit, quod commune aliqua tandem ratione habuit cum ellychnio Sanctorum cæterorum, saltem in extremo vitæ articulo spectatorum. Insuper verò quod fuit ei planè singulare, deficere nulla ratione potuit. Ita vt quemadmodùm singularissima fuit humanitatis Christi per Verbum susceptio, sic quod D. Augustinus habet conc. 23. in Psalm. 18. planè singulari modo Christus lucerna fuerit: quippe qui lucerna esse, desinere nequiuerit. Et sanè fuisse filum à Deipara suppeditatum ad formationem sanctissimæ eius humanitatis, amianthynum, dixit venustissimè S. Athanasius apud Leonem Cassium in cap. 43. Isaiæ v. 2. ad illud *si transieris per ignẽ, flamma non nocebit tibi.*

371. Iam oleum lucernarum cæterarum mysticarum, longè desperatius esse eo oleo quod est lucernæ Christi affusum, inde liquet, quod vt ex S. Augustino tract. 23. in Ioan. referre iam supra memini, [gratia Dei gra

tuita, illa oleum lucernarum est.] Christi lucernæ, ipsum diuinitatis oleum est affusum, quo nullæ vnquam aliæ lucernæ sunt imbutæ. Hoc est oleum lætitiæ præ participibus Christo concessum: vt videri sauè debeat, tanto(imo infinitis partibus plus)præstare cæteris iustis Christus Dominus, quando pretiosæ quædam lucernæ, quotidianis, & ad plebeium vsum adhibitis antecellũt. Balsami libras ducentas, insumptas in vsum lucernæ Lateranensis, ex censu per Constantinum magnum cõstituto, prodit laudatus ante Anastasius. Ante aram principis Apostolorum, fulsisse Romæ lucernam, cui tem pro oleo esse balsamum, ad idque Babylonicum prouentum pendi consueuisse, donec à quodam Pontifice qui id inultum non tulit, distraheretur ait se ab antiquioribus accepisse Petrus Damiani lib 1. epist. 20. Nimbis ebriam Nicerotianis lucernam, canit Hispanus Poëta lib. 10. num. 38. Sydonius lib. 9. epist. 13. suo tempore idem seruatum, his docet versibus,

Nemorosu erigatur
Laquearibus coruscis
Camera in superna lychnus.
Oleumque nescientes,
Adipesque glutinosos
Vitro tumente fundant
Opobalsamum lucerna.

Hæc præ simplici oleo, vel præ lactis adipe, siue butyro, quo vlos plerosque ad lucernas testatur Clem. 1. Pædag. cap. 6. *ad finem*, videri possint pretiosissima, ob rarenem atque fragrantiam. Præ vnguento autem quo erat lucerna Sanctorum, hoc est præ oleo diuinæ gratiæ, minutalia sunt, ne in contentionem quidem adducenda. At si oleum lætitiæ quo arsit Christi lucerna, cum oleo quocumque prædicto componas, non vacuit crimine ea comparatio. Tanta est enim extremorum disproportio, vt vel nefas sit ea committere voluisse.

Vsus doctrinæ de Christo lucerna 1. *sequendum eius ductum.*

372. Tantùm de lucerna quæ Christus est. Fructum huius doctrinæ, capiemus vberrimum, si eius ductum sequamur, & ad eam prælucentem signemus vestigia, illum sectati qui ductum sibi Christi proposuit, interprete S. Ambrosio serm. 24. in Psal. 118. v. 1. cum dixit *lucerna pedibus meis verbum tuum.* In quæ verba, si præter cætera suauissimus Pater. [Fortasse quasi bonus magister mihi præire cupiebat, vt lumen sequi discerem, & illius pedibus ambularem. Ostendit ergo mihi lucernam. Hanc sequar in istius ignorantiæ operimento, in istius corporis tenebris constitutus, vt Christum sequens, nullum lapidem offensionis incurram. Erubat Petrus in tenebris ignorantiæ, negabat Christum esse moriturum, quia ad huc non videbat moriturum & resurrecturum esse pro nobis. Conuersus ad eum Dominus ait, *Vade retrò post me.* Ostendit ei lucernam quam deberet sequi, *post me*, dicens: secutus verbum Dei, confirmatus est. Postea cœpit inhærere Christo, timens ne iterum aliquo laberetur errore. Nonne ipse qui dicebat, *lucerna pedibus meis verbum tuum:* ad hanc lucernam festinauit, cum diceret in mari, *Domine iube me venire ad te super aquam?* Sed quia non sequebatur lucernam motus est atque titubauit, naturæ vehementioris mole turbatus. Sequamur ergo lucernam hanc sicut lucernam, & sicut in nocte ambulemus ad lumen. Multæ foueæ, multi scopuli in istius seculi caligine non videntur. Præfert tibi lucernam quam Propheta monstrauit, vide quò debeas transferre vestigium, contuere vbi pedem ponere mentis internæ, per singulos cura sit gressus, nulli credas tuum, nisi præeunte lucernæ istius luce, processum: & vbi putas quod luceat, ibi gurges est. Videtur lucere, sed polluit: & vbi putas solidũ esse vel siccum, ibi lubricũ est.]

Theoph. Raynaudi Christus.

Hinc exemplo Dauidis omnis fiducia nostra, si modò Ægyptum abijcere, & in promissam terram progredi, consilium ineamus. Egregia est eiusdem S. Ambrosij consideratio, ad illa Dauidis verba, *propterea memor ero tui, de terra Iordanis & Hermonym.* Sic enim habet l. de interpellatione Dauid. [Memor est de terra Iordanis, in quo gratia memoriam deuotionis accumulat. In Iordanem Naaman Syrus ille descendit, & mundus à lepra factus est. In Iordane baptizatus est Christus, quando formam lauacri salutaris instituit. Iordanis nomen, descensionem significat, quia descendit Dominus Iesus, quia contagio delictorum vicinos Iordanis fluminis emundauit. Hic fluuius exit de Ægypto, & diuidit terram repromissionis. Ergo qui turbatur, si boni consulit, ex Ægypto exit, & sequitur viam lucis. Hermonym etiam, viam lucernæ interpretati sunt. Exi ergo priùs ex Ægypto, si vis lumen Christi videre. Exiuit Chananæa à finibus gentium, & Christũ inuenit, cui dicebat, *Miserere mei fili Dauid.* Exiuit ergo Moyses ex Ægypto, & Propheta factus est, & remissus ad populum, vt de terra afflictionis populum liberaret. Lucerna autem in Christi corpore. Hæc tibi lucerna, viam monstrat. Vnde & sanctus ait, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Lucerna quod illuminauerit animas vniuersorum, & in tenebris viam monstrauerit. Euangelium, via lucernæ est. In vmbra lucet, id est in secolo. Vnde & alibi habes. *Niue dealbabuntur in Selmon*, ideſt in vmbratione.] Hæc qui seruare contempserit, pro lucerna prælucente, sortietur clibanum Idcirco enim vtrumque simul esse Abrahamo exhibitum S. Cyrillus l. 1. Glaphyr. in Pentat. egregiè notauit.

2. *Curandum vt nos quoque alijs lucernæ simus.*

373. Non videtur satis S. Ambrosio, si lucernæ diuinitùs præstitutæ ductum sequamur. Vult itaque nos, Christi incarnatione, lucernas effici. Itaque subdit loco allegato ex Psal. 118. [Ex hac lucerna, (verbo inquam Dei corporato, siue Christo, quem statuit Deus lucernam pedibus nostris,) Accende & tu lucernam, vt luceat interior oculus tuus, qui lucerna est tui corporis. Multas habes lucernas, accende omnes, quia dictum est tibi: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.* Quia multæ sunt tenebræ, multæ sunt lucernæ necessariæ, vt meritorũ nostrorum in tantis tenebris lumẽ eluceat. Istas lucernas, lex significauit semper lucere debere, in tabernaculo testimonij, nõ illas quas Iudæi accendũt quotidie. Illæ sub vmbra lucent, & extinguuntur quotidie: quia quod faciunt non vident: quod legunt, nesciunt, accipient & secundùm literam, quod præcipitur secundùm Spiritum. Tabernaculum enim testimonij corpus hoc nostrum est, in quo Christus aduenit, per amplius & perfectius tabernaculum, sicut scriptum est, vt per sanguinem suum intraret in Sancta, & conscientiam nostram ab omni opere mortuorum & labe mundaret, quo in corporibus nostris quæ suorum testimonio & qualitate factorum, cogitationum nostrarum abscondita & occulta testantur, lucernarum modo luceat nostrarum lux clara virtutum. Istæ sunt lucernæ ardentes, quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra tua membra sunt Christi, lucent virtutes tuæ, quas nullus extinguit, nisi eas tuum crimen extinxerit. Hoc lumine castæ mentes, & piæ deuotionis solemnitatis nostræ festa, resplenderent. Luceat ergo semper lucerna tua.] Addit plusçula in eam sententiam; scitu & lectu, multoque magis seruatu dignissima. Et benè quoque in eam rem Guerricus serm. 1. de purific. adhortans vt non tam Lucernas feramus, quàm ipsi Lucernæ simus, lucentes intus & foris, nobis & proximis; Lucernæ inquam, corde, manu, ore, quæ distinctiùs explicat sigillatim.

Simus lucernæ præpotentes, non cuicumque vento ceſſuræ. Ita ſcitè S.Maximus centur. 4. ex varijs c. 78. verbis illis. [Qui violentarum tentationum incurſiones , more beati Iob ſtrenuorumque Martyrum inconcuſſo perfert animo , eſt lucerna præpotens: qui inextinctum etiam ſeruat lumen ſalutis , (quod alioqui in modo potentiæ , quæ pollet fortitudine , conſeruatur) habens inter præcipua robur & laudum decantationem. Qui verò machinas illius maligni perſpicit, & inuolutiones bellorum inuiſibilium non ignorat, hic quoque ſplendens luce cognitionis , commodè viſus eſt ſummo Apoſtolo dici , alia lucerna : *Non enim ignoramus cogitationes eius.*]Hoc vt aſſequamur, oleum nobis ac myxus queis flamma Spiritus ſancti excipiatur & foueatur, ſtudioſè curanda ſunt , quod præclarè admonet S.Ephrem t.1. lib. decem capitum de virtute cap. 10. Monet quippe eliminandam à nobis eſſe terreſtrem omnem feculentiam & humiditatem , ac vliginem carnis. [Tunc enim Spiritus ſancti gratia requiem in nobis inueniens , intelligendique vim præbens,illuminabit corda noſtra. Sicut Lychnium inſtructum,oleo & ſtupa implent. In quo quidem,ignis,ſubiectam materiam apprehendens , lampadem accendet abundè exhilarantem , eoſque qui adſunt , illuminantem. Si verò paſſionibus adhuc agimur, in ijſque nos volutantes,dignitates petimus ; non vulgariter periclitamur , Lychnio aſſimilati , oleo & combuſtabili materia deſtituto , qui ne ad breue quidem tempus, ignis calorem ferre poterit & efficacitatem.] Hoc ſanè non eſt eſſe lucernam præpotentem , quæ etiam flabris incurſantibus poſſit obſiſtere.Itaque pergit S.Ephrem vrgere , vt aptè ad fouendum cœleſtem ignem mixum & oleum cutemus ; ſic denique futuri iuuante Deo, potentes lucernæ. Concinnè in eandem ſententiam S.Chryſoſtomus hom. 11.in 1. ad Theſſalo.*initio.*

374.Simus lucentia candelabra,ſed (quod acutè notauit in verbis Sapientis inde Sanctos celebrantis Petrus Damiani ſerm. de SS. Petro & Paulo ,) lucentia ante Dominum. Non ſicut hypocritæ, qui ſunt lucernæ lucentes ante mundum, vel in oculis ſuis, nec ſeruant prudentiam Virginum in parabola laudatarum, quæ acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. [Vide prudentiam , (inquit autor ſermonis in eam parabolam apud Bernardum.) Vide prudentiam Virginum iſtarum , ſciebant noctem fore productam , & neſcientes qua hora noctis ſponſus veniret , non contentæ oleo lampadum , etiam in vaſis oleum ſumunt : vt ſi fortè illud quod erat in lampadibus, adnihilaretur & deficeret,de eo quod in vaſis repoſuerant , ad cuſtodiam luminis lampades implerent. Oleum in lampade, eſt opus bonum in manifeſtatione : ſed dum videtur à proximis claritas operis ; dum mirantur & laudant ; extollitur, plerumque & adſurgit elatus animus operantis : & dum in ſe non in Domino gloriatur, lumen lampadis adnullatur & carens fomento congruo lampas, quæ coram hominibus clarè lucet , coram Domino tenebratur. Prudentes verò Virgines , præter oleum quod in Lampadibus habent , oleum aliud in vaſis reponunt : quia nimirum ſanctæ animæ , dum ſponſi ſui præſtolantur aduentum , dum toto deſiderio ei clamant quotidie,adueniat regnum tuum , præter illa opera quæ proximis lucent ad Dei gloriam & videntur ; aliqua in occulto , vbi ſolus patet videt , opera faciunt, vt ſi fortè illa quæ conſpicua & clara ſunt,ſtatus laudis humanæ extinxerit , oleum occultæ conſcientiæ ſuffragetur.Hæc eſt gloria filiæ regis abintus, dum plus de oleo quod in vaſis conſcientiæ diluceſcit , quàm de eo quod lucet deforis gloriatur ; per ipſe æſtimat omne quod cernitur, id indignum iudicat remuneratione quod fauores hominum proſequuntur. Latenter igitur quæ prænalet operatur , petit ſecretum,orationibus pulſat cœlum,fundit Lachrymas teſtes amoris, & cum dilecto illo ſuo, ſuſpirio gemituque fabulatur. Hæc eſt gloria , ſed ab intus , ſed inuiſa , filiæ regis & amicæ. Hoc oleum fatuæ Virgines non habent , quia niſi admitorem vanæ gloriæ,& fauorem hominum, bona non operantur. Hoc oleum in quo prudentes confidunt, in abditis conſcientiarum vaſculis reponunt.]

Præluceamus alijs per ſancta opera nec ſegniter aut remiſsè , ſed ita vt ardere lucernas noſtras , probemus. [Ipſa opera noſtra , (ait S.Bernardus ſerm. 2. de purific.) in feruore agenda ſunt, & in deſiderio cordis: vt ſint lucernæ ardentes in manibus noſtris. Alioquin timendum eſt , ne fortè tepidos nos euomere incipiat, qui in Euangelio loquitur dicens: *Ignem veni mittere in terram,& quid volo niſi vt ardeat?* Hic planè ſacer & benedictus eſt ignis, quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum , & cui benedicetur in Eccleſijs , ſicut ſcriptum eſt: *Eccleſijs benedicite Deo Domino.* Habet enim etiam aduerſarius noſter , vt pote peruerſus diuinorum operum æmulator;habet, inquam ignem ſuum & ipſe, ignem concupiſcentiæ carnalis , ignem inuidiæ & ambitionis , quem Saluator in nobis non accendere ſed extinguere venit.]

Quamuis autem omnium ſit Chriſtianorum , eſſe Chriſti imitatione lucernas , ad modum prædictum; tamen ſpecialiter eſſe id munus Doctorum , iam ſuprà attigimus , & nemo ibit inficias. Vnde ſcitè Origenes hom. 17. in Ioſue *in fine* , infert in hunc modum [Lex Dei, Sacerdotibus commiſſa eſt & Leuitis,vt hunc ſoli operam tribuant, & verbo Dei abſque vlla ſollicitudine vacent. Sed interim ſi laicus , quæ neceſſaria ſunt non præbuerit ſacerdotibus & leuitis , occupati illi in talibus, ideſt corporalibus curis , minus legi Dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei , tu periclitaris. Obſcurabitur enim lux ſcientiæ,quæ in illis eſt , te non ſubminiſtrante oleum lucernæ ; & culpa tua illud euenier, quod dixit Dominus,*quia ſi cæcus cæcò ducatum præbeat , ambo in foueam cadent.* Sed & illud in te complebitur quod Dominus dixit:*Si enim lux quæ in te eſt , tenebræ ſunt , ipſe tenebræ quãtæ ſunt?* Vt ergo lux ſcientiæ in ſacerdotibus fulgeat, & lucerna eorum ſit ſemper accenſa , tu imple officium tuum , comple mandatum Dei erga obſequia ſacerdotum.] Optimè id quidem infert Origenes. Nos tamen præſertim hic attendimus , munus quod Doctoribus tribuit.Sed & Iſidorus Peluſ.pulchrè lib.1.epiſtola 31. [Deus lucernam,hoc eſt, ſacerdotem , accendit , atque candelabro imponit , hoc eſt, ſuæ lucem ferenti cathedræ : vt & dogmatum , & actionum ab omni caligine liberatum, ſplendorem Eccleſiæ, fulgetræ inſtar, afferat : quo nimirum plebs viuifici fulgoris radios ſpectans,ad eos ſeſe dirigat , patriſque luminum gloriam prædicet.]*Sãt igitur Doctores Catholici ſpeciali titulo,lucernæ.* Ideoque iuxta Guerricum ſerm. 1. de Purif.Philippus in figura cuiuſlibet Eccleſiaſtici Doctoris,dictus eſt *os lampadis* , eo quod de ore ipſius ad illuminationem audientium , coruſcaret ignitum eloquium Domini.]

Doctores hæretici , Lucernæ fumidæ.

375. Hæreticos autem, quippe peruerſos Doctores, eſſe tantùm quaſi lucernas , ſcitè tradit Orig. hom.14. in Ioſue.Fallacia autem eſt , quod iactant ſe illuminare. Sic Manichæi , *illuminatores* audire geſtiebant , & ſuos vocabant *illuminatos* , vt S.Aug. teſtatur l. contra Epiſtolam fundamenti c. 25. Et de conuerſis ad Catholicam fidem dicebant , lucem per illos tranſitum feciſſe, vt videre eſt apud eumdem S. Auguſtinum lib. de vtil. cred. cap. 1. Videſis plura apud eum lib. de actis cum Felice cap.16. & in Pſal.145 v.7. Teſtatur etiam Lucifer Calar. ad Conſtantium l. quod moriendum ſit pro Dei filio pag.308. id iactaſſe Conſtantium Arrianum. Sic enim eum affatur. [Cum ſis ipſe , totius

erroris

erroris fons, affirmas te luminis portitorem; cum sis tenebris obsessus omnibus.]

Claudius Taurin. vt est epud Ionam l. 3. *sub fin.* se in luce, Catholicos in tenebris esse iactabat. Familiaris quoque omnibus erroribus fuit ea iactatio. Barchocabas enim apud Euseb. 4. histor. cap. 6. mentiebatur se ad Iudæos illuminandos venisse. Communiter quoque Iudæi tempore S. Iustini, vt ipse agens cum Tryphone testatur, fabulabantur se suos proselytos illuminare. In actis SS. Iuliani & Basilissæ *sub fin.* apud Surium mense Ianuario, Marcianus Gentilis, profitebatur se Christianos illuminaturum. Apud Lactantium l. 5. c. 2. Stultè idipsum Ethnicis pollicebatur vnus alius. Vides vnde Sectarij nostri, hauserint vt se illuminatos, & aliorum illuminatores dicant. Cæterum nemo horum lucerna verè; sed omnes ad summum *Ceneroth* vt supra philosophatur Origenes: id est, *quasi lucernæ*. Fumus solum ab iis vomitur, non splendor emittitur, iuxta Augustinum l. de agone Christ. c. 16. verbis illis. [Ad istas tenebras, addunt adhuc fumum, quem sibi contentionibus & certaminibus quotidianis excitare non cessant: habentes animas carnis affectibus difluentes, tanquam ligna humore saginata, in quibus ignis fumum solum vomit, & habere flammas lucidas non potest; Et hoc quidē de omnibus hæreticis rectissimè dici potest.] Subscribo, nā nihil verius, nihil quotidiani ac iugi nostratium Sectariorum experimento rebrius.

Frustra qui his adhærent tenebrionibus, lucem ab eis spectant, frustra in has lucernas profundunt pecuniam, facultate ei haud absimili quam tidet Lucianus dialog. aduersus ineruditum librorum congestorem. [Nostra (inquit,) ætate fuit quis & adhuc superest opinor, qui Stoici Epicteti fictilem lucernam, ter mille drachmis emit. Sperabat enim opinor, & ille, si noctu ad eam lucernam legeret, continuò & Epicteti Sapientiam in somnis se adepturum, & similem se fore admirandi illius senis.] Lucernas istas fumidas, carò venire eas adhibentibus, neminem latet qui eos nouit. Lucem verò ex eis nullam promicare, sed fumum emanare, iam ex D. Augustin. diximus: Non sic Christi laterna, qua & gratis prostat, & vbertima luce perfundit omnia.

CAPVT VII.

Ritus ad idem institutum, cerei ac lucernæ symbola, sed intra laternam.

376. [In cerna & cero ardentibus, flamma est conspicua: non item in laterna, sed per obductum corpus occluditur. Vnde apud aliquos sequioris ævi Latinos scriptores *absconsa* vocatur, & per apharesim *sonsa* vt notat Coluenerius in Onomastico ad Cantipratanum. Ideoque à latente per laternam lumine, nōnulli Patres Scripturis astipulantibus, effectionis Christi, & finis in quem effectus est, symbolum petunt, quod breuiter propositum & illustratum eo.

Qui Patres, Christum lucernæ in laterna abditæ contulerint.

Vsus est eo symbolo ad diuini Verbi cum natura nostra consertionem declarandam S. Basilius hom. de humana Christi generatione *in fine*. [Cogita pastores (inquit,) in diuinis laudibus Sapientes factos, Sacerdotes prophetantes, fœminas collætantes. Quando Maria gaudere docta est, ac iussa ab Angelo Gabriele; Quando Elisabetha Ioannem in vtero exultantem sensit; Anna Prophetissa Euangelizauit; Simeon in vlnas accepit, in exili infante magnum Deum adorantes: non quod videbant contemnentes, sed diuinitatis ipsius amplitudinem glorificantes: pellucebat enim diuinitas per humanum corpus, perinde atque lux quædam per Vitream capsulam, eos illuminas, qui cordis oculos mundos habebant.]

Adhibet eandem comparationem S. Bernardus serm. 3. de Ascen. verbis illis. [Quis sufficiat cogitare, qualiter rerum Dominus præuenerit nos, venerit ad nos, subuenerit nobis, & singularis illa Maiestas voluerit mori, vt viueremus, seruire vt regnaremus, exulare vt repatriaremur, & vsque ad seruilissima opera inclinari, vt constitueret nos super omnia opera sua. Talem se obtulit Apostolis, Apostolorum Dominus, vt iam non inuisibilia Dei per ea quę facta sunt intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur, qui omnia fecit. Et quia discipuli carnales erant, & Deus spiritus est, nec benè conuenit Spiritui & carni, vmbra corporis sui temperauit se his, vt obiectu viuificæ carnis viderent Verbum in carne, Solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna. *Spiritus enim oris nostri Christus Dominus, cui diximus, in vmbra tua viuemus inter gentes*, non inter Angelos, vbi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. Vnde & virtus Altissimi obumbrabit Virgini, ne nimio splendore præstricta, diuinitatis fulgur, etiam illa singularis aquila tolerare non possit.] Et serm. 1. de aduentu. [Nos magis ad eum venire dignum fuit, sed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi nostri: Ille verò lucem habitat inaccessibilem; & iacentes paralytici in grabato, diuinam illam nō poteramus attingere celsitudinem. Propterea benignissimus Saluator & medicus animarum, descendit ab altitudine sua, & claritatem suam infirmis oculis cōmunicauit. Induit se laterna quadam, illo vtique glorioso & ab omni labe purissimo corpore; quod susceperat. Hæc est enim illa, leuissima planè & præfulgida nubes, supra qnam ascensurum eum, Prophetia prædixerat, vt descenderet in Ægyptum.] Videri possit legendum hoc postoriore loco, *lacerna*: vt quia induisse se Verbum affirmat, sensus sit, vestem qua amiciri voluit fuisse detritam, & mastrucam potiùs ac lacernam, id est plebeiam vestem & obsoletā, quam Regium paludamentum. Tamen codices quos vidi, constanter legunt *laternam*: eaque lectio optimè cōsentit eum ea lucis suæ attemperatione quam Verbum affectasse, ait Bernardus.

Scripturæ ad eandem mentem.

377. Videri porrò posset idem insinuasse Iob c. 12. cum de Christo iuxta plurimorum Patrum interpretationem dixit, deriderí inítí simplicitatem: non alia de causa, quàm quia est lapas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum. Quid sit lampas contempta, varij variè exponunt. Sed S. Gregorius l. 10. mor. c. 29. accommodatè ad rem præsentem, contemptam lampadem interpretari videtur, quā lucernam cœcam, siue opacam, Galli *laternam surdam* appellant: quæ scilicet interiùs lucet, sed exteriùs non lucet; intus ardet, foris non resplendet: cuiusmodi lampadum contemptarum, exempla profert S. Gregorius, Dauidem nominatim, ac Paulum, moxque c. 30. omnes iustos, à quibus ad Christum assurgens, fuisse item Christum huiusmodi lampadem contemptam, & laterna opaca concluſam, sic demonstrat. [Libet inter hæc, ad Redemptoris vias, mentis oculos tollere, sensimque à membris ad caput peruenire. Ipse enim nobis lampas veraciter extitit, qui pro redemptione nostra in cruce moriens, tenebrosis nostris mentibus, lucem per lignum fudit. Hac nos lampade Ioannes illuminari conspexerat, cum dicebat: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, &c. Quam tamen apud cogitationes diuitum contemptam vidit, cum paulò post subdit: *In propria venit, & sui eum non receperūt.* Huius lampadis flammas Herodes explorare voluit, cum eius

miracula videre concupiuit, sicut scriptum est: *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Sed lampas hęc, ante eius oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei qui non piè, sed curiosè quæsierat, nihil de se mirabile ostēdit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit, expectatus miracula exhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriore quærere comperit, ingratos foris reliquit: magis eligēs apertè à superbientibus despici, quàm non à credentibus vacua voce laudari. Vnde & protinus lampas ipsa contempta est, sicut illic subditur: *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba.* Sed contempta lampas quæ in tetra itrisiones tolerat, de cœlo lucidius per iudicium coruscat. Vnde hîc aptè subiungitur: *Parata ad tempus statutum*, De quo videlicet tempore per Psalmistam dicitur: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*] De Christo item eum Iobi locum accipit Rupertus l. 2. de o, eribus Spiritus sancti c. 10. atque adeò pro lampade laternæ immissa, Christum habuit, vt ex his eius verbis apparet. [Hic iustus cuius simplicitas decidetur, ille est de quo in Propheta loquitur Deus. *Propter Syon non tacebo, propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Lampas ista lucens dictis vel doctrinis, splendens miraculis, contempta est apud cogitationes diuitū, apud superbiam tenebrarū quæ lucem illam comprehendere non potuerunt Quare. Quia non lucebat quomodò volebant, non splendebat quomodò splendere volebant suum Messiam, scilicet ad præsentem & vnam hominum gloriam. Talem enim non expectabant Christum, qualem istum viderunt, sed qualem splendore maligno splendentem susceputi sunt Antichristum. Idcirco contempta est lampas ista apud cogitationes eorum, maximè vbi per mortem crucis lucem eius se extinxisse putauerunt. At illa parata erat; & parata est ad tempus statutum, quo in tempore fiet illis, quod scriptum est: *Domine exaltetur manus tua, vt non videant, videant & confundantur Zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret.* Illud tempus suum, quo super candelabrum cœli ponenda erat lampas ista prospiciens, derisorem tenebrarum patiebatur, dum extingui putaretur, veræ lampas Sapientiæ pro sua quoque taciturnitate, iuxta illa. *Sapiens tacebit vsque ad tempus.*

Ad illud igitur vsque tempus, lucerna Christi intra laternam abdita, non emicuit, nec foris nisi perparcè resplenduit: Id quod significatum & adumbratum æquè est, typo lagenæ Gedeonis. Nihil enim aliud ea lagena fuit quàm laterna cœca, testacea. Gedeon ergo primus descendit in prælium, armatus lagenâ, intra quam lucerna erat, id est cereus ardens, (nam lucernam vulgarem, agitatio quam olei effusio consecuta esset, vetat intelligere;) Lagena, quam S. Ambrosius l. 1. de Spiritu sancto c. 16. *hydriam* appellat, corpora nostra de limo figurata designat, eodem S. Ambrosio interprete. De huiusmodi autem lagena, non primicuit diuinitatis fulgor, quia Christus dum viator fuit, ferè mansit inglorius. At confracta lagena, & testaceo humanitatis inuolucro lumini prætenso, per passionem & mortem diffracto, vt egregiè prosequitur S. Gregorius 30. mor. cap. 32. & 33. resplenduit fax, quæ ante intra laternam corporis delitescens, non promicabat. Id quod proportione seruata, in tanti exercitu selecto, per trecētos Gedeonis milites adumbrato, locū habuit.

Duplex ratio, institutæ comparationis.

378. Cur autem Christum, lumen laternâ obductum iuxta prædicta dominare liceat, non obscura ratio ex dictis habetur gemina. Lampadis enim aut facis lumen, ex se splendens ac fulgens, prætensione lucernæ veluti diluitur & obnubitur. Quam causam fuisse prodit Iamblicus in Pythagoræ vita, cur ille, nomenclatore Saluiano *Magister Philosophiæ*, vetaret ad laternam speculandum. Quod enim nimis remissum ac hebes lumen è lucerna laternæ immissa profundatur, possitque ea luminis pareitas visui incommodare, vetuit Pythagoras ad tam exiguum lumen vacare lectioni, aut speculationi, quæ visus functionem deposcat. Quanquam Gyraldus l. de Pythagoræ symbolis, aliter hoc symbolum effert: nempe hoc modo, *ne ad lucernam, speculum spectato.* Et interpretatur de nobis rebusque nostris, non ad alienam lucem creatam, quæ modica est, & sæpè imponit, sed ad Solarem ac diuinam admetiendis iustoque suo pretio, quod omnes tunc mendæ appareant, æstimandis. Vt, vt sit, laternam lucernæ aut cereo prætensam, remittere ac temperare eius splendorem, nemo non videt. Quod ergo diuini Verbi tantus sit fulgor ac splendor, vt eius contuitione, naturalis quæcunque acies quantumuis perspicax esset prohibenda; attemperauit infirmis visibus nostris Deus, lumen illud, obducta ei humanitate tanquam laterna quæ lumen illud dilueret. Sicut etiam Moses, quod ex consortio sermonis Dei, facies eius radiaret, & hebetes Iudæorum visu, præstingueret, velamen adhibebat; non quo prorsus visum Iudeorum, fugeret, sed vt ad retusam ac hebetatam lucem, non exultarent: quæ fuisse Christ Legislatoris nostri imago, nec leuis adumbratio videtur. Ita accepisse lucernæ cum humanitate Verbum quasi obducente, analogiam, videtur Iacobus de Valentia in Psal. 18. ad vers. 5.

Occurit ratio altera, cur Christus Deus homo, lucernæ iuxta laternam abditæ, conferri iure possit. Idcirco enim latere in laterna lucem volumus, vt tuta sit ab aëris & ventorum iniurijs, quibus alioqui pateret, ni laternæ tutela indemnitatem præstaret. Aptè ergo laterna significare potest, quò Christus pro nobis se demiserit: nempe ad humanitatem passibilem atque mortalem; cuius lux, id est vita corporea, flabris persecutionum & aquis cruciatuum, extingui aliquando potuerit, & verò etiam sit extincta ad tempus, donec redaccensa, facta est inextinguibilis; Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur. Id quod etiam laterna, lumen ab incommodis liberans aperte fert. Propterea enim S. Ambrosius l. 1. de Iacob c. vlt fortitudinem nullis aduersis flabris cessuram, confert lumini intra laternam.

Vsus doctrinæ.

Ne vereamur itaque nos quoque, esse contemptæ lampades, paratæ ad tempus statutum. Abscondi intra humilitatis præsentis ac despectionis laternam cum Christo par est, vt cum Christus apparuerit vita nostra, & nos cum ipso appareamus in gloria. Ita quidem si *Hermonym* id est *viam lucernæ*, vt supra cum Ambrosio interpretabamur, secuti fuerimus. Cœteroqui timendum, ne lucerna hæc, quæ est Christi Dei & hominis aduentu constituta, vertatur in clibanum: quod grauiter contestatur S. Cyrillus l. 1. glaphyr. in pentat. pag. 63. *in fine* monstrans Verbum incarnatum, bonis quidem lucernam, discolis verò ac reprobis, clibanum fieri.

CAPVT VIII.

Ex Sole corporeo, producti pro nobis Christi, symbola.

379. Aspiculis luminibus cerei ac lucernæ, ad totam, vt cum Tertulliano dicam, Solis lanceam progredior, monstraturus in Sole corporeo & materiali, symbolum Solis iustitiæ: non quod hic sim sollicitus, de exhibendo Christi sub ratione Magistri omnis

omnis sanctitatis atque iustitiæ, quod præstabo cum de Christi attributis spectantibus homines; sed quod ex Sole declarari optimè possit Christi productio, & aduentus in orbem ad salutem & sanctificationem nostram.

Christus, Sol.

Et est sanè Christus, Sol quidam. Analogias plurimas adnuit Petrus Damiani serm. de Epiphan. [In Sole (inquit,) quinque principaliter attenduntur. Sol incommutabilis est in se, cum Luna singulis mensibus commutetur. In Sole nulla est macula, cum semper macula sit in Luna. Sol habitat plenitudinem luminis, à quo & alia luminaria lumen accipiunt. Sol licet sit immutabilis, interdum tamē patitur eclypsim. Sol semper lucet in die. Sed eadem in vero Sole nostro solicitè inuestigemus. Sol in se incommutabilis est; & ipse Christus secundùm diuinitatis potentiam, semper incommutabilis perseuerat. Vnde ipse ait: *Ego sum Deus, & non mutor*, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. In Sole nulla est macula; & ipse est, qui singulariter ingressus est mundum sine macula; qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sol habet plenitudinem luminis; & in eo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, cui non est datus Spiritus ad mensuram, imò de plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia, quando vnguentum à capite descendit vsque ad barbam, & à barba stillauit in oram vestimenti. Sol interdum patitur Eclypsim; & ipse Christus Eclypsim mortis passus est in passione, quando recessit pastor ouium, ponens animam pro ouibus suis, & inclinato calite emisit Spiritum: Sol semper lucet in die, & ipse Dominus, postquam resurgendo consumpsit tenebras nostræ mortalitatis, resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, sed lucem habitat inaccessibilem, & in eo tenebræ non sunt vllæ. Hunc solus aquila Ioannes irreuerberatis luminibus intuitus est in toga sua, quando adeò altè volauit, quod si paulò altius intonuisset, totus mundus eum capere non potuisset.] Meritò igitur Philippus Abbas prologum in Cātica claudit his versibus.

Vnam vos veteres nostis tantummodò Lunam
Temporibus nostris altera maior adest.
Sol pridem solus maiore stupet nouitate,
Solemnamque parit Luna nouella nouum.
Quem vel qua melius si vultis nosse retexam,
Christus Sol oritur, Luna Maria parit.

Melius hic quàm in Augusti natiuitate verum apparuit natum Solem. Mater Augusto grauida ait Constantinus Manasses in Annal. num. 71. vidit in somnis viscus suum in cœlum subuolare. Pater autem quo momento Augustus natus est, videre visus est, Solem è sinu coniugis exorientem. Hæc cadunt in Christum longè aptius. Et sanè olim Christiani natalem Christi diem, vocabant diem Solis noui, vel Solem nouum, vt liquet ex S. Ambrosio serm. 16. Eamque ipsam dici illius nomenclationem ab Ethnicis fortuito vsurpatam, docet S. Leo serm. 2. de Natiu. *sub finem*, & S. August. serm. 61. de diuers. cap. 1.

Structura & effectio Solis corporei, collata cum Christi effectione ac structura.

380. Quando itaque Christus Sol est, age, solis huius corporei, & solis mystici effectiones componamus. Patrum ergo nonulli, Christi productionem cum solis productione perbellè consentire sunt arbitrati, quia lucem primo die productam ante solem quarto die creatum, non censent cuanuisse post primum triduum. Quorsum enim primum Dei opus tam illustre tamque præclarum post tam breue spatium redactum fuisset in nihilum? Censent ergo eam lucem quæ primùm per triduum per se fuerat, tandē 4. die; Soli veluti vasi & conceptaculo fuisse immissam. Nam Sol, apud Poëtas quoque, *vas luminis* audit, & apud Syracidem *vas admirabile* denominatur. Eam verò lucis & vasis adiunctionem, solis creationem dictam esse existimant, & perbellè respondere volunt productioni Christi 1 quatenus in eo corporaliter habitat plenitudo diuinitatis tanquā lucis immensæ, & ex diuinitate eiusque quoad nos veluti vase, sanctissima Christi humanitate, productus est Christus. Potest autem ea sententia de luce per se primum producta tripliciter intelligi. Primò vt lux illa fuerit forma accidentaria per se producta diuinitus. Quo sensu tribuitur sententia illa S. Basilio hom. 2. & 6. hexam. secundo ita vt fuerit forma substantialis corporis solaris, præter aliorum corporum morem magno miraculo producta ante corpus solare, quarta die procreatum: quæ est apertissima sententia Nazianzeni orat. 43. *sub initium*: qui adeò affinia habet cum S. Basilio, vt videatur planè eadem fuisse vtriusque opinio in hoc puncto. Tertia sententia excogitari posset, quod lux illa, fuerit corpus quoddam siue cœleste siue elementare, quod primo triduo non fuerit in vase; quatriduo verò post primam eius creationem, sit coërcitum intra vas quoddam & conceptaculum, diuersæ rationis à corpore illo sic recepto & coërcito. Quæ cogitatio non adeò abhorret à vulgatissima nunc sententia, quod Sol sit corpus elementare ac igneum, pro qua innumera cumulat Christophorus Scheiner. l. 4. Rosæ Vrsinæ parte 2. à c. 17. Posset ergo cogitari, corpus illud igneum priùs fluxum, magisque dissipatum & idcirco minùs lucens, fuisse 4. die stipatum intra pilam, qua ex parte ad nos spectat, patentem, aut transparentem: vt si ignis intra pilam vitream aut crystallinam concluderetur. Quidquid verò sit de harum sententiarum veritate, quam nunc nihil attinet excutere, Patrium nonnulli, exemplo fabricationis Solis, iuxta aliquam propositarum sententiarum expositæ, declarant Christi productionem & Verbi cum nostra humanitate coniunctionem.

Iustinus in expositione fidei de Trinit. (si tamen Iustinus, & non potiùs alius Concilio Ephesino posterior;) post expositam Christi productionem exemplo hominis, & copulationis animæ cam corpore, subdit. [Quoniam Verbum illud quod in mundum venit, lumen infulsit ex ingenito lumine, malim à lumine sumere huius vnitionis similitudinem. Intelligamus igitur, illud Verbum lumen esse primigenium, quod prima voce Dei ipsum Verbum prognatum est: corpus verò solare, corpus humanum, cui modis arcanis Verbum illud vnitum est. Caue autem putes, Solem aliud lumen, quàm id quod primùm factum est. Nec enim quasi parum sufficiente ad illustrandum mundum illo primo, Sol factus est, vt defectum eius suppleret. Non est enim talis hic opifex, vt nec perfectum opus prospexerit, nec splendorem quantum vsus postulat, creauerit. Vnum est igitur lumen illud primigenium. Sol autem corpus, ei paratus est, in quæ collectum lumen hoc diffundat se inde per omnia. Hoc horarum diei cursum per corpus absoluit, nobis ex officio. Nisi enim adstrictum esset corpore, sed totum in toto aere, neque dies dimetiretur, neque motu ordinatorem suum nobis ostenderet. Quod si mihi obijcias, etiam ante solem conditum, diem, noctemque fuisse, primum assentieris lucis naturam illustrando vniuerso sufficisse: Deinde quæres causam cur Sol factus si, nec aliam inuenies quàm à nobis iam redditam. Nam antea totum lumen diffusum per totum aërem, neque motu ferebatur æquabili, neque diei mensuras disterminabat; sed contrahendo se nocti decedebat; vt modis omnibus verum approbetur, aliud quiddam esse lumen, aliud solare corpus huius conceptaculum.

Cum

Cum ita se habeat lumen ad solare corpus, considerate iam diligenter hanc rationem. Sicut enim post vnitionem primigenij luminis cum solari corpore, nemo hæc potest ab inuicem diuellere, neque alterum solem seorsim vocabit, alterum verò lumen; sed vnus sol, hoc lumen dicitur: sic de illa vera luce & sanctissimo corpore, post vnitionem nullus dixerit, alterum seorsim filium Verbum Dei, alterum verò filium, hominem: sed vtraque vnum & eundem intelliget; Sicut vnum lumẽ & vnum solem, tum comprehensum lumen, tum corpus quod id continet. Rursus sicut vnum lumen & vnus sol, naturæ verò duæ, altera luminis, altera corporis solaris: sic & hic vnus filius, & Dominus, & Christus, & vnigenitus: naturæ verò duæ, altera nostra, altera nobis superior. Rursum sicut huic lumini lumen inest actu, quod nemo separare possit à corpore conceptaculo suo, ratione tamen quiuis discernat naturam, cuius est hæc vis propria, sic in vno filio Dei vniuersam vim nemo sperauerit ab vnica filietate, naturæ tamẽ eius proprietatem, ratione quiuis discreuerit.]

381. Damascenus orat. de transfig. *sub finem*, tractans illud, *resplenduit facies eius sicut sol*, ita scribit. [Verùm quemadmodum sol, quamuis vnus sit, duplicem tamen substantiam habet, alteram videlicet lucis, quæ priùs orta est, alteram corporis, quod post creatum est: corpore autem per totum in seipso manente, lumen perpetuò vnitum est, atque in omnes terræ fines diffunditur: eodemmodo Christus quoque, sempiternum & inaccessum de lumine lumen, in temporario & creato corpore factus, vnus est Iustitiæ sol, vnus Christus, in duabus à diuisione remotis naturis agnoscendus.]

Anastasius Synaita lib. 4. Hexaëm. *initio*, immensus propè est in hoc argumento. Delibo dumtaxat nonnulla. Refert inprimis ad Christum, quod sol quarto die creatus dicatur. Sicut enim triduum primum, sole & astris destitutum, imperfectum & minùs illustratum fuit; ita status triplex quem distinguit ante Christum, nempe ab Adamo ad Noë, ab hoc ad Mosem, ab isto ad Christum, valdè mancus & imperfectus fuit præ quarto statu quem Christi aduentus contulit. Hoc autem Anastasius, ait esse nouum & dignum quod scrutemur mysterium, quod sol demum post triduanam lucem, quarto die sit procreatus. [Nam lux quidẽ trium dierum præcedentium expansa, ac dispersa per totam vniuersitatem, ostendit lucem increatæ Trinitatis quocumque peruenire, & nullum relinquere locum ea vacuum. Quandò autem quarto die fabricatur orbis solis, & lux illa quæ est vbique præsens in eo ponitur; Hoc significat quod diuina illa lux in orbe quodam primùm quidem ponitur obscura ob peccatum Adami, posteà autem lucida propter vnionem in Deo per hypostasim, in abiecto scilicet & contempto homine quem filius hominis sibi assumet ex tota obscura & tenebricosa humanitate; sed ita quoque, vt non coërceatur in actum, neque circumscribatur. Quomodò enim lux rursus post eius in sole posituram, quarto die adest vbique & per totam terram expenditur: ita etiam lux diuinitatis, per incarnationem non est circumscripta, nec contracta: sed rursus sic etiam Deus Christus, omnia intuetur, illustratque & viuificat. Illa enim Dei Verbi hypostasis, etiam in carne est operta. Illa etiam in carne mundum illustrat. Quartus autem dies, in quo perfectus fuit sol, qui significat Christi incarnationem, significat quod bonorũ omnium perfectio, tunc apparebit.] Et inferiùs solem in terra cõstructum, deinde in firmamento cœli collocatum, è scriptura colligens, addit.] [Vide mihi rursus hic quoque terram ante cœlum à sole illuminari, & sic ad cœlum, Christum, qui est sol, remittere, post eius compositionem & constructionem quæ facta est supra terram. Ne nos enim lateat quod ex omnibus luminaribus sol compositus, vt qui constet ex duobus generibus in typum Christi, nempe ex illa & prima cœlesti & antiqua luce, & igne qui postea factus est, & in æthere est interceptus, & de industria in terram proiectus. Et intellige hæc nobis subministrare lucem, nempe Verbi diuinitatem. Erat enim & pridem in principio lux vera quæ illuminat omnem hominẽ: Rursus autem sanguinolentam & candentem nostram carnem. Lux enim in sole ignẽ accepit: hoc est Verbum illuminans, factum est caro. Adam enim induit Dominus, & accinxit. Adam enim interpretatur candẽs & sanguinolentus: quandoquidem pueri communicatũt carni & sanguini: ex quibus etiam super terram Christus, nempe Sol, compositus apparuit. Et ideò etiam sorot eius luna, nempe Ecclesia, dicit in canticis. *Patruelis meus albus & flauus*, nempe Deus & Adam. *Albus* propter diuinitatem, *Flauus* propter humanitatem. Qualem etiam videmus cõpositum solem, album & flauum, ad imaginem Christi qui est sol Iustitiæ.]

Excurrit in hoc Christi Epitheton & multis confirmat Christum esse & dici solem mysticum, tum subdit.] Qui itaque sunt scrutati rationes naturæ creaturarum, dixerunt esse ineffabilem & incomprehensibilem contemperationem & compositionem naturæ solis, vtque fit typus ac figura ineffabilis vnionis singularis Christi hypostasis, ex quibus est etiam diuinus Basilius. Nam si sol est lumen simplex, quomodò admirabiliter & supernaturaliter calefacit terram. Sed si est ignis incontemperatus & incommistus; quomodò arbores non comedit & herbam? Multa Christi exempla & præcedentes figuras habet sol. Ignis enim nescimus quemadmodum ex ipso exeat accendaturque & extinctus quò vadat: aut quomodò absque vllo ligno, aut cera, aut aliquo alio huiusmodi crasso corpore, nemo potest ignem per se mundum aspicere, aut tenere super terram, nos docente exemplo, quod nemo vidit nudam Christi diuinitatem aut contrectauit donec carnem acceperit. Rursus ignis est intra omnem creaturam, & in lignis & in lapidibus, & in aquis: & nemo videt nec comprehendit quemadmodum in ipsis habitet: quomodò quod est vbique & omnia implet Verbum Dei, de quo dicit Scriptura, *Deus noster ignis consumens est*. Rursus autem inuenimus lunæ & possit lumen suppeditari à Sole, vt docent qui maximè sunt in externa versati philosophia, re nobis significante, quod à Christo qui cadit sub intelligentiam, illustrantur Ecclesia & sanctorum luminaria. Ipse enim est lux, de qua dicunt Ecclesia & Iusti. *Ex eius ignis plenitudine, nos omnes accepimus.*] Tandem inferiùs paulo post. [Ego quidem certè audio Paulum dicentem, vel potiùs in eo habitantem Spiritum sanctum, proclamantem; *Omnia in Christi typum facta sunt, tam quæ sunt in cælo, quàm quæ fiunt super terram.* Vidi solem super terram cõstructam, & ex duabus rebus cõpositũ, nempe qui priùs constat ex luce, & ex igne posteà. Deinde post eiusmodi compositionẽ & in hypostasi vnionem, in cœlũ è tera sublatum & restitutũ, nihil aliud aspicio quàm Christum Dei, cum carne in cœlos assumptum. Hic enim est sol de quo scriptum est; *In cœlo posuit tabernaculum suum*, hoc est Verbi diuinitatis vnijt carnem suam: *Et ipse tanquam sponsus.* Datus est enim ad nuptias humanæ naturæ à patre qui eum genuit. Cum incorrupta autem eius sponsa, nempe carne, *procedens ex thalamo suo*, mater scilicet, *exultabit tanquam Gigas ad currendum viam* in cœlos. *A summo cœlo* facta est *egressio eius* qui ad nos erat egressus. *Et* nunc *occursus eius vsque ad summum cœlum* recurrentis ad patrem. Per hoc ergo exemplum discamus, Propheticè solem, nempe Christum in cœlo currentem.]

Alia innumera in sole, quæ ibi Anastasius ad Christum accommodat, missa facio, intentus hoc loco dumtaxat in effectionem ac structuram Christi, eiusq; finem

iorem, quæ in corporeo Sole perbellè adumbrari, satis ex Anaſtaſio eſt demonſtratum; & vt audiſti; proficere ſeiid ex magno Baſilio hauſiſſe. Exiſtimo autem S. Baſilium orationem contra caluminiantes quod tres Deos dicamus, myſterij huius rationem, per luminis ex Sole compatationem, expreſiſſe cum dixit. [Hoc Verbum filius ille Dei, homo factum eſt, propter elapſum hominem Adam. Propter Adam, incorporeus in corpore, propter corpus, accepit lux ipſum Verbum corpus, vt ne comburetet ea quæ videmus. Condeſcendit in carnem, vt in illo caro coeleuaretur. Inviſibilis in viſibili, vt ſuccumbetet ea quæ videntur.]

Oecumenius in cap. 2. ad Coloſſ. arbitratur, Apoſtolum hæc quæ de Solis conſtructione Chriſti fabricam referente tradidimus, expreſſiſſe verbis illis *in quo*, Chriſto, *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Sic enim in hunc locum ſcribit. [Et quo fieri modo poteſt, vt ſecundùm ſubſtantiam eſſentiam ve, Deus verbum in carne habitet, ac ſecundùm hypoſtaſin illi uniatur, & vbique ſit non concluſus in ea? Tale quodàm factum eſſe ſciemus, quod etiam circa lumen. Minor eſt autem omnis imago, omneque exemplum veritate. Qua enim ratione, ſenſibilia diuina ſignificabunt. Dicendum tamen; quemadmodum lumẽ illud, quod primum factum fuerat, in ipſo initio corpore materiaque carens, ſolari corpori commixtum ſuis, & modo quodam corporeum factum eſt, & licet intra ipſum ſit, non tamen detinetur prohibeturue quin vniuerſum illuminet: Ita quoque Deus Verbum, qui in initio erat incorporeus, incarnatus non prohibetur quin carnivnitus ſit, etiam ſecundùm hypoſtaſin & ea tamen non concludatur, ſed omnia impleat. Et hac de cauſa, (vt putamus,) ipſe quoque Dominus *lucem* ſeipſum nuncupat. Et Malachias, *ſolem* illum *iuſtitiæ* dixit. Adhuc etiam & Pſalmiſta, dicens: *Cecidit ignis ſuper eos, & non viderunt ſolem.*]

Sol nube tectus, ſymbolum Chriſti.

384. Quæ dicta ſunt reſpondent corporationi lucis ad ignis, in lucernæ vel cetei materia, de quibus ſuperius. Addi poteſt ſolaris lucis obductio per nubem, quæ cetei aut lucernæ obductioni per laternam reſpondeat, nec minùs commodet ad hoc myſterium exhibendum quàm illa. Quod enim caro nubes dicatur, frequentiſſimum eſt. [Caro nubis cuiuſdam inſtar, ſolem lumen obſcurat, nec diuini radij ſplendorem poſſe intueri ſinit,] ait Naziaz. orat. 39. Itaque humanitas Chriſti, ad Solem Verbi non ſecus ſe habuit, quàm nubes diluens & attemperans viſui noſtro lumen immenſum Solis iuſtitiæ. Non enim nubes hæc adeò tenebroſa & opaca fuit, vt planè Solem viſui noſtro ſubduxerit: quia non fuit qualis nubes illa, quæ Deum in ſe conuexitre & nobis prorſus ſubducere dicitur Pſal. 17. verbis illis, *poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aëris.* Fuit igitur nubes leuis & lucida, quam radij ſolares poſſent permadere; ſed nonnihil diluti luminis, & viſui noſtro attemperati.

Hoc ſchemate, deſcribitur Chriſti humanitas Iſaiæ 19. vbi dicitur, *aſcendit Dominus ſuper nubem leuem*: quem locum ſic gloſſat Bleſenſis ſerm. 5. *initio*. [Hoc Iſaiæ capitulum, ſpecialiter prænũciauit primũ Domini aduentum. Nubes illa leuis, caro eſt Redemptoris, ea peccatis magis alinea, quo minùs originali culpæ obnoxia. Nubis leuitas, peccati eſt immunitas: ſolet enim peccatum nos ad ima trahere. Ideoque rectè intelligi habet, ponderoſæ rei nomine. In Zacharia legitur; *ſedes ponderis ſuper talentum plumbi*. Et alibi dicitur. *Sicut plumbum in aquis vehementibus.* Nubẽ ergo leuem aſcẽdens Dominus, Ægyptum eſt ingreſſus, vt ab ea, quibus regebatur, nubes amoueret. Quadruplici enim nube obuoluta erat. Eſt namque nubes caliginis, eſt nubes roris, eſt nubes grandinis, & nubes vmbræ mortis.]

S. Ambroſius ſerm. 5. in Pſal. 118. *ad v.* 1. eodem modo accipit ſecundo loco nubem leuem, quam primò dixerat eſſe Dei param. Subdit enim. [Aliter quoque hanc interpretationem ſumere licet. Venit in nube leui Chriſtus in Ægyptum; hoc eſt, venit in ſuſceptione corporis in hoc ſæculum. In nube venit, quem nebula corporis obumbrabat. Sed leuis erat caro, quam nulla ſua grauabant delicta. Quandò enim à peccatis grauaretur ſuis, qui auferebat omnium peccata populorum?]

Quam hi DD. cum vulgato interprete vocarunt *nubem leuem*, Rupertus l. 9. in Apocal. ad c. 14. exponens illa verba, *& vidi, & ecce nubem candidam*, appellari ab Iſaia ait, *nubem candidam*. Sic enim ſcribit. [Qui priùs in lege per agnum immaculatum figurabatur, ipſe per ſemetipſum in Euangelio locutus eſt, filius hominis factus, de Maria Virgines incarnatus. Nam caro illa virginea, caro immaculata, ſine aliqua ſorde peccati originalis aſſumpta, per nubem candidam hîc ſignificata eſt, ſecundùm Prophetam dicentem, *Ecce aſcendet Dominus ſuper nubem candidam, & ingredietur Ægyptum*; ideſt aſſumet carnem de Virgine, & ingredietur in hunc mundum. Nam quomodò ſol ſuper nubem candidam, diem quidem nobis efficit, ſed non totam claritatem ſuam oſtendit; lucem quidem dat, ſed formam ſuam ſubtrahit, nec totos ignes ſuos exerit, & frigus tamen competenter exuperat præteritæ algidæ noctes: Sic diuinitas clariſſima, in carne miraculis quidem & ſermone Sapientiæ nos illumunauit; ſed non ſemetipſam ſicut eſt, manifeſtauit. Loquutus quidem eſt, & fecit vt Deus, non tamen formam Dei oſtendit, nec totam virtutem ſuam exercuit, & tamen ad expugnanda ſpiritalia nequitiæ, ſatisfecit.]

385. Iſidorus Peluſ. l. 1. Epiſtola 248. hanc per nubẽ ſolis noſtri obductionem, alio inuolucro à Dauide Pſal. 77. propoſitam, ſic tradit. [Quæris quonam pacto, cum Deus *Oriens* appelletur, ac lumen inacceſſum ſit, ſuper occaſum tamen aſcenderit. Reſpondeo: *Oriens* vocatur diuinitas ortus expers, quæ ſempiternum lumen eſt: Aſcenſus autem ſuper occaſum, eſt humanæ paupertatis communio ac ſocietas: quæ *occaſus* eſt, ac nocti ſimilis, ſi cum ſuperno ſplendore comparetur. Incomparabiles enim hæ duæ res erant, priuſquam eas artifex in ſeipſo copulaſſet.]

Poterat ex Sole corporeo ad nos per autoram veniente, peti alia imago huius myſterij. Benè & accuratè eam expoſuit Iacobus de Valentia in Pſalm. 18. ad illud, *in Sole poſuit*. Inde petatur.

Vſus doctrinæ.

Ad eruendum totius propoſitæ doctrinæ vſum de Chriſto Sole, opportunum huic loco eſt illud S. Auguſtini tract. 34. in Ioan. [Propheta cum dixiſſet, *apud te eſt fons vitæ*, ſecutus adunxit, *& in lumine tuo videbimus lumen*. Deum de Deo, lumen de lumine; per hoc lumẽ, factum eſt ſolis lumen, & lumen quod fecit ſolem, ſub quo fecit & nos, factum eſt ſub ſole propter nos. Factum eſt inquam, propter nos ſub ſole, lumen quod fecit ſolem. Noli contemnere nubem carnis: Nube tegitur, non vt obſcuretur, Sol, ſed temperetur. Loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen ſcientiæ, lumen ſapientiæ, ait hominibus. *Ego ſum lux mundi Qui ſequitur me, non ambulat, in tenebris, ſed habet lumen vitæ.*] Et inferiùs, poſtquàm Chriſtum Solem corporatum & nube amictum deſcripſit; [Videtis ergo fratres mei, videtis, ſi intus videtis, quale hoc lumen eſt, de quo Dominus dicit, *Qui me ſequitur, non ambulat in tenebris* Sequere iſtum ſolem; videamus ſi non ambulabis in tenebris. Ecce oriendo exit, à te, ille curſu ſuo ad Occidentem pergit: tibi fortè ad Orientem

tem perfectio est, nisi tu in contrariam partem pergas, non quà ille tendit. Sequendo eum profectò erralis, & pro Oriente Occidentem tenebis : Tu eum in terra si sequaris, errabis. Nauta si eum in mari sequatur, errabit : Postremò videtur tibi sequendum esse Solem, & tendis etiam ipse ad Occidentem, quò & ille tendit. Videamus cum occiderit, si non ambulabimus in tenebris. Vide quemadmodum & si nolueris eum deserere tu, ipse te deseret, seruitutis suæ necessitate, peragens diem. Dominus autem noster Iesus Christus, interim & cum per carnis nubem non omnibus apparebat, per Sapientiæ potestatem omnia tenebat. Deus tuus, vbique totus est, si non ab illo facias casum, nunquàm à te ipse facit occasum. *Qui* ergo *me*, inquit, *sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quod promisit, futuris temporis verbo posuit: nõ enim, ait, *habet*: sed *habebit* inquit, *lumen Vitæ*: non ait tamen, *qui sequentur me*: sed *qui sequitur me*. In eo quod facere debemus, præsens tempus posuit: quod autem promisit facientibus, futuri temporis verbo significauit.]

CAPVT IX.

Iris, symbolum Christi, producti in pacem nostram.

384. Speciosissimum ac perelegans productionis Christi symbolum, suppeditat Iris : quod aptè subnectimus priori symbolo, quia est effectus Solis in nube. Finis verò Iridis, cum fine aduentus Christi tam bellè respondet, vt nihil dici possit congruentius. Vtrumque breuiter ex doctrina Patrum attingo, Supposita Iridis natura, quam plenè tradunt Physici & Optici, eleganterque S. Basilius Epist. 43. quæ eadem est cum libro Gregorij Nysseni de differentia essentiæ & hypostaseos. Ibi ad explicandum Augustissimæ Triadis mysterium, pulcherrimè ac fusè exponitur quid sit, quomodò procreetur Iris. Ad præsens autem institutum, satis est nosse Iridem esse reflexionem lucis solaris, maximè ab aqua seu nube rorida, in guttas iam concrescente, tanquam speculo aduersum lumen excipiente. Ex quo liquet, ad Iridem efformandam, requiri Solem & nubem; ex quorum certa positura, efflorescit forma illa arcûs bicornis, gratissima colorum varietate renidens. Eaque ex causa, Patrum plerique Christum cum iride componunt, quod efformationis modo, suaque forma, & coloribus, ac fine in quem à Deo deputata legitur Iris, Christum referat. Ita S. Gregorius hom. 8. in Ezech. Ansbertus in cap. 4. Apocal. Rupertus in c. 4. Genes. alijque non pauci. Sed tradamus aliqua distinctiùs.

Christi, mysticæ Iridis, nubes Deipara.

Nubem ad quam reflexa lux Solaris, Christum mysticam Iridem procreauit, aliqui dicunt esse B. Virginem, quod mox referam ex Idiota contemplat. de Dei. cap. 3. nu. 7. Et fuit sanè Deipara, nubes illa leuis de qua Isaias cap. 19. vt ibi S. Cyrillus & Procopius interpretantur. Idem habet S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 3. &. 5. Breuiter in exhortat. ad Virgin. agens de Christo. [Hic est (inquit,) qui venit in nube leui, sicut dixit Propheta: *Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum.* Significans quod in Ægyptum, id est, in afflictionem istam mundi huius, veniret per Virginẽ. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat : leuem, quia virgo erat, nullis oneribus grauata coniugij.] Item in institut. Virg. cap. 13. cum proximè monstrasset, Deiparam fuisse ollam feruentem, subdit. [O Diuitias Marianæ Virginitatis; quasi ollea ferbuit, & quasi nubes pluit in terras gratiam Christi : Scriptum est enim de ea : *Ecce Dominus veniet, sedens super nubem leuem.* Verè leuem, quæ coniugij onera nescivit. Verè leuem, quæ leuauit hunc mundum de grani fœnore peccatorum, Leuis erat, quæ remissionem peccatorum vtero gestabat. Denique eleuauit Ioannem in vtero constitutum, qui ad vocem eius exiliuit, & infans exultauit in gaudio, priùs sensu deuotionis, quàm Spiritus infusione vitalis, animatus. Excipite igitur, exipite Sacræ Virgines nubis huius pluuiam spiritalem, temperamentum fragrantiæ corporalis, vt corporis omnes restinguatis ardores, atque interna mentis vestræ humescant. Huius imbrem nubis Sacratæ, patres nostri annunciauerunt nobis, salutem mundi futurum. Hũc imbrem significabant esse venturum, stillicidia stillantia super terram, quæ Heriobaal poposcit & meruit. Bonam nubem sequimini, quæ fontem intra se genuit, quo rigauit orbem terrarum. Excipite ergo voluntariam pluuiam, pluuiam benedictionis, quam hæreditati suæ Dominus effudit. Excipite aquam, & non effluat vobis : quia nubes est. Diluat vos & sacro humore perfundat : quia olla est, spiritu vaporet æterno.]

Astipulatur S. Hieronymus in Psal. 96. ad illud, *nubes & caligo in circuitu eius.* Nubes enim interpretatus primo loco, Prophetas & Apostolos subdit secundo loco. Nubem esse Deiparam, eoque sic profert citatum locum Isaiæ. [*Dominus venit in Ægyptum super nubem leuem, & confringentur idola Ægypti.* Venit Dominus, & idola Ægypti commota sunt, & concussa atque destructa. Nubes ista, destruxit Serapim in Alexandria Non Imperator, homo mortalis, sed nubes ista quæ venit in Ægyptum. *Nubes & caligo in circuitu eius.* Diximus de nube, dicamus de caligine. Dominus in caligine est. Dominus aut in lumine est, aut in caligine. In lumine, incipientibus est. Incipiẽtibus enim, simpliciter loquitur: qui verò perfecti sunt; illis mysticè loquitur. Denique Apostolis non loquebatur quasi turbis, sed intrinsecùs loquebatur. Et quid dicit? *Qui habet aures audiendi audiat.* Ergo hoc quod dicit? *Et caligo in circuitu eius*, hoc est, *& mysteria in circuitu eius.*]

385. Hæc est nubes illa parua, quæ post triennem siccitatem, Prophetæ deprecanti, è mari sustolli visa est 3. Reg. 8. ad diuini auxilij ostensionem manifestam. Exemplo ei non absimili, quod Gregorius Turon. recitat de S. Aniano Episcopo, quo obsessa per Hunnos verbe Aurelianensi, citum auxilium obiectu nubeculæ post trinam explorationem apparentis, deprehendit. Nubecula de qua agimus, multo magis necessarij, & multo amplioris auxilij in generis humani oppressione, index fuit. Quod enim mysticè ea nubes portenderit Deiparam, sic exponit. Ioannes Hierosolimitanus, non ille S. Hieronimi æqualis sed alius longè posterior, & homo Latinus vt Card. Baro. t. 6. Annal. rectè aduertit. Is igitur autor l. de instit. monachi cap. 32. sic scribit de ea nubeculæ apparitione facta Eliæ. [Quid Sacramenti rerum futurarum præter historiam, visio illa intrinsecùs contineret, & quid ingis mysterij Deus Eliæ tunc stanti prono per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire, non palam homnibus, sed secretiùs consortibus. A quibus traditum tenemus, Deum sub figurata visione reuelasse tunc Eliæ quatuor magna mysteria quæ per ordinem explicabo. Primò, quod quædam infantula nascereturq, quæ ex vtero matris suæ ab omni peccato munda egrederetur. Secundò, tempora, in quibus hoc adimpleretur. Tertiò quod hæc infantula virginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ amplecteretur Quartò, quod Deus, inngens naturam suam humanæ, de virgine illa homo nasceretur. Per hoc namque, quod ille puer Eliæ, vidit de mari nubeculam paruam oriri, reuelauitque Deus Eliæ, quod quædam infantula, scilicet Beata Maria, per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ, per humilitatem parua, nascereturde humana natura peccatrice, designata per mare; Quæ infantula iam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde,

quem

quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter eiusdem naturæ cum mari : alterius tamen fuit qualitatis, alteriúsque proprietatis. Maris quippe ponderosum est, & amarum : sed nubecula illa, leuis fuit, & dulcis. Sic, quamuis in quolibet alio homine, natura humana, instar maris sit in sua origine, ita amaritudine peccatorum & vitiorum pondere pressa, vt fateri cogatur, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me :* Beata tamen Maria, de hoc mari, (id est natura humana,) aliter fuit orta : quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ, fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysem figuratè est scriptum. *Ecce gloria Domini apparuit in nube.*]

386. Obiter hîc duo aduerte. Primum, locum explicatissimum hinc haberi, pro nitore conceptionis Deiparæ. *Ortum* enim hic Autor, sumit apertè pro conceptione, quæ alibi dicitur ortus, seu natiuitas, nimirum in vtero ; iuxta illud, *quod in ea natum est.* Vnde mox cap. 33. ortam nubeculam contra mare, interpretatur, *infantulam natam contra solitam amaritudinem in vitiosa propagine naturæ humanæ* ; quod manifestè pertinet ad natiuitatem siue ortum in vtero, id est ad conceptionem.

Alterum quod obseruari velim, est quod hic Autor, nubeculam ad formam vestigij hominis, interpretatus imitationem castitatis Eliæ per Deiparam : (nam vestigium pro imitatione accipi, frequens est ; vt cum dicitur, *qui odit corruptionem, vestigiũ est peccatoris* ; id est, peccatorũ Principis Satanæ :) quod inquam ait hic Autor citato loco, confirmátque cap. 34. Deiparam esse imitatam Eliæ castitatem, nõ ita est accipiendum, quasi Elias præuerit Deiparæ in concipiendo virginitatis voto : Hoc enim esset contra Patres, qui Deiparam virginitatis primiceriam idcirco appellant, quod prima Deo virginitatem suam ex voto consecrauerit ; & idcirco eam habere lilium castitatis ait Autor tract. de pulsu vitis specie, apud Bernardum cap 17. Augustinus verò serm. 18. de temp. ait eam *tenere regnũ virginitatis.* Quod ipsum alijs verbis, sed eodem sensu dixit S. Maximus serm. de S. Agnete, vocans Deiparæ vtcrum, *sceptrigerã pudoris aulam.* Cùm enim Deipara non fuerit prima quæ virgo vixit & obijt in terris, necesse est sceptrum illud pudoris & regnum virginitatis, quod ei Patres prædicti tribuunt, accipi de virginitate voto firmata, quam prima sit professa Deipara. Dissertè ac sanè, primam Deiparam vouisse virginitatem, tradit Arnoldus Carnotensis in laudatione Deiparæ *sub initium* quem legisse videtur, qui idem tradit Blesensis serm. 18. Annuit Philippus Abbas lib. 2. in Cant. cap. 7. & Guilielm. Paruus in cap. 3. ad v. 6. Idem etiam habet Apponius ad illud Cant. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Et perspicuè Rupertus lib. 3. in Cant. *sub finem.* Optimè quoque ex S. Bernardo serm. in illud *signum magnum*, & ex Hugone de S. Victore l. de perpetua B. Mariæ Virginit. cap. 2. ista confirmat Richardus à S. Laurentio l. 3. de Deipara in prima eius prærogatiua : qui etiam S. Bartholomæum Apostolum in hanc rem profert. Quod hausit ex lib. 8. Abdiæ. Sensus igitur Ioannis illius Hierosolymitani, dumtaxat est, castitatem quam Elias in veteri testamento seruauit ex amore honestatis Temperantiæ, Deiparam primam, seruasse nuncupato de ea voto : nexibus religionis firmiùs astringentem vincula Temperantiæ. Cæteroqui enim vt Origenes in cap. 13. Matth. *sub fin.* optimè dixit, plausibile non est, vllis præter Christum & Mariam, Virginitatis, (nimirum religiosæ, & voto firmatæ,) primitias tribuere.

Nominis Maria, *ad Deiparam nube signatam, aptatio.*

387. Resumo filum orationis Ioannis illius Hierosolimitani, qui insistens propositæ interpretationi, nubeculæ ab Elia visæ, addit cap. 33. puerum Eliæ ministrum, iussum per decem gradus septies conscendentem, prospicere contra mare, nec nisi septima vice qua ascendit, prospexisse nubeculam ; quia in sex primis ætatibus generationum quibus contexta est Christi genealogia, non fuit quicquam ; id est non apparuit nubecula ; sed tantùm in septima ætate. Cum Elias caput inter genua posuit. Vbi mysterium magnum obseruat Gillebertus cap. 17. alteri Synagog. & Eccles. Quod enim is sit situs infantis in ventre matris agnoscit in ea Eliæ positura, Verbi Incarnationem. [Elias (inquit) in monte, Deus in cœlo. Qui caput inter genua posuit, quando suæ diuinitati humanam naturam sociauit.] Tunc enim nubecula parua quasi vestigium hominis, emergere visa est de mari, è qua mox extitit fluuius egrediens de loco voluptatis Christus Dominus : non absimili ratione quàm Hester 10. & 11. nubecula quæ ibi iuxta Hebræã phrasim de qua interpretes Genes. 2. ad illud *fons Ed, siue nubecula ascẽdebat de terra* fons paruus denominatur, dicitur creuisse in fluuium, & hoc est in nubem magnam, in aquas plurimas redundantem, qualem describit his verbis Dauid. *Flumen Dei repletum est aquis.* Consonat his, quod Castro in histor. Deip. cap. 2. num. 11. inter varias nominis *Maria* notationes quas profert, numerat quinto loco eã qua *Maria* deriuatur à *Moreth* : quæ vox Latinè sonat *pluuiam maris* ; significátque Deiparam fuisse illam nubem leuem è mari nostro subuectam, de qua dictum est, *& nubes pluant iustũ.* Eodem reuoluitur, quòd Angelus Caninius lib. de locis noui Testamenti cap. 13. de Hebraïca eiusdem nominis notatione latè tradit ; obseruans nomen *Mariam* Hebraïcè dici *Miriã*, vt liquet ex c. 15. Exodi, vbi Maria soror Mosis, appellatur *Miriam.* Sed ex vsu Syrorum dicitur *Mariam* : vt *Rabbon* pro *Rabbon* ; & *Magdal*, pro *Migdal* vt idé Autor monstrat cap. 6. eiusdem operis. Bissyllabi ergo illius pars prior, nimirum *Mir* aut Syriacè *Mar*, idem sonat quod *guttam* siue *stillam.* Posterior verò pars, nempe *tam*, designat *mare* : vt proinde idem sit *Miriam* quod *stilla maris* : vnde arbitratur Caninius, ortam allucinationem censentium nomen *Miriam* significare *stellam maris*, quod fusè prosequitur Petr. Damiani serm. 1. cum reuera non *stellam*, sed *stillam* significet, & quidem excelsam ac eleuatam. Nam nomen illud bissyllabum, *Miriam*, simplex est, ac hebraïcè mysticum ; cuius thema est *ram, eminuit*, in quo media quiescit, quæ mouetur in deriuato : vnde à *ram* deriuatur *riam*, & cum *men* additio *miriam*, vel Syriacè *Mariam.* Itaque nomen Deiparæ, *guttam excelsam* & fonticulum in sublime euectum, siue nubeculam sursum elatam, designat : consentaneè ad alteram ejusdem nominis notationem iam prolatam, & ad typum nubeculum, monstratum Eliæ.

Christi Iridis mysticè, nubes ; æquè dici potest Christi humanitas.

388. Habemus ergo nubem leuem in qua efformata est Iris mystica, esse Deiparam. Nec dissentiunt, qui nubem illam aiunt esse Christi humanitatem, vt S. Gregor. hom. 8. in Ezech. *sub finem* : agens de nube arcus obiecti Ezechieli. Petrus Venerab. serm. de Transfigura. aliique quos mox adducam. Optimè verbis illis S. Augustinus serm. 101. de temp. agens de nubecula monstrata Eliæ. [Quod dixit Elias ad puerum suum, *vade & considera septies* ; septiformem sancti Spiritus gratiam quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. Et quia

ipse dixit se vidisse nubeculam paruulam ascendentem de mari, carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius, nascitura erat. Quamobrem ne fædè aliquis dubitet, nubem illam vestigium hominis habuisse, dixit: illius vtique hominis, qui dixit, *Quē dicunt homines esse filium hominis?*] En nubeculam, de Christi humanitate expositam. Hi inquam Autores non refragantur. Nam humanitas Christi, cum sumpta sit ex Deipara, ita vt primigenia substantia filij sit ipsamet matris substantia, est vnum quid cum matre. Nec Deipara & eius substantia quæ cessit in Christi structuram, sumuntur pro duobus, sed habentur vt vnum: perindéque est dicere, cœlestem hanc Iridem efformatam esse in Christi humanitate, ac dicere efformatam esse in Virgine Deipara. Ita apertè intelligitur ex hisce verbis. Idiotæ contemplat. de Deip. cap. 3. num. 7. [Arcus cœlestis fit ex radijs Solis, in humida nube, & significat Incarnationem filij tui superbenedicti, in te. Tunc enim Sol Iustitiæ, qui est splendor Patris, ingressurus in mundum, ascendit super nubem leuem; id est sibi vniuit mundissimam carnem sine pondere peccati, quod factum est de tua carne in tuo virginali vtero, & sic facta est visibilis imago Solis iustitiæ, cum profusionis gratiarum plenitudinis: vt sit visibilis imago Solis, cum fit arcus, sed non nisi in die profusionis pluuiæ.]

Eodem modo Giselbertus in altercat. Synagogæ & Ecclesiæ cap. 6. *ad finem*, nubem imbriferam vnde arcus, carnem Domini in vtero Virginis acceptam, ac proinde partem substantiæ Virginis interpretatur. Proposita enim à discipulo interrogatione, quod signum diuini nobiscum fœderis esset arcus, respondet. [Iris Græcè, Latinè arcus dicitur. Radius enim Solis, nubem imbriferam & spissam, cum densitatem ipsarum nubium splendori suo oppositā non valet trajicere sua virtute, arcuatur quadam circumflexione; nec vlla ratione videri potest, nec apparet cœli serenitate. Per arcum ergo, Christum attende. Ipse enim Sol iustitiæ per diuinitatem, radio suæ lucis æternæ, nubem ingressus est, quando in vtero Virginis incarnatus est, iuxta illud Esaiæ; *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Quæ nubes, id est, caro Domini, rectè imbrifera dicitur, quia multitudine doctrinarum & Sacramentorum repleta probatur.] Subdit quomodò verè arcus iste, sit signum propitiationis, & quo pertineant ad Christum aptari, duo arcus colores, viridis & ruber: alter scilicet ad aquam Baptismi, alter ad sanguinem redemptionis.

Autor insuper homiliæ 2. in Apocal. Angustiæ tributæ, ad illa verba *& Iris erat in circuitu sedis* perpulchrè quod ad sensum attinet, in hanc rem disserit; tametsi absurdè philosophatur, vel potiùs Grammaticatur circa notationem vocis *Iris*. Tychonium esse, operis illius verum parentem, docemur ex Primasij in Apocalypsim præfatione, & alijs quæ Ribera protulit ad illius libri vestibulum. Quia verò Ansbertus quē infra adducam, hunc Tychonij locum, Syllabatim suum fecit, abstineo hic eius adscriptione.

Consentit Richardus à S. Laurentio lib. 5. de Deip. non multum ab initio, tractans Virginis speciositatem, [Arus (inquit,) quantum ad Incarnationem Verbi. Arcus enim est ex radijs Solis & humida nube, sicut dicit Glossa super Genes. 8. quod factum est in Incarnatione, quando Sol iustitiæ qui est splendor Patris, ingressurus Ægyptum, ideſt venturus in mundum, ascendit super nubem leuem; ideſt sibi vniuit mundissimam carnem sine pondere peccati, quod factum est in vtero Virginis, & sic factus est quasi quidam arcus qui fit in die pluuiæ.]

Pulchrè denique Alcimus Auitus ad finem libri quarti in Genesim, post descriptam concinnè Iridem, & finem ad quem à Deo deputata est, nempe vt esset signum salutis, addit:

Nunc quisquis semel allatam seruare salutem
Optas, signatum potiùs signo inspice Christum.
Verus enim atque vnus firmati fœderis arcus
Ille Deum atque homines inter qui Virgine carne
Virgineo ex vtero sumpta, iam munere lucet
Multiplicis in cœlo varius, sed fulgidus omni
Vitalem monstrat sacrati pignoris arcum.

Iridis & Christi, structura proportionalis.

389. Verbi igitur diuini, tamquam cœlestis Solis obuersio ad nubem humanitatis, arcum illum speciosissimum efformauit, cuius vniuersa compositio, optimè cum structura Christi respondet. Sunt enim in Christo duæ naturæ, & vnio eas nectens in vna personalitate. Sicut in arcu, sunt duo cornua per chordam colligata. Perpulchrè id in arcu expressum docuit Guitmundus lib. 2. contra Berengar. [Christus (inter Deum & homines mediator, dum nobis semper velut arcus in nubibus, ex diuina consistens & humana substantia, fulget in prædicatoribus, dúmque pater pro nobis interpellantem semper aspicit, inter Deum & homines signum est fœderis sempiterni, iuxta quod scriptum est: *Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis mei, inter me & inter terram.*]

Triplex verò arcûs color, nimirum cœruleus, viridis, ac ruber, varia Christi adiuncta & perfectiones notant. Cœruleus quidem, cœlestem Christi originem: (fuit enim Christus, homo de cœlo cœlestis 1. Cor. 15.) viridis autem, innocentiam vitæ, & virorem virtutum omnium, ac quasi vel perfectionum perfectionem. Denique rubeus, acerbitatem perpessionum & fusum in morte cruorem. En arcum, in cuius contemplatione meritò exclamare liceat cum Syracide cap. 43. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum. Valdè speciosus est in splendore suo gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum.*

Nec non fines Iridis & Christi.

390. Eo porrò copiosius argumentum diuinæ laudis in arcu mystico occurret contemplanti, quo perspectior fuerit finis in quem positus est; nimirum vt sit testis fidelis initæ à Deo conciliationis cum humano genere. Passim enim Patres quod Genes. 9. traditur de arcu delecto in signum propitiationis, & non vltra per aquas perdendi orbis, accommodant Christo. [Arcus iste, id est Christus, (inquit supra Giselbertus,) signum propitiationis est; quia ipse solus propitiatio pro peccatis nostris est. Habet autem duos colores viridem & rubeum, in quibus apertè monstratur aqua baptismatis, & sanguis redemptionis, quia per hæc duo etiam emundamur à peccatis. Per hos item duos colores dispares, duo iudicia aduertimus: Vnum per aquam iam factum, aliud per ignem faciendum. Arcus iste iam positus est in nubibus pro signo fœderis: quia in Christo nobis spes crescit salutis, Prædicatorum doctrinis & miraculis.]

Quod ait de duobus iudicijs per duos illos arcus colores expressis, desumptum est ex S. Gregorio hom. 8. in Ezech. ad illud *velut aspectus arcus cū fuerit in nube, in die pluuiæ*: vbi colorem cœruleum, quem vocat colorem aquæ, notare ait iudicium per aquam, quod vlteriùs non est exercendum. Colorem verò rubeum, refert ad iudicium per ignem, quod faciendum superest. Imo verò addi potest, neque hoc iudicium esse faciendum pro ijs quibus cum Christo rectè consenserit. Nam factus est Christus in propitiationem plenam, quæ iudicio damnanti locum non relinquit. Vnde quod Ansbertus l. 3. in Apocal. notauit, tractans illud, *Iris erat in circuitu sedis similis visioni Smaragdinæ*, arcus Ioanni exhibitus, & Christum noui Testamenti pactum exhibens, non erit multicolor, sed viridis dumtaxat:

rasat: vt per eum propitiata diuinitas ostendatur, paralique iudicia per aquam & ignem, quæ illis ordinatæ Iridis coloribus representari existimat, abolita esse per Christum, si per nos non stet.

Sed reddamus eiusdem Ansberti eo loco sententiam, de arcu propitiationem Dei per Christum designante. [Iris (inquit,) Græca Latinaque lingua arcus vocatur, qui in die pluuiæ apparere videtur. Et quid per hanc, nisi reconciliatio mundi designatur, quæ per Incarnati Verbi dispensationem facta cognoscitur? hoc certè si soleter inspicitur, effectus ipsius Iris indicare videtur. Arcus itaque tunc apparet, cum radijs Solis imbrifera fuerit nubes illustrata. Sole igitur nubem illustrante, Iris, id est, arcus apparuit, quia videlicet cum Patris Verbum, quod candor est lucis æternæ, ac Sol iustitiæ, humanam suscipiendo illustrauit naturam, ipsa humanitatis eius susceptio, quæ profectò nobis à Prophera vocatur, reconciliatio facta est mundi. Bene autem imbrifera, quia nimirum prædicationum eloquijs plena. Congruenter siquidem ad reconciliationem humani generis in nouo testamento arcus significatum apparuisse describitur, qui in veteri quoque in nubibus à Domino positus intelligitur, vt post inundationem diluuij, per eum terris pax reddita cognosceretur, vt scilicet eius visione, pacti sui memor omnipotens Deus nequaquam vltra aquarum immensitate deleri terram pateretur. Cui videlicet nomini, si vna in fine additur litera, & *irini* dicatur, vtique hoc ipsum interpretatio sonare videtur. Nã Græco vocabulo Irini pax appellatur.] Insulsitatem huius Grammaticæ quã Ansbertus à Tychonio sumpsit, iã superiùs explosi hocipso capite. Nec cautiùs sanè aut accuratiùs sic scripsit de nomine Iridis Rupertus l. 4. in Genes. c. 36. qui Christũ Iride præsignatum probans, argumentatur ipse quoque, ex notatione nominis *Iris*, quod Græcum esse ait, & pacem sonare. At liquet quid à vero abhorrere. Est tamẽ verissimum, arcu præsignatum esse Christum pacem nostrã, idque ea ibidem Ruperti ratione optimè confirmatur. [Christi filij Dei arcus iste qui in nubibus apparet, signum est. In eo quippe multi quidem & pene innumeri colores videntur, sed præcipui sunt & magis hiduo apparent, cæruleus & igneus. Cæruleus, aquæ Baptismum quo visibiliter abluimur; igneus Spiritum Sanctum significat, quo inuisibiliter peccata nostra consumuntur: vt ab vtrisque secernamur, & ab illis qui præterito aquæ diluuio perierunt, & ab illis qui futuro ignis iudicio perituri sunt. Igitur signum fœderis, id est signum filij Dei, & propter electos iudicati, & super reprobos iudicaturi, arcus iste est in nubibus cœli. Et istud quidem, signum est in nubibus quod non adijciat Deus vltra perdere aquis diluuij omnem carnem: ipse autem Deus quem nubes susceperit, quique vltra nubes, & super omnes cœlos elenatus est, signum æternæ recordationis est in oculis Dei Patris, & sempiternum memoriale nostræ pacis: vt iam postquam ille in carne sua inimicitias soluit, firmæ sint amicitiæ Dei & hominum, non iam seruorum, sed amicorum & filiorum Dei.]

391. Et vbique sanè in scripturis, Iris tanquam misericordiæ diuinæ symbolum ponitur. Itaque quod Christus Iride exhibitus statuitur, plena per eum diuinæ miserationis effusio adumbrata est. Sed illud est consideratione dignissimum, Iridem in arcus formam fere semper conformari, nec excedere semicircularem ambitum. Erroris autem crassi esset, arbitrari alterum semicirculum fundi in alterum hemisphærium, nec in nostro terminari Iridem. Similiter ergo, cum Christus & diuina per eum misericordia exprimatur per Iridem, extra dubium esse debet, non esse Christi misericordiam extra hoc hemisphærium sperandam, nec esse in hac vita Deum cuiquam propitiari posse per Christum, quoad diuinæ amicitiæ & salutis adeptionẽ.

Theoph. Raynaud. Christus.

Vsus doctrinæ.

Et hinc erui debet vsus doctrinæ propositæ, qui præsertim in roboratione fiduciæ ex huius testis in cœlo fidelis contuitu, debet consistere: sed intra terminos fiduciæ legitimæ, quæ scilicet iuxta præscriptas diuinitùs leges concipiatur, nec sit partus impudentiæ. Et hæc spectasse quod Deus finito diluuio arcum suum posuit in nubibus cœli, notauit. Addo in chronico, ætate 2. existimans signum id fuisse diuinitùs datum fiduciæ ab hominibus concipiendæ, quod nunquam perdendi sint à Deo irato, per aquas eluuionis vniuersalis, & excidium œconomenicum, ob interpositam satisfactionem Christi ex duplici natura compacti; quæ est etiam arcus compositio. Sed & arcus à Sole dumtaxat splendet, & in eo Sol vt in sua imagine conspicuum se prodit. Itidem Prophetæ, radijs venturi Christi tanquam Solis iustitiæ colluxerunt, & qui in has nubes cum fide defixêre oculos, signum diuini fœderis acceperunt.

His pridem conscripris, & ad prelum paratis, incidi in opus R.P. Iosephi Filere, cui titulus *Speculum sine macula*. Eius operis parte 4. c. 23. per sectiones septem, cùm Cardinalia quæque fidei Christianæ capita, tum nominatim Incarnati Verbi mysterium, Iride expressum esse, sect. 2. & 3. pulchrè traditur. Lucubratio est, in qua pietas & eruditio cum concinnitate certant. Eò amando Lectorem plurium in hanc rem auidum, quem non tædebit legisse.

CAPVT X.

Christi productio, salis immissio in vas nouum ad sanctificationem aquarum.

ALludo, (vt vides,) ad factum Elisæi, quod describitur 4. Reg. 2. vbi refertur, sanctum virum querentibus filijs Prophetarum de sterilitate aquarum Iericho, aquam inde hausiam commiscuisse cum sale in vase nouo, sicque sanasse aquas.

Christus, sale aquas sanante, expressus, ex PP.

392. Hoc fuisse symbolum effectionis Christi, & bonorum nobis per eum collatorum, ex aliquot Patribus demonstro, dimissis innumeris.

S. Augustinus l. contra Fulgentium Donatistam, sic habet. [Gratias Deo Patri, qui quod futurum ostendit, in nobis fidelis impleuit. Gratias, inquam, Deo patri, qui nobis non Angelos solùm, non Prophetas, sicut priùs in Hierico nostram, id est, in hunc mundũ; sed proprium filium destinauit; dominum videlicet Angelorum, & principem Prophetarum, Qui aquarum sterilitatem, hoc est, gentium infœcunditatem, discussa morte sanaret. Accepit vas fictile, hoc est corpus fragilitatis humanæ: sal misit, ideſt, sapientia, diuina repleuit. In aquam proiecit, hoc est in Iordanem descendit. Aquas suo descensu sanauit, id est gentes suo aduentu redemit, & maritante sermone, Ecclesiam ex gentibus congregauit, & in fœtus vberes longè latéque diffudit.]

Hugo Victor. t. 3. l. 2. miscellan, titulo 110. [Aquæ Hierico pessimæ erant, & terra sterilis. Rogatus ergo Eliseus eas sanare, misit sal in vas nouum fictile, & demersit illud in flumen, & sanatæ sunt aquæ pessimæ, & terra sterilis. Ierico, sunt populi mali & à fructu boni operis atidi. Vas nouum fictile, vel sancta quæ fuit vas nouum per virginitatem, & fictile quia terrenum. Vel vas nouum, Christi caro est: noua quia sine peccato, noua generatione creatione creata est, id est de matre sine patre, quæ est quarta & noua generatio: & fictilis, quia mortalis. Sal autem est Sapientia, Verbum sci-

licet patris. Sal iſte, dum mittitur à Deo Patre in vas nouum, id eſt, in vterum Virginis, vel in carnem aſſumptam de Virgine, vbi latuit diuinitas tanquam in vaſe; ſanatæ ſunt aquæ, ideſt gentes, quæ receperunt vas, in quo eſt ſal; id eſt, Chriſtum in quo eſt diuinitas. Nam ſal in vaſe, diuinitas in carne eſt. Vas habens ſal in aqua, eſt Chriſtus Deus & homo in noſtro genere.]

Petrus Cellenſis l.de panibus cap.12. [Iericò ſteriles habebat aquas, cùm Eliſæus ſua benedictione nondum illas ſanauerat: qui veniens, & à filijs Prophetarum querimoniam ſuper aquarum malitia ſuſcipiens; in nouo vaſe aquam cum Sale commiſcuit, & aquarum ſterilitatem propulſauit. Sic, ſic humana natura, iuxta defectum ſuum, fidei & bonorum operum viriditate carens; filij altiſſimi in aduentu, ab ariditate ſua, liberata eſt, & multùm delectabilis ex ſucceſſu virtutum reddita. Vas enim fictile & nouum; nouum eſt corpus Chriſti de Virgine ſumptum. Sal infuſum aquæ, diuinitas vnita corpori, anima mediante. Sic aqua ſanauit aquas; ſed aqua cum ſale, aquas cum ſterilitate, ſed aqua benedictionis, aquas profuſæ maledictionis, ſed aqua dulcis, aqua totius amaritudinis.

393. Chromatius in cap.5. Matth. ad illud *vos eſtis ſal terræ*, multa de cœleſti ſapientia quæ Chriſtus eſt, humanum genus ſaliente, præfatus ſubdit. [Adhuc huius ſalis gratiam ac virtutem; etiam in libris Regnorum inuenimus præoſtenſam. Cum in Hierico eſſent aquæ malignæ, quæ ſteriles faciebant; petitus eſt ſanctus Eliſæus Propheta, vt ijſdem aquis remedium ſalutare præberet. Tunc ſanctus Eliſæus, cœleſtis myſterij non ignarus; dixit affetri ſibi vas fictile, & mitti in eo ſalem. Et venit, & miſit ſalem ad exitus aquarum; & ſic ſanata ſterilis natura aquarum, in fœcunditatem mutata eſt: quod in Sacramentum futuræ veritatis geſtum, manifeſta ratione cognoſcimus. Nam per aquas, Gentes ſignificari; euidenter Apocalypſis retulit, dicendo, *Aquæ quas vidiſti; populi & Gentes, & turbæ, & nationes ſunt.* Quæ aliter ſanari, vel remedium ſalutare accipere non poterant, niſi ſal, in vas fictile mitteretur; id eſt, Dei Sapientia, humanum corpus acciperet. Quæ poſtquàm ad exitus aquarum (id eſt; ad exitum mortis humanæ) ſalutis noſtræ cauſa peruenit; tunc omnium credentium natura quæ fructu ſeminis ſterilis erat, in fidem iuſtitiæ ac fœcunditatem mutata eſt. Vnde non immeritò, Dominus, Apoſtolos ſuos ſal terræ appellat, quos diuina, ex ſe, & cœleſti Sapientia repleuit. Sic autem eos ſal terræ eſſe teſtatus eſt, ſicut lucem mundi. Nam cum ipſe lucem mundi ſe eſſe profeſſus ſit, tamè etiam diſcipulos ſuos hoc nomine voluit nuncupare; non auferens ſibi quod ſuum eſt lumen, ſed largiens: quia lumen verum & æternum, quod ſuum eſt; ſine aliquo detrimento propriæ naturæ largitur.] Affinia habet Iſidor. Peluſ. l.1. Epiſt.16. & Honorius in Gemma animæ lib.1. cap.157.

Suppeditat portò poſtremis verbis propoſitis Chromatius, inſigne monitum, quo omnia quæ de ſale in Scripturis & Patribus ad Apoſtolos & Apoſtolicos viros aptata comperiemus, licebit multo potiore ac principalius ad Chriſtum referre; ſiue ſalis ſubſtantiam & effectionem, ſiue vſum quem habet, conſideremus. Nam enim Apoſtoli & Apoſtolici viri, cum ſalis nomine ſunt donati, audieruntq; à Chriſto, *vos eſtis ſal terræ*, ſalis terræ appellationem, Chriſto abrogarunt. Sicut cùm ibidem dicuntur *lux mundi*, non abiudicarunt Chriſto decus illius tituli, quo ſe ipſemet cohoneſtat, cum dicit, *ego ſum lux mundi.* Sicut igitur etiáſi Chriſtus vocatit Apoſtolos mundi lucem, veriùs tamen ipſe & principaliùs fuit lux mundi: ita licet vocarit Apoſtolos ſalem terræ, potuit etiam ipſe, & quidem multo maiore ratione, ſal terræ appellari. Imò rem ad vſum reſecando, nec Metonymicè ſine cauſa liceret loquendo, ſed formaliter & propriè, non Apoſtoli fuerunt lux mundi & ſal terræ, ſed Chriſtus ſolus. Dicebantur quidem Apoſtoli lux mundi tanquam phoſphori & baiuli lucis, alteri ſubiecto inſitæ: non tamen ipſi formaliter lux mundi erant, ſed Chriſtus. Similiter ergo dicebantur etiam Apoſtoli ſal terræ, quia ſalem cœleſtem terræ inferebant. Cæterum non erant ipſi ſal illud, ſed Chriſtus Dominus, cui proinde principaliùs ac præcellentiùs tribuenda ſunt omnia, quæ de ſale cœleſti illata in terras, Scripturæ aut Patres prodiderunt. Ego renoco ad duo capita, confectionem, & finem ſeu vſum.

Solis compoſitio & confectio, Chriſto aptata.

394. Compoſitio ſalis, eiúſque confectio, eiuſmodi eſt, vt aptiſſimè in Chriſtum cadat. Deſcribit ſalis confectionem Plin. lib.37. cap.6. pulchrè in hanc rem diſſerens: nec non Manilius l.5. illis verſibus.

Quin etiam magnas poterunt celebrare ſalinas
Et pontum coquere, & ponti ſecernere virus.
Cum ſolidum certo diſtendunt margine campum
Appellántque ſuo deductum ex æquore fluctum
Claudendóque negant: Vum demum ſuſcipit vndas
Area: tum pontus per ſedem humore niteſcit.
Congeritur ſiccum pelagus, mexſique profundi
Canities emota maris, ſpumæque rigentes.
Ingentes faciunt tumulos, pelagique venenum
Quódque erat vſus aquæ, ſucco corruptus amaro
Vitali ſale permutant, reddúntque ſalubrem.

Rutilius non minùs appoſitè l.1. Itinerat. à v.475.

Subiecta villa vacat aſpectare ſalinas,
Namque hoc cenſetur nomine ſalſa palus:
Qua mare terrenis decline canalibus imrat,
Multifidóſque lacus, paruula foſſa rigat
At vbi flagrantes admouit Sirius ignes,
Cum pallent herbæ, cum ſitit omnis ager
Tum cataractarum clauſtris excluditur æquor,
Vt fixos latices horrida duret humus
Concipiunt aërem natiua congula Phœbum,
Et granis æſtiuo cruſta calore coit.
Haud aliter quàm cum glacie riget horridus Iſter,
Grandiáque aſtricti flumine plauſtra vehit.

395. Hoc naturæ miraculum, durati Sole ponti, & aquarum calore in ſalem rigentium, Chriſtiani quoque DD. agnoſcunt, & myſticè accommodant. Nos facilè ad Chriſtum aptabimus. *Natura ſalis* (ait Chriſtianus Drutm.) *per aquã, per calorem ſolis, per flatum venti conſtat; & ex eo quod fuit, in aliã ſpeciem generatur.* Principia hìc intrinſeca & extrinſeca ſalis deprehendimus Chriſto perbellè conuenientia. Quod enim ait, ſalem ex aqua & calore progigni, idipſum eſſe videtur, quod dixit S.Hilar.cano.4. in Matth. [Sal eſt in ſe vnus, continens aquæ & ignis elementum, & hoc ex duobus eſt vnum.] Aqueam quidem ſalis naturam, prodit eius liquabilitas. Igneam verò, monſtrant effectus ſalis, vt appetentia quam conciliat, & prurigines quas ciat. Idcircò enim S.Baſilius lib. de vera virginit. increpat Aſceras illos, qui cupidi continentiæ tuendæ, ſalem paſſim adhibebant ad victum; ita vt repudiatis eſcis omnibus, ſolo pane ſalis perſperſione condito, veſcerentur. [Non intelligunt qui ſunt eiuſmodi, (ait S.Baſilius,) ſales cum ſint per naturam fœcundi, ac per acrimoniæ vim corpori prurigines excitent, plus cæteris ad libidinem coitúmque prouocare.] Sanè marinæ aquæ ſalſedo non aliunde oritur, quàm ex habituum aduſtorum admiſtione diuinitùs facta in orbis molitione, ad piſcium & maris putredinem inhibendam, vt optimè attigit Theoph. Antioch. l.2. ad Aurol. & Damaſc.2. fid.c.9. nóſque ſuo loco multis probatis experimentis probauimus, vix vllo poſterioris ætatis Philoſopho reclamante; præter Maiorem in 2.d.14. quæſt.15. concl.2. ridiculè argumentantem ex eo quod

Deus

Deus in mundi initio non fecerit mulam. Sed hac lite alibi ablegata, certa & nunc receptissima sententia de causa salsedinis marinæ, ea est quam dixi: nimirum admistio multarum adustarum exhalationum. Hæ autem ignicam illam salis conditionem manifestè ferunt; quam etiam quoad alia falsa fusè prosequitur Valesius. 677. hierophysicæ. In aquea igitur natura, humanitatem; in igne conserto, diuinitatem, quæ sunt extrema Christum componentia, licet agnoscere.

Non esset autem operosum, salis quoque fossilis cui comparati videntur Apostoli; quódque verè dari, (licet negare videatur S. Hilarius,) indubitatum est, principia materialia similia agnoscere, & accommodare Christo: illúdque insuper quod in eo suspicit Petrus Cluniacensis Epistola contra Petrobus. ad 4. caput quod est de Eucharistia. [In Orientalibus (inquit,) Hispaniæ partibus, rarum natura profert exemplum, imò quantum ad remotiorum hominum cognitionem, propositi miraculum, quod priùs audiens vix credidi: sed post audieram videns, dubitare non potui. Extant in regionibus illis salita, vt ita dicam, vel salsa montana, quæ pro saxis vel rupibus lapideum sal continent; sicque perlucidum, vt quia gemmeam preciosorum lapidum claritatem æmulatur, *salis gemma* vocetur. Quod tam perspicuitate quàm vtilitate; marino, puteali, omnique sali præpositum, de montanis illis multo labore ab incolis eruitur, & remotis quibusque pro magno munere datur, aut pro magno lucro venditur. De quibus montibus cum diutinus rusticorum labor lucri auidus, multam lucidi illius lapidis quantitatem eruerit: & eruendo fossas multas eo sale inanes reliquerit, processu temporis pluuiali inundatione fossarum illa vacuitas repletur, ac replera post paululum in naturam illius, cui admiscetur, lapidis commutatur. Tali recompensatione effossus mons, penè annuatim damna illata restaurat; & quidquid de lapide amisit, aqua in lapidem conuersa, compensat. Fit ergo cœlestis aqua, lapis terrenus.] En compaginem Christi salis ex terrena & cœlesti substantia.

Concluditur, principiorum materialium salis & Christi, correspondentia.

396. Compositio itaque salis ignea & humida, appositissimè Christum refert: qui ex aqua, id est humanitate, & ignea, id est diuina substantia coaluit: vt proinde multo potiore iure de hoc mystico sale dicere liceat, quod à Platone in Timæo, dictum est de sale naturali, quem dixit esse rem sacram, & à Deo amatam; idque se ex legis formula pronunciare profitetur. Fortasse ex ea, quæ vt est apud Arnobium l. 2. *sub fin.* mandabat sacras fieri mensas salinorum appositu. Profana enim & Deo inuisa habebatur mensa, si sal deesset. Vel potiùs spectauit Plato, in legibus Mosaïcis valdè versatus, ad legem sacram, vsum salis in omni sacrificio indicentem, vt infra monstrabo. Vt, vt sit, sal nostrum, omni iure, diuinum dicendum est, cum diuinam substantiam contineat aquæ nostræ adiunctam.

Optimè quoque in eo valet, quod de sale corporeo spectatis eius principijs materialibus, verum esse affirmat Aristoteles sect. 23. & 31. problem. neque quod oleum ex eo effluat, id quod quotidiana experimenta testantur. In salinis: siquidem, oleum sali mixtum colligitur. Ex ea item pinguedine & oleositate salis, proficiscitur quod aqua salsa, puta marina, ignem non extinguat, sed inflammet magis, vt habet ex 23. problem. quæst. 7. & 13. & 32. eámque etiam esse causam fatendum est, cur aqua marina sordes vestium & corporum, non abluat. Vnde Odyssæ 3. Vlysses naufragus, & nudus in Phœacum littus eiectus, describitur matis salsuginem fluuiatili aqua abluens: & Nausiaca Alcinoi Phœacum Regis filia, ibidem proponitur mandans illi, vt Vlyssem spuma madentem æquorea, flumine asperso abstergant. Videsis dissertentem de his salis ob oleositatem effectibus, Ioannem Langium l. 1. epist. medicarum in 28. Hic ergo olei effluxus ex sale, bellissimè cadit in salem mysticum, Christum Dominum, ratione principiorum eius materialium. Nam & prout persona diuina, principiat cum Patre Spiritum sanctũ, qui est oleum lætitiæ ex D. Ambrosio lib. 1. de Spiritu sancto cap. 8. prout homo autem est causa & principium totius vnctionis nostræ omniumque gratiarum quibus perfundimur.

Idem monstratur de principiis effectiuis.

397. Nec minùs bellè Christo quadrant salis principia efficientia, quæ ex Chromatio adducebam: nempe cœlestis calor & ventus. Quanquam S. Chrysostomus in Psal. 96. Christianos, iure salis nomine insignitos esse demonstrans, solius venti meminit. Christianum enim inducit, sic in Domino gloriantem. [Non iam timeo ictum virulentum: non enim sum vltra terra, sed sal. Serpenti enim dicit Dominus maledicturus, *Terram comedes iuxta dies vitæ tuæ.* Ante Christi aduentũ terra eram, comedebar à Serpente: vbi autem venit Dominus, in salem me mutauit. Disce dilecte, quomodò sal fit, vt cum didiceris quomodo stat, te ipsum in re illa agnoscas. Sal ex aqua fit & vento. Sal meritò appellauit nos Dominus, quoniam ex aqua & spiritu regenerauit.]

Non potuit commodiùs exprimi Christi effectio. Nam Christiani, ad modum quo Christus procreatus est, generantur; vt S. Fulgentius l. de Incarnat. cap. 20. optimè tradidit. Generatio ergo eorum tamquam salium ex aqua & vento, est specimen generationis Christi, ex materna substantia sola, & Spiritu sancto, locum patris quoad efficientiam paternam supplente. Nec refert si adiunctum velis calorem cœlestem, quem omisit in salis procreatione Chrysostomus, attigit autem Chromatius. Nam in diuinis, idem spiritus qui venti specie adumbratur, & virginem fœcundauit, cœlestis calor est, ac ignis diuinus.

Ritus sacri, Christiani & Hebræi, ad Christum salem, spectantes.

398. Est igitur Christus sal mysticum: idque significare videtur ritus Ecclesia, cum in templi consecratione salem ac cinerem commiscet sale m quip. e illum, designare Verbum humanitati adiunctum, siue Christum, notat Honorius in Gemma animæ l. 1. cap. 157. & rationem reddit, quia sicut per salem admistum, esculenta omnia sapida fiunt, ita per Dei sapientiam Christum, omnes sapere & intelligere acceperunt. Idem significat Ecclesia, eo baptismi ritu quem iam olim ac etiam nunc seruat, immittendi salem in os Catechumeni: ita vt apud Indos hodie, gustasse salem perinde sit, ac factum esse Christianum; eóque passim Patres accommodant illud Ezechielis 16. *aqua non es lota in salutem, nec sale salita.* Videsis benè multos quos in eam rem adducit Pamelius ad Tertullian. de Baptis. n. 1. cum de hac baptismi ceremonia, & Durantus l. 1. de ritibus cap. 19. num. 23. ac Vicecomes l. 2. de Baptis. cap. 42. Eo quoque Bernardinus Gomesius in opere de sale, professus se id à Cardinali Grauellanæ accepisse, refert nomenclationem *salitorum*, Burgundis tributam; quod primi inter populos Aquilonares, ad baptismum accessissent: approbátque eam expositionem illius Burgundionum epitheti, Marsilius Columna s. 2. hydrag c. 4. num. 46. Et quanquam non desunt, qui id sicut hoc tempore, ita & iam olim, summa esse malint petitum à salinis quæ plurimæ ac vbertes sunt in Burgundia; tamen expositio proposita, quæ à sale Neophytorum cognominationem illam petit, est valdè probabilis: Hanc autem salis in os Catechumeni immissionem

Christum spectare, docuit disertè Smaragdus Epistola de Sabbato Pentecostes, dicens, condiri sale Catechumenos, vt Christum sapiant: quod sumpsit ex Isidoro l. 2. de officiis cap. 20. Eodémque reuoluuntur eundem ritum expendentes, Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. fid. cap. 8 1. & Rabanus de instit. cleric. cap. 27. nec non Ivo Carnot. serm. de Sacram. Neophyt. qui aiunt, eum salem esse symbolum sapientiæ cœlestis. Quæ verò cœlestis sapientia, nisi Christus; de quo & quatenus Verbū est, valet illud, *fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*, & quatenus homo est, factus est nobis sapientia, iuxta Apostolum? Eiusdem significationis est ritus alius, quo ex Conc. Carthag. 3. cui S. Augustinus interfuit, vsus salis extra Baptismū pro Catechumenis astruitur. Sic enim habet illud Conc. can. 5. [Placuit vt etiam per solemnissimos Paschales dies, Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal, quia si fideles, per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.] En *solitum sal*. Non fuisset sanè sal illuc Catechumenis adhibitum, dictum *solitum sal*, si solo baptismi tempore circa eos fuisset vsurpatum. Ipse quoque D. Augustinus, in catechumenatu dicit se sale fuisse conditum 1. Confess. cap. 11. [Signabat iam (inquit) signo crucis eius, & condiebat eius sale.] Audientibus, tametsi procul aberant ab intinctione indebatur sal, vt frequens est apud diuinorum officiorum tractatores. Non omisit istud interminata Sacramenta Catechumenorum, agens de eis sigillatim Albas. p. l. 2. obseruatione vltima. Manifestè itaque habetur, vulgare & frequens fuisse, vt circa Catechumenos, ea ceremonia qua Christus tam apte exprimitur adhiberetur, & quidem vt plerique obseruant, loco Eucharistiæ: vt scilicet qui Christum reipsa accipere nondum poterant, saltem Christum typicum, in salis participatione acciperent.

399. Non videtur ambigendum, quin eodem spectare solemne olim præceptum, vt omnis victima sale saliretur. Quam accuratè id mandatum esset, notauit his verbis Rupertus lib. 4. in Matth. ad cap. 5. circa illud, *vos estis sal terræ*. Sic enim scribit, agens de lege data in Sina. [Inter illius quæ tunc data est, legis mysticæ Sacramenta, diligentissimè salem commendat. Quicquid (*ait*) obtuleris Sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. Tertiò repetiuit in vno eodémque Scripturæ loco cōmendat onem salis, ne fortè primam aut secundam vicem non intellexeris, aut curæ non magni putes Deo esse, mysterium salis.] Libratque etiā inferiùs illa verba, *sal fœderis Domini Dei tui*, quæ apertiùs insinuant sal esse symbolum illius pacti salis, id est æterni fœderis, quod Deus in Christo mundum sibi reconcilians nobiscum pepigit. Quid ergo aliud fuit velle omnem victimam sale saliri, quàm significare nullum sacrificium posse esse Deo acceptum, nisi Christo sale condiretur, eiúsque meritis perspergeretur? Chromatius non obscurè venit in hanc mentem, sic scribens in cap. 5. Matth. [Deo dignos esse sale cœlestis sapientiæ condiuntur, etiam dudum præcedente figura legis, ostensum est; quia omne sacrificium offerendum Deo, sale saliebatur. Quod ipsum Euangelista commemorauit dicendo: *Omne*, inquit, *sacrificium, sale salietur*, ostendens, eum hominem dignum verè sacrificium Deo fieri, qui cœlestis sapientiæ virtute esset infusus. Vnde non immeritò cum per Ezechielem Prophetam, Dominus, Ierusalem, (imo potiùs Synagogam) increparet; inter cætera ait; *Aqua non es lota, neque sale salita*. Pronuncians, quia neque gratiam baptismi salutaris ad abluenda peccata sua acceptura erat, neque fidem cœlestis sapientiæ susceptura.] Cœlestis sapientia cuius fidem suscipimus, Christus est. Est igitur ipse quoque, sal illud cuius vsus in omni sacrificio indicebatur. Specialiter autem mixturam salis ac cinerum vitulæ rufæ ad populi expiationem immolatæ & crematæ, ad Christum propter nos hominem ob passionem gloria & honore coronatum, pertinere, attingit optimè Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 157.

Salis effectus, Christo accommodati.

400. Sed nullo ex capite patere melius potest, quanto iure Christus Dominus sal nostrum habeatur, quàm si salis effectus spectemus. Eiusmodi enim sunt, vt mysticè spectati in solum Christum propriè & principaliter cadant. Et quia his effectibus finis salis continetur, expediemus eadem opera quæ spectant ad finem Christi, cuius contentionem cum fine salis, faciendam suscepimus. Est in primis summa & vniuersalis omnibus mortalibus salis necessitas. [Sicut igitur sal hoc, (inquit loco allegato Chromatius,) id est sal terræ, indiscretè omnibus opus est: id est Regibus ex potentibus, diuitibus & pauperibus, seruis ac Dominus; Sic & cœlestis sapientiæ Verbum quod per Apostolos prædicatum est, necessarium est iunctis ad vitam. Omnes enim secundùm Apostolum, egent gratia Dei: quia sicut præsentem hanc vitam nō sine salis vsu habemus, ita quoque illam vitam æternam, sine dono sapientiæ diuinæ adipisci non possumus.] Planè cœlestis hæc sapientia ab Apostolis prædicata, cuius gustandæ tanta est necessitas, non alia est præter Christum. Idque mox Chromatius ipse disertè tradit, salem interpretans Dei sapientiam, quæ humanum corpus accepit.

Est præterea illa vis salis omnibus comperta, quod fœtorem à corporibus depellit, abacta putredine, & prohibitis vermibus, ne in corpore ebulliant. Propereáque S. Macarius hom. 1. Apostolis tamquam causæ ministeriali salem Christum applicanti, tribuens hunc salis effectum, sic scribit. [Sal cum essent ipsi, condiebant & saliebant omnem animam credentem, sale Spiritus sancti. Dixit enim ijs Dominus *Vos estis sal terræ*, terram vocans, animas proborum hominum. Subministrabant enim animis hominum sal Spiritus cœleste, condientes illos, & à putredine ac noxa ex multo fœtore vindicantes. Quemadmodum enim caro, si sale non sit conspersa, putrescit, & multo fœtore repletur, adeò vt omnes auertantur à grani odore; & vermes irrepunt in carnem putridam, illícque pascuntur, comedunt & in cauernulis delitescunt: Si verò superuenerit sal, interficiuntur & pereunt illic depascentes vermes, & grauis odor fœtoris cessat: natura siquidem salis est, vt interimat vermes & fœtorem tollat: Eodem quoque modo omnis anima, non condita. Spiritu sancto cœlestisque salis, hoc est, virtutis Dei particeps non facta, putredine vitiatur, ac fœtore prauarum cogitationum copioso repletur, adeò vt auertatur facies Dei à grani fœtore vanarum ac tenebrosarum cogitationum, & affectionum eidem animæ inhærentium. Et noxij atque improbi vermes, qui sunt Spiritus malitiæ & pestilentes tenebrarum, in ea inambulant; illic pascuntur, delitescunt & repunt, atque eam deuorant & corrumpunt: *fœtorem enim præbuerūt, & putruerūt vibries mei.*] Quod Apostoli ministerialiter tantùm præstabant, hoc Christus ad modum causæ in suo ordine principalis, exhibitione Spiritus sui præstitit mortalibus, putrefactionem eorum inhibens, cùm quod omnia generatim peccata, tum quod peculiariter considerat Rupertus l. 4. in Matth. ad cap. 5. quod carnis maculas, à quibus innumeri per Christum salem sunt liberati; ita vt senes pueri viuerent, & per longissimam ætatem incorrupti ac integri perseuerarent.

401. Est sal symbolum incorruptibilitatis; & hanc ob causam iussum fuisse, vt omnis victima sale aspergeretur, sic docet Philo l. de victimas offerentibus. [Sequitur (inquit,) aliud præceptum; *omni oblationi salem adhibebis*, quo significatur (vt anteà dixi,) æterna durabilitas.

tabilitas. Sal enim conseruator est corporum, secundo post animam ordine. Nam sicut anima causa est incorruptionis corporum, sic sal quam diutissimè tuetur ea, reddítque quodammodò immortalia. Ideò Scriptura vocat hic *thysiasterium*, eximio nomine παρὰ τὸ διατηρεῖν τὰ θύματα, id est à conseruandis victimis.

Eandem ob causam, pactum æternum & semper perseueraturum, dicebatur *pactum salis*, vt liquet ex 2. Paral. 13. & ex Numer. 18. vbi Caietanus, nescire se fatetur, cur pactum semper duraturum, nominetur pactum salis. Sed ratio est ea quam attigi, cum Petetio Genes. 19. num. 25. Eámque ob causam non in sacris tantùm sed etiam apud profanos, fœdera conditis sale victimis perficiebantur. Videsis Furnobum 7. aduersus. 13. & interpretes ad illud Flaui l. 3. orat. 23. *Farre pio, ac saliente mica*: Vel in illud Æneidos 12. *dant fruges manibus salsas*: aut Æneid. 7. ad illud, *& salsas fruges*. Eandem insuper ob causam Origenes l. 8. contra Celsum *sub finem* ait viros probos esse sal terræ, quia per eos conseruatur mundus: quod probat ex illis paucis iustis, quibus, si reperirentur, salutem quinque vrbium sceleratarum spoponderat Deus. Videtur alludisse ad insignem Philonis disputationem l. de migrat. Abrahami *sub medium*, vbi virum probum celebrat *tanquàm seruatorem orbis, & fulcrũ humani generis*, vúltque concipi vota pro eius incolumitate, quod tali viro superstite nihil admodùm timendum sit orbis excidio, & corruptioni. Expressit Philonem quoque S. Ambrosius l. 2. de Cain. cap. 3. & l. 1. de Abrah. cap. 6. illam orbis per virum iustum à corruptione præseruationem, præclarè exponens. Hoc verò est, virum iustum esse salem terræ, vt affirmabat Origenes, Christus ergo peremptorem & immoralitatem concilians, meritò cum sale componitur. Quo etiam fuit quod Goropius l. 4. Hermatenæ, obseruat, salem, lingua Cymbrica idem esse quod salutem. Est autem Christus, salus nostra. De vniuerso hoc argumento, concinnè & eruditè de more Bernardinus Gomesius l. 5. de sale à n. 13.

Vsus doctrinæ.

402. Saliamur & nos hoc sale, si volumus esse Deo accepti: idque vt assequamur mactandi primum à Christo Pontifice sumus. Benè id animaduertit S. Maximus hom. illa 1. cum effectum salis cœlestis in anima describisset. [Propterea (inquit,) etiam in lege, exemplo vtens Deus, iussit omnes victimas sale saliri. Oportet igitur primùm victimam mactari à sacerdote, & mori, & tunc dissectam sale condiri, deinde sic igni imponi. Nisi enim priùs mactet & occidat ouem sacerdos, non salitur, neque ad holocaustum Domino adducitur: sic & nostram animam accedentem vero Pontifici Christo, oportet mactari ab eo, & cogitationibus ac pessimæ vitæ, cui viuebat, hoc est, peccato mori, & tamquam vitam oportet ex ea egredi prauas affectiones.]

Neque verò saliri dumtaxat, sed & sal effici iubemur, quales Christus Apostolos effecerat, quibus dixit, *vos estis sal terræ*, & vnicuique incumbit, cùm à seipso putredinem & insulsitatem arcere, tum alios condire, & incorruptos præstare pro viribus. Et quidem id præsertim munus pastorum, & insigniter omnino prosequitur S. Gregor. hom. 17. in Euang. ostendens sacerdotem in populis, debere idipsum esse quod est brutis animalibus petra salis, quam lambendo, sapore æternæ vitæ condiantur. Tamen proportione seruata, idem quibuslibet incumbit. Nec abs re, vt notauit Orig. hom. 6. in Ezech. opponitur animæ cuiuis peccatrici, quod non sit sale salita, & effecta sal. [Et hoc, (inquit,) crimen est Ierusalem, quia non fuerat digna sale Dei. Ergo si credidero Domino meo Iesu Christo, ipse me sal faciet, dicétque mihi, *Vos estis sal terræ*: Si credidero Spiritui qui in Apostolo locutus est, sale condior, & possum præceptum custodire, dicens; *Sermo vester sit semper in gratia, sale conditus*. Grande opus est insaliri. Qui sale conditur, gratia plenus est. Nam & in communi prouerbio, *salsus* dicitur gratiosus, & è contrario *insulsus* qui non habet gratiam. Si igitur gratia nobis à Deo venit, & complemur dono eius, sale salimur.]

Cauenda salis nostri liquatio, & infatuatio.

403. Vnum tamen est, quod huic sali cauendum mandat Breuiarium fidei contra Arrianos, *ferè in fine*, nimirum ne qui ex aqua coaluit, in aquam denuò mittatur, ni velit liquescere, & resolui in nihilum: hoc est ne qui per baptismum natus est, & ad Christi lucem peruenit, denuò baptismo tingatur, quod tunc præstabant Arriani. Quia tamen ab anabaptismo, per Dei gratiam non multum est discriminis hoc tempore, attexam potiùs vnum quod Christus ipse commendat: nimirum qui sal effectus sit, caueat ne infatuetur & euanescat: vnde consequetur vt ad nihilum vltra valeat, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Hoc quid sit, declaro verbis Chromatij loco sæpè notato. [Infatuari (inquit) eos ostendit, qui cum semel per fidem & sapientiam cœlestem eruditi, fideles ac stabiles debeant permanere; relicta fide & sapientia diuina, aut in hæresim ruunt, aut ad stultitiam Gentilium redeunt. Et idcirco ait; *Si autem sal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Quia infatuati fraude Diaboli, huiusmodi homines; amissa fidei gratia, euanescunt. Qui cum potuissent etiam alios non credentes, adhuc à fide alienos, diuinæ prædicationis Verbo condire; etiã sibi inutiles extiterunt. Denique Iudas Iscariotes, de huiusmodi salibus fuerat; Sed posteaquam diuinam sapientiam probauit, & de Apostolo apostata, factus est; non solùm alijs prodesse non potuit, sed & sibi miser, & inutilis factus est. Et ideò addidit Dominus dicens; *ad nihilũ valet, nisi vt proijciatur foras & conculcetur ab omnibus*: quia huiusmodi; iam non fideles ac domestici, sed proiect. ab Ecclesia, vt extranei, & fidei hostes habendi sunt. Vnde & Iudas de domestico fidei, inimicus factus est veritatis. Proiecti itaque huiusmodi extra Ecclesiam; necesse est vt diuersis vitijs carnis & varijs voluptatibus seculi conculcentur: Et hoc est quod ait, *ad nihilum valet, nisi vt proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Quid sit autem *conculcari ab hominibus*; etiam Salomon in libro suo retulit, cum de muliere meretrice loqueretur. *Mulier* (inquit) *fornicaria, quasi stercus in via ab hominibus præteuntibus conculcatur*. Quia igitur conditi iam sale Apostolico sumus; in tali ac tanto condimento gratiæ Spiritualis permanere debemus, vt ipsi quoque sal terræ nuncupari à Christo Domino nostro mereamur.]

Agnouit se salem infatuatum, sicque se nominauit Ecebolius ille Sophista in fide & religione Proteus: nempe Constantino magno regnante feruens Spiritu, (in speciem,) Christianus: mox Iuliani nebula suborta, Ethnicus: iterum eo diuinitùs prostrato, persona Christiani. Testatur id Socrates l. 3. hist. cap. 11. additque Iuliano mortuo reuenientem simulatè ad Ecclesiam, abiecisse se in sacræ ædis aditu, sic vociferantem. *Me quasi salem insipidũ conculcate*. Felix si ex animo atque constanter infatuationem suam deplorasset: sed subdit Socrates. [Ecebolius, sicut antea leuis & inconstans fuit, sic posteà permansit.]

Quin etiam salem effici, (quamuis non infatuat,) accipitur quandoque in malam partem. Idcirco enim vxor Loth versa est in statuam salis: vt Rupertus obseruat l. 6. in Genes. c. 12. facta sibi nimirum inutilis, at exemplo suo condiens alios ne regrediantur à cœptis bonis. Quanto feliciores qui fiunt sal terræ. Talis S. Augustinus iuxta S. Paulinum epistola 41. [Verè sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint seculi errore vanescere, condiuntur.]

CAPVT XI.

Christus in productione sua, lapis de monte sine manibus, ad conterendam statuam, iniquitatis imaginem.

404. De Christi productione, & effectibus in bonum nostrum, prænunciasse Danielem sub typo lapidis de monte præcisi absque manibus,& comminuentis statuam in quam incidit,certa est sententia grauissimorum Patrum, quibus perpauci refragati sunt, referentes abscissionem lapidis ad secundum Christi aduentum, sed minùs probabiliter, vt ex dicendis liquebit. Vt autem in confirmanda communi sententia,perspicuè & ordinatè procedamus,tria primùm nobis consideranda sunt, ad Christi productionem spectantia: nimirum de quo monte hic agatur, quis sit lapis ex eo abscissus, ac demum quomodò sine manibus. Quibus expositis, subijciemus de effectu lapidis abscissi cadentis in statuam, eámque comminuentis.

Variæ expositiones montis, de quo lapis apud Danielem, abscissus est.

Montem de quo lapis abscissus est, impurissimus Hæreticus Vigilantius, dixit esse Diabolum. Audi S. Hieronymum epist.75. quæ est ad ipsum Vigilantium. [Ego reor, & nomen tibi κατάντιφραστν, impositum: Nam tota mente dormitas, & profundissimo non tam somno stertis, quàm Lethargo. Inter cæteras quippe blasphemias quas ore sacrilego protulisti, ausus es dicere, montem, de quo abscissus est à Daniele lapis sine manibus, esse Diabolum, & lapidem Christum: qui quia assumpsit corpus ex Adam, qui Diabolo ante per vitia cohæserat, natus esset de Virgine: vt à monte hoc est, à Diabolo hominem separaret. O præcidendam linguam, ac per partes, & frusta lacerandam! Quisquámne Christianus Deum patrem omnipotentem in personam Diaboli interpretatur, & tanto piaculo totius orbis aures maculat? Si interpretationem tuam, quisquam non dicam Catholicorum, sed Hæreticorum, siue Gentilium, nunquam recepit, pium sit, quod locutus es. Sin autem tantùm nefas nunquam audiuit Christi Ecclesia; & per tuum primùm os, ipse se montem interpretatus est,qui dixerat: *Ero similis Altissimo*: age pœnitentiam, & in sacco versare, & cinere; & tantum scelus iugibus absterge lachrymis. Si tandem tibi dimittatur hæc impietas, & iuxta errorem Origenis tunc veniam consequaris, quando consecuturus est & Diabolus, qui nunquam plus, quàm per os tuum, deprehenditur blasphemasse.]

Faceſſat igitur tam horrenda impietas. Sunt aliæ nonnullæ montis illius interpretationes, quæ minùs mihi probantur. S. Ambros. serm.70. *in fine*, montem hunc cuius meminit Daniel, interpretatus est æternum Patrem. Exponens enim visum B.Eusebio oblatum, quod de monte ad montem volaret; ait, nihil aliud id præsignasse quàm transitum de gratia Saluatoris ad gloriam Patris. Ipsi enim sunt montes, sicut dixit Propheta *Mons de monte, sine manibus concidentium*: hoc est Filius de Patre,absque vllius creationis accessu. Sed est singularis interpretatio, nec cum litera cohærens. Non enim Verbum fuit primò paruum, postea magnum,& implens terram, quod de lapide abscisso affirmat Daniel. At si lapis abscissus non est Verbum;mons vnde abscinditur, non erit æternus Pater. Est qui alleget Hyppolitum orat. de Antichristo, quasi dixerit lapidem abscissum de monte sine manibus,esse Christum subitò venturum è gloria Patris ad iudicium præter opinionem. Sed apud ipsum Hyppolitum,ea montis & defectus manuum interpretatio, non comparet.

Vera expositio, montem illum esse Deiparam.

405. Communis Patrum ac interpretum sententia, montem de quo lapis præcisus est, intelligit Deiparam. Attingam plerosque paulò post. Videri tamen possit refragatus S.Augustinus serm.12. ex 40. nouis, & tract.4.& 9.in Ioan.& tract.1.in Epist. Ioan. vbi montem è quo lapis abscissus est,interpretatur Synagogam, & lapidem abscissum accipit de Ecclesia Christiana, quæ ex Synagoga prodijt. Reuera tamen D. Augustinus, non refragatur communi expositioni, sed metonimicè quia ea quæ de vno quopiam membro sunt, toti mystico corpori accommodantur, & lapidem abscissum accepit de Christiano populo vnum faciente cum Christo, & montem vnde abscissus est, de Synagoga ad quam B.Maria spectabat, & interpretatus. Cæterum & illis ipsis locis, si attentè legatur. Deiparam montem & Christum lapidem exponit D.Augustinus,& alibi non semel insistit eidem interpretationi: & nominatim orat.contra Iudæos cap.12. vbi concidi de monte sine manibus concidentium, exponit Christum nasci de Virgine absque maritali complexu. Eadem interpretatio est,(vt præmisi,)Patrum communis. Sic enim montem è quo lapis est abscissus, exposuit S. Irenæus lib.3.cap.28. S.Iustinus dialog. cum Trypho. Hieronymus, Theodoretus, ac Rupertus, Danielis 2. Epiphan.& Hesychius homiliis panegyricis de Deip.& passim recentiores,præsertim S. Bonauentura t.3. serm. 2. de natiu. Dom. Quanquam enim alios duos montes profert,ex quibus Christus abscissus sit; Iudaicum videlicet populum, & scripturam, tamen tertius mons è quo abscissum absque maritali opere Christum affirmat, nempe Deipara, is est cui præcipuè insistit.

Et esse sanè Deiparam, montem,plurib⁹ Scripturis insinuatum est. Andræas Hierosol. orat. de Deip. eam componit cum mente Hermon. D. Adelphonsus serm. 6.de Assumpt. cum Libano. S.Bernardus serm. de Annunc. cum monte, in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo, Damasc. orat.1. de natiuit. Virginis, cum monte Sion confert Deiparam. Sic exclamans. [Exultate montes, hoc est ratione præditæ naturæ, quæque ad Spiritualis contemplationis fastigium assurgitis. Siquidem charis Dei mons paritur, mons inquam ille, qui collem omnem ac montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem exuperat, ex quo citra vllam manuum operam corporeo modo excindi voluit lapis angularis Christus, vna persona, distinctas naturas copulans, diuinitatem nimirum & humanitatem, Angelos & homines, Gentiles & carnalem Israëlem in vnum Spiritualem Israëlem. Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Currus Dei multiplex, eorum qui diuinæ gratiæ copiis affluunt. Arx Syna sanctior, quam non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis contegit; Verùm illuminandi vim habens Spiritus sancti splendor. Illic enim Dei Verbum, tanquam Dei spiritu, legem saxeis tabulis inscribebat. Hic autem ex Spiritu sancto ac Virginis sanguine Verbum ipsummet incarnatum est, seque naturæ nostræ concessit. Illic manna: hic is qui manna ipsum suauitate donarat.]

Euthymius ad illud Cantici Abacuc, *& sanctus de monte umbroso*, sanctum interpretatus Christum, subdit de monte. [Mons verò vmbrosus & densus, est beata Virgo; mons quidem, tanquam omni creatura sublimior; vmbrosa etiam quia à diuina virtute,obumbrata est.*Virtus* enim,(inquit,) *Altissimi obumbrabit tibi.* Densus etiam esse dicitur hic Virginalis mons propter impenetrabile virginitatis mysterium.] Nec dissimiliter Athanasius q.117.ad Antiochum, præfatus id quod Arnobius lib.1.cum Serapione pag.mihi 536.latè prosequitur,

sequitur, nempe Christum passim in scriptura montem dici, subdit. [Montem rursus propriè vocat Sanctissimam Deiparam Virginem, veluti quum inquit ; *Mons qui Deo placuit ad habitandum in eo. Nam Dominus habitabit in eo in finem.* Alibi habetur : *Deus a Theman veniet, & sanctus ex monte opaco & denso.* Mons autem ibi dicitur sancta Virgo mater. Quia quemadmodum ij qui campo oberrantes, calore æstuant, si montem subeant, velut tote consperfi in vmbra subter arbores montis, vel aqua sedant æstum flammæ : Ad eundem modum hominibus quoque facta est sancta Virgo, quæ tote quodam sui partus, animas hominum æstu peccati confectas, in vitam reuocauit, & in vmbra alarum sui filij fouit.]

406. S. Gregorius l. 1. in 1. Reg. ad illud, *vir vnus de Ramatha sophim, de monte Ephraim*, verba hæc ad Christum accommodans, B. Virginem montem Ephraim interpretatur. Locus est in hanc rem planè luculentus. [Potest (inquit,) hujus montis nomine, beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem super omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit ? huius enim montis præcellentissimam dignitatem, Elias vaticinans, ait ; *Erit in nouissimis diebus, præparatus mons Domini in vertice mõtium.* Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Matiæ supra omnes sanctos resilit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe & domus aptè dicitur, quæ cum incomparabilibus est illustrata meritis. Dei vnigenito in quo recumberet sacrum præparauit vterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem, hanc diuina fœcunditas non leuaret. Et domus Domini non fieret, si in eius ventre, per assumptam humanitatem, Verbi diuinitas non iaceret. Sed rectè mons frugifer dicitur, de qua optimus fructus, id est, nouus homo generatur, quam certè in fœcunditatis suæ gloria pulchram, cernâque Prophetæ respiciens, ait, *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* De huius namque montis fructu, Dauid Deo exultans, ait ; *Confitebuntur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.* Terra quippe fructum suum dedit, quia quem virgo peperit, non concepit materiali opere, sed Sancti spiritus obumbratione. Hinc eidem regi, & prophetæ à Domino dicitur : *De fructu ventris tui ponam super sedem meam.* Hinc Esaias, ait : *Erit fructus terræ sublimis.* Nam quem virgo genuit non solùm homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. De hoc fructu ad eundem beatam Virginem, Elisabeth salutante dicitur, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Rectè igitur mons Ephraim dicitur, quæ dum ineffabili dignitate diuinæ generationis attollitur, in eius fructu arida humanæ conditionis germina reuiuiscunt. Vir igitur de Ramatha Sophim, factus est de monte Ephraim : quia qui per diuinitatis suæ potentiam Angelos condidit, de carne præceliæ Virginis, formam suscepit humanitatis.]

Quæ *mons* in locis prædictis est nominata, frequenter alibi *petra* est dicta. Hæc est enim apud Esaiam c. 16. *petra deserti*, interprete Guerico serm. 2. de annunc. Quod si Ethnicis Pessinuntibus, mater Deum silex fuit, & petra fului & atri coloris, vt videre est apud Arnobium in calce libri 7. non abs re nos Deiparam dixerimus petram pretiosam, è qua eductus sit lapis Israël. Ipsi Hebræi apud Galatinum l. 7. cap. 11. Deiparam vocarunt *petram primariam.*

Lapis è monte illo abscissus, Christus.

407. Satis de monte. Ad lapidem inde abscissum venio, qui non alius est quàm Christus, iuxta illud Ambrosij l. de interpellat. Dauid ; [Omnia propter te Christus. Lapis propter te, vt tu ædificeris.] Causam adumbrati per lapidem Christi, præferunt verba illa D. Augustini in c. 6. Ioan. egregiè aduertentis, lapidem conditioni terreæ per se fluxæ, addere soliditatem. Sic enim Christus luteæ nostræ compagi, addidit firmitatem Deitatis. Meritò itaque D. August. [Petra Christus in signo, verus Christus in carne & Verbo.] Esse sanè Christum lapidis typo in scripturis delineatum, non Iudæi modò apud Galatinum l. 3. de arcanis toto c. 22. sed etiam Patres plerique obseruarunt nominatim verò Orig. tom. 1. in Ioan. *sub fin.* paucis illis, sed sensu diffusissimis. [Lapis est Christus reprobatus ab ædificantibus & in caput anguli ordinatus. Quoniam enim lapides viui ædificantur, fundamento ipso Iesu Christo Domino nostro existente summo angulari lapide, aliis lapidibus Apostolorum, & Prophetarum, eo quod ipse sit pars structuræ, quæ est ex lapidibus viuentibus in regione viuentium, lapis appellatur.] Fusius idem prosequitur Iulius Firmicus de errore profan. relig. cap. 11. & S. Ambrosius l. de Salom. c. 3. vbi tractans secundum, quod Salomon penetratu sibi esse impossibile dixerat, nimirum *viam colubri super petram*, sic ait. [Hanc petram, Dominum nostrum esse, ambigere non debemus. Sic enim Apostolus ait ; *scribebant autem de spiritali sequenti petra, petra autem erat Christus.* Et Psalmographus ; *In petra*, (inquit,) *exaltasti.* Et Moyses in Cantico Deuteronomij : *Lactauit eos mel ex petra, & oleum de solida petra.* Id est quod dulcem daturus iis esset Euangelij suauitatem, aut Spiritum sanctum per charismatis vnctionem. Et alibi ait : *Beatus qui tenet & allidit infantes suos ad petram.* Quod vtique in religiosis parricidium erat, si petra ista, figuram corporis Christi non haberet. Nemo enim beatus in futuere est, qui infantes suos allidit ad Petram : sed ideò beatus est, quod illos coniungit ad petram. Dixi ergo, petram, Dominum & Saluatorem nostrum in scripturis omnibus inueniri.]

Alias pleraque scripturas, in eam Christi denominationem addensat S. Cyprianus l. 2. testim. ad Quir. c. 16. vt illud Isaiæ 28. *Ecce ego pono in Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honoratum.* Item illud ex Psal. 117. *lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* : quem locum de Christo est interpretatus Apostolus Actorum 4. Nec non illud Zachariæ 3. *Ecce ego adducam seruum meum Orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt : ecce ego cælabo sculpturam eius ait Dominus exercituum & auferam iniquitatem terræ illius, in die vna.* Hæc omnia quomodò in Christum bellissimè conueniant, non exponit S. Cyprianus. Optime autem expressit S. Hieronymus in cap. 3. Zachar. monstrans, vnum illum lapidem esse Christum Dominum, super quem sunt septem oculi, id est septem Spiritus sancti dona ab Isaiæ cap. 11. expressa, & cuius sculptura cælata est clauis crucis, & lancea militis : vnde consecuta est terræ emundatio, & ablatio iniquitatis, in vna die passionis ac mortis Christi.

Typi veteres, de Christo lapide.

408. Sed & lapides quosdam in historia antiqua celebratos, typum fuisse Christi Domini, obseruat ibidem S. Cyprianus vt lapidem illum cui Iacob innixus Gen. 28. vidit scalam, & Angelos ascendentes ac descendentes. Eius namque lapidis consecrationem & vnctionem, Christum manifestè designasse, præter S. Cyprianum tradit luculenter S. Augustinus in Psal. 44. ad illud, *vnxit te Deus.* Multa ibi de Christo vncto præfatus, addit. [Hoc figurabatur in eo quod Iacob lapidem sibi ad caput posuerat, & dormiebat. Iacob Patriarcha lapidem sibi ad caput posuerat. Dormiens autem illo

lapi

lapide ad caput posito, vidit apertis cœlis scalam à cœlo in terram & Angelos ascendentes & descendentes. Hoc viso euigilauit, vnxit lapidem & discessit. In illo lapide intellexit Christum, ideò vnxit. Videte ex quo prædicatur Christus: Quid sibi vult illa vnctio lapidis, præsertim apud Patriarchas qui vnum Deum colebant? factus est autem in figura, & discessum est. Non enim vnxit lapidem, & venit illuc semper adorare, & sacrificia ibi facere. Expressum est mysterium, non inchoatum sacrilegium. Et videte lapidem: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et quia caput viri Christus, propterea lapis ad caput. Attendite magnum Sacramentum. Lapis Christus, lapidem viuum ait Petrus ab hominibus reprobatum, à Deo autem electum; & lapis ad caput, quia caput viri Christus: & vnctus lapis quia à chrismate dictus est. Et videntur scalæ reuelante Christo à terra in cœlum, vel à cœlo in terram, & ascendentes & descendentes Angeli.] Quæ de scala consequenter attexit, fusiora sunt, quàm vt hic adscribantur: sunt tamen in hanc rem appositissima, & dignissima lectu. Breuiter sed scitè, eundem Christi typum proposuit Prosper 1. p. de promiss. cap. 23. nec non Rupertus in cap. 1. Ioan. columnam eum lapidem vocat Iustinus eum Trypho. Naz. orat. 20. num. 101. vbi insigniter Nicetas, scalam, Deiparam; lapidem, Christum exponens. Quæ de hoc lapide Christi typo habet S. Cyrillus l. 2. pentablibli cap. 2. recitabuntur cum de titulo *Christi* seu *Messiæ*. Videsis insuper Chrysostomum conc. 1. de Lazaro, Hieronymum in Psal. 33. & Gregorium Nyssenum de vita Mosis.

409. Addit S. Cyprianus, typum item Christi fuisse alios lapides, de quibus in variis priscis historiis. Quod breuiter eos attigerit, inuerit eum audire. [Hic est, (inquit,) lapis in Exodo, super quem sedit Moyses, in cacumine collis, quando Iesus Naue contra Amalech dimicauit, & Sacramento lapidis, & stabilitate sessionis, Amalech superatus est ab Iesu, id est, Diabolus à Christo victus est. Hic est lapis magnus in Βασιλειων primo, super quem posita est arca testamenti, quando eam ab Allophilis remissam & redditam, in plaustro boues reportauerunt. Item hic est lapis, in Βασιλειων. 1. Quo Dauid frontem Goliæ percussit & occidit, significans Diabolum & seruos eius inde prosterni, victa scilicet ea capitis parte, quam signatam non habent. Quo signo nos & tuti semper sumus, & viuimus. Hic est lapis, quem cum alienigenas Israël vicisset, statuit Samuel, & appellauit nomen eius *Abenneʒer*, id est *lapis auxiliator*.] Egregiè de hoc lapide philosophatur S. Gregorius l. 4 in 1. Reg. c. duo 7. sic scribens. [Tulit Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Maspha th & Sen, & vocauit nomen eius *Lapis auditorij*, dixitque: *huc vsque auxiliatus est nobis Dominus*. Lapis in sacro eloquio, Dominum & redemptorem nostrum significat. Lapis verò vnus à Samuele tollitur, cum à sanctæ Ecclesiæ prædicatore, redemptoris fortitudo singulariter prædicatur. Qui profectò inter Maspha t, & Sen præfigitur, quia in vitæ exitu electos protegit, reprobos confringit. *Sen* quippe *excussio* dicitur. Excussi autem sunt reprobi, id est, à fidelium societate separati. Dum ergo vsque ad locum subter Bethchar Philistæi cæsi perhibentur, lapis inter Sen, & Maspha t præfixus asseritur: quia dum electi Dei, victoriæ suæ titulum in fine percipiunt, redemptoris iudicio à malorum societate separantur.] Et mox. [Samuel autem hunc lapidem in medium ponit: quia nobis Redemptoris nostri bonitatem, sanctæ Ecclesiæ Doctor ostendit. Et quia omne quod à nobis in omni vita nostra prosperum geritur, diuinæ gratiæ adscribitur; aptè ab eo lapis ille, qui in medio statuitur, *lapis auditorij* vocatur. Ipse est nãque lapis auditorij, qui si nobis subuenire noluerit, vinci possumus, vincere nequimus. Dequo iam id medium posito dicitur; *Vsque huc auxiliatus est nobis Dominus*: quia eius præsidia, electos suos vsque ad æternæ retributionis tempora prosequuntur.]

Nominatim quoque lapidem magnum qui Iosue 24. dicitur statutus contra Dominum in testimonium Iudæis, fuisse Christi typum, Iulius Firmicus obseruauit l. de error. profan. Relig. c. 21.

410. Religio sit omittere petram illam consequentem, quæ bis percussa, facta est populo in fontes aquarum. Eam enim petram fuisse Christi typum, Apostolus ipse docuit. Binam verò eius percussionem, denotasse duo Crucis ligna per quæ nobis salus ex hac petra profluxit, accipe ex S. Augustino q. 35. in Numeros. [Quod de petra, aqua educta est, Apostolus Paulus quid esset expositurus vbi ait, *Et omnes eundem spiritalem potum biberunt. Bibebant autem de spiritali sequenti eos, petra autem erat Christus.* Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur. Sed quod virga petra percutitur, crux Christi figuratur, ligno enim accedente ad petram, gratia manauit; & quod bis percutitur, euidentiùs significat crucem. Duo quippe ligna, sunt crux.] Idipsum pulchrè ex Seueriani Gabalitani oratione retulit S. Damasc. referendus agendo de Christo capite.

Sed & petram super quam Gedeon sacrificium proposuit, huc refert S. Aug. serm. 108. de temp. verbis illis. [Gedeon cum audiret, quod per eum Dominus plebem suam à multitudine hostium liberaret, obtulit in sacrificio hœdum caprarum, cuius carnem secundùm præcepta Angeli, & azyma, supra petram posuit, & in eam ius effudit. Quæ simul Virgæ cacumine, quam gerebat, Angelus Dei contigit, & de petra ignis erupit, atque ita sacrificium, quod offerebatur, assumptum est. Per quod indicium, declaratum videtur, quod Petra illa typum habuerit corporis Christi: quia scriptum est, *bibebant autem de spiritali consequente eos, petra autem erat Christus.* Quod vtique non ad diuinitatem eius, sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata Crucifixus aboleret, nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi, ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est; *Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt. Quis nobis dabit carnem?* Quod igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua exiuit ignis, ostendit quod caro Domini repleta Spiritu diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram.* Aduertit igitur vir doctus & præsagus futurorum superna mysteria, & ideò secundùm oracula occidit vitulum à parte suo idolis deputatum, & septennem alium immolauit Deo. Quo facto manifestissimè declarauit post aduentum Domini omnia abolenda esse gentilitatis sacrificia, solúmque sacrificium Deo Dominicæ passionis pro religione populi deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Christi. Septem autem annorum erat, quia in Christo septem spiritalium plenitudo virtutum, vt Esaias dixit, habitabat.] Et inferiùs. [Petra illa super quam Gedeon obtulit holocaustum, Christus erat; sic enim, ait Apostolus, *Petra autem erat Christus.* Hœdus ille qui oblatus est, humanum genus peccatis obnoxium designauit. Quod Angelus Virga sua tetigit petram, & exiit ignis; & consumpsit hœdum illum: crux tetigit Christum; & de petra, quæ erat Christus, ignis exijt charitatis, qui humani generis peccata consumpsit. De ipso enim verus Gedeon Christus in Euangelio dixit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Taurus verò, quē occidit, & ipse Dominū figurabat, qui pro Redemptione generis humani oblatus est. Quod autem septē annorum erat, septemplicem gratiā Spiritus sācti, quæ in Christū venit, significasse videtur.]

Rursus

Ritus sacer Christianus, lapidem Christum præferens.

411. Inter sacros ritus Christianos, vnus est, quo Christus specie lapidis proponitur. Exhibeo illum veteris Ruperti l. 5. de off. cap. 28. vbi agit de igne qui certis diebus in Ecclesia excuditur è silice. [Lapis, cum de illo ignem sic excipimus, Christum significat, quem lapidem reprobauerunt ædificantes, qui factus est in caput anguli. Vnde & in benedictione eiusdem ignis, oratio talis est: *Deus qui per filium tuum, angularem scilicet lapidē, charitatis ignē tuis fidelibus contuliſti: produc ſlammā è ſilice, noſtris profuturum vſibus nouum hunc ignem ſanctifica* &c. Prudentius quoque in hymno suo, qui canitur in sabatho Sancto, cū dixisset, *lumina nos tamen monſtrat ſaxigenō ſemine quærere*: vt ostenderet fieri hoc, ad commemorandum illud, quod de lapide Christo procedit nobis ignis Sancti Spiritus, protinus adiunxit;

Ne nesciret homo, ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido corpore conditam,
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram,
Noſtris igniculis vnde genus venit.

Lapis ergo quem percutientes, ignem elicimus, Christum significat, qui percussus verbere Crucis, Spiritum sanctum nobis effudit.]

Abscissio lapidis sine manibus, Christi ex Virgine ortus.

412. Sequitur lapidis abscissio de monte sine manibus quæ appositissimè explicat Christi ex intacta Virgine procreationem. Sanè *excindi de monte*, seu *de petra*, iuxta Hebraïcam phrasim idem est quod *gigni*: iuxta illud Isaiæ 51. *Attendite ad petram vnde excisi estis & ad cauernam laci de qua præcisi estis: Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. Ben* item seu *lapis*, apud Hebræos dicitur *filius*. Sed cum lapis è latomiis excindi soleat multo ferramentorum & manuum conatu, iure Daniel tamquam rem plenam miraculi ponit, quod lapis abscissus sit è monte sine manibus; id est Christus & Deipara absque viri opera sit editus: quod egregiè illustrat appendicula cum qua Tertullianus, & SS. Ambrosius, ac Augustinus, & Prosper de promiss. p. 1. cap. 33. legunt verba Danielis; nempe *sine manibus concidentium*: quæ verba, ijdem Patres interpretantur de exclusione operis nuptialis. Quamquam & absque eo additamento, idem est sensus, vt D. Augustinus pulchrè tradit serm. 12. ex 40. nouis, & tract. 4. in Ioan. rursusque tract. 9. Docentque illa S. Hieronymi epist. 22. [Lapis Prædicatur abscissus de monte sine manibus, significante Propheta, Virginem nasciturum esse de Virgine. Manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, vt ibi, *sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*] Optimè idem tradit Iustinus agens cum Thryphone, & S. Irenæus lib. 3. c. 28. vbi alios signat Feua ardentius.

Apud eundem Iustinum ibidem, non multis ante locum allegatum pagellis, è loco hoc Danielis conficta ab adulteratoribus scripturarum narratio profertur de Mithra, quem saxo progenitum fingebant Mithragistæ, & quidem in spelunca. Nam speluncam idcirco vocabant locum in quo discipulos initiabant; non esse hæc incredibilia agnoscer, quisquis alias benè multas mimicas rerum Christianarum expressiones per Mythræ mysteria apud Tertullianum legerit c. 40. libri de præscript. & ad calcem libri de coro. milit. Ex eodem item Danielis loco depromptum fuisse aliud Ethnicum figmentum Dei ex petra nati, scribit Iulius Firmicus l. de errore profan. Relig. cap. 11. illud referens apud Ethnicos mysticū symbolum θεὸς ἐκ πέτρας. Sed quid si non è loco Danielis adulterato deprompeum sit hoc figmentum, sed ex illo Isaiæ 16. *Emite agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Mirabilis planè sœtura. Nam lapides quidem gigni ex lapidibus, (vt memorant lapidum quibus est perspecta facultas, apud Naz. carm. de laude Virginit. n. 8.) auditum plerumque est atque iactatum. Animalia tamen, & quidem perfecta, similiter edi, insolentius est. Quamquam angues è saxis enatos, Leo Albertus confirmat exemplo l. 2. de Archit. cap. 11. De canibus & buffonibus similiter è petra editis, exempla habet Neubrig. l. 1. hist. Angl. cap. 28. Sed catenula aurea circa collum buffoni sic edito circumdata, satanicum artificium in ea buffonis è saxo procreatione vel eductione detegit, vt benè censuit Delrio 2. Mag. q. 14. *sub initium*. Agnum ergo cum legissent Mythragistæ edendum è petra, qui tertæ dominator & Deus foret Sioni promissus, instigante Satana ad obscurationem Euangelicæ veritatis, vt ei non plus fidei haberetur quàm figmento nulla ratione subnixo, confinxerunt Mithram saxo progenitum. An etiam alluserunt ad arietis pro Isaaco immolati prosultum, imo vt nonnulli sunt arbitrati, procreationem è saxo, quam æquè fuisse orti è Virgine Christi imaginē, tradit S. Ephrem, orat. de Abraham & Isaac *in fine*. [Cum futuri essent, (inquit,) homines incredeli, qui fidem non præberent partui sanctissimæ Virginis, qua ratione potuerit sine virili contactu concipere; quasi fieri non posset: idcirco ex rupe arietem produxit, vt quod admirabile erat, ex hoc fidem acciperet; & quod quidquid voluntate ipsius diuinitatis imperatur, subsistit protinus. Sicut ergo ibi solo verbo diuinæ voluntatis, ouis in rerum naturam prodijt: ita & in Virgine, Verbum caro factum est. Et quemadmodum ouis, in planta seu virgulto Sabec ligata hærebat: sic etiam vnigenitus filius, in cruce clauis confixus pendebat. Propterea clamat Esaias, dicens: *Sicut ouis ad occisionem ductus est sine voce.*] Non præsto quod vir sanctus ait, arietem hunc è rupe esse productum. Nihil enim est necesse tantum miraculum comminisci, cum facilè Angelica opera aliunde aduehi potuerit aries. Tantùm itaque refero quid sancto Ephremo visum, idémque in mentem venire potuit Ethnicis illis de quibus agimus, cum in hanc de ariete narrationem, legendo incidissent.

Obtritio statuæ per lapidem euersio Idololatriæ & totius malitiæ per Christum.

413. Vt tamen affirmatam, Iulius Firmicus occasione loci Danielis in quo versamur, concinnatam hanc Ethnicam fabellam existimat. Eodémque insigniter accommodat effectum lapidis in montem magnum crescentis, móxque cadentis & comminuentis statuam, implentísque terram vniuersam. Statuam namque Idololatriam exponit, lapidem autem Christum. Hic lapis in montem crescit, imo in montem maximum, quia vt Orig. hom. 3. in Cant. latè prosequitur vt Sancti vel colles vel montes pro quantitate virtutis dici possunt, ita Christus *mons montium* potest appellari, æquè ac Rex Regum & Dominus dominantium. Concinnè S. Hilarius in Psal. 14. [Vt editissimæ humi partes montes nuncupantur, ita necesse est in his quæ cœlestia sunt, maxima atque sublimia sub montis nomine opinari. Et quid sublimius Christo? Mons autem eius est illud quod ex homine corpus assumpsit, in quo nunc habitat, & sublimis & excelsus super omnem principatum & potestatem & omne nomen. Super hunc montem ædificata est ciuitas quæ non possit abscondi, quia sicut ait Apostolus: Non est aliud fundamentum nisi Christus. Ergo quis qui Christi sunt, in Christi corpore ante constitutionem mundi electi sunt, & Ecclesiæ corpus est Christus & fundamentum ædificationis nostræ Christus est, & ciuitas super montē ædificata. Hic ille mons est, in quo quæritur quis possit esse requiescens.]

Crenit igitur lapis abscissus, in montem maximum,

non

non mole corporis sed virtutis quæ maximè se prodidit in contritione tot errorum, facta per Christi aduentum. Quare Firmicus cladem idololatriæ à Daniele sub eo symbolo lapidis statuam comminuentis prænunciatam arbitratur. Quamuis enim cum ea scriberet, Constantio & Constante Constantini Magni filiis imperantibus, palpitasse adhuc alicubi morientia idololatriæ membra testetur; addit tamen, quod nos effectu impletum videmus quoad terrarum spatia quæ ille nouerat, excindendam breui funditùs esse idololatriæ molem vniuersam, & Christum orbe toto imperaturum. Hæc Firmicus fusè ac sapienter. Estque quod gratulemur seculis Christianis tantum eis beneficium obtigisse per Christum. Quid enim fœdius irrationabilius, indignius, quàm hominem lapidi & ligno accidere?

413. Alia præterea est interpretatio statuæ illisu lapidis obtritæ & comminutæ quæ traditur ab Autore sermonis in illud, *Sapientia vincit malitiam* habetur *sub fin.* operum S. Bernardi: Nam tractans illud Apostoli, *Crucifixus est homo noster, vt destruatur corpus peccati*, censet statuam à Nabuchodonosore erectam, & à paruo comminutam esse corpus peccati. Hoc quid sit, & quomodo per Christum sit prostratum, sic docet. [Quid ergo dixerim corpus peccati? hoc meritò dixerim, imaginem quam impegit & confregit lapis excisus de monte sine manibus: cuius caput aureum; & cæterorum membrorum, fuisse describuntur quædam ex argento, quædam ex ære, quædam ex ferro, quædam ex luto & ferro. Caput est, malitia, quam superiùs saporem diximus mali. Vnde & per aurum exprimitur, quo nimirum Sapientia in scripturis designatur. Medium verò corporis, id est, pectus & brachia, ex argento fuisse memorantur. Argentum est lucidum & sonorum, cuius sonoritas demulcet auditum, & claritas visum oblectat. Vnde per visum curiositas designatur, quæ in his duobus sensibus, visu videlicet & auditu, maximè viget, quia per ipsos, vtpotè principaliores corporis fenestras, mors crebriùs & leuiùs intrare consueuit ad animas nostras. Per ventrem autem & femora (vbi libido dominatur,) designatur voluptas: quæ ex ære fuisse describuntur, quod similiter lucidum est & sonorum: quoniam eò vsque malitiæ rabies incanduit, vt flagitiosi & coinquinati homines, non solùm in spurcitia delectari, sed etiam in infamia consueuerint gloriari: vtpote *qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Vnde prauo suo exemplo, corrumpunt & eos qui longè, & eos qui propè sunt: proximos videlicet mala conuersatione, remotos autem mala conuersationis opinione. Illorum oculis lucentes, istorum auribus insonantes. Tibiæ quæ molem sustinent corporis, ferreæ dicuntur. Squama squamæ coniungitur, & totam sustinet machinam peccati praua & more ferri indurata voluntas. Quare enim peccas? Quia nescis quid facias? Absit. Quia cogeris vt facias? Absit: Sed quia placet vt sic facias. Imbutum ergo & suffocatum veneno diaboli voluntatis desiderium, fomes sceleris, & virus flagitij solum est, quod obturat aures, vt non audiant vocem incantantium & veneficij incantantis sapienter. Per pedes, quorum pars quædam erat ferrea, quædam fictilis, opera signantur tenebrarum, quibus ad notitiam peruenitur hominum. Lutum & ferrum benè sibi nimirum non cohærent. Per lutum, operum immunditia; per ferrum mentis pertinacia designatur. Quæ licet ad horam coniungantur, diu tamen cohærere non possunt. Ducis siquidem in bonis dies tuos, sed in puncto descendens ad inferos. Lapis ergo priùs pedes comminuit, quia fortitudo & firmamentum nostrum Iesus Christus, dat denique voci suæ vocem virtutis. Vnde tonitrum vocis eius factum in virtute, interiora concutit, & per timorem, mentis pertinaciam frangit. Deinde à vanitate sæculi peccatore auulso, opera destruit per confessionem. Bona consequenter desideria immittendo & ea in bonis adimplendo, sanat voluntatem. Atque sub iugo disciplinæ obturando aures ne audiant sanguinem, claudendo oculos ne videant malum, expellit curiositatem. Et sic ad vltimum sapiens & placens homo Deo, caput aureum statuæ confringit, dum saporem mali (quem malitiam diximus) à præcordiis animæ, penitùs auellit.] Hæc interpretatio eo magis placet, quo congruentior est illi Danielis de Christo sententiæ, venturum Christum vt destruatur & finem accipiat peccatum.

Statuæ obtritæ de orbe interpretatio, eodem reuoluitur.

414. Non repudio tamen illam plurimorum interpretationem literæ satis cohærentem, quæ fert, Christum omnia regna comminuturum & sibi subiecturum. Prosper scitè eam tradit p. 2. de promiss. cap. 33. [Quatuor regna in quatuor metallis è quibus statua formata ante faciem eius aderat. Mundo exurgere caput aureum, ipsum esse babylonicum Orientis: Pectus & brachia eius argentea, Macedonum Septentrionis: Venter & fœmora ærea. Punicum Meridiani: Cura ferrea & digiti pedum partim ferrei, partim fictiles, vltimum Romanum, videlicet Occidentes: sicut & vir eruditissimus Orosius Historiographus posuit. Quod regnum tanquam ferrum comminuit omnia, & domuit. Christi quoque regnum subiungit Daniel, in lapide abscisso de monte sine manibus concidentium, tanquam, *sine manibus complectentium*, Deum hominem ex Virgine natum. Qui cum illam statuam percussisset, omnes eius partes redegit in puluerem; eoque auferens spiritus ventri, locus eius inuentus non est: ipsum autem lapidem, qui percussit statuam, factum esse montem magnum & implesse omnem faciem terræ. Vacuatis enim omnibus regnis, regnum Christi Domini exurget, quod nulli alteri populi relinquetur, quoniam permanebit in æternum. Hoc nunc orando, omnis eius petit Ecclesia, cum dicit; *Adueniat regnum tuum.*] Præiuerat S. Augustinus serm. 12. ex 40. nouis, his præter cætera. [*Vidi*, (dixit Daniel,) *& ecce lapis abscissus de monte sine manibus.* Non hoc dixit, *sine manibus erat lapis ille*; sed sine opere humano præcisus lapis de monte. Non humanæ manus accesserunt, vt lapis de monte præcideretur. Nouit charitas vestra, quia non præciduntur lapides de monte nisi accedentibus manibus humanis. Ille autem præcisus est de monte sine manibus: & venit, & confregit omnia regna terrarum. Nescio si versatur ante oculos vestros nisi Christus, de quo dictum est, *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* Ipse confregit omnia regna terrarum. Superbus Rex ante se nullum regem vult habere. Modò omnes reges Christum habent regem. Et quid dicit iste. *Creuit lapis ille, & factus est mons grandis, ita vt impleret vniuersam faciem terræ.* Iam puto, quia agnoscitis Christum.] Præclarè omnino hanc statuæ per lapidem Christum contritionem, prosequitur Philippus Abbas in calce commentariorum in Cantica; sed quod fusa admodum sit eius oratio, tempero eius exscriptione.

Hanc interpretationem probè cohærere cum ea quæ præmissa est, & statuæ comminutionem, refert ad corporis peccati, nominatimque Idololatriæ euersionem, liquet ex iis quæ inferiùs subijcit S. Augustinus; nimirum lapidem hunc regna omnia comminuisse, idem esse quod lapidem angularem subegisse regna Dæmonum, & omnes Reges quatenus satanæ mancipatos humiliasse, ac in sua iura transcripsisse. Quid quod omnia temporaria regna, omnésque principatus eò tendunt ex sua institutione, vt animarum æternæ saluti prospiciatur: quod peccatorum, eliminatione,

virtu

virtutumque exercitatione præstetur. Quare Christum dominisse omnia regna, sibique ac legibus suis subiecisse idem planè est quod vbique secuisse virtutes, euertisse peccata; quæ est merces illa magna aduentui Christi & laboribus constituta, cum dicitur hic fore Christi venturi fructus, *vt destruatur peccatum, & induatur iustitia sempiterna.*

Vsus doctrinæ.

415. Vsus doctrinæ esse debet, vt euersum à Christo regnum peccati, nominatimque Idololatriam, instaurare caueamus: quod faciunt quotquot Christiani, labores Christi reddunt cassos, & peccato rursus aut Idololatriæ dant operam. Diuinè id prosequitur Orig. hom. 2. in Iudice ex Apostolo Rom. 11. quem monstrat Baalis cultores siue idololatras pronunciasse sui temporis Iudæos, qui ex fide sua non viuebant. Tũ addit. [Vnde constat quia & nos quotiescumque peccamus, quòd captiui ducemur in lege peccati, genua nostra curuamus Baalim? Sed non in hoc vocati sumus, nec ad hoc credidimus, vt iterum seruiamus peccato, & iterum genua flectamus Diabolo; sed vt flectamus genua in nomine Domini Iesu, quia in nomine Iesu, omne genu flectitur, cœlestium, & terrestrium, & infernorum: & vt flectamus genua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Sed quid mihi prodest si genua corporis mei ad orationem veniens flectam Deo, & genua cordis mei flectam Diabolo? Si enim non stetero firmus aduersum astutias Diaboli, flexi genua mea Diabolo. Et si non constanter stetero aduersum iram, flexi genua mea iræ. Similiter & si non constanter restiteto libidini, flexi libidini genua cordis mei: & in singulis quippe quæ contraria sunt Deo, hoc facere videbor, nisi constanter & fortiter stetero, ficti & illi fecerunt, quia coluerunt Baalim, & dereliquerunt Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti. Non igitur putemus, qui videmur simulachra non colere, propterea hæc non & ad nostrum quoque pertinere. Vnusquisque quod præ cæteris colit, quod super omnia micatur & diligit, hoc ei Deus est. Denique hoc est quod ante omnia, & super omnia per mandatum suum Deus deposcit ab homine, *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*: præ occupare quodam modo ergo se cupiens hos humanæ mentis affectus, & sciens quia quod ex toto corde dilexerit quis, & ex tota anima, atque viribus totis, hoc ei Deus est. Discutiat nunc vnusquisque semetipsum, & tacitus ex suo corde recenseat, quæ in eo potissimùm & super cætera omnia, flamma amoris exæstuet; quis sibi attentior cæteris foueatur affectus. Vos ipsi de his habete iudicium, & in statera hæc vestri examinis appendite, & si quid est quod in dilectionis lanis præponderet, hoc tibi Deus est.] Idololatriam igitur à Christo prostratam atque contritam, instaurat, quisquis peccatis & affectibus suis seruit: eoque ipso labores Christi irritos reddit, quæ est iniquitas maxima, omni studio auersanda.

CAPVT XII.

Virga Aaronica frondes, flores, fructus; productionis Christi, & nostra per eum salutis, symbola.

416. GRandibus omnino mysterijs fœtam esse virgam Aaronicam de qua Numer. 17. ex tam multiplicibus de ea interpretationibus SS. Patrum, patere perspicuè potest, & ex longissima Maximiliani Sandæi disputatione l. 6. Theol. Symb. commentatione 3. exerc. 5. Nos ijs dumtaxat quæ in ea ad Christi productionem propter nostram salutem spectant, insistemus; & ipsam virgam considerantes, & tria in ea secernentes; videlicet frondes, flores, fructus seu nuces. Hoc enim ordine, huius virgæ miracula recensuit Scriptura. Quod namque obseruauit S. Augustinus serm. 99. de temp. consuetudinis suæ rem faciens Deus, cum dumtaxat in signum electi in Sacerdotem, promisisset germinaturam virgam eius, ibi non stetit; sed vltra germen addidit frondes: nec hoc tantùm, sed & flores, insuperque etiam nuces. Expendamus singula.

Aaronis virga, typus Christi, iuxta Augustinum.

Virgam Aaronicam S. August. serm. illo 29. interpretatur, Christi summi Pontificis vetique Aaronis crucem. [Sicut enim virga Aaron germinauit in populo Iudæorum, ita crux Christi floruit in populo gentium. Verùm quoniam vt sæpè ostendimus, verus Pontifex Christus est, ipse solus est cuius virga crucis, non solùm germinauit, sed & floruit, & omnes credentium populorum fructus exhibuit. Quis autem iste est fructus, quem attulit? *Amygdalas*, inquit: Amygdalæ, (fratres.) nuces sunt. Qui fructus primo indumento amarus est, sequenti munitur ac tegitur, tertio fumentem pascit ac nutrit. Talis ergo est in Ecclesia Christi, doctrina legis ac Prophetarum.] Tres illas partes accuratè secernit in doctrina sacra, concluditque idcirco dictum, sapientiam esse in corde describendam tripliciter. Imò eandem ob causam inferiùs expressum in virga Aaronica Christum ipsum significat; & idcirco ad Christum refert visum Ieremiæ de virga, & hortum nucum à sponsa descriptum [Quia (inquit,) Sacramentum sacerdotale est virga nucis idcirco arbitror etiam Hieremiam qui erat vnus ex Sacerdotibus ex Anathot, vidisse virgam nuceam, & prophetasse de ea, illa quæ scripta sunt, vel de virga nucea, vel de lebete siue olla succensa, quasi ostenderit per hæc, in virga nucea esse vitam, & in lebete succensa esse mortem. Vita enim & mors, ponitur ante faciem nostram; Et vita quidem Christus in Sacramento nucis, mors autem Diabolus in figura lebetis succensi. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum olla succensa. Si autem iustè egeris, efficietur portio tua in virgam nuceam, cum magno Pontifice. Sed & in canticis canticorum, sponsa dicitur descendisse in hortum nucis. Vbi etiam pariter cum nucibus, sacerdotalium quodammodò pomorum copiam, perscribitur inuenisse.] Sub alijs quoque typis exhibitum Christum, vt virgam, mox dicam ex Bernardo, & inferiùs ex Origene.

Vel potiùs Deiparæ,

417. Hæc vt probabiliter & aptè dici non eam inficias, commodius tamen huic loco est, quod idem S. Augustinus affirmat serm. 4. de temp. agnoscens virgam Aaron germinantem, fuisse typum Deiparæ. Impugnat eo loco S. Augustinus, Iudæum aduersantem Virginitati S. Mariæ, illo nixum blasphemo effato, *contra naturam parere Virgo non potuit.* Prolata igitur virga Aaronica sic castigat Iudæi peruicaciam. [Virga ecce protulit quod ante non habuit; non radicata plantatione, non defossa furculo, non animata suco, nec fœcundata seminatio; & tamen cum illic deessent vniuersa iura naturæ; protulit virga quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces educere; virgo non potuit contra naturæ iura Dei filium generare. Dicat igitur mihi Iudæus incredulus, quemadmodùm arida virga floruit, & fronduit, & nuces protulit: & ego dicam illi quemadmodùm virgo conceperit & pepererit. Sed profectò Iudæus, nec conceptum poterit virgæ explicare, nec virginis partum: veniat ad Ecclesiam, exponatur illi, vt agnoscat verum ordinem officij naturalis

Virgo peregit tempora pariendi : virga autem non habuit tempora germinandi. Virgo habuit tempora pariendi, virga autem alio die, quod natura non habuit, protulit. Illa enim decursis nouem mensibus peperit, virga alia die quod natura non habuit germinauit. Virginem, dicit Iudæus, patere natura non patitur, Deus enim qui innumeris mirabile signum ostendit contra naturam, vt asina loqueretur, ipse mirabilius facere voluit, vt Christus de Virgine nasceretur.] Rursus paulo post. [Virga illa (vnde agebamus,) Aaron, Virgo Maria fuit, quæ nobis Christum verum Sacerdotem concepit & peperit, de quo Dauid cecinit, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Superiori namque versu iam dixerat, *Virgam virtutis tuæ, emittet Dominus ex Sion.* Et Esaias Propheta apertiùs Mariam Sanctam designat dicens, *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus.* Quod ergo hæc virga nuces produxit, imago Dominici corporis fuit.]

418. Veniunt in eandem sententiam, & virgæ Aaronicæ de Deipara interpretationem, complures alij è Patribus- S. Cyrillus Catech. 12. confutans Iudæum nati è Virgine Christi inficiatorem. [Virga Aaron, quod reliquæ arbores per annos plures faciunt, hoc per vnam noctem fecit. Quis enim nescit, quod virga cortice destituta, etiam si in medijs fluminibus plantetur, nunquam florebit. Sed cum Deus non naturam arborum sequatur, verùm naturæ est factor, etiam infructuosa; siccaque virga, & sine cortice effloruit, & nucum fructum protulit. Qui igitur virgæ, propter typicum summum Sacerdotem præter naturam fructum tulit : nunquid virgini, & verum Sacerdotem summum pareret, hoc non conferret.]

Pulcherrimè S Bernardus hom. 2. super *missus est*, varia Deiparæ in Scripturis symbola proferens, hæc addit inter cætera, cum deuenit ad virgam Aaron. [Quid rogo virga Aaron florida, nec humectata, nisi ipsam concipientem, quamuis virum non cognoscentem? huius magni miraculi maius mysterium Esaias edisserit, dicens, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; Virgam, Virginem; florem, Virginis partum intelligens. Sed si tibi quod nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur aduersari sententiæ, qua non Virga flore, sed floris fructu designari dicebatur; noueris in eadem Aaronica Virga, (quæ non solùm floruit, sed & fronduit, & fructum emisit,) non solùm flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus, eundem significari. Noueris & apud Moysem, nec fructu Virgæ, nec flore, sed ipsa Virga demonstrari. Illa vtique Virga, qua feriente, aqua vel diuiditur transituris, vel de petra excutitur bibituris. Nullum autem inconueniens est, diuersis rebus, diuersis ex causis Christum figurari : & in Virga quidem potentiam, in flore verò fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem : in frondibus quoque sedulam eius intelligi protectionem, qua videlicet paruulos de se confugientes sub vmbra alarum suarum protegere non desinit, siue ab æstu carnalium desideriorum, siue à facie impiorum qui eos afflixerunt. Bona & desiderabilis vmbra sub alis Iesu, vbi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. *Miserere mei Domine* Iesu, *Miserere mei quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarũ sperabo, donec trãseat iniquitas.* In hoc tamen Esaiæ testimonio, florem filium, virgam intellige matrem : quoniam & Virga floruit absque germine, & Virgo concepit non ex homine. Nec virga virorem floris læsit emissio, nec Virginis pudorem, sacri partus editio.]

419. Posset non absre, in eandem sententiam laudari Richardus Victorinus opusc. de comparatione Christi ad florem, & Mariæ ad virgam. Nam multus est in facienda B. Virginis contentione cum virga : & cum eam virgam & florigeram & fructiferam exhibeat, alluisse videtur ad typum in quo versamur. Sed quod in actu (vt sic dicam,) signato, non meminerit virga Aaron, florigeræ ac fructiferæ, adduco potiùs eius loco S. Ildephonsum serm. 6. de assumpt. Cuius tamen priùs emendanda est immemoria, qua miraculum frondentis virgæ, differt in diem tertium : cum scriptura prodat id factum die secunda. Immemoriam ingessisse videtur S. Ildephonso quod S. Gregor. 14. Mor. cap. 29. floreſcentem priùs aridam Aaronis virgam adaptans Christo resurgenti, ait Christum virgam mysticam, triduo post reuixisse & floruisse quibus verbis S Gregorius, non ad historiam sed ad inædificatam ei allegoriam respexit. Sed ad rem. [Quid aliud præsignabat (ait Ildefonsus,) virga illa Aaron, quæ in tabernaculo Domini posita, tertia die inuenta est germinasse? Iamque dilatatis foliis erumperant flores, qui turgentibus gemmis in amygdalis deformati sunt. Virga ista, sacra est Virgo Maria, quæ neque sata, neque radicata, sine vllo cultore, tertio die, hoc est tertio seculi tempore sancto Spiritu est fecundata, nobisque Deum genuit & hominem Christum : cuius vtraque substantia, benè per amygdalam est figurata.]

Vigilius pulchrè typum quem prosequimur proposuit l. 3. contra Eutychem *non multum ab initio*, sic scribens. [Si generis suæ naturæ germina & fructum propriæ qualitatis ex sese ligna producunt, non dubium est, Iesseicæ radicis Virgam, beatam videlicet Mariam, naturæ suæ germen, id est, Dominum Iesum ex suæ carnis materia protulisse. In cuius inclyti Sacramenti mysterium, sacerdotis Aaron virga, absque opere & subsidio terreni cultus, absque consuetis & legitimis coralis ministerij alimentis, in tabernaculo federis posita germinauit, manifesto satis & aperto designans indicio, Maria Virginem absque terreni, id est humani seminis officio, Christum Dominum pariturum. Quod & in Daniele certo futuri mysterij præsagio demonstratur, dum sine manibus excidi lapis de monte videtur, id est Christus sine humani coitus opere, de Virginis corpore nasciturus ostenditur. Quis tam stolidus, atque mentis erit alienæ vt lapidem credat de monte sine manibus excisum, & non credat Christum de corpore Virginis sine semine natum, cum Magis illud tantummodò visum, hoc autem veracissimè factum fuerit, quia vt crederetur quod mirabiliter futurum erat in Christo, mirabilis eiusdem facti præcessit imago; vt sicut lapis sine manibus excidi de monte, & sicut Virga germinare potuit sine cespite, its Christus de Virgine nasci potuerit sine semine. Quod etiam Iacob in suis benedictionibus declarat, dum sub persona Iudæ, prophetiam appellat, & dirigit in Christum dicens; *Ex germine fili mi, ascendisti* Non ait *ex semine*, sed *ex germine*, illius sine dubio Virgæ, quæ de Iessicorta radice, nouo miraculi genere, Christum Dominum germinauit.] Denique Bruno in allegorijs Tilmanni in cap. 25. Exodi, virgam Aaronis ex arida florentem interpretatur B. Mariam, quæ arida & sine semine peperit Dei filium. Scatent similibus Virgæ Aaronicæ ad Deiparam accommodationibus, scripta sanctorum. Idem perpulchrè habet Philippus Abbas l. 1. in Cant. c. 16. [Noctis (inquit) virgam Aaron aridam, die altero fronduisse, & fomentis naturalibus non adiutam, nuces nouitate mirabili protulisse : In qua nulli dubium quin rectitudo Virginis figuretur, quæ stupente natura, virum nesciens, ad pariendum filium promouetur.]

Eiusdem Virgæ Aaronicæ, adiuncta omnia in Christo.

240. Quando igitur virga Aaron tam bellè Deiparam adumbrauit, age tria illa quæ dixi, in Deipara Christum concipiente consideremus : emissionem inquam frondium,

frondium, florum, & fructuum. Delineatam esse his omnibus Christi ex matre incoinquinata productionem, certum est. Nec est quod quis miretur, tam varia tamque seiuncta symbola de eadem re accipi, & Christum ex matre prodeuntem incorruptè, germen, ac florem, & florem, æquè ac fructum dixi. Nihil enim interest, (ait Guerricus serm. 2. de annunc.) [Siue germen, siue fructum, aut florem dixeris, cum hæc omnia, immo infinita alia, vnus Christus sit. Res vna, sed multiformis gratia, & virtutis vnius operatio multiformis, cui si infinita nomina paupertas humani sensus, & sermonis, pro similitudine commendauerit, rei tamen implere significationem non poterit. Benè autem simul vocatur germen, & flos, & fructus, qui sine gradu profectus ab initio conceptus sui, omni virtute & gratia in se ipso extitit perfectus. In nobis enim, primum germen est, cum fides in confessionem prorumpit, vel opus manifestum: postmodùm flos, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei, quodam speciabili decore virtutum. Demum autem fructus, cum beatitudo faciat hominem consummatum.] Quia ergo in Christo contrarium planè accidit; eiusque simul & semel, inchoata prouecta & consummata fuit perfectio, meritò cypris illis, totidem in nobis status exprimentibus, delineata est cœpta simul & perfecta Christi sanctitas.

Ac primùm frondes.

421. Frondes Virgæ, Verbum hominem factum, satè exhibent. Quid enim homo nisi folium quod vento rapitur? Non scripturæ modò, sed & exterorum libri, eam comparationem libenter vsurpant, quia humanæ naturæ labilitatem & caducitatem, commodè repræsentat. Pyrrhoni Academico, fuisse semper in ore versus illos ex 6. Iliados, Laertius autor est.

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum:
Quorum hæc, ventus humi fundit; rursum illa virescens
Profert sylua, simul veris iam afflauerit aura.

Et Aristophane hæc profert Clem. Alexan. 4. Strom cap. 4. [Agite obscuræ vitæ homines, generationi foliorum similes, imbecilli, ceræ figmenta, foliorum instar vmbras reddentia, enanidi, inuolucres, vnius tantum diei vitam habentes.] Itaque folium aptissimè exhibet humanam conditionem, & nostræ naturæ fragilitatem.

Eo vsque demisit se Deus nostri causa, id est quod paulo ante ex Bernardo audisti, vt esset nobis ab æstu vmbraculum, & à concupiscentiarum ardoribus tegeremur, rotæque natiuitatis nostræ à gehenna inflammatæ, sub his foliis temperatio accederet. Est planè hoc folium quod numquam defluit, vt habet Psal. 1. quem locum de Christo accipit ibi S. Chrysostomus. Nec minus perspicuè Apocal. 22. folia Christi dicuntur esse ad sanitatem gentium. De eo namque intelligunt ea verba, Ansbertus, Richardus, Rupertus, Ioachim Abbas, & complures alij. Sunt autem ad sanitatem gentium, id est ad conciliandam orbi vniuerso remissionem peccatorum, & curationem à malis omnibus, tandemque felicitatem in qua sola locum habet vera sanitas, vt dico in Morale dist. 1. n. 260. Hæc sunt illa Christi folia, ad quæ Ethnicos ab Origene inuitatos prodit Epiph. hæresi 64. *initio*. [Tempore quodam (inquit) deraserunt ipsum Græci, & ad ascensum simulacri, Serapi appellati, locarunt, iusserunt frondes palmorum porrigere his qui ad nefarium opus & adorationem simulachri ascendebant. Talem enim habitum ferunt sacerdotes eius simulachri. Ipse verò acceptis frondibus, magna voce ac confidenti mente, nihil timens, neque hæsitans, clamabat dicens: Venite accipere non frondes simulachri, sed frondes Christi.]

Item flores.

422. In flore, qui cum frondibus ex Virga progeminauit, Christum ex matre Virgine editum insinuari, multa demonstrant. Neque enim ad æternam generationem placet recurrere cum S. Dionysio cap. 2. Diu. Nom. parte 1. *sub fine*. vbi Filium & Spiritum sanctum vocat, *germina plàtata diuinitus & veluti flores, ac supersubstantialia lumina*; sed sisto in productione temporali, secundùm quam, Verbum est homo. At quid homo, iuxta frequentissimum scripturarum & profanorum etiam auctorum vsum, nisi flos? Legendus qui elegantissimè id versat S. Basilius hom. 5. hexaëm. & S. Gregorius 11. Mor. cap. 27. circa illud, *homo natus de muliere, quasi flos egreditur & conteritur*. Perpulchrè Clem. Alexand. 1. Pædag. cap. 8. liberos ex coniugio. existentes, vocat [matrimonij flores quos quidem carnalium pratorum diuinus colligit agricola.] Itaque Christus homo, scitè floris specie exhibitus est.

Eoque spectauit diuinum consilium vt Christus conciperetur in Nazareth, quod nomen interpretatur *flos*, ait S. Bernardus hom. 1. super missus est, addens flores Christi fuisse anteriora illa Christi prænuncia signa atque ænigmata, quæ Christo fructu sublimi adueniente, deciderunt & aruerunt. Decidit enim & emarcuit vniuersa Hebreæ gentis ac religionis speciositas, Christo prodeunte. Non incommoda interpretatio. Sed illa commodior, vt flos sit ipsemet Christus, qui [voluit concipi flos in flore, intra florem, id est intra Nazareth quod interpretatur *flos*, vt fieret ipse flos florens, hoc est *Nazarenus*. Concordant omnia flori. Concipitur flos manens in flore hoc est in Nazareth.] Verba sunt autoris tractatus de pass. Dom. sub imagine vitis veræ cap. 17. qui *florem cœli*, (sic etiam loquitur de Dei verbo,) flori terreno subitantiæ Beatissimæ Virginis illigatum, pluribus prosequitur.

Non defuerunt qui Christum alia ex causa Nazarenum dictum, censuerint: Nimirum à legali Nazaræatu, quo perfunctum Christum existimant. Videturque eis suffragari illa notatio nominis Hebraici *Nazarenus*, à separatione, grauibus plerisque autoribus arridens: vt Hieronymo, Eusebio, Nazianzeno, quos adducit Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 50. Nazareni quippe legales, ob insignem sanctimoniam, separati erant à vulgo Hebræorum. Astruunt eam Hebreæ vocis notationem, qui volunt eam vocem Hebraicè scribi per *Zaïn*, vt Hieronymus à Rüa Controu. 4. positiua, & Leo Castrius Isaiæ 11. Vbi Cornelius quoque, ad versum 1. testatur, se cum cutiosè scrutatus esset titulum Christo pendenti superpositum qui in æde S. Crucis in Ierusalem Romæ asseruatur, deprehendisse, vocem *Nazareni* in eo titulo, per *Zain*, scriptam potiùs videri. Et non esset quidem difficile monstrare, qua ratione Christus, attenta hac vocis illius notatione & notione, dici potuerit *Nazæus*, vel *Nazarenus*: Fuit enim verè separatus, non modò à vulgo Iudæorum, sed ab omni planè cœtu creaturarum, tametsi sanctissimarum. Egregiè omnino de Christo Nazaræo, iuxta hanc vocis notionem ac ethymologiam, disserit Rupertus in cap. 2. Matthæi, ad illud. *Quoniam Nazaræus vocabitur*. Ibidemque, verba illa Iacobi Genes. 41. de benedictionibus & suis & antiquorum omnium Patrum prolatis, *Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos*, nec non ritus omnes legalium Nazaræorum, Christum respexisse confirmat; quo ipso satis insinuat legalem Christi Nazaræatum, qualem pro Deipara astruere nititur Baptista Poza l. 1. Elucid. tract. 7. cap. 10

423. Reuera tamen non fuisse Christum legalibus Nazaræis annumeratum, verisimilius apparet: Idque longa disputatione euincit Alfonsus Mendoza q. 5. positiua à num. 9. qui contendit, Christum dictum esse

Nazaræum à patria Nazareth, vel à florulentia, quam ſert nomen *Nazaræi*. Vnde eam vocem Hebraicè, aſſerit ſcribi per *Tſade*; quod al; item plerique tradunt, & nominatim Viegas in c. 12. Apocal. comment. 3. ſect. 22. & Barrad. t. 1. lib. 10 cap. 11. Multus etiam eſt in ea vocis ethymologia vindicanda Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 50. Ratio quoque aperte, legalem illum Chriſti Nazaræatum refellere videtur. Chriſtus enim, prudentiſſimè, communem vitæ formam delegit, vt omnibus omnia fieret. Videndus D. Thomas 3. p. q. 40. *ferè per totam*. Atqui ſi Nazaræorum legalium inſtitutum ſuſcepiſſet, non ſeruaſſet communis vitæ tenorem. Quid quod & vinum bibere ſolebat, vnde ab impijs criminatoribus, vini potator audiuit, & paſſim accedebat ad vita functos, quæ duo legales Nazaræi omni ſtudio vitabant? Itaque Chriſtus non eſt dictus *Nazaræus*, aut *Nazarenus*, quod Nazaræorum legibus inſtitutiſque aſtringeretur; ſed vel ab habitatione diuturna in vrbe Nazareth, quæ eſt Abulenſis ſententia in c. 13. Matth. q. 79. vel certè à florulentia, nomine Nazaræi expreſſa, iuxta vocis huius notionem, quam aiebã fuiſſe probatã autori tractatus de paſſ. apud Bernardum. Indubitatus Bernardus idem pro more mellitiſſimè proſequitur ſerm. 2. de aduentu, his præter cætera. [Virgo Dei genitrix, virga eſt, flos filius eius, flos itaque filius Virginis, flos candidus & rubicundus, electus ex millibus. Flos in quem proſpicere deſiderant Angeli, flos ad cuius odorem reuiuiſcunt mortui: & ſicut ipſe teſtatur, flos campi eſt, & non horti. Campus enim ſine omni humano floret adminiculo, non ſeminatus ab aliquo, non defoſſus ſarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, ſic Virginis aluus floruit, ſic inuiolata, integra, & caſta Mariæ viſcera, tamquam paſcua æterni vitoris, florem protulere, cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marceſcat.] Copioſiùs idem tradit ſerm. 47. in Cant. vbi de Chriſto flore campi, nec ſulcati vomere, nec defoſſi ſarculo, nec fimo impinguati, nec manu hominis ſeminati: quod eſt alijs verbis idipſum dicere quod nos de flore è virga non humecta, ſubitò & citra omnem humanam operam prodeunte propoſuimus, conſentaneè ad ea quæ de hoc flore è deſerto prodeunte, dixit S. Hiero. in Epitaphio Lucinj Boetici *initio*. Sed præſtat in virga flore ſiſtere.

Virgo Dei genitrix, (inquit Richardus Victor. Opuſc. de virga & flore ad Mariam & Chriſtum collotis,) virga eſt, flos filius eius: O quam benè, quam rectè flos dicitur, qui ex Virga Virginali producitur. Quid flore tenuius, qui flore tenerius? Quid ad tactum lenius, quid ad portandum leuius? quid flore formoſius, quid flore fragrantius, quid flore fructuoſius ſi effectum attendimus? In flore namque mellificatio, ex flore fructificatio. Ex flore itaque, fauus & fructus. In fauo mel & cera: in fructu potus & eſca. Si parua ſunt iſta, adde quia & in flore eſt medicina. Quid namque flore tenuius cum aſtringitur? quid tenerius cum atteritur. Quid lenius cum attrectatur? quid leuius cum portatur? quid ſpecioſius cum aſpicitur? quid fragrantius cum odoratur? quid vtilius, ſi effectus attenditur? Septem itaque ſunt quæ in flore miramur: tenuitatem, teneritudinem, lenitatem, leuitatem, pulchritudinem, odorem, vtilitatem. Ex his itaque collige, Virginis ille filius, qualis inuenitur ab illis quibus in florem vertitur.

424. Eodem ferè modo Orig. t. 1. in Ioan. *ſub finem*, Chriſtum quibuſdam florem eſſe dixit, alijs virgam. Nam de Chriſto accipit illud, *viſitabo in virga iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo*. Iis igitur qui ſeruantur, florem eſſe Chriſtum dicit, ſuauiſſimum & fragrantiſſimum: pereuntibus verò, virgam qua corripiantur, & conterantur. Hanc ex Origene doctrinam, expreſſit apertè S. Auguſtinus in calce ſermonis 99. de temp. Quamquam magis probat Origenes, vt dicatur; ijſdem Chriſtum virgam eſſe ac florem; quod non aliud ſit flos, quam virgæ extremitas: ac proinde ſtatuit, Chriſtum florem eſſe, quatenus non intra primum ſuum ſtatum manſit apud Deum vbi in principio erat, ſed à ſeipſo quadantenus egreſſus, factus eſt Verbum homo; quod Origeni eſt, è Virga florem aſcendere. Sic igitur ortus eſt Chriſtus *flos florum*, prout eum nominat Petrus Damiani ſerm. 1. *in fine*, & floruiſſe in prima ſua generatione Chriſtum monſtrat, quod in ſecunda dictus eſt refloruiſſe: Expendit id perpulchrè S. Maximus hom. 5. de Paſch. *in fine*. [Depoſitis (inquit) corruptelæ corporalis exuuijs, rediuiua carnis aſſumptione refloruit, ſicut ipſe ait per Prophetam; *& refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi*; Refloruit (inquit) caro mea. Videte quo verbo vſus eſt. Non ait, *floruit*, ſed *refloruit* Non enim refloreſcit, niſi quod ante floruerit. Floruit autem caro Domini, cum primùm de Mariæ Virginis illibata vulua proceſſit. Sicut ait Eſaias dicens: *Exibit virga de radice Ieſſe & flos de radice eius aſcendet*. Refloruit autè, cum ſuccíſo per Iudæos corporis flore, rediuiua de ſepulchro reſurrectionis gloria germinauit, & in floris modum, odorem paritet & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflauit: odorem bonorum operum ſuauitatem circumferens, nitorem & incorruptelam perpetuæ diuinitatis oſtendens.] Floruit igitur Chriſtus in effectione ex matre, tuncque ſe prodidit *florem ex flore*, vt pulchrè loquitur Guerricus ſerm. 1. de Natiu. Virg. in fine, natus de Virgine Virgo. Eodem refertur ritus ſacer roſæ aureæ; nam quamuis ſunt aliæ præterea cauſæ ritus illius quas ſigillatim perſequitur Innoc. III. ſerm. 2. de Domin. 4. Quadrag. & illuſtrare licet ex alijs qui eum ritum attingunt vel explicant, vt Bleſenſis ſerm. 15. Rupertus 4. de offic. c. 13. Durandus Miniat. lib. 6. Ratim. cap. 53. Gretſerus l. 2. de benedict. cap. 40. tamen præcipua ratio eſt, vt exprimatur Chriſtus flos, vt egregiè declarauit Alexander 3. epiſtola ad Regem Francorum quam Gretſerus ſupra exhibet, & Picardus in Notis ad lib. 3. Neubrig. c. 4. & idcirco ait Alexander (quod Innocentius quoque non omiſit,) hunc florum florem balſamo inungi & muſco trito perfundi, vt ſignificetur triplex Chriſti ſubſtantia; Verbum, corpus, & anima. Sed de eo ritu alibi diligentiùs.

Commoda à Chriſto flore.

425. Quanta nobis ex hoc flore bona aduenerint, nullus ſermo aſſequatur. Inprimis enim odorem notitiæ Dei mundo intulit, quod S. Cyrillus l. de fide ad Reginas, infert ex illis Apoſtoli verbis 2. Cor. 2. *Deo autem gratia, qui ſemper triumphat per nos in Chriſto, & odorem notitiæ manifeſtat per nos in omni loco: quemadmodũ Chriſti bonus odor ſumus Deo in his qui ſaluiſiunt, & in his qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*. Exclamat ad hæc verba S. Cyrillus [Et quomodo Chriſtus non eſt Deus?] ſi enim inhalat nobis patris cogitionem, eſtque odor notitiæ Patris, eiuſque verè fragrantia, neceſſe planè eſt eſſe Deum, in flore humanitatis tam cœleſtem afflantem odorem. Quemadmodum enim humanitatis fragrantia hominem ſignificat, ita etiam odor Deitatis, eiuſque inhalatio Deum. Hæc eſt S. Cyrilli ex illis Apoſtoli verbis ratiocinatio, quæ inſigne floris noſtri commodum exhibet, nempe illatam ab eo in orbem notitiam Dei. Vlteriora bona ex Richardo licet petere, citato proximè libello. [Qui incredulis (inquit,) & præuaricatoribus eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali, flos eſt, ſpe & amore inhærentibus illi. Flos vtique mirabilis, ſpe & vtilitate ſingularis, flos inquam eſt filius Virginis. Flos tenuis, ad indignationem, tener ad miſerationem, manſuetudine lenis, damnatione leuis, pulcher per conuerſatio

nerationem, fragrans, per repromissionem, vtiles per remunerationem. Est ergo tenuis in flagellis, tener in misericordijs; lenis in donis, leuis in præceptis, pulcher in exemplis, fragrans in promissis, fructuosus in præmis. Hic flos, factus est nobis medicina: ex illo mel & cera, in ipso potus & esca. Medicina in redemptione, potus & esca in iustificatione, mel & cera in glorificatione. Ex hac medicina, sanitas sempiternæ incorruptibilitatis. Ex eius esca, refectio internæ sanctitatis. Ex eiusmodi potu, ebrietas æternæ securitatis; de illius cera, splendor summæ claritatis, in eius melle, dulcor indeficientis fœlicitatis.

Non est quò vlteriùs floris huius vtilitas propenetrat. Vides enim venisse nobis omnia bona pariter cum illo, & *æterni floris* (quo nomine Christum vocat Amed. Lausan. hom. 6. de Deip.) æternam esse fragrantiam, nunquam intermoriturum. Quanquam spectasse potiùs videtur Amedeus, perennem floris nostri speciositatem, & iugem odorem, etiam in cruce, quod S. Ambrosius l. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. verbis his demiratur. [Opus ergo spiritus, virginis partus est: opus Spiritus, fructus est ventris, secundùm quod scriptum *est benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Opus Spiritus, flos radicis est. Ille, inquam flos, de quo benè est prophetatum. *Erit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Radix Iesse Patriarchæ, familia Iudæorum; virga Maria, flos Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe, virginali ex vtero germinauit, sicut ipse dixit: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Flos odorem suum succisus reseruat, & contritus accumulat, nec aulsus amittit. Ita & Dominus Iesus, in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec aulsus euanuit, sed illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi coloris cruore nerauit; mori ipse nescius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans. In hoc igitur Spiritus sanctus virgæ regalis flore requieuit.]

Fructus virgæ Aaronicæ, Christi aptati.

416. Extremum quod in virga Aaronica considerandum proposueram, fructus est qui ex ea germinauit. Verè ac propriè cadere in Christum nomen *fructus*, eo quod in illum omnis apparatus anteriorum legum referatur, ibique desinat, æquè ac in fructum tendunt quæcunque alia fundit planta, S. Bernardus egregiè prosequitur hom. 1. super missus est, ex quo etiam insignis & planè mellitissimus locus supperit (hom. 3. eiusdem argumenti,) de huius fructus benedictionibus. Alloquens enim Deiparam, & librans illa ad eam Gabrielis verba, *benedictus fructus ventris tui*, sic excurrit in huius fructus benedictiones. [Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui, sed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes, de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentius à cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus: Ille verò benedictus, non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est vt ait Apostolus, *super omnia Deus benedictus in secula.* Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta tegra, vel si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur; sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cum sit super omnia Deus benedictus in secula. Benedictus ergo fructus ventris tui; Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Huius odoriferi fructus fragrantiam, sentiebat qui dicebat, *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore huius fructus, quidem quod gustauerat, taliter eructabat dicens, *Gustate & videte, quoniã suauis est Dominus.* Et alibi: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et alius quidam, *si tamen gustastis,* (inquit,) *quoniam dulcis est Dominus.* Et ipse fructus de se, inuitans nos ad se; *Qui edunt me,* (inquit,) *adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*: Vtique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus, magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium iustitiam, & esca, & potus est, Audisti de odore, audisti de sapore; audi & de specie. Si enim fructus ille mortis, non solùm suauis fuit ad vescendum, sed etiam, teste scriptura, delectabilis aspectu, quanto magis huius vitalis fructus viuificum decorem debemus inquirere, *in quem* teste alia scriptura, *desiderant etiam Angeli prospicere*? Cuius pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat, *Ex Sion, species decoris eius.* Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio Psalmo legis, *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Benedictus ergo fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum.] Insignia sunt quæ idem Bernardus serm. ad Milites Templi cap. 7. tradit de hoc fructu, ex flore antecursore procreato, & odoratissimo, ac suauissimo.

Siue nuces fuerint, siue amygdalæ.

427. Verùm hæc generalia sunt, & ad Christum sub cuiuscunque fructus imagine adumbratum, æquè pertinentia. Hæreamus ergo potiùs in nucibus virgæ nostræ, frangentes (quod facere admonet S. Bernardus serm. 1. in cœna Dom.) nuces emissas è virga virtutis Domini. [Quod ergo hæc virga (inquit) S. Aug. serm. 3. de temp.) nuces produxit, imago dominici corporis fuit. Nux enim habet trinam in suo corpore substantiæ, vnionem, corium, testam, & nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis, carnem significat Saluatoris, quæ habuit in se asperitatem, vel amaritudinem passionis. In nucleo interiorem declarat dulcedinem Deitatis, quæ tribuit pastum, & luminis subministrat officium. In testa lignum interserens crucis, quod non discreuit vt quod foris & intus fuit, sed quæ terrena & cœlestia fuerunt, mediatoris ligni interpositione sociauit, dicente beato Apostolo, *quia ipse per sanguinem crucis suæ, pacificauit omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terris.*]

Non absimiliter S. Paulinus Natali 9. S. Felicis, versibus illis.

Virga nucis Christus, quoniã in nucibus cibus intus,
Testa foris, & amara super Viruli cute cortex.
Cerne Deum nostro velatum corpore Christum,
Qui fragilis carne est, verbo cibus & cruce amarus.
Dura superficies, verbum crucis; & crucis esca est,
Cœlestem Christi claudens in carne medullam,
Sed cruce dulcis item, quia protulit arbore vitam
Vita Deus noster: Ligno mea vita pependit
Vt staret mea vita Deo.

Nucem, hi Patres accepisse videntur, iuxta vulgatum votis vsum. Id enim interstitæ (iuxta Augustinum) testæ nucis, lignum crucis, apertè insinuat, & concinnissimè explicat secutus de more Augustinum, Prosper 1. p. de promiss. c. 10. adducendus cum de Christo, Rege per crucem. Alibi tamen perspicuè S. Augustinus, nuces (quod habet vulgata editio,) interpretatur Amygdalas. Ita expressè habet serm. 99. de temp. idque secuti Patres alij, æquè in amygdala; præsignificatam agnoscunt Christi effectionem; indeque obuenturam mundo salutem. Profero vnum, aut alterum. S. Hildephonsus serm. 6. de Assumpt. agens de Virga Aaron, quam docet Deiparam Virginem adumbrasse, de fructu amygdalarum sic disserit. [Christi vtraque substantia, benè per amygdalam est figurata. Amygdala namque,

ex carne, osse, & nucleo constat. Sic Deus & homo, in vna persona est Iesus Christus. Et in amygdala quidē, caro exterior amarissima est ; nucleus verò interior, vescentes grata dulcedine reficit. Sic & Christus, per humanitatem, passionis amaritudinem sensit : per diuinitatem, impassibilis mansit.]

Amedeus Lausan. hom. 1. de Deip. *in fine*, agens de contentis in arca, inter quæ erat virga Aaron quæ fronduerat, agnoscens eam esse typum Deiparæ, subdit. [Virga dicitur B. Maria, vt potè gratiosa, & recta ; subtilis, & porrecta. Gratiosa per vere cumliam & formositatem ; recta per iudicium & æquitatem ; subtilis per contemplationis ingenium porrecta per vitæ meritum. Efflоruit autem de Spiritu sancto, sicut virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amygdalinum ; ista & optimam protulit amygdalam, habentem nucleum & testam, nucleum, vt reficiat ; testam, vt contegat. Nucleum in diuinitate, testam in humanitate. Vis nosse nucleum ? Audi, quia *in principio erat Verbum*. Testam nosse desideras ? Audi, quia *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Vides ergo quia nucleus in testa, Verbum est incarnatum. Et quoniam testa corticem etiam habet, corticem intellige in carnis amaritudine, testam in resurrectione, nucleum in Deitate. Cortice Christus nos sanat, testa corroborat, nucleo pastum æternum administrat. Hoc nucleum, hoc verbum, inter vtrumque nos illuminet, & vsque in cubiculum Genitricis suæ nos introducat.]

En igitur Christum fructum speciosissimum, de quo scitè Chrysost. in Psal 1. [Floruit in Patriarchis, germinauit in Prophetis, dedit odorem in aduentu, maturuit in passione, comeditur post resurrectionem. Gustate ergo & videte quàm sit suauis, quàm solidus, quàm floridus, quàm omni specie ac decore plenus. Hunc fructum nos quoque decerpamus.

Alij eiusdem Aaronicæ virgæ fructus, dimissi.

428. Poterant & inter huius virgæ fructus recenseri, insignes quique effectus, à celebratissima Aaronis virga editi ; qui omnes in Christum cadunt. Hanc sanè virgam, quæ postea fronduit, totque incarnati Verbi mysteria quæ hactenus prosecuti sumus, præsignificauit, fuisse illam ipsam quas priùs è manu Mosis emissa in colubrum versa est, & allisa rupi aquas eliciut ; totque mirabilium patrandorum organum fuit, Rupertus (citè consideranit l. 4. in regul. S. Bened. c. 4. Hinc quanta seges insignium symbolorum ad exponendam Christi effectionem & eiusdem effectionis finem ? Versionem sanè virgæ in colubrum, adumbrasse Verbi Dei corporationem, Eucherius hom. 3. de Pasch. perpulchrè prosequitur & longè ante S. Iren. l. 3. c. 29. vbi præmissa ea Incarnationis imagine quæ Dan. 2. proponitur, lapidis scilicet sine manibus excisi, subdit. [Propter hoc & Moyses ostendens typum, proiecit virgam in terram, vt ea Incarnata, omnem Ægyptiorum præuaricationem quæ insurgebat aduersus Dei dispositionem, argueret & absorberet, & vt ipsi Ægyptij testificarentur, quoniam digitus est Dei, qui salutem operatur populo & non Iosephi filius.] Multos ibidem in eam sententiam annotat Feruardentius, quibus addendus S. Cyrillus lib. 2. de ador. & qui hunc locum & alia pleraque de Christo per virgam expresso, addensat Athobius in conflictu cum Serapione lib. 1. *sub finem*. Consultò tamen abstineo ista expatiatione, quod non spectet ad virgam Aaronis prout frondentem, quod est effectionis ac finis Christi symbolum, in quo nunc versamur.

Vsus doctrinæ.

Quare his dimissis, vsum potiùs doctrinæ propositæ annotemus, quem petete licet ex Origene hom. 2. in Psal. 38. *sub fin.* vbi incidens in virgam nuceam, Hieremiæ per visum obiectam, considerat non absque, vna cum virga nucea, exhibitum esse cacabum : vt discamus qui virgam oblatam non apprehenderint, nec per eam à malis auersi, profecerint in bono ; qui inquam Christo non adhæserint, & in eo semper prouehi ad vlteriora satagerint, tradendos fore in cacabum flammarum, luituros socordiam.

LIBER

LIBER QVARTVS

De Concursu naturæ & gratiæ ad perficiendam humanam Christi substantiam, eiusque facultates.

1. HActenus exposuimus quæ spectant ad essentialem Christi constitutionem, eiusque extra causas eductionem. Nunc ad consummandum ænigmatis diuinitùs propositi enodationem exponendæ supersunt perfectiones quæ Christo collatæ sunt, quia implicantur ipsæ quoq; & inuoluuntur in proposito ænigmate. Cũ autem constet, Deum, (quippe qui sit iuxta Alcinoum capite 9. παντὸς, ἀρτελὴς, αὐτοτελὴς) non esse capacem perfectionis vltra eam qua essentialiter constituitur; necesse est Tractationem hanc vniuersam restringere ad humanitatem Christi, quæ cum sit ens creatum, augmenti illius capax est. Augmentum voco, non quod significare velim, vltra id quod primum substantiæ Christi aut facultatibus collatum fuit, accessisse postea aliquid, siue ad intensionem, siue ad extensionem pertinens: nihil enim hic specto huiusmodi; sed quod cum potuisset v.g. substantia corporis aut animæ præberi Christo despicatior, data sit ab initio nobilior: etiamsi æquè Christus fuisset essentialiter constituendus, si aliam ignobiliorem substantiam intra eadem speciem fuisset cõsecutus. Et idem iudicium esto de perfectionibus tum quoad entitates ipsarũ facultatũ, tum quoad accidentia illis superinducta, etiãsi essent veri augmẽti intẽsiui ac extẽnsiui incapacia. Hoc igitur sensu, agnosco augmẽtum in perfectionibus humanitati Christi collatis, & quoad substantiam & quoad eius facultates, cùm spirituales, tum corporeas: nec alio sensu has perfectiones vocabo aduentitias, quamuis satis liqueat earum aliquas v. g. perfectionem individualem animæ, quam plerique supra cæteras animas in Christi anima agnoscunt, non aduenire reipsa substantiæ, neque re ab ea distingui. Est autem harum Christi perfectionum ingens vbertas. In Christo enim concurrere omnes perfectiones necesse fuit, eo quod caput esset corporis Ecclesiæ: capiti autem omnes sensus insunt, cum alibi solus insit tactus: quæ est perpulchra in hanc rem D. Augustini ratiocinatio, epistola 57. *sub finem.* Porrò perfectiones substantiæ humanæ, aut facultatum Christi, pro ratione subiecti perficiendi, aut modi quo perficitur, partim sunt naturales, partim supernaturales ac spectantes ad ordinem gratiæ. Priores, quamuis pleræque collatæ sint antecedenter ad vnionem, tamen intuitu vnionis sunt collatæ. Idcircò enim homo, tam exquisito temperamento donatus est, vt corpus eius, esset congrua sedes animæ, cum qua Verbum Dei erat vniendum. Posteriores autem collatæ sunt intuitu vnionis, sed consequenter ad eam: quia prius est esse, ad quod in Christo pertinet vnio hypostatica, quàm perfici in esse completo ac substantialiter terminato. Vtrarumque perfectionum considerationem, videbimus Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua, id est interprete Blesensi serm. de Annunc. illustrem corona duplici, & naturalium scilicet, & supernaturalium perfectionum, quibus à puncto conceptionis enituit.

SECTIO I.

De aduentitiis perfectionibus substantiæ humanæ Christi Domini

2. HVmana Christi substantia ex corpore & anima compingitur. Vtraque porrò illa pars, omnibus statui in quo Christus erat, naturæ & gratiæ consentaneis perfectionibus instructa fuit. Cuius enim erunt optima quæque, nisi sanctissimæ huius humanitatis, à Deo singulariter prælectæ, & euectæ ad personale Verbi consortium? Quid ergo natura, quid gratia, corpori & animæ Christi contulerint, exponendum est. Et quanquam supernaturales perfectiones præter vnionem hypostaticam, infrequenter admodùm in corpore Christi viatoris notari potuerint, quia propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati, inhibens dotes illa corporeas, quę corporis Deo vniti, & animæ beatæ coniuncti, connaturalia ornamenta esse debuissent, si sola vnionis illius & coniunctionis ratio habita esset? Interdum tamen nonnullæ quoque velut stillæ, è Christi corpore diuinitate delibuto sunt emissæ, vt ex eis iudicium ferre possemus ad quantam se Deus, carnis paupertatem nostra causa deiecerit; cum apparatum illum supernaturalium ornamentorum carni suæ omni iure debitum, negauit illi. Quare non erit de his quoque supernaturalibus corporis Christi perfectionibus aliter agendum, quàm vt ostendeamus, quatenus fuerint aut non fuerint in Christo viatore. De perfectionibus autem animæ ad eundem ordinem spectantibus, quia fuerunt ordinariæ, alia est ratio, vt videbimus post explicatas corporis perfectiones, à quibus auspicandum est, quia corpus velut hospitium præit animæ, saltem antecessione naturæ.

CAPVT I.

De perfectionibus corporis Christi.

ORdiar verbis Fulgentij l. de fide ad Petrum cap. . [Licet caro Christi, & omnium hominum, vnius eiusdemque natura sit: hæc tamen quam Deus Verbum ex Maria Virgine sibi vnite dignatus est, sine peccato concepta, sine peccato nata est: vtpote secundùm quam Deus æternus & Iustus, misericorditer & conceptus, & natus est. & Dominus gloriæ crucifixus est. Quibus autem verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cuius diuina est ex ipsa sui conceptione persona, cuius origo natiuitatis insolita, qua sic Verbum caro factum est, vt vna persona esset cum carne sua, vnigenitus ac sempiternus Deus, ipsa suæ carnis conceptione conceptus?] Conabimur tamen vtcumque illius perfectiones exponere; initio facto à perfectionibus naturalibus, quia gratia supponit naturam.

Perfectiones corporis Christi; indicatæ generatim.

3. Naturales ergo corporis Christi perfectiones, fuisse permagnas, dubitare non licet: idque facile erit euincere, spectando finem in quem corpus Christi fabricabatur, & opificem à quo constituebatur, & materiam ex qua compingebatur. Hæc enim sunt capita ex quibus Philo l. de mundi opific. collegit præstantiam corporis Adami. [Dominus enim quędam, aut templum sacratum, fabricabatur rationali animæ, quam illa diuina imago circumferre debebat. Deinde quia non ex quauis terræ parte humo sumpta, domum illam effinxit Deus, sed selecta vndecunque optima, ex pura materia id quod inerat purissimum excolauit accuratè, quod maximè ad hoc opus aptum erat. Tandem quia artifex corporis erat optimus, longeq; præstantior eo per quem efficiuntur corpora nostra. Nos enim ex hominibus gignimur, illum verò Deus condidit. Quanto autem melior autor, tanto etiam opus melius.] Hæc Philonis de præstantia corporis Adami ratiocinatio, multo magis hîc locum habet. Nam & finis corporis Christi, multo dignior ac sublimior fuit, & materia multo exquisitior, & primarius opifex, idem. Finis enim in quem Christi corpus exædificatum est, fuit exceptio animæ sanctissimæ & longè nobilissimæ, vt eius & sedes & organum esset, ad operationes ob quas immediatè Verbo Dei iungendum fuit quoad hypostasim. Hic finis, infinitis spatijs nobilitatę superat finem in quem Adami corpus est fabricatum. Iam materia Adami, nuda terra humecta fuit, seu limus. Materia verò corporis Christi fuit humanus sanguis, sumpta ea voce in tota latitudine significati quod ei in scriptura & inter verecundè loquentes tribuitur. Nec sanguis ille eiusdem rationis fuit cuius ille qui nostra corpora solet cõpingere, nimirum ex parte corruptus & oppletus sœculérijs, è quibus grauia plerumque fœtui incommoda & dispendia obueniunt, sed purissimus & defœcatissimus fuit, opifice qui materiam illam congregabat, seligente purissimas quasque particulas substantiæ quam iampridem prouiderat, optimam & conuenientissimè affectam. Denique quamuis opifex in formando Christi corpore fuerit ex parte B. Virgo, qua ex parte videtur præcellere Adami corpus, quod à solo Deo effectum est; Tamen cum Deus specialissima prouidentia B. Virginem iuuaret, & ad hanc efficientiam sustolleret, eo modo quo supra est expositum; perinde bene cessit hæc fabricatio, ac si solum Deum habuisset opificem.

Fuit ergo substantia corporis Christi, naturaliter valde perfecta quamuis non ad eum prouecta sit perfectionis verticem, quo passiones & actiones contrariæ excluderentur. Id enim pugnasset cum fine ob quę Christus venerat, nec fuisset accommodatum ad eam satisfactionis vbertatem, & humana ritè subeundi exemplar, in quod Verbum humanitati iungebatur. Quod ex Chrysostomo luculenter tradit in hunc modum Anast. c. 13. [Christi corpus à peccato immune erat; non tamen à corporeis necessitatibus, quemadmodum docet Ioannes Chrysostomus in expositione super Mathæum. Si enim naturales & indetrectabiles naturæ nostræ imbecillitates & indigentias repudiasset, priùs vtique ipsam naturam repudiasset, & assumere renuisset; vt idem Chrysostomus docet. Neque verò doctrinæ huius, quasi domi suæ natæ, primus auctor pater iste fuit; sed tamquam dicipulus à Paulo accepit, quem in Epistola ad Hebræos hæc dicentem audiuerat; *quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter* Christus *participauit eisdem* passionibus & affectionibus.]

Temperamentum Corporis Christi, an fuerit ad pondus.

4. His generatim sic constitutis de naturali perfectione corporis Christi, progrediendum est ad particulares ipsas perfectiones: in primisque ad fontem cæteratum, hoc est temperamentum, quod aliqui vt exquisitum Christo concederent, dixerunt fuisse ad pondus. Ita obiter Ludouicus Tena l. 3. Isagon. in script. dific. sect. 5. videnturque idem dicturi, quotquot censuerunt temperamentum ad pondus esse naturaliter possibile in viuentibus. Nam si in vllo viuente potuit & debuit reperiri, idque ad perfectionem temperamenti facit, vt arbitratur, certè locum maximè in Christo

Christo habere oportuit. Censent autem temperamentum ad pondus esse optimum, & esse in viuentibus possibile, Rubius 2. de generatione cap. 8. q. 8. Coninb. ibid. art. 3. & vt videtur Aresius lib. 1. de genere. q. 3. sect. 2. quamuis generaliter, & de quocumque mixto loquatur. Idem pro extrema Christi vita dictus videtur Franc. Valesius, qui 1. controu. cap. 7. contendit, hominem in medio ætatis temperatissimæ, esse temperatum ad pondus: eo quod cum huiusmodi temperamentum sit in viuentibus possibile, atque adeò homini, quippe perfectissimo viuenti tribuatur, par sit existimare, hominem temperamentum illud sortiri ætate media, qualem exegit Christus cum obijt, natus annos quatuor supra triginta. Collius l. 2. de sang. Christi disp. 3. cap. 2. ita admittit temperamentum Christi esse ad pondus, vt tamen non in singulis partibus, sed in toto duntaxat Christi corpore, eam æqualitatem quæ voce temperamenti ad pondus significatur, censeat esse concedendam. Qua item ratione sententiam suam temperat Rubius supra, num. 35.

Eligitur pars negans.

1. Nulla harum sententiarum probanda est, sed citra dubium est affirmandum, temperamentum Christi fuisse ad iustitiam, quod docet D. Tomas in 3. d. 16. q. 1. art. 1. ad 4. Delrio 1. Mag. cap. 3. q. 2. & Mich. Medina 2. paræn. c. 7. Argumentor inprimis, ex eo quod, temperamentum ad pondus vt latè docet S. Bonauen. in 2. d. 17. num. 44. non est naturaliter possibile in viuentibus. Temperamentum enim ad pondus illud dicitur, quod constat omnibus qualitatum gradibus æqualibus, quale esse temperamentum viuentium, est impossibile: Viuentia namque constant partibus omnino varijs, quarum aliquæ plus vnius qualitatis, aliæ plus alterius exigunt. v. g. homo constat ossibus, carnibus, neruis, cerebro, corde, hepate. Harum autem partium aliquæ, vt cor & ventriculus, exigunt plus caloris, quàm aliarum elementarium qualitatum: Ossa verò plus siccitatis exigunt, cerebrum plus humiditatis: sicque de alijs partibus, quæ vt munera sua ritè obeant, eam qualitatum elementarium diuersitatem deposcunt. Igitur frustrà est arbitrari, optimum viuentis temperamentum esse ad pondus; cum potiùs ea qualitatum æqualitas, sit euersio temperamenti viuentium. Sanè temperamentum, est aliquid respectiuum. Bonitas ergo eius nempe perfectio, attendenda est penes esse & operationes viuentis. In eum namque finem collatum est temperamentum viuenti. Quare illud temperamentum censeri debet viuenti optimum, quod est maximè consentaneum constitutioni viuentis & operationibus ei debitis, quale sanè non est temperamentum ad pondus, vt pleniùs disserit. Terelius lib. 1. de hom. gener. cap. 18. Hinc quidquid ad rem præsentem sequatur, nemo non videt. Si enim viuentia rectè constituta & rectè affecta ad operandum, non debent temperamento ad pondus donari, manifestum est, Christum Dominum qui optimè omnino fuit constitutus, non debuisse huiusmodi temperamentum nanciscì, sed debuisse accipere temperamentum ad iustitiam, quo vnicuique parti corporis conueniens primarum qualitatum symmetria, aliquando tenuior, aliàs auctiòr conferretur, prout fuerunt operationes & functiones quibus partes illæ deseruiunt.

6. Æquè reijcienda est temperatio prædictæ sententiæ, postea proposita, nimirum quod idcirco temperamentum Christi esset ad pondus, quia pensatis & rectè subductis gradibus primarum qualitatum quæ inerant singulis partibus, exurgeret summa æqualis omnium primarum qualitatum in toto Christo. Hoc inquam, æquè reijciendum est. Valdè quipè inanis est ea subductio, & mera diuinatione nititur, imò prorsus falsa haberi debet. Aio inprimis eam nisi mera diuinatione. Quis enim metiri tam exquisitè potest intentionem qualitatis quæ est in vno membro, vel conferre mixtionem qualitatum vnius partis cum mixtione alterius, vt certò inde colligat, cuiusnis primæ qualitatis metrum, adæquare metrum alterius, & ita se habere, vt nec infra æqualitatem iaceat, nec supra eam efferatur? Itaque mera hariolatio est, quæ æqualis mensura primatum omnium qualitum, in Christi corpore ob eam subductionem statuitur. Deinde certum est, in Christo, imo in omnibus animantibus terrestribus, multo plus exigi caloris quàm frigoris; cum omnes viuentium illorum operationes, calore præsertim perficiantur. Vnde non potest esse dubium, quin spectando calorem tam innatum quàm influxum, totus calor animantis terrestris, superet frigus totum quod in eo est. Imo D. Thomas in 2. d. 19. q. 1. art. 4. ad 2. generaliter statuit, calorem in omnibus viuentibus prædenominari. Præterea naturalis animatum constitutio, plures postulat partes, in quibus humiditas siccitatem superet, quàm alias in quibus è contrario, siccitas vincat numero graduum humiditatem. Quare etiamsi omnes inter se partes conferantur, deerit nihilominus æqualitas graduum cuiusuis primæ qualitatis; atque adeò temperamentum ad pondus, quod ea æqualitate constituitur.

Facessat ergo figmentum illud, quo specie honoris Christi, & auctioris perfectionis, tribuitur ei temperamentum, viuenti prorsus inutile, imo & alienum ab eius bono statu. Quo verò prouectam dicemus eorum fatuitatem, qui dixerunt, Christum Dominum vi huius temperamenti ad pondus, potuisse calcare maria? Sicut etiam Eliam vi eiusdem temperamenti, censuerunt potuisse in turbina ignis transferri, vt Ecclesiastici 48. habetur. Hanc fuisse Gentilis Fulginatis, planè gentilem & paganam opinionem, refert Conciliator differentia vigesima, qui tamen fuligine illa gentilitia oblitus nonnihil videtur Michaeli Medinæ l. 2. paræn. c. 7. eamque insanissimam doctrinam, imo impijssimam nescientiam probasse, qua nonnulli latè ibidem à Medina reiecti, & à Salmerone to. 6. tract. 4. §. *quinto loco*, Christi miracula omnia commentitium illum Christi temperamentum ad pondus, referre non erubuerunt. Est enim stuporis planè extraordinarij, tam eximia Christi opera, in materiales qualitates quomodolibet temperatas reuocare. Ad nobilitatem igitur, atque præstantiam temperamenti Christi retinendam, sufficit temperamentum ad iustitiam partis cuiuslibet bono statui & operationibus admensum, quale omnino est Christo concedendum.

Varia Temperamentum consequentia, corporis Christi decora naturalia.

7. Ex temperamento bono & conuenienti profluunt tibi perfectionum illarum corporis, quas nomine *virtutum naturalium* exprimit Marinus in Proclo num. 3. recensens primo loco, *prudentiam corporis*, hoc est integritatem & vigorem sensuum. Secundo *robur* quod confert cum fortitudine. Tertio *pulchritudinem*, quam respondere ait temperantiæ. Quarto *sanitatem*, quæ quod sit debita humorum æqualitas, rectè cum iustitia proportionem habere censetur. In his omnibus humani temperamenti exquisiti corollarijs, præcelluit Christus, sed consentaneè ad gradum & statum suum, quod sigillatim placet exponere, ducto initio à pulchritudine, quòd reliquæ tres perfectiones admodùm coniunctæ sint, & commodiùs sint nectendæ tractatione.

Pulchritudo corporis, an Christo tribuenda

Summam Christi pulchritudinem corpoream gasse visus est Michaël Medina 2. paræn. cap. 7.

menta eius sunt, eos qui in Christo speciem corpoream exquisitissimam astruunt, ferè nitì quibusdam Scripturis, quibus eximia Christi pulchritudo proponitur. Verùm in plerisque locorũ illorum ad Christum detorquendis, non modicè laborandum esse. Deinde iis ipsis locis quæ de Christo manifestè loquuntur, commendari diuinam in Christo pulchritudinem; vel eam quæ à virtutibus accidit animæ, non autem corporis pulchritudinem v.g. Psal.44. vbi de Christo dicitur, *specie tua, & pulchritudine tua*, disertè S.Cyrillus in Glaphyris in Exodum non multum à principio, tractans illud de Mose infante, *erat puer elegãs*, & l.9.de ador.in mystica candelabri aurei interpretatione, ait id accipiendum esse de pulchritudine diuinitatis, idq; confirmat Isaiæ 53. Idem habent S.Basilius, Apollinaris, Vigilius, Augustinus, & vt videtur Ambrosius, quorum loca signat Pineda l.5.de Salom.cap.4. num.5. addens alios Patres qui eam quidem speciem à Psalte in Christo celebratam de humana pulchritudine exponunt, sed ratione animæ, ac virtutum quibus Christi anima supra omnes animas enituit. Ita laudati ab eodem autore, Theodoretus, Eusebius, Nicephorus, Chrysostomus, Arnobius. Remigius, Euthynius, Ruffinus, Augustinus. Ego addo S.Gregorium, qui ad calcem commentarij in libros Regnm, latè de Christi pulchritudine disputans, eo quoque Psalm 44. loco prolato, eam in virtutibus semper statuit, aptans ad Christum illud dictum de Danide, *erat ruffus & pulcher aspectu, & decora facie*. Et idem latè præstat Philippus Abbas lib.2. in Cant. cap.14.num.15. aptatis ad Christum verbis illis sponsæ, *Ecce tu pulcher es*. Quare quod eum psalmi 44. locum, de corporali Christi pulchritudine accipiendum esse negat Medina, omni confixione & nota liberat Pineda. Sunt verò nonnulla Patrum loca, quæ directè suffragari videntur Medinæ, & Christi speciem abiectam memorant. quæ infetiùs producemus, agentes de defectibus corporis Cstristi,

Accedunt argumenta ex ratione, quæ Medina proponit. Inprimis enim pulchritudo Christi tam exquisita, non potest ex bonitate temperamenti colligi, quia plerumque constat, speciosiores esse morbosiores: & patet ex feminis, quæ pulchritudine præstare viris solent, deteriore tamen sunt temperamento, quàm viri. Sed neque ex Christi tanta sanctitate, colligi potest eius corporea pulchritudo exquisita, cum raram faciant mixturam pulchritudo & probitas. Non pluribus, suum illud de abroganda Christo corporea venustate, placitum, firmat Medina, quod his verbis concipit. [Christus virtutum specie ac forma cunctos facile superauit. Neque enim corporali specie pulchrior fuit Apolline, Adonide, Atyde, Cypariſſo Croco, Acantho, Amaracho (quos quatuor postremos ob formæ excellentiam in sui nominis plantas fabulantur conuersos) Hippolito, Hyla, Narcisso, Niso, Paride aut feminis illis, Helena, Athalanta, Ariadna, Antiopa, & reliquis vtriusque generis, propter speciem celebribus, quorum admirandam pulchritudinem celebrarũt Poëtæ]

Resolutio.

8. Mihi de hac re vniuersa, sic pronunciandum videtur, vt summam pulchritudinem, quæ spectata, Christi ætate, statu, ac functionibus eum decere potuit, concessam illi velim. Pro varietate namque ætatum, statuum, & munerum, varia pulchritudo quadrat homini; quia alia puelli, alia adulti, alia senis, denique alia doctoris, alia ducis, est pulchritudo conueniens. Et alia vultus orisque compositio, marem, alia feminam decet. Quod igitur Christus Dominus, spectato fine in quem venerat, pulchritudinem sortitus sit planè eximiam, & cui nulla alia humana pulchritudo, etiam Adami, potuerit æquari, certum mihi videtur, ex eo quod pulcritudo vt D.Augustinus ratiocinatur 22. Ciuit. cap.19. ex membrorum omnium integritate, ac debita proportione, & colore conueniente efflorescit. At fuisse in Christo corpus humanum integrum, supra iam vidimus. Proportio autem membrorum eius satis colligitur ex aptitudine ad perfectè obeundas operationes vitæ; itemque ex materiæ & opificis perfectione. Denique colorem optimum, ex temperamento optimo quale Christi fuit, constat exurgere. Cum igitur omnes pulchritudinis fontes, in corpus Christi perfectè concurrerint; fatendum est, illud fuisse pulcherrimum: sed vt dixi, consentaneè ad ætatem, statum, ac functiones suas. Diuina siquidem prouidentia, quæ singulariſſimè circa Christum & omnia ad eum attinentia inuigilabat, facile potuit omnia ita disponere; partes inquam materiæ sic conformare, & temperamentum ita aptare, vt talis quæ Christum deceret, spectata ætate ac muneribus, summa planè corporea pulchritudo inde existeret.

Hoc certum planè, & extra omnem dubitationis aleam esse debet, præsertim cum pulchra facies, sit multa commendatio: & par fuerit, Christum hoc quoque illice hominum, non carere. Sanè laus grauissimis Philosophis hinc quoque accessit, vt propterea Apuleius in Apologia scripserit [licere etiam, Philosophos esse vultu liberali. Pythagoram, qui primum sese Philosophum nuncupauit, eum fuisæculi excellentissima forma fuisse. Item Zenonem illum antiquum Elea oriundum, qui primus omnium dictionem solertissimo artificio ambisariam dissoluerit, eum quoque Zenonem, longè decoriſſimum fuisse, vt Plato autumat. Itemque multos Philosophos ab ore honestissimos, memoræ prodi, qui gratiam corporis, morum honestamentis ornauerunt.] Inter Christianos Philosophos, speciem corpoream planè exquisitam S.Epiphanij Ticinensis Episcopi, omnino pulchrè expressit sub initium vitæ eius, Ennodius. Nec inter S.Bernardi decora, hoc præteriit Goffridus lib.3. vitæ S.Bernardi, ferè initio, & alij laudatores sancti viri. Nec Christum igitur, summum sapientiæ veræ antistitem, ac magistrum, dedecuit esse speciosissimum, eo modo quem proposui. Ferunt id vt minimum, ea Patrum loca, quæ Christum exhibent exquisitè corpore pulchrum. Signo perpauca.

Consensus SS.Patrum.

9. S.Ephrem lib. de non temerè scrutanda Dei natura. [Intuere speciem ac pulchritudinem Domini & nusquam à contemplatione sancti vultus, atque à suauissimo eius aspectu aciem deflecte.]

S.Chrysostomus hom. 8.in Matth.[Christus, vt in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse, ideoque Propheta multo ante clamauerat *speciosus pulchritudine*.

Theophilactus in cap.3. ad Colos. ad illud *secundum imaginem eius qui condidit ipsum*, subdit; hoc est, Christi, quandoquidem & ipse ad senium non peruenit. Adeò enim formosus erat & elegans, vt ea pulchritudo non possit satis verbis exprimi, de qua Propheta sic habet: *speciosus forma præ filijs hominum*; peccatum enim non fecit, quod hominem senio conficit ac corrumpit.]

S.Bernardus homil.3. super Missus est tractans de fructu benedicto ventris Deiparæ, [Audisti (inquit) de odore, audisti de sapore, audi & de specie. Si enim fructus ille mortis non solùm suauis fuit ad vescendum, sed etiam teste Scriptura, delectabilis aspectu; quanto magis huius vitalis fructus viuificum decorem debemus inquirere, in quem teste alia Scriptura, desiderant etiam Angeli prospicere? Cuius pulchritudinem in Spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat qui dicebat, *ex Sion species decoris eius*. Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio

Psalmo

Psalmo legis, *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Richardus à S. Laurentio referens hunc S. Bernardi locum ad venustatem & elegantiam corporis Christi commendandam lib. 1. de Deip. c. 7. latius, paulo pleniorem eum refert, & nonnihil immutatum.

Aëlredus Abbas serm. de puero Iesu duodenni, Christum exhibet [vultu speciosissimo oculis suavissimis simul & mitissimis, iucundiùs radiantibus.] Et infra. [Credo, in illo speciosissimo vultu tantam gratiæ cœlestis elegantiam refulcisse, vt omnium in se conuertere aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne, quæso, quemadmodum à singulis rapitur, à singulis trahitur, senes osculantur, amplectuntur iuuenes, pueri obsequuntur. Quæ lachrymæ pueritiæ, dum diuitius à vitis tenetur; quæ sanctis mulieribus querimoniæ cum paulò plus cum Patre & eius sotijs moraretur? Credo singulos proclamare intimo affectu: *osculetur me osculo oris sui.*] Hæc lumbratio passim tribuitur S. Bernardo. Sed verè est Aëlredi Cisterciensis, æqualis S. Bernardi, & plagulam ex his ipsis quæ produximus, tanquam Aëlredi descripsit Richardus à S. Laurentio, loco ex eo mox adducendo ex lib. 12 de Deipara.

S. Brigitta l. 4. reuel. cap. 70. ex ore Deiparæ, quanta esset corporis Christi pulchritudo, sic refert. [Qualis eratfilius meus secundùm corpus in mundo, cognosce. Ipse enim tam pulcher facie erat quod nullus videbat eum facie, qui non consolabatur in aspectu eius, etsi in præcordialiter dolorem haberet. Iusti verò spirituali consolatione consolabantur. Sed & mali à tristitia sæculi, tanto tempore quo eum videbant, releuabantur. Vnde & dolentes dicere consueuerunt; Eamus, & filium Mariæ videamus, vt saltem tanto tempore releuemur, anno igitur vigesimo ætatis suæ, in magnitudine & fortitudine virili, perfectus erat. Inter medios moderni temporis magnus, non carnosus, sed neruis & ossibus corpulentus. Capilli eius supercilia, & barba, croceè brunea erant: longitudo barbæ, palmo per transuersum manus. Frons verò non prominens, vel mersa, sed recta. Nasus æqualis, non paruus nec nimis magnus: Oculi verò eius tam puri erant, quod etiam inimici eius delectabantur eum aspicere: Labia non spissa, sed clarè rubentia, mentum non erat prominens, nec nimis longum, sed pulchro moderamine venustum; maxillæ carnibus modestè plenæ: color eius erat candidus, claro, rubeo permixtus; statura eius recta & in toto corpore suo nulla macula erat, sicut & illi testabantur, qui eum totaliter viderũt nudum, & ad columnam ligatum flagellabant.]

10. Laurentius Iustinianus l. de casto connubio Verbi & animæ cap. 5. post alia de Christi sponsi laudibus, à decoribus animæ, subdit. [Si verò ad elegantiam humanæ speciei te vertas, audias Prophetam dicentem, *Speciosus forma præ filiis hominum.* Quis vmquã illo pulchrior? quis modestior? quis sapientior? Ornatus in moribus, maturus in gressibus, in sermonibus facundus, in conuersatione circunspectus, in redargutione serenus, in exhortatione blandus, in collocutione suauissimus & in omni suo opere venerandus: aspectus illius venustate plenus, humilitate verecundiæ, suauitate refertus, & tota elegantia decoratus: labia illius lilia distillantia, verba vitæ æternæ emanantia, mel lac eructantia. Illud quidem resonabat in aure, quod latebat in corde: Ideò solabatur mœstos, vegetabat frigidos, resuscitabat mortuos, infideles illuminabat; cunctosque ad se accedentes, reddebat benemolos: sermonibus quoque suis, audientium corda ad contemptum mundi animabat conemptum: ad virtutum profectum, instruebat: maximè eum de regno Dei loquebatur, & de gaudijs paradisi. Quisautem non languesceret, quis iucundo non inebriaretur amore, si videret ambulans Verbum, Sapientiam loquentem, vnigenitum Dei cum peccatoribus conuersantem?]

Deum in procemio operis de triumphali Christi agone, Christum depingit forma corporis pulchertimum, & elegantissimum, omni macula & deformitate liberum, ac vndecunque venerabilem.

Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Deipar. in quarta particula horti concluſi, titulo *Christus flos*, fusissimè & piissimè de vtraque Christi pulchritudine, animæ inquam & corporis disserit, eamque in Christo speciositatem corporis & elegantiam viro dignam celebrat, & ex multis scripturis illustrat, quam satis suspicere nemo mortalium possit. Locus est prolixior, quam vt hîc adscribi queat.

Optimè idem confirmat descriptio speciei Christi Domini, quæ extat apud Nicephorum l. 1. hist. c. vlt. & apud Molanum l. 4. de imag. c. 1. & apud Christophorum à Castro in Histor. Deip. 22. num. 4. ex Anselmo Opusc. de forma Virg. Exhibet enim ea descriptio, Christum Dominum corpore vniuerso speciosissimum: ac primum cæsarie ad humeros vsque magnificentissimè fluctuante; Nazaræus quippe erat & nouacula super caput eius non ascendebat:) Fronte niuea, lata & exporrecta: Oculis aptæ magnitudinis illecebrarum plenissimis, acribus, viuidisque decentissimè; naso conuenientissimè ad frontis latitudinem & reliquam faciem figurato; genis renidentibus barba subflaua; ore corallino; facie vniuersa plena gratiarum, & Maiestatem spirante vndecunque; corporis tractu erecto & celso, sed citra indecoram proceritatem; artubus denique ac membris omnibus accuratissimam proportionem seruantibus inter se, ac cum corpore vniuerso. Nihil possit ad absolutum pulchritudinem corporis cogitatione pingendam præterea requiri Epistolam P. Lentuli ad Senatum de Christo qua species eius venustissima describitur, exhibet Eutropius.

Hæcigitur & alia testimonia, vt minimum confirmant eam quam admisi corporis Christi pulchritudinem summam spectata ætate & statu Christi. Nam si natura, vt est in Constantini panegyr. magnis mentibus domicilia corporum digna merantur, quanto magis id prospexerit circa Christum Spiritus sanctus?

Ad fundamenta contrariæ sententiæ.

11. Neque contra sic acceptam Christi pulchritudinem quicquam momenti habent quæ ex Medina proponebam. Patres enim qui Christi speciem abiectã & contemptibilem fuisse tradunt, aliter sumunt plerumque speciem, quàm hîc faciamus, vt dicam infra excludens à Christo defectus corporis. Vel aliud non intendunt, quàm quod Christi pulchritudo absolutè sumpta, & sine relatione ad Christi ætatem, finemque & munera, non fuerit summa: quod in vtramque partem agitari posse censet Pineda supra n. 9. videturque verissimum non fuisse ea ratione summam pulchritudinem Christi: alioqui insolita illa & adeò extraordinaria facie venustas, non videtur fuisse ab Euangelistis prætermittenda: decuisse que videtur, vt Christus tam fragilis & insidiosi boni eminentiam refulgeret, vt flocci pendendum monstraret: itemque ne leuis auditor ab externa specie nimiùm caperetur, vt notat Clem. Alexand. 6. Serm. c. 8. his verbis. [Dominus non fructra voluit vti vili & humili forma corporis: ne quis speciem laudans, & admirans pulchritudinem, absistat ab eis quæ dicuntur, & attendens ijs quæ relinquuntur, abducatur ab iis que percipit intelligẽtia.]

Reliqua Medinæ substructio facilè ex dictis euertitur. Nam quamuis admitteremus, sufficienter probari è Medina pulchritudinem corporis Christi non fuisse exquisitè summam, absolutè tamen non probaret eam non fuisse summam, conuenientet ad statum & finem Christi, qualis esse reuera potuit: etiamsi qui

à Poetis

à Poëtis pulchritudinis nomine celebrantur, fuissent pulchriores, sed pulchritudine vel feminea & virum dedecente, vel non consentanea statui personæ quæ pulchritudine afficitur. Nego tamen præterea quod Medina malè assumit, supposita decenti conformatione partium, melius temperamentum non esse melioris & exquisitiotis pulchritudinis causam. Venustas enim coloris quæ insuper ad pulchritudinem exigitur, maior exurgit ex temperamento meliore. Quod autem dicitur, interdum pulchriores esse morbosiores, non est admittendum de pulchritudine maiore quoad venustatem coloris, sed quoad proportionem & symmetriam membrorum quæ ferè est à temperamento independens, respondetque primæ cõfirmationi & configurationi materiæ compingentis corpus. Si enim ex eo capite præiaceat pulchritudo maior, & accedat melius temperamentum; plenior quoque efflorescet in corpore gratia natiua, quæ absolutè dicenda est pulchritudo, non autem quæ à cultu & studio oritur, cuiusmodi semper est in feminis maior, præ viris non effeminatis, nec sexum suum dedignatis nimio corporis cultu, & diligentiore accuratione quàm prudentiæ leges in vito ferant. At natiua illa pulchritudo quam ex temperamento consequi dicebam, cum est in feminis maior, admittendum est quod viros superent temperamenti bonitate ac præstantia, quæ alia longè est à robore, & minori per extrinsecas causas lædentes temerabilitate, quibus ferè semper mares præcellunt feminis.

Sepositа Christi pulchritudo ex virtutibus.

12. Nec plura de corporea Christi pulchritudine. Sunt in ea fusi Palæotus ca. 3. de sacra sindone, & Malonius ibidem, nec non Morales in cap. 1. Matth. l. 2. tract. 10. & Delrio quatuor sacris de ea lectionibus. Quamquam quæ hic disserit, pertinent potiùs ad speciositatem mysticam, ex virtutibus & donis gratiæ Christo collatis efflorescentem, quam Christi pulchritudinem nunc non attendimus: quamuis verum sit, plerosque Patres Christi speciositatem admirantes, ad eam tantùm spectare. Plerosque producam agens de defectibus corporis Christi. Nunc adduco Hesychium orat. de S. Andrea. [Christus in crucem, denudatus, tamquam ad nuptias adductus est. Expers enim peccati cum esset, opus illi indumento non erat, cumque innocens esset, latere non debuit. Nil in ipso indecorum inerat; etenim quæ decora sunt, ipse nos docet: vniuersa tamen creatura, Dominicæ pulchritudinis splendorem ferre minimè poterat, sed lumen lumine superabatur; Sol Soli cedebat; qui sensibilis est, intellectius; qui currit, existenti vbique; qui in loco est, ei qui supra locum; qui occidit, minimè occidenti; qui noctem remouet, ei qui diei, noctique terminos ponit.] S. item Epiphanius hær. 69. cum accepisset de Christi humanitate illud *decorum induit*, sic habet. [Dicit in nonagesimo secundo Psalmo: *Dominus regnauit, decorem induit*; Quo ostendat ingressum Dei Verbi à cælestibus in mundum, induisse decorem, hoc est carnem ex Virgine natam. Quandoquidem videbatur vilis videntibus incredulis, ipsi verò decor reputabatur: vt ostenderet suam fortitudinem per apparentem carnis debilitatem, abolere eam quæ Dominium habet peccati, hoc est mortem: qua subuersa omnem dispensationem salutis nostræ decorè fecit, & corruptionem dissipauit, & maledictionem deleuit, & Chirographum quod contra nos erat, & pactum cum inferno dissoluit, & omnia ad salutem hominibus dispensauit.]

Sanitas Christi, quanta, & vnde.

13. Consequitur præterea temperamenti bonitatem, sanitas. Imò sanitas aliud non est, quàm temperamenti conuenientis conseruatio. Itaque cum temperamentum in Christo fuerit perfectum, dicendum est fuisse in Christo perfectam corporis sanitatem. Hæc est sententia Theologorum omnium cum D. Thoma 3. p. q. 14. art. 4. qui argumentantur ex decentia & fine aduentus Christi, cui sanitatis exclusis nullomodo commodasset: ideoque sanitas, & firma & perpetua, erat respectu corporis Christi, perfectio vt sic dicam, simpliciter simplex, quæ melior erat ipsa, quàm non ipsa.

Porrò hæc adeò constans & intemerata Christi sanitas, partim naturalem causam habuit, partim supernaturalem, seu diuinam protectionem extrinsecam, ex communi ordine indebitam. Cum enim temperamentum Christi, (in cuius recta conseruatione sita est sanitas,) esset eiusdem rationis cum temperamentis cæterorum hominum quos cõstat esse morbis obnoxios, potueritque Christi complexio externarum saltè causarum interuentu violari, nec tamen sit violata; quod quidem Christi sanitas, nec per crapulam immoderatumve laborem, vt in pletisque alijs accidit sit violata; nec item ob malam cerporis formationem, quod in alijs cernitur, fuerit violationi illi obnoxia; id totum naturale fuit. Nam ex corpore sic formato, & cum moderatione debita labores ac cibos salubres vsurpante, consequebatur naturaliter sanitas, nisi externæ causæ officerent. Vt autem huiusmodi causæ temerare sanitatem non possent, obstitit partim temperamenti bonitas leuibus telis impenetrabilis, quibus in alijs plerisque sanitas concidisset; (nam ob temperamenti disparitatem, non est eadem vbique sanitatis labilitas & temerabilitas;) partim diuina assistentia & prouidentia specialis, quæ corpori Christi debebatur, ne in illud morbi irruerent, ob indecentiam ex D. Athanasio infra proponendam.

Vires corporeæ, Christi Domini.

Consequi denique aiebam ad bonam complexionem, robur ac vires corporis. Quod non ita accipi velim, quasi pro temperamenti bonitate, eximium quoque sit corporis robur & vires eius. Id enim falsum est, quia vires corporis & robur, non tantùm sunt consectaria boni temperamenti, sed etiam certæ conformationis membrorum, ac præsertim certæ constitutionis neruorum, ac torositatis: quæ quamuis ex vna parte corpus perficiat, quia plurimas illi vires conciliat, tamen non est hominis perfectio, vt sic dicam, simpliciter simplex: excludi enim illam teneritudinem temperamenti, quæ ad ingenij bonitatem confert plurimùm; estque viribus corporeis, & Herculea firmitate, expetibilior. Accedit quod ea neruorum crassities in qua vt plurimum consistit robur, argumento est, plurimam substantiæ partem quæ cerebro tribuenda fuisset, in neruos qui cerebro continuantur, fuisse distractam: vnde imbecillitas & oblæsio animalium functionum existat necesse est. Itaque consentaneè ad hæc principia, admitto Christum Dominum viribus corporis optimè fuisse instructum, quatenus origo earum esse potest temperamentum bonum, & bona corporis conformatio, quæ vtraque exquisita in Christo fuerunte Quatenus tamen virium & roboris præcellentia, ad alias causas refertur quæ non spectant ad melius esse hominis, eatenus fateor vires corporis non fuisse in Christo maximas, etiam quantum naturaliter possunt crescere, & quantenus plerique homines eas naturaliter sunt adepti, sed cum dispendio maiorum & exoptabiliorum perfectionum. Præterquàm quod autem fons iste naturalium Christi virium, non ita copiosè fluebat vt in alijs quibusdam hominibus; constat Christum Dominum, inedia & laboribus, ac vigilijs, innocentissimum corpus adeò macerasse, ac velut fregisse, vt non posset naturaliter perstare in eo tantum robur, quanto spectata corporis conformatione & complexione, potiri naturaliter debuisset.

Num

Num aliquæ supernaturales perfectiones, Christi corpore locum habuerint.

14. Sic explicatis naturalibus perfectionibus subtantiæ corporis Christi, expendendum est, fuerintne aliquæ supernaturales eius perfectiones, etiam dum Christus esset viator. Quod est quærere, an in Christi viatoris corpore, locum habuerint gloriosorum corporum dotes; nempe agilitas, subtilitas, claritas, impassibilitas, vel earum aliquæ: nec enim aliæ sunt supernaturales corporum perfectiones, de quibus quæri possit eâne Christus in via sit sortitus. Dicendum verò est, nullam earum in ratione dotis gloriæ obtigisse Christo in via, quia ad rationem dotis exigitur permanentia: at nulla perfectionum propositarum fuit in Christi viatoris corpore permanenter: imo aliquæ, ne raptim quidem & transeunter, videntur ei obtigisse, quod non potest melius monstrari, quàm singulas percurrendo.

Non agilitas.

Agilitatem Abul. in c. 14. Matth. q. 153. & Cornel. 1. Cor. 15. v. 47. censuerunt in Christo hic habuisse locum, cum ambulavit super aquas. Quod ante vtrumque tradebat Petrus Blesens. tract. de transfigur. *sub imum*, & sub disiunctione idem dixerat autor libri tertij de mirab. sacræ scripturæ cap. 8. Nihil tamen ibi inuenio quod doti agilitatis tribui debeat. Agilitas enim quæ est perfectio supernaturalis corporum gloriosorum, nihil aliud est quàm facultas positiua expeditè mouendi vel firmandi corpus proprium, absque remota iuncta per grauitatem connaturalem: quæ licet maneat, tamen redditur diuinitùs non incommoda corpori, per suspensionem nutus illius actualis, quo res grauis mouetur perpetuò deorsum, & vt loquuntur, grauitat. Nihil siquidem nunc moror motum alieni corporis, quem beatus longè supra connaturales vires per hanc dotem causare potest, quia id nihil facit ad rem præsentem; siue ad dignoscendum, an Christus ambulando supra aquas, vsus sit perfectione supernaturali agilitatis. Supposita ergo suspensione grauitationis naturaliter consecuturæ grauitatem propriam, quæ suspensio à D. Augustino 13. Ciuit. 8. & l. 22. cap. 11. vocatur carentia grauis ponderis quo corpora deprimantur, perfectio agilitatis sita est in vi expeditissimi motus causatiua, vt in Christo potuit, immensum propè spatium perbreui per hanc dotem transeunte, cum cœlos subijt, vt expendit Abulens. Parad. 5. cap. 14.

Perinde autem mihi videtur, vt hoc obiter addam, siue motus ille expeditissimus, fiat per elenationem facultatis motricis naturalis à sola extrinseca assistentia diuina, nullo indito corpori beati interno robore, nullaque qualitate; siue quod verius videtur. & D. Augustinus cillo 11. insinuat, inserta corporibus qualitate mouendi, & peculiari, in variis beatis pront merita tuleritne inæquali, & non minus motiua quaquauersum quamuis sit materialis & corporea, quàm similiter motiua sit vna & simplex facultas motrix, itemque impetus; qui cum sit simplex essentialiter qualitas, tamen indifferens est ad mouendum, quocumque mouentis impetus tulerit. Nec idcirco motus iste, erit è vitalium numero expungendus; aut non subiacebit imperio animæ, vel perpetuò exercebitur ob qualitatis huius corporeæ potentiam sollicitantis perpetuam & necessariam actionem, quæ sunt argumenta Lessij lib. 3. de summo bono cap. 3. contra hanc qualitatem si corporea & corpori adueniens statuatur; non autem quod ille contendit, Spiritualis & inexistens animæ. Nihil inquam tale, ex materialitate qualitatis illius iure colligitur, vt ex eo patet; quod omnia illa incommoda, si verè vrgerent, æquè pugnarent aduersus qualitatem motricem corpoream, motus progressiui causatiuam; quæ tamen de communi sententia philosophica admitti debet. Itaque satis est, quod anima intercueniat ad motum à qualitate prædicta causandum, sicut intercuenit ad motum naturalem progressiuum. Inde autem fiet, vt & actio vitalis sit, & subdatur animæ imperio, nec perpetuò fiat, ob non perpetuò assumptam ab anima qualitatem illam. Est enim anima, respectu huius qualitatis, causa partialis, saltem moraliter: vnde non est mirum, quod hæc qualitas operatiua, æquè ac habitus supernaturales vitæ, subordinetur animæ ac voluntati.

15. Hæc cum ita sint, nemo non videt, quàm non quadret effectus propositus cum dote agilitatis: ideoq; constare puto, eum aliò referendum esse, quàm ad perfectionem prædictam. Agilitatis enim functio, est motus expeditus, qui hic non intercuenit. Suspensio autè grauitatis quæ videtur cerni in Christo nequaquam depresso in aquis cum eas calcaret, & qui præsertim esse tribuendum hunc effectum censent Maior in cap. 14. Matth. *ante.* 1. *circa literam*, & Card. Vigerius in Decachordo, chorda 2. cap. 33. facilè negari potest, referendo non depressionem, ad firmatam à Christo per potentiam miraculorum, fluiditatem aquæ, ne ita cederet pressa pedibus vt Christus submergeretur, nullo interim effectu nouo intra Christi corpus causato, vt necesse foret ad probandum supernaturalis perfectionis intercuentum in ea super aquas ambulatione. Sanè Christum non caruisse in eo euentu, corporali pondere, diserte habet S. Dionysius cap. 2. Diu. Nom. & epistola 4. cuius autoritate Beda Marci 6. ad illud *& volebat præterire eos*, tamquam fidei dogma contra Theodorum Pharanitanum Episcopum, statuit, quod Christus super mare ambulans, non caruerit pondere corporali. Pondere itaque corporeo prædiri fuerunt pedes Christi supra mare ambulantis, atque adeò grauitarunt in aquis: quæ tamen pedibus nequaquam cesserunt; non quod essent diuinitù. induratæ vel concretæ, quod sub disiunctione affirmat autor libri tertij de mirab. Sacræ script. cap. 8. & Giselbertus ferè in fine operis de altercatione Synagogæ & Ecclesiæ; negat autem supra S. Dionysius, & Damasc. 3. fid. cap. 15. sed quod aquæ non ita comprimerentur, vt naturaliter fieret: verùm instar solidi corporis calcarentur, quod vnum voluit S. Augustinus serm. 180. de temp. cum dixit, vndam famulam, aquarum iter instabile, sub diuinis vestigiis solidasse. Nec dissimiliter S. Bernardus serm. 2. de Ascens. ait, mare solidum se præbuisse pedibus Christi; id est instar corporis solidi, nec cedentis cum calcatur.

Porrò ea non cessio & firmatio æquarum, facilè à Christo præstari potuit salua aquarum fluiditate, per immissionem validi impetus vndecumque retinentis aquas, ne pressæ diffluerent: quod miror possibile negari à Vasque 3. p. d. 57. n. 34. Quid enim difficultatis est, vt intelligamus, aquas hinc vno impetu ne deorsum protrudantur firmatas, inde alio impetu ne à calcante dispescantur, prohiberi? Potuisset etiam impetus ipsi Christi corpori imprimi, vt impediretur deorsum tendere. Qua ratione alibi monstratum est. Angelum posse lapidem in medio aëre sistere, ac descensu prohibere. Ea quippe impressione, successiuè continuè quantum necesse erat prorogata, poterat interim vis motrix ciere sine depressione corpus Christi. Et alterutro horum modorum, necesse est causatam fuisse à Dæmone ambulationem Herculis super aquas, quam Iulianus Apostata orat. 7. memorat. Quominus enim dicamus, interuenisse ibi subtractionem concursus ad descensum necessarij, obstat manifesta ratio. Nempe quod constet, subtractionem illam non potuisse fieri à Dæmone, qui concursum illum non exhibebat: à Deo autem non decuit fieri in eo euentu. Benè video fingi posse qualitatem stupefactiuam, quæ causationem & admissionem motus, quantumlibet annitente

facultate motius, prohiberet. Sed in ea qualitate & stabilienda & explicanda, multo plus est caliginis, quàm in intelligenda causatione effectus prædicti per impetum. Itaque hæreo in ea causa incessus Christi viatoris super aquas, non aduocata ad eum effectum causandum perfectione agilitatis, etiam aliter quàm sub ratione dotis; hoc est transeunter tantùm, & ad vnum illum actum communicata. Nec aliter philosophandum est de non grauata matre per Christi pondus, cum vtero gestaretur, quod ad dotem agilitatis retulit Maior, & ex eo Batrad. t.1. l.8. c.14. *initio*.

Neque item subtilitas.

16. Æquè nego, perfectionem subtilitatis gloriosæ, habuisse vnquam locum in Christi viatoris corpore: quod tamen videri cuipiam posset cum Cardinalis Vigerio in Decachordo, chorda.2. c. 32. affirmandum, in exitu Christi ex illæso matris vtero. Quomodo enim nulla apertio, nulla virgineæ integritatis temeratio facta est, nisi quia corpus Christi penetrauit maternum vterum per dotem subtilitatis? Erit qui eodem modo philosophetur de Christi corpore, quando iam glorioſum, è sepulchro illæso prodiit; aut cœnaculum subiit ianuis clausis: quidquid aliter ignorantissimè æquè ac nequissimè confinxerint nuperi sectarij apud Feuardentium in appendice ad Castrum v. *Christum*, hær.10. & 11. Videri etiam possit referendum ad hanc dotem, quod Beda narrat & de locis sanctis c.6. *in fine*, de impressis lapidi, vestigiis genuum Christi orantis. Id quod etiam Baronius anno Christi 34.n.66. in ima valle ad torrentem Cedron Christo contigisse, ex occulatis vestigiorum ibi impressorum testibus memorat.

Sed neque ad vllum ex his effectibus exponendum, video necessitatem gloriosæ qualitatis corpori Christi etiam transeunter communicatæ. Facile quippè erit, hos effectus exponere per mutationem factam in vtero Deiparæ, & in Saxis quibus Christus orans innitebatur: nullo planè nouo effectu, per Christi corpus, vel intra illud causato. V.G. Saxum diuinitùs mollefactum est ad certam mensuram: Necesse enim est affirmare ita factum esse, ob factam excauationem; & superstitem impressionem genuum. Nam si Christus lapidem penetrasset per dotem subtilitatis, nulla fuisset excauatio facta in lapide; nec notæ appressorum genuum superfuissent; sed interuenisset mera penetratio lapidis & genuum, immutato sensibiliter lapide. Vterus verò Deiparæ idcirco cessit Christo nascenti, nec diffractus est vel apertus, quia spoliatus est modo impenetrationis ex parte sua, quod videtur docuisse Aureolus in 3.d.4.quæst. vnica art.5. *sub finem*. Hoc vt perspiciatur, recolendum est ex alibi tractatis, in quantitate locum externum actu occupante, distinguendam esse primò quantitatem internam; Secundò extensionem situalem modaliter à quantitate distinctam; Tertiò aliam quandam quantitatis proprietatem positiuam, ab extensione reipsa distinctam, qua vna quantitas aliam ex eodem loco formaliter pellit, & non admittit.

17. Hanc proprietatem esse formam peculiarem saltem modalem, inde facilè enincitur, quod sicut quia videmus posse quantitatem coextendi loco, & non coextendi, assignamus peculiarem entitatem modalem, quæ dicitur modus extensionis; ita cum videamus quantitatem aliquando excludere è loco suo aliam quantitatem, quod semper accidit naturaliter; interdum verò non excludere, quod è plerisque fidei mysteriis docemur: planè adigimur, effectum illum exclusionis vel admissionis alterius corporis, reuocare in formam aliquam, cuius positione vel remotione id præsterut. Neque enim licet eum effectum tribuere extensioni, cum quantitas eodem modo extensa nunc admittat, nunc excludat externum corpus. Est quidem non admissio alienæ quantitatis aliquid negatiuum; tamen cum aliquando fiat, aliquando non fiat, debet habere causam aliquam, qua posita ponatur, & sublata tollatur: alioqui enim semper æquè fieret, aut non fieret admissio, positis quantitatibus extensis; contra quàm fides accidisse plerumque docuit. Agnouerunt aliqui hunc modum iam olim apud Rubionium in 4. d.10.quæst.3.art.1.à quibus ait vocatum esse *corpulentiam* aut *grossitiem*: & quantum puto, euincitur euidenter ratione proposita.

Neque enim satisfaciunt, siue Salas 1.2.tract.2.d.14. num.149. dicens non admissionem, esse effectum formalem quantitatis, sed secundarium, ideoque separabilem; siue Rubius quæst.6. de loco num.65. & 67. dicens, non admissionem, siue expulsionem, quamuis sit à quantitate vt à causa formali, tamen exigere diuinum concursum, eumque negari cum fit penetratio, siue denique alij, qui dicunt, per diuinam assistentiam extrinsecam; fieri vt quantitas penetrans, vincat resistentiam alterius, illudque priuet negatione naturaliter comitante, qua postulat non esse cum alia quantitate, in eodem loco. Nihil inquam horum satisfacit. Nam qualiscunque effectus formalis sit non admissio, ac etiamsi secundarius tantùm, tamen impossibile est, eandem quantitatem immutatam, nunc admittere, nunc non admittere aliam quantitatem. Quod autem non admissio depoſcat diuinum concursum, inane est: nam non admissio, est resistentia, quæ non est reale quid, sed mera negatio incapax diuini influxus positiui. Tandem si Deus nullomodo immutet quantitates, non poterit nudo imperio suo facere, vt quantitates priùs formaliter incompossibiles, reddantur compossibiles.

Hinc ergo facillimè monstrari potest, quomodò vterus Deiparæ compossibilis fuerit cum quantitate corporis Christi, nulla licet perfectione glorioſa communicata corpori Christi, sed tota mutatione tenente se ex parte vteri. Nam ad actualem penetrationem, sufficit exclusio alterutrius modorum, impenetrationem siue exclusionem conferentium vni è duabus quantitatibus compenetrandis. Quare per solam materni vteri ea modali forma spoliati mutationem, corpus Christi intemerato matris vtero prodire potuit, nullo subtilitatis glorioſæ stillicidio ad illud deriuato, in illa vteri penetratione.

Supernaturalis claritas Corporis Christi, in Transfiguratione.

18. Claritatis & impassibilitatis glorioſorum corporum, effectus aliquos, in Christi viatoris corpore emicuisse, transeunter, facilè dederim. Nam claritas, & quidem insignis, in Transfiguratione resplenduit, cum Christus ad luculentum diuinitatis suæ argumentum exhibendum, & roborandos ad mox subsecuturam crucem discipulos, vt optimè considerat Theodorus Studita oratio contra Iconomachos, apud Cyparissiotam decan.6. Transfiguratus est ante discipulos electos: id est saluis lineamentis & configuratione corporis, vt S.Cyrillus aliique Græci apud Cyparissiotam supra cap.4. disserunt, tantùm figura, id est specie altera assumpta; vel potiùs figura, id est extima superficie alterata & illustrata, perfusus est tanta luce, vt iuxta Isaiæ cap.24. prænunciationem, huc aptatam à Blesensi tract. de Transfigurat. erubesceret ad eam Luna, & Sol confunderetur, præ parcitate lucis suæ ad lucem Christi Transfigurati. Nec tamen fuisse eam claritatem, nisi participationem transeuntem claritatis glorioſæ, præter consentaneam corpori passibili dispositionem extraordinariè à Deo concessam, rectè statuit D.Thomas opusc.60.art.16.& 3.p.quæst.45. art.2.

Vbi

Vbi Suares, latè inquirit an ea corporis transfigurati claritas, ab anima exoriretur: rectéque negat, manasse physicè ab anima, quamuis moraliter ab animæ beatitudine redundaret, vt de toto apparatu beatitudinis corporeæ, loquitur D. Augustinus epist. 56. Fuisse autem veram claritatem inhærentem corpori Christi, & non soli aëri vel corpori circumstanti, constat ex proprietate verborum quibus transfiguratio ab Euangelistis refertur, testantibus faciem Christi resplenduisse, & Christum ipsum fuisse Transfiguratum.

Turrianus ad c. 3 6. S. Diadochi, censet hanc lucem à discipulis visam non fuisse ὁρατὸν, sed νοητὸν: id est non oculis ita affectis vt nostri sunt; sed oculis corporis, factis quodammodò spiritualibus, vt sic videre possent. Hoc nisi accipiatur de confortatione aliqua visus, vt posset tanto fulgori par esse, nec præstingetenus repudiandum censeo. Fuit enim ea lux verè corporea, ac proinde oculis corporalibus conspici potuit. Quod si aliqui Patres, visi sunt dicere lumen illud Thaborium esse spirituale, vel etiam diuinum; (innumeros adducit Turrianus in Antepologetico à pag. 66. inde colligens, Apostolos in Transfiguratione vidisse ipsam Dei essentiam, quod mordicus quoque docuerit eodem principio Gregorius Palamas, & alij adducti à Lorino 2. Petri 1. vers. 16.) exponendi sunt de diuinitatis signo, corporali tamen & materiali, vt rectè respondet Sanctesius reperit. 4. cap. 10. & Maldonatus in cap. 17. Matth. ad v. 2. qui placitum illud de visa ab Apostolis Deitate tempore Transfigurationis, déque lumine illo Thaborio increato, periculosum pronunciat. Id quod agnouisse postea videtur Turrianus, qui in defensione l. 1. Constit. Clementis cap. 6. & ad l. 7. cap. 9. tenacuit sententiam ante traditam. Et sanè bene multi Patres, non esse visam ab Apostolis Deitatem in Transfiguratione, diserte tradiderunt, apud Cyprianum decade 6. à cap. 4. quibus addendus Barlaamus, Gregorij Palamæ acer hac in parte aduersarius, cuius disputationem descripsit Bronius anno Christi 1331. num. 12. notatum & suffixum à Græculo Schismaticis Barlaamum, addens anno 1336. n. 29. Ethoc igitur fixum & ratum, hoc lumen fuisse corporeum & oculis corporis obuersatum.

19. Fuisse porrò claritatem nouam, nec ab initio, Christi corpori adiunctam, certum est ex passibilitate corporis Christi, cui ea claritas non fuisset consentanea: vt propterea Patres aliquos duriusculè in speciem locutos, visósque affirmare, claritatem corporis Christi transfigurati fuisse illam ipsam quæ ante corpori inerat, nec conspiciebatur; necesse sit exponere de radice huius claritatis; hoc est de vnione hypostatica, quæ verè ab initio corpus Christi sanctificauit, & connaturali iure ad eam claritatem donauit. Ita exponendi sunt Epiph. hær. 69. *ad finem*, & Damasc. orat. de Transfiguratione. Spectata autem proprietate vocis, *transfiguratus est*, verisimilius videtur, solam extimam figuram corporis Christi fuisse illuminatam, vt Dur. rectè perpendit in 3. d. 16. quæst. 2. n. 8. vnde noua confirmatio sumitur ad monstrandum, hanc claritatem Christi transfigurati non esse ipsammet claritatem plenam gloriosi corporis, qua totum corpus, etiam quoad intima viscera collucebit, & vndecumque visu permeabile fiet plusquàm chrystallus, & alia corpora exquisitè diaphana, vt affirmant S. Augustinus l. 1. de Gen. contra Manich. c. 21. & l. 22. Cinit. cap. 30. S. Chrysostomus epist. ad Theodorum. S. Gregorius 18. mor. c. 31. Lact. Iustin. l. de discipl. monast. conuers. cap. 23. Fuit itaque tantùm portiuncula claritatis gloriosæ, præsertim si verum esset quod Toletus in cap. 9. Lucæ annot. 38. existimat, nempe non vniuersum Christi corpus, sed solùm faciem in superficie extima splendu sse. Verisimilius tamen est, manus quoque fuisse collustratas. De reliqui item corporis splendore, suppetit coniectura ex candore vestium, qui cum non esset quid phantasticum & apparens, (dedecuisset enim Christi gloriam ea delusio); nec tamen haberet in vestibus, pùs vllum ortus sui principium, etiam morale, videtur ex corpore extimo profluxisse in vestes, ísque tinctis ac penetratis, certa modificatione obuersatus esse, specie albedinis eximiæ. Nam lux per interpositum velamen fusa, albere videtur, vt constat ex Sole per obiectas nubes transparente. Nam solam sanè faciem, sed & reliquas corporis Christi partes splenduisse, autor est S. Hieronymus epist. 61. & consentit Suares t. 2. 3. p. d. 32. s. 1. ac Franc. Lucas Matth. 17. Et tamen salnum manet quod diximus de sola participatione claritatis gloriosæ hic prodita; quandoquidem lux sistebat in extimis corporis partibus, vt præmisi. De hac claritate, accuratissimè omnino disserit Petrus Thyræus l. de gloriosa filij Dei apparit. Et multa ex Patribus prostant apud Cyparissiotam decade 6. c. 4. 5. & 7.

Aliæ quædam in Christi viatoris corpore, charitatis supernaturalis, participationes.

20. Præter hanc illustrissimam Theophaniam, emicuisse interdum claritatem in corpore Christi viatoris, & quosdam veluti radios colluxisse in eius vultu, habetur ex S. Hieronymo Matth. 9. Criminanti namque Iuliano leuitatem S. Matthæi, qui ad primam vocationem, abiectis tam multis facultatibus Christo adhæsisset, respondet D. Hieronymus, splendorem quendam è Christi facie emicuisse, qui Matthæum ita pellexerit. Similia habet c. 21. agens de iis quo Christus flagello expulit è templo. Et verò Sanctorum multorum facies, radiosa plerumque visa est: quod exempla iam olim, & non ita pridem edita, docent, & aliqua refert Bosius 15. de signis Eccles. c. 5. S. Thadæum Apostolum, visum Abagaro facie splendentem, scribit Eusebius l. 1. hist. c. vltimo. S. Stephani vultum, Iudæi tanquam Angelicum, id est splendentem viderunt. Iudithæ Dominus contulit splendorem. Pulchrè Ennodius in vita S. Epiphanij, ait sanctum vitum dum esset in crepundiis lactentis infantiæ, fulsisse superno lumine, vt futuram mentis claritatem, lustrans eam & præcedens fulgor ostenderet; secuturumque splendorem in moribus, iam tunc typica luce signaret. Adamum Anastasius Sinaita cap. 13. ὁδ. γ̃, cum innocens, adhuc & integer perstaret, colluxisse radiante vultu affirmant: idemque postea Setho contigisse, quem id, circo appellatum ait, *Dei* nomine, & sobolem eius *filios Dei*.

Minùs igitur mirum videri debet, radiasse similiter quandoque Christi vultum, vt ex Hieronymo retuli, confirmatque S. Chrysostomus hom. 28. in Matth. tractans illud, *turba detinebant eum, ne discederet ab eis*. Et illud, *quia omnes quærunt te*. Accedunt experimenta. Pictorem enim ab Rege Abagaro submissum ad Christi vultum delineandum, non potuisse micantes è Christi vultu radios irreuerberato obtutu sustinere; ideoque illam vultus Christi expressionem desperasse, Ecclesiastica prodit historia. Recens materno ex vtero fusi Christi Domini, vultum adeò colluxisse, vt speluncam in qua editus est, collustraret, narrat S. Brigitta l. 7. reuel. cap. 25. Vt taceam quod de Disma latrone in Christum paruulum ad Ægyptios profugum incidente, & ad tantam vultus rediantissimi claritatem attonito, versoque in preces, quæ illi in vitæ meta misericordiam exorarint, memoratur apud Augustinum l. de vita Eremit. ad sorot. c 48. De hac narratione & iudicium tuli l. de S. latrone c. 6. n. 15.

Cæterùm quamuis claritatem Transfigurationis certum sit veram fuisse, & Christo reipsa inextitisse, vt fert proprietas narrationis Euangelicæ, ideoque de ea certum sit, fuisse perfectionem supernaturalem cor-

pori Christi communicatam transeunter ; tamen declaritate vultus Christi in his posterioribus exemplis conspicua, facilè dici posset, non fuisse nisi apparentem. Sicut nihil est quod adigat, admittere radios quos in Sanctorum vultibus apparuisse diximus, fuisse veros radios ; cum dici absque incommodo possit, fuisse à Deo imaginariè demonstratos, vt essent conuentibus in testimonium internæ claritatis animi ac sanctitatis. Nam & idcircò tales radij à quibusdam duntaxat quos Deus eo contuitu donare dignabatur, non etiam ab aliis conspiciebantur: quod de astantibus Regi Agaboro cum radiantem Thadæi Apostoli vultum spectaret, notauit nominatim Eusebius laudato proximè loco.

Dos impassibilitatis, corpori Christi viatorii, numquam concessa.

21. Venio ad impassibilitatem, cuius in Christi viatoris corporis effectus ille notari potest; quod ieiunans per 40. dies, famem non sensit, nec vllum inde detrimentum passus est. Vt enim ait S. Fulgentius epistola ad Rheginum, [Christus ipsam carnem non solùm infirmam, sed etiam veraciter cognoscitur accepisse mortalem. Proculdubio in quantum corpori eius inerat suscepta mortalitas, in tantum ei potuit inesse corruptionis infirmitas. Illius scilicet corruptionis, quæ abest ab omni peccato. Ad talem corruptionem pertinet fames & sitis. Facilè siquidem esuriendo & sitiendo corpus mortale corrumpitur; quando per hæc etiam ad ipsius mortis exitum peruenitur : per quam mortem venitur ad corruptionem, dum deserente anima, in tantum corpus corrumpitur, vt in putredinem, ac puluerem redigatur. Hanc corruptionem, cato Christi non vidit, quæ die tertia resurrexit. Famem tamen, sitim, fatigationem corporis ac dolorem, veraciter sensit; quæ omnia pertinent ad illam partem pœnalis corruptionis quam ex peccati pœna supplicio trahimus, vt ex ea nullum peccati supplicium contrahamus.] Ergo quod fames sit impedita, incorruptibilitas, & impassibilitas quædam fuit. Planéque interuenisse in ea tam diuturnæ inediæ toleratione miraculum, statuit vt omnino verum Mercurialis lib. 6. varia. cap. 12.

Non tamen ita accidit ob dotem impassibilitatis, corpori Christi collatam, vt malè censuit Card. Vigerius in Decachordo chorda 2. cap. 33. Accidit ergo ex diuina virtute, in ea occasione id Christi corpori tribuenre, eximio sanè diuinæ in eo potentiæ argumento. Magnum enim diuinæ in Christo virtutis argumentum fuit, quod inedia per 40. dies continuata, non modò illum vita non priuarit, sed ne sensu quidem illo quem famem appellamus, molestè habuerit: quamuis ei esset corpus benè constitutum, & viscidis humoribus naturalem caloris actiuitatem distinentibus, minimè scatens. Quæ causa est in plerisque, cur absque stropha & miraculo, per dies plurimos vltra solitum morem, & aliqui per dies 40. ieiunium citra mortem protraxerint. Fortassis enim sic accipi potest, quod de ieiunio totius Quadragesimæ per Simeonem Stilitem, scribit Theodoretus cap. 26. Relig. hist. Multo intrepidiùs idem dixerit quis, de illo exemplo quadragenarij ieiunij, quod refert S. Augustinus epist. 86. & de ieiunio solidi quadriennij per puellam Germanicam, descripto ab illius temporis scriptore, Symone Portio, iusto opusculo. Scribit item Medina 1. Paren. cap. 7. fuisse suo tempore, qui trimestre integrum exegerit ieiunus. Lego præterea apud Gyraldum Dialo. 4. de Poëtis, rusticum Germanum, in somno, atque adeò planè ieiunum, exegisse autumnum totum, ac hyemem. Affinia exempla dabunt Delrio l. 2. Mag. q. 21. & Læbus. l. subsess. l. 16. cap. 2. Tam prolixi in istis ieiunij, causa fuit, quam dixi. Sic enim de brutis inediam longissimam ferentibus philosophatus est Aristoteles 8. histor. cap. 14. & 17. & Agricola l. de animant. Subteran. à cap. 13. Ob modicum enim internum calorem, & constitutionem viscibus plerisque humoribus, crassisque deprauatum, impasta exigunt tempus longissimum. Idem ergo accidere hominibus longam inediam patientibus, rectè statuunt Portius supra c. 6. & Mercur. 6. Var. cap. 12. Non nego tamen, quin interdum idem accidat per miraculum, vt in Elia: alias verò per artem Dæmonis, vt in puella quam memorat Prosper in Dymidio temp. cap. 6. Nec rarò sunt exempla simulata & plena hypocriseos, vt docent quæ leguntur apud Petrum Gregorium lib. 35. Syntax. cap. 10. & alia protuli in opere de æquinoc. cap. 2. n. 14. In Christo igitur cuius temperies optima erat, & corpus quàm exquisitè constitutum, nulla talis remora actiuitati caloris naturalis apponebatur: ac proinde quod tam longa inedia illum nec vita priuarit, nec sensu molestiæ affecerit, grande miraculum fuit; immeritóque à Gilberto in fine operis de altercat. Synagogæ & Eccles. numeratur inter opera Christi naturalia.

Hoc tamen miraculum, negabam referendum esse ad dotem impassibilitatis: tum quia defuit stabilitas, tum quia impassibilitas quæ est effectus dotis gloriosæ, oritur à qualitate supernaturali, omnis extraneæ & ad corruptionem disponentis alterationis exclusiua, debiti temperamenti conseruatiua formaliter aut effectiuè, iuxta varias de ea qualitate sententias. At nulla talis qualitas, Christi corpori immissa est, per quadragenam illam: quia qualitates huiusmodi supernaturales sunt incorruptibiles, secluso peccato quo demeritorie expellantur. Cum igitur in Christum impossibile fuerit cadere peccatum, oportuisset huiusmodi qualitatem semel collatam, hæsisse in Christo perpetuam, quod constat falsum fuisse. Quare effectus ille tribuendus tantùm est, diuinæ soli assistentiæ extrinsecæ, arcenti incommodationem à calore naturali obuenturam.

Breuiculum, & vsus doctrinæ.

22. Secluso igitur his paucis quandoque dispensatoriè factis communicationibus participationum quarundam perfectionum supernaturalium in corpore Christi viatoris diuinitùs exhibitis, quia expediebat vt agnosceremus quantis se connaturalibus bonis in nostrum commodum Christus priuasset; & ad quantam pauperiem propter nos deuenisset: his inquam paucis supernaturalium corporis perfectionum participationibus seclusis, corpus Christi viatoris & crassum fuit ac graue, & cum aliis corporibus impenetrabile, & obscurum, & passibile, æquè ac nostra, de quo dubitare non licet, suppositis iis quæ de Christo narrantur in Euangeliis. Et optimum Dei hac in parte consilium, produnt illa Petri Damiani serm. de S. Columba. [Seculi huius homines, qui bellorum ambiunt virtute claresceere, qui per ora vulgi suas optant victorias celebrari, cum ingressuri sunt prælium; In corpore suo, quod infirmum est, & molle subjciunt, quod durum est, atque ad penetrandum difficile, superponunt. Loricis quippe se ferreis induunt; & carnem quæ facilè cedit ictui, custodire contendunt, vt illud durum, ac fortè, quod foris est, defendat molle quod intus est. Redemptor noster cum huius mundi campum pugnaturus ingreditur, cum ad debellandas aëris huius nequitias fortis prælator armatur, quia nouum debebat instruere prælium, nouum induit genus armorum; videlicet vt quod infirmum est, superponeret, & quod robustum est, occultaret.]

Vsus doctrinæ propositæ esse debet, eximius in Christum amor. Nihil enim procliuius est, quàm vt amore inardescamus, erga hominem iis affectum corporis

poreis dotibus, quas in Christo effloruisse monstrauimus. Pulchram sanè faciem, esse mutam commendationem dixit Publius Mimus. Nec aliter de cæteris corporeis perfectionibus statuendum. Quàm ergo commendatus censeri debet Christus Dominus, in quo decora illa tantoperè effulserunt?

CAPVT II.

Qui defectus è Christi viatoris corpore ablegandi, qui admittendi.

25. QVia contrariorum eadem est scientia, expositis perfectionibus, expendendi sunt defectus oppositi, si qui interueniunt. De defectibus ergo corporis Christi, statuenda est generalis regula posita à Sophronio in epistola Synodica quæ habetur in 6. Synodo actio. 11. & à Damasceno l. 3. fidei cap. 20. cum dicerent, [Christi corpus caruisse imperfectionibus & passionibus detrectabilibus, & reprehensibilibus, ἐλαττώσεσι: Eos autem defectus, & eas passiones subijsse, quæ sunt naturales & irreprehensibiles, & quæ procul à macula & pollutione sunt, & in quibus cuiusquam peccati vestigium non reperitur. Irreprehensibilis defectus ac passio, apud hos Patres, idem est quod defectus aut passio minimè dedecens. Sicut è contrario, passio aut defectus dedecens, cui Christus corpus suum subiacere noluit, dicitur reprehensibilis, & detrectabilis. Signemus defectus qui in vtraque classe occurrunt.

Nullus defectus in Christi corpore, quoad membrorum integritatem, vel fœdam conformationem.

Detrectabiles corporis defectus quos Christus remisit suscipere, occurrunt duo, deformitas corporea, & morbus. Nam truncatio non pertinet ad hoc genus defectuum, eámque superiùs, agentes de humanitate assumpta, remouimus sufficienter à Christi Corpore, quod integrum & nulla parte mutilum fuisse; (non ego de præputio) certum ex fide videtur. Nihil enim frequentius in Conciliis & Patribus, quàm Christum vt vniuersum hominem & omnia nobis naturalia cuncta, ea sibi coniunxisse. Quæ ratio perspicuè supponit, Christi corpus & partibus ac membris omnibus, & quibuscunque eorum naturalibus facultatibus, visu, auditu, ac cæteris instructum fuisse. Nec legere memini e tam multis quot in Ecclesia per tot sæcula ebullierunt erroribus, quenquam id de Christo effatuisse, parte eum aliqua fuisse imminutum: quamuis multi circa eum, tam variè, támque præposterè impegerint. Itaque ratum id esto, hæreamúsque in duobus illis quos protuli defectibus; deformitate inquã, & morbo.

24. Nomine *deformitatis*, intelligo fœdam corporis conformationem, & quidem ex parte, vt sic dicam, non autem plenam & generalem: qualem Sydonius l. 3 epist. 13, exercendo stylo, & ad ingenij specimen exhibuit, expresso homine vniuersis corporis membris adeò monstroso, vt nihil possit fingi, aut mente concipi, nedum existere magis distortum. Nec dissimiliter prisens Poëta anonymus, fœdissimum omnibus corporis partibus aduersarium ita describit, vt decorissimis membris omnibus, cum nihil in illis occurreret commendatione dignum, solam cæsariem & capillamentam laude dignam reperisse se diceret, quod ab adeò maligno capite aufugisset per calvitium. De hac deformitate, non est hîc satagendum: sed de ea quæ vnam duntaxat aut alteram corporis partem spectet, cuiusmodi est gibberum, claudicatio, Simitas; præsertim notabilis, quæ quamuis apud Æthiopas probro non ducatur, imò ad venustatem & elegantiam pertinere existimetur; tamen ex communi sensu, nec vano, corpus deformat. Eiusdem generis est nimia obesitas, & ventricositas, seu pinguis aqualiculi, protenso lesquipede extantis, moles indecora. Item faciei vel nimia rubedo, nævis præsertim ac tuberculis interspersa, vel flauedo, aut palliditas nativa, qualis propè cadauerum.

Huiusmodi defectus, à Christi corpore abfuisse dico, quia verè sunt detrectabiles ac reprehensibiles; nec ad nostrum commodum conferre quicquam poterant: quin potiùs poterant obesse: Quia sicut pulchra facies muta est commendatio, & ab homine egregia specie, orisque & totius corporis habitu eximio, suggestum consilium aut monitum, gratius excipitur: ita vicissim fœdi & malè conformati hominis, vel ipse occursus plerumque ominosus & inauspicatus videtur. Itaque Christum Dominum, quem conuersari cum hominibus, & verbum Dei publicè apud omnes ordines ferere necesse erat, eo dignitatis diuini verbi obstaculo carere par fuit, & caruisse reipsa monstrant quæ protulimus de Christi corporis pulchritudine.

Patres visi dissidere.

25. Nec refragantur Patres, qui Christi speciem abiectum & contemptibilem fuisse tradunt. Signo nonnullos. Tertullianus l. de carne Christi cap. 9. præfatus nihil in Christi corpore efflouisse nouum aut peregrinum, id est mirabile & insolitum, subdit. [Denique verbis tantummodò & factis, doctrina & virtute sola Christi, homines obstupescebant. Notaretur etiam carnis in illo nouitas miraculo habita. Sed carnis terrenæ non mira conditio. Ipsa erat, quæ cæteras eius miranda faciebat, cum dicerent: *vnde huic doctrina, & signa ista?* Etiam despicientium formam eius, hæc erat vox: adeò nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis.] S. Cyrillus in Glaphyris Exodi lib. 1. versans locum Psalmi 44. *specie tua & pulchritudine* referens eum locum ad Christi speciem diuinam, subdit: [carnis gloriationem, nemo adscripserit Christo, nec in gloriam ipsius censuerit. Absit hoc. Totum enim mysterium incarnationis, est exinanitio; sicut scriptum est ab Isaia, *vidimus eum & non habebat speciem, neque pulchritudinem.* S. Athanasius orat. de humanitate susceptæ contra Apollinarium, dictum Isaiæ, *non habebat speciem*, ait pertinere ad Verbum carne amictum, quippe cuius species contemptibilis esset. Cassiodorus in Psal. 44. negat, Christum dictum esse speciosum, quia forma eius decore lactei coloris eluxit, aut flauo crine lampauit, aut insigni statura præminuit: quod est dicere, Christum pulchritudine corporea fuisse destitutum; quandoquidem corporea pulchritudo, ex colore, & statura, ac proportione membrorum existit S. Bernardus serm. 45. in Cant. librans illud sponsæ *ecce tu pulcher es*, Christo abrogat carnis pulchritudinem, his verbis. [Existimo nequaquam hac vice eius sensibus importatas imagines carnis, aut crucis, aut alias quascumque. Corporearum similitudines infirmitatum. In his namque iuxta Prophetam, *non erat ei species, neque decor.* Hæc autem eum intuita, nunc pulchrum decorumque prænunciat, in visione meliori, illum sibi apparuisse significans.] Alia Patrum loca pro abroganda Christo corporea venustate, iam tacta sunt aptando ad Christum Iosedeci vestes sordidus, quas de carne à Verbo susceptæ interpretatos grauissimos Patres, retulimus proponentes huius mysterij Emblemata.

Variè exponuntur.

26. Hos Patres nego repugnare iis quæ diximus, possuntque multipliciter exponi. Ac primùm aliqui non sumunt speciem pro conformatione oris ac vultus, & pro vniuersi corporis habitu debito, & consentanea proportione, vt nos hactenus speciem ac pulchritudi-

nem vsurpauimus : sed speciem sumunt pro externo apparatu vestrum,& satellitij,qui certè in Christo nullus fuit. Disputat multis in hanc rem Orig.l.6. contra Celsum, & refertur in Philocalia cap.15. Sed audi in hanc rem luculenter agentem Chrysostomum in Psal. 44.ad illud *diffusa est gratia*. Cum enim dixisset,agi eo loco de gratia creata, & gratiam quæ intus erat scaturijsse,subdit. [Quomodo ergo dicit alius Propheta, *vidimus ipsum & non habuit speciem,nec pulchritudinẽ,sed speciem eius indecorã,diminutam præter filios hominũ.*Nõ dicit de deformitate, absit; sed de eius contemptione. Cum enim semel humanitatis personam suscepisset, quæcumque erant vilia, & contemnenda peruasit, vt qui nec sibi matrem reginam adsciuerit, nec tempore incunabulorum ac fasciarum in lecto aureo positus sit, sed in præsepi: nec in magnifica domo educatus fuerit, sed in fabri lignarij humili domuncula. Et rursus cum discipulos assumeret, non oratores, & philosophos accepit, & reges; sed piscatores, & publicanos: & tenuem hanc vitam persequebatur,nec domum habens, nec vestibus pretiosis indutus, nec delicata, & lauta mensa fruens, sed ab alijs nutritus, probris affectus, contemptus, eiectus & fugatus. Hæc autem faciebat, ex superabundanti quadam copia humanum factum conculcans. Quoniam ergo nil magnificum nec glorioſum præ se ferebat, & nec vllos comites habebat, nec satellites; imò verò nonnumquam solus etiam obibat, sicut quilibet è populo, propterea ille quidem dicit, *vidimus ipsum, & non habuit speciem nec pulchritudinem.*

Alij verò Patres, cum Christum specie destitutum affirmant, speciem quidem sumunt pro corporis habitu & pulchritudine; sed Christum spectant tempore passionis, in qua manifestè deturpatus est, & flore illo renidẽtis venustatis spoliatus. Ita latè Bernardus serm. 28. in Cant. Benè quoque S.Hieron. epistola ad Principiam in Psalm.44. his verbis. [Quæritur quomodo pulchrior, sit cunctis filijs hominum, de quo legimus in Esaia; *Vidimus eũ,& non habebat speciem,neque decorẽ; sed erat species eius inhonorata,& deficiens a filiis hominũ: homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitatem quia auertit faciem suã.* Nec statim Scriptura dissonare videtur: quia ignobilitas corporis propter flagella, & sputa, & alapas, & clauos, & iniurias patibuli commemoratur, hic pulchritudo virtutum in sacro & venerando corpore: Nam quo diuinitas Christi, hominibus comparata, non formosior sit:hæc enim non habet comparationem: sed absque passionibus Crucis. Vniuersis pulchrior est Virgo de Virgine: qui non ex voluntate viri,sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset & in vultu quiddam oculisque sydereum; numquam eum statim secuti fuissent Apostoli: nec, qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent. Denique & in præsenti testimonio,in quo ait,*homo in plaga positus & sciens ferre infirmitatem*: reddit causas,quare ista perpessus sit;*quia auertit faciem suam*;id est,paululum diuinitate subtracta,corpus iniuriæ dereliquit.]

Optimè Isidorus Pelus.lib.3. epist.130. iuxta quem Scriptura Christum vocat. [Non habentem speciem neque decorem, duplici de causa: altera quoniam herili forma occultata seruilem ostendit: altera quia in eo supplicio, quod voluntariè ac sponte subijt nullum non cõtumeliæ genus exercitatum est. Pendebat quippe in patibulo, meridiano tempore, atque in Metropolitana Vrbe,ac maximo festo,in quo neminem fuisse verisimile est. qui non interesset. Quin etiam alij cauillis in eum ludebant, alij sannis eum impetebant, alij probris lacerabant, alij acetum offerebant, alij contumelijs eum afficiebant,alij lancea ipsius latus fodiebãt. Atque in eos quidé latrones, qui vnà cum ipso in crucem acti fuerant,nihil tale perpetrabant: in ipsum autem eiusmodi contumeliis, quibus ne innocentes quidem & facinorosos vti fas est, bacchabantur.] Hoc censet Isidorus fuisse,Christum non habere speciem.

27. Alij etiam Patres, similia affirmando rationem habuerunt laborum, vigiliarum, inediæ, aliarumque passionum quibus Christus carnis suæ elegantiam natiuam iugiter offerebat. Multò quippè magis in Christum cadit, quod de se prodit Apuleius in Apologia. [M hi continuatio literati laboris, omnem gratiam corpore detergit, habitudinem renuat, succum exsorber, calorem obliterat, vigorem debilitat.] Quo sensu plenissimè contra Christi pulchritudinem disputat autor tractatu de vite vera apud Bernardum c.5. vt patet in fine capitis. Aut certè tantum contendunt,corporis Christi pulchritudinem absolutè sumptam, & sine relatione ad ætatem, munera, & finem Christo propositum, non fuisse summam quod vltrò dedimus superiùs. Id tamen non est esse deformem corpore, quod vnum nunc à Christo amolimur.

Tandem nonnulli Patrum in solam internam Christi pulchritudinem intenti, aiunt Christum fuisse deformem externa specie, quod oculos incredulorum: quamuis esset in se pulcherrimus,vtique animo,de qua pulchritudine agunt, silentes de corporis pulchritudine,nec tamen eam negantes. Testem in eam rem profero Augustinũ in procemio Psal.44. [Si aliquid fœdi inuenerimus in eo, non amamus: quia & hoc ipsum, quod carnem indutus est, vt de illo etiam diceretur, *vidimus eũ & non habebat speciem neque decorem*, si cõsideres misericordiam qua factum est, & ibi pulcher est. Sed Iudæorum personam gerebat Propheta cum diceret. *vidimus eũ & non habebat speciem neque decorẽ.* Quare? quia non in intellectu. Intelligentibus autem, & verbum caro factum est, magna pulchritudo est. *Mihi autem absit gloriari*, dixit vnus amicorum sponsi, *nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Parum est vt nõ inde erubescas,nisi etiam & glorieris. Quare ergo non habuit speciem neque decorem? quia Christus Crucifixus, Iudæis quidem scandalum, gentibus stultitia. Quare autem & in cruce habuit decorem? quia *quod stultum est Dei,sapientius est quàm homines:& quod infirmum est Dei, fortius est quàm homines.* Nobis ergo iam credentibus,vbique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum:pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbũ, quia & cum esset infans, cum surgeret, cum manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt,Magos stella direxit,adoratus est in præsepi, cibatia animalium manducatorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra,pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis pulcher inuitans ad vitam, pulcher nõ curans mortem, pulcher deponens animã,pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo,pulcher in intellectu. Audire Canticũ, neque oculos vestros à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa & vera pulchritudo, Iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum,vbi deprehendes iniustum. Si vbique iustus,vbique decorus.]

S. item Gregorius l.6. in 1.Reg. sub finem tractans illud *ruffus & pulcher aspectu*, ostendit id in Christo adhuc mortali,de interna pulchritudine valuisse. Eóque aprat locum ex Psal.44. quo Christus speciosus forma dicitur,aliáque nonnulla,de Christi decore dicta.

Christi corpus, nequaquam morbosum.

28. Alter defectus detrectabilis, à Christi corpore remouendus,est morbus corporalis. Quæ est communis Theologorum sententia, cum S.Thoma 3.p.q.14. art.4.fitmata fusiùs ab Abulensi in cap.3. Matth.q.52. éstque tam certa,vt dubitare de ea non licere,dicat Ribera Hebr.4.n.28.ad illud, *tentatum per omnia*. Sanè quemdam in Hispania, ausum effutire contrarium de

superiore

superiore loco, adactum fuisse ab Inquisitoribus ad palinodiam, testatur Aquarius in 3.d.17. concl.3. Synodus item Francofortd. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, referens quo ab eis scriptum erat ex Isaiæ 53. de Christo leproso, id accuratè refellit, & Esaiæ nunquam in mentem venisse demonstrat. Nec repugnat Guerricus serm.2. de Assumpt. vbi inducens Angelos scisciantes de Deipara quomodò incidisset in ægritudinem, & quomodò corpus de quo prodijt Christi corpus, potuisset esse infirmitati vlli accessibile; subdit inducens Deiparam respondentem illud ipsum corpus filij mei quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quàm infirmum quantis defectibus subditum fuerit voluntate; Ego noui, &c. Cur ergo doleam non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? &c. Sanè aliud est sanitas, aliud sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo concepti sui corporis Sacramento: Sanitatem se daturum promisit suscitati corporis exemplo.] Hæc & alia ibi tradens Guerricus, non repugnat perfectæ sanitati corporis Christi pro qua pugnamus, sed eas dumtaxat infirmitates in eo statuit, quæ aliæ sunt à vera ægritudine & morbo, quales etiam dumtaxat fuerunt in Deipara.

Ratio excludendorum à Christo morborum, petenda est, ex eo quod morbi, ortum habent vel ex imperfecta temperie & vitio seminis, vel ex ingluuie aliisque aduersus temperantiam defectibus, vel ex ignoratione, aut non satis oculata attentione ad noxia; quæ omnia à Christo abfuerunt. Accedit fundamentum quod iecimus post Sophronium in Sænodica, & Damascenum 3. fid.c.20. nempe quod Christus caruerit passionibus & defectibus reprehensioni iure patentibus, id est defectibus personam eius dedecentibus. At morbos non potuisse à Christo decenter admitti, affirmat S. Athanasius l.de Incarnatione Verbi, vbi exponens cur Christus eo mortis genere è vita abierit, quod crux intulit, non autem per morbum, ita disputat. [Cæterùm ill hic aliquis obiecerit, si necessarium erat eius corpus pro omnibus in mortem dedi. cur non vt homo communi lege naturæ mortem oppetijt, sed eò vsque deuenit, vt crucifigeretur? Honorificè quippe magis conueniebat illud ab illo deponi, quàm per contumeliam istiusmodi mortem sustinere. Vide hic (quæso,) an huiusmodi obiectio non planè sit hominum, ac talis quæ diuinam dispensationem non sapiat. Nam quod à Saluatore. Certum est, diuinum sanè & dignum ipsius diuinitate est, idque multis de causis. Primùm enim, mortem hominibus per imbecillitatem naturæ ingruere, certum est, qui quum diu perdurare nequeant, progressu temporis dissoluuntur. Ex ista imbecillitate, morbi oboriuntur; quibus vbi vires exhaustæ fuerint, in mortem cadunt. Contra in Domino nihil imbecillitatis, quippe qui sit Dei virtus, Dei ratio ipsissimáque vita. Si igitur solito more, secundum consuetudinem hominum, corpus in lecto deposuisset, creditum fuisset, per infirmitatem hoc ei accidisse, eúmque nihilo plus quàm cæteros homines possedisse. Ille autem quoniam & vita erat, & Dei Verbum, & mors pro omnibus necessariò requirebatur, ideò corpus suum & vita & potentia corroborabat: Quatenus autem mors debebatur, eatenus ex se, sed aliunde rationem immolandi mutuatus est. Quamquam neque morbo laborare Dominum decebat, vt qui aliorum morbos sanabat: neque etiam infirmitates aliquas corporis pati eum oportebat, in quo & aliorum infirmitates confirmabat. Quare igitur non etiam mortem, quemadmodum & morbos sustulit? Ideò mirum, quia moriendi causa corpus assumpserat, nec fas erat mortem arceri & excludi, ne simul resurrectio impediretur. De morbo alia ratio fuit, qui si mortem antecessisset, creditum fuisset, eum ex imbecillitate Dominici corporis ortum fuisse.] Et mox. [Iam si eius corpus ægritudine laborasset, & sub omnium oculis, Verbum Dei ab eo dissoluto recessisset, non sine dedecore habitum fuisset, medicum alienorum morborum, suum, quo vsus erat in curandis ægritudinibus, instrumentum, corruptum à morbis neglectui habuisse. Quî enim creditum fuisset, eum, si ipsius elanguisset templum, aliorum languores depulisse? aut enim impotens depellendi morbi irritus fuisset; aut potens quidem, sed tamen non faciens, inhumanitatis infamiam reportasset.]

29. Dedecuerunt ergo Christum, morbi: & idcirco, vt vides affirmare S. Athanasium, sinit Deus Christum violenta morte necari; indicans id conuenientius, quàm Christum morbo corruptũ emori. Neque enim dubium videtur, quin Christus nisi mors violenta interuenisset, præ senio occubiturus esset, iuxta illud S. Augustini lib.2. de peccat. Met.c.29. [Quia in Christo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, vt ad mortem videatur etiam senescendo illa caro peruenire potuisse, nisi iuuenis fuisset occisus.] Nimirum resolutio caloris naturalis & humidi, eo tandem deduxisset Christi corpus, vt non esset idoneum animæ receptaculum. Quia ergo naturaliter non deuenitur ad mortem sine aliqua temperamenti indispositione quæ rationem morbi habeat; propterea aiebat S. Athanasius, præstitisse permitti violentam mortem & præproperam, vt arcerentur morbus.

Nec est necesse tricari, supponendo quorundam Medicorum sententiam, qua corpus benè temperatum & gubernatum, ex mera humidi resolutione exanimari posse dicitur, citra omnem morbum. Ex quo sequitur. Christum cuius corpus optimè temperatum erat, & sapientissimè regebatur, potuisse absque morbo vita excedere, si non fuisset occisus. Hoc voco tricari, quia reuera quamuis *morbi* nomine non soleat venire leuis quælibet tentatio sanitatis, & indispositio qualiscunque, præsertim perbreuis; tamen in omni rigore morbus est. Ad illam autem deuentum esset, per eam resolutionem humidi naturalis quam consecutus esset interitus. Vnde easdem ob causas ob quas morbum simpliciter arceri à Christo decuit, (vt scilicet ab imbecillitatis suspicione elongaretur;) satius visum est Deo, mortem præcocem permittere. Ab hac enim admittenda, non auocauit imbecillitatis apud homines suspicio, quia ad excipiendam ab extrinseco mortem, salutis nostræ ac vitæ causa, è cœlo venerat. Cæterum quæ de morborum exclusione à Christo constituimus, de morbis simpliciter dictis sint accipienda. Sunt enim qui non refugiant admittere, eum dolorem qui dentitionis tempore vexat minutam ætatem, cecidisse in Christum, vt refert Cornelius Isaiæ 7.v.5. & quamuis Cornelius refragetur, nihil tamen occurrit quod prorsus euincat id genus incommodi non potuisse in Christum cadere. Nec enim reuera est morbus simpliciter dictus.

Admittendi in Christi viatoris corpore, defectus irreprehensibiles, permanentes.

30. Progrediar ad defectus irreprehensibiles, quos in Christo esse admittendos, rectè statuebant Sophronius, & Damascenus. Neque enim Christi corpus per naturales perfectiones quibus illud exornatum & instructum vidimus, reddebatur impenetrabile quibusdam defectibus transeuntibus, nec quibusdam permanentibus. Transeuntes defectus voco, famem, sitim, & sudorem: permanentes verò, mucum, & huiusmodi alias excrementitias corporum egestiones. Quod Christo & mucum tribuo, & alia huiusmodi corporum naturalia excrementa, mirum videri non debet. Nam ex cibis & potibus corpori nostro consentaneis,

cum ex se defæcati non sint, talia excernuntur, naturali vi expultrice & expurgatrice eos defæcante. Nec paruo sunt subsidio ad naturales pleraſque & animales functiones, vt apud Medicos plenius traditur. Præterquàm quòd si Christus his generalibus purgamentis carnisset, non homo eiusdem nobiscum naturæ, sed alterius, aut certè imaginariæ habitus esset. Itaque insulsè nimis Armeni, (si vera de eis refert Guido tract. de eorum erroribus cap. 30.) negarunt Christum emisisse vlla excrementa. De ciborum reliquiis, idem ferunt verba illa Valentini apud Clementem Alexandrinum 3. Strom. cap. 6. [Cum omnia sustinuisset, erat continens. Diuinitatem operabatur Iesus. Edebat & bibebat propriè non teddens cibos. Tanta ei inerat vis continentiæ, vt etiam nutrimentum in eo non exterierit, quoniam ipse non habuit interitum.] Sic nugatos hos hæreticos, insolens nequaquam videri debet.

Rectè verò è contrario Anastasius Synaita cap. 33. ὁδηγῦ, ita de Christo statuit. [Si igitur Christus probauit omnia, & tentatus est per omnia quæ nobis accidunt, triginta illis annis; nouerint hæretici, eum ex sanctissima Virgine, quasi Deum sponte sua natum, simul tamen vt hominem, instar infantium, flebili voce illachrimasse; neque hoc tantùm tempore, sed toto illo infantiæ anno, biennio & triennio, Iesum tentatum per omnia ad similitudinem nostram, infinities fleuisse, naturalem & infantilem ploratum edidisse, infinities esuriuisse & sitiuisse; comedisse & bibisse, sponte sua more infantium esurientium, sitientium, manducantium & bibentium: infinities somnum naturalem, & ab omni alienum reprehensione cepisse; infinities expuisse, pérque nares & os excreuisse, vt corporis naturam fluxilem demonstraret.] Has cum Chrysostomo quem refert, ait esse naturales & indetrectabiles naturæ nostræ indigentias, quas Christus non repudiauit, naturam potiùs ipsam repudiaturus & numquam suscepturus, si eas à se alienas habuisset. Nec aliter argumentatus est Abulensis qui pro excrementis è cibi ac potus reliquijs in Christo agnoscendis, fusè disputat in cap. 12 Leuit. q. 15. 16. 17. & 18.

Et alij transeuntes.

31. In eundem ordinem mox refert idē Anastasius, quos vocabam naturales corporum defectus transeuntes; famem inquam, sitim, somnum, fatigationem, liuores, vulnera, lachrymas, & huiusmodi: Liuorem quidem ex vulneribus, in Christo nondum rediuiuo cum è cruce depositus est, nullum prorsus apparuisse, quasi Christi corpus esset talis defectus incapax, affirmat Auror dialogi de passione Domini, apud Anselmum. Nec improbare audet Cartusianus tract. de passione Domini art. 14. Leniſſimè autem id reijcit Molanus l. 4. de imag. cap. 12. aiens dumtaxat, hoc non esse solidum. Mihi verò videtur erroneum, & pugnans cum vera passibilitate corporis Christi, vsque ad punctum resurrectionis. Nec est quod autoritas S. Anselmi, timorem cuipiam faciat. Libellus enim ille, scatet fabulis & mendis crassissimis, ab Anselmi eruditione & grauitate alieniſſimis, vt in Syntaxi opusculorum sancti illius Patris, monstraui. Itaque nos liuoribus Christi sanati, agnoscimus fuisse in eius corpore hunc defectum.

De lachrymis res est extra dubium, ex pleriſque Scripturis. Nam videns ciuitatem fleuit super illam; Et in cruce preces ad Patrem obtulit cum clamore valido, & lachrymis; Et ad Lazari tumulum, lachrymatus est, siue ex commiseratione sortis humanæ, siue vt scitè philosophatur Isidorus Pelus. l. 2. epist. 173. quia dolebat quod ad gloriam suam prodendum, necesse esset virum iustum è portu quem iam subiuerat, in mare huius vitæ reducere. Hæc & alia exempla in hanc sem, vrget S. Basilius homil. de gratiarum actione; concluditque. [Sanè quemadmodùm in se Dominus suscepit famem, vt primum digesta illi fuerat sumptæ alimoniæ soliditas: in se item recepit & sitim, mox vbi in eius corpore quem sumpserat, consumptus liquor est: delassatus item est, musculis neruisque prolixitate itineris se protendentibus; non quidem diuina in ipso maiestate edomita, aut quicquam patiente, sed Corpore symptomata naturæ consentanea, excipiente, ad eumdem modum sustinuit & lachrymas; nimirum permittens accidere assumptæ carni, quod ei erat naturale. Lachrymari proinde contingit, cum particulæ concauæ cerebri euaporationibus ex tristitia collectis differtæ, quasi per elices quosdam, canalesue, per meatus oculorū pondus eius collectitij humoris egerunt.]

Has ergo & alias huiusmodi naturales affectiones nostras, non est dedignatus Christus Dominus; sed admisit famem, sitim, fatigationem ex itinere, vulnera liuores, & huiusmodi alia, quæ subijsse Christum produnt Euangelia, & Prophetæ iam olim pronunciarant. Ita porrò subijt, vt per ea alterari ad mortem vsque & corrumpi potuisset, ni prouisum fuisset. Sic fieri conuenientissimum fuit, nam vt Chrysologus scitè dixit; [Si Christus non implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio.] Nimirum susceperat Christus carnem, vt in ea, ac per eam salutem nostram operaretur in medio terræ, satisfaciendo pro nobis & omnibus virtutum genere excitando ad sanctitatem; præsertímque ad non faciendam carnis curam in desideriis. Hoc autem egregiè omnino præstitum est à Christo, per naturalium huiusmodi affectionum perpessionem quādiu in carne fuit, vt Apostolus loquitur, id est interprete S. Chrysostomo hom. 11. in 2. ad Cor. quamdiu fuit viator, & nos quâ satisfaciendo, quâ exemplū bonum præbendo, iuuare debuit. Nam inediæ toleratione, docuit nos abstinentiæ studium, vulneribus patientiam in doloribus &c. Cum autem hæc generatim sufficere videantur, breuiter subijcienda sunt sigillatim aliqua, de nonnullis corporeis defectibus de quibus est specialis difficultas: hoc est de fame, & siti, ac sudore, similibúsque excrementis, sed præsertim de corruptibilitate.

Sigillatim de fame & siti.

32. Et quoad famem quidem ac sitim, quas constat frequentes in Christo fuisse, difficultas est, quomodò Christus ex his defectibus naturaliter molestiam perceperit, doloremque hauserit, cum tamen per quadragenarij ieiunij dies, esuriem non senserit. Ita enim disserte habent Matth. c. 4. *cum ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit.* Et Lucas item c. 4. cum dixit *nihil manducauit in illis diebus, & cōsummatis illis posteà esuriit.* Quæ verba manifestè ferunt, Christū per tempus quadragenariæ inediæ, non esurijsse, sed postea. Qui enim affirmat, aliquid post expletum tempus quoddam contigisse, eo ipso docet, antea non contigisse. Et ita ea verba acceperunt, vnanimiter Patres ad prædicta Matthæi & Lucæ capita, insupérque Nyssenus orat. 4. de beat. qui ait Christum per quadraginta dies ieiunum, posteà esurijsse. [Dedit enim quando volebat occasionem naturæ officio suo fungendi.] Similitérque Chrysologus serm. 11. [cum dicit, *postea esuriit*, quadraginta diebus & quadraginta noctibus probat esuriem in illo non fuisse. Denique Cyrillus l. de recta fide ad Regin. [cum quantum sat erat iam ieiunasset, diuináque virtute abìque cibo & potu incorruptam carnem conseruasset, vix tandem quæ propria illius sunt pati eam sinit; esurijsse enim dicitur.] Ex his explorati ſſimum habetur, Christum per tempus quadragenarij ieiunij, non esurijsse: id est, famem atque adeò etiam sitim non sensisse, quod statuendum est contra temeritatem Caietani Matth. 4. omnino affirmantis Christum sensisse famen per illud tempus, quod frustra

stra & absque merito ieiunasse videretur, si nihil sensisset. Verùm vt D. Augustini in simili voces vsurpem (quæst. 80. ex 83. [cum vtrumque narrat Euangelista, quod scilicet ieiunauerit, & tantùm postea esurierit Dominus,) vtrumque credendum est quia vtrunque sicut rerum gestarum index, factum gestúmque conscripsit.] Itaque verè Christus, non nisi postea esurijt, ac in ea esuriei præuentione, & non pœnalis inediæ vsurpatione; spectauit potiùs prodere se Deum, qui ita posset actiuitatem naturalis caloris suspendere, quàm mereri laborioso ieiunio.

Itaque post inediam per quadraginta dies continuatam, placuit Christo se hominem prodere, & calorem nationi propriæ actiuitati naturali permittere; vnde secuta fames & sitis, ex vellicatione ac morsu, defectum pabuli ac potus consequente, provt reliquo vitæ tempore Christus Dominus per famem ac sitim afficiebatur. Ita nodum propositum expediunt plerique Patrum, præter superiùs adductos, vt Hilarius Can. 3. in Matth. cum dixit. [Nam post quadraginta dies, non in quadraginta diebus esurijt, Moyse & Helia in eodem ieiunij tempore non esurientibus. Igitur cum esurijt Dominus, non media subrepsit operatio; sed virtus illa quadraginta dierum non mota ieiunio, naturæ suæ hominem dereliquit. Non enim erat à Deo diabolus, sed à cæne vincendus, quam vtique tentare ausus non fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem, quæ sunt homines, recognouisset.] Non aliud reipsa intendit Autor altercationis Synagogæ & Ecclesiæ cap. vltimo, quanquam subobscurius aliquid admiscet, quod perfunctoriè lectum, videri posset repugnare.

Cum autem esuries sit diuinitùs cohibita, ob repressam per quadragenarium spatium caloris naturalis actiuitatem, perinde ac si tunc vis caloris distenta fuisse in cibi & potus ingesti concoctione, dicendum videtur, non maiorem fuisse Christi esuriem confestim post quadraginta dies, quàm esse deberet, cùm vi inediæ si quam fortè tolerauit à tempore sumpti cibi, vsque ad tempus incipientis secessionis quadragenariæ; tum etiam vi inediæ, tempore illo exacto consequentis, vsque ad cibi sumptionem: non plus ad hunc effectum spectato eo temporis quadragenarij spatio, quàm si non interceßisset. Quare non satis percipio, quid discriminis inter esuriem post quadragenarium ieiunium de Christo proditam, non item de Mose qui eodem spatio ieiunium tulit, obseruarit S. Max. hom. 3. de ieiunio quadrag. cum dixit. [Quid illud est autem, quod cum vterque quadragenos ieiunauerit dies, non vterque post ieiunium esurisse perhibetur? Moyses vtique non esurijt, vt in homine fragili operata diuinitas probaretur. Esurijt Dei filius, vt assumptionem carnis nostræ, fragilem suscepisse hominem reuelaret. Quod non esurijt Moyses, cœlestis est possibilitatis exemplum quod esurijt Christus, nostræ redemptionis est Sacramentum. Huiusmodi Dominus perregit in sua carne mysterium, vt sicut Deus esse diuinis virtutibus creditur, ita & homo esse infirmitatibus dignoscatur humanis. Similia ex parte habentur apud Autorem libri tertij de mirab. sacræ Script. c. 6. qui Mosi Eliam quoque adiungit. Hoc inquam discrimen inter Mosem & Eliam ex vna parte, Christum verò ex altera, non deprehendo. Nam sicut Christus exacto quadragenario laxatis calori naturali habenis, cæpit famere ac sitire, auctáque naturaliter est esuries ac sitis quousque apposito cibo ac potu sedaretur; ita idem Mosi ac Eliæ contigisse non dubito, quamuis de istis non sit proditum, quia nihil intererat; de Christo autem sit proditum, ob causam à S. Maximo rectè expressam: nempe vt qui per inediam tandiu toleratam Deus inmortuerat, per esuriem verus homo probaretur.

Sigillatim quoque, de sudore.

33. Iam sudor (de quo præterea aliquid notandum proposueram,) aut est ordinarius; per excretionem videlicet humoris aquei superflui; aut extraordinarius, qualem in extremo agone priusquàm ad necem abriperetur, Christo contigisse narrat sacra Historia. Prior non dedecuit Christum, & ex fatigatione ac labore fuit in eo. Distinguit tamen Baconus in 3. d. 21. q. vnica art. 2. duplicem sudoris originem. Vnam ex superabundantia vel corruptione humorum, quo pacto negat Baconus fuisse in Christo sudorem, quia talis sudor contingit præter naturam. Aliam, qua sudor exoritur propter laborem aut passionem: & talem sudorem idem Autor ait posse exprimi è corpore optimè constituto, in quo nulla sit superfluitas præter naturam, talémque ait fuisse sudorem Christi.

Mihi hæc duplex sudoris origo, non videtur accommodata: Nam tametsi sudor ille qui interdum ex nimia vbertate humoris superflui vel corrupti excernitur, per naturæ quasi luctam in febribus, aut aliter, indicet corruptionem, aut depraua tam corporis vnde excernitur constitutionem; ideóque huiusmodi sudor in Christum non cecidert: Tamen quilibet sudor, etiamsi ex simplici defatigatione procreatus, non aliam habet materiam quàm humorem superfluum & superabundantem; id est non absolutè necessarium corpori, tametsi possit etiam aliquem vsum habere, ad faciliorem sanguinis aliorúmque humorum permeabilitatem, & ad corporis rigationem ne exaresca. Frustra igitur Baconus in distinctione proposita, secundum membrum secernit à primo quoad causam sudoris materialem, quæ alia sine dubio numquam est, quàm humor aliquatenus superabundans, qualem non vetamur in Christo agnoscere: nisi si etiam lachrymas, saliceam, mucum, & aquam pedum, à Christo amouere velimus. Et differrè quoad rem præsentem consentit Card. Vigerus tract. 4. de instrumentis Dominicæ passionis, idcircò concedens Christum interiore aliqua tunica vti solitum, quam ad munditiem & tetri odoris ex materia sudoris deuicationem, identidem mutaret. Annuit item Scachus in myrothecio sacro prophano cap. 33. affirmans Christum eadem ex causa frequentasse domestica balnea, quorum honestissimus vsus erat, ad illuuiei ex sudore collectæ absersionem.

34. Circa sanguineum Christi sudorem, præmittenda obiter est certa veritas narrationis Euangelicæ de eo Christi sudore, quam pernerse inficiari sunt Armeni, & alij quidam, veriti deiectionem Christi ex tanta infirmitate, quantam prodi admissa illius sudoris veritate arbitrabantur. Sed esse eam narrationem verè Scripturam Canonicam confirmant efficaciter Bellarminus l. 1. de verbo Dei cap. 16. & Ludou. de Tena l. 3. Ilagoges in script. difficult. 7. sect. 4. ac Anton. Peres in authen. Euang. secundum Lucã c. 22. Coccius t. 1. l. 6. art. 20 nec non Collius l. 3. de sang. Christi disp. 3. cap. 1. 2. & 3. Ecclesiæ sanè iudicio & innumerorum veterum Patrum suffragio id habetur ratum. Et quia proprietas Verborum in Scripturæ sententijs tenenda mordicus est cum nihil est quod obsit, propterea, verum sanguinem à Christo per huiusmodi sudorem fuisse emissum, certò statuendum est: cum scriptura, liquorem ita fusum, vocet sanguinem, & Patres passim annuant, quos recentiores citati, proferunt magno numero. Nec quod Theophilactus & Euthymius senserant, arbitrandum est, cum sanguinem non nisi similitudinarium fuisse: sed fuit sanguis verus, tametsi sudori aqueo permixtus, & in guttarum modum conformatus, vt expendit Franciscus Lucas ad caput Sancti Lucæ 22. vt propterea voces illæ Euangelistæ, *factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, interpun-

terpunctione appoſita poſt nomen *guttæ*, debeant hunc ſenſum facere: *ſudor ſanguineus in terrâ decurrens, coaluit in grumos, quaſi in guttas.* Qua ratione particula *ſicut* non eſt nota ſimilitudinarij ſanguinis, ſed guttarum ſimilitudinariarum. Neque enim reuera guttæ erant aqueæ, ſed guttas aqueas referebant. Conſtabant autem è plurimo ſanguine, admiſtis aliquot particulis aquoſi humoris, qui communi ſudore excernitur. Nec priùs excerni ſudorem nudum contigit, poſteáque eo liquore deficiente, excerni ſanguinem, vt exiſtimauit Caietanus Lucæ 22. ſed eodem veluti impetu, ſanguis aqueo humori commixtus emerſit, vi generoſi affectus, quo Chriſtus Dominus, poſt permiſſum triſtitiæ mala impendentia refugientis, & voluntatis ea ſubeundi, conflictum aliquem, heroïco niſu in diuinæ voluntatis partes concedens, eum in ſe audaciæ motum excudit, & æſtum concitauit; vt ſanguis priùs ad cor angore auocatus, conceptóque calore rarefactus, expreſſus foras fuerit, per ſanguineum ſudorem corpore vniuerſo manantem. [Vbi non ſolis oculis (inquit S. Bernardus ſerm. 3. in ramis palma.) Sed quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur, vt totum corpus eius quod eſt Eccleſiæ, totius lachrymis corporis purgaretur.] De hoc ſudore, quia plenè dictum eſt in morali diſt. 3. à numer. 382. tractando commotionem corpoream conſequentem affectiones & paſſiones, non eſt quod hîc plura addam Officio Eccleſiaſtico (quod tamen non eſt approbatum,) & longa concione, ſudorem hunc Chriſti Domini exornauit Ludou. Viues cum ſudor Anglicanus peſtilentiſſimus, Belgium vbi Viues degebat, peruaſiſſet anno 1529. Extat ea lucubratio tomo 2. operum eius.

An Chriſti corpus, ex neceſſitate, aut ſecùs, prædictis defectibus ſubiacuerit.

35. Itaque iſtæ ſunt humanæ corporum infirmitates, quas portaturum Chriſtum Dominum, prædixit Iſaias: quomodò autem eas portauerit, hoc eſt liberè ne an neceſſariò, dubitatio eſſe poteſt. Nam ex vna parte S. Damaſcenus l. de hæreſibus, inter Aphtartodocitarum hæreſes numerat, quod dicerent Chriſtum voluntariè toleraſſe imbecillitates naturæ. [Ab ipſa (inquit) fabrica & concretione, Chriſtus corpus interitus expers eſſe confirmant, & neceſſarias naturæ imbecillitates; ſitim dico, famem, & laborem Dominum toleraſſe illi quidem concedunt, ſed eodem modo quo nos, hæc ipſum negant pertuliſſe. In nobis enim hæc neceſſitatis eſſe dicunt, in Chriſto autem voluntatis; quem etiam naturæ legibus negant paruiſſe.] Et ſunt ſanè in ea ſententia, Patrum plerique apud Leontium l. de ſectis actione 10. *initio*, in refutatione Caianitarum. Imò diſertè ipſemet Damaſcenus 3. fidei c. 20. & Sophronius in Synodica quæ recitatur in 6. Synodo act. 11. vbi contrariam, vocat *abominabilem ſuſpicionem*. Ex alia verò parte, numerantur inter hæreticos nonnulli, *corrupticolæ* dicti, quia aiebant Chriſtum neceſſariò ſubiacuiſſe imbecillitatibus prædictis. Agit de eis Baronius anno 519. ex Liberato in Breuiario, & ex Leontio actio. 5. & 10. libri de ſectis.

Reſolutio ſub diſtinctione.

36. Diſtinctione adhibita, componi poterit hæc rixa. Aio igitur, Chriſtum quidem ex neceſſitate quadam naturæ ſubijſſe prædictos defectus corporum; quatenus naturaliter loquendo, & ſecluſo vſu potentiæ miraculorum qua pollebat, ſubiacere debebat prædictis incommodis admota eorum cauſa: vt calefactioni moleſtæ, poſito igne vicino. Addo tamen, eatenus perpeſſionem horum defectuum potuiſſe dici Chriſto liberam, quatenus facile illi fuiſſet, per eam quam dixi ſupernaturalem potentiam, munire ſe aduerſus quoſcunque impetus cauſarum noxiarum: vel eos præuenire, hebetando vim talium cauſarum, & impediendo ne agerent; ſin minus ſubtractione concurſus, qui à ſolo Deo confertur, nec à cauſa ſecunda, etiam eleuata poteſt ſubtrahi; at appoſitione obicum quibus vis agendi retundatur. vt ſemper poteſt fieri.

Qui ergo dixerunt, defectus illos corporeos fuiſſe Chriſto neceſſarios, non liberos; ſi non errabant, (vt ſanè errabant, qui ideircò dicti ſunt corrupticolæ;) agebant de perpeſſionibus defectuum prædictorum, prout aduenientibus ex neceſſitate naturæ, & ex ſuppoſitione quod non impediretur aut præueniretur à Chriſto, per potentiam ſupernaturalem qua ad id poterat. Reſpexerunt verò ad eam potentiam, alij qui dixerunt, perpeſſiones illas fuiſſe Chriſto liberas: nimirum quia erant impedibiles per vſum potentiæ miraculorum, quos ad nutum Chriſti exercebatur. Eò ipſo igitur, quòd Chriſtus liberè eligebat nó præoccupare aut non impedire defectus illos corporeos, eo ipſo cenſeri poterat admittere illos liberè. Neque id eſt à Damaſceno reprehenſum in Aphartodocitis: ſed cum eos componeret cum Seuerianis, dixit conſentire per omnia Aphartodocitas cum Seuerianis, niſi in vno duntaxat puncto, nempe quod Seueriani in vnione Chriſti videri aiebant interitum: hoc autem negabant Aphartodocitæ, qui corpus Chriſti etiam cum nobiſcum degeret, volebant eſſe incorruptibile, & neceſſarias nobis paſſiones non excepiſſe neceſſariò, ſed voluntariè contendebant. Hoc poſtremum, optimè ab eis dicebatur in ſenſu prædicto, nec idcirco fuerunt habiti hæretici, etiamſi id ab illis traditum referatur. Non enim quæcunque hæretici de noſtro proferunt, eo ipſo inquinantur labe hæreſis, vt Nouatianus de Trinit. cap. 18. & Ruſticus Diaconus dialog. contra Acephalos, rectè monuerunt. Hæretici ergo duntaxat fuerunt, ob dogmata in quibus Seuerianis conſentiebant, & ob incorruptibilitatem quam corpori Chriſti viatoris, contra fidei ſcita tribuebant, vt poſtea referam & refellam.

Patrum ſuffragium.

37. Approbant apertè diſtinctionem poſitam, Patres varij. Audi quos Leontius actione 10. libri de ſectis addenſauit, his verbis, poſt relatam Gacanitarum ſententiam, quam ex Damaſceno iam retulimus. [Nos ad ea reſpondemus, etiam nos fateri, paſſiones & affectiones illas, fuiſſe voluntarias: nec tamen idcirco dicere, Chriſtum eas perpeſſum eodem modo, quo nos: nam ſponte dicimus ipſum ſeruijſſe naturæ legibus, volentémque conceſſiſſe corpori, vt ſua perpeteretur, eodem modo quo & nos patimur. Atque hæc teſtimonijs ſuis Patres ipſi comprobant, vt ſanctus ille Gregorius, inquiens: [Naturæ permittebat, quum vellet, vt ageret ſua.] Beatus autem Cyrillus dixit: [Per immiſſionem ciborum, & excretionem, conſeruabat ſubſtantiam,] corporis ſcilicet. Rurſus in dialogo, quo vnum eſſe Chriſtum probat, [permiſiſſe ipſum carni ſuæ (ait) vt naturæ ſuæ legibus obſequeretur.] Et rurſus. [Sic permittit id quod corporeum erat, ea perpeti, quæ ipſi naturaliter adſunt; vt oſtenderet, ſe reapſe veréque geſtare carnem, & ſecundùm litteras ſacras hominem eſſe factum. Sanctus autem Athanaſius, libro aduerſus Apollinarem; [propterea dicebat Dominus, animam ſuam nunc perturbari: & hoc *nunc* ſignificat, *quando ipſe voluit*; id tamen quod erat, indicatur.]

S. Auguſtinus ſplendidè in hanc rem & copiosè diſſerit q. 80. ex 83. vocátque inanem & ineptam calumniam, argumentationem quorundam hæreticorum, qui affectiones animæ abrogabant Chriſto, præxtu inijciendæ ei neceſſitatis: quod S. Auguſtinus refellit exemplo corporearum perpeſſionum in quibus verſamur. Eas quippe Chriſtus & verè excepit, & aliquatenus

nus necessariò, tametsi simpliciter liberè, quia impedire & præuenire eas potuisset, si libuisset.

38. Pulcherrimè item Thomas Patriarcha Hierosolymitanus Epistola ad Armenos, quæ quod à Theodoro Abucara Arabicè expressa sit, est apud eum opusculom 4. [Hæc humana (inquit) sicut dictum est priùs, æterno filio, qui est Christus, acciderunt post carnem assumptam; mors scilicet, & alia, quæcumque in Euangelijs scripta sunt. Sed nequaquam existimandum est, quidquam horum necessariò omnino sustinuisse, sed voluntariè, nisi quod quando volebat, hæc pati accidebat illi modo naturali quo nobis accidit: ne existimaretur Incarnatio eius, fictio; & vt sententia contra diabolum pronunciata, iustificaretur à quo hac Incarnatione genus humanum redemit. Vnam autem speciem eorum, quæ humana acciderunt ei, declarabo, vt quod dictum est, confirmem. Sit fames, loquamur de fame. Quando voluit æternus filius esurire, sinebat carnem suam excipere vim aëris vt aër illa exprimeret, quæ per superficiem carnis sunt in poris cutis. Deinde pars carnis propinquior aëri, ex membris attrahebat, quibus appropinquat pars, ex qua aër hauritur: & illa membra extrahebant ex vacuis receptaculis, quibus semper suppeditatur ex conueniente alimento digestio, quæ ex venis ipsorum membrorum ab hepate educitur, venæ autē ex hepate; hepar verò ex duabus venis, quæ ex stomacho oriuntur; Hæc duo venæ trahebant ex stomacho. Stomachus igitur exinanitus, requirit vt extinsecùs suppeditetur alimentum. Hoc modo, fratres, æterno filio accidit fames. Voluntate enim libera, non necessitate naturali, esurijt. Cuius rei, euidens argumentum est, quod cum quadraginta diebus, & noctibus ieiunasset, postea esurijt. Si enim aër potestatem in carnem eius habuisset, vt in carnem cuiusque nostrum, non vnum diem, vel duos, vel tres transegisset, quousque esuriret sicut factum in eo esse videmus: sed quando volebat permittebat naturæ, vt quæ erant eius, operaretur & ostenderet.]

39. Tandem Sophronius in epistola Synodica sæpè allegata, ita habet. [Fatigatus sedebat, & somni indigus dormiebat: Sed & dum cæderetur, dolebat, & verberatus patiebatur, & dolores sustinuit corporis, manus & pedes transfixus. Dabat itaque cum volebat, humanæ naturæ tempus operari, & pati quæ sua sunt, ne fortè phantasia quædam & visio inanis nominabilis, eius iudicetur incarnatio. Neque enim inuoluntariè hæc, vel necessitate susciebat, vel si naturaliter ea & humanè admittebat, & humanis motionibus actitabat atque operabatur. Absit hæc opinabilis suspicio. Deus nempe erat, qui hæc pati carnaliter acquiescebat, vti nos proprijs passionibus saluaret, & per hæc nobis immunitatem impartiret, quando pati, ageréque & operari humanitùs, idem ipse volebat, & considerantibus, prodesse decernebat: propter quos & homo veraciter factus, naturales motus atque carnales. Moueri naturaliter ad operandum volebat. Dum insidiatores insidias audacter delectabantur perficere. Corpus enim se passibile, & mortale, atque corruptibile induit, & naturalibus nostris atque irreprehensibilibus subijciens ægrimonijs: & huic quæ naturæ suæ decenter conueniebant, pati atque patrare indulsit, vsque ad resurrectionem ex mortuis. Ibidem quippe & passibile nostrum, & mortale, atque corruptibile dissoluit, & horum nobis libertatem donauit. Quæque igitur humilia atque humana sunt, ita sponte simul & naturaliter, manens etiam in his Deus, demonstrabat. Erat namque ipse sibi, παντὸς, ac reconditor passionum humanarum, & actionum; & non solùm reconditor, sed & arbiter; Quamquam naturâ passibilis erat qua naturaliter incarnatus erat, & ideo erant humana eius vltra hominem haud quidem, quod natura humana non fuerat, sed quia sponte factus est homo, & homo sponte factus, hæc recipiebat: & non tyrannicè vel necessitate, vt nos plerumque & inuoluntariè, sed quando & quantum consulebat, & permitteret ipse, tam eos qui afflictiones ingerebant, quàmque ipsas passiones quæ secundùm naturas agebantur, adnuebat.] Vides distinctionem à nobis positam, Patribus quoque placuisse.

Corpus Christi viatoris, corruptibile, sed citra actualem corruptionem.

40. Iam quod attinet ad corruptibilitatem corporis Christi viatoris, lis aliquando de ea fuit, quia Gaianitæ siue Aphtartodoritæ, incorruptibilitatem concesserunt Christo viatori. [Gaianitæ, (inquit Anastasius cap. 23. ὁδηγῷ, cum præmisisset eos cum Seuerianis vnicam in Christo naturam admittere) sentiunt corpus Christi corruptionis expers & diuinum esse, ab initio vnionis, vnámque dumtaxat proprietatem nimirum diuinam, & impassibilem in eo reperiri: noueritis autem, eos non posse vllum ex probatis Patribus producere, qui doceat Christum omni modo, ab ipso vnionis momento fuisse immortalem, sed ex proprio cerebro & ex suorum magistrorum institutione hæc talia fingunt, suffurantes ex Patrum commentarijs testimonia quædam, & orationum quasi frusta.] Andream Monachum Romanum ex S. Gregorio 9. Registri epist. 69. hoc errore laborantem, refellit latè Eusebius Thessalonicensis apud Photium Cod. 162. In eum errorem lapsus randem est Iustinianus, præ Christi amore, vt Nicephorus Iustinianum purgaturus lib. 17. cap. 29. & 31. parum sanè de delitante principe pronunciauit. Quasi verò sit amare Christum, fingere de eo falsa decora, & cum fide pugnantia. [Quod enim non de Christo dicitur, vt est, etiamsi honor videatur, iniuria est,] vt Cassianus egregiè dixit l. 1. de Incarn. cap. 2. Negauit ergo Iustinianus, Christi corpus in via, corruptibile fuisse atque passibile.

Hoc Anastasius Synaita latè refellit cap. 23. ὁδηγῷ argumentatus inprimis, ex mysterio Eucharistiæ, quod adigit Gaianitam vt fateatur non esse corporis Christi figuram, sed esse verè corpus & sanguinem Christi. Quo supposito, petit vt corpus Christi aliquamdiu asseruetur in pyxide cum omni reuerentia: & si intra paucos dies non corrumpatur aut immuretur, aut alteretur, planum ait fore, corpus Christi esse incorruptionis incapax, vt Gaianitæ asserebant. Sin verò quod pro certo statuit Anastasius, breui corrumpatur, constare vult de corruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem. Verùm hæc argumentatio, non potest nobis esse vsui: quia corpus Christi in Eucharistia non corrumpitur ad speciem corruptionem, sed tantùm desinit ibi esse; Idque non modò nunc contingit, Christi corpore iam potiente statu gloriæ, sed etiam verum fuit de Christi adhuc viatoris cerpore, quod Apostoli in cœna postrema participarunt. Neque enim corruptis speciebus nunc exhibitis, corruptum est quod sub eis latebat corpus Christi.

41. Quare argumentandum potiùs est, ex eo quod *quia pueri participauerunt carni & sanguini, & Christus similiter participauit ijsdē.* Atqui pueri, carni & sanguini corruptibili participant: Ergo & Christus participauit ijsdem: quæ est postea argumentatio Anastasij, quam confirmat verbis illis S. Athanasij: [Corruptibile erat corpus, quia Maria erat creata, hoc est quia erat ex eadem cum nostris massa, & hic in via vt esset locus copiosæ redemptioni, non potiebatur gloria, quam post resurrectionem est consecutum.] Deliraſſet enim Origenes late reiectus a S. Bernardo sermone de verbis eius, si quod verba in speciem sonant, Christum

corpois

corpore beatum in lectulo nostro quæsisset, hoc est in passibilitate nostra quam esse verè lectum hic nostrum, dixerat ante Bernardum S. Ambrosius in Psalm. 40. ad illud *super lectum doloris eius*. In via autem, corpus Christi in eo lecto quæri poterat, erátque corruptibile. Et quamuis post resurrectionem, corpus Christi iam incorruptibile, sit nobiscum eiusdem naturæ; tamen vt Leontius l. de sectis actio. 10. hoc argumentum confirmans benè reposuit, non habet eam incorruptibilitatem ex communi nobiscum natura, sed ex gratia: alioqui quomodò mortuum fuisset? Ex permultis Patribus id confirmat idem Leontius, in calce lib. 2. Contra Nestorium & Eutychem.

Sed secernéda diligéter est corruptio à corruptibilitate. Nã corruptionem quidé, per resolutioné in putredinẽ, Christi corpus non vidit, vt Psaltes prænunciarat: Id enim dedecebat sanctum Domini. Subijt tamen corruptibilitatem, & corruptionis præludia. Id est corpus Christi inchoatiuè corruptum est, excipiendo alterationes per quas deduci de facto potuisset ad totalem corruptionem, si fuissent continuatæ, nec obstitisset diuina virtus. Quæ distinctio optimè ab Anastasio traditur c. illo 23. & à Fulgentio Epistola mutila ad Rheginum de hoc argumento; ac breuiter sed benè Leontius actione illa 10. his verbis de argumẽto Gaianitarum. [Sciendũ verò proferri ab eis quasdã Patrum autoritates, quæ incorruptibile Christi corpus dicunt: Sicut & Cyrillum allegant, his verbis: *nihil corruptibile susceperit caro sermonis.*] Sed quoties huiusmodi autoritates proferunt, considerandum venit, æquiuocum esse *corruptionis* vocabulum. Nam corruptio dicitur, plena dissolutio corporis in elementa, ex quibus compositum fuit: itidémque corruptionem vocamus adfectiones siue passiones illas humanas, vt esurire, sitire, quæque sunt eiusdem generis alia. Quum ergo Patrum aliquis dixerit, Christi corpus non sustinuisse corruptionem hoc nimirum dixit, non prorsus fuisse dissolutum. Quod sanè verum esse, ex contrarijs eorum dictis patet. Pluribus enim in locis, ante resurrectionem, ipsum corruptibile tradunt: post resurrectionem verò incorruptibile.]

Quatenus incorruptibilitas, Christo viatori, à quibusdam Patribus tributa.

42. Ad aliorum verò quorundam Patrum loca quædam, quibus Christi incorruptibilitas tradi videtur, probè intelligenda, adhibenda est alia distinctio corruptionis, in pœnalem & voluntariam, vt loquitur supra S. Fulgentius cap. 3. Eandem in hunc finem proponit supra Anastasius, & benè etiam cap. 2. eiusdem operis, verbis illis. [Accipitur corruptio dupliciter in diuinis litteris, corporaliter & spiritualiter: vt illic; *Vidit Dominus, & ecce omnis terra corrupta erat peccato.* Alibi de hominibus; *corrupti & abominabiles facti sunt in iniquitatibus & studijs suis.* Cæterum quando audis à Doctore, corpus Christi ante crucem fuisse incorruptibile; accipere id debes de incorruptione à peccato; hac enim corruptione, non erat corruptibile, quippe immaculatum prorsus & illibatum: non autem id intelligendum est, quasi corpus Christi quoad mortalitatem, alienum quid & peregrinum à nostris corporibus habuerit. Incorruptibile enim propriè est, id quod passionis, materiæ, omnisque contractus expers est. Incorruptibile est quod ab alia substantia lædi non potest. Incorruptibile est quod nihil quoquo modo perdit, quod nullius eget, quod sauciari nequit. At sacrosanctum Christi corpus, & passionem subijt, & transfixum est clauis, & Lancea, sanguine & aqua inde manante, & ex viuo, exsors vitæ redditum est.] Omnia Aphtartodocitarum argumenta, proponit & late euertit Leõtius Byzantinus lib. 2. contra Nestorium & Eutych. toto.

Non fuit in horum hæreticorum sententia, Philippus Abbas epist. 5. quatenus affirmat, fuisse in corpore Christi, ob suam sanctissimam procreationem de Spiritu sancto, fortitudinem quandam & firmitatem, tatione cuius abhorreret à natura dolendi; nisi ad bonum nostrum voluisset derogari suæ illi prærogatiuæ, qua non minùs potiri debebat quàm in statu innocentiæ, in quo natura eius ab iniurijs & dolore abhorruisset, vi firmitatis supernaturaliter concedendæ humano corpori, vt disertissimè exponit epist. 7. Hæc inquam affirmans Philippus, non subscripsit Aphtardocitis; quia fatetur eam prærogatiuam corporis non procreati communi origine ex Adamo, non fuisse de facto in Christi corpore ob cessionem sui iuris, à Christo consentaneè ad diuinum decretum factam, vt pati posset in bonum nostrum. Tantum igitur voluit Philippus asserere, quod Ioannes & Hunaldus in Epistolis ad eum, & contra eum, non perspexerunt, Christum si iuri illi suo non renunciasset, sed voluisset habere corpus quale Adam innocens habebat; nihil fuisse passurum: nec tantum passiones fuisse illi voluntarias, quia de facto habebat, & potestatem diuinam, & humanam diuinæ subiunctam, capacem auertendi vel præueniendi qualcumque iniurias corporales ac perpessiones; sed etiam quia potuisset habere corpus cui competeret eadem quæ Adamo innocenti prærogatiua: quamuis ei prærogatiuæ sibi debitæ, vltro cesserit: quæ est remota causa incorruptibilitatis, aptitudinaliter & secundùm debitum conueniens corpori Christi, etiamsi de facto illud non afficiat.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

43. Summam doctrinæ totius capitis: hæc pauca exhibebunt. Christi Domini corpus, quia sic ferebat finis Incarnationis, nullis Humanorum corporum reprehensibilibus defectibus, vt deformitati & morbis subiacuit: sed ijs tantùm nostratibus defectibus quæ reprehensione vacabant, & absque indecentia assimi poterant, fuit obnoxium, ex necessitate naturæ ad Christi nutum impedibili per potentiam superiorem, quæ ad bonum nostrum, defectus illos perrarò arcuit, nec corporis Christi passibilitatem aut corruptibilitatem exclusit.

Vsus doctrinæ esse debet, recordatio gratiæ fideiussoris nostri. Sic enim malè affici & præludijs corruptionis subiacere oportuit corpus Christi, vt auerterentur mala nobis meritò impendentia. Sortitum itaque veritatem in Christo est, fabulæ Saracenicæ commentum, quod recitat Melchior Flauius l. de regno Christi cap. 29 Narrat hic Autor, expugnante S. Ludouico Francorum Rege, Peluſium, repertum esse volumen, quo scriptum continebatur, tum desiturum imperium Turcarum, cum contingeret deijci Mahumeti sepulchrum. Pancis verò ante annis quàm ea sciberet Flauius, contigisse ait, vt vibrato cœlitùs fulmine, sepulchrum impurissimi illius nebulonis deijceretur, & infames teterrimi Sycophantæ exuuiæ, detruderentur in abyssum. Vnde cum Arabes, capessendi Christianismi consilia inirent, cohibiti sunt arte Poppæ cuiusdam Sarraceni, qui commentus est obuersatum sibi fuisse per noctem, simulachrum Mahumeris, contestantis, cum Deus totam illam regionem euertere statuisset, exoratsse se, vt iustus Dei furor in solum suum corpus effunderetur. Quæ in toto hoc commento narrantur, verissimè in Christo sunt gesta. Hinc ergo immenso planéque indissolubili gratitudinis debito, obstringi Christo hominem; ita vt vel si pro Christo tradident corpus suum ita vt ardeat, non sit par futurus contractis nominibus, optimè omnino eruit S. Bernardus serm. de quadrupl. debito. [Nonne (inquit,) si conferentur in me, omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies seculi, & labores omnium hominum qui fuerunt,

fuerunt, & qui sunt, & qui erunt, nihil esset ad compassionis corporis illius quod spectabile & stupendum est, virtutibus etiam supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus Sacramentorum?] Hoc tamen tanti pretij corpus pro nobis factum est obnoxium tot incommodis atque defectibus. Quæ igitur gratiæ tantis beneficijs pares erunt?

Addendum & illud quod Adam de Persenia in Tilmanni Allegorijs ad cap. 22. epistolæ ad Hebr. considerauit circa illa verba, *in disciplina perseuerate.* [Verbum Incarnatum dum in carne sua verbera sustinuit quæ nobis debebantur; dum flagellis dorsum exposuit imitatores suos ad disciplinæ sufferentiam informauit. Disciplina quippe pacis nostræ super eũ, & liuore eius sanati sumus. Quod si supra dorsum eius, quod est dorsum innocentiæ fabricauerunt peccatores; debent quod noxium, corruptum vitijs, flagellis subducere penitentes? Inspiciamus si placet, quot disciplinis innocentiæ Verbum in passione susceperit, quarum prouidebito fidelis discipulus, & imitator & prædicator existit. Septem sunt, vt considero, quarum primam sustinuit in flagellis, secundam in sputis, tertiam in colaphis, quartam in spinis, quintam in clauis, sextam in ictu fellis, septima in lanceatione lateris. In his septem disciplinis verè liberalibus, tota Christianæ sapientiæ philosophia consistit.]

CAPVT III.

Panacea illustrium cùm typorum, tum nominum, quibus Patres ornatum & dotes sanctissimi Christi corporis, in Scripturis designari obseruarunt.

44. [Vuat alia ratione, decora sanctissimi corporis Christi Domini nota facere; nimirum in vnum velut fascem hic colligendo, præcipua quædam ex innumeris nominibus, quibus SS. Patres expressas in Scripturis prærogatiuas eius, aut nostrorum defectuum remotiones, censuerunt. Qua in re, parcitate vtendum video, ne in immensum cogar excurrere. Nec de ordine seruando in huius syllabi confectione sollicitus ero, cum perinde sit ad rem nostram, qua serie singula nomina referantur. Itaque tumultuariè & per Satyram quæ præsenti instituto opportuna duxero, agglomerabo. Vnum tamen præmonendum duco; nimirum non ignorare me, nonnulla ex Patrum testimonijs, quæ circa Christi carnem aut corpus proferam, non tàm in eam substantiam dimidiatam quæ animæ iuncta est, quàm in totam humanitatem à Verbo assumptum cadere, cum sit in scriptura ferè perpetuum, *carnem* vocare, integram formam totius, siue humanitatem assumptam: vt cum dicitur *Verbum caro factum est*: Tamen quia ferè quoties humanitas *corpus* aut *caro* vocatur, maximè habetur ratio eius partis quæ nobis conspicua est, quale est corpus dumtaxat, non anima; propterea non immeritò ea quoque loca hic proferentur, tamquam ratione corporis, aut carnis pressè acceptæ, præcipuè valentia.

Currus Dei, & Regius.

S. Paulinus carm. 13. in Præclara Iosephi & Christi contentione, currum regium quo Iosephus vehebatur, componens, carnem Christi currum Dei ac regium dignitat. Decerpo paucos versus, è pluribus, quibus Iosephus regio curru vectus, ornatúsque regium in modum, exhiberur.

[*Stolam sediste bychinam & torquem aureum*
Gerat, apta Christi insignia,
Theophyl. Raynaudi Christus.

Textam superne gratiæ vestem induat,
Stolatus innocentia.
Contexta byssо vestis, irruptam fidem
Signat valenti stamine,
Nam fila byssi fortiora, sparteis
Feruntur esse funibus.
Pro torque, collo caritatis aureæ
prædulce circundet iugum:
Quod suaue Christo, nec molestum, pondere,
Adstringit colla, non premit.
Hæc inter idem dona sumat, regij
Insigne iuris annulum;
Complúsque trino Trinitatis munere,
Curru vehatur regio.
Regalis enim currus, est Christi caro;
Corpúsque sanctum Ecclesiæ.
Quo vehitur ipse, millibus Latantium,
Agitator Israël Deus.]

Fuisse Iosephum, expressissimum Christi typum, res est vulgatissima. Videsis Augustinum serm. 81. & 84. de temp. Prosperum de promiss. 1. p. à cap. 25. Ambrosium lib. de Ioseph. cap. 2. S. Ephrem initio laudationis Iosephi, & passim Patres, exponentes benedictionem Iosephi. Quare currum regium illi à Pharaone concessum, corporis Christi typum fuisse, non inuerisimiliter dixit S. Paulinus eandémque etiam vocauit, *currum Dei.*

Tabernaculum Dei.

45. S. Basilius in Psal. 45. [*Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*; carnem fortè dicit Deiferam, sanctificatam per naturæ diuinæ immediatam vnionem. Ex quo intelliges, dici tabernaculum delectissimi, aduentum siue manifestationem Dei, quæ est per carnem.] S. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 28. probat tabernaculum fuisse corporis Christi typum. [Ædes enim Dei est sanctissimum Christi corpus, in quo propter nos habitare voluit.]

Templum.

S. Ambrosius in Psal. 47. tractans illud, *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, duplicem eius versiculi sensum proponit, quorum hic est primus. [Si ad filium Dei dicitur, templum Dei ita intelligimus, secundùm quod ipse de corpore suo dixit; *Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud.* Verè templum Dei, corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. Verè templum Dei, caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, sed ipsa pro delicto mundi totius, fuit sacrificium. Verè templum Dei, caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat quoniam ipse Christus, est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*: Quod quid est, nisi quod ait, *medius vestrum fiat, quem vos nescitis.* Hoc est, in medio vestri est, & non videtur.]

Eusebius orat. de laudibus Constantini Magni, *post medium.* [Corpus (inquit de Verbo,) velut templum sanctissimum sibi comparauit, quod quidem & domicilium est sensibus præditum, in quo ratio inhabitat; & Augustum ac sacrosanctum simulachrum est, omni statua inanimata longè præstabilius. Nam hæc, effigies est ex materia inanima conflata, sordidorúmque artificum manu in speciem quæ ex ære, ferro, aut ex auro, eboréve, aut ex lapide, vel ligno constat fabricata; éstque domicilium dæmonibus planè aptissimum. Illud autem diuinum simulachrum, eximia diuinæ sapientiæ facultate artificiosè constructum, variisque distinctum ornamentis, cùm vitæ, tum essentiæ mente sola comprehensæ, particeps est: simulachrum inquam, omni virtute præditum, simulachrum in quo Dei Verbum, suum domicilium collocauit; Sanctum denique sancti Dei templũ, in quo Dei Verbum, inhabitat cum

mortalibus per instrumentum ipsis cognatum, versatum est, seque notum reddit.]

Latè Petrus Damiani serm. 2. de exaltat. S. Crucis, tractans consonantiam temporis constructi templi Salomonis, & fabricati in vtero Deiparæ, corporis Christi. Locum adduxi agens de Christi affectione. Ex recentioribus, plenè ac eruditè templum Salomonis, cum Christi corpore componit Villalp. in Ezech. p. 2. lib. 5. disp. 2. c. 33. & verbosissimè Bartholomæus Ferrariensis lib. 2. de Christo abscondito.

Domus sapientiæ.

46. Sanctus Athanasius orat. 5. contra Arianos.] In Mariæ vtero Verbum sibi domum conformauit, eo modo quo ab initio Adam ex terra genitus est: vel potius diuiniori, de quo & Salomon ait, cui occultum non fuit, Verbum etiam sapientiam appellari. *Sapientia* (inquiens) *ædificauit sibi domum.* Quod Apostolus interpretans, ita locutus est, *cuius nos domicilium sumus.* Et alibi. *Nos templum* nominat, quatenus Deo sit congruum in templo habitare: cuius imaginem ex lapidibus à primis hominibus per Salomonem ædificari voluit. Quapropter apparente veritate, domus illa defuit; cum enim vellent efferati Iudæi, imaginem rei, rem ipsam esse, & ipsum Verbi corpus quod erat verum templum destruere, nihil ipse vicissim comminatus est: sed quia sciebat vltrò eos hanc temeritatem susceperuros, locutus est eis, *soluite templum hoc, & intra triduum excitabo illud.*] Ad eandem mentem, præclarè his verbis. Rupertus l. 9. de process. Spiritus sancti cap. 2. [Spiritus sanctus, domum istam non manu factam, templum Dominici corporis sapienter per semetipsum ædificauit, decenter exornauit, gloriosè ac fœliciter dedicauit. Ædificauit inquam in ipsa Verbi Incarnatione, exornauit in illius veri hominis manifestatione, dedicauit in eiusdem sacrosancta resurrectione. Quam videlicet dedicationem, ille innuit Psalmi 29. titulus, *Psalmus cantici, in dedicatione domus Dauid.* Mittit enim nos titulus ad historiam, & historiæ intelligentiam sacræ; quia sicut Dauid, impensa & apparatu suo, per manum Salomonis templum Domino ædificauit, & posteà cum iucunditate solemnibus verbis ad laudem Domini dedicauit; sic corpus Christi, secundùm singularem natiuitatem, & immunitatem à peccato, fuit ædificatum: post resurrectionem verò secundum impassibilitatem & immortalitatem æterna gloria manet dedicatum. Manifestationem verò illam dicimus, qua manifestauit eum Spiritus sanctus in specie columbæ, Ioanne prædicante: *& ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.*]

Arca Testamenti.

47. Hanc esse imaginem expressissimam corporis Christi, receptissimum est apud sacros Doctores. Signo nonnullos, dimissis innumeris. S. Hilarius in Psalm. 131. [Sed non solùm hic Domine exurge in requiem tuam, sed & tu, & arca sanctificationis tuæ. Non arca Testamenti, non arca legis, sed arca Sanctificationis tuæ. Et quidem esse arcam Testamenti meminimus, intus ac foris auream, vbi tabulæ testamenti, vbi sanctæ literæ; vbi liber testamenti, vbi gomor mannæ. Sed hæc omnia eius, quod Dominus assumpsit, corporis species est, omne in se Sacramentum continens legis: hoc & Deitatis spiritu & origine carnis munitum, intus scilicet ac foris aureum. Est enim Dominus noster Iesus Christus, in gloria Dei Patris, manna in se continens æternum. Ipse enim panis est viuus. Testamenti intra se tabulas & legis librum conseruans: sunt enim in eo verba vitæ. Vt igitur cum Domino etiam hæc sanctificationis arca (hanc enim secundùm Euangelia, & sanctificauit & signauit Pater,) in requiem exurgat, Propheta orat. Cæterum arca illa terrena, & frequenter ab Allophylis capta est, & polluta à Regibus: & hodie templo atque vrbe subuersa, iam nulla est.] Idipsum habet ibid. optimè Hieronymus.

Rupertus latè consentit l. 4. in Exod. c. 5. Decerpo duntaxat particulam. [Principio sanctuarij arca compingitur quia principio sanctæ Ecclesiæ filio Dei, corporis humani membra compegit, ex Virgine sanctus Spiritus. Compingitur autem arca de lignis Sethim, lignis imputribilibus, quia de semine Patrum fidelium, æterna memoria redolentium, Dei filius est Incarnatus: *Cuius*, inquit, *longitudo habeat duos & semis cubitos, latitudo cubitū vnum & dimidium, altitudo similiter cubitum & semissem*, videlicet, vt homini salua reuerentia sit accessibilis, & attrectabilis intus & foris, prout est mensura vel statura hominis. Staturæ namque humanæ longitudo, à planta pedis vsque ad collum, tricubitalis est. Cum ergo altitudo arcæ, tantùm vnius cubiti sit ac semissis, palam est, quia curuaturam corporis humani non excedit, & longitudo cum sit duorum cubitorum ac semissis, porrectis manibus ad dexteram & ad sinistram ad quemlibet actum religionis vltrò accedit. Latitudo quoque cubiti ac semissis, liquet incumbentis manibus quàm accommoda sit. Quod totum mysticè nobis illud innuit, quia incarnata diuinitas, omnibus modis, mensuræ, id est capacitati hominis, benigna se charitate indulsit. Deus appropinquans in terra visus, & cum hominibus conuersatus est, oculis hominum expositus, auribus hominum propositus, manibus hominum appositus est.]

Et inferiùs cap. 14. agens de contentis in secundo tabernaculo. [Illic arca est, vera scilicet carnis nostræ quæ de Virgine sumpta est, & in cruce pependit substantia, virtute resurrectionis nullatenus absumpta, sed tantùm in gloriam immortalitatis atque incorruptionis immutata; habens virgam & manna & tabulas testamenti; virgam, id est potestatem Patris super omnia opera, de qua dicit, *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*: manna, id est gratiæ dulcedinem; hanc enim Deus suscitauit, & Principem ac Saluatorem exaltauit, (ait Apostolus Petrus, protinus subiungens) ad dandam pœnitentiam & remissionem peccatorum. Tabulas testamenti, id est, librum iudicij, de quo Daniel dicit: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Nā de his quæ in libris testamenti sunt scripta, futurum est iudicium. & aperiendæ sunt conscientiæ singulorum.]

S. Cyrillus l. 4. in Ioan. c. 28. [Arca constituta fuit ex lignis quæ putredinem non patiuntur, vt incorruptibile corpus Christi esse perdiscas. Auro etiam puro, intra & extra, fuit deaurata: quia preciosa, regaliaque omnia, in ipso sunt; non solùm quæ Deitati, verùm etiam quæ humanitati eius attribuuntur. In omnibus enim primus est, (ait Paulus,) & aurum, honoris atque præstantiæ loco super omnes accipitur. Hoc modo constituta deaurataque arca, diuinam legem in ea reconditam continebat, quæ quoniam Verbum Dei est non subsistens, sed mandatum, Dei Verbum non subsistenti carni coniunctum significabat.] Videndus insuper Hesych. 5. in Leuit. cap. 16. 359. & Philippus Abbas l. de dignit. Cleric. c. 2.

Ligna Sethin, arcam Christum compingentia.

48. Insigniter Petr. Cellensis l. 1. de tabernac. [Corpus illud Dominicum de sacris visceribus virginalis vteri conceptum, & natum obumbrante Spiritu sancto, lignis Sethim congruè comparatur; quia ligna ista imputribilia sunt & lenia, & igni apposita non officiuntur damno combustionis, sed indurantur soliditate robustiori. Sunt quoque similia albæ spinæ; incorruptibile siquidem est corpus Christi; quod neque computruit aliquando in stercore humanæ conuersationis, corruptione peccati; nec in sepulchro pulueremortis. Vnde; *non dabis sanctum tuum, videre corruptionem;*

rem ; leue, quia nullatenus originalis peccati siue actualis oppressum grauedine, super pennas ventorum, adhuc in carne deambulauit, vndásque solido itinere calcauit ; & post mortem ac resurrectionem, ad dexteram Patris, leuatis manibus, corpore ascendit ; igni denique passionis suppositum corpus dominicum, tanquam lignum Sethim, non euanuit in cineres combustionis, sed conualuit in impassibilitatem resurrectionis. Exarsit námque inuidia Iudæorum aduersus Iesum (vt ait Psalmista,) tanquam ignis in spinis : sed rubus Moysi, in flamma ardens, non est combustus, in pœnæ sua pœnam nostram euacuans, & à culpa naturam, per pœnam liberans. Hoc autem totum, quia similis est hoc lignum, albæ spinæ ; non vtique veritate naturæ, sed conditionis similitudine. Nam veritas carnis in eo non fermentatur corruptione vetustatis, sed configuratur similitudini carnis peccati, vt de specie aduersarium illiceret, de veritate nobis patrocinium pararet.]

Vrna aurea.

49. Petrus Damiani serm. 42. [Quid est vrna aurea nisi caro Christi munda, nitida, syncera, atque ab omni mortis contagione purissima ? quæ reconditum habet manna ; Angelicum videlicet panem ; hoc est diuinitatis æternæ dulcedinem.]

Thronus Salomonis.

Philippus Abbas Tomo 2. Moralitatum in Cantica insigniter confert corpus Christi cum hoc throno, sed plus quàm vt hic adscribi queat. Itaque ibi legatur hæc comparatio.

Cubile Verbi.

Orig. hom. 2. in Cant. ad illud *lectulus noster floridus*, post alia quibus corpus sponsæ castum & purum, cubile Verbi dictum esse affirmat, addit. [Considera sanè, ne forte possit etiam illud corpus quod assumpsit Iesus, communem ei cum sponsa cubile nominari ; quoniam quidem videtur per ipsum Ecclesia Christo esse sociata, & participium Verbi Dei capere potuisse, secundùm quod mediator Dei & hominum dicitur, & secundùm quod Apostolus dicit ; *quoniam in ipso habemus accessum per fidem in spe gloriæ Dei.*]

Ferculum imputribile.

50. S. Bernard. serm. 5. in vigilia natiu. Dom. [*Gratiã & gloriam dabit Dominus.* Ne ergo contemnas priora munera, si sequentia concupiscis : nec fastidias prius adulium, si vis accipere quæ sequuntur, vel pro ipso fercolo in quo apponitur, sumere non recuses. Ferculum enim imputribile fecit sibi pacificus noster, corpus incorruptibile aptans sibi : in quo salutis epulas ministret. *Non dabis* (inquit) *sanctum tuum videre corruptionem.* Illud vtique de quo Gabriel ad Mariam, *quod nascetur*, ait, *ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*]

Serpens æneus.

S. Macarius hom. 11. [Quid innuit serpens ille mortuus, qui sublimitati ligni affixus, sanabat percussos ? Serpens ille mortuus, viuos superabat, vt typus sit corporis Domini. Corpus enim, quod assumpsit ex Maria, exaltauit in cruce, suspendit & affixit ligno : & ita serpentem in corde viuentem & repentem, corpus mortuum vicit & occidit. Hìc miraculum magnum ! quomodo serpens mortuus, occiderit viuum. At quemadmodum fecit Moses nouum opus, similitudinem viui serpentis effingens ; sic quoque Dominus, nouum opus ex Maria condidit, & hoc induit, non attulit corpus ex cœlo : Spiritum cœlestem Adam ingredientem creauit, & hunc permiscuit diuinitati, & induit carnem humanam, eámque formauit in vtero. Sicut ergo serpentem æneum vsque ad Mosem non iussit Dominus in mundo fieri : ita corpus nouum & peccati expers, vsque ad Dominum non apparuit in mundo. Postquam enim primus Adam mandatum Dei transgressus est, regnauit mors in vniuersos eius filios. Superauit ergo corpus mortuum, serpentem viuum : & hoc miraculum Iudæis quidem offendiculum, Græcis autem stultitia est.]

Affinis est huic comparationi, frequens apud Patres collatio corporis Christi, cum serpente è virga Mosis proposito : de qua videndus Eucherius homil. 3. de Pasch. Irenæus lib. 3. cap. 29. vbi Feuardentius adducit in eam rem S. Isidorum, Nyssenum, Augustinum, Prosperum, Rupertum, Bedam, sed optimè idipsum expressit S. Ambrosius l. de Salom. cap. 2. vbi serpentem æneum, cum hoc è virga serpente, belle commixit ad exhibendum Christi corpus. [Moyses (inquit) serpentem æneum in eremo suspendit in ligno, qui proptius erat typus corporis Christi, vt quicunque in eum aspiceret, non periret. Corpus enim hominis, per transgressionem, vas fuerat serpentis effectum. Sic & alibi ipse Moyses virgam proiecit in terram, quæ in similitudinem est corporata serpentis, quæ & ipsa imago erat corporis Domini. Ideò omnium Ægyptiorum potestatem is, quia tantæ virtutis in se typum gerebat, absorbuit.]

Vas nouum.

51. Petrus Damiani serm. 2. de exalt. S. Crucis. [Humana mens quæ sterilis erat amara atque insipida, ad Saluatoris aduentum fertilis dulcis effecta, diuinæ insuper est Sapientiæ sale condita. Quod nimirum satis expressè figurauit illud Elisei Prophetæ miraculum. Nam cum viri Iericho sibi conquererentur, quod aquæ essent pessimæ, & terra sterilis, *afferte*, inquit, *mihi vas nouum, & mittite in illud sal.* Deinde aquarum fonti, sal illud immersit. Sicque aquas ab omni morte & sterilitate sanauit. Quod nimirum, vt totum breui sermone concludam, nihil aliud insinuat, nisi quod Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Quid enim aquæ nisi mundani sunt populi ? Quid vas nouum, nisi corpus Dominicum, nulla scilicet præuaricationis antiquæ labe nigratum, nulla veteris hominis abusione detritum ? Quid porrò sal, nisi cœlestis est Sapientia ? Sapientia igitur Patris in corpus, descendit humanum, & sic ad fertilitatem, & vitalis intelligentiæ dulcedinem, omnium conuertit fidelium mentes : quæ nimirum dulcedo tamdiu latuit, vsque dum sal mergeretur in aquam ; ideò est, vsque dum ille penderet in cruce, qui dixit ; *Saluum me fac Deus, quoniam introierunt aquæ vsque ad animam meam.* Ex tunc enim homo didicit, quid deberet appetere quid vitare.]

Lilium.

52. S. Ambrosius serm. 5. in Psal. 118. ad v. 1. tractans illud, *ego flos campi, & lilium conuallium*, post alia de Ecclesia lilio collata, subdit. [Refert etiam considerare quòd hoc lilium splendore circumfusum sit, intus autem quod habet, rubeum sit, boni & ipsum odoris, eò quòd caro Christi, velut morali diuinitatis claritudine circumsepta, cœlestis habuerit protectionem gratiæ. Denique in posterioribus ait, *Frater meus, candidus, & rubeus.* Candidus claritate diuina, rubeus specie coloris humani, quem Sacramento Incarnationis assumpsit : meritóque & ipsum quod est rubeum, benè olet, quia caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes, manus suas inquinauerunt ; sancti venerantes, pietatis odore fragrarunt. Accepit hunc odorem Dominus Iesus fragantis Ecclesiæ suæ, & ait, *ecce proxima mea bona.*]

Fenestra Deitatis.

53. Clemens Alexandrinus 1. pædag. cap. 5. *sub finem*, tractans quod Geneseos 26. habetur, de Rege Abimelech,

lech, prospectante ludentem cum Rebecca Isaacum, præmissa alia interpretatione, addit. [Rex itaque Christus, è superis risum nostrum speculatur, & cum è fenestra vt dicit scriptura, prospexisset gratiarum actionem, & benedictionem, exultationem, & lætitiam, & simul etiam cum ijs operantem tolerantiam, & eorum coniunctionem, solam suam respicit Ecclesiam: ostendens faciem suam quæ deerat Ecclesiæ, quæ regali perfecta capite, efficitur: Vbi erat autem fenestra, per quam ostendebatur Dominus? Caro per quam fuit manifestatus.]

S. Gregorius in cap. 2. Cantic. ad illud, *En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, sic scribit. [Quasi post parietem nostrum Christus Incarnatus stetit: quia in humanitate assumpta diuinitas latuit & quia eius immensitatem si ostenderet infirmitas humana ferre nō posset, carnis obstaculum obiecit. Et quicquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit: per fenestras autem & cancellos qui aspicit, partim videtur partim vero se abscondit. Sic & Dominus Iesus Christus dum & miracula per diuinitatis potentiam fecit, & abiecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram & cancellos prospicit; quia in alio latens, in alio quis esset, apparuit.] Apud Bernardum in sermone Not. 50. de parabola nuptiarum filij Regis, Diuinitas Christi fenestra dicitur, paries verò humanitas.

Nubes leuis.

54. Ambrosius serm. 5. in Psal. 118. ad v. 1 exponens nubem leuem de qua Isaias cap. 19. cum dixisset, eam nubem præsignasse Deiparam, subdit. [Aliter quoque eam interpretationem sumere licet. Venit in nube leui Christus in Ægyptum, hoc est, venit in susceptione sui corporis in hoc seculum. In nube venit, quem nebula corporis obumbrabat. Sed leuis erat caro, quam nulla sua grauabant delicta. Quomodò enim peccatis grauaretur suis, qui auferebat omnium peccata populorum? *Ecce*, inquit Ioannes, *agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi.* Ante hesternum, lectum est, *quia stabat Iesus, & habebat vestimenta sordida*: Mea enim peccata portabat. Sumpsit vestimenta nostra, vt nos splendore immortalitatis indueret. Venit in nube leui, quasi iustitia iniquitas enim in talento plumbeo sedet; Christus in corde iustorum, in quibus peccata non erant. Et ideò benè lectum est hodie; *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pro nobis Deus Verbum suscepit carnis infirmitatem, pro nobis esuriuit, vapulauit, crucifixus est, mortuus est, vt nobis in quibus ante vita ignobilis & degener habebatur, inciperet mors esse preciosa.]

S. Bernardus serm. 1. de aduentu agens de Christi corpore. [Hæc est illa leuissima planè & præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum, Propheta prædixerat, vt descenderet in Ægyptum Rupertus optimè lib. 9. in Apocal. ad illud cap. 14. *Et vidi & ecce nubem candidam.* [Caro illa virginea, caro immaculata, sine aliqua sorde peccati otiginalis assumpta, per nubem candidam hic significata est per Prophetam dicentem, *ecce ostēdit Dominus super nubem candidā, & ingredietur Ægyptū*; id est assumet carnem de Virgine, & ingredietur in hunc mundum. Nam quomodò sol super nubem candidam, diem quidem nobis efficit, sed non totam suam claritatem ostendit, lucem quidem dat, sed formam suam subtrahit nec totos ignes suos exerit, & frigus tamen competenter exuperat præteritæ algidæ noctis: sic diuinitas clarissima, in carne quidem miraculis & sermone sapientiæ nos illuminauit, sed non semetipsam sicut est manifestauit: locutus quidem est & fecit sicut Deus, non tamen formam Dei ostendit, nec totam virtutem suam exeruit, & tamen, ad expugnanda Spiritualia nequitiæ satisfecit.]

Latibulum & caligo Dei.

55. S. Chrysostomus in Psal. 96. incidens in illud Psal. 17. *Posuit tenebras latibulum suum*, sic philosophatur. [Quæris quales tenebras posuit Deus latibulum suum? Planè corpus: qua tabernaculum corporis sui, dicit tenebras. Id te sequens psalmi versus docet. Nam post quam dixit, *& posuit tenebras latibulum suū*, adiecit dicens, *in circuitu eius, tabernaculū eius.* Vidisti eius nubem, cognouisti eius caliginem, & quid sit caligo. Nunc solue celebrem & difficilis solutionis interpretationem, quæ à multis quidem affertur, à paucis autem rectè docetur. *Dies diei eructat Verbū, & nox nocti indicat scientiā: Et posuit tenebras latibulum suum. Tenebras* (dicit scriptura) *vocauit Deus mortem.* Nox eramus nos gentes, noctem induit Dominus. Nostrum etiam tabernaculum portauit. *Dies diei eructat Verbum, pater filio*, secundùm quod lux est, & dies, Dominus.]

Altare holocausti.

Hesychius lib. 2. in Leuit. cap. 8. Sed pulchrè ibidem lib. 1. exponens effusionem sanguinis in circuitu altaris. [Videlicet (inquit) in vnigeniti corpus: hoc enim reuera altare dicitur. Quomodo sicut omne sacrificium super altare à sacerdotibus ministrantibus ponitur, sic omnem animæ virtutem in corpore Domini: id est ad eius imitationem, sacerdotes operantur. Hoc altare Moyses significans, dicebat; *altare de terra facietis mihi*; de nostra enim terra, id est conspersione siue massa, corpus Dominicum factum est. Et rursus ipse; *quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus, si enim leuaueris culirum tuum super eo polluetur.* Neque enim secta, neque deleta ab hominis manu est, Christi caro, de qua Daniel dicebat; *abscissus est lapis de monte sine manibus*, quia sine complexu viri & mulieris, conceptus eius processit & partus. Benè autem addidit, *& quod est ante ostium tabernaculi testimonij, in circuitu*, vt in omnibus quidem eum imitemur. Ante ostium autem tabernaculi, vt ostium, doctrinam Apostolorum intelligamus.]

Non subscribo quoad hoc extremum dictum. Melius enim mihi videtur inferiùs ad illa verba, *ponéique de eodem sanguine*, ostium tabernaculi, interpretari corpus Christi. Ibi enim cum rursus confirmasset corpus Christi dici altare, subdit. [Quia enim intelligibile altare corpus Domini & Beatus Paulus intelligit, ipso dicente cognosce. Ait enim. *Habemus altare, de quo edere nō habent potestatem hi qui tabernaculo deseruiunt*, corpus videlicet Christi dicens. De illo enim comedere, Iudæis fas non est. Hoc altare necessariè in introitu tabernaculi testimonij, id est in introitu cœlorum est, quia per ipsum, ingressum habemus in cœlis.]

Velum.

S. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 2 8. Christi corpus confert cum velo tabernaculi sic scribens. [Velo tabernaculum tegitur, quia in carne Deus latebat, & quasi velamine corporis tectus, ignorabatur. Vnde multi Deitatis potestatem, quæ in ipso miraculis fulgebat, percipere propter carnem nolentes; modò cominabantur, quia Deum se faceret, cum esset homo: modò sine rubore clamabant, *Nonne hic est filius Ioseph, cuius noscimus patrem & matrem? quomodò nunc dicit, quia de cœlo descendi?* Eo igitur velo quo tabernaculum tegebatur, non cognitum iri à pluribus Iudæorum Iesum, denotabatur.

Hesychius l. 1. in Leuit. ad illud capitis quarti, quo aspersio septena contra velum Sanctuarij mandabatur, sic ait. [Velum eius carnem appellauit; dubitare enim hoc non possumus, Paulo ad explanationem huius mysterij

mysterij dicente ; *habentes fratres confidentiã in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam miliauit nobis viã nouã & viuentem per velamen, id est carnem suã, & sacerdotem magnum, in domum Dei introeamus, cũ puro corde & ratione fidei.* Propterea & Sanctuarij velum appellatum est; figuram quippe carnis Sancti Sanctorum, gerebat.] Idem repetit l. 5. c. 16. Ex Anastasio Synaita l. 4. de rectæ fidei dogmat. *Sub finem*, duplex velum distinguente, & vnum corpori Christi, alterum animæ assumente, idem dicam infra agens de anima.

Laterna lucis æternæ.

S. Bernardus serm. 1. de aduentu. [Caligabant oculi nostri. Ille verò lucem habitat inaccessibilem ; & iacentes paralytici in grabato, diuinam illam non poteramus attingere celsitudinem. Propterea benignissimus Saluator & Medicus animarum, descendit ab altitudine sua, & claritatem suam infirmis oculis temperauit. Induit se Laterna quadam, illo vtique glorioso & ab omni labe purissimo corpore quod susceperat.] Suspicio esse possit, pro *laterna* legendum *lacerna*. Tamen plerique Codd. constanter legunt *laterna*. Nec incongruè dici potest & lucem laternam inducere, quod luci prætexatur, eámque oculis attemperet.

Thuribulum aureum.

Rupertus lib. 5. in Apocal. verba illa, *stetit Angelus ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua*, interpretatur Thuribulum illud corpus Christi, quod in altari Crucis, incensum sanctarum precum & meritorum pro nobis obtulit Deo. Idem habent varij alij Patres. Augustinus optimè serm. 98. de temp. & apud Bernardum Autor sermonis de Beata Maria & perpulchrè Blesensis serm. 36. tractans thuribulum aureum in manu Angeli, id est corpus Christi rediuiui, ei soli iam subiectum.

Vitis.

58. S. Athanasius in libello pro Dionysio Alexandrino, tractans illud, *ego sum vitis, vos palmites* : sic scribit. [Nos respectu corporis nostri, Domini cognati sumus : ac proinde ab illo dictum est, *annunciabo nomen tuum fratribus meis.* Et vt palmites ex vite sunt, eique consubstantiales habentur, ita & nos cognata cum Domino corpora sortiti, incrementum ex eius plenitudine accepimus, eiúsque radice ad resurrectionem & salutẽ nitimur. Pater verò agricolæ nomen meretur, eò quod ipse per verbũ, vitem, quæ est humanitas Saluatoris condiderit.] Apud Theodoretum Dial. 1. hic locus Athanasij describitur, & extrema verba proposita, sic leguntur. [Pater, dictus est agricola. Ipse enim per Verbum vitam effecit, quæ est corpus Domini.]

Firmamentum inter cœlum & aquas.

59. Anastasius Synaita lib. 2. Hexaëmeri *initio*, exponens firmamentum in medio aquarum, de quo initio Geneseos. [Non fit (inquit) extra aquam hoc firmamentum. Sed in medio aquæ omnium gentium, ex ea est concretum : quoniam fecit Deus salutem in medio terræ, vtpote qui habitauerit in medio terræ veri Virginis, & salutem mundi fecerit, compacto firmamento sancti sui corporis, in medio incorruptæ matricis fontis vitæ puellæ Dei matris, & posito sub aqua firmamenti, sub Sole, inquam, eius diuinitatis.] Et inferiùs. [Vide quod cœlum quidem superiùs, & quod non cadit sub aspectum, natura ab initio vocatum est cœlum. Firmamentum autem materiale quod ab imo ascendit, non natura ab initio factum est cœlum ; sed post vnionem quam habuit cum cœlo naturata inaspectabili, tunc ipsum quoque cœlum est appellatum. Sed quoniam sanctum quoque Christi corpus Deificatione & vnione dicitur Deus, non autem natura, necesse est ob typicas, sed non naturales, quæ dictæ sunt rerum traditiones, id dicere firmamentum quod factum est ex aquis. Erat abyssus, tenebrarum sedes, homo. Quæ autem per Christum exaltata, est suprà, Dei lucis sedes, considet etiam cum eo indiuiduè. De his in Christo vnitis cœlis seu naturis, dictum est illud, *cœli enarrant gloriam Dei*, hoc est naturæ Christi, prædicant & Gloriam ipsius Dei vnigeniti, qui in ipsis & ex ipsis cõsideratur. & paternã; eum quidem & in Deum declarantes, & hominem qui est simul in ipso Deus. Manuum autem eius facturam, cum oporteret eum tangentem per se operari, in miraculis annunciat firmamentum, hoc est, qui in eo cernitur homo. Per eum enim operabatur miracula diuinitatis, quem è terra sustulerant dicentem ; *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me*, firmamentum à corruptione ad incorruptionem. Vnde cœlum quidem carnis eius quod videtur, ex humore terræ, nempe ex sanguine terrestris Virginis sibi editum, firmauit, ceu compegit ad incorruptionem, quoniam est Dei caro. Non enim corrupta est aut interijt, etiamsi ea quæ sunt naturæ secuta est, etiam in cruce. Nam & si Dei caro, erat tamen etiam nostra.]

Cithara & psalterium.

60. Beda in Psal. 107. ad illud, *exurge gloria mea exurge psalterium & cithara*, Christum hæc profetæ præfatus, addit. [Caro Christi, propter infirmitatis & mortis experientiam, dicitur cithara : psalterium verò dicitur, propter cœlestia opera. Et est quasi dicat, & vt ego cantem & psallam in gloria, id est caro in ea morere, & exurge, vt sis psalterium : & ideò dico exurge, quia es cithara. Licet enim caro Christi priùs etiam fuerit psalterium, maximè tamen in gloriam resurrectionis & ascensionis, psalterium extitit.] Profecit ex S. Hilario, qui præfatione in psalterium, corporis Christi & psalterij analogiam, scitè prosequitur.

Lapis stanneus in manu Zorobabel.

61. S. Hieronymus in cap. 4. Zachariæ. [Quidam lapidem stanneum, corpus Domini acceperunt, quod nullis peccatorum maculis fuerit sordidatum, nec plumbum vocetur, sed stannum purissimum.]

Baculus senectutis mundi.

Gulielmus de Cailloë in cap. 10. Tobiæ circa illud: *vt quid te misimus peregrinari, baculum senectutis nostræ*, sic glossat ea verba. [Baculus hic, caro Iesu Christi intelligitur. Sunt autem querelæ triumphantis Ecclesiæ, compatientis Verbi incarnati doloribus, & præsentiam ipsius accidè suspirantis. Hic enim baculus, partem illam Ecclesiæ qua canitiebat, & senescebat in terris, in fine temporum illuminare venerat & fulcire, vnde & competenter ad hunc sensum refertur quod sequitur : *Numquam fuisset pecunia illa pro qua misimus filium nostrum peregrinari.* Pecunia enim illa, fuit primorum parentum culpa, quam cum vsuris peccatorum fenerator auidus quotidie exigit, & post mortem exiget cum fœnore tormentorum. Hic est in quo habitauerunt patres nostri aduenæ & peregrini super terram. In hoc Symeon senex, inuenit lumen ad reuelationem gentium & emortui præ nimia senectute corporis, nobile firmamentum. Puto quod cùm Spiritu veniisset in templum, & hunc baculũ suscepisset manibus, baculum senibus familiarẽ, vel obliuioni tradidit, vel abiecit.]

Indumentum Verbi.

62. S. Cyrillus l. 12. in Ioan. c. 32. agens de facta per

milites sortitione & partitione vestimentorum. [In quatuor partes vestimenta diuisa sunt , & tunica solùm indiuisa remansit , quod mysticæ cuiusdam rei signum fuisse ducerem. Nam quatuor Orbis partes ad salutem reductæ, indumentum Verbi , ideſt , carnem eius , impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulos enim partibiliter transiens vnigenitus , & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans , impartibiliter atq; integrè in omnibus est : cum vnus vbique sit, nullo modo diuisus, sicut Paulus ait. Huius mysterij vim, legis quoque figura obumbrat. Agnũ enim tempore congruo accipere iubebat , non per singula capita vnum , sed per singulas domos atque familias. Sic diuidi quodammodò agnus videbatur. Sed vt rursus quasi integer ac indiuisus remaneret , *vna in domo comedetur*, inquit, *non exportabitis de carnibus eius*. Sic partibiliter , quantum ad singulas vnius familiæ capita; & impartibiliter , quoniam in vna domo atque familia vnus in omnibus agnus inueniebatur. Simile quid & de vestimentis intellige : Alia enim in quatuor partes diuisa sunt, sola tunica integra permansit, quæ inconsutilis & desuper erat contexta , vt significaret absque conuentu sexuum, virtute sancti Spiritus, desuper corpus Domini contextum atque confectum, de sanguine Virginis, fuisse.]

Petrus Damiani serm. 46. [Indumentum Christi nihil est aliud nisi corpus quod sumpsit ex Domina & Virgine Maria. Nec tamen aliud est vestimentum eius, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum, caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro, qua vestimur. De hoc vestimento per Ioannem dicitur, *habebat in vestimento, & in femore suo, scriptũ Rex Regũ & Dominus dominantium*. Per fæmur quippe, propagatio carnis fit. Quia ergo per propaginem generis humani in mundum hunc venit ex Virgine , & per Incarnationis suæ mysterium quia Rex esset Dominus, cunctis gentibus indicauit ; in vestimento, & in fæmore scriptum habuit , *Rex Regum & Dominus dominantium*. Vnde enim mundo innotuit, ibi suæ scientiam Maiestatis inscripsit. Hoc autem indumentum rubrum Propheta apparuit, quia redemptor noster, proprium pro redemptione nostra sanguinem fudit.]

Tunica linea sanctificata, Sacerdotis nostri.

63. Orig. hom. 9. in Leuit. *sub initium*. [Linũ de terra oritur. Tunica ergo sanctificata linea induitur verus Pontifex Christus , cum naturam terreni corporis sumit. De corpore enim dicitur , quia terra sit , & in terram ibit. Volens ergo Dominus & Saluator meus, hoc quod in terram ierat suscitare , terrenum suscepit corpus, vt id elenatum de terra, portaret ad cœlum. Et huius mysterij tenet figuram, hoc quod in lege scribitur , vt linea tunica Pontifex induatur. Sed quod addidit *sanctificata*, nõ odiosè audiendum est. Sanctificata namque fuit tunica carnis Christi , non enim erat ex semine viri concepta, sed ex sancto Spiritu generata.] Eodem recidit quod habet Beda quæst. 8. ex variijs monstrans Dauidem accinctum ephod lineo , fuisse Christi figuram. [Nam linum quod è terra procreatum , multiplici labore ad candorem vestis peruenit, veritatem humanæ carnis , inter flagella triumphantis ostendit.]

Vellus Gedeonis.

S. Bernardus homil. 2. super Missus est. [Quid illud Gedeonis vellus significet, quod vtique de carne tonsum , sed sine vulnere carnis in area ponitur ; & nunc quidem lana , nunc verò area rore perfunditur ; nisi carnem assumptam de carne Virginis : & absque detrimento Virginitatis ? Cui vtique distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo diuinitatis adeò , vt ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illa non aliud quàm terra arida sumus ?]

Testa sancti Iob , radentis saniem.

64. Anastasius Sinaita l. 3. de rectæ fidei dogm. *sub initium*. [Qui iuxta Prophetæ vocem, *aliquando nutriebatur in croceis, amplexatus erat stercus*. Eam ob rẽ, eximius ille Rex , verè nobilis & in his qui ab ortu Solis fuerunt, liber prorsus ; Deus inquam, qui & Verbum, suam sapienter institutam œconomiam aggreditur. E proptia enim egressus ciuitate , misertus eius qui ab ea exularat , insedit stercori nostro , super quo & ipsi consedimus luculenta & præclustri veste spoliati qua amiciebamur ante admissam præuaricationem , circumplexi insuper hanc graueolentiam. Cæterum simul atque ex istius stercoris vehementi acrimonia , famosa vlcera patentiâque vulnera nobis acciderunt, quæ omnem in nobis naturæ ornatum labefactarunt, accepit ipse testam : vt concretum pus , saniémque per multam , testæ astructu eraderet. Nimirum cupiens abstergere vulnus, simul & abluere. Quid proinde ea est testa ? Perspicuum , quia eius terrestre corpus, per quod expiauit peccatum agnus Dei natus, qui & tollit peccatum mundi.]

Petra Gedeonis.

S. Ambrosius l. 1. de Spir. sancto in Prologo. [Obtulit Gedeon hædum caprarum , cuius carnem secundùm præceptum Angeli, & azyma supra Petram posuit ; & ea iure perfudit , quæ simul vt virgæ cacumine quam gerebat , Angelus Dei contigit , de Petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum est. Quo indicio declaratum videtur , quod Petra illa typum habuit corporis Christi , quia scriptum est , *bibebant de consequente eos Petra; Petra autem erat Christus*. Quod vtique non ad diuinitatem eius , sed ad carnem relatum est , quæ sitientium corda populorum , perenni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret. Nec solum delicta factorum , sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi , ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum; sicut scriptum est : *quia concupiuit populus cupiditatem pessimam , & dixerunt, quis nos cibabit carne ?* Quod igitur extendit Angelus virgam, & tetigit Petram de qua ignis exiuit , ostendit quod caro Domini spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram*.] De Petra carnis Christi è qua nobis mel & oleum profluxit , & in quam serpens nulla malitiæ suæ vestigia imprimere potuit , optimè idem S. Ambrosius lib. de Salom. c. 3.

Forceps diuini carbonis.

Isidorus Pelus. l. 1. Epistol. 42. [Esaias, vir summa perspicacia præditus , carbonem ex altari forcipe tulit , Domini nostri Incarnationem clarissimè perspiciens. Per carbonem enim , quem cernebat , diuina essentia significabatur. Per forcipem autem , ea peccati expers caro , quam ex nobis sumptam sibi copulauit. Contigit autem Isaiæ labia , ipsiúsque peccata purgauit , atque vniuersæ videlicet humanæ naturæ. Nam verbi cum humana natura coniunctio, quæ nullis verbis explicari potest , modo diuinitati consentaneo , vniuersi mundi peccata sustulit.]

Pharetra sagittæ electæ, Verbi scilicet diuini.

Chrysostomus homil. de Turture.

Vsus doctrinæ.

65. Vsus optimus huius doctrinæ esse potest, excita-

tio

tio studij de excipiendo dignè ac conuenienter Christi corpore, in quod tot ac tanta decora, à Patribus ad modum propositum expressa, confluxerunt. Elogia enim quæ recitauimus, præferunt insignem omnino ac supereminentem dignitatem sanctissimi illius corporis : proindéque quisquis ad illud accedit, summa puritate nitere debet. [Nam si quis regem non temerè nec inconsideratè exceperit, quid dico Regem ? Ne vestem quidem certè regiam, temerè & inconsideratè immundis manibus contrectauerit quisquam, etiamsi sit in solitudine, etiamsi sit solus, etiamsi nemo adsit. Atqui nihil est aliud vestis, quàm stamen vermium. Sin autem tincturam admiraris, ipsa quoque est sanguis, pisces morte affecti : sed tamen nemo eam voluerit aut sustinuerit, immundis contrectare manibus. Si autem vestem hominis, ne ausus quidem fuerit quisquam sola tangere, quomodò Dei corpus qui est super omnia, quod est mundum & nulli affine reprehensioni, quod cum illa diuina natura est conuersatum, propter quod sumus & viuimus, propter quod fractæ sunt portæ inferorum, & aperti fornices cœli, hoc accipiemus cum tanto probro & contumelia ? Ne rogo ne nos ipsos occidamus per impudentiam, sed cum timore & summa puritate ad ipsum accedamus ; & quando ipsum videris propositum, dic propter hoc corpus, non sum amplius terra & cinis ; non sum amplius captiuus, sed liber.] Verba sunt S. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. Videsis reliqua, omnino in rem præsentem illustria.

Nec illud etiam prætermittendum est, quod idem S. Chrysostomus hom. 7. in 1. Cor. sapienter aduertit. Nimirum longè aliter Spiritu sancto afflatis sanctis Dei hominibus quos hactenus protulimus, obuersatum esse Christi corpus, aliter Iudæis & Ethnicis, qui eius dumtaxat externam speciem conspicabantur. [Audio corpus Christi, aliter ego intelligo quod dictum est, aliter infidelis. Et quomodo puelli videntes libros, non norunt vim literarum, neque norunt quæ vident ; imo verò & si quis sit imperitus literarum, hoc ipsum ei accidit : peritus verò inueniet magnam virtutem in literis reconditam, integras aliquorum vitæ conscriptiones & historias. Et si epistolam quidem acceperit imperitus, putabit esse chartam & atramentum. Peritus autem, & vocem audiet, & cum absente disseret, & quod voluerit rursus dicet per literas. Ita etiam fit in mysterio. Infideles quidem licet audiant, non videntur audire. Fideles autem, habentes peritiam quæ fit per spiritum, vident vim ac potestatem eorum quæ sunt recondita.]

CAPVT IV.

De Perfectionibus substantiæ animæ Christi.

66. ET hic quoque, naturales perfectiones à supernaturalibus erunt secernendæ. Naturales tamen, ægrè hic deprehenduntur : quia anima cum sit substantia Spiritualis, non est capax dispositionum accidentariarum, ipsimet immediatè aduenientium per quas foueatur aut perficiatur, vt corpori accidit. Potest tamen iuxta aliquos agnosci in animabus præcellentia entitatiua, non specifica & essentialis, sed vt loquuntur *individualis* ; hoc est minor quàm specifica, & non communis alijs animabus individuis eiusdem speciei. Hæc autem præcellentia, si datur, numerati potest inter perfectiones aduentitias, quia habet veluti substratam rationem animæ specificam, & gradus essentiales communes, quibus ea inæqualitas quasi superuenit. Fuerítne igitur in Christi anima talis perfectio, inuestigandum est ; tum de supernaturalibus perfectionibus ipsam animæ substantiam immediatè afficientibus, hoc est de gratia sanctificante, disseremus. Nam reliquæ perfectiones supernaturales, aduenjunt potentijs, non autem ipsimet substantiæ animæ : Et idcircò posteà explicandæ erunt.

Maior individualis perfectio animæ Christi, admittitur ; reiecta eius probatione à nonnullis adhibita.

Esse animam Christi individualiter perfectiorem alijs animabus humanis, sententia fuit calculo Parisiensis Academiæ iam olim firmata, damnatis ijs qui dicerent, animam Christi non esse perfectiorem anima Iudæ : Et quamquam autoritas huiusmodi articulorum, non sit apud plerosque irrefragabilis, tamen verum existimo, animam Christi tali individuali perfectione naturali fuisse à Deo cohonestatam præ cæteris animabus humanis. Hoc est cum posset Deus Christo aliam animam specificè humanam, sed entitatiuè despiciatiorem concedere ; voluit, (& meritissimò) condere istum, hac naturali prærogatiua insignem.

Sententiæ huius meæ probationem, non placet petere vnde passim eam petunt qui inæqualitatem individualem animarum agnoscunt : nempe ex disparitate ingeniorum, & inclinationum diuersitate inæquali. Facilè quippe ea disparitas & diuersitas, aliò referri potest quàm ad individualem animarum inæqualitatem. Nam vt latè prosequitur Lælius Biscola t. 2. subsec. l. 7. c. 3. & l. 12. cap. 8. ob diuersam corporis dispositionem, experimur nos vno tempore, & in vna ætate, acutiores & subtiliores esse, in alia verò hebetiores : aut nunc ad vnum opus, nunc ad aliud proniores. Locus quoque, vt est apud Vitruuium lib. 6. cap. 1. non parum confert ad eam varietatem functionum animæ. Sicut ergo ridiculi in huiusmodi euentibus, alia mutationis illius causa assignaretur, quàm varium pro loci aut temporis diuersitate temperamentum, causans meliorem operationem phantasiæ, quæ est intellectus administra ; & appetitum voluntati subordinatum, nunc condocefaciens ac cicurans, nunc incendens & ad ferociam aptans : sic ad eundem vel similem aliquem extrinsecum fontem, referri facilè posset quæuis maior operationum animæ perfectio, non autem ad inæqualitatem, in eius entitate graduvè aliquo intrinseco fundatam. Atque ita Aristoteles 2. polit. cap. 3. Platonem reprehendit, quòd attenta operationum inter animas inæqualitate, mysticè innexisset substantialem (quamvis non specificam,) inæqualitatem inter eas ; affirmans in earum procreatione : immixtum fuisse vnicuique, vel aurum, vel argentum, vel ferrum. Ipse è contrario omnes animas agnoscit esse vniformes, quantum quidem ex opperationibus licet colligere : & totam diuersitatem quæ videtur inde insinuari, reuocat ad variam corporis dispositionem & affectionem. Vnde 2. animæ c. 9. t. 94. pronunciat, *molles carne, esse benè mente aptos* ; nempe propter meliorem corpoream complexionem. Aërem quippe verberat Grisaldus in decisionibus fidei. V. *anima*, in fine, cum hoc Aristotelis dictum, octodecim rationibus tundit ; putans sensum eius esse, quod anima quoad suum esse nobilitetur à corpore. E nostris tradunt luculenter quod dico, Iustinus q. 106. ad Orthod. S. Augustin. lib. 10. de Genesi ad literam, cap. 17. & Philippus Solitarius in dioptra cap. 2. 3. & 4. citans Anastasium Synaitam in eandem sententiam. Quantacumque ergo fuerit præcellentia naturalis operationum animæ Christi, supra præcellentiam naturalem operationum ab alijs animabus oriundarũ, nihil ex ea haberi firmum potest, pro inæqualitate individuali huius animæ supra cæteras.

Monstratur, eam maiorem perfectionem esse possibilem.

67. Aliò igitur recurrendum est : nempe ad possibilitatem talis perfectionis substantialis, individualitet

tantùm maioris. Qua in parte redamant Fonseca 5. Met. cap.28. q.26. sect.3. ad 2. & Hurtado disp.2. de anima §.60. & 75. qui ne diuinitùs quidem, censent dari posse eam inter eiusdem speciei animas inæqualitatem. At eam non modò possibilem censent, sed etiam de facto dari, agnoscunt inter sola tantùm animarum indiuidua, Tarentasiensis, Bonauentura, atque Richardus, apud Carthusianum in 2.d.32.q.5. Magis consequenter Caietanus, inter quæcunque indiuidua eam inæqualitatem agnoscit de facto, cœcos appellans eos qui non vident D. Thomam huiusmodi inæqualitatem admittere: qua cœcitate laborare se, vtrò fatetur Soto c.de substantia q. 2. cui adhæsit eius quondam auditor Franc. Toletus 3. animæ q.18. qui indiuidualem illam inæqualitatem animarum, periculosam censuit, & ægrè cohærentem cum veritate humanæ animæ in Christo. Quod bilem conciuit Banni 1. p.q 85. art.7. Mea nunc non interest, an hæc substantialis inæqualitas tantùm indiuidualis, detur de facto inter alia quælibet, vel pleraque indiuidua, aut non detur. In illud enim sum dumtaxat intentus, eam esse possibilem quoad formas quæ sunt principia operatiua: quod auctores qui eam de facto dari censent, multo magis admittunt.

Facilè autem probatur ea possibilitas initio ducto ab actibus; quia certum est, duos actus posse distingui minus quàm specificè, & tamen plus distingui quàm duos alios indiuiduos actus eiusdem speciei, quod rectè agnoscunt Suares 1. p.tract. de attrib. Dei negat c. 26.n.21. & Albertinus Coroll.5. ex principio 1. complexo num.7. constatque ex exemplis quæ ad id profert Adamus apud Capreolam in 1. dict.20. ad 3. Scoti contra 5. Nam v. g. duplex actio qua idem effectus pendet à Petro, affinior est quàm alia specie eadem qua pendet à Paulo: Et duæ visiones eiusdem numero albedinis, minùs differunt inter se, quàm duæ visiones quarum vna ad vnam albedinem, altera ad aliam terminetur, cum vtraque actio connotet essentialiter vnum illum numero terminum, quod non habet alia visio. Et quamuis ea affinitas maior, minórque distinctio, sit absque inæqualitate quoad perfectionem, ob idem vtrobique obiectum, & eundem in vtraque actione tendendi modum; tamen habetur saltem inde possibilitas discriminis substantialis specifico minoris, & superioris discrimine mero indiuiduali. Inæqualitas autem quoad perfectionem, poterit discrimini illi coniungi, si vna illarum actionum supponatur esse distinctior & expressior, altera verò confusior. Nam expressum & impilcitum, non variant speciem, & tamen inducunt in cognitionibus inæqualitatem; quæ cum sit minor quàm specifica, rectè appelletur *indiuidualis*, etiamsi non sit quoad hæcceitates. Nihil item video repugnare, quominus inter duas notitias æquè claras, vna sit materialiter & entitatiuè melior alia, saluo consensu specifico. Sicut è duobus circulis, qui ferreus est, cedit dignitate circulo aureo.

Supposita autem inæqualitate indiuiduali inter actus, nihil est quod vetet; eam inæqualitatem reperiri in potentiis & principiis; siue accidentalibus, vt speciebus impressis, siue substantialibus talium potentiarum principatiuis. Sanè species impressa vnius indiuidui, exhibet tantùm vnum hoc indiuiduum, & non alterum eiusdem essentiæ, quamuis non differat essentialiter à specie exhibitiua eius, sed tantùm habeat diuersitarem aliquam specifica minorem, quæ idcirco dicitur indiuidualis. Quid ergo vetare potest, quominùs produci queat intellectus & anima tantæ perfectionis, vt ei esset connaturale omnes suos actus elicere cum ea maiori perfectione, quam in vno actu & specie monstrauimus, siue cum illa indiuiduali inæqualitate. Nonnulla obijciuntur ab iis qui possibilem esse hanc indiuidualem inæqualitatem diffitentur: sed quæ ad exemplum proposituum, manifestè naufragant: vt non sit necesse, hîc extra propriam sedem in iis euoluendis hærere diutiùs. Vasques certè qui 1.p.d.50.c.5. hanc indiuidualem inæqualitatem impugnat in actibus, eam non satis percepit. Confudit enim eam cum inæqualitate graduali, quæ est longè diuersissima.

Ostenditur eam de facto cerni in anima Christi, comparata ad alias animas.

68. Sic proposita possibilitate inæqualitatis substantialis specifica minotis; quamuis quoad cœtera omnia indiuidua nullum censeam supperere argumentum quod certò persuadeat eam de facto dari; (Esto fortè reipsa detur inter indiuidua aliqua, sitque id non inuerisimile, saltem quoad indiuidua formarum substantialium quæ sunt operatiua:) Tamen quoad animam Christi, iure mihi videor dicturus, eam esse substantialiter indiuidualiter perfectiorem cœteris omnibus animabus rationalibus: quia cum excessus ille perfectionis substantialis salua specifica conuenientia non repugnet, videtur planè decuisse, vt Christo Domino anima valde bona & optima cœterisque indiuidualiter perfectior præberetur: quandoquidem ea anima compactura erat tam nobile compositum, & ipsi Deo tam coniungenda proximè, & arctè colliganda erat. Hoc enim dumtaxat argumento in pleriique ad Christum attinentibus contenti esse solemus, vt probemus ea verè facta esse diuinitus: rati existimandum nobis esse, Deum quia omnia conuenientissimè exequitur, vt propterea Pythagorei eum vocarent *ipsum decens*, prouidisse Christo suo optima quæque, quantum status viatoris, & necessitas nostra, patiebatur. Est verò per se perspicuum, maiorem illam perfectionem tantùm indiuidualem, nihil incommodasse, siue passibilitati Christi durante via, siue necessitati nostræ à qua subleuandi eramus per Christum.

Opponit in contrarium Simon de Cassia l.1. enarr. Euang. cap.2. hinc sequi, animam Christi non fuisse animabus nostris similem, ac proinde Christum non fuisse assimilarum fratribus per omnia absque peccato. Sed hoc non rectè opponitur. Posita enim indiuiduali præcellentia animæ Christi, supra nostras, salua manet similitudo essentialis & specifica, quam vnam tueri adigimur. Dissimilitudo autem quoad perfectionem intra eandem speciem, non plus tollit assimilationem cum fratribus per omnia quoad speciem, quàm dissimilitudo quoad accidentia, quæ certè interuenit Christum inter & nos, salua ea assimilatione Christi nobiscum, quam astruit Apostolus. Et est sanè hæc præcellentia, quoad accidens quoddam metaphysicum & verbale, tametsi ab entitate animæ indistinctum.

Transitum ad supernaturalem animæ Christi perfectionem, sed non nisi accidentariam, sine gratiam habitualem.

69. Pergo ad supernaturalem perfectionem, substantiæ animæ Christi: quod intelligo de perfectione aduentitia & accidentaria; Nam de illa perfectione substantiali animæ Christi quæ pertinet ad completam animæ constitutionem, hoc est de vnione hypostatica conuenhente diuinam personalitatem & Deitatem, non est quod hîc iteratò differam, cum sit superiùs de ea plenè actum. Superuenit quidem ea perfectio, animæ Christi prout est pars humanitatis. Tamen quia vt sic, anima est mutila quoad suum esse, nec spectatur cum suo substantiali complemento, iure eam remouemus à perfectionibus de quibus est hoc loco agendum; quæ scilicet adueniunt animæ plenè constituæ in hoc esse, & substantialiter completæ, ac planè terminatæ.

Vnde ableganda hinc quoque est, primaria & eminentissima

tissima sanctitas animæ Christi, quæ sita est in substantiali participatione diuinitatis, interuentu personæ Verbi, coniunctæ huic animæ. Hæc enim sanctitas, pertinet ad constitutionem animæ Christi, & exposita sufficienter est exponendo hypostaticam vnionem. Non quod vnio sanctificarit formaliter humanitatem, sicut vnio albedinis non reddit formaliter album parietem; sed quod vnio fuerit via ad substantialem & perfectissimam animæ sanctificationem, conferendam interuentu Deitatis, quæ personalitati indentificatur. Et hoc est quod frequenter tradunt Patres, animam Christi *diuinitate inungi, Deificari, igniri*, ita vt diuinitas sit oleum lætitiæ & vnguentum effusum quo perfusa & imbuta Christi anima, sanctificatur. Perpulchrè ex Basilio & Damasceno hanc sanctitatem supremam animæ Christi, exponit Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 104. Dico autem, diuinitatem esse oleum illud & vnguentum. Personalitas enim quæ immediatè communicatur animæ, vt sic sumpta, cum sit merus naturæ terminus, non sanctificat, vt rectè statuit Torres opusc. 6. disp. 10. dub. 4. Tantùm igitur sanctificat, quatenus est vnum & idem cum Deitate, quæ est sanctitas substantialis. Aio ipsammet Deitatem esse sanctificationem substantialem, quia non sunt secernendæ duæ veluti formæ, ratione aut conceptu separabiles; Deitas scilicet & sanctitas diuina, quod malè facit idem Torres opusc. 3. disp. 1. dub. 7. sed vnica & simplicissima est ratio obiectiua diuinæ sanctitatis, & Deitatis: alioqui Deitatis non esset, sanctificare Christum formaliter, sed sanctitatis: nec gratia nostra qua sanctificamur esset participatio diuinæ naturæ, sed diuinæ sanctitatis; foque inuehenda esset alia forma qua sanctificaremur formaliter & vltimò: gratia autem esset tantùm radix nostræ sanctificationis, sicut Deitas iuxta aduersarium non est formaliter sanctitas Dei, sed id quod formaliter reddit Deum sanctum, vult esse attributum sanctitatis. De prædicta igitur animæ Christi sanctitate substantiali, & supernaturali perfectione complente eius esse, non est hoc loco sermo, sed de accidentaria quæ fit per gratiam habitualem in ipsa animæ subsstantia immediatè receptam, iuxta sententiam D. Thomæ, quæ gratiam à caritate reipsa secernit, & illam veluti substantiam abdiri in corde hominis agnoscit.

Concedenda est Christo.

70. Negarunt Christo hanc gratiam, aliqui apud Paludanum in 3. d. 13. q. 2. eo nixi fundamento, quod Christus per vnionem hypostaticam euectus sit ad sanctitatem increatam, quacumque creata sanctitate sublimiorem; vt proinde frustra videatur ei adiungenda sanctitas creata quam confert gratia habitualis. Videtur huic placito fauere Nazianzenus orat. 36. *ferè in fine*, cum exponens nomen *Christus*, ait illud Saluatori nostro tribui propter diuinitatem. Ea enim humanitatis vnctio est, non operatione, vt in aliis Christis sanctificans, sed totius vngentis præsentia: cuius hic effectus est, vt id quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur, Deus fiat. Quid clarius, cum neget Christum Spiritus operantis præsentia, vt reliquos iustos, sanctificatum esse? Præiuisse videtur Orig. 1. Periar. cap. 6. tractans illud Psal. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, quod ita interpretatur. [Vngi oleo lætitiæ, non aliud intelligitur, quàm Spiritu sancto repleri quod autem *præ participibus* dixit, indicat quia non gratia Spiritus sicut Prophetis ei data est, sed ipsius Verbi Dei in eo substantialis inerat plenitudo.]

Nihilominus certum esse debet non modò ex communi consensu Doctorum Scholasticorum, sed etiam ex sensu Ecclesiæ, & SS. Patrum, fuisse in Christo gratiam habitualem sanctificantem. Quod intelligo de gratia habituali, eiusdem planè speciei cum nostra, vt patet ex eodem vtriusque effectu formali, nempe ex sanctificatione. Nec placet quod Valentia 3. p. d. 1. q. 7. p. 1. arbitratur gratiam Christi habitualem, posse secundùm modum, dici à nostra diuersam specie, eo quod sit in summa quantitate assignabili de potentia ordinaria. Hoc inquam non placet. Nam sic calor ignis dici posset differre specie à calore cæterorum calidorum. Quare haud dubiè sentiendum & dicendum est, gratiam Christi habitualem, eiusdem speciei cum nostra, esse admittendam. Idque planè supponunt, quotquot gratiam habitualem Christo tribuunt. Quod faciunt communiter Patres, quorum plerique sic interpretantur illud Ioan. 1. *De plenitudine eius, nos omnes accepimus.* Atqui nos accipimus gratiam sanctificantem. Igitur eius plenitudo in Christo fuit. Idem sonant verba illa Psalm. 44. *Vnxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis:* quod de Christo quatenus vberiùs quàm cæteris sit concessum, eandem gratiam sanctificantem participante, exponit S. Cyrillus l. de fide ad Reg. & 2. in Ioan. cap. 3. Luculenter verò idem tradit, & substantialem & accidentalem Christi gratiam distinguens, S. Bernardus hom. 4. super missus est, expendens quomodò de Christo dictum sit, *quod nascetur ex te sanctum.* Quo nomine Gabriel, Christum mox concipiendum designauit. [Vt quid enim (inquit Bernardus) ita simpliciter sanctum, & absque additamento? Credo quia non habuit quid propriè dignéve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod purissima videlicet Virginis carne cum sua anima vnico patri erat vniendum. Si diceret, *sancta caro*, vel *sanctus homo*, vel *sanctus infans*, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè *sanctum*, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.] Sic Bernardus.

71. Nec repugnat Rupertus, eundem Lucæ locum tractans l. 1. de oper. Spiritus sancti c. 10. tametsi vnum aut alterum verbulum interserit, subobscurius. [Notandum (inquit) quod non dixit *qui nascetur ex te sanctus*, sed *quod nascetur ex te sanctum.* Etenim multi quidem sancti, vel sanctificati dicuntur, vnum autem est sanctum, id est sanctitas qua omnes sancti sanctificantur. Hoc sanctum, est iste sanctus sanctorum, quem non in delicto præuaricationis Adæ conceptum vel natum, sanctitas accidens sanctificauit, sed essentialiter sanctum, Virgo incorrupta de Spiritu sancto concepit. Sic igitur melius atque præstantius dictum est, vt dici debuit, *quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*] Videtur Rupertus duriusculè locutus, sed facilè mollitur. Quod enim ait, Christum non fuisse sanctum sanctitate accidente, sed essentiali, non spectat gratiam habitualem, sed substantialem de qua immediatè ante dixerat, Christum fuisse Dei filium, non adoptione gratiæ, sed proprietate naturæ. Gratiam autem Christi accidentalem, significat non obscurè illis verbis quibus Christum sanctum sanctorum & omnium sanctificatorem appellat.

Vnde formatur in hanc rem non incongrua ratio, quod scilicet decuerit, Christum esse caput nostrum homogeneum, quod habet, collucendo eadem gratia sanctificante creata, qua nos in vina eius membra transcribimur. Quod si gratia sanctificante habituali destitueretur, careret quoque virtutibus quibusuis infusis, quæ tamquam formæ affectantur substantiam hominis interni, nempe gratiam habitualem. At fuisse in Christo virtutes plerasque infusas, donorum nomine expressas, est extra dubium. Decuit denique in Christo omne genus gratiæ & sanctitatis reperiri, vt non intensiuè modò, quod haberet per solam gratiam vnionis, sed extensiuè quoque esset sanctissimus. Egregiè planè id versat Chrysostomus in Psal. 44. ad illud, *diffusa est gratia in labiis tuis*, vbi præfatus illa verba dici

de

de humana Christi natura, subdit. [Gratiam hîc dicit, eam quæ venit ad carnem. *Super quem,* (inquit,) *videns spiritum descendentem tanquam columbam, & manentem super ipsum, is est qui baptizat.* Omnis enim gratia, effusa est in illud templum. Non dat enim illi spiritum in mensura. Nos enim de eius plenitudine accepimus: illud autem templum, integram & vniuersam accepit gratiam. Hoc Esaias quoque significans, dicebat, *Requiescet super ipsum spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, spiritus consilij & virtutis, spiritus scientiæ, & pietatis: spiritus timoris Dei implebit ipsum.* Sed illic quidem, est integra & vniuersa gratia: in hominibus autem, parum quid, & gutta ex illa gratia Propterea non dixit, *do spiritum, sed effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Hoc itaque euenit. Incepit enim donum à Palæstina, processit autem in Ægyptum in Phæniciam, Syriam, Cidiciam, Euphratem, Mesopotamiam, Cappadociam, Galatiam, Scythiam, Thraciam, Græciam, Galliam, Italiam, omnem Lybiam, Europam, Asiam, in ipsum Oceanum. Quid longiori oratione opus est? Quantum terræ Sol respicit, tantum peruasit hæc gratia: Et hæc gutta ac stilla spiritus, implenit vniuersum orbem terrarum scientia. Per eam signa fiebant, omnium peccata soluebantur; Gratia tamen quæ data est in tot regionibus, est aliqua tantùm pars & arrha doni.] Et post multa de variis spiritus operationibus in Christianis. [Hæc autem omnia, fecit stilla spiritus. Quod enim stilla esset, declarauit cum dixit, *effundam de spiritu meo;* Et *arrham* appellauit. Per hoc enim clarum est, patum quid ex toto datum esse. Quocirca Ioannes quoque, hoc ipsum significans, dicebat, *ex plenitudine eius, nos omnes accepimus:* Ex eo quod, vt ita dixerim, superfluebat, ex eo quod redundabat, ex eo quod superfundebatur, omnes accepimus.] Similiter passim alij Patres. Nec repugnant supra adducti Nazianzenus & Origenes. Tantùm enim significare volunt, Christum non habuisse solùm gratiam accidentariam, qualem duntaxat habuere alij.

Quàm sit certa, hæc Christi gratia.

72. Quare esse in Christo sanctificantem gratiam creatam & habitualem, non videtur posse dubitari. Imo id esse de fide, sentiunt non pauci, vt Suares disp. 17. sect. 2. concl. 1. & Pesant. 3. p. q. 7. art. 1. disp. 1. Citans Canon & Medinam. Estque sanè verisimillimum, (tametsi non prorsus certum,) id de fide esse, vt rectè pronunciauit Val 3. p. d. 1. quæst. 7. p... Quominus enim conuinci omnino putem, id de fide esse, obstat debilitas fundamentorum quibus nituntur qui simpliciter affirmant, euinci id ad fidem pertinere. Concilium enim Tridentinum quod allegant, quamuis quoad puras creaturas certum ex fide statuisset, eas sanctificari per habitum gratiæ, (quanquam nonnemo hoc diffiteretur;) de Christo tamen nihil dixit, sed ad purorum hominum iustificationem, de qua sola lis mouebatur, disputationem restrinxit. Consensus autem Patrum, quo præterea nituntur ijdem DD. quamuis cum est vnanimis & expressus, sit idoneum indicium diuini verbi traditi, tamen non est hac in parte tantus & tam apertus, vt ad euincendam perspicuè certitudinem de fide sufficiat. Tandem consensus Scholasticorum, ridiculè profertur ad euincendum propositionem aliquam esse de fide, vt constat ex principiis doctrinæ de fide. Sufficit tamen ad notandam temeritatis, sententiam quæ contra torrentem obnititur. Et talem vt minimum esse sententiam quam excutimus, extra controuersiam est. Ob dissensionem autem à communi Ecclesiæ sensu, videtur quoque censenda erronea, & hæresi proxima. Illud tamen vltrò concedo, quod aduersariorum argumento planè euincitur; nimirum sanctitatem hanc creatam, non fuisse Christo necessariam. Erat enim eminentiore & substantiali sanctitate exornatus, vi vnionis: ita vt ex nullo capite, fuerit ei necessaria nostra hæc & depressior sanctificatio. Quod adeò euidens existimo, vt probationem fastidiam.

Non fuit illi necessaria.

73. Imò de potentia absoluta, quantumuis omnia principia supernaturalia creata, & habitus infusi, ac motiones præuiæ, Christo defuissent, æquè potuisset Christus omnia ad quæ habitus infusos & motiones accepit, præstare, & operationes quascunque supernaturales elicere, ac positis habitibus infusis, & gratiâ sanctificante habituali: quòd rectè asseruit Medina 3. p. q. 7. art. 1. citans Victoriam & Sotum, perperam reclamante Aluare 3. p. d. 31. num. 19. qui quamuis admittat, gratiam habitualem non fuisse simpliciter Christo necessariam ex parte suppositi operantis, vt operationes eius humanæ essent Deo gratæ personali gratitudine, atque adeò ea ex parte meritoriæ supernaturalis præmij: Tamen contendit, ex parte operis, simpliciter: necessariam Christo fuisse aliquam gratiam habitualem, aut saltem actualem inhærentem, qua Christi actiones intrinsecè supernaturales fierent, & supernaturalis præmij meritoriæ: quod Aluares probat; quia potentia naturalis nisi fiat supernaturalis interuentu elenationis per aliquam formam sibi inhærentem, non potest supernaturales actus elicere, etiam de potentia absoluta: quod hic autor ait se probasse disp. 67. de auxiliis. Deinde ratio specifica actionis, desumitur à principio formali quo agens operatur; Sicut calefactio specificatur à calore. Vt ergo actiones Christi fierent intrinsecè ac specificè supernaturales, necesse erat vt prodirent à forma supernaturali inhærente. Tandem nullum opus est propriè meritorium supernaturalis præmij, nisi per actum charitatis referatur in Deum auctorem gratiæ. Sed absque dono gratuito inhærente, non potest voluntas humana referre actum suum in Deum autorem gratiæ, eumque attingere tanquam vltimum finem. Igitur donum gratiæ inhærens, fuit Christo necessarium, de quacunque potentia, ex parte operis, vt esse supernaturale ac meritorium.

Hæc tamen argumenta, sunt admodum imbellia. Falsum quippe est, potentiam naturalem non posse diuinitùs sustolli ad operandum supernaturaliter, nisi interposita forma inhærente supernaturali. Quidni enim Deus, possit seipso per assistentiam extrinsecam, supplere omnem illum concursum qui à forma inhærente præstatur? Hæc enim forma inhærens, non est aliquid essentialiter connotatum per actum supernaturalem. Id quidem probabiliter plerique affirmant de potentia vitali ad actum vitalem comparata, ob intrinsecam habitudinem actus vitalis ad principium vitale. Ea tamen habitudo, ne per vmbram quidem, cernitur inter actum supernaturalem, & formam supernaturalem inhærentem. Quare extra dubium esse videtur, actum supernaturalem posse de potentia absoluta elici, absque habitu supernaturali, ac etiam absque actu præuio aut forma inhærente præimmissa: quod fusè confirmant, Suares 1. p. tract. 1. l. 2. c. 16. à num. 5. Molina 1. p. quæst. 12. art. 5. disp. 1. post concl. 3. Vasquez ibid. disp. 46. c. 2. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. num. 66. fuitque sententia aperta S. Thomæ in 4. d. 49. qu. 2. art. 7. & q. 10. de verit. art. 11. & in 4. d. 49. vt notauit Durandus in 4. d. 49. q. 2. num. 23. Fateor actionem supernaturalem posse specificari penes formam à qua prodit actio, vt vniuersè alibi dicitur de actione. Verùm ea specificatio penes principium actiuum, reuoluenda est in specificationem penes obiectum aut terminum v. g. calefactio specificatur à calore producente; sed ita vt ea specificatio reuoluenda sit in calorem productum. Itaque cum terminus hic sit supernaturalis, actio quoque

que supernaturalis erit, quantumcunque nulla detur forma supernaturalis inhærens, per quam principietur. Et verò ipse Deus prout influens supernaturaliter in illam actionem, æquè posset habere rationem principij specificantis, ac principium actiuum creatum, cuius absoluta necessitas ad eam specificationem obtenditur. Denique falsum est, quod actus supernaturalis non possit esse meritorius absque relatione per charitatem: & quod ea relatio, de nulla potentia fieri queat absque dono gratuito inhærente. Quare ruit vniuersa substructio quam Aluares tam infirmis principiis inædificat, ratúmque manet quod statuebamus, potuisse Christum sine dispendio vllo, carere habitu gratiæ sanctificantis, & aliis quibusuis habitibus infusis. Imò æquè carere potuisset motionibus actualibus ad operationem præuiis, supplente Deo per seipsum, exigentiam quarumuis formarum.

Iudicium de auxiliis gratiæ, an & quatenus in Christo fuerint.

74. De facto tamen, & habituali gratia, & auxiliis ad operandum supernaturaliter opportunis, abundauit. Videri possit, contrarium abs se quandoque affirmatum quoad auxilia, damnare Leporius in suæ confessionis libello. Verùm ibi Leporius, agit de auxilio generalibus sumpto quàm prout restringitur ad formam inhærentem, contendíque, (& rectè,) Christum non potuisse supernaturalia opera elicere, sola possibilitate mentæ mortalis, sine aliquo Deitatis adiutorio. At hoc adiutorium planè necessarium, potuit in mera extrinseca assistentia statui, quam idem Leporius cum Pelagianus esset, non agnoscebat; & idcirco existimabat, Christum, vt paulò post subdit, *per se solum hominem esse iudicio naturali* opera salutis: quod ibidem meritò retractat, & Deum per hominem sublimes illos actus executum, profitetur. Nos autem de proprio auxilio agimus, illúdque Christo vendicatum volumus, cùm excitans, tum adiuuans, respectu operum ad quæ nobis confertur: hoc est operum liberorum, siue imperatorum, siue elicitorum; & quidem nobis homogeneum, & proprium viatorum, ac transiens.

Quæ addo, quia non me latet, plerósque recentiorum excludere à Christo omnem gratiam actualem propriè sumptam; hoc est siue excitantem, siue adiuuantem distinctam à concursu supernaturali, omniaque per auxilium nostris Etherogeneum, peracta in Christo velle. Ita Becanus tract.de Incarnat.cap.8.q.5. allegans pro se Bellarminum, qui l.de gratia primi hom.c.4.negat Adamum indiguisse gratia excitante, Ex quo sequitur, multo minus ea eguisse Christum. Quod si gratia excitante non eguit Christus, certè neque adiuuante, quæ cum excitante est prorsus eadem, iuxta sententiam probabiliorem. Verùm Bellarminus in citati capitis recognitione; ita se explicat, vt tantùm negarit Adamo innocenti auxilia, quatenus nobis necessaria sunt ob ignorantiam, & infirmitatem ex peccato originali relictum, iuxta illud Augustini l.de corrept. & gratia c.2. [Non opus habebat, (Adam innocens,) eo adiutorio quod implorant isti, cum dicunt, *video aliam legem in membris meis*. Absolutè tamen fatetur Bellarminus, Adamum innocentem eguisse omnibus gratiæ auxiliis: quandoquidem & tentari, & cadere poterat. Disertéque S.Aug.14. Ciuit. c.27. auxilia homini innocenti diuinitùs prouisa, agnoscit. Quare ex Adam exemplo, nihil quoad Christum hac in parte inferri potest. Addit Becanus, & ex eo Bonacin. disp.2.de Incarn. qu.7. p.2. argumentum ex inutilitate gratiæ cuiscunque actualis in Christo Domino, qui cum beatus esset, omnia perpetuò perspiciebat ad quæ per excitantem gratiam sollicitari potuisset, nec peccare vllo modo poterat: vt proinde dici non possit eguisse gratia actuali excitante, ad vitanda peccata. Et hinc etiam præcluditur gratia adiuuans, quæ sumpta propriè, id est non pro concursu actuali supernaturali, (vt interdum vsuuenit,) nec pro assistentia extrinseca Dei principiantis nobiscum actus supernaturales, sed secundùm notionem apud Doctos receptam, aliud non est quàm gratia excitans prout perseuerat dum actu operamur. Hoc ipso argumento Suares tom.2.3.p.d.18. sect.4. Lessius opusc.de prædest. Christi sect.2.n.39. & Herice 1.p.d.29.num.36. negant, Christum (saltem ordinariè vt addit Lessius,) gratiis actualibus quibus impelli solemus fuisse diuinitus motum, cum esset in eo impulsus longè sublimior ad quoduis bonum, ex visione & amore beatifico stabilibus ac intrinsecis: vt proinde instinctibus transeuntibus quibus doceretur quid Deo placitum esset, & ad illud amplectendum animaretur, minimè egeret. Et inde etiam sequitur, Christum non eguisse gratia adiuuante, ad modum prædictum explicata, licet iuxta Suarem ibid.concl.1. eguerit illa gratia adiuuante; quam impropriam nominauimus; concursu scilicet actuali supernaturali, & assistentia diuina ad eum principiandum consentanea.

Mihi tamen, his non obstantibus, retinendæ in Christo videntur ambæ prædictæ gratiæ actuales, vt satis insinuat S.Basilius l.de Spiritu sancto c.16. Non contendo, has actuales gratias fuisse Christo plane necessarias: quasi scilicet repugnarit, Christum supposita visione & amore beatifico, absque his motionibus, supernaturaliter agere. Hoc enim non repugnasse, & potuisse absque nouo Dei opere fieri, probant quæ proposita sunt. Tantùm igitur contendo, non esse parcitati studendum, in negotio in quo solummodò magnificus est Dominus Deus noster, iuxta Esaiam. Cur enim Deus voluerit his benedictionibus dulcedinis priuari Christum? Ea ipsa sanè vtilitatis prætensa specie; excludere à Christo liceret scientiam infusam, & amorem vitæ ei respondentem. Vt quid enim ei candela illa scientiæ infusæ, in tanta claritate Solis, seu visionis beatifici admoueatur? Quia ergo Deus & natura, vno ad vnum vtuntur, ne immisceamus quæ ad statum beatificum pertinent, cum iis quæ sunt propria viatoris; & principia vtrique statui respondentia, adscribamus Christo Domino.

Quantitas gratiæ habitualis, Christi Domini. Eius infinitas, parum solidè appetita.

75. Post constitutam veritatem gratiæ habitualis creatæ afficientis animam Christi, expendenda sequitur eius quantitas. Quo pertinet vulgaris quæstio, fuerítne in Christo gratia habitualis infinita; non quidem essentialiter, (periculum enim est, talem gratiam creatam esse impossibilem: Vnde D.Thomas 3.p.q.7.art. 11. non intendit remouere à Christi gratia infinitatem essentialem, vt malè ei tribuit Suares;) sed gradualiter & intensiuè. Quam infinitatem, supponendum hìc ex Philosophia est, possibilem esse, quicquid sit de possibilitate magnitudinis infinitæ, quæ multo magis anceps & implexa est. Imò Almainus in 3.d.13.q.2.concl.1.§. *sed defacta*, ait omnes antiquos & recentes dicere, gratiam Christi fuisse infinitam: quod intelligit de infinitate graduali, de ea enim agebat. Indubitatum tamen videtur, plerósque antiquorum qui gratiam Christi habitualem vocant infinitam, spectasse infinitatem illam moralem, quam habet habitualis gratia Christi ex coniunctione cum gratia vnionis. Quo sensu videtur locutus inter recentiores, Vega qui l.10. in Tridentinum, cap.2. gratiam Christi habitualem vocat infinitam. Nonnullos tamen, admitto egisse de gratiæ habitualis infinitate intensiua, eámque Christo tribuisse. Annuit Hurtadus disput.13. Phys. §.47.

76. Faten

76. Fatendum sanè est, argumenta propè omnia quibus hoc placitum impetitur, inania esse. Nam præter argumenta quæ Vasq. 3.p.d.46 cap.1.ex sua & aliorum tententia adhibet, petita ex repugnantia cuiusuis infinitatis, quibus (vt præmisi,) assumitur falsum, contra veritatem in physicis sufficienter stabilitam: Præter hæc inquam iam reiecta argumenta, Suarez t.1.3. p.d.22.s.1.conc.1. & Raguſa ibid. disp. 6. inde infinitatem illam impetunt, quod ea admissa, sequeretur Deum comprehendi à creatura, quod supponitur omnino falsum. Hoc tamen argumentum, apud me est planè inefficax. Existimo enim, data infinitate graduali lumipis gloriæ, eique commensa visionis beatificæ intensione, Deum non esse à creatura comprehendendum: eo quod tanta sit Dei cognoscibilitas, vt posita quacumque visione creata, etiamsi intensiuè infinita, superexcessurus semper sit inadæquabiliter, nec vmquam sit visione vlla exhauriendus.

Multo infirmiora sunt, argumenta quibus Aluares 3.p.d.33.n.8.eandem gratiæ Christi infinitatem quatit. Ex eo enim quod subiectum gratiæ sit finitum, nempe anima; infert repugnare vt forma gratiæ sit infinita. Idémque collegit ex eo quod gratia sit participatio diuinitatis, quæ cum sit essentialiter infinita, est semper magis ac magis participabilis: ac proinde repugnat dari vltimum gratiæ gradum possibilem; sicut dandus esset, si daretur gratia intensiuè infinita. Hæc dico esse infirmissima. Nam subiectum entitatiuè finitum, est obedientialiter infinitè receptiuum: quia vt sic, non spectatur quoad suam nudam entitatem quæ vndecumque finita est, sed prout subiungitur Deo eleuanti, cui non est operosum, rem finitam sustollere ad recipiendum infinitè. Quod verò si gratia intensiuè infinita producatur, deueniendum sit ad vltimum gratiæ gradum possibilem, est apertè falsum. Quocumque enim cumulo gratiæ producto, ac etiamsi infinito, numquam deueniretur ad vltimum gratiæ gradum possibilem: sed semper licebit auctiorem & cumulatiorem gratiam producere: quia neque ex parte gratiæ vllus est terminus, neque ex parte causæ efficientis, quæ est omnipotens. Ratio verò infiniti, omnem planè terminum excludit. Itaque parum solidè Aluarez, gradualem infinitatem gratiæ Christi appecinit.

Omitto quæ ibidem à num.9. disputat, contra quorundam opinionem de modo physico & intrinseco infinito, ratione cuius gratia Christi habeat infinitatem physicam. Est enim adeò insulsa ea opinio, vt vix videam, quomodò cuipiam sapere potuerit. Modus siquidem omnis qui in gratia potest intelligi, vel est vnio gratiæ cum subiecto, vel ipsorum inter se graduum gratiæ. Neuter autem potest per se accipere infinitatem, nisi gradus ipsi illam accipiant; quod commenti illius autores non affirmant. Quia tamen si qui ita sunt philosophati, longè abfuerunt à sententia asserente gratiæ Christi infinitatem; non insisto eorum confutationi pleniori, intentus dumtaxat in modum legitimum asserendi eam infinitatem; quam fatendum est, argumentis propè omnibus quibus imperi solet, ægrè exscindi.

Impugnatur verisimilius.

77. Possumus tamen non improbabiliter suadere, gratiam Christi habitualem finitam esse, ex eo quod congruum videatur, Deum qui omnia fecit in numero pondere & mensura, habuisse hic rationem finitatis entitatiuæ, subiecti recipientis gratiam: ita vt quamuis subiectum illud obedientialiter possit recipere cumulum gratiæ infinitum, si videlicet lubeat Deo largitatem suam expromere præter legem ordinariam; tamen congruum non fuerit, Deum legem illam vniuersalem in hac causa prætergredi, nullo præsertim infinitæ gratiæ necessitate vrgente, cum ad quænis Christi munera, plus satis sufficeret gratia subsantialis.

Video vrgeri in contrarium posse, si gratia infinita est possibilis, congruum fuisse vt Christo communicaretur. Congruum quippe fuit, concedi illi omnem gratiam quæ Deo homini esset consentanea. Nulla autem gratia finita, qua intensior non potuerit esse consentanea Christo. Sicut nulla est gratia tam magna, quæ excedere queat dignitatem personæ Christi. Debuit igitur concedi Christi, gratia intensiuè infinita, si supponatur eam infinitatem gratiæ non repugnare. Ita ratiocinatur Suarez t.1.3. p.d.22.s.1.

Respondendum est, infinitatem quidem gratiæ, esse possibilem, non fuisse tamen congruum, concedi Christo omnem gratiam quæ potuisset esse ei consentanea, & quæ non excederet dignitatem tam eminentis personæ. Sic enim nulla planè gratia conferri Christo potuisset. Nam neque finita tantùm, ex suppositione quod infinita esset possibilis: quia sic, finita gratia non fuisset Christo consentanea. Nec potuisset item conferri infinita; quia supra quamuis gratiam infinitam datam, posset dari alia auctior, cum nullibi sit terminus in gratia producibili diuinitùs de potentia absoluta. Omnis autem illa gratia auctior, æquè consentanea Christo fuisset & æquè non excessisset dignitatem eius, ac alia tenuior & remissior gratia: ac proinde nulla planè gratia, communicanda Christo fuisset: quia etiamsi omnis omnino gratia possibilis, concessa Christo fuisset, neque hæc Christi dignitatem excederet, eive consentanea adæquatè statui posset. Itaque vt affirmabam, congruum non fuit, Deum violata vniuersali lege infinitum simpliciter è certis partibus æqualibus compactum excludente è diuinis operibus, sine vlla prorsus necessitate gratiam infinitam Christo elargiri: sed satis supérque fuit, concedi Christo eam gratiæ mensuram finitam, quæ secundùm regulas diuinæ sapientiæ, iudicata est Christo consentanea, quæ scilicet summa esset de potentia ordinaria.

Gratia Christi, finita, sed summa de potentia ordinaria.

78. Non dico absolutè summam, quia nulla talis gratia produci potest. Quantalibet enim infinitate producatur gratia, adhuc potest à Deo fieri alia cumulatior & auctior. Itaque tantum dico, gratiam illam iudicatam esse Christo consentaneam, quæ summa esset de potentia ordinaria: quia regulæ diuinæ sapientiæ quibus appenditur cuique mensura gratiæ spectato fine & muneribus in quæ confertur, illud dumtaxat tulerunt, vt Christus cum esset caput Ecclesiæ, & vniuersæ gratiæ fons, nemini de gratiæ vbertate concederet de facto: Ita vt licet gratia puræ creaturæ potuisset de potentia absoluta superare intensione gratiam Christi, tamen non modò eam nullius puræ creaturæ gratiæ excesserit, sed ne æquauerit quidem. Qua ratione accipi ad veritatem potest, quod de sapientia incarnata antè omnes montes colles, abyssos, fontes, constituta ex cap.8. Prouerb. ad Christum omnibus Sanctis anteponendum accommodat Marcellus Ancyranus apud Eusebium lib.1. contra eum c.3. Idem ferunt illa apud Patres crebra & expressa, de nullius planè creaturæ contentione quoad sanctitatem cum Christo facienda. Quamuis enim Christus, etiamsi sanctitatem creatam remissiorem haberet, tamen vi sanctitatis subsantialis omnem planè cumulum gratiæ habitualis longè superexcederet, & per eam semper esset Deo supernaturaliter amabilior quacumque creatura, quantumuis habitualiter grata & sancta; tamen iis quæ dixi Patrum locis, vniuersè agitur de Christi sanctitate, & quoad omnem modum quo sanctus est, pronunciant de eo Patres, *non est sanctus vt est Dominus*. Signo nonnullos.

Patres

Patres, nullius gratiam, cum gratia Christi, componi sinunt.

79. Origenes hom. 9. in Ezech. ad illud, *iustificasti sorores tuas*, sic scribit. [Iniquitas mea, iustitia est comparatione maioris iniquitatis. Sic & iustitia mea, ex comparatione multiplicis iustitiæ iniquitas reputatur. Propterea *non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Fuerit licet iustus Abraham, & iustus Moses, iustus vnusquisque illustrium virorum; sed ad comparationem Christi, non sunt iusti. Lux eorum cum eius luce composita, tenebræ repertiuntur. Et quomodo lumen luceruæ ad Solis radios obscuratur, & velut alia quædam cæca materies contenebrescit: sic licet fulgeat iustorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Christum: *luceat quippe lumen vestrum*, non simpliciter dictum est, sed *luceat ante homines*. Ante Christum, non potest lumen fulgere iustorum. Vt splendor Lunæ & micantia cœli sidera, priusquam oriatur Sol, iis stationibus suis rutilant, orto verò Sole absconduntur, sic lumen Ecclesiæ, vt lumen Lunæ, priusquàm oriatur lumen illud verum Solis iustitiæ, resplendet, & clarum est ante homines: cum autem Christus venerit, ante eum contenebrescet.]

Augustinus lib. 5. in Iulian. cap. 15. alias 9. [Natura hominis Christi, nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippè sine vitio natus est homo, quod hominum nemo: quantum autem ad vitam attinet qua Christum debemus imitari, hoc quoque ad distantiam plurimùm valet, quod vnusquisque nostrum homo est, ille autē etiam Deus. Neque enim tantum potest iustus homo esse qui homo est, quantum homo qui & Deus est.]

Basilius in cap. 2. Esaiæ, tractans montem domus Domini eleuatum super colles. [Colles vtique, tumuli sunt quidem in aliquantam altitudinem à terra & exguo ambitu circumscriptibilem insurgentes: Humilioribus quidem locis supereminentes, altissimis verò inferiores sunt, pura montibus. Itaque præcellens & incomparabilis prærogatiua Domini iuxta assumptam humanitatem, quum supra omnes, qui simul adunati tandem quibusdam virtutum ornamentis eniterent, demonstrata sit præeminuisse; eam ob rem, supra colles futurus fuerat conspicuus ac præclustris, mons Domini. Amplioris enim gloriæ præ Mose dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet Domino, qui fabricauit eam. Quanto rursus præstantior est, Abrahamo ipso? Abraham exultauit, vt videret diem assumptæ humanitatis; & vidit, & gauisus est. Et Abraham quidem decimas dedit Melchisedecho. Melchisedech autem præsignabat Dominum. Et hæc quidem dicta sint, vt excellentiam repræsentemus Dominici Corporis. Absit enim vt nos diuinam eius naturam glorificemus, collatione habita eminentis excellentiæ ad vllam seruilem creaturam. Ipsa enim dispensatio, iuxta etiam conditionem assumptæ carnis, supertior his fuit, quotquot inter homines iustitia excelluerunt. Solus enim ipse non admisit peccatum, maiestas autem & magnificentia eius naturæ, supra cœlos elata est.]

80. S. Cyrillus l. 1. Glaphyr. in Pentateu. exponens benedictionem Ioseph quam Christo aptat, cui ob geminam nativitatem, & superna benedictio, & quæ in terra est, fuit concessa, addit de benedictione Christi in humanitate. [Benedictus ergo est causa vberum & vuluæ. Nam vt supra dixi, postea quàm factus est homo, & obediens Patri vsque ad mortem, hæreditauit sibi nomen super omne nomen, & ipsi omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum, quo confitentur, quod Dominus Iesus Christus sit in gloria Dei patris. Nam etsi apparuit, sicut nos, homo tamen vt Deus, superat quemuis sanctum, etiam illos qui iā inde à primordio mūdi extiterūt & patres sunt nominati. Ita enim Psalmista ait; *Quomam quis in nubibus æquabitur Domino: aut quis ei similis erit inter filios Dei?* Hoc & beatus Iacob docet præsenti loco dicens, *quia præualuisti in benedictionibus montium firmorū, & collium æternorum.* Nam montes firmissimos, itemque colles æternos, vocat Sanctos: propterea quod à terra sublati sunt, neque ampliùs res abiectas curant, sed superna quærunt, & ad summa rerum fastigia enixè contendunt. Inferiores igitur sunt Christo in gloria, etiam sanctissimi ex Patribus, qui vel summum virtutis culmen conscenderunt. Siquidem hi omnes fuerunt serui in domo Dei, etsi Deinde in filios sint cooptati Ipse autem est Dominus tamquam filiusfamilias, ea per quæ ipsi illustres euaserunt, ipsis suppeditans. Vnde & ipsi dicunt, *quod ex plenitudine eius, omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quamobrem naturaliter competit corona gloriæ, ipsius capiti.] Quod dixit Christum, vt Deum, superare sanctitate quoluis iustos; non eò pertinet vt intelligamus Christum ratione solius sanctitatis increatæ supergredi homines sanctos: Hoc vel monere superfluum esset. Pertinet ergo ad indicationem fontis è quo manauit gratia creata, qua Christus præ Sanctis omnibus, exornatus est.

81. S. Gregorius ad illud Cant. 1. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloranit me Sol*, hoc esse ait, quod sancta sponsa profitetur se à Sole decoloratam. [Per Solem Christus significatur, Sol ergo eam decolorauit: quia quamtumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit. Sunt quippe nonnulli, qui in hac nocte mundi, velut stellæ hominibus fulgent, & luminaria proximis apparent: sed mox vt iustitiæ Christi se comparant, quasi sine luce sunt, qui benè incomparabiliter priùs hominibus lucebant.] Idem S. Pontifex lib. 1. in 1. Reg. cap. 2. ad illud *non est sanctus vt est Dominus*, præfatus hæc de Christo intelligi, & excellentiam sanctitatis eius hinc demonstrari, subdit; inde summam illam Christi sanctitatem à nemine adæquabilem demonstrari, quod omnes quotquot sanctitatis stillicidium aliquod sunt adepti, è Christi fonte hauserunt gratiam. Quod non ad homines tantùm, sed & ad Angelos pertinere arbitratur, & colligit ex verbis illis Psalmi 82. *Verbo Domini* id est Christo, *cæli*, id est Spiritus cœlestes, *firmati sunt*, id est sanctificationis gratiam sunt adepti. Idem l. 18. Moral. à cap. 29. multa luculenter in hanc rem disputat. Egregiè c. 34. circa illud, *non adæquabitur ei topazium* quod ad sanctos homines aptat. [Factum est, (inquit,) vt nonnulli prodirent, qui mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, purum hominem creatum dicerent, sed gratia Deificatum, tantumque ei sanctitatis tribuerent, quantum de Sanctis cæteris, eius videlicet famulis agnouissent. Quos beatus Iob, Prophetiæ Spiritu afflatus, sententiæ suæ definitione redarguit, dicens; *non adæquabitur ei topazium de Æthiopia.* Quid per Æthiopiam nisi præsentem mundum accipimus? Quæ coloris nigredine designat peccatorum populum, fœditatemque meritorum. Aliquando verò Æthiopiæ nomine, specialiter gentilitas designari solet, infidelitatis priùs nigra peccatis: quam veniente Domino Abacuc Propheta vidit timore perterritam, & ait; *tabernacula Æthiopum expauescent, tabernacula terræ Madian.* Dauid quoque Propheta, videns quod ad Iudæam redimendū veniret Dominus; sed ante gentilitas crederet, & postmodùm Iudæa sequeretur, sicut scriptum est, *donec plenitudo gentiū introiret & sic omnis Israel saluus fieret*, dicit *Æthiopia præuenit manus eius Deo.* Id est, priusquàm Iudæa credat, saluandam se offert omnipotēti Domino, peccatis nigra gentilitas. Topazium verò, preciosus lapis est. Et quia Græca lingua, *pan* omne dicitur, pro eo quod omni colore resplendet,

topazium, quasi *topandium* vocatur. Dum verò in Deum conuersa gentilitas credidit ex ea multi ita sunt dono Spiritus locupletati, vt quasi multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed ne acceptis quisquam virtutibus extollatur, à sancto viro nunc dicitur; *non adæquabitur ei topazium, de Æthiopia*: ac si apertè dicat: nullis Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus ex ista tamen nigredine mũdi collectus, æquari ei potest, de quo scriptum est; *quod nascetur ex te sanctũ vocabitur filius Dei.*]

Summũ totius disputationis, exhibet ipsemet c. 36. verbis illis. [Notandum nobis est, quod sanctus vir, vt longè distare ab hac Sapientia Angelos demonstraret, dic it: *non dabitur aurum obryzum pro ea*, qui vt antiquos etiam Patres, sacri eloquij tractatores, inferiores ostenderet, adiunxit, *nec appendetur argentum in commutatione eius.* Vt Philosophorum quoque Sapientiam huic monstraret longè subesse, intulit; *non conferetur iunctis Indæ coloribus.* Atque subiunxit; *nec lapidi sardonisco pretiosissimo, vel saphiro*, vt in illa quoque superna ciuitate, nullum peruenire ad æqualitatem vnigeniti demonstraret, addidit; *non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Vt Prophetas quoque ei subesse ostenderet, subiunxit; *nec commutabuntur pro ea vasa auri excelsa & eminentia, ne commemorabantur in cõparatione eius. Trahitur enim Sapientia de oculis.* Ad extremum verò vt ipsos quoque in Ecclesia hæreticos increparet, qui à gentilitatis errore venientes, fidem quam percipiunt per superbiam scindunt, addidit; *non adæquabitur ei Topazium de Æthiopia.* Ac si patenter insinuet, dicens; Hi qui ex peccati nigredine ad conuersionem veniunt, æquari Deo (homini) omnino non possunt, quamuis multis colorum virtutibus resplendere videatur. Quorum vt superbia refutetur, aptè subiungitur; *nec tinctura mundissima componetur.* Tincturæ enim mundissimæ, vocantur hi qui veraciter sunt humiles, & veraciter sancti: qui sciunt quidem, quia ex semetipsis virtutum speciem non habent. Sed hanc ex dono gratiæ desuper venientes tenent. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent. Sed mundissimæ tincturæ sunt: quia humiliter custodiunt superuenientem in se virtutum gratiam quam acceperunt.] Latissimè S. Gregorium describunt, & dilatant hoc loco, Etherius & Beatus l. 1. contra Elipandum refutantes profanas illas Elipandi voces, quibus se Christo componebat. [Et ille Christus, & nos Christi; & ille seruus, & nos serui.] Adrianus item Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, multis aliis similibus B. Gregorij locis allegatis, ad Christum quoque aptat illud Psalmi, *non est similis tui in Diis Domine.* Quamuis enim homines puri, & Angeli, per gratiæ habitualis communicationem trãseant in Deos mysticè loquendo; Tamen nemo talium adscriptitiorum Deorum, similis est sanctitate & gratia Christo Domino, qui cum sit verus Deus, obtinere debuit cumulum gratiæ, supra cumulos cuiusuis gratiæ puris creaturis concessæ, exaggeratum.

Plenitudo gratiæ in Christo.

82. Quare fixum esto, Christum sanctitatem & gratiam habitualem sortitum esse summam de potentia ordinaria; ita vt seposita sanctitate substantiali, & ratione huius solius creatæ sanctitatis, nemo mortalium, vel etiam cœlestium spirituum, Christum adæquet. Hæc est illa plenitudo gratiæ, quæ Christo ab Euangelista tribuitur, verbis illis, *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Et paulo ante præmiserat, Verbum in carne visum esse, *plenum gratiæ & veritatis.* Non enim interpretatio, sed peruersio censenda est, quam adhibuerat Erasmus, & plerumque nimium inconsultus in scriptura exponenda Caietanus, ea verba de Baptista, non de Christo dicta existimantes. At ex contextu correcto liquet, & grauissimorum Patrum auctoritate confirmat ibi Toletus, hæc verba in Christum cadere, & de vera gratia, esse accipienda. Quod enim Alcuinus 3. de Trinit. c. 2. Christum plenum gratiæ & veritatis interpretatur plenum diuinitatis per meram gratiam nobis vnitæ & plenum veræ humanitatis, non videtur quadrare. Quare gratiam intelligamus gratiam, eaque plenam Christi animam agnoscamus. Enucleant diligenter eam gratiæ Christi plenitudinem S. Thomas 3. p. quæst. 7. art. 9. & 10. & ibidem Scholastici, insuperque Toletus in c. 1. Ioan. annot. 47. & in c. 1. Lucæ annot. 104.

His eam verbis expressit Laurentius Iustin. l. de casto connubio Verbi & animæ c. 10. [Multimodè cognoscitur illius gratiæ plenitudo. In eo namque fuit *gratia sufficientiæ* quæ in iusto quolibet reperitur: Fuit *gratia copiæ*, quæ Apostolis donata est, Spiritu sancto super ipsos descendente; sicut scriptum est; *repleti sunt omnes Spiritu sancto*: Fuit *gratia vniuersitatis*, quæ in Ecclesia, cui nullum deest donum: Fuit *gratia excellentiæ*, quæ beatæ Virgini concessa est: Fuit *gratia superfluentiæ*, de qua dicitur, *plenum gratiæ & veritatis.* Fuit quoque in ipso mediatore à sui conceptione *gratia capitis* Non solùm autem in quantum Deus, caput est Ecclesiæ, sed etiam in quantum homo, & influit motum spiritus & gratiæ in cunctos qui illi copulantur per fidem rectam, vel fidei Sacramentum. Fuit etiam *gratia vnionis*, de qua supra dictum est. Hæc de plenitudine gratiæ Christi.] Caue putes hanc tantam diuersitatem gratiarum, ex quibus illam plenitudinem conflat Iustinianus, ex specie multiplicibus formis supernaturalibus constare. Vnica enim Christi gratia habitualis vel vnio hypostatica, ad illa omnia sufficit. Ad intelligendam autem plenitudinem illam dist nctius, paucos Patres in eam sententiam attexo.

83. Nouatianus l. de Trinit. c. 29. [Spiritus sanctus habitans in solo Christo plenus & totus, nec in aliqua mensura aut portione, mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulatè destributus & missus, vt ex illo delibationem quandam gratiarum cæteri consequi possint, totius Sancti Spiritus in Christo fonte remanente, vt ex illo donorum atque operum venæ ducerentur, Spiritu Sancto in Christo affluenter habitante. Hoc etenim iam prophetans Esaias aiebat; *& requiescet*, inquit, *super eum Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & virtutis, Spiritus scientiæ & pietatis, & implebit eum Spiritus timoris Dei.* Hoc idem, atque ipsum & alio in loco ex persona ipsius Domini, *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Similiter Danid; *propterea vnxit te Deus tuus oleo latitiæ præ cõsortibus tuis.* De hoc Apostolus Paulus; *qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et; *vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Hic est qui operatur ex aquis secundùm natiuitatem, semẽ quoddam diuini generis, & consecrator cœlestis; natiuitatis; pignus promissæ hæreditatis, & quasi chirographum quoddam æternæ salutis; qui nos Dei faciat templum, & nos eius efficiat domum.] Quandoquidem eam Spiritus sancti in Christo plenitudinem ponit, cuius est in nobis delibatio, & per quam tanquam per semem diuinũ in Dei filios transcribimur; perspicuum est, plenitudinem sanctitatis quam Christo tribuit cadere in sanctitatem habitualem, saltemque eam non excludere, imò complecti,

S. Fulgentius ad q. 3. Ferrandi, adducto quoque S. Ambrosio. [Si sic crediderimus, necesse est vt illa fruatur prædicatio Ioannis Baptistæ, qua Christo singularem, ac sine mensura tribuit Spiritus largitatem, dicens: *non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*: cum & maiores nostri in nobis mensuram largitatis accepiunt, in Christo autem plenitudinem manere sancti Spiritus fateantur. Beatus namque Ambrosius in libro primo, capite septimo de Spiritu sancto, inter alia sic ait: *de Spiritu meo* inquit, *effundam.* Non *Spiritum* ait sed *de*

Spiritu

spiritum. Neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantùm accipimus, quantum de suo arbiter noster pro sua voluntate diuiserit. Ostendens ergo nos sanctus Ambrosius, non plenitudinem, sed de plenitudine spiritus accipere, paulo post hæc dicit: [De Spiritu Sancto Pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit; sed quod effudit, omnibus abundabit. Supra nos ergo, effusum est de Spiritu Sancto: at verò supra Dominum Iesum, cum in forma esset hominis, manebat Spiritus; sicut scriptum est, *super quem videris Spiritum descendentem de cœlo, manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*. Circa nos ex affluenti commodo liberaliter largientis est; in illo totus manet in æternum Spiritus plenitudo.]

84. Petrus Damiani opusc. 6. c. 1.] Constat planè mediatorem Dei & hominum, Christum Iesum, Ecclesiam suam sic ordinasse ab ipso redemptionis humanæ principio; vt & per ministros verbi sui, charismatum dona distingueret; & tamen in se ipso omnium gratiarum plenitudinem retineret principaliter. Nam is qui dicit Apostolus; *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*; idem etiam confitetur: quia in pectore Iesu sunt omnes thesauri Sapientiæ absconditi. Si autè in pectore Iesu, omnes thesauri sunt, & nihil excipitur; quid ergo relinquitur, quod in vasis hominum fictilibus recondatur? Sed quod ille totum naturaliter possidet; hoc illi per gratiam, participatione illius, iuxta mensuras habent. De illis enim dicitur, quia *operatur omnia, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult*; At de vnigenito filio dicit Ioannes Baptista: *non* inquit, *ad mensuram dat Deus, Spiritum*. Et iterum *de plenitudine eius omnes accepimus*.]

S. Bernardus sermo de natiuit. B. Mariæ. [Quis fons vitæ nisi Christus Dominus? *cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*. Sanè ipsa sese plenitudo eximaniuit, vt fieret nobis iustitia, & sanctificatio, & remissio, necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Deriuatus est fons, vsque ad nos. In plateis deriuatæ sunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquæ ductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiã, sed stillicidia gratiæ ærentibus cordibus nostris infundens; aliis quidem plus, aliis verò minus. Plenus equidem aquæ ductus, vt accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam.]

85. Philippus Abbas lib. 5. in Cant. cap. 25. quærens cur de Christo dictum sit, *species eius vt Libani*; sic scribit. [Sponsi speciem comparatione Libani, magnipendit. Inter montes cæteros quibus terra Iudæorum dicitur occupari, strata cuius planities conqueritur frequentia montium angustari; vt aiunt qui nouerunt, Libanus altior enitescit, arboribus fœcundior, assiduis nimibus dealbescit; qui benè sponsi typum tenere perhibetur, eo quod nulli Sanctorum huius excellentia comparetur, qui virtutum plantarijs & densitate operum fœcundatus, nescit vri vitiis, natiuo carnis gelicidio dealbatus.]

Petrus Cellensis l. de panibus cap. 9. *initio*, præfatus mutuandam esse gratiam, subdit. [A quo autem est mutuanda gratia, vel accipienda, nisi ab eo qui plenus veritate & gratia, natus est de matre gratia plena. O Iesu, in vena non in lagena; in puteo non in vrceo, in ventre non in vtre, in anima non in cisterna; in fonte non in vase possides gratiam. Aquæ quidem fluunt cum impetu de Libano, sed gratiæ excurrunt in manuetudine & vbertate de Spiritu tuo.]

Quo sensu, data non ad mensuram.

86. Quod vides ex his Patribus plerosque, Spiritus & gratiæ plenitudinem quam in Christo agnoscunt, stabilire verbis illis Ioannis 3. *non ad mensurã dat Deus Spiritum* non spectat ad astruendam gratiæ Christo inditæ immensitatem; sed tantùm ad designandam illam summam gratiæ quantitatem Christo collatam, quæ naturæ creatæ potuit esse consentanea: vt idem sit *non ad mensuram*, quod *plenitudo perfectionis & perfectio plenitudinis spiritus & gratiæ*, vt rectè expositi Petrus Damiani serm 67. verbis illis. [Sed mouuere potest, cur Ionnes Baptista perhibeat, quia non ad mensuram dat Deus Spiritum, cum Paulus è contrario dicat; *vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi?* Quomodò ergo, non ad mensuram, & quomodò ad mensuram? Sed quod Ioannes asserit, non ad mensuram spiritum dari, de Redemptore nostro procul dubio debet intelligi; in quo videlicet habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quod patenter agnoscitur, si ipsa textus Euangelici series attendatur. Nam cum præmisisset; *non ad mensuram dat Deus Spiritũ*; protinus intulit, *pater diligit filiũ, & omnia dedit in manu eius*. Vnde & alibi dicit: *nos de plenitudine eius accepimus*. Concedat ergo cum Psalmista Ioannes, quia huic iste mensuram tollit, quem ille vnctum præ consortibus asserit.]

Eundem quem dixi sensum loci Ioannis, confirmat S. Fulgentius ad quæstionem 3. Ferrandi, atè demonstrans, allegatis S. Ambrosio & S. Augustino, eum locum de Christo esse accipiendum, contra quam fecit Tolerus ibi annot. 39 qui censuit, donationem non ad mensuram, de qua ibi agitur, non esse Christo factam, sed humano generi, cum Pater ei filium dedit donatione planè immetata, & excedente omnem mensuram. Sed nobis, interpretatio prolata quæ omnium antiquorum communis est, retinenda videtur: eamque probauit S. Thomas 3. p. q. 7. art 11. ad 1. & lect. 6. in cap. 3. Ioan. Et sane perbellè connectitur cum antecedentibus & consequentibus. Dixerat quippe Baptista qui ibi loquens refertur; dixerat inquam, Christo esse credendum; quia quem misit Deus, verba Dei loquitur. Tum subdit; *non enim ad mensuram dat Deus Spiritum; Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius*.

Liquere videtur; verba quæ expendimus, cum contineant rationem cur credendum sit Christo, & cur verba Dei loqui sit censendus, aptissimè cadere in Christum ipsum, de quo etiam consequenter subditur eum à Patre diligi, & omnia data esse in manu eius. Fateor tamen sensum verborum quæ excutimus, eum esse posse quem tradit ibi Ribera: nempe hortari Ioannem omnes ad Christum audiendum; eo quod illi non sicut Prophetis particula aliqua cœlestis doctrinæ communicata esset, sed vniuersa plenitudo. Quia tamen illimitatè & absolutè probatum nomen *Spiritus*, non designat sola dona intellectualia, sed præsertim ea quæ sunt potiora & meliora charismata, quorum vertex est gratia; propterea meritò eum Spiritum sine mensura Christo datum, de gratia habituali acceperunt Patres, vel saltem non esse eius ambitu excludendam gratiam, censuerunt.

87. Igitur summa planè, atque adeò non ad mensuram, veluti per stillas, sed largissimè & copiosissimè & communicata est Christo gratia sanctificans: quandoquidem & rectè statuit Suarez t. 1. 3. p. d. 22. s. 2. *in fine* & Aluares 3. p. d. 37. gratia Christi habitualis, intensione superat totam gratiam Angelorum omnium, & hominum simul sumptorum. Ita enim decet sentire de vero Iustitiæ Sole, & gratiarum omnium fonte. Sicut enim Sol, plus solus lucis habet quàm quæuis lucida inferiora, ita & Christus, plus sanctitatis & gratiæ sortitur solus, quàm omnes simul Sancti in cœlo & in terra, habentes de plenitudine eius exiguam participationem. Item sicut fons, plus aquæ habet quàm riui omnes, ad quos ab ipso aqua defluit, ita & Christus, quem pulcherrimè fonti gratiæ comparat S. Bernardus serm. de Natiu. Deip. vberiorem gratiam sanc-

ctificantem adeptus est, quàm omnes simul qui ab eo gratiam hauriunt. Hoc graues Autores de gratia habituali B.Virginis asserere non sunt veriti, nominatimque Salaz.cap.31. Prouerb.à num.181.& Val.3 p.d.2. q.1.p.5.ac Suarez t.2.3.p.d.18.sect.4.concluſ.2.Quàm verò firmiter id ſtabiliant, nunc non ago. Illud tamen certum eſt, coniecturas omnes tantæ gratiæ, ductas ex ſumma dignitate Deiparæ, & ex tanto Dei in eam affectu,multo plus circa Chriſtum vrgere: cum conſtet, dignitatem Chriſti infinities excelſiorem eſſe, & amorem quo à Patre dilectus eſt, nullam comparationem admittere, cum eo amore quo pura quæcumque creatura amata à Deo fuerit. Et dicuntur quidem aliqui Sancti pleni gratia,ſicut & Chriſtus gratia plenus dicitur: ſed alia eſt Chriſti ,alia Sanctorum plenitudo, licet vtraque ſit plenitudo. Audi Origenem hom. 29. in Lucam *initio.*[Quando legis in Euangelio, *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto reuerſus eſt*,& in Actibus Apoſtolorum vbi dicitur,*quod repleti fuerint Spiritu ſancto*, vide ne æquales putes eſſe Apoſtolos Saluatori: Sed & Ieſum, & Apoſtolos, & alium quemlibet Sanctorum plenos Spiritu ſancto cognoſce, ſecundùm menſuram vaſculi ſui. Et quomodò, v.g. ſi volueris dicere, hæc vaſa plena ſunt vino & oleo, non ſtatim indicas quod æquali menſura plena ſint: ſiquidem aliud ſextarium capere poteſt, aliud vrnam, aliud amphoram: eodem modo & Ieſus, & Paulus,pleni erant Spiritu Sancto: ſed multo vas Pauli minus erat vaſe Ieſu;& tamen erat ſecundùm menſuram vtrumque completum.]

Fatuus Beguardorum metus, ne Chriſtum gratiâ ſuperarent, obiter exploſus.

88. Ex his liquet,quàm pinguis fuerit error Beguardorum, meritò damnatus in Clement. *ad noſtrum* de hæret. Affirmabant enim deueniri in hac vita ad certum charitatis & gratiæ terminum, vltra quem homo tametſi ſuperſtes, progredi nequeat benè faciendo atque merendo. Timebant ſiquidem ne ſi hoc darent, ſequeretur, aliquem purum hominem excedere Chriſtum caritate & gratia ſanctificante.Sed hic vanus planè metus fuit: quia menſura gratiæ ſanctificantis ad quam de facto quis eſt peruenturus,non obtinetur niſi iuxta vires & auxilia quæ à Deo ſupernaturaliter exhibentur. Deus autem ſtatuit certum terminum auxiliorum hominibus conferendorum, pro menſura gratiæ ad quam eos deſtinauit ex æterna ſua miſericordia. Quo pacto D.Gregorius 12.Moral.cap.5.interpretatur illud Iobi *conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poſſunt.* Sicut igitur datur terminus extrinſecus in prædictis auxilijs, quem puri homines ex ſuppoſitione diuini decreti aliud ferentis, attingere non poſſunt; quia Deus ex ſua mera voluntate menſuram ac fines præfixit: ita datur etiam terminus extrinſecus charitatis & gratiæ per puros homines attingendæ:ille nimirum, qui correſpondebit auxilijs ad extrinſecum illum terminum pertingentibus. Chriſtus ergo in extrinſeco illo gratiæ termino locatus eſt, præ quibuſuis puris creaturis: ita vt quantumcumque ſupponerentur omnibus auxilijs diuinitùs exhibitis cooperari; non poſſent tamen ad illum extrinſecum terminum pertingere, aut Chriſti gratiam adæquare. Videſis planè hæc excutientem Suarem lib.9. de grat. cap.6. num.præſertim 15 & ex antiquioribus confligentem cum Beguardis tunc vigentibus, Aluarum Pelagium lib.2. de planctu Eccleſ. artic. 52.§. 1.

Erit tamen cui videatur aduerſus hanc adeò eximiam & ſupereminentem, nobiſque inadæquabilem Chriſti gratiam,opponi poſſe ipſius Chriſti mandatum, toties iubentis vt ei ſimiles ſiamus,& ſicut ipſe eſti ita nos ſimus ſancti,perfecti,& immaculati. Propoſuit hanc dubitationem Iſidoro Peluſiotæ Epiſcopus quidam nomine item Iſidorus, cui ille in hæc verba ſatisfacit l.5. epiſt.335. [Equidem reſpondeo nos inre optimo à maioribus exempla capere, etſi minus conſequamur quamuis enim inimitabilis Dei virtus eſt, illam tamen pro virili imitari conantes, ab imitatione non diſcedemus. Vt qui ſcribere pueros docent, arrepto ſtylo pueris quam perelegantiſſimos præſcribunt characteres, etſi inferiores imitatione ſint futuri, ita & diuina gratia virtutis nobis exempla propoſuit vt tamquam quod queat comprehendi imitemur. Ne igitur quod ſumma imitari non poſſimus id nos abſterreat ab ijs, quæ conſequi non valemus: imò illud magnum nobis videatur, quod digni ſimus habiti, vel ex parte diuinam imitati imaginem.]

Modus collatæ Chriſto gratiæ, valdè perfectus; ac primùm quia ex meritis.

89.Reſtat conſiderandus modus, quo Chriſtus hanc gratiæ abyſſum quam ei ineſſe vidimus, diuinitùs accepit. Poteſt autem diſtingui duplex de quo controuerſia eſſe queat: nempe primò controuerti poteſt an Chriſtus acceperit illam per meriti, vel abſque meritis. Secundo an paulatim, vel certè totam ſimul. In primo puncto vnanimis recentiorum ſententia fert, Chriſtum Dominum non accepiſſe gratiam ex meritis. Quod aliqui ita certum cenſent, vt contrarium damnent temeritatis. Sed vt Suarez rectè notauit t.1. 3.p.d.40. ſ. 2. ea cenſura eſt temeraria: cum ſententia quæ Chriſtum ex meritis aſſecutum eſſe docet donum accidentale gratiæ ſanctificantis, & conſequenter gloriæ, graues Autores habeat, & valdè probabiles rationes, ac proinde ipſa quoque ſit probabilis, Eam ſententiam docuit Baſſolis in d. 3.18. q. vnica,articulo 3. Maior ibid. q. . Mayro ibid. nec obſcurè S. Thomas 3-p.q.34.art.8.& ante hos omnes Albertus Magnus eadem diſtinct. Idem cogitur dicere Aluares, qui 3.p.d. 15. ad 1. concedit Chriſto meritum congruum gratiæ habitualis. Cum enim dignitas perſonæ aliunde ſumma eſſet, nihil potuit deeſſe ad meritum condignum, ſi congruum affuit. Hinc vides quàm abſque idonea cauſa, Valentia 3.p.d.1.q.19.p.3.falſus omnia quæ ad probandam communiorem ſententiam de gratia Chriſto abſque meritis collata proferuntur; inania eſſe, & facilè ſolubilia, ob ſolam tamen Scholaſticorum concordiam, det manus, & Chriſtum abſque meritis hæc dona accepiſſe fateatur. Non enim vnanimiter Scholaſtici ita tradunt: Et vt traderent, niſi idoneam rationem proferrent, audiendi non eſſent ſi in contrarium æquè valida ratio vrgeat,vt hic ſanè vrget.Præter prædictos Scholaſticos, Chriſtum ex meritis hæc dona accepiſſe, agnoſcit Iunilius lib. 2. de partibus diuinæ legis cap.22.

Accedit ratio, quæ vt formetur, præmittendum eſt, non eſſe dubium quin de potentia abſoluta Chriſtus Dominus hæc dona mereri potuerit. Reclamat quidem Canus 12. de locis cap.14. & communiter Thomiſtæ 3.p.q.19.art.3.vbi putant ita tradere D. Thomam:Sed nihil planè proferunt, quo probabiliter ſuadeant repugnantiam. Quidni enim Chriſtus, per opera in primo inſtanti elicita independenter à gratia & gloria, potuerit hæc dona promereri? Dignificatio enim quæ à gratia ſubſtantiali conferri poterat, pluſquàm ſufficiens erat ad eas actiones dignitate conſentanea exornandas. Anteceſſio autem temporalis inter meritum & præmium,quam exigit Dur.in 3.d.18.q.1. num.5.nullo modo eſt neceſſaria, vt patet ex augmento gratiæ, quod iuſto rependitur eodem momento quo elicitur actus qui augmentum illud meretur. Similiterque peccator, eodem momento quo conteritur, meretur de congruo ſanctitatem quam tunc accipit. Et Angelus, iuxta probabiliſſimam ſententiam, iuſtifica

ficatus est per propriam dispositionem, atque adeò ex meritis, in primo instanti quo accepit esse. Tandem quod hæc dona debeamus connaturaliter animæ Christi, nullam continet repugnantiam, quominus insuper ex merito ea habere potuerit. Nam gloria corporis, debebatur connaturaliter Christo, suppositâ gloriâ animæ; & tamen Christus eam meruit: quod contra Calvinii 2. inst. c. 17. §. 6. rectè affirmant, & ex variis Scripturis confirmant Bellarm. l. 5. de Christo c. 9. & 10. & Feuard. in appendice ad Christum V. *hristus* hæresi 7. Nimirum nihil vetat aliquid pluribus simul titulis quasi totalibus accipi, & tum connaturaliter deberi, tum meritis quoque comparari: quod malè negat Alphonsus Mendoza quodl. 2. Scholast. n. 11. Nulla igitur fuit repugnantia, spectando potentiam Dei absolutam, quominus Christus hæc dona mereri posset. In quo video consentire recentiores maxima ex parte, & Suarem t. 1. 3. p. d. 40. sect. 1. Rademin 3. controu. 12. art. 3. concl 4. Præpositum q. 19. n. 24. & passim alios.

Quo ita præmisso, sic licet argumentari, ad probandum prædicta dona obtigisse Christo ex meritis. Debemus concedere Christo, modum ea dona parandi, qui sit honorificentior, & dignitati eius congruentior. Talis autem est is, quod non excluso connaturalitate, & collatione facta titulo illius, conferantur quoque ex meritis. Igitur hic modus dona ista comparandi, est Christo concedendus. Maior videtur explorata. Minor quoque perspicua est, quia quamuis comparando titulum connaturalitatis cum titulo meriti, rectè dicatur honorificentius esse, habere titulo connaturalitatis, quàm titulo meriti; qua ratione antiqua nobilitas præfertur nuperæ, etiamsi ex meritis compararæ: Tamen manifestissimum videtur, concursum vtriusque tituli, nobiliorem efficere modum accipiendi hæc dona, quàm si ex vnico eorum accipiantur. Et in hoc passim laborantur, qui pro titulo connaturalitatis pugnant. Quia enim honorificentius est ac dignius, habere hæc dona ad modum proprietatis connaturalis, quàm per meritum; idcirco excludunt à Christo meritum horum donorum. At nos non facimus contentionem vtriusque illius modi solitariè accepti, sed vtrumque simul iunctum comparamus cum modo ea habendi tantùm ratione connaturalis debiti. Et idcirco dicimus, honorificentius esse Christo, quod hæc dona habuerit, & ex meritis, & ex titulo connaturalitatis, quàm si hoc dumtaxat posteriore titulo ea habuisset.

Ad obiecta in Contrarium.

90. Neque verò præponderat huic nobiliori modo comparandi gratiam & gloriam, ea ignobilitas quam Suarez d. illa 40. s. 2. solam opponit: nempe quod inde sequatur, Christum non semper esse operatum ex habitu: actus enim quibus Christus gratiam meruit, sicut supponuntur gratiæ quæ per eos principiatur, ita & habitibus operatiuis gratiam consequentibus. Ac proinde Christus, dicendus erit elicuisse actus illos modo imperfecto, nempe absque habitu; nec ex tota plenitudine sanctitatis, tam creatæ quàm increatæ, quæ extensiuè maior est, quàm sola sanctitas increata. Hæc inquam non præponderant ei nobiliori modo quem proposuimus. Nam operari ex habitu, tunc est nobilius, cum absque eo operatio non fieret connaturaliter. At in Christo, operatio supernaturalis ob vnionem erat connaturalis. Quod autem extensiuè sit nobilius agere ex duplici principio dignificante personam, quàm ex vno essentialiter infinito, non auget reuera nobilitatem intensiuam operationis, supra id quod conferret principium essentialiter infinitum, si adesset solum. Et quamquam sint plura dignificantia, tamen ea pluralitas compensatur, (& quidem cum excessu,) per pluralitatem nobilium modorum quibus hæc dona acquiruntur, cum titulo connaturalitatis, simulque meriti comparantur. Quare ratio à nobis adducta videtur firma.

Quæ verò è contrario opponit Rada art. cit. pro conclusione 7. nullius planè sunt momenti, vt quod aiat omnem Christi operationem meritoriam processisse ex habitu aliqua virtutis infusæ: atque adeò præsupposuisse gratiam, quæ est radix prima totius meriti. Hæc iam contrinimus, monstrantes nihil esse necesse, ad opera Christi meritoria præsupponi habitum. Addit Rada, gratiam habitualem, cum sit proprietas connaturalis, immediatiùs necti cum anima, quàm operationes quibus promerenda esset: ac proinde non posse cadere sub meritum, quod debet esse anterius præmio. Item gratiam esse principium quoddam, meritum verò esse actum secundum: at principium, est natura prius operatione. Denique gratiam esse principium meriti, atque adeò non posse sub meritum cadere. Hæc omnia sunt manifestè inania. Nam proprietas substantialis supernaturalis, potest non connecti cum subiecto obedientialiter eam recipiente, nisi per actionem meritoriam & ita reipsa hic contigit. Similiterque principium actus alicuius secundi, (quale tamen reuera non videtur esse gratia, nisi mediatè & remotè;) potest principiari meritoriè, & eatenus esse natura posterius alio actu secundo, qui non per gratiam accidentalem de qua agimus, sed per substantialem dignificetur.

Itaque nihil profertur, quod meritū Christi in suam gratiam sanctificantem, & omnia eam consecuta, labefactet. Anteriora tamen, vt scientia infusa præluceus merito, & auxilia quibus operationes meritoriæ sunt editæ, sub Christi meritum non ceciderunt, sed tantum gratia sanctificans, & gloria, & virtutes, & auxilia posteriora, & denique quicquid gratiam est consecutum.

Alia perfectio modi quo collata est Christo gratia, nempe tota simul.

91. Venio ad alterum modum gratiam comparandi, qui spectat successionem aut simultatē adeptionis gratiæ sanctificantis, quantam ei collatam vidimus. Hanc ergo gratiæ abyssum, accepit Christus, non particulatim, & cum successione, sicut nos; sed in primo conceptionis suæ momento, quo benedicta eius anima creata est; ita vt deinde, nullum prorsus in gratia sanctificante incrementum susceperit. Probat hoc Bellarminus l. 4. de Christo c. 1. adductis multis Scripturis; & cap. 3. prolatis plerisque Patribus, quorum ea fuit mens aperta. Disertè planè Isaiæ 11. Spiritus Domini, hoc est interprete ibi D. Hieronymo fons Spiritus sancti, & tota gratia Christo aliquando obuentura, dicitur requietura supra florem egredientem de radice Iesse: hoc est super Christum, cum primùm conceptus est.

Eodem modo aptare huc possumus omnia loca, quibus Christus vnctus dicitur Spiritu sancto, quod de collatione gratiæ facta animæ Christi; præter terminationem humanitatis, & sanctificationem eius substantialem, est accipiendum. Ea autem vnctio facta est in primo momento quo Christus est productus, qui idcirco ab eo temporis puncto *Christus* est dictus, vt S. Damasc. 4. fid. c. 6. probat ex Nazianzeno, Cyrillo Alexandrino, & Anastasio. Et eadem ex causa Christus dicitur vnctus præ consortibus suis, inquit Rupertus l. 1. de oper. Spiritus sancti c. 13. [*Vnxit te* (inquit,) *Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Præ consortibus*, inquam, *tuis*. Non enim quemadmodum consortes tui, qui postquàm in delictis vel peccatis concepti sunt, deinde per gratiam miseratoris diuisiua singuli percipiunt bona benedictionis: non, inquam, sic tui sed in ipsa conceptione, plenitudinem possides totius benedictionis, vt de tua plenitudine accipiant omnes consortes, vel participes tui.] Sic ibi in hanc rem Rupertus quem præterea vide optimè id confirmantem lib. 6. de proœss. Spiritus sancti cap. 3. & 10.

Scitè Guerricus serm.2. de Annunc. huc accommodat varia apud Prophetas nomina Christi. [Benè (inquit,) simul vocatur germen, & flos, & fructus, qui sine gradu profectus ab initio conceptus sui, omni virtute & gratia in seipso extitit perfectus. In nobis enim, primum ipsum germen est, cum fides in confessionem prorumpit, vel opus manifestum. Postmodùm flos, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei, quodam spectabili decore virtutum; demum autem fructus, cum beatitudo faciet hominem consummatum.] Igitur tota gratia quam Christus aliquando habuit indita ei est ab initio, vt sonant Scripturæ iuxta Patrum interpretationem huc aptatæ.

Patrum consensus,

92. Nunc suffragium aliquot Patrum, mentem suam seorsim à Scripturis expromentium, adiungamus. [Non quando venit (ait Orig. hom. 19. in Lucam) Ad adolescentiam, non quando manifestè docebat, sed cum adhuc esset paruulus, habebat gratiam Dei: Et quomodo omnia in illo mirabilia fuerant, ita & pueritia mirabilis fuit, vt Dei sapientia compleretur. Ibant itaque parentes eius iuxta consuetudinem in Ierusalem, ad solemnem diem Paschæ, & cum factus fuisset annorum duodecim. Diligenter obserua, quia priusquàm duodecim esset annorum, sapientiâ Dei, & cæteris quæ de eo scripta sunt, complebatur.] Multos etiam Patres mox proferam, qui disertè id statuunt, exponentes illud Lucæ 2. *puer proficiebat sapientia, & ætate, & gratia.* Negant enim id de augmento gratiæ sanctificantis accipiendum esse, ideoque alias dicti illius expositiones prosequuntur.

Disertissimè in proposita sententia est S. Bernardus hom.2. super missus est, vbi Christum specie viri à femina circundari describens, air. [Siue igitur latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus interrogans Doctores in templo, siue iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto: nec fuit hora in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur; sed à principio perfectus, à principio inquam, plenus fuit Spiritu sapientiæ, & intellectus, Spiritu consilij & fortitudinis, Spiritu scientiæ & pietatis, & Spiritu timoris Domini.]

Damascenus quoque, negantes Christum ab initio accepisse omnem gratiam, non dubitat esse Nestorianos Sic enim scribit lib.3. de fide cap. 22. post expositum varijs modis perfectum Christi in gratia, de quo Lucæ 2. [Qui verò proficere ipsum dicunt sapientia, & gratia, vt horum accessionem additionemque subinde susçipientem, non ex extrema Carnis existentia, vnionem factum astruunt, neque secundùm hypostasim aderant vnionem, à Nestorio vana sapiente persuasi, habitudinariam vnionem & nudum incolatum falsò prædicant: non cognoscentes neque ea quæ dicunt, neque de quibus disserunt. Nam si verè vnita est Deo Verbo caro extremæ existentiæ, magis profectò in eo existet, & hypostaticam ad ipsum habebit identitatem. Quomodò ergo non perfectè ditata est omni sapientia & gratia? Non ipsa quidem per gratiam participans vt nos, neque secundùm gratiam ea quæ Verbi sunt, participans, sed potiùs propter vnionem secundùm hypostasim, humana & diuina vnius Christi facta, participat. Sed & quia ipse erat Deus simul & homo, gratiam & sapientiam, & omnium bonorum plenitudinem, mundo irrogat.] Cassianus idipsum diligenter confirmat lib. 2. de incarn. cap. 6. & 7. Scholastici omnes in 3. d. 13. vel 3.p.q.7. art. 12. his Patribus subscribunt.

Probatio ex ratione.

93. Autoritati suffragatur ratio. Christus enim, vt vidimus, non accepit gratiam ex solis meritis, sed alio quoque longè digniore modo, nempe per modum proprietatis connaturalis, debitæ animæ Christi, ratione sui esse personalis. Non quod gratia Christi manauerit à personalitate Verbi, quæ vt sic actiua non est; vel quod profluxerit ab vnione quam item liquet non esse actiuam; vel denique quod causata sit ab anima, per Verbi subsistentiam terminata; quis hoc fingat? Sed quod huic animæ ad Verbi subsistentiam euectæ, deberetur connaturaliter vbertas illa gratiarum, vt plenius prosequitur Rada in 3. contro. 4. in appendice ad 6. articulum. Sicut ergo proprietates connaturales, non acquiruntur aut perficiuntur per actus, sed ab initio implantantur, conferunturque à natura: Ita gratia Christi, conserta ab initio est animæ eius, ac proinde nullo bonorum Christi actuum accessu, est cumulata. Nec refert, quod ita sit connaturaliter debita, vt tamen per meritum quoque obtigerit, quod in Christo fuit semper nouum. Hoc inquam non refert. Non ob adiunctum titulum connaturalitatis, omnis gratia Christo debita, conferri debuit simul, & sub solum primum meritum quod infiniti valoris fuit cadere debuit, & non per noua merita subinde augeri. Idem optimè confirmatur, ex beatitudine animæ Christi. Constat enim Christi animam, iam à primo momento suæ creationis, fuisse beatam. Atqui status beatitudinis, est status quietis & termini, qui proinde est inuariatus & fixus. Sicut ergo beatitudo animæ Christi, non creuit temporis processu; ita neque gratia, quæ est semen gloriæ: alioqui enim necessarium fuisse, gloriam crescere, ob perpetuam gratiæ sanctificantis & gloriæ correspondentiam.

Nonnulla contrarium in speciem ferentia.

94. In contratium esse videntur scripturæ quædam, & Patres. Nam Lucæ 2. disertè dicitur, *puer proficiebat sapientia, & ætate, & gratia.* Quid clarius? Ac ne ad Metaphoras res detorqueatur, eodem planè modo expressit Euangelista, profectum in gratia, quo expressit profectum in ætate, qui indubiè verus fuit ac realis. Ergo & profectus in gratia, est eodem modo accipiendus. Hæsit hic aqua Aelredo tract. de Christo duodenni. Nihil enim ausus est definitè pronunciare. At S. Eustachius Antiochenus, qui primus in Nicæno Concilio fuit l.6. aduersus Arrianos, exponens illud *omnia mihi tradita sunt à patre meo*, apud Facundum l. 11. pro tribus capitulis cap. 1. disertè habet, Christum maximas & accidentes virtutes percepisse, tamquam hominem, quod ita glossat Facundus. [Nam cum & de homine loquens diceret, *iste enim maximas, & accedentes virtutes percipit*, tantumdem valet ac si diceret, *ille verò non percipit tamquam Deus.* Dicendo etiam, quod Christus accidentium virtutum perceptione ad meliora processerit; & accepisse eum quod aliquando non habuit, & profecisse, testatur.] Item Beda q. 14. ex varijs, componens Christum & Adamum, & reddens rationem cur Adam dictus sit homo verus Christus autem homo nouus; ita philosophatur. [Prima die qua Adam conditus fuit, vetus extitit, non ætate, sed congrua similitudine: Quia sicut res quæ vetus est, deficit, & ad occasum tendit, sic Adam qua hora peccauit, ad occasum mortis, quasi vetus descendit; Et similiter post eum quilibet peccator. Sed Christus nouus homo fuit, & speciali ratione: Et licet homo factus, rex tamen erat & Angelorum & hominum: Et præterea generali ratione, quia sicut noua res crescit & roboratur, sic Christus de virtute in virtutem creuit, testante scriptura? *Iesus autem proficiebat ætate, & sapientia coram Deo, & hominibus*: Ad cuius imitationem, noui esse debemus, con

conscendendo de virtute in virtutem.] Quod si virtutibus creuit Christus, quæ appendices sunt gratiæ, necesse quoque est gratia creuisse, vt habet locus Lucæ: quem defectu fortassis librarij mutilum exhibuit Beda, expuncta voce *gratiæ*.

Denique non pauci Patres, affirmant Christum accepisse Spiritum sanctum, cum iam tricenarius à Ioanne baptizatus est, apertisq; cœlis descendit super eum Spiritus sanctus. Sic enim D. Hieronimus Isaiæ 61. censuit prophetiam de Christo vngendo Spiritu Domini, impletam esse in baptismo, cum Spiritus sanctus in Christum descendit, columbæ specie: quo refert illud ipsiusmet Christi, qui Lucæ 4. statim à baptismo ingressos Synagogam, & interpretatus de se illud Esaiæ, *Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me*; addit, *hodie impleta est hæc prophetia*. Eodé recidit quod S. Athanas. orat. 2. contra Arrianos, & S. Hilar. l. 11. de Trinit. vnctionem Christi oleo lætitiæ prænunciatam Psal. 44. actam in Christi baptismo, cum Spiritus sanctus super eum descendit.

Enodantur; Ac primùm, quomodo Christus profecisse gratia dictus.

95 Hæc non difficilè expediuntur. Et inprimis locus ex cap. 2. Lucæ, mihi videtur ad gratiam corporis & speciositatem pueri Iesu referendus, vt sensus sit, puerum Iesum in dies pulchriorem corpore & speciosiorem apparuisse. Frequens namque est, vt vox *gratiæ* sumatur pro pulchritudine corporis. Iuxta illud, *fallax gratia & vana est pulchritudo*. Et illud Lucæ de Christo *plenus Sapientia, & gratia Dei erat in illo*, quod videtur posse accipi iuxta idiotismum Hebræum vsurpatum à S. Luca, tametsi Græcè scribente, tamen inter Hebræos tamdiu versato, & scripturis assueto, ita vt idem sit *gratia Dei*, quod summa & exquisita pulchritudo, sicut *montes & cedri Dei*, dicuntur: id est eminentissimi montes, & arbores procerissimæ. Et hoc sensu, profectus Christi in gratia verus & realis, nihil incommodat propositæ veritati de gratia habituali, quæ tota simul sit Christo concessa.

Quod si gratiam pro interna gratia accipiamus, quę videtur perouulgata interpretatio tradita à plerisque Patribus, dicendum erit cum S. Anselmo l. 1. cur Deus homo cap. 9. profecisse Christum gratia: non quia ita erat, sed quia ille sic se habebat, ac si ita esset. Vel certè dicendum erit, gratiam illam non esse habitualem, sed esse operationes gratiæ: eo modo quo opera religionis, apud S. Iacobum dicta sunt, *religio sancta & immaculata*. Quia igitur Christus quoad operationes prodebatur in dies illustrior, edendo videlicet præclariora semper & nobiliora gratiæ opera? propterea dictus est profecisse in gratia.

Præclarè id tradidit Damascenus 3. f. c. 22. & præiuerat S. Cyrillus 10. Thes. cap 7. & l. 1. in Ioan. c 17. ac egregiè l. 3. pentab. c. 4. verbis illis quibus Nestorium confutat, hoc Christi profectu per Lucam expresso abutentem, ad prouectum Christi in Sacerdotem & in Deum. [Credimus ex ipso ventre atque vtero virgineo, ipsum Emanuelem cum Deus esset, hominem prodisse, plenum procul dubio Sapientia & gratia, quæ illa naturaliter inerat. Quodnam igitur is incrementum susciperet, in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, qui supernæ gratiæ simul cum Deo & Pater largitor est? Quomodò igitur proficere dictus est? Vt ego arbitror, quia Deus Verbum pro incremento & ætate sui corporis, diuinorum illorum bonorum quæ sibi inerant, manifestationem admentiebatur. Consideremus enim, illum quamuis homo iam noster similis factus esset, initio latere studuisse, veluti sine strepitu ac tacitè, paulatim mysterij vim disponentem. Et ad huius rei fidem Deus ac Pater nobis erit locuples auctor, cum dicit; *Iacob puer meus, suscipiam eum: Israël electus meus, suscipiet eum anima mea: dedi spiritum meum super eum iudicium gentibus proferet: non clamabit, neque vociferabitur neque audietur vox eius foris, calamũ quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.* Increpauit etiam ipsos sanctos Apostolos, ne eum manifestum facerent. Ergo noua res & insolita ostensa esset, & quæ curiosiùs esset exquirenda, si adhuc infans diuinam Sapientiæ speciem ostendisset. Sed eum paulatim illam & pro corporeæ ætatis ratione amplificaret, omnibusque perspicuam faceret, conuenienter admodùm, profecisse dici potest.]

96. Breuiter idem habet Orig. hom. 20. in Lucam *ad finem*, & Gregorius Nazianzenus orat 20. num. 65. verbis illis. [Proficiebat Christus, inquit Lucas, vt ætate ita etiam Sapientia; non quod hęc in illo incrementum caperent; (Quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit) sed quod hæc paulatim detegerentur, & elucerent:] Eum Nazianzeni locum Canus 12. de locis cap. 14. cum in D. Thomæ catena allegatum legisset, suppositicium censuit, eo quod eum ipse apud Nazianzenum non reperisset. At meritò ad numerum illum Bullius Cani indiligentiam reprehendit; admonetque, periculosum esse negare aliquid ex autore quopiam verè allegari, nisi qui negat, auctorem illum vniuersum probè calleat, & memoriter totum teneat. Propositam ex Theologo interpretationem illius dicti, Lucę pulchrè expressit S. Bernardus hom. 4. super missus est. Præfatus enim summã Christi gratiam & Sapientiam nullo auctario; processu temporis cumulatam, addit. [Nec te moueat, quod de illo legis in alio loco; *Iesus autem proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum, & homines*. Nam quod de sapientia & gratia hîc dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est. Non quia videlicet, aliquid ei nouum accideret, quod ante non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse vt videretur. Tu homo cum proficis, non quandò, nec quantum vis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer Iesus qui disponit tuam, ipse disponebat & suam: & quando volebat: & quibus volebat sapiens apparebat; quando & quibus volebat sapientissimus, quanquam in se numquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cum omni gratia semper plenus fuisset, siue quam apud Deum, siue quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio, eam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere vel saluti expedire sciebat. Constat ergo, quia semper Iesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit.]

Alios in hanc rem Patres profert, qui muscas morientes huius vnguenti suauitatem perdere allaborantes, rectè dispellit Canisius 3. martialis cap. 22. Præiuerat his omnibus, magister Nestorii Theodorus Mopsuestenus, qui profectum Christi in gratia & sapientia cuius Lucas meminit, accepit de vero profectu per temporis successionem facto. Locum eius describit Leontius Lyzantius l. 3. contra Nestorium & Eutychẽ.

Quæ præterea obijciebantur, non dissimiliter sunt enodanda. si tantum ferunt profectum Christi in gratia, factum procedente tempore. Verba tamen S. Eustachij qualia præcisè referuntur, nihil est quod vrgeat ad hunc sensum detorquere. Quamuis enim Facundus, argumentando, & quantum potest reddendo locum inuidiosum & lubricum, vt negotium aduersarijs facessat, & Theodorum Mopsuestenum molliùs locutum, benignè accipi posse doceat, æquè ac S. Eustachium; dicat per ea significari profectum Christi in gratia & virtutibus: Tamen nihil tale ferunt, sed tantùm quod Verbum nullis ascititijs virtutibus splendeat, quia Deus est. Christus autem in humanitate

virtutibus accidentarijs colluceat, non tamen quas acceperit procedente tempore, sed quæ ab initio productionis aduenerint.

Quomodo Christus in baptismo, unctus Spiritu sancto, si gratiam totam simul accepit.

97. Illos denique Patres, qui Christum in baptismo unctum Spiritu dixerunt, Toletus in c. 1. Ioan. annot. 7. rectè interpretatur de Christi sanctitate, tunc primùm declarata, & officio Prophetæ illius magni, ad quod inunctus & destinatus diuinitùs erat, ad praxim tunc primùm reducto. Tradiderat hoc ipsum Rupertus l. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 20. verbis illis. [Non vt esset Christus, id est non vt tunc primùm ungeretur qui in primordio suæ conceptionis plenariè fuerat unctus, sed vt manifestaretur in Israël, quid esset Christus, idcirco super unctum venit unctio eius; venit visibili specie, super Christum ipse Spiritus eius.] Sic ille descensum Spiritus sancti in Christum interpretatur. Rursusque c. 25. [Sed numquid ex hinc, & non ante, Dominus Iesus plenus erat Spiritu sancto? An quando compingebat illud suum sacri corporis templum, foris stabat, & non introiuit, donec perueniret homo ad trigesimum ætatis suæ annum? Imò nec foris stetit, cum sacrum conderet corpus, Deus, incircumscriptus Dei Spiritus, nec postquàm illud semel condidit, vlla vmquam hora vel momento, frigescente, gratia foras exiuit, aut abesse potuit. Quid ergo nunc primùm plenus Spiritu sancto dicitur, Cum à Iordane egreditur? Nimirum quia qui hactenus se continuerat intus, hìc procedere cœpit Spiritus sanctus de triclinio mentis, ad officia corporis; de potestate, ad actum; de intima requie, ad exterius ministerium, vt per doctrinam diffunderet gratiam in labiis; per miraculorum exhibitionem, moueret manus eius tornatiles, aureas, plenas hyacinthis. Amplius autem, ex eo rectè plenus Spiritu sancto debuit dici, ex quo agere cœpit ea quæ sunt Spiritus timoris Domini; id est ieiunando famem pati, perferre frandes tentatoris, circuire, & prædicare regnum Dei, atque pro voluntate vel mandato Patris, obediens esse vsque ad mortem, mortem autem crucis.]

98. Addo & illud ex Richardo Victorino tract. de superexcellenti baptismo Christi, exponente quomodò in baptismo Christi, visus sit in eum de nouo descendere Spiritus sanctus. [Non Spiritus S. aliquomodo cæpit esse in Domino, quo priùs non fuit in eo. Nobis non habentibus datur, & habentibus vt amplius habeatur: Domino quasi non habenti non est datus, nec habenti vt amplius eum haberet, cui in sua conceptione datus est secundùm plenitudinem. Sicut enim pater cum filio erat Maiestate, & in homine assumpto gratiæ infusione, sic & Spiritus sanctus. Solus autem filius in eo erat personali vnione. Vnde ipse solus, non Pater, non Spiritus sanctus dicitur Emanuel, id est, *nobiscum Deus*. Spiritus sancti igitur descensio, non est nisi mystica quædam ipsius significatio. In hoc enim quod visibiliter tali specie super Dominum baptizatum se manifestauit, insinuauit quid in nobis inuisibiliter fiat, cum in Christo renascimur. Sicut Filius non propter se, quasi indigens aliquo remedio, sed vt nobis humilitatis præberet exemplum, salutis conferret remedium, baptizatus est, & ipse pater sic intonuit; *hic est filius meus dilectus*, &c. sic demonstrans nos eius filios effici, per virtutem tanti Sacramenti.]

Eodem recidit, quod si verborum extimum corticem spectes, expressit paulò aliter D. Augustinus affirmans Christum tunc non accepisse Spiritum sanctum in seipso, sed in suo corpore mystico. Locus est peril lustris 15. Trinit. c. 26. [Dominus ipse Iesus (inquit) Spiritum sanctum, non solùm dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo, propterea dictus est plenus *gratia*. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum *quoniam vnxit eum Deus Spiritu sancto*. Non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia. Nec sanè tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum sanctum: sed ista mystica & inuisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei, caro factum est; id est, quando humana natura, sine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei Verbo est in vtero virginis copulata, ita vt cum illo fieret vna persona: Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto, & virgine Maria. Absurdissimum est enim, vt credamus, eum cum iam triginta esset annorum, (eius enim ætatis à Ioane baptizatus est,) accepisse Spiritum sanctum, sed venisse illum credimus ad baptisma, sicut sine vllo omnino peccato, ita non sine Spiritu sancto. Si enim de famulo eius, & præcursore ipso Ioanne, scriptum est, *Spiritu sancto replebitur iam inde ab vtero matris suæ*, quoniam quamuis seminatus à patre, tamen Spiritum sanctum in vtero formatus accepit, quid de homine Christo intelligendum est, vel credendum, cuius carnis ipsa conceptio, non carnalis, sed spiritalis fuit?] Descripserunt verbatim hunc locum, Etherius & Beatus l. 1. contra Elipandum.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

99. Summam doctrinæ huius capitis, hæc panca exhibebunt. Christi animam perfectione substantiali individuali quascunque alias humanas animas superasse, est verisimilius. Eandem, omnino magnus & secundùm diuinæ Sapientiæ regulas summus, (finitus tamen,) habitualis gratiæ cumulus, iam à principio productionis, seu à primo conceptionis Christi momento, per meritum partus, simulque connaturaliter debitus, ideoque nullis vnquam accessionibus auctor, exornauit.

Vsum doctrinæ de summa animæ Christi perfectione, eaque gratiæ plenitudine quam ei concessam vidimus, suppeditat Orig. hom. 9. in Ezech. vbi tractans quomodò in comparatione ad alios iusti vel iniusti habeamur, concludit, ex tanta Christi sanctitate vrgeri nos, ad omnem humilitatem, quantumuis præ aliis sancti & pij videamur. [*Lux* (inquit) *in tenebris lucet*. Quę est ista lux quæ lucet in tenebris? Iustorum lux in tenebris lucet. In quibus tenebris? Vbi est nobis certamen aduersus rectores tenebrarum istarum. Hæc qui diligentiùs longiusque discusserit, non poterit inflari, videns lumen suum, ad comparationem maioris luminis, tenebras reputari. Quid est Iustitia mea, etiamsi Paulus Apostolus fiam? Quid castitas etiamsi Ioseph? Quid fortitudo, etiamsi Iudas Machabæus existam? Quid alia virtus Sapientiæ, etiamsi Salomon apparearn, ad comparationem Dei, & ad eorum qui meliores sunt? Ergo vt dicere cæperamus, iniquitas iustificat; & iniustitia, aliorum comparatione condemnat. Idcirco, *vt* iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, dicitur ad Deum. *Si me vult saluare Deus, non afferat in iudicio lumen suum: si vult esse inculumen, non deferat lumen Christi sui, alioquin pungit me.* Deferat verò lumen minorum, comparet mihi inferiores quosque. Quanto ampliùs maiores mihi melioresque contulerit, tanto plus iustus ero, si illi à me reperti fuerint minores. Similiter est illud intelligere, quod ab Apostolo dicitur; *alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum: stella enim à stella differt in claritate, sic resurrectio mortuorum* V. G. fulgens illud sidus, nó in conspectu lucidioris stellæ, sed obscurioris micat. Quis nostrùm potest ad instar fulgere Lunæ? Quis lucidioris siderum coruscare lumine, secundùm id quod scriptum est in Daniele;

Daniele; *fulgebunt sicut stellæ in in sæcula*: Et hæc quidem necessariò disputamus, vt procul à superbia recedamus: Sodomiticum quippe peccatum est, superbi iniquitas.]

Vt erga seipsum humilis quisque esse debet, præ tanta gratiæ Christi plenitudine è qua omnes hauri-mus, ita summè erga Christum gratus esse obstringi-tur; quod ea plenitudine demonstrata, sic collegit Pe-trus Damiani opusc. 6. c. 1. [Quia ergo ab vno illo fon-te, omnes iusti hauriunt vnde viuant; ad illum, necesse est, semper gratias agendo, recurrant: nec supernæ gratiæ dona ab alio se posse percipere credant, nisi ipso largiente, à quo hæc certum est, emanare. Qui enim diuini nominis, non Deo, sed homini se debitores ex-istimant, tamquam à sui fontis irrigatione siccati, neces-se est vt dificientes ateſcant, nec in semetipsis valent fluere, dum ab originali plenitudine fontis, obliuis-cuntur vberratem suæ vegetationis haurire. Vnde non incongruè per Salomonem dicitur: *omnia flumina in-trant in mare, & mare non redundat: ad locũ vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant.* Hunc excursum at-que recursum spiritualium fluminum, mysticè Lucas Euangelista describit; cum ait: quod *conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarẽt, & misit illos prædicare regnum Dei.* Ecce egressus fluminum; ac postmo-dum subdit: *Et reuersi Apostoli, narrauerunt illi, quæcum-que fecerunt.* Ecce reditum fluminum. Ad locum ergo vnde exeunt, flumina reuertuntur; quia electi quique illis debitores esse non ambigunt, à quo videlicet hau-serunt, omne quod spiritualiter fluunt.

Rupertus denique l. 1. de oper. Spiritus sancti c. 27. optimè considerauit, tantam hanc gratiæ Christi ple-nitudinem, in scripturis proponi mortalibus vt inui-tentur haurire.

CAPVT V

De defectibus nostratibus, à substantia animæ Christi remouendis.

100. SI inter defectus nostrates animæ, quod non-nullos facere video, recenserem passibilitatem, non esset quod eum defectum à substantia animæ Christi viatoris remoueremus. Vetè enim anima Chri-sti dum in corpore mortali habitauit, fuit passibilis, & sensu doloris tangi potuit, & verò etiam tacta est. Ta-men quia passibilitas illa non est in Christi anima nisi per corpus, & ratione facultatum sensitiuarum corpo-i consertarum, meritò inter defectus corporis nume-retur, non inter defectus animæ. Et idcircò nullum inuenio peculiarem defectum in anima Christi admit-endum, ex illis quos animæ nostræ hîc subeunt.

Peccatum originis ipsam animæ substan-tiam inficit.

Inter illos autem nostrates defectus animæ quos à Christo eliminare necesse est, inuenio peccatum origi-nis. Hoc enim peccatum propriè & essentialiter sum-ptum, est in ipsa animæ essentia: in quo differt ab alijs peccatis lethalibus, quæ tametsi inferunt priuationem gratiæ inexistentis substantiæ animæ, tamen non sunt ista in gratiæ priuatione, afficiente substantiam ani-mæ: Ea quippe priuatio, est duntaxat vnus effectuum virulentiæ peccati grauis: formaliter autem peccata prædicta sunt commissiones, vel omissiones prauæ, in-tendentes voluntarii. At peccatum originis est formali-ter in substantia animæ, vt docet D. Thom. 1. 2. qu. 82. art. 2. & ibi Caietanus, Conradus & Medina. Debet enim ibidem locari remotio & priuatio formæ, vbi est forma. Atqui gratia, cuius priuatione constituitur pec-catum originis, recipitur immediatè in anima, tanquam in subiecto termini generationis spiritualis, qua homo in Dei filium adoptione transcribitur. Igitur peccatum originis inest substantiæ animæ, eamque deformat at-que commaculat: proindeque numerari debet inter defectus nostrates animæ, non item priuationes cæ-terorum donorum supernaturalium, quia cum hæc dona potentijs accidant, defectus eorum annumerandi sunt defectibus potentiarum, non defectibus substantiæ ani-mæ, quos nunc inquirimus. De illis autem alijs, agemus in sequentibus, tractando prefectiones potentiarum.

Peccatum ergo Originale, defectum nostrum sanè teterrimum, si à substantia animæ Christi remouendum dixero, operam lusisse videri potero, cum id & certis-simum sit, & nemine refragante habeatur explora-tum. Tamen quia hac ipsa de re, grauissimus planè scri-ptor S. Anselmus accuratè disputauit, integro libro quem de conceptu virginali actiuo inscripsit, res visa est non prorsus prætereunda, sed tanti Patris premen-do & relegendo vestigia, nonnihil agitanda: præser-tim vt germana ratio ob quam Christus huic peccato obnoxius esse non potuit, innotescat. Quod verò occa-sionem libri illius conscribendi, S. Anselmus in eius præfatione, fateatur hausturn esse ex opere suo, *cur Deus homo*, vbi l. 2. cap. 16. affirmarat, præter rationem quam ibi tradit cur Christus è massa peccatrice hu-mani generis velut azymum de fermento decerpi po-tuerit, (quo eodem modo locutus est Ioannes Mona-chus Epistola vltima ad Philippum Abbatem) aliam quoque rationem tradi posse, diuersam ab illa prima quam in prædicto c. 16. proponit: idcirco quæ illa pri-ma ratio fuerit, & an firma ac solida esset, præmitten-dum videtur.

Prima ex D. Anselmo ratio, ad illud remouen-dum à Christo, parum solida.

101. Interrogat eo 16. capite Anselmum Magistrum, Boso Discipulus, quomodò Deus efformauerit Chri-stum nitentem ac sanctum, de massa peccatrice, & ex matre peccati fermento infecta. [Nam licet ipsa, (in-quit) hominis eiusdem conceptio sit munda, & abs-que carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, est in iniquitatibus concepta: & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt.]

Ita quidem Boso discipulus, non tamen S. Anse-lmus, quamuis discipulum sic argumentantem refe-rat, nec ob hanc causam reprehendat; quia ad argu-mentum Bosonis, quomodo scilicet Christus posset esse sanctus, cum esset satus ex nostro genere & ex massa peccatrice, permagni interesse videbatur suppo-nere matrem ipsam Christi fuisse originaliter pecca-tricem; & natam; id est concepram, (iuxta illud, *quod in ea natum est*, &c. in peccato fuisse, Et sanctitas Chri-sti de qua S. Anselmus agebat, eo supposito futura erat multo illustrior. Quia igitur optimi Magistri est, difficultatem non dissimulare, eamque in re proposita quo-ad Christum, quæcunque matris origo, munda an im-munda supponeretur, æquè diluturus erat S. Anse-lmus, meritò subticuit id reprehendere, ne defugere principalem difficultatem videretur, eiusque enoda-tionem non adeò exploratæ tunc veritati de immacu-lato B. Virginis satu, inædificare. Quæ mihi solutio ar-gumenti ex hoc Anselmi loco aduersus puram Deipa-ræ conceptionem petiti, longè probabilior apparet, quàm illa alia à recentioribus tradita & à Mayronio in 3. dist. 3. q. 2. art. 12. nimirum vt S. Anselmus tantum egerit de immunditia conceptionis, quantum erat ex vi productionis ex Adamo. Cæterum tantum abest, vt S. Anselmus nitori conceptionis B. Virginis eiusque initiali sanctitati sit aduersatus, vt potiùs, quod in Syn-taxi

taxi opuſculorum eius annotaui, ad fragmenta operis de conceptu virginali paſſiuo, non modò pro immaculata Deiparæ conceptione ſteterit, ſed primarius quoque in Anglia & Gallia, eius agnoſcendæ,& feſto dicato celebrandæ,autor fuerit.

Sic igitur propoſita à Boſone diſcipulo difficultate, aduerſus Chriſti ſanctitatẽ,ob exortũ ex maſſa peccatrice;Reſpondet S.Anſelmus c.illo 16.primùm ſi id comprehendi à nobis non poſſet, mirum haud quoquam foret, cum in tam ſublimibus Dei operibus ſeiè cœcutiamus. Deinde addit, B. Virginem, per Chriſti ex ea procreandi fidem, fuiſſe mundatam, priuſquàm ex ea efformaretur Deus homo. Itaque mirum non eſſe, ſi Chriſtus,ex maſſa licet peccatrice, per matrem ex ſe & vi originis peccato oblinendam ſed diuinitùs præſeruatam, atque antecedenter ex fide mortis Chriſti mundatam, editus; ſanctus eſſet ac nitens.Per eam occaſionem, S. Anſelmus digreſſus ad explicandam Chriſti in morte obeunda libertatem, concludit eam excurſionem poſt medium capitis 18. dicens, liquidò monſtratum eſſe, quomodo Chriſtus ex maſſa peccatrice, ſanctus & purus procreari potuerit. Nec tamen negare ſe,quin alia præterea ſit ratio idonea remouendi à Chriſto peccatum originis: ſed quod illa è multis principijs de peccato originis repetenda eſſet, longo ductu & anfractu rationum, eius ſe tunc ſcrutatione ſuperſedere,facta ſpe eius per otium exquirendæ.Sic ibi S. Anſelmus. Verùm hæc prima ratio ex eo propoſita, ad remouendum à Chriſto peccatum originis, non eſt reuera ſolida. Nam ſi Beata Virgo concepiſſet de viro, quantumuis ipſa fuiſſet mundiſſima, itemque vir & congreſſio abique peccato, tamen ſoboles fuiſſet maculata peccato originis:æquè ac nunc ex iuſtis & mundatis,nihilque iam habentibus in ſe damnationis, naſcuntur filij iræ.

Alia, eaque ſolida ratio, ad idem.

102.Quare meritò S.Anſelmus,aliam huius rei ſolidam rationem prolaturus, & datam fidem liberaturus, librum de conceptu virginali conſcripſit quo in prioribus capitibus,aliqua de originali peccato,eiuſque principijs & ſubiecto,præfatus,tandem c.11.ad illam aliam rationem eruendam accingitur: illud primùm ſtatuens, par omnino fuiſſe, Chriſtum ex Adamo & Eua progigni, vt qui redempturus erat genus humanum,eſſet & naſceretur ex patre & matre omnium. Quod tamen Chriſtus ex Adami & Euæ progenie genitus eſſet mirabiliter, quippe ex ſola virgine matre procreatus, non voluntate humana,ſed Deo ſupra naturæ leges ſic operante per Virginem, concludit c.12. non debuiſſe peccatum in Chriſtum cadere; quippe qui non ex Adami prænaricatoris voluntate procreatus eſſet, ſed de Spiritu ſancto ex Virgine. Adamus autem nulli perdidit bona accepta, niſi illis quorum generationis poteſtatem voluntati ſubditam accepit:hoc eſt omnibus præter Chriſtum hominibus. Hanc rationem breuiter c. illo 12. tactam, & in ſequentibus illuſtratam, ſic enucleat cap. 22. [Valdè diuerſo modo iſte erat in Adam, quando peccauit,quàm erant illi qui voluntario & naturali curſu procreantur. Illos ergo quodammodò facit Adam, quos per acceptam poteſtatem humana voluntas ſeminando, & natura germinando procreat. Iſtum verò non niſi Deus fecit, quamuis de Adam: quia non per Adam, ſed per ſe, velut de ſuo. Quid ergò conuenientius ad oſtendendum magnitudinem bonitatis Dei & ad plenitudinem gratiæ, Adæ concedebat, quàm vt quorum eſſe in illius poteſtate ſic erat, vt quo ille naturaliter erat, hoc illi per illum eſſent, ita quoque in eius eſſet arbitrij libertate; vt qualis erat ipſe in Iuſtitia, & felicitate,tales eos propagaret? Hoc igitur illi datum eſt. Quoniam itaque in tantæ gratiæ celſitudine poſitus, quæ bona ſibi,& illis ſeruanda acceperat, ſponte deſeruit; idcircò filij perdiderunt,quæ pater illis conſeruando dare poſſet, non ſeruando abſtulit.]

E contrario igitur Chriſtus,quia non ſic erat in Adamo vt cæteri, nec ex eius arbitrio & poteſtate naturali procreatus eſt, ſed diuina manu; meritò caruit labe parentali, eamque vi originis incurrere non debuit. Hanc ipſam rationem priori iam reiectæ nexam, adhibet S. Bernardus ſerm. 1. de circumc. Dom. [Quod peccatum non contraxeris, multò certiùs probat Patris diuinitas, integritas matris. Summus lacerdos es, quem nec ſuper patre, ne ſuper matre contaminandum prophetatum eſt in lege, potiùs quàm mandatum. Eſt enim tibi Pater ab æterno;ſed Deus,in quem peccatum non cadit.Eſt & mater ex tempore, ſed Virgo, nec patere potuit incorruptio corruptelam.]

103. Eandem rationem excludendi à Chriſto peccatum originis, valituram eſſe pro quocumque ſimiliter concepto, etiamſi Deus non eſſet; affirmat S.Anſelmus cap. 13. [Nimis enim (inquit) abſurdum intelligitur,vt per illud ſemen, quod non creata natura,nec voluntas creaturæ,non vlli data poteſtas producit aut ſeminat, ſed ſolius Dei voluntas propria ad procreandum hominem, nona virtute, mundum à peccato de Virgine ſegregat, alieni peccati ſeu debiti, ſiue pœnæ ad eundem hominem neceſſitas vlla pertranſeat: etiamſi non aſſumatur in perſona Dei, ſed vt purus homo fiat.Nam eadem ipſa ratione:qua non debuit Deus, Adam facere niſi Iuſtum, nec aliquo debito ſiue incommodo grauatum, apertè mens rationalis cognoſcit eum, quem ſimiliter propria virtute & voluntate procreauit, alicui malo ſubditum fieri non debere: quoniam nimis inconueniens eſt omnipotenti & ſapienti Dei bonitati, talem facere rationalem naturam, ſola propria voluntate, de materia in qua nullum eſt peccatum. Quod qui non intelligit, non cognoſcit, quid Deo non conueniat.] Imò addit D. Anſelmus hominem à Deo ſic conceptum, neceſſariò fore Iuſtum & ſanctum,ſicut fuit Adam cum eſt conceptus.Quod intellige, de neceſſitate decentiæ. Nam abſolutè loquendo, homo vi ſolius productionis de Deo ex aliqua Virgine,non eſſet ſanctus niſi negatiuè, ſed poſſet eſſe in pura & nuda natura; quamuis vi illius productionis, nullomodo poſſet infici peccato etiam poſt Adami lapſum atque ruinam.

Cauilli in DD. Anſelmum & Damaſcenum.

104. Hoc poſtremum,nonnullis in D.Anſelmo diſplicuiſſe, illudque grauiter notaſſe, refert Autor Anonymus qui paulò poſt Anſelmum, tempore B. Bernardi, ſcripſit declarationem eidem B.Anſelmi libro ſubiectam. Beccenſis fortaſsè quiſpiam, vel ex Anglicano aliquo cœtu, Anſelmum agnoſcente patronum: nam ſæpè ſic nominat, *Anſelmus noſter*. Exiſtimabant ergo, ij, quos refert,S.Anſelmi cenſores ac æmuli, totam rationem cur Chriſtus nulli planè peccato, atque adeò neque originali ſubiacere potuit,etiamſi ex femine humano eſſet procreatus; fuiſſe quod Deus eſſet. Vnde quia homo purus ex Virgine aliqua conceptus, non eſſet Deus; inferebant, fore vt talis homo ſubiaceret peccato originis. Idque omnino contendebant aſſerendum, ne enerueturratio qua Chriſti immunitas a peccato originis aſtruitur,non quia filius Virginis, ſed quia Deus fuit. Verùm hi, vt rectè aduertit prædictus Anonymus, ex falſo principio ratiocinabantur. Cenſebant enim ſemen humanum eſſe corruptum, & ſedem peccati originis. Vnde ſi ſit ſolitarium, nec expurgetur per Dei aſſumentis operationem, (quod non fieret ſi homo purus ex ſola Virgine diuinitùs conciperetur,) mundum non erit,& liberum ab illuuie parentali, cum ſit ſemen ex Adami ſobole decerptum, quamuis ex ſola femina.At hoc fundamentum eſt pla-

nè

nè ruinosum, vt idem Autor rectè confirmat, propugnans verba D. Anselmi ex cap. 7. eiusdem libri, quæ D. Anselmi censoribus displicuerant, ob negatam seminis humani immunditiam priusquàm informetur anima rationali.

Tantùm, vt hoc obiter addam, displicet in eo Autore, quod S. Damasceno, (quamquam se eum non legisse vltrò fatetur,) ex aliorum relatione tribuit; nempe quod senserit, semen Deiparæ fuisse aliquatenus maculatum, ideoque à Spiritu sancto obumbrante expurgari debuisse. Hoc ille grauiter reprehendit, pro plena ab initio Deiparæ sanctimonia vindex acer exurgens, his præter cætera verbis, quæ Deiparæ spurcum conceptum asserentibus, occiri par fuerit. [Rogo te Ioannes Damascene, vel quicunque es in sententia qua putas Beatam Dei matrem, post annunciationem sancti Angeli, tunc primum in superuentione Spiritus sancti, amisisse peccatum, vel fomitem peccati: rogo, inquam, te per eandem Beatam Theotocon, desisse: Noli æmulari in malignantibus; Cessa sinceriſſimum vas incrustare; solue calciamenta pedum tuorum, quæ impediunt progressum rectæ intentionis tuæ. Siquidem zelum Dei habes in hac parte; sed fortè non secundùm scientiam. Forsitan enim putas, in hoc erro-re, Deo te obsequium exhibere. Quod si noluèris cessare, scito quod terra hæc, quam calcas, deuorat habitatores suos, vltionem faciens in omnes filios diffidentiæ.] Placet zelus pro nitore Deiparæ. Displicet impatia D. Damasceno dica. Nam D. Damascenus 3. fidei cap. 1. quem locum allegarant Anselmi censores, nihil tale commentus est, quale ab hoc autore refellitur: sed tantùm dixit, Spiritum sanctum obumbrantem, ne quid à carnali concupiscentia in Christi generatione exurgeret immundum, afflatu suo obstitisse, & virtutem diuinitatis Verbi susceptiuam, præbuisse. Sed hæc obiter, occasione criminationis malè intortæ D. Anselmum, ob assertam immunitatem à peccato originis, in eo de virgine sola diuinitus conciperetur, etiamsi Deus non esset. Id quod ex illa ipsa ratione colligitur, qua à D. Anselmo probatum est, Christum non debuisse peccato originis inquinari, quia non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.

Firmatur posterior ratio ex D. Anselmo proposita.

105. Reuoluitur in hanc ipsam rationem ea quam aliis verbis larè tradit Philippus Abbas Epistola 2. contendens Christum caruisse peccato originali. [quia sic accepit carnem de Virgine, vt illa complexus virilis nõ sentiret, nec aliquã in cõcipienodo cõcupiscentiam præsentiret.] Hæc enim ratio, quam tradit cur nos ex peccato originali concipiamur, non est ita accipienda, quasi sensus sit, æstum carnalem parentum, esse rationem proximum peccati originis: (potuisset enim æquè esse æstus ille si Adamus non peccasset; & homo in pura natura conditus, ad finem supernaturalem non fuisset euectus: Et tamen tunc homo, natus interuentu talis æstus parentum, non contraxisset peccatum originis. Ita ergo accipienda est illa ratio, vt per eam connotetur & insinuetur Adami culpa, per quam solam de facto accidit, vt parentibus generantibus inesset ea inordinatio. Aio *solam* quia quamuis alius quispiam immediatior Pater peccasset, V.G. Cain, eius soboles siue immediata siue mediata, non contraxisset peccatum originis, quicquid cum Scoto quem adducit contendat Pelbartus lib. 4. stella. p. 2. art. 1. cap. 7. Patum enim initum à Deo erat, cum solo Adamo. Igitur culpa ob quam labes originaria transfundenda erat, non erat nisi sola culpa Adami. Talis autem culpa, & natiuitas ordinaria ex eo qui illam contraxit, est vera causa peccati originis. Itaque cum ea causa procul à Christo abfuerit, mirum non est quod turpitudine illius peccati non inquinetur. Meritò ergo concludit Philippus. [Fuimus quidem in Adam, fuit & Christus, sed nos duplici modo, simplici verò Christus: quia nos secundùm carnem & concupiscentiam, Christus verò secundum solam carnis substantiam. Ditiores itaque nati sumus quàm Christus, secundùm id dumtaxat, quod de parentibus traximus: quia nos duo quædam, Christus verò vnum quod solummodò traxit de matre: vox nostra illa est: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: quæ nimirum à Christo longè est aliena. Vtinam tales diuitias non haberem, vtinam non essem tali inuolucro præpeditus: Vtinam per angustam virtutum semitam, paupertatis & nuditatis beneficio, curterem expeditus. Pulchrè Christi paupertas & nuditas commendatur: ad quas etiam nos inuitans, *qui mihi* (ait,) *ministrat, me sequatur*. Vt quia non possumus vel eum præcedere, vel ei aliquatenus coæquari; Studeamus saltem, eum etsi à longè, sequendo tamen vtcumque, imitari: Beata quippe Christi paupertas, quæ nostrarum diuitiarum aculeos noluit experiri: quæ voce sua clamans ad Dominum, meruit exaudiri. *Ille*, (inquit) *pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum*. Pauper à crimine, pauper à vitijs, pauper non deponens, sed numquam assumens gibbum camelorum: pauper suos æmulos beans, quia *vestrum*, (inquit,) *est regnum calorum*. Beata etiam eiusdem nuditas, quæ nostris non est panniculis inuoluta, immo ab omnium delictorum maculis absoluta: qua sibi tunicam Adæ pelliceam non assumit, sed in nobis eam, sua simplici puritate, consumit.]

Aliæ eiusdem veritatis rationes.

106. Præterea remoti à Christo peccati originis, ea quoque est idonea ratio, quæ ex fine ducitur. Christus enim venerat tollere peccatum mundi. Illud inquam vniuersale & generale peccatum, quod est virtute omnia peccata, & est seminarium malitiæ in nobis. Debuit ergo peccato illo carere, vt esset locus ei exultationi quam prodit S. Bernard. hom. 4. de Vigil. Natiu. Dom. verbis illis, quibus læuam & dexteram iponsi considerat. [Quod in sinistra portat, attende, & conceptum inuenis sine semine. Intuere obsecro quale sit illud, quàm admirabile, quàm amabile, quàm iucundum. Quid enim pulchrius, quàm generatio casta? quid gloriosius, quàm sancta, & sincera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis? At quoniam minùs fortassis detineret nos, grata licet admiratio nouitatis, nisi fructus quoque salutis, & vtilitatis consideratio animum delectaret? conceptus iste non modò gloriosus est in ipsa quasi exteriori specie, sed & pretiosus in interiori virtute: vt secundùm quod scriptum est, *in sinistra Domini, gloria simul & diuitiæ inueniantur*; Diuitiæ, inquam salutis, cum gloria nouitatis. Quis enim potest facere mundum, de immundo conceptum semine, nisi qui solus, sine omni illicita, & immunda conceptus est voluptate? In ipsa radice & origine mea infectus, & inquinatus sum, immunda est conceptio mea; sed est, à quo tollatur ista confusio. Ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit. Diuitias salutis habeo, quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Christi purissimam conceptionem.] Et infra. [Mater est sine corruptione Vitginitatis, filius sine omni labe peccati. Non cadit in matrem, Euæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per Prophetam; *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram*. Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax, imò & veritas ipsa. Ecce agnus sine macula, agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quis enim peccata meliùs tolleret, quàm in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio

bio lauare me poteſt, quam conſtat inquinatam non eſſe. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ ſola ſine puluere eſt. Iſte mihi feſtucam educat de oculo, qui non habet trabem in ſuo; imò iſte trabē educat de meo, qui nec exiguum puluerem habet in ſuo.]

107. Communctiſſimus Bernardo Richardus Victor. l. 1 de Eman. cap. 12. Chriſti exemptionem ab hoc peccato, confirmat ex cauſata per Chriſtum puritate in matre. [Potuit ergo (inquit,) ſolus huius puerperæ filius pro hac parte cantare Canticum nouum Domino. Sine iniquitatibus conceptus ſum, & ſine peccatis concepit me mater mea. Manifeſtum eſt itaque, quod ad deſtructionem peccati venit, qui in ipſo mundi ingreſſu, maculam peccati de materna carne, non contraxit, ſed deleuit. Si tantum ſola eius conceptio valuit, vt concupiſcentiæ fomitem, totiuſque corruptionis radicem deleret, quid qnæſo in expiationem corporis ſui valere potuit natiuitas, humilitas, circunciſio, conuerſatio, patientia, obedientia, paſſio, crucifixio? Si tantum valuit, quod geſtum eſt vna hora, vel vnius potiùs horæ portiuncula, quid valere potuerunt, tot annorum tempora, in myſterium noſtræ redemptionis impenſa? Qui potuit ſub conceptionis ſuæ tempora, ex infuſione gratiæ ſuæ materna viſcera purgare, cur non credatur eos, qui eiuſdem gratiæ participes eſſe voluerunt, quandò & quomodò voluerit poſſe mundare? cur non credatur in quolibet noſtrûm naturam illam mundare poſſe, quam in Beata Virgine potuit non ſolum purgare, ſed & honorare, ſed & glorificare.]

Accedit quod is qui contrahit peccatum originis, eſt homo totus. Nec enim animæ, tametſi ſubiecto inhæſionis huius peccati, aduenit hæc labes priùs natura quàm totum hominem compingat: quia filiorum Adami, atque adeò hominum eſt, eam labem contrahere. At priùs natura quàm anima Chriſti ſociaretur. Corpori ad conſtituendum Chriſtum, vnita erat Verbo Dei, atque adeò ſancta, & Deo grata. Non fuit ergo ſimul maculata, & priuata ſanctitate.

Repugnaſſe, Chriſtum ſordere peccato originis, monſtratur, præmiſſa obiter vera ratione & modo tranſfuſionis huius peccati.

108. Quæ hactenus prolata ſunt, manifeſtè probant, Chriſti animam nec reipſa ſubiacuiſſe, nec debuiſſe ſubiacere defectui in quo verſamur. Addendum verò eſt neque ſubiacere potuiſſe vlla vi, cùm repugnantiam apertam inuoluat, Chriſtum Domini hac labe maculari: non modò nunc, cum non debuit, ob conceptum non ex voluntate carnis & viri, ſed quamuis ex ſanguinibus, ſiue ex coniugio conceptus fuiſſet; at ſanè abſolutè loquendo concipi potuiſſet. Id quod recte mecum affirmat Richardus Victor. l. 1. de Eman. c. 12. Hoc vt intelligatur, ſupponendum eſt, peccatum originis eſſe verum peccatum mortale; & propriè dictum peccatum, quod latè contra Durandum tractat. Baconus in 2. d. 30. quæſt. vnica, art. 1. Et contra Zuinglium Soto l. 2. de natu. & grat. c. 10. definitumque eſt à Tridentino ſeſſ. 5. & 6. Et patet ex eo quod paruuli baptizantur in remiſſionem peccatorum. Tamen hoc verum & proprij nominis peccatum, non eſt peccatum tam propriè quàm peccatum actuale vt benè obſeruauit Gul. Pariſienſis l. de vitijs cap. 10. & ex D. Thoma Capr. in 2. d. 30. *ad argumenta Durandi contra ſecundā*, ſatiſque apertè tradit S. Auguſtinus l 16. Ciuit. cap. 37. & l. 3. de lib. arbit. c. 19. Peccare enim, propriè loquendo, eſt agere. Vnde peccatum, maximè propriè loquendo, eſt actio: quod non competit peccato originis. Non enim eſt actio, ſed mera carentia actus primi, ex quo exiſtere ſuo tempore debuiſſet actus ſecundus, aſſequendo ſupernaturali fini hominis, opportunus. Itaque cum ratio peccati in genere moris, conſiſtat in pugna cum fine vltimo; multo autem directiùs cum fine vltimo pugnet actualis ab eo deflexio, quàm carentia principij ſeu actus primi ad actus bonos formandos neceſſarij; perſpicuè efficitur, peccatum originis quamuis ſit verè & propriè peccatum, tamen comparatiuè ſeu præ peccato actuali, eſſe minus propriè peccatum: in hoc ſitum, quod ſit carentia principij primi, neceſſarij in hoc ſtatu, ad finem vltimum adipiſcendum. Peccatum enim eſt ſpecies generis moris. At genus moris vniuerſum, continetur tendentia ad finem vltimum humanæ naturæ, vel deflexione ab eo: ad quos actus ſecundos, cætera quæ moralia dicuntur, ordinem habent tanquam ad finem proximum. Quia enim actus ſecundus moralis, præſertim ſupernaturalis, non poteſt eſſe abſque ſuis actibus primis: propterea cum actus ſecundus præcipitur, conſequenter iubetur etiam primus: non quidem lege regulante & dirigente, quæ ſolas operationes, quippe ſolas directionis capaces, ſpectat: ſed lege antecedente ſiue decreto diuino voluntate efficaci, qua ſtatuitum eſt, vt nemo huiuſmodi actu primo careat, quo eliciat vel idoneus ſit elicere actus aſſecutioni finis opportunos, cum res feret. Eſtque neceſſariò concipenda in Deo illa voluntas, ex quo intelligitur deſtinaſſe creaturas intellectuales ad finem ſupernaturalem. Nam in ea deſtinatione, inuoluitur voluntas vt habeant id per quod finis ille habendus eſt. Si ergo contingat aliquem ita deſtinatum ad finem ſupernaturalem, (cuiuſmodi ſunt in hoc ſtatu omnes homines,) carere actu primo ad ſupernaturales actus finis vltimi conſecutiuos, præſupponendo; hoc eſt forma ſanctificante; talis homo ſubiacebit peccato, ſeu defectui alicui generis moris ſupernaturalis; ei non abſimili quod à Philoſopho 2. phyſ. vocatur *peccatum naturæ*. Sicut enim monſtroſitas, dicitur peccatum naturæ, quia eſt defectus aliquis contra perfectam conſtitutionem naturæ, quæ hoc illudve quod deeſt, poſtularet; ita defectus principij ſupernaturalis, neceſſarij ad conſtituendum abſconditum cordis hominem, vt operari in ſuo ordine poſſit, & ad finem ſuum tendere, iure dicitur peccatum; non quidem actuale, quia non eſt defectus in actu ſecundo, ſed tanquam defectus actus primi.

109. Vt autem hic defectus, rationem peccati ſuo modo habeat, fruſtra in eo quæritur ratio voluntarij & liberi, etiamſi tantum in alio: nam ne in alio quidem, liberum eſſe neceſſe eſt, quod peccatum eo modo dicitur. Nulla enim ratio liberi inueniri poteſt, in infante ſubeunte peccatum originis. Nec mirum rationem liberi aut voluntarij ad huiuſmodi peccatum non deſiderati; nam cum malitia huius peccati non ſit defectus actionis, ſed tantùm defectus principij & actus primi, facile eſt aduertere, huiuſmodi peccatum non poſtulare pro fundamento generis moris, libertatem; ſicut facit peccatum actuale, ſed abſque ea habere totam malitiæ ſuæ rationem; licet ad modum conditionis extrinſecæ, vel occaſionis, præſupponat peccatum aliquod actuale, occaſione cuius Deus ſubtrahat gratiam quam conſequenter ad hominis deſtitutionem à ſe factam, conferret: ita vt non ſecùs ſe habeat voluntarium ad hoc genus peccati, quàm ad rationem pœnæ, quæ vt ſit pœna, nec duntaxat malum aliquod, debet præſupponere voluntarium; quod tamen non eſt fundamentum incommodi quod in pœna eſt, nec eſt de eius conſtitutione. Similiter ergo voluntarium, etiam in alio, non pertinet ad huius peccati conſtitutionem; nec eſt illius fundamentum intrinſecum, ſed tantùm occaſio requiſita, vt poſſet denegari gratia. Quod vnum voluerunt Pontifices, cum damnarunt articulum 46. Doctoris Louanienſis, quo negauerat, voluntarium eſſe de ratione cuiuſuis peccati, dixeratque non omne peccatum habere reſpectum aliquem ad voluntatem liberam.

Ex his paucis, quæ hîc tacta, plenè alibi ſunt diſcuſ-

ſa,

sa, perspicuè habetur, priuationem gratiæ, in hominibus procreatis ex Adamo & destinatis ad finem supernaturalem, carentibus tamen principio ad id necessario; esse verum peccatum; sed alterius rationis quàm actualia; Transfundi autem per generationem ex primo homine; quia cum ille pacto non steterit, vi cuius si ei stetisset, infundenda erat in generatione sanctitas, merito ob defectum prædictæ conditionis desit cuimur gratia. Quod iuxta modum philosophandi propositum, non difficilè intelligi videtur. Abucara opusc. 6. id declarat exemplo. [Aiunt Agricolæ (inquit) si accipias palmitem, tinctúmque oleo plantes; olei qualitatem, in ipsum etiam fructum, hoc est in vnam redundare. Sic & Adamus, cum naturam omnis maculæ expertem excepisset, eam peccato, variisque affectionibus contaminauit, cuius contagio ad nos vsque manauit.] Guilielmus Parisiensis l. b. de vitiis & peccatis c. 1. manuducit ad hanc veritatem, exemplo maculæ, aut notarum genitiuarum, quæ in nonnullis, ex matris prægnantis vel concipientis imaginatione cernuntur. Id quod etiam in equis & columbis variegatis, aut pauonibus alióve colore producendis, vsui esse tradit Oppianus l. 1. de venat. à versu 327. vbi Riterhusius ex Gilberto Longelio dialo. de auibus refert, pauca in Norueglam illatas, varij vt assolet coloris, onis ingubantes, & nitium alborem oculis semper obuersantem habentes, albos pauos excludere. Similiter ergo peruersam primi parentis intra quem continebatur imaginationem, intemperantiæ suæ notam nobis omnibus impressisse, ratiocinatur Gulielmus.

Nec minus apta, vel etiam aptior esset manuductio ex aliis notis gentilitiis & toti alicui familiæ, aut genti communibus, quarum meminit Aristoteles 7. histor. cap. 6. & ex aliis Dalechampius ad l. 7. Plinij cap. 12, latoque Pirattus decade 1. c. 7. necnon Tiraq. cap. 36. de nobilit. *aniua σύμβολα* vocat Aristoteles in arte Poëtica. Sic Spartiatis, lancea; Pelopidis non eburneus vt est in fabulis, sed nota aliqua ebur referente impressus humeris, signum gentilitium erat, vt est apud Nazianzenum Epistola ad Themistium. Apud Heliodorum l. 10. Caricles orbiculo nigro, forma ebeni bracchio impressa, tanquam ex signo gentis proprio, agnitus est post longam è domo paterna ablegationem. Anchoram, Seleucidarum genitiuam notam, memorat Iustinus l. 15. & Ausonius in claris vrbibus, cum de Antiochia. Conzanorum Reges, aquilæ nigræ insigne humano impressum à natura, designat, vt est apud Matcam Venetum. Quemadmodum ergo prædicti, naturalem illam notam habuere, quia ex maioribus similiter affectis prodibant; (quanquam interdum ludente natura, filios signis illis destitui, eadem verò in nepotibus regenerari, notant supra Aristoteles, & Plinius cap. 11.) Ita quotquot ex parentibus primis prodimus, inusti charactere paternæ inobedientiæ tanquam nota gentilitia, vitam salutamus. Et quemadmodùm in corporibus id accidere nemo dubitat, tam frequenti experimento contestante; rationem tamen perspicuam & idoneam notarum illarum reddere, est admodùm operosum, ita infici prolem & notari gentilitio huiusmodi stigmate, dubitare non licet: quamuis modus quo notatur, non esset adeo liquidus. Quanquam vt præmissum est, videtur iuxta prædicta intelligi ratio huius peccati non incommodè.

Repugnantia proposita, concluditur.

110. Perspicuè quoque ex doctrina proposita constat, implicare manifestè vt substantia animæ Christi, priuationi sanctitatis debitæ subiacere potuerit. Nam anima Christi erat physicè copulata cum fine vltimo in persona Verbi. Tantum ergo abest vt ab eo potuerit auelli, vt potiùs coniunctio cum eo, & Deus ipse, esset de constitutione Christi. Ex ea autem physica copulatione cum personalitate Verbi, consequebatur connaturaliter gratia sanctificans. Tamen sanctitas increata Dei, per modum formæ moralis sanctificabat animam cui immediatè iungebatur; eáque fragantia & vnguenti diuini suauitate delibuta anima, impossibile erat vt putorem peccati suboleret. Multo enim magis cum diuinitate sic inungente & perfundente ad modum formæ moralis, pugnat peccatum quodcunque, & nominatim illud quod in sola sanctitatis priuatione situm est, quàm cum gratia sanctificante creata, homini accidentariò adueniente per modum formæ physicæ. Attingit hanc radicem exclusionis peccati originalis à Christo, S. Ambros. l. 2. in Lucam, ad illa verba capitis 2. *omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Ait enim Christum dici sanctum quia immaculatus erat. [Non enim virilis coitus, vuluæ virginalis secreta reseranit, sed immaculatum semen inuiolabili vtero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti Maiestate depulerit.] Nouitate cœlestis partus, insinuatur ratio ob quam ostendimus Christum debuisse originali labe carere, quia non erat natus ex voluntate viri & carnis. Depulsio verò eiusdem labis per Maiestatem cœlestem, continet rationem nunc propositam, ex diuinitate tanquam vnguine humanitatem perfundente, & animam Dei Verbo copulatam supra omnem æstimationem sanctificante.

111. Concludamus itaque cum Petro Cellensi l. 1. de tabernac. in tractatione mystica verborum illorum, *ponéq; in arca sanctificationem quam dabo tibi* Arcam enim interpretatur Christum, verba autem proposita, ad Christi sanctificationem tam ab initio conditi Christi factam, accommodans, subdit. [Eodem ordine nec non & ratione, priùs arca construitur, ac deinde testificatio poni in ea decernitur, quo priùs facta, & ornata habitatione mundana, homo tamquam habitator & Dominus, ad vltimum creatus fuisse refertur. Nusquam profectò testificatio diuinitatis corporaliter reponenda, nisi in corpore Iesu, nisi in arca sanctificationis nisi in anima singulariter Deo digna, quæ fornace Spiritus sancti in creatione sua, coagulis originalibus eatenus excocta est, vt tam esset à peccato remota, quàm Deo vnita; Nec peccato præoccupata est, quam præuenit Deus in benedictionibus suis, vt quasi Spiritus laboraret in purgationibus eius, quam præparabat in diuinis desponsationibus: sed tam affuit sanctus in creatione, quàm pius in Verbi coniunctione. Nulla denique temporum distantia intercueniente, arca construitur, & demum testificatio in ea ponitur: sed simul arca animæ & corporis Iesu, cum impositione diuinitatis compingitur, vt assumendo crearetur, & creando assumeretur, & sanctificando assumeretur, siue crearetur, & assumendo crearetur, siue sanctificaretur.] Vsum huius doctrinæ, dabo in calce sequentis capitis.

CAPVT VI.

Sanctissimæ Christi animæ decora, ex illustrioribus eorum in Scriptura typis, iuxta Patres, per Satyram.

112. QVod circa corporis Christi ornamenta superiùs præstitimus, recensentes selecta quædam eorum nomina, præsertim typica à Patribus in Scripturis obseruata, præstare hic itidem circa animam aggredimur, eodem ordine; hoc est tumultuariè atque per Satyram.

Framea Dei.

S. Augustinus in Psal. 16. explicans illud, *erue animam meam ab impiis*, [hoc est, (inquit,) resuscitando me à morte, qui mihi ab impiis irrogata est: *Frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Anima enim mea, framea tua est; quam assumpsit manus tua, id est, æterna virtus tua, vt per ipsam regna debellet iniquitatis, & diuidat Iustos ab impiis. Hanc ergo erue ab inimicis manus tuæ: hoc est, virtutis tuæ, hoc est ab inimicis meis.]

Adeps vituli sacri.

Origenes hom. 3. in Leuit. [Adipes qui offeruntur in munere, operientes interiora & renibus cohærentes, potest sancta illa eius anima intelligi: quæ interiora quidem, id est, diuinitatis eius secreta velabat: renibus autem, hoc est, corporali materiæ, quæ ex nobis castè sumpta fuerat, cohærebat: & media inter carnem, Deúmque posita, Deificandam, sanctificandámque sacris altaribus, & diuinis ignibus illustrandam, & conseruandam, secum ad cælos, naturam carnis imponit.]

Paradisus deliciarum.

113. Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 18. [Paradisum Spiritualem, quod mirabile est, posuit Spiritus sanctus in homine isto. Attamen qui mirum hoc videbitur, ritè perpendenti amplitudinem animæ eius; Nec enim paruæ amplitudinis est anima in qua plenitudo diuinitatis inhabitat. Igitur vt verius dicam ipsa talis anima, paradisus deliciarum Dei facta est, totum intra se plantatum continent paradisum scripturarum: lignum etiam vitæ in medio paradisi, id est, ipsam Verbi æterni substantiam in medio suo, lignum quoque scientiæ boni & mali, id est, tentationes ex nobis susceptæ infirmitatis. Nam quia per illud lignum, primus homo tentatus, & victus est, rectè illo infirmitas humana intelligitur, per quam iste tentatus, fidelis inuentus est: Tentatus, inquam, per omnia pro similitudine absque peccato, vt qui iam nouerat per scientiam, cognosceret etiam experimento figmentum nostrum, sciret expertus reprobare malum, & eligere bonum.]

Virgo nupta Pontifici.

Cyrillus lib. 12. in Leuit. vel potiùs Origenes hom. 12. in eundem librum Leuitici exponens quæ sit illa Virgo de genere suo, quam solam ducere poterat vxorem Pontifex. Maximus, (ait,) eam Virginem omnis labis expertem, fuisse sanctissimam Christi animam, Christo summo Pontifici nostro coniunctam, quæ idcircò dicta sit *de genere suo*, quia anima Christi ex genere & ex substantia fuit humanarum omnium animarum.

Aqua inter cælum & firmamentum.

Anastasius Synaita lib. 2. Hexaëm. *sub initium*, exponens quod sit cœlum superius, & firmamentum, & aqua intermedia, quorum mentio est in fronte Geneseos [Superioris (inquit) cœli natura incõprehensibilis, mihi videtur habere typum ac figurã diuinitatis, inaspectabilis & incõprehensibilis. Firmamẽtum autem quod ab imo ascendit, habet figuram Christi humanitatis, seu carnis. Aqua autem quæ cum eo ab imo ascendit, & intercepta fuit in medio primi, & quod propriè est cæli, & huius firmamenti quod ascendit ab imo; describit imaginem impollutæ eius animæ, quæ est media inter diuinitatem, & carnis crassitudinem, vtpotè quod sint hi duo cæli, ex quibus alterum quidem est aspectabile, alterum verò non cadit sub aspectum. Eius quod dictum est, testis est Gregorius in rebus diuinis præclarus, dicens. Domini animam esse intermediam inter diuinitatem, & carnis crassitudinem: anima enim & aqua, dicuntur signa vitæ, in diuina Scriptura.]

Balsamum Deitatis & carnis.

114. Innocentius III. serm. de rosa, qui est secundus de quarta Dominica quadragesimæ, cum dixisset, rosam quæ ea die à Pontifice benedicitur, esse symbolum Christi, subdit. [Triplex est autem in hoc flore materia; videlicet, aurum, muscus, balsamum. Sed mediante balsamo, muscus coniũgitur auro: quia triplex est in Christo substantia, Deitas, corpus, & anima; Sed mediante anima corpus coniungitur Deitati, quia tantæ subtilitatis est diuina natura, vt corpori de limo terræ formato non congrueret vniri, nisi rationali spiritu mediante.]

Vmbra diuinitatis.

Origenes 2. Periarch. cap. 6. [Sicut vmbra corporis nostri, inseparabilis est à corpore, & indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit & gerit, sic puto eum animæ Christi opus ac motum qui ei inseparabiliter inhærebat, & pro motu eius ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, vmbram Christi Domini hanc vocasse, in qua vmbra nos vniremur in genubus.]

Spiraculum vitæ.

Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti c. 16. præmissa literali interpretatione verborum illorum, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, de anima Adami, addit, ea verba aptans ad Christum, & adiunctam animæ eius supernaturalem veluti animam. [Cæterum de isto digniùs atque diuiniùs intelligi oportet, quia inspirauit in faciem eius, spiraculum vitæ, id est inspirauit in faciem eius, spiritum vitæ, Spiritus sanctus plastes eius, opifex munditiæ eius, vt requiesceret in eo, statione æterna permansurus. Hic enim erat ille flos eius, illa requies eius, quem ipse sibi prophetica veritate polliciebatur.] Et mox. [In illam faciem, in illam glorioſæ animæ nationem, totus spirauit Spiritus iste, creaturâmque creatori, substantiam creatam Deo increato condignam, sua fecit plenitudine; id est, sapientia maturum, intellectu dilatatam, consilio prouidam, fortitudine constantem, scientia disertam, pietate mitem, sancto timore humilem. Non enim Verbum Dens hoc indigebat, vt Spiritu sancto repleretur; quippe de quo æquè vt de Patre Deo procedit idem Spiritus sanctus: sed anima creata, nostræ inopis naturæ creatura, cum carne sua, hoc opus habebat, vt acciperet hunc Spiritum: quem & accepit non ad mensuram, vt testatur Ioannes dicendo; *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, sed totam, vt iam dictum est, septiformem Spiritus gratiam, vnde & factus est homo in Spiritum viuificantem.]

Propitiatorium.

115. Magnificè Origenes l. 3. in Epist. ad Rom. ad illud capitis 3. *quem proposuit Deus propitiatorem*, vbi breuiter comprehensis iis quæ Exodi 25. dicuntur de propitiatorio, subdit. [Considerandum est, quibus in locis aurum quod in opere assumitur, aurum purum dicatur; quibus in locis aurum tantummodò, sine vlla adiectione ponatur. Quod ego in pluribus obseruans, deprehendisse mihi videor, quod sicuti cum adiectione *aurum purum* dicitur, indicet sanctam illam & puram Iesu animam, quæ, peccatum non fecit, nec inuentus est in ore eius dolus; & ipsi conueniant mensuræ istæ longitudinis, ac latitudinis propitiatorij. Hæc quamuis explanare sit arduum, placet tamen aptare illi animæ sanctæ singula quæque quæ de propitiatorio referuntur. Primò ergo videamus quod dicit, longitudinem propitiatorij, neque duos solum cubitos habuisse, qui numerus locandis generandisque aptari corporibus solet; Neque tres integros, qui numerus excedere appellationem creaturæ consueuit, & naturæ incorporeæ consecra-

ri,

ri; Duos ergo cubitos & dimidium, longitudinem dicit Propitiatorij, & vnum ac dimidium latitudinem. Quod si audere in talibus fas est quoniam dicit idem Apostolus de Christo, quod Dei & hominum mediator est, videtur mihi inter Deum & hominem media hæc esse omnia, quæ inferior quidem sit, à Trinitatis natura minus aliquid habens, nec tamen cum inde infra sit, duali numero qui in corpore positis deputatur, absque eximia & præcellenti virtutum suarum eminentia misceatur. Hoc enim ostenditur, quod mensuram eius supra duos habere aliquid designauit, licet minus tribus. Sed & quod latitudo eius, vnum & dimidium memoratur cubitum habere, propterea quidem de monade hac singulari quid fastius describitur, non tamen ex toto in dualem, qui interdum etiam pro immundis ponitur, creuisse. Quamuis enim carnem naturæ nostræ susceperit ex incontaminata tamen virginea assumpta, & casta sancti Spiritus operatione formata est: Propterea ergo & Apostolus de Mediatore differens, euidenti distinctione signauit dicens; *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*; quo scilicet mediatorem, non ad Deitatem Christi, sed ad humanitatem quæ est eius anima, referendum doceret. Longitudo ergo ponitur eius, & latitudo. Longitudo illud significat quod tendit ad Deum, Trinitatique sociatur: Latitudo, quod inter homines, qui latam spaciosamque viam incedere soleant, conuersatur, & ideò *mediatoris* recte nomine nuncupatur, quia, vt diximus, anima hæc sancta media fuit inter diuinitatem Trinitatis, & fragilitatem humanitatis.] Per hæc verba mollitur, quod præmisit de ratione mediatoris per animam. Quamuis enim constet, Christum esse verè Mediatorem & Redemptorem nostrum, non ratione solius animæ suæ, sed ratione totius humanitatis; tamen quia anima est corpori principium agendi, & ratio fuit cur caro vniretur Verbo, (non enim vnita est caro, nisi intuitu animæ & mediante anima, vt suo loco vidimus:) idcirco tiquatenus valet, quod ratio mediatoris penes animam petatur. Sed pergit Origenes. [Hæc ergo intelligi potest Propitiatorium, secundùm ea quæ supra diximus; cui superponi dicunt duo Cherubin, vnus ex latere hoc, & vnus ex latere altero. Cuius ergo formam duo ista Cherubin habere existimanda sunt? Cherubin enim in nostram linguam interpretatum, *plenitudinem scientiarum* significat. Vbi ergo dicimus plenitudinem scientiarū, nisi in eo de quo dicit Apostolus; *In quo sunt omnes Sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi*? De verbo Dei vtique hæc dicit Apostolus, sed & de Spiritu sancto similia scribit, cum dicit; *nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum, spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei*. Significat igitur, vt ego arbitror, in isto Propitiatorio, hoc est in anima Iesu, verbū Dei qui est vnigenitus filius, & Spiritum eius sanctum semper habitare: Et hoc est quod indicant duo Cherubin Propitiatorio superposita. Sed & illud obserua quod non dixit Cherubin vnum ex latere dextro, & Cherubin aliud ex latere sinistro, sed ait; Cherubin vnum ex latere hoc, & Cherubin aliud ex latere altero: vt ostenderet, in illo Propitiatorio, hoc est in anima Christi, sinistrum nihil fuisse. Sunt autem & pennata, duo hæc Cherubin: & non solùm pennata, sed & alas suas pendentia. Si quis Sanctorum summum habere à Deo testimonium meruit, dictum est, quod Deus esset cum eo, sicut ad Iesum Naue dicitur: *& Deus erat cum ipso, sicut fuit cum Mose famulo eius*. Sicubi verò pollicitatio maioris à Deo muneris datur, dicitur; *& ero in eis, & ambulabo inter eos*. Nullam verò inter homines ita beatam, & ita excelsam reperies animam, nisi hanc solam, in qua tantum latitudinis, tantum capacitatis inuenit Verbum Dei, & Spiritus sanctus, vt non solùm habitare, sed & alas expandere, & nouo Sacramenti ritu aliquando etiam volitare dicatur. Faciem quoque contra se inuicem super hanc beatam animam Cherubin vtraque habere dicuntur; per quod consors ei & consonus à filio Dei, & à Spiritu sancto, diuinitatis census infunditur. Vbi autem superponitur hæc anima Deo plena, in qua complacuit habitare omnem plenitudinem Deitatis? *super arcam*, inquit, *Testamenti*.]

Vrna aurea habens manna, plenitudinem sanctitatis.

S. Thomas 1.2. q. 102. art. 4. ad 6.

Ignis, thuribulo carnis humanæ illatus.

S. Augustinus serm. 98. de temp. [Abijt Aaron vt offerret incensum pro populo, & stetit inter viuos & mortuos, & mitigatus est furor Dei. Si intellexisti historiæ ordinem, & oculis, vt ita dicam, cernere potuisti stantem Pontificem medium inter viuos & mortuos, attende nunc ad Verbi huius celsiora fastigia, & vide quomodò verus Pontifex Iesus Christus, assumpto thuribilo carnis humanæ, de superposito igne altaris, (anima sine dubio illa magnifica, cum qua natus est in carne) adiecto etiam incenso, qui est Spiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos stetit, & mortem non permisit vitra grassari, sed sicut Apostolus dixit, *destruxit eum qui habebat mortis Imperium, id est diabolum*; vt qui in ipsum Pontificem Christum credit, iam non moriatur, sed viuat in æternum. Hoc fuit ergo mysterium, quod postea futurum, iam tunc Angelus ille, qui populum vastabat, expauit. Agnoscebat enim figuram thuribuli, & ignis & incensi, & qualis offerenda esset Deo hostia, ab eo qui medius mortuorum viuorúmque constituendus erat, præuidebat. Et illos quidem tunc imago præfigurata salnauit, ad nos autem salutis veritas ipsa peruenit. Neque enim indumenta Pontificis purpura, ac lana, byssóque contexta erubuisset Angelus ille vastator, sed ista quæ futura erant indumenta Domini & Saluatoris nostri singularis & magni Pontificis intellexit, & his cessit, quibus vtique vniuersa creatura inferior erat.

Velamen sancti sanctorum.

117. Anastasius Synaita lib. 4 de rectæ fidei dogmatibus, *sub finem*. [Se esse Deum declarabat obuelatum carne, quam vocat Paulus, καταπέτασμα, *velamen* scilicet. Est siquidem καταπέτασμα, velum id quod tegendis sanctis oppanditur, & quæ sanctissima sanctorum sunt protegit, in quæ semel singulis annis solus ingreditur Pontifex, pro se & populi ignorantis repropitiaturus. Deum itaque quod operiebatur, priore quidem velo, *sanctum*; quod autem secundo, *sanctum sanctorum* dicebatur. Quare multa freti fiducia dicimus, primum quidem velum designasse corpus Christi: secundùm autem, animam. Sicut enim collatione habita ad corpus illud sanctum, anima est adoperta corpore, quasi priore velo: perinde & ad Deum Verbum, secundum velamen, anima vtique est.]

Domus Dei.

Euthymius ad illud Psalmi 41. *transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei*, tabernaculum admirabile sacrum Christi corpus sine semine compactum exponit. Locum tabernaculi, ait esse Verbum de quo dictum legimus. *Est locus apud me*. Tandem *domum Dei*, ait esse Christi animam.

Domus sapientiæ.

118. Gillebertus, aut quiuis alius autor altercationis Synagogæ & Ecclesiæ cap. 10. [Si sedes sapientiæ anima iusti, multo magis domus sapientiæ anima Christi. Ampliùs dicere debui, si amplius dicere potuissem. Quia enim sapientia in ea habitat, ideo *domus* dixi: sed quia corporaliter habitat, ideò amplius dicere debui.]

Prosequitur hæc pluribus, tum addit. [Dei igitur habitaculum dignum, puta Christi anima, quamuis assumpta, sapientiæ tamen immutabili vnita, scientiæ plenitudinem habuit, & hoc sine mensura. Sapientia ergo ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Quænam sunt istæ columnæ? Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectus, consilij & fortitudinis scientiæ, & pietatis, ac timoris Domini. Ecce habes columnas septem, in domo Domini. Sed vnde sunt excisæ? De monte vmbroso & condenso, de monte æternitatis, de monte diuinæ maiestatis. Porrò columnas istas de monte excisas, in ædificium domus suæ posuit, & tamen montem non minuit.]

Vsus doctrinæ.

Vsus doctrinæ esse potest, sensus commiserationis non perfunctorius, ex eo quod anima tam benedicta, tantis Dei benedictionibus præuenta, tot extraordinariis decoribus illustrissima, nostri causa per totam Christi vitam, tam acerbè diuexata, tot tantisque ærumnarum molibus, facta sit obnoxia. Manuducunt ad hunc de sanctissima Christi anima sensum, illa ipsiusmet Christi apud Ieremiam c. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.* Quibus verbis Hieronymus, Theodoretus, aliique annuunt contineri sensum quem indicauimus. Et verò quem attentiùs ista recogitantem non tangat, tam electæ, tam Deo amatæ animæ, talis támque diuturna vexatio?

SECTIO II.

De aduentitiis perfectionibus, cùm naturæ, tum gratia ornantibus facultates humanas Christi Domini.

119. A Perfectione substantiæ, progredior ad perfectionem humanarum Christi facultatum: quæ vt supra constitutum est, totidem in Christo fuerunt, ac in nobis; nempè si agatur de superioribus, quæ & rationales dicuntur, intellectus & voluntas, ac eis subiuncta facultas exequens, seu vis motrix inorganica. Si autem sermo sit de facultatibus irrationalibus, aliæ consequuntur gradum animæ vegetantem, aliæ sentientem. Sed quod circa vim motricem inorganicam, itémque circa potentias vegetatiuas nulla occurrat perfectio quæ considerationē specialem deposcat; vt neque circa sensitiuas facultates externas aut internas; idcirco intellectum dūtaxat, & voluntatem, & appetitū, subiunctámq; ei potentiā motiuam corpoream, siue exequentem attingemus. Auspicandum verò est ab intellectu, quippe cæterarum omnium facultatum principe, & vt Philo Iudæus scitè dixit l. quod Deus immutabilis, *animæ oculo*: ita vt quemadmodum eodem Philone iudice, visus est Rex sensuum, ita facultatū superiorum Rex & princeps, sit intellectus: cuius ratione Christus à Theodoreto orat. de carit. *fons veritatis & abyssus cognitionis*, nominatus est: vt propterea non vulgari bolide ad tentandam eum abyssum, nobis sit opus. Inde ad voluntatem, & reliquas potentias propositas delabemur.

CAPVT I.

De naturalibus & supernaturalibus perfectionibus, humani intellectus Christi Domini.

STatuam primò varias perfectiones naturæ & gratiæ in Christi Domini intellectum, earúmq; existentiam stabiliam: tum sigillatim de singularum quidditate & causis disseram. Quo spectat tractatio obiecti, actus, & habitus vniuscuiusque notitiæ humanum Christi intellectum exornantis. Actus enim est maxima perfectio potentiæ, quæ tota in actum colliuat. Impossibile autem est actum perspicere, nisi & obiectum, & habitus, siue actus quilibet primi ad potentiam adiuncti intelligantur. Hæc sunt quæ de perfectionibus cùm naturæ tū gratiæ, humano Christi intellectui collatis, tractanda occurrunt. Quæ verò ad depulsionem imperfectionum nostratiū ab intellectu Christi pertinēt, seorsim exequar.

Christum, formaliter per notitiam increatam intellexisse, vel intelligere potuisse, qui dixerint.

120. Verùm quia intellectus Christi de quo perficiendo agitur, non est nisi humanus; hic autem perfici non potest nisi per intellectionem, eiúsve adiuncta; præmittendum ante omnia est, humanum Christi intellectum esse notitiæ creatæ capacem. Constat enim intellectum idcirco conferri, vt fiat vel fieri possit intellectio. Quorsum enim daretur potentia, nisi anima esset capax actus? Imo si nihil est quod dedeceat, alitérve prohibeat, non est congruum vt potentia semper feriatur, torpeátque otiosa. Ac proinde fateri adigimur, intellectum Christi humanum, esse capacem intellectionis creatæ per intellectum Christo collatum producibilis, eámque reuera per Christi intellectum fuisse elicitam. Hoc pono contra errorem quorundam, quibus visum est, animam Christi non alia cognitione vsam esse, quàm diuina & increata. Pro quo errore citari potest Ioannes de Ripa. Nam quamuis eius argumenta quæ larè profert Capreolus in 3. d. 14. q. 1. art. 2. *in argumentis contra primam* tantùm probent id esse possibile, tamen autoritates ex quibus postremò argumentatur, monstrant eum existimasse ita quoque de facto accidisse, & Christum notitiæ creatæ expertem, diuina sola potitum saltem ad contuēdum Deum. Pro eadem possibilitate cognitionis diuinæ formaliter communicatæ intellectui humano, ita vt per eam intelligat, Capreolus 23. argumenta ab aliis apud Adamum prolata recitat. Citari item in eam rem soler Ioannes de Neapoli. Inter antiquos fusè laborauit pro abroganda Christo scientia creata, Hugo Victorinus tom. 3. tract. de sapientia animæ Christi: vbi quamuis initio, illud dumtaxat quærere videatur, an scientia Christi æquet diuinam; tamen eò tandem deuenit, vt scientiam Christi creatam, malit abrogatam. Eius hæc sunt verba. [Quicumque in eo persistunt, vt hoc asserere contendant, quod alia fuerit illa sapientia, qua anima Christi, sapiens extitit, alia, quæ animæ Christi vnita fuit, ego nemini præiudicium facere volo: videant ipsi quo sensu hoc asserant, ne fortè carnale sit, magis sua quàm vera pronuntians. Hoc vnum ego indubitanter affirmo; quod aut alia sapientia præter diuinam in anima Christi non fuit; aut si alia fuit, æqualis illi non fuit. Hoc credenti, quod non credit, non benè cedit. Ad cætera ego non cogo sed suadeo.] Idem docet in Dionysium de cœl. Hierarch. Eandem sententiam tenere videtur Gillebertus in altercatione Synagogæ & Ecclesiæ cap. 20. refellens quemdam qui dixerat Christum minùs fuisse sapientem in præsepio, quàm in patibulo. Cæterum vel opus illud non est Gilleberti, vel tantùm ibi voluit animam Christi non creuisse in cognitione, quandoquidem vniebatur diuinæ scientiæ ab initio: ideóque nihil eam vnquam fugere potuit, quod is quem ibi impugnat, diffitebatur. Nam saltem per diuinam scientiam, omnia à suæ conditionis initio sciuit, quod vnum probant argumenta illius Autoris. Esse tamen verè in anima Christi scientiam creatam, probat ex instituto indubitatus Gillebertus serm. 8. in Cant. & contrarium eiusdem placitum refellit. Vt in eius rei discussionem accuratè descendamus, duo sunt hic attendenda. Primùm spectat, an de facto verum sit, nullam fuisse in Christo notitiam

creatam,

creatam. Secundum spectat ad possibilitatem ; an videlicet potuerit anima Christi, reddi formaliter cognoscens per diuinam intellectionem.

Vera sententia, fuisse in Christo intellectionem creatam.

121. Nullam fuisse in Christo creatam notitiam, hæreticum videtur. Christus enim plerosque actus humanæ intellectionis infra referendos elicuit, v. g. discursum & actus enunciatiuos compositos qui in Deum non possunt cadere. Profectus quoque in Sapientia, qui Christo tribuitur Lucæ 2. quomodocunque explicetur, non potest valere de Sapientia diuina, cuius in Christo nullus fuit profectus. Deinde frequentissimè Concilia & Patres in confutatione Monothelitarum, tradunt, pro duplici Christi natura, duplices in eo facultates & operationes esse agnoscendas. Cum ergo fides doceat, Christum duplici intellectu fuisse prædituin, diuino scilicet & humano, fatendum est, duplicem ei intellectionem esse assignandam. Et præter generalia Patrum ac Conciliorum dicta de geminis Christi facultatibus & operationibus, illa ipsa specialia argumenta quæ protulerunt ad stabiliendas duplices Christi volitiones, æquè vrgent pro duplicibus intellectionibus, seruata proportione. Tandem certum est ex fide, fuisse in Christo nolitionem creatam. Ita enim definitum est contra Monothelitas ; Et ex eo etiam probari potest, quod absque volitione creata, Christus nihil meruisset. Atqui volitio creata subordinatur essentialiter intellectioni eiusdem prorsus naturæ quæ procudit volitionem : quia radicatio potentiarum essentialiter subordinatarum ad inuicem, qualis sunt intellectus & voluntas, non potest habere locum, nisi ambæ illæ facultates, eidem radicali principio, hoc est eidem naturæ inplantarentur. Nam principium radicale cui potentiæ subordinatæ conferuntur, & ratione cuius retinetur potentiarum radicatio, est illud principium quod cum vtraque facultate influit. Atale non est suppositum, quod ex se non est actiuum, sed natura. Vt igitur voluntas creata operetur, radicanda est in ea ipsa anima cui intellectus implantatur : animæ autem Christi, solus creatus intellectus conseritur, quoniam facultas particulatem eius cooperationem deposcens. Igitur ex voluntatis creatæ actione quæ Christo negari nullo modo potest, rectè colligimus intellectionem Christi creatam ei prælucentem.

Nec intellectum Christi humanum, alia notitiâ potuisse intelligere.

122. Hoc porrò postremum argumentum, non modò probat esse de facto in Christo cognitionem creatam, sed impossibile quoque esse aliter fieri, siquidem agatur de cognitione volitioni creatæ prælucente. Inde tamen non habetur vniuersè, quod in secundo puncto proposito quærebatur, an scilicet absolutè impossibile sit, animam Christi cognoscere per notitiam creatam : an verò id possit, saltem absque ordine ad volitionem subordinatam. Posset enim Christi anima, intelligere aliquid, etiamsi intellectioni illi nulla esset subiungenda creata volitio. An ergo ea notitia posset fieri formaliter per actum diuinum increatum animæ Christi cuiusque intellectui coniunctum ? Negandum est id fieri posse, cum longè communissima Doctorum sententia, quam Vasques 1.2.d.7.c.2. probat ex verbis 6. Synodi act. 17. in confess. fidei, quibus Synodus allegato S. Leone, ait duas esse statuendas in Christo, pro duplici natura, operationes. Tum subdit, [neque enim in quoquam, vnam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ ; vt neque quod creatum est in diuinam educamus essentiam, neque quod eximium est diuinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deijciamus.] Hic tamen locus non probat impossibile esse intellectum creatum intelligere per actionem increatam, quod tamen probandum esset ; sed tantùm probat, impossibile esse operationem Dei esse creaturæ naturalem, quod ex terminis patet esse impossibile : quamuis absurdissimè à Monothelitis quos ibi damnat Synodus, admitteretur : Perperam igitur Aquarius in 3.d.24. ex loco proposito infert, sententiam quam excutimus, non posse defendi à Catholico. Aptiùs videtur adduci posse Agatho Papa Epistola ad Augustos, quæ habetur actione 4. eiusdem Synodi verbis illis quæ subijcit post adductum locum B. Augustini ex l. 5. contra Iulianum. [Non potest Angelica natura, diuinam habere voluntatem aut humanam ; neque humana natura, voluntatem Dei, vel Angeli : sicut neque alterius quàm est, quisquam naturalem habere poterit motum, nisi quod est naturaliter, aut creatus est.] Accidit ratio, quia intelligere est actus vitæ, atque adeò duo dicit quæ impossibile est cadere in actum increatum respectu intellectus creati ; nempè dependentiam à principio interno, & receptionem in eo per informationem. Nam viuere est agere intrinsecè, & mouere ac perficere seipsum ; quod non fit nisi efficiendo & recipiendo actionem. Cum ergo impossibile sit, actum diuinæ intellectionis ab intellectu nostro effici, eíve inhærere, impossibile quoque erit, intellectum nostrum reddi formaliter intelligentem per eum actum.

123. Et hinc habetur manifesta disparitas, inter actum diuinæ notitiæ collatum cum intellectu nostro vt per eum actum intelligat, & diuinam essentiam habentem rationem actus primi respectu intellectionis creatæ ; quo exemplo aduersarij sententiam suam confirmant, cum tamen vt ex proximè dictis liquere potest, sit magna omnino differentia, inter vnionem diuinæ essentiæ per modum speciei intelligibilis impressæ, cum intellectu creato, & vnionem actus diuini, item cum intellectu creato. Nam vnio illa in ratione speciei impressæ, est tantùm vnio comprincipiatiua & coeffectiua notitiæ ; neque postulat vt quod speciei impressæ locum tenet, efficiatur ab intellectu cui vnitur, eúmve informet. Nam iuxta probabilissimam sententiam, gustatilia & tactilia, absque vlla informatione potentiæ tangentis aut gustantis, per meram appositionem & assistentiam, vniuntur ei ad modum speciei impressæ, quæ præsentibus obiectis ipsis superuacanea foret. Itaque nulla est repugnantia in tali vnione Dei cum intellectu nostro, ad modum actus primi determinantis ad talem intellectionem, vel ad huius dumtaxat obiecti repræsentationem formandam, & quidem in variis subiectis inæqualem cum applicatio ad coefficiendum sit libera. In his inquam nulla est repugnantia, quia nulla ad id Dei à nobis dependentia, vel eius in nobis inhæsio exigitur, vt subtiliter sed planè mysticè, & pro more suo ænigmaticè attigit Caietanus 1.p.q.12.art.2. *circa ad 3.* At vnionem actus secundi quo formaliter reddamur intelligentes, necesse omnino est formalem esse, & cum inhæsione in potentia intelligente : à qua etiam necesse est, vt actus ille secundus efficienter dependeat. Si enim hæc abessent, potentia non posset dici intelligere per huiusmodi actum : quia vt dicebam, intelligere, cum sit vita actualis & perfectio intrinseca sui ipsius à seipso, vtramque illam habitudinem dependentiæ effectiuæ & inhæsionis includit, quas in diuinum actum cadere, est impossibile.

Æquè facilè depelli ex dictis potest, alterum exemplum quod aduersarij placito suo obtendunt, nempe diuinæ subsistentiæ, quæ vniri potest cum natura creata. Quidni enim diuina intellectio vniri item possit cum intellectu Christi, eúmque formaliter intelligentem præstare, sicut diuina subsistentia, humanitati

seipsâ & formaliter præstat subsistere ? Disparitas est ex dictis perspicua. Nam subsistentia diuina, est tantùm terminus substantialis : de ratione autem termini, non est inhærere, sed quamuis subsistat, poterit esse terminus naturæ, dummodò ei vniatur, quod potest fieri, citra inhæsionem ac informationem. Item de ratione termini substantialis, non est, effici à natura terminanda substantialiter. At actus quo intellectus formaliter redditur intelligens, necesse est & vt inhæreat potentiæ quæ formaliter per eum intelligit, & vt insuper ab ea effectiuè pendeat. Quorum neutrum cadere potest in diuinam scientiam. Imò neque in vllam diuinam perfectionem ; ac proinde nulla diuina perfectio potest vniri creaturæ, præter subsistentiam : quia vt rectè attigit Capreolus supra, *in responsione ad 1. contra 1.* [Diuinum esse non potest communicari creaturæ formaliter tanquam principaliter per illud existenti, sed quasi cuidam coëxistenti alteri supposito, cui formaliter conuenit tale existere. Secus autem est de communicatione intellectionis, aut notitiæ, aut perceptionis cum intellectu vel potentia perceptiua, inter quæ requiritur communicatio realis informationis, aut realis identitatis.] Sensus est, subsistentiam cum sit tantùm terminus naturæ cui communicatur, non communicari creaturæ formaliter tanquam principaliter per illam existenti, ad quod exigeretur communicatio realis informationis vel identitatis. At subsistentia communicatur tantùm naturæ, tanquam coëxistenti alteri ; nempe supposito cui principaliter conuenit existere, ad quam communicationem, neque realis identitas neque inhæsio termini communicati exigitur ; sicut exigeretur ad communicationem reliquarum diuinarum perfectionum creaturis faciendam ; quia principaliter darent esse suum subiecto cui communicarentur, eique inhærere & ab eo effici deberent. Vnde talis communicatio est impossibilis. Alia quædam ex scripturis malè pro placito proposito adductis, refert & retundit Gillebertus serm. 8. in Cant.

Ordo tractationis, de perfectionibus intellectus Christi Domini.

124. Quare intellectum Christi humanum, creatæ intellectionis capacem fuisse, eámque de facto elicuisse ; diuinæ autem notitiæ fuisse prorsus incapacem, nec potuisse per eam reddi formaliter cognoscentem, extra controuersiam esto. Vnde quia intellectus Christi humanus, est intellectionis creatæ, magnæ vtique perfectionis capax, nec alterius perfectionis capax est, quàm vel notitiæ creatæ, vel eius perfectionis quæ cũ creata intellectione connectatur ; puta cum principiorum intellectionis creatæ, aut effectuum quos intellectio sic elicita producit & infert intelligenti ; duo hîc nobis præstanda erunt ; nempe primùm statuenda erit varietas notitiarum creatarum quarum humanus Christi intellectus capax est, cùm intra naturæ ordinem, tum intra ordinem superiorem. Habuit enim Christi intellectus, & naturales & supernaturales operationes, quarum omnium in Christo existentiam, & existentiæ initium statuere primùm oportebit. Deinde existentia huiusmodi actuum stabilita, quales quæque sint, & vnde principientur, cùm efficienter, tum obiectiuè, ac determinatiuè, quærendum erit. Quibus expositis, nihil erit quod ad plenam intelligentiam perfectionum aduentitiarum intellectus humani Christo implantati, desideretur.

Scientia naturalis, verè in Christo.

125. Naturalem cognitionem in Christo fuisse, dubitare non licet : consentiúntque in eo omnes Theologi vel in 3. d. 13. & 14. vel 3. p. q. 12. Nec pauci de hac cognitione accipiunt, quod de profectu Christi in Sapientia, traditur Lucæ 2. Idem clariùs innuunt illo Isaiæ cap. 7. *antequàm sciat puer vocare matrem.* Quamquam autem eum locum Sanchez ibi aliò flectit, tamen eadem verba repetuntur cap. 8. vbi apertissimè ex omnium Patrum interpretatione dicuntur de Christo, qui antequam sciret vocare Patrem & matrem, spoliaturus erat Damascum. Optimè item ad hanc rem facit, illud ex eodem 7. capite, quod de hac scientia latè accipit Richardus Victorinus l. 1. de Emanuele c. 15. *butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malũ & eligere bonum.* Subdens piè admodùm c. 16. quantoperè scientiam nostram perfecerit Christus, & quàm eminentem scientiæ plenitudinem naturæ nostræ paruerit, susceptione humilis huius & despicatæ cognitionis quam consequenter ad susceptam humanitatem vsurpauit. Connaturale enim est humanæ naturæ, vt obiectis externis in sensus externos incurrentibus, sensus externi determinentur ad sentiendum ; sicque determinati, sensum internum ad negotiandum circa idem obiectum abripiant. Vnde per sympathiam, excitatur & determinatur intellectus vt naturaliter intelligat. Quod similitudine apparitorum & iudicijs intùs in tribunali sedentis, pulcherrimè explicat Themistius in paraphrasi de anima, nec minùs concinnè his verbis Philo lib. quod Deus sit immutabilis. [Sensus (sicut alluso Græci nominis ad θὶς θεὸν, indicàt,) obiecta infert intellectui. In hoc enim capax amplissimúmque pennarium, visus, auditus, & cæteri sensus, reponunt omnia. Imaginatio verò est figuratum in animam impressio. Nam quiquid important sensus singuli, hæc obsignat suo charactere, tanquam annulus. Intellectus autem refert ceram, impressum sigillum excipiens, & seruans apud se, donec id obliuio memoriæ hostis obscuret, aut in totum aboleat.] Hunc ergo nobis connaturalem cognitionis partum, verbum diuinum ad pauperiem nostram dimittens sese, nequaquam est dedignatum.

Peti porrò hinc potest ratio discriminis inter Christum & alios Beatos, si vera est sententia quam circa eos tuetur Lessl. 2. de summo bono à num. 156. & iam olim aliqui apud S. Thomam lect. 1. in c. 13. prioris ad Corinth. nempè quod non sit apud Beatos locus scientiæ naturali hîc acquisitæ, eo quod habeat conceptus simplices abstractiuos valdè confusos, quippe ab accidentibus, quæ sola perspicuè nouimus, translatos ad substantiam, eíque appropriatos : quæ cum sit improprijssima cognitio, Beatorum statum dedecere videatur. Quicquid inquam sit de ea sententia quoad alios Beatos, (ratio sanè qua D. Thomas ea lect. 3. illam impetit, non est admodum valida :) circa Christum tamen viatorem, aliter est sentiendum. Quamuis enim tunc semper fuerit comprehensor, tamen simul hîc fuit viator. At viatorem non decuit spoliari modo notitiæ nobis connaturalis, & quoad formale suum euidentis, nec nisi quoad simplices præsuppositos, obscure ac adulterinæ. Esto, fides vt postea videbimus, quia & quoad formale suum obscura est, & nullo modo est nobis connaturalis, debuerit Christo, etiam viatori deesse ob plenitudinem luminis beatifici, quo etiam in via potiebatur. An verò extra viam Christus scientiam hanc acquisitam retinuerit, idem esto de eo quod de reliquis Beatis iudicium. Hic certè ; quod vnum nunc contendimus, ea carere non debuit, vt verus homo per omnes humanæ naturæ actus, assumptam à se in veritate humanam animam, testaretur.

Dicitur acquisita, & experimentalis.

126. Passim hæc scientia, provt ex ingressu obiecti naturaliter excitatur, vel inde excitato intellectu vlteriùs per inuentionem aut negotiationem propriã exercetur, nominari solet *acquisita* : nimirum quia cum per sensus paretur, sensus autem initio ob dispositionem subiecti

subiecti functiones suas obire nequeant; aduenit tandem procedente tempore, atque adeò non comprodeuit, sed postea acquiritur. Provt autem Christus, alio notitiæ genere aliquid perspiciens, sed quasi speculatiuè; mox verò interuentu determinationis sensitiuæ ita idemmet obiectum cognoscit, vt veluti palpet & contractet illud; sic eadem scientia denominatur *experimentalis* iuxta illud S. Anselmi l. 1. cur Deus homo c. 9. [Christus didicit ex his quæ passus est obedientiam quia quod per scientiam non ignorabat, experimento didicit.] Egregiè hanc scientiam, & quomodò Christo aduenerit, expressit serm. 56. in Cant. tractans illud, *en ipse stat post parietem nostrum, prospiciens per fenestras*, quod sic aptat ad Verbum carni adiunctum. [Appropriauit parieti cum adhæsit carni. Caro paries est, & appropiatio sponsi, Verbi Incarnatio. Porrò cancellos & fenestras per quas respicere perhibetur; sensus, vt opinor, carnis, & humanos dicit affectus, per quos experimentum cæpit omnium humanarum necessitatum. Denique *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Humanis ergo affectionibus sensibúsque corporeis, pro foraminibus vsus est & fenestris, vt miserias hominum homo factus experimento sciret, & misericors fieret. Sciebat & ante, sed aliter. Sciebat denique virtutem obediendi ipse Dominus virtutum: & tamen; teste Apostolo, *didicit ex his quæ passus est, obedientiam.* In hunc modum, & misericordiam didicit, etsi misericordia Domini ab æterno. Docet hoc quoque idem gentium Doctor, vbi cum asserit, *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, vt misericors fieret.* Vidésne factum esse quod erat, & quod nouerat didicisse, & sibi apud nos quæsisse primas & fenestras, per quos calamitates nostras diligentiùs exploraret.]

Et l. de gradibus humilit. *sub initium.* [Sed vt alienam miserum miserum cor habeas, oportet vt tuam priùs agnoscas, vt proximi mentem in tua inuenias, & ex te noueris qualiter illi subuenias; exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret, miser fieri vt misereri disceret, vt quomodò, (sicut de ipso scriptum est) *didicit ex his quæ passus est, obedientiam*: ita & misericordiam disceret: non quod ante misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno, sed quod naturâ sciebat ab æterno, temporali discit experimento.] Et latè postmodùm monstrat, hæc de ipso Christo in semetipso, non in persona corporis quod non sumus, accipi oportere. Eo tamen experimento, Christum negat sapientiorem factum, sed nobis visum propinquiorem. Et mox. [Priusquàm se exinaniisset formam serui accipiens, sicut materiam & subiectionem expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam non nouerat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At vbi minoratus est, non solùm à semetipso, sed etiam paulò minùs ab Angelis, (qui & ipsi impossibiles sunt per gratiam, non per naturam) vsque ad illam formam in qua pati & subiici potest, quod vtique (sicut dictum est,) in sua non posset, & in passione expertus est misericordiam, & in subiectione obedientiam. Per quam tamen experientiam, non illi, (vt dixi, scientia, sed nobis fiducia creuit, dum ex hoc misero genere cognitionis, is à quo longè erauerramus, factus est propior nobis.]

Apertè porrò agnoscit S. Bernardus, ac etiam Lauentius Iustin. de casto cõnubio Verbi & animæ c. 10. notitiam huius scientiæ, & non modò progressionem ac profectum in ea per accessum temporis, sed planè primordia vt nobis contingit. Qua in re displicet Richar. Victor. l. 2. de Emman. cap. 16, qui admittit quidem Christum processu temporis profecisse in scientia experimentali, addit tamen eam scientiam fuisse primùm in Christo ab ipso momento conceptionis, ita vt quæcunque aliquando perfectiùs experimentaliter cognouit processu temporis, eadem iam tunc experimentaliter perceperit. Sed hoc est contra vocis notionem proximè propositam, nec potest verum asseri nisi per multiplicationem immensam miraculorum, quibus omnes Christi sensationes quæ tota vita exercuit, & subiunctæ eis mentales notitiæ, dicantur Christo inditæ in primo momento quo factus est, quod nemo non videt absurdissimè affirmandum.

Fuisse in Christo naturalem scientiam infusam per accidens, qui censuerint.

127. Hæc est scientia Christi acquisita, & nullatenùs infusa: ad quam reuocanda est, (si in Christo datur,) alia intellectus perfectio, substantialiter, vt sic dicam, & specificè eadem cum scientia acquisita, sed ab ea discrepans penes causam efficientem & originem; nempe quia hæc diuinitùs infunditur per accidens. An hæc scientia infusa per accidens, sit Christo cõcessa, difficultas est, in qua non est improbabilis sententia affirmans, quam docuit D. Thomas in 3. d. 14. & q. 20. de verit. art. 2. Sequitur Franciscus à Christo eadem dist. 14. q. 3. Præpositus 3. p. q. 12. n. 14. & Suarez 3. p. t. 1. d. 30. sect. 2. qui tamẽ distinctionem adhibet. Considerat enim in scientia, habilitates & species impressas. Rursus autem species, vel sumuntur provt simpliciter repræsentant obiecta, vel provt repræsentant obiecta iam percepta, quod apud plerosque non postulat speciem planè nouam, sed solam modificationem speciei præiacentis. Scientiam ergo naturalem, provt habilitates, id est qualitates merè facilitatiuas, insupérque species obiectum non præcognitum spectantes complectitur, existimat Suares, esse Christo infusam per accidens. Id verò negat de scientia, provt continet principium præcognoscendi obiecta præcognita; siue illud principium sit quædam & habilitas & species integra, siue vt alij existimant, sufficiat modificatio. Deus enim non potuit infundere per accidens huiusmodi scientiam, quia nisi eius actio præcesserit, erit principium falsum, quod à Deo infundi vel non potest, vel non decet. Sed hæc distinctio, mihi videtur non esse solida. Nam scientia quæ est principium recogitandi siue recolendi actus præelicitos, quidquid tandem ipsa sit, non potest initio infundi, priusquàm actus sint eliciti; idque tam valet de scientia naturali, quàm de omni alia scientia, etiam supernaturali & per se infusa. Quorsum ergo ea distinctio hic obtruditur, tamquam peculiariter locum habens in scientia naturali? Quare hæreamus in sententia quæ simpliciter admittit in Christo naturalem scientiam infusam per accidens. Cur ea concedatur Christo, rationem dicunt qui eam asserunt, tum ex eo quod necesse sit eam perfectionem Christo nõ negare quæ fuit in Adamo, cui hanc scientiam fuisse concessam, latè confirmat Suares lib. 3. Cosmop. cap. 9. Tum etiam ex eo quod nisi id admittamus, fatendum erit Christum carere notitia clara naturali plurimorum obiectorum quæ per scientiam acquisitam numquam erat percepturus, quod incommodum his autoribus censetur.

Contrarium placet.

128. Mihi probabilior videtur sententia, quam retractata priore docuit D. Thom. 3. p. q. 9. art. 4. & q. 12. art. 2. sequuntúrque Aluarez 3. p. d. 53. Vasq. d. 55. cap. 2. & 3. Raguſa d. 103. Becanus c. 9. q. 6. & alij, iuxta quos nulla est in Christo naturalis scientia infusa per accidens. Et ratio est, quia cum Christus ad paupertatem nostram vltrò ac volens se demiserit, omnia quoque nobis connaturalia quæ statum eius non dedecerent, lubens admisit. Cum ergo connaturalis homini parandæ naturalis scientiæ modus, non sit per infusionem, sed per impressionem ab obiectis factam, non est

quod miracula non necessaria comminiscamur : sed concedendum est, Christum & species exteriùs ab obiectis impressas accepisse, & vi earum naturaliter ad sensationes externas, indéque per sympathiam ad internas, & ad intellectionem, determinatum fuisse, sicut & nos determinamur. Per actus verò, inusti sunt habitus facultantes, & species quæ essent vestigia intellectionis præelicitæ : atque ita verè Christus in hac scientia profecit, quod voluisse S. Lucam, cum dixit Christum profeciſſe Sapientia & ætate, censuit Toletus in c. 2. Lucæ annot. 86. mihique videtur idem velle S. Fulgentius l. 3. ad Trasim. cap. 18. admittens in ipsa Christi anima, profectum quoad Sapientiam. Et pulchrimè his verbis S. Ambros. l. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 7. astruens in Christo animam humanam per geminam in Christo Sapientiam, diuinam scilicet & humanam, & monstrans profectum Sapientiæ. Christo tributum, de humana accipiendum esse. [Quomodò proficiebat Sapientia Dei ? Doceat te ordo verborum. Profectus ætatis, & profectus Sapientiæ, sed humanæ est. Ideò ætatem ante præmisit, vt secundùm hominem crederes dictum. Ætas enim, non diuinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat Sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu Sapientia. Iesus autem proficiebat ætate & Sapientia.] Et mox. [*Puer*, nostræ nomen ætatis est; nec confortari virtus poterat Dei, nec crescere Deus, nec altitudo Sapientiæ Dei, nec plenitudo diuinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, ætat non Dei, sed nostra Sapientia. Nam quomodò implebatur, qui vt omnia impleret, descendit ? Per quem autem sensum, vt Esaias dixit, Patrem puer nesciebat aut matrē ? scriptum est enim ; *priusquam sciat puer patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ.* Sapientiam enim Dei, futura & occulta non fallunt. Expers autem agnitionis Infantia, per humanam vtique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorat.]

Non poterat S. Ambrosius, luculentiùs & expressiùs acquisitam Christi scientiam, naturaliter vt in nobis assolet, exortientem & proficientem describere. Alios Patres similiter locutos, infra referemus, excludentes à Christo ignorantiam. Quare ratum esto, non fuisse in Christo naturalem vllam scientiam, infusam per accidens, sed dumtaxat acquisitam.

Ad firmamenta aduersariorum.

129. Quæ verò in contrarium adducuntur, dissolui possunt nullo negotio. Fatemur enim Adamum, quia visione beata carebat, & mox à creatione priuandus erat scientia per se infusa, accepisse ab initio naturalem scientiam infusam per accidens ; non modò iuxta mensuram proportionalem ætati in qua à Deo formatus est, sed etiam quantum ferebat necessitas, qua & ipse, & omnes eius posteri laborassent, nisi eo Dei beneficio liberaliter fuisset præuentus. At in Christo, nulla talis viguit necessitas : & affulgens ei scientia infusa atque beata, abundè suplere potuit omnem vsum scientiæ naturalis infusæ per accidens. Fatemur præterea, Christum naturali scientia, & clara plurimorum obiectorum notitia, fuisse destitutum, vi animæ suæ, & quarumuis substantiarum, etiam materialium. Id enim absurdum non debet videri, quia Christus per scientiam naturalem ea tantùm cognouit intuitiuè, quæ sunt connaturaliter à nobis perceptibilia interuentu specierum à sensibus haustarum. At species illæ, non habent vim exhibendi perfectè naturam vllam substantialem. Imò ob eum cognitionis nostræ intellectiuæ in hac vita nexum cum sensibus, & speciebus per eos haustis, anima nostra, quæ ob summam cum intellectu coniunctionem posset fungi munere speciei impressæ ad sui cognitionem cudendam, non se cognoscit intuitiuè. Itaque Christus non habuit substantiæ vllius, & reliquorum obiectorum propositorum, notitiam claram naturalem, infusam per accidens ; sed ea tantùm perspexit per scientias superiores, per se infusam, & beatam. Quin etiamsi per scientiam inferiorem cognouisset obiecta illa intuitiuè, species illius cognitionis non essent dicendæ infusæ per accidens ; quippe quæ per sensus comparari non possent ; sed dicendæ essent infusæ per se, licet absque supernaturalitate, vt species Angelorum.

Aptiùs ad scientiam naturalem per accidens infusam, referentur gratiæ quædam intellectuales gratis datæ, entitatiuè naturales, nec nisi per accidens infusæ, quasi in Christo fuisse habitualiter ; certum esse censet Suares disp. 8. de fide sect. 2. num. 11. Eiusmodi est, gratia interpretandi benè & ordinatè sensa sua : item gratia linguarum, ac diuersorum idiomatum expeditè efferendorum. Et sanè si qualitas aliqua permanens vltra species impressas ad id exigeretur, non videretur dubium, quin ea qualitas diuinitùs indita, esset tantùm infusa per accidens, ac proinde huc pertineret. Est tamen admodùm verisimile, solam naturalem ingenij bonitatem, speciebus armatam & habilitatibus facilitantibus instructam, adiutámque ijs actualibus Spiritus sancti motionibus quæ ad id commodare poterant, ad munera prædicta sufficisse : accedente præsertim assistentia diuina quasi habituali, quæ semper Christum ad has functiones ritè ac perfectè obeundas, mouere parata esset. Vt quid autem præterea qualitatem aliquam incompertam addamus, cuius necessitas nulla appareat, quidditas verò sit perobscura ? Ad summum ergo, eam infusionem per accidens perfectionis intellectualis, admittere in Christo adigimur quoad species & habilitates facilitantes, in prædictis gratijs gratis datis inclusas.

Existentia altioris in Christo scientiæ, nempe per se, iam ab initio infusæ, stabilita.

130. Satis de existentia scientiæ naturalis in Christi intellectu, quæ ei communis fuit nobiscum. Sed nobis quidem, prima ista dumtaxat, & vt Richardus suprà, non semel nominat, *verè egena scientia*, connaturalis est. At Christi intellectui, quippè Dei filij naturalis, connaturaliter debebatur aliud cognitionis genus perfectissimum, quod nobis est supernaturale. Nec id mirum videri debet. Christo enim, quippè capiti, plura notitiarum genera connaturaliter conueniunt, quàm membris, iuxta analogiam ritè ad hoc negotium consideratam à D. Fulgentio ad q. 3. Ferrandi *in fine*, ex libro D. Augustini de præsentia Dei ; (ita enim inscribitur apud Fulgentium, Epistola B. Augustini 57.) Sicut ergo in corpore physico, membra singula pollent tantùm sensu tactus, capiti autem præter tactum insunt omnes sensus ; ita nobis vnicus isque admodùm humilis modus cognitionis connaturaliter debetur. Christo autem insuper competit, (& quidem connaturaliter ob vnionem,) omne genus notitiæ creatæ, etiamsi puris hominibus sit supernaturalis, cuiusmodi sunt scientia per se infusa, & scientia beata.

Fuisse in Christo, scientiam per se infusam ob essentialem nexum cum Deo Autore gratiæ, negarunt nonnulli, quos asperiore quauis censura eximit Suares tom. 1. 3. p. disp. 25. sect. 3. Non dubito tamen quin ea scientia sit Christo concedenda, cum D. Thoma 3. p. q. 9. art. 3. & tota q. 11. & passim Scholasticis : Tametsi eorum plerique, discrimen scientiæ verè infusæ, à scientia infusa tantùm per accidens, non satis perspexerunt, qua de re alibi. Fuisse itaque in Christo scientiam infusam, qualem dixi ; quæ scilicet respiciat essentialiter Deum Autorem gratiæ, proindéque sit suapte natura supernaturalis, liquere videtur ex verbis Apostoli dicentis, omnes thesauros Sapientiæ & scientiæ Dei, fuisse

fuisse in Christo reconditos. Ergo necesse est, hanc quoque notitiam in Christo admittere, cum certum sit scientiam per se infusam esse portionem nobilissimam scientiæ supernaturalis, quæ ab Apostolo nominatur *scientia Dei*. Idem habetur ex verbis Propheræ, affirmantis, Spiritum sapientiæ & scientiæ requieturum super Christum, quæ constat spectare ad notitiam supernaturalem. Cum igitur non possint referri ad notitiam fidei, vt infra monstrabo, necesse omnino est vt referantur ad scientiam per se infusam. Nam cum nos quoque, simus hîc ex parte aliqua capaces spirituum illorum, non possunt referri ad scientiam Beatorum. Accedit non infirma ratio. Indubitatum enim est, ad meritum supernaturale exigi notitiam supernaturalem, distinctam à scientia beata: quia hæc non est medium sed finis: ac proinde non est aliquid requisitum ad meritum, sed habet rationem præmij; nec est propria eorum qui merentur, sed comprehensorum qui post agonem præhendunt brauium. Cum ergo infra notitiam beatam, nulla sit notitia essentialiter supernaturalis, idonea ad fundandum meritum, præter fidem, in Christum non cadentem, & scientiam per se infusam, meritò hanc in Christo agnoscimus. Quorsam verò notitiam tam perfectam, & plerisque sanctorum ex priuilegio concessam, statui autem Christi consentaneam, Christo negabimus?

131. Fuit itaque in Christo etiamnum viatore, hæc scientia: & quidem ab eo tempore quo primùm meruit, hoc est à primo conceptionis momento, iuxta præclaram B. Anselmi ratiocinationem l. 2. cur Deus homo c. 13. vbi loquens de Incarnatione vt facienda, & eliminans ignorantiam ab humanitate assumpta per Verbum, ita loquitur, respondens discipulo qui dixerat scientiam debuisse Christo concedi, & ignorantiam depelli, cum iam vir esset, non tamen cum esset infans. [Nonne dixi, quia sapienter fiet illa Incarnatio? sapienter namque assumet Deus mortalitatem, qua sapienter (quia valdè vtiliter) vtetur. Ignorantiam verò non poterit assumere sapienter: quia nunquam est vtilis, sed semper noxia: nisi fortè per eam mala voluntas (quæ numquàm in illo erit) ab affectu restringitur. Nam esti aliquando, ad aliud non vocet, hoc solo tamen nocet, quia scientiæ bonum aufert. Et vt breuiter absoluam quod quæris, ex quo homo ille erit plenus Deo, semper in seipso erit: vnde numquam erit sine eius potentia, & fortitudine, & sapientia.] Et agit apertè de scientia infusa. Nam acquisita & naturalis, ob impeditionem organorum non fuit ab initio. Idem apertè habet Origenes hom. 19. in Lucam, tractans illud, *plenus Sapientia*. Sic enim scribit. [Hoc hominum natura non recipit, vt ante duodecim annos sapientia compleatur. Aliud est partem habere sapientiæ, aliud sapientia esse completum. Non ambigimus ergo, diuinum aliquid in carne Iesu apparuisse:] Et mox. [Euacuauerat se filius Dei, & propterea rursum completur, sapientia, & gratia Dei erat super eum. Non quando venit ad adolescentiam, non quando manifestè docebat, sed cum adhuc esset paruulus, habebat gratiam Dei. Et quomodo omnia in illo mirabilia fuerant, ita & puerilia mirabilis fuit, vt Dei sapientia cõpleretur.]

132. Non est autem hac in parte audiendus Durandus, qui in 3. d. 14. q 3. num. 7. fatetur quidem, Christũ ab initio conceptionis nactum esse habitum scientiæ infusæ: negat tamen habuisse actum, ad quem censet exigi conuersionem ad phantasmata, quæ initio non fuit in Christo. Verùm quod Durandus supponit, ad vsum scientiæ infusæ exigi conuersionem ad phantasmata, non est admittendum, vt infra exponam. Et quamuis ea conuersio ad exercitium huius scientiæ exigeretur, nihil tamen vetaret eam in Christo habere locum iam ab initio. Exosculor autem quod de toto huius scientiæ habitu ait Durandus, nempe eum iam ab initio in Christo fuisse. Quod aliter scitè dixit S. Maximus hom. in Psal. 21. cum exponit vestem Christi desuper contextam per totum; [Vestimentum eius quod non erat consutum, sapientiam eius cœlestem possumus approbare, quia ait, *erat de superiori contextum*. Nostra enim sapientia, hoc est, humana, consuitur: assuitur enim cum liberos damus ad studia Grammaticis, tradimus Philosophis, erudimus, vt sapientia in illis quæ non erat, acquiratur. Domini autem sapientia, non assuta est, non quæsita. Non enim didicit à magistro, sicut ipsi Iudæi dicunt; *quomodò hic literas nouit, cum non didicerit?* Et ipse dicit: *mea autem doctrina non est de hoc mundo, sed eius, qui me misit*. Hoc est quod ait, *de superiori contextum*.] De hac quoque scientia, accipiendus est Damascenus, oratione quomodò ad imaginem Dei facti simus, simultaneam Christi sapientiam astruens.

Dona intellectualia Spiritus sancti, per se infusa Christi scientiæ adiuncta.

133. Spectant ad hanc scientiam per se infusam substantialiter supernaturalem, dona illa Spiritus sancti quæ ad intellectum pertinent. Fuisse enim in Christo perfectiones illas intellectus, quæ intellectualium Spiritus sancti donorum nomine designantur, dubitare non licet; cum Isaias id disertè tradat cap. 11. verbis illis. *Flos de radice eius ascendet*, Christus, *& requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij, Spiritus scientiæ*. Spiritum, nomine causæ efficientis, vocat dona spiritualia, vt interpretatur Naz. orat. 37. Nam ipse quidem Spiritus, non est in se multiplex, sicut hæc Spiritus dona quæ Christo insedisse diximus, sunt multiplicia.

Multiplices hos Spiritus in Christo solo adunatos, obseruat S. Gregorius 29. moral. cap. 30. ad illud *numquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas?* quod adducto proposito loco Isaiæ, glossat in hunc modum. [Redemptor noster in carne veniens, Pleiades iunxit, quia operationes septiformis Spiritus, simul in se, & cunctas & manentes habuit. De quo per Esaiam dicitur, *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eũ Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*. De quo Zachatias ait; *super lapidem vnum septem oculi sunt*; Atque iterum: *& in candelabro aureo lucernæ septem*. Nullus verò hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei & hominum, cuius est idem Spiritus, qui de Patre antè sæcula procedit. Benè ergo dicitur; *super lapidem vnum, septem oculi sunt*. Huic enim lapidi septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus septiformis gratiæ, in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum, iuxta distributionem sancti Spiritus: ad habenda verò cuncta eiusdem Spiritus munera, nemo pertingit. At verò conditor noster, infirma nostra suscipiens, quia per diuinitatis suæ potentiam simul se habere omnes sancti Spiritus virtutes edocuit, micantes proculdubio Pleiades iunxit.] Vides ergo haberi ex eo loco Isaiæ, iuxta S. Gregorium, fuisse in Christo Spiritus sancti dona, & quidem omnia.

134. Optimè idem habet Origenes hom. 3. in Esaiã, tractans & Christo accommodans quod habet Isaias de 7. mulieribus apprehendentibus virum vnum, vt earum opprobrium auferat. [Septem mulieres (inquit) vna sunt. Spiritus enim Dei sunt & ista vna, septem sunt: Spiritus enim Dei, est Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & virtutis, Spiritus scientiæ & pietatis, Spiritus timoris Domini. Ista sapientia patitus

titur opprobrium à multis sapientijs insurgentibus in se. Iste verus intellectus sustinet opprobrium ab intellectibus falsis. Istud magnum consilium opprobratur à multis consilijs non bonis. Ista virtus maledicitur à quadam, quæ cum non sit virtus, repromittit se esse virtutem. Ista scientia patitur opprobrium à quadam falsi nominis scientia, nomẽ suum surripiente. Ista pietas exprobratur, ab ea, quæ cum se dicat esse pietatem, impietas est, & impios instruit. Iste timor patitur opprobrium ab eo qui putatur esse timor. Multi enim pollicentur diuinum metum, sed non cum scientia metuunt. Quomodò ergo istæ septem patiuntur opprobrium, consideremus. Vide sapientiam seculi huius, vide sapientiam principum mundi huius, quomodò exprobrant sapientiam Christi mei, & quomodò exprobrant sapientiam Iudaismi veri, iuxta quem nos circuncidimur spiritaliter, isti verò præciduntur. Intellige itaque quomodo sapientia seculi huius, & principum mundi huius maledicunt sapientiæ: & ob hoc quæritur homo qui cum istis septem spiritalibus velut mulieribus sit, vt auferat earum opprobrium. Propriè vnus est homo qui auferat earum opprobrium. Quis est iste homo? Iesus, qui exiuit iuxta carnem de radice Iesse.] Descendit ad citatum locum Esaiæ, & eum æquè ac istum accommodat Christo. Idem passim affirmant alij Patres, nominatim cum versant locum illum Isaiæ 11. vbi multos appendit Leo Castrius.

135. Scio, Iustinum in dialogo cum Tryphone, post adductum prædictũ locum Esaiæ, significare non esse his verbis expressam inexistentiam talium donorum in Christo. Obijciente enim Tryphone, quomodò Christus si Deus erat, eguerit repleri potentijs Spiritus sancti, hoc est hisce donis ibidem ex Isaia enumeratis: Respondet Iustinus; [Has enumeratas Spiritus virtutes, non vt indigenti harum, ait scripturа, supernenturas, sed requieturas super eo: hoc est, in eo desituras, nec post hac vt ante, Prophetæ essent in vestro genere, quod oculis vestris potestis credere. Post illum enim, planè nullus Propheta inter vos extitit. Præterea quod vnusquisque Prophetarum, vna alterâve potestate diuinitùs accepta fecerit, dixeritq; quæcumque scripta sunt; Intelligitis quid dicam sapientiæ spiritum habebat Salomon; intelligentiæ verò & consilij Daniel; fortitudinis pietatisque Moses; Elias timoris; Cognitionis Esaias, & alij similiter, aut singulas, aut aliter atque aliter coniugatas, vt Ieremias, & illi duodecim, & Dauid, cæterique quotquot apud vos Prophetæ fuerunt. Quieuit igitur Spiritus, hoc est, desijt in aduentu illius, post cuius conuersationem cum hominibus, tempus erat hæc dona vobis auferri.] Et post alia in eandem sententiam, sic concludit. [Itaque non quod ille indigeret potentia, venturas in eum potentias cecinit Esaias quas numerat; sed quia non erant mansuræ ampliùs.]

Hæc non ita sunt accipienda, quasi Iustinus neget, hæc dona verè inexstitisse Christo quin potiùs nõ obscurè innuit, ea in Christo fuisse, cum post eum cessasse dicit, nec locum vltrà habuisse apud Iudæos. Sensus ergo Iustini est, Christum non accepisse hæc dona tamquam ijs egeret, præsertim provt Deus, vt fetebat Tryphonis obiectio. Tantum enim abest, vt quatenus Deus ijs donis eguerit, vt etiam in humanitate sua carere his donis facilè potuerit ob scientiæ beatæ præsentiam. Qua ratione negare quis posset, gratiam habitualem fuisse Christo necessariam, cum aliunde haberet quod per gratiam habitualem nobis confertur; nempe amicitiam cum Deo, & sanctificationem. Sicut ergo Christus, quamuis non eguerit gratia habituali, eam tamen recepit, ita etiam accepit Spiritus sancti dona. Quarè agnoscamus has intellectus Christi perfectiones.

Verum quidem est, nonnullos donum sapientiæ collocare in voluntate, vt Scotum in 3. d. 34. q. vnica, qui sapientiæ donum censet esse caritatem. Hoc tamen neque vsui recepto vocum conforme est, neque D. Augustino qui serm. 3. de temp. apertè ait, sapientiam pertinere ad rationem. Sed & Sapiens c. 7. vocat sapientiam *sensum & lucem*, aitque *inextinguibile esse lumen illius*: quæ omnia sonant perfectionem intellectus, longe distinctam à caritate quæ perficit volũtatem. Quinimò disertè eodem capite sapientia caritati contra distinguitur, cum dicitur. *aliquos quia sapientiæ participes fuerunt, & cõmendati per dona disciplinæ, factos esse participes amicitiæ Dei.* Nempè per bonũ scientiæ vsum, manuductos ad charitatem, quæ diuina est amicitia: quod vnum voluerunt nonnulli Patres, qui in sensu causali, appellarunt caritatem nomine *sapientiæ*. Ratum igitur esto, dona enumerata; sapientiæ inquam, scientiæ, consilij, & intellectus, perfecisse Christi intellectum? Et cum sint perfectiones essentialiter supernaturales, nequaquam propriæ & peculiares statui gloriæ, ad scientiam per se infusam essentialiter supernaturalem referendas esse. Quæ verò sit earum propria ratio, supponendum est ex 1.2.q.68. obitérque attingemus infra, executientes naturam & causas perfectionum Christi intellectualium. Nunc enim de earum dumtaxat existentia stabiliendâ, sumus solliciti.

Adiuncta aliæ scientiæ Christi, per se infusæ, & nominatim prophetia.

136. Denique huius scientiæ per se infusæ & supernaturalis, frutices quidam fuerunt in Christo, vatiæ gratiæ intellectui gratis datæ, spectantes solam cognitionem, vt prophetia, & discretio Spirituum. Quicquid enim sint hæ gratiæ, indubitatum est eas ad ordinem supernaturalem pertinere; saltem quatenus dicunt specialem instinctum Spiritus sancti, ex quo exercentur; itaque non dedecent Christum, eique sunt collatæ; specialitérque prophetia, non quidem obscura, sed euidens, quæ à scientia infusa non discrepet, negari Christo non potest, contra Abulensem in cap. 11. numer. q. 64. Et ago de prophetia propriè dicta. Nam vt fusè prosequitur Iansenius cap. 47. Concor. Franciscus Picus lib. 2. de prænotione cap. 2. & Castro 4. de vatic. cap. 1. interdum nomen *prophetiæ* in Scripturis, impropriè & latè sumitur, vel pro laudum diuinarum decantatione in Spiritu, vt de Saule prophetante legimus 1. Reg. 10. vel pro interpretatione mysteriorum fidei ad ædificationem; siue pro concionandi vsu, vt sæpè apud Paulum quod Vincentius Lyrin. in aureo commonit. cap. 40. annotauit. Alibi vt 2. Petri 1. propheticus sermo vocatur omnis scriptura Canonica. Quæ omnes prophetiæ notiones, sunt minùs propriæ. Sed propria notio quam hic Christo vendicamus, continetur vel cognitione futurorum contingentium, etiam conditionatorum, quæ prophetijs comminatorijs obijciuntur; vel notitia præteritorum, quorum nulla amplius extent signa aut vestigia; vel denique notitia obiectorum præsentium loco distantium, ac præsertim cogitationum cordis: ad hæc enim omnia extendi *prophetiæ* vocem, notauit S. Gregorius hom. 1. in Ezech.

Huiusmodi ergo notitia, quæ quod iudicium & assensum, ratione luminis ac motiui ex quo elicitur, est supernaturalis, negari Christo non potest, quandoquidem disertè Deuter. 18. Christus Propheta, denunciatur mittendus: quem locum absque hæretica vanitate, non posse de alio quàm de Christo accipi, censuit D. Aug. 16. contra Faust. cap. 18 Et quamuis Iudæi iam olim eum locum peruerterint; & alij ad Iosue quos refellit Isid. Pelus. lib. 3. alij ad Dositheum quendam, vt refert & refellit S. Eulogius orat. contra Samaritanos apud Phot. Cod. 230. Tandem alij ad magnum quendam Prophetam tempore Messiæ venturum, & ab

ab eo distinctum, detorserint diuinam illam denunciationem Deuter. 18. factam, vt fusè prosequitur Tostatus in cap. 1. Ioan. annot. 60. Tamen Deus, vt D. Eulogius supra rectè connicit, nec non Euseb. 3. de demonstr. cap. 2. & lib. 9. capite 11. & firmauit Synodus Alexandrina sub S. Eulogio, per Mosem eo loco, non alium Prophetam venturum prænunciat, quàm Christum ipsum. Ipse item Christus, vt D. Aug. tract. 15. in Ioan. docuit, ad illud; *Domine vt video, Propheta es tu*; Seipsum Prophetam aliquando nominauit, cum de seipso dixit, *non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Rursusque Lucæ 13. cum dixit, *non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Et Lucæ 24. discipuli de Christo dicunt, *qui fuit vir Propheta.* Quæ cum possint propriè accipi, non est quod detorqueantur ad improprias acceptiones, vt rectè contra Magdeburgenses contrarium blaterantes, vrget Turrian. lib. 2. pro Epist. Pont. c. 2. Quod autem dici posset de ratione prophetiæ esse obscuritatem, & idcircò euacuari prophetias cum iux adulta fuerit exorta, facilè declinatur; dicendo, ptophetiæ accidentarium esse, quod sit clara vel obscura: eóque nobiliorem esse prophetiam, si clara & euidens prophetanti fuerit, cuiusmodi sanè prophetiam Christo tribuimus.

137. Suffragatorem huius tituli Christi, laudo Origenem hom. 1. in Ierem. ad illud, *Prophetam in gentibus dedi*; quod primùm de Ieremia interpretatus, mox sic ad Christum aptat. [Si intelligentiam ad Deum transferas, iste verè in vniuersas gentes prædicauit. Est quippe sicut alia multa, sic & Propheta. Vt est princeps Sacerdotum, vt est Saluator, vt est Medicus, similiter & Propheta est. Moyses annuntians de eo, non solùm Prophetam, sed inter cunctos admirabilem nominauit Propheta, dicens: *Prophetam ex fratribus vestris suscitabit vobis Dominus Deus noster, quasi me audite eum: quicumque non audierit Prophetam illum interibit de populo suo.* Ille est Prophetes constitutus in gentibus, & accepit gratiam à Deo effusam in labijs suis: vt non solùm cum præsens aderat corpore, sed etiam nunc cum adest virtute & Spiritu, propheret ad omnes gentes & prophetia sua ex toto orbe attrahat homines ad salutem.]

Optimè quoque S. Augustinus tract. 24. in Ioan. ad illud *quia hic est verè Propheta*, quod à turbis recèns pastis prolatum, ita accipit. [Adhuc fortè ideo Christum Prophetam putabant, quia super fœnum discumbebant. Erat autem ille Dominus Prophetarum impletor prophetarum, sanctificator Prophetarum, sed & Prophetes. Nam & Moysi dictum est, *suscitabo eis Prophetam similem tui.* Similem secundùm carnem, non secundùm maiestatem. Et de ipso Christo illam Domini promissionem habere intellectum, apertè in Actibus Apostolorum exponitur & legitur. Et ipse Dominus de se ait. *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua*, propheta Dominus, & Verbum Dei Dominus, & nullus propheta sine Verbo Dei prophetat. Cum prophetis Verbum Dei, & propheta Verbum Dei. Meruerunt priora tempora prophetas afflatos, & impletos Verbo Dei: meruimus non prophetam, ipsum Verbum Dei.]

Existentia scientiæ Christi beatæ, ab initio inditæ, æstruitur.

138. Alia supernaturalis scientia, animæ Christi cõcedenda, & quidem ab initio productionis suæ, est scientia beata, siue clara Dei visio. Quod enim hæc cognitio in anima Christi fuerit iam ab initio, est communissima sententia Theologorum: quamquam inter eos non satis conuenit, de gradu certitudinis quo tenenda est, contraria abijcienda. Palac. in 3. d. 14. disp. 1. censet eam non posse absque temeritate negari qui est propè minimus gradus certitudinis. Paulò auctiùs Suarez t. 1. 3. p. d. 25. s. 1. erroneum & hæresi proximum pronunciat, eam negare. Aluarez 3. p. d. 52. concl. 2. censet esse planè contra fidem, negate animam Christi toto tempore antecedente mortem, non vidisse Deum. Id quod etiam videtur asseruisse Remigius ad illud, *& ecce aperti sunt ei cœli.* Matth. 3. Ait enim fidē Ecclesiæ tenere, quod non minùs aperti sint Christo cœli ante illud tempus, quàm tunc. Addit tamen Aluarez concl. 3. id non esse de fide, quoad primum instans productionis animæ Christi. Vt, vt sit, sententia est inter Theologos indubitata, Christi animam Deum vidisse à primo productionis suæ momento, tametsi probationes quibus eam siue ab auctotitate, siue à ratione confirmant, non sunt vsque adeò ineluctabiles vt non pateat effugium: quod liquebit expendenti quæ in hanc rem splendidè ac fusè profert Canus lib. 12. de locis c. 14. Quantumuis enim Cano in ea disputatione retoricanti, videantur firmissima, tamen non difficile esset ea eneruare & inefficacia ostendere. Quæ maiotis viderentur momenti ad confirmandam veritatem propositam, hæc occurrerunt.

139. Ex Scripturis, locus satis idoneus suppetit ex c. 17. Ioannis, ibi Christus Patrem alloquens, ait, *Volo vt vbi sum ego, & illi sint mecũ, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi.* Quibus affinia sunt illa ex c 12. *Vbi sum ego, illic & minister meus erit.* En Christus, præmiũ suorum asseclarum statuit esse vbi ipse tunc erat. Cum igitur extra dubium sit, præmium Sanctorum qui secuti Christum fuerint, esse Dei visionem; dubitandum non videtur, quin Christus qui se in eo statu iam tunc fuisse profitebatur, etiamsi viator, iam ex eo tempore esset beatus. Eundem statum animæ Christi iam ex eo tempore, ferunt illa ex cap. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.* Esse se in cœlo, dicit Christus: hoc est videre Deum, iuxta communem Christianorum loquendi modum; quibus *esse in cœlo* vel *esse in paradiso*, idē est quod Deũ videre vbicumque videatur, vt S. Augustinus notauit epist. 57. prolato exemplo latronis, qui cum in inferno futurus esset quoad animam, tamen quia ibi visurus erat Deum, dicitur futurus in paradiso. Filius ergo hominis, atque adeò Christus quoad humanam naturam, se in cœlo esse; hoc est Deum videre, professus, est etiamnum viator. Et consideranda est textura capitis, & scopus Christi, quem optimè assecutus videtur Ribera secutus Græcos interpretes, & ex Latinis Caietanum. Scopus ergo Christi est, persuadere Nicodemo, credendum sibi esse, quippe testi oculato. Credebant enim Iudæi Prophetis, qui non nisi auriti testes erant. Multo itaque magis credendum illis erat Christo, qui omnia Dei arcana viderat, & in terras ad ea euulganda descenderat, non loci mutatione, quippe qui adhuc in cœlo esset Iudæos alloquens, sed assumptione humanitatis; in qua ita erat, vt simul in cœlo esset Deum videns, quod nulli anteriori veritatis testi, nulli inquam Prophetæ, obtigerat. Nemo enim eorum in cœlum ascendit in tempore præterito ἀνεβέβηκεν: hoc est (iuxta phrasim Hebraïcam, consequentia pro antecedentibus sæpè vsurpantem, atque adeò per ascensum in cœlum, visionem Dei quæ ad Deum consequitur, designantem,) nemo eorum Deum viderat. Itaque illud ipsum his verbis de se pronunciat Christus, quod de eo dixerat Baptista, eiusdem Euangelij c. 1. Christum omnibus Prophetis anteponens; *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

Suffragium SS. Patrum.

140. Loca Patrum, hæc pauca seligam. Eusebius l. 2. de demonstr. in 8. siue c. vltimo, glossans illud Psalmi 21. *de ventre matris meæ, Deus meus es tu*, sic loquentem induit Christum. [Tibi confisus sum, qui meus Deus & Dominus, & pater es: & confisus sum, non nunc primùm

primùm in te sperare incipiens, sed tunc quoque cum ab vberibus matris meæ infantilem alimoniam accipiens putabar vt reliqui hominum infantes, imperfectus esse, & absque vsu rationis. Non enim eram talis, licet mihi cæteris hominibus simile esset corpus. Sed neque item vi, neque substantia plerisque eram similis, verùm potiùs liber ac solutus, tamquam agnus tuus, qui Deus es, cum ab illa vlque ætate, lacte nutrirer, Dico autem ab vberibus matris meæ. Cæterum hoc nondum quispiam magnum arbitrabitur, si intelliget, quemadmodùm priùs quoque *in te proiectus sum ex vtero, & de ventre matris meæ Deus meus es tu.* Cum enim adhuc intra cellam gestantis me in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam.]

S. Ambrosius l. de interpretatione Dauid, eundem Psaltis locum expendens, non obscurè prodit, se Eusebium exprimere, & idem sentire. Locus est paulò prolixior, sub libri medium.

S. Augustinus l. 4. de consensu Euang. cap. 10. attingens illud Ioannis 21. *Sic eũ volo manere, donec veniã*; ait verbis illis Christum Dominum [alto docuisse mysterio, istam ipsam Ioannis Euangelicam dispensationem, qua in lucem liquidissimam Verbi sublimiter fertur, vbi Trinitatis æqualitas & incommutabilitas videri potest, & qua maximè proprietate distat à cæteris homo cuius susceptione Verbum caro factum est, perspicuè cerni cognoscique non posse, nisi cum ipse Dominus venerit: ideò sic manebit donec veniat, manebit autem nunc in fide credentium, tunc autem facie ad faciem contemplandum erit, cum apparuerit vita nostra, & nos cum ipso apparuerimus in gloria.] En, proprietatem qua Christus homo, ab alijs hominibus maximè distat, (vtique in via vtrorumque,) statuit Augustinus, videre Deum. De alijs verò hominibus, subdit, ijs in hac vita non contingere, vt anima eorum [amoto atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium atque carnalium, serenissima incommutabilitate, veritatis luce potiatur, &c. Et si quando adiuta excedit hanc nebulam qua tegitur omnis terra: id est hanc carnalem caliginem, qua tegitur omnis vita terrena, tamquam rapida coruscatione perstringitur, & in suam infirmitatem redit, viuente desiderio quo rursus erigatur, nec sufficiente munditia qua figatur.] Itaque nemo purorum hominum in hac vita contuetur Deum; Christus autem quia purus homo non erat, iam ex hac vita, Deum humano suo intellectu, conspicabatur.

141. S. Fulgentius ad q. 3. Ferrandi, fusissimus est in ostendendo, animam Christi vidisse Deum; & quidem adeò plenè quàm Deus ipse se videt: ea tantùm distinctione interueniente, quod Deus est sua visio: at visio qua Christus Deum videt, ab eo differt. Nos nunc, hanc latepatentiam visionis qua Christi anima Deum videt non moramur, infra consideraturi, an D. Fulgentius admiserit animam Christi comprehendere Deum. Illud nunc tantùm attendimus, sine vlla dubitatione admitti à S. Fulgentio, animam Christi videre Deum, & vidisse iam ex hac vita: quod constabit, has ex eo plagulas inspiciendo. [Cauemus ne cum anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi vni Christo ex aliqua parte, non solùm Patris, sed etiam sui, & Spiritus sancti cognitio denegetur. Quam verò perdurum est, & à sanitate fidei penitùs alienum, vt dicamus, animam Christi, non plenam suæ Deitatis habere notitiam cum qua naturaliter vnam creditur habere personam. Quod si sic crediderimus, necesse est vt illa frustretur prædicatio Ioannis Baptistæ, qua Christo, singularem, ac sine mensura tribuit Spiritus largitatem, dicens: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.*] Hanc plenitudinem cognitionis sine mensura, collatam Christo esse ratione visionis beatificæ, multis astruit: idque factum cum in forma hominis esset; mox profitetur, & autoritate BB. Ambrosij & Augustini, confirmat. Rursúsque infertiùs, ex eo quod Christus non ad mensuram Spiritum acceperit, visam esse ab eius anima diuinitatem docet, ne aliquid minus scientiæ habeat, quàm Spiritus. Inféque: [Ac per hoc, non solùm ad diuinitatem Christi, sed ad eius quoque animam, illa perfectionis prærogatiua pertinet, quàm ipsi Christo Beatus assignat Apostolus, dicens: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit.* Si enim nõ ad mensuram accipit Spiritum sapientiæ, & scientiæ, necesse est, vt omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ habeat. Quod si ei aliquid eius plenitudinis demitur, consequens est, vt ad mensuram accepisse Spiritum prædicetur. Et quis est, cui non ad mensuram Deus Spiritum dederit, si eum ad mensuram Christus accepit? In quantum enim Spiritus datur, in tantum cognitio diuinitatis accipitur. Vbi autem Spiritus non est mensura, necesse est, vt planè sit diuinitatis immensa notitia. Tota enim plenitudo datur, vbi spiritus non ad mensuram datur. Non autem plenitudinem, sed *de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Vbi ostenditur, etiam in illa gratia speciei, quæ datur pro gratia fidei, nõ ipsam plenitudinem, sed de plenitudine eius nos esse accepturos gratiam pro gratia: & hoc ipso quod de plenitudine eius accepimus, nos esse implendos, in quantum per eius gratiam capaces erimus.] Idem paulò post. [Non existimo illi animæ, in aliquo plenam diuinitatis deesse notitiam, cuius vna est persona cum Verbo: quam sic sapientia suscepit; vt eadem sapientia ipsa sit, quæ rerum omnium in tantum facta est domina, vt cum ipsa diuinitate sua, vna sit in Trinitate persona; id est Christus crucifixus, quem Dei virtutem, Deique sapientiam, Paulus prædicat. Quod si anima Christi minorem habet in aliquo Deitatis suæ notitiam, non in se habet totam sapientiam totámque virtutem. Participinm ergo habet, non ipsa plenitudo est Christus, si partem habet notitiæ diuinitatis suæ. Nos autem participes Christi Apostolus asserit, dicens *participes enim Christi, effecti sumus.* Vode ipsi Christo dicitur: *vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis: præ participibus tuis.*] Hoc factũ esse ea non ad mensuram infusione Spiritus, qua Christi anima Deũ videre consecuta est, mox ostendit: addítque nisi ita sit, perperam fore Christo tribuendam *Altissimi* appellationem, qua in Scripturis potitur etiam in humanitate; quandoquidem eatenus exaltamur, quatenus anima nostra ad Dei cognitionem sustollitur: vt proinde necesse sit, Christi animam, quandoquidem Altissimus dicitur, ad claram Dei notitiam pertigisse iam ex hac vita, in cuius duratione legitur nominatus *Altissimus.* Hæc omnia obsignat hac clausula. [Sic humanam naturam Deus vnigenitus suscipere dignatus est, vt idem ipse sit Deus, qui homo est, & idem sit homo, qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo diuinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo, singulariter habet, vt Deus verus sit, sic totam diuinitatem suam singularis nouit.] Ex his omnibus perspicuum est S. Fulgentium, animæ Christi, etiam quando viator erat, concessisse visionem claram Dei, & scientiam beatam.

142. Alcuinus l. 2. de Trinit. c. 11. Fulgentij sententiam, ac ex parte etiam verba vsurpauit, & perspicuè censuit, animam Christi vidisse Deum iam ex hac vita. Clausulam solam capitis repræsento. [Restat itaque, vt anima Christi, Spiritum acceperit; quem tamen ad mensuram non accepit, quia totum accepit: Vbi enim mensura dicitur esse, plenitudo perfectionis, & perfectio plenitudinis inuenitur, per quam etiam, plenitudinem diuinæ cognitionis habere manifestum est. In quantum enim cuilibet Sanctorum datur, in tantùm cognitio diuinitatis accipitur ab eo. Non enim

æstiman

æstimandum est ; animæ Christi in aliquo plenam diuinitatis deesse notitiam, cuius vna est persona cum Verbo ; quam sic sapientia filius Dei susceperit, vt cum ipsa diuinitate sua, vna sit in Trinitate persona, id est Christus crucifixus, quem Dei virtutem Deique sapientiam, Paulus Apostolus prædicat.]

Richardus Victorinus l.2. de Emman. cap.22. post multa de plenitudine suauitatis quæ in Christi anima à momento conceptionis abundauit, vt idcircò Christus puer dictus sit butyrum & mel comedisse, subdit. [Cum in nobis corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem, erit vtique & nobis suaue quidquid salubre, & solum delectabile quod summè laudabile. Tunc dabitur nobis illius escæ plena, & sempiterna refectio, cuius assumptio, atque perfruitio erit absque omni labore, & qualicumque fatigatione. Quod igitur accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista, quod nobis dabitur in consummatione, illi datum est ab hora conceptionis suæ. Summæ itaque suauitatis butyrum, cuius participationem expectamus in nostra glorificatione, ipse accepit in ipso ingressu huius mortalis vitæ, nec nostro more ex parte, sed in omni plenitudine.] Rursus c.23. [Hæc mellea dulcedo, illi pro cibo, & pro potu fuit. De hac inebriatus fuit. Totus ille torrens voluptatis, eius visibus cessit ; & mirum quomodò homo vnus, imò puer paruulus, totum absorbere potuit. De hoc torrente & cæteri potantur, & satiantur, sed in patria, iste hoc ipso potus est, etiam in peregrinatione sua. De torrente ista bibit, propterea exultauit caput. Sed vt adhuc mireris amplius, iste de quo loquimur, paruulus qui nobis est datus mellea quidem, & supercœlesti dulcedine prius est cibatus quàm natus. Quando enim putas primùm cæpit Emanuel noster, butyrum & mel comedere ? Certè ex quo cæpit homo esse ; certè ab ipsa hora conceptionis suæ, repletus est totius dulcedinis, totius suauitatis plenitudinis.] Tandem cap.24. [Nos sanè primò illuminamur, vt iustificemur, iustificamur vt confirmemur, confirmamur vt beatificari meamur. Ille ex quo homo fuit, secundùm id quod homo fuit, plenitudinem æternæ beatitudinis accepit.]

Guericus Abbas serm.3. de Annunc. cum describeret Verbi ipsius beatitudinem qua pascitur de Verbo & viuit de seipso ; subdit : [Alia autem ratione, sed tamen ineffabili beatitudine, Verbo pascebatur anima illa, Verbo ipsi in personam coniuncta, & incomparabili felicitate, Princeps ille sedens in porta virginalis uteri, panem Verbi coram Domino comedebat.] Rursus serm.3. in Ramis palm. expendens illud, *operuit confusa faciem meam*, ait id esse intelligendum de facie corporis. [Nam facies mentis quæ semper & immobiliter habitabat cum vultu Dei, nec turbari potest, nec confundi.]

Probatio eiusdem veritatis, ex ratione.

143. In his Patrum testimonijs, insinuatæ sunt rationes quibus hæc veritas est confirmanda. Nempè quod Christo filio Dei naturali, debeatur hæc perfectio connaturaliter ; nec fuerit æquum, vt ea careret : cùm carentia tantæ perfectionis, nihil ad redemptionem nostram conferre potuerit, quæ causa fuit, cur gloria corporis, tametsi Christo connaturalis ; non sit ei collata. Nostra enim intererat, Christum vsque ad resurrectionem esse corpore passibilem, & reliquis glorię corporum dotibus destitutum ; vt & pati pro nobis posset, & exemplo prælucere ad sequenda vestigia eius. At vt anima non videret Deum, nequaquam interfuit nostra. Nec est quod quis existimet, inde sequi plenam Christi constitutionem in termino, atque adeò etiam exclusionem meritorum eius pro nobis. Hoc inquam inde non sequitur. Nam Christus ita fuit & in termino siue comprehensor, vt simul esset in via, possetque mereri. Status enim merendi, pendet ex diuina ordinatione ; ita vt quamuis congruum fuerit & valdè consentaneum naturæ personarum creatarum, vt ij merendi termini præfigerentur quos præfixos videmus, nempe quousque ad Deum videndum, progredimur, concluſi in hoc mortali carcere : Tamen potuerit Deus aliter definire merendi terminos, quos ex beneplacito suo præfixit creaturis rationalibus, nunc breuiores, vt videmus accidisse Angelis : nunc longiores, vt in hominibus cernitur. In quibus etiam est varietas, cum hominum aliqui necdum mortui aut videntes Deum, mereri tamen desierint : Enoch nimirum & Elias, vt Pererius in cap.4. Geneseos quæst.5. rectè affirmat, & concedit Vasques 1.2.d.1.16 c.4. Vnde autem hic meriti defectus in hominibus nondum vita functis, nec Deo plenè potientibus, nisi ex diuina ordinatione sic sanciente ? Similiter ergo in Christo, quamuis comprehensore, status merendi pro nobis, ex diuina ordinatione coniunctus fuit comprehensioni ac beatitudini animæ, cum qua in alijs cessat meritum.

Quæ porrò rationes, probant Christi animam vidisse Deum in hac vita, æquè confirmant vidisse Deum à primo conceptionis momento. Nimirum quia ab eo momento hæc perfectio fuit Christo debita, quandoquidem iam ex eo puncto temporis, anima Christi fuit Verbo vnita personaliter : & par fuit, vt vbi inhabitabat plenitudo diuinitatis, plenitudo quoque scientiæ, atque adeò etiam notitia diuinitatis inhabitantis locum haberet. Neque verò ostendi potest defectus meritorum in eo primo momento elicitorum, pro quibus scientia beata rependeretur animæ Christi. Nam vel Christi anima non accepit visionem Dei titulo meritorum, sed tantum titulo longè honorificentiore, nimirum filiationis naturalis, vt multi volunt : Vel si quod supra admisimus, fateamur gloriam animæ Christi fuisse ex meritis comparandam, tamen iam ex eo primo momento, anima Christi omnia habuit ad condignum gloriæ meritum necessaria : multo magis quàm Angeli, quibus valdè communis sententia condignum gloriæ meritum tribuit, iam ex primo momento quo sunt producti. Nonnullæ porrò Scripturæ, quæ ferunt Christum per mortem intrasse in gloriam suam, & quia occisus est accepisse gloriam & diuinitatem ; aliæque similes, exponendæ sunt de gloria corporis, aut de exaltatione nominis Christi super omne nomen. Quare nihil inde incommodatur veritati propositæ.

Vestiganda de vendicatis intellectui Christi perfectionibus, obiectum, actus, habitus.

144. Ex dictis habemus, quæ naturales & supernaturales perfectiones intellectui Christi Domini aduenerint. Nunc quales illæ & quantæ fuerint, est exquirendum : quod non potest melius præstari, quàm si earum obiectum, actum, & habitum, excutiamus. comprehendentes sub habitu, species impressas obiectorum vicarias, quippe quæ habent rationem actus primi respectu actuum ; sunt que eorum principia æquè ac habitus, sine presse sumpti & facilitantes, sine qui non dantur tantùm ad facilitandum, sed ad roborandum, simúlque supplendam improportionem naturalem potentiæ cum actu : vt habitus Theologici sunt actus primi respectu actionum expressarum æquè ac species impressæ, cum eo tantùm discrimine, quod habitus tenent se ex parte potentiæ, cuius segnem vim operatiuam vegetant, & promptam vel proportionatam reddunt, roborántque : species verò impressæ tenent se ex parte obiecti ; id est loco eius, vel absentis, vel ad determinandam potentiam inepti, potentiam complent, & ad eudendam talis naturæ operationem è pluribus ad quas potentia est indifferens, determinant

tamquam semina obiecti. Quia igitur omnis cognitio vt ex D. Augustino alibi fusius dixi, ex obiecto & potentia paritur; ipsum verò obiectum quod plerumque abest; vel si adsit, est improportionatum, concurrere per seipsum perrarò potest; aliquid loco sui subrogat, nempè speciem impressam: potentia autem quia imperfecta est, ac si actus sit supernaturalis est improportionata: iuuanda est aliquo virtutis auctario se tenente ex parte eius, quod in actibus naturalibus est qualitas merè facilitans; in supernaturalibus autem est qualitas roborans, & aptans potentiam ad connaturaliter operandum, & respectu actuum intellectualium vocatur lumen. Hi ergo vtrique actus primi, siue ex parte obiecti, siue ex parte potentiæ se teneant, passim generali nomine dicuntur *habitus*: eúntque in quauis scientiarum Christi enumeratarum, post obiectum, & actum, explicandi.

Obiectum scientiæ Christi, acquisitæ.

145. Et scientia quidem naturalis, quã Christo cõcessimus, vendicantes eam Christo. Ostendimus enim eam fuisse eiusdem rationis cum nostra, etiam quoad modum illam comparandi: vidimúsque non fuisse à Deo infusam, etiam per accidens. Ex quo sequitur, non esse in ea quærendam aliam veluti substantialem perfectionem, quam in nostra scientia humana, siue quoad eius obiecta, siue quoad actum, siue quoad principia: species inquam, & habitus. Magna igitur pars obiectorum huius scientiæ, à Christo æquè ac à nobis, abstractiuè dumtaxat percepta est, per hanc scientiam: nimirum substantiæ omnes, & accidentia quæcumque insensibilia, contra Suarem t. 1. 3. p. d. 30. sect. 1. Sed res videtur perspicua ex fundamento iacto. Non obiecta quæ à nobis connaturaliter atque adeò intuitiuè & euidenter sunt cognoscibilia, non sunt entia Spiritualia, eorúmve accidentia: hæc enim vt excedunt modum nostrum essendi corporeum, non possunt à nobis in hac vita percipi directè, ac per proprias species: sed tantum indirectè ex quibusdam materialibus, reptamus ad ea abstractiuè percipienda. Eadem quoque est ratio substantiarum materialium, & accidentium quorumvis insensibilium. Quia enim hæc obiecta non incurrunt in sensus, à quibus dum sumus in corpore, nostra omnis notitia clara & intuitiua hauritur; propterea non possunt hic à nobis percipi nisi per species adulterinas, atque adeò abstractiuè: quia corpori veluti cochleæ adhæresimus, & illius concretionem, nostris quibusvis intellectionibus se intermiscentem, quamdiu limosa hac catena (iuxta Nazianzenum,) constringimur, sustinere vel inuiti ac renitentes adigimur. Cum ergo Christus, moralitatis nostræ sordidum amictum suscipiens, dignatus sit se dimittere ad abiectiones nostras, quæ & à peccato & à peccati fruticibus alienæ essent, & statum beatitudinis animæ quo potiebatur non dedecerent; ideóque noluerit modum operandi, & originem notitiæ nobis connaturalem, tametsi imperfectum, respuere; vt quicquid in natura nostra plantauerat, reformaret: mirum esse non debet, si ad vilem illum prædicta obiecta cognoscendi modum, sese deiecerit, quantum quidem spectat ad hanc scientiam.

Eiusdem actus, & habitus.

146. Hinc insuper habetur, cuiusmodi fuerit actus huius scientiæ in Christo. Fuit enim eiusdem planè rationis, cuius est noster actus scientiæ. Nolo nunc excutere, an fuerit discursiuus, & an eguerit conuersione ad phantasmata. Quamuis enim hæc duo in nostra scientia naturali cernantur, tamen quia sunt defectus, & non perfectiones quas hic scrutamur, videndum infra erit tractando de defectibus ab intellectu Christi depellendis, an in Christi quoque naturali scientia, locum habuerint. Nunc ergo de perfectionibus actus huius scientiæ agendo, aio omnes planè perfectiones quæ in scientia nostra notari possunt, eximie fulsisse in hac Christi scientia: veritatem inquam, certitudinem, euidentiam quoad iudicium, & si quæ sunt aliæ scientiæ nostræ dotes ac prærogatiuæ.

Actus denique primi siue principia effectiua in humana Christi scientia, fuerunt eadem quæ in nostra; nempe species impressæ, & habitus. Et de speciebus quidem eodem modo philosophandum est, quo in nobis: ita scilicet, vt si species impressæ naturaliter in nobis cudantur per specialem facultatem antecedenter ad omnem actum intellectionis, idem quoque in Christo acciderit: aliter autem sit statuendum, si quod verius existimo, ad primas quasque intellectiones naturaliter elicitas, sufficit determinatio per Sympathicam à phantasia præoperante; species autem impressa, subsequitur, & inuritur per actum intellectionis tamquam eius vestigium, & semen quod ad eam recolendam deseruiat. Si enim hoc modo in nobis philosophemur de speciebus impressis ad scientiam naturalem interuenientibus, similiter de eis quoad Christum erit statuendum. Itaque non est quod hic moras nectamus in harum specierum quidditatiuè, & vniuersalitate, vel restrictione, aut causa effectrice exponenda: sed satis est generatim statuere, omnia quæ de speciebus impressis naturalem scientiam humanam principiantibus, à Philosophis traduntur, æquè in has species cadere. Quod similiter dico de habitibus, qui naturalem potentiam ad operandum expeditam præstant. In Christo enim parabantur per actus, & pro varijs naturaliter adiunctis difficultatibus, separatim separabilibus, erant varij, æquè ac in nobis. Quare nihil hic peculiariter de eis dicendum occurrit: vt neque de speciebus, vel habitibus deseruientibus ad gratias illas gratis datas, quas Christo per accidens infusas, agnouimus. Cum enim gratiæ illæ essent entitatiuè naturales, non eguerunt alijs principijs intrinsecis potentiæ intellectiuæ immissis, quàm naturalibus: quorum eadem est ratio, ac eorum quæ à nobis naturali modo parantur, etiamsi in Christo modus parandi diuersus fuerit.

Summa Perfectio eiusdem Christi scientia, concluditur.

147. Sic igitur se habuit perfectio substantialis, (vt sic dicam,) scientiæ Christi, naturalis. Possumus tamen notare in ea, eximias quasdam perfectiones accidentarias, quibus cæterorum hominum naturali scientiæ, longè fuerit præferenda. Permultùm enim ad eam conferre potuit, & reipsa contulit bonitas ingenij, quæ in Christo fuit insignis. Accessitque optimum corporeum temperamentum, & magna perfectio externorum omnium sensuum, ac etiam sensus interni, quæ omnia plurimùm conferunt ad naturalis scientiæ perfectionem. Vigebat insuper in Christo integritas naturæ, per subordinationem plenam appetitus inferioris ad superiorem; pérque potentiarum omnium optimam ad inuicem symmetriam, & administrationem: vnde existebat abactio cuiusvis inuoluntariæ distractionis, & ordinatissimum intellectiuæ facultatis exercitium, quæ supra modum faciunt ad perfectionem naturalis scientiæ. Nec desiderabatur singularis hac quoque in parte protectio diuina, Christi intellectui debita: non vt eueheretur supra naturalem humani intellectus conditionem & capacitatem; sed vt eximeretur à quibusdam extrinsecis defectibus, in quos facilè prolabimur inter cognoscendum; & comparantes vel exercentes naturalem scientiam. Finitas enim & imbecillitas intellectus nostri, secundùm solam naturalem facultatem spectati, tanta est; sensuum item quos habet pro internuncijs, & vnde omnem hic cognitio

gnitionem haurit, tanta plerumque est infidelitas, vt nisi intercederet diuina externa protectio, qualem hac in parte Adamo in statu innocentiæ affuisse, alibi tradiderit; non esset omnino denitaturus errorem, quisquis naturalem scientiam pararet aut exerceret, vt dicitur agendo de necessitate gratiæ ad veri cognitionem. Eam ergo protectionem affuisse Christo singularissimam, sicque perfectioni naturalis Christi scientiæ prolpectum exquisitissimè fuisse, dubitare non licet.

Transitum ad perfectionem scientiæ infusæ; obiectum eius naturale.

148. Pergo ad declarandam perfectionem scientiæ Christi infusæ penes tria illa capita in quibus perfectio scientiæ spectari potest, nempe obiectum, actum, & habitum. Et obiectum quidem huius scientiæ, vel est naturale, vel supernaturale. Rursus naturale, vel est materiale, vel spirituale: & vtrumque vel spectatur vt existens, vel vt possibile: & vel provt singulare ac in individuo, vel vniuersè ac generatim. Sicut etiam obiectum supernaturale, vel est creatum, vel increatum, non excluso Deo provt Trino.

Naturalia obiecta, siue materialia, siue spiritualia, quatenus existentia & singularia, huic Christi scientiæ obnetata esse, rectè asserit D. Thomas 3.p.q.9.art.1. malè refragante Scoto in 3.d.14.quæst.3. Consentaneum quippe fuit, communicari intellectui Christi scientiam essentialiter infusam. Hæc autem cum ab obiectis non haurirentur, sed à Deo communicetur, nec sit potior ratio cur de vno aliquo naturali obiecto existente sit data Christo, non de alio: fatendum est, dari esse de quibuslibet, etiam de illis ipsis quæ naturali Christi scientiæ obijciebantur, quia in sensus incurrerant. Nam circa ea quoque, versata est scientia Christi infusa, sed sub diuersa ratione cognoscendi: vnde existit ratio formalis, & motiuum diuersum, quantum necesse est ad specificam diuersitatem notitiæ acquisitæ & infusæ: quamuis entitas vtrobique terminans scientiam, & quicquid se tenet ex parte obiecti materialis, sit idem reipsa; ac proindè non sit entitatiue supernaturale. Nimirum eadem obiecti ratio terminatiua naturalis, adiuncta proportione illa quam obedientialiter habet cum lumine superiori, est idonea tanto specificatiua scientiæ supernaturalis, ac peculiare eius motiuum; Et quidem supernaturale, non entitatiuè, sed per essentialem habitudinem ad superius principium; qualem habitudinem non habet, cum obijciuntur merè naturali scientiæ. Quo item modo cogimur distinguere actiones intellectus & sensus, cum vterque idem obiectum attigit: v.g. cum sensus nigredinem percipit, & illam ipsam percipit quoque intellectus. Similitérque philosophamur de actibus sensus externi, & interni terminatis ad idem obiectum. Ex quibus exemplis colligitur, proportionem illam talium obiectorum inferiorum cum lumine & modo tendendi superiore, non esse aliquid intrinsecum obiectis inferioribus ab eorum entitate distinctum, ratione cuius exigant lumen superius, siue notitiam sublimiorem. Sed esse nudam eorum entitatem naturalem, quæ sublimi illi modo quem continet cognitio superior, attingi non potest per notitiam depressiorem: ita vt sola exigentia nobilium principiorum, & perfectionis qua obiecta illa per scientiam superiorem percipiuntur, teneat se ex parte notitiæ, non autem ex parte obiectorum nisi quatenus notitiæ subsunt.

Cognouit ergo Christus per scientiam infusam, obiecta quælibet naturalia existentia, etiam provt singularia. Nam notitia tantùm vniuersalis, est valdè imperfecta & confusa: vnde Christus non debuit ea sola donari, sed cognitione quoque singularium honestandus fuit, & quidem omnium. Cur enim aliquorum potiùs quàm cæterorum? Dedit sanè ei Pater omnia in manus, éstque Rex vniuersorum existentium in aliqua temporis differentia. Ne ergo orbem sibi subiectum ignoraret, æquè debuit omnia existentia, atque adeò omnia singularia, cognoscere per hanc scientiam. Et ita egregiè S. Cyrillus l. de S. Trinit. c. 22. verbis illis. [Quanquam Dominus naturam ignorantem assumpsit, diuinas tamen ei prærogatiuas & dotes impertiuit: Habebátque anima Domini omnem sapientiam, diuinam iuxta & humanam; omnem notitiam eorum quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt, non naturâ, non gratiâ, sed propter vnionem personalem cum eo qui solus est sapiens, & omnia etiam priùs quàm oriantur, ante sæcula nouit.] Neque verò singularia existentia, sunt infinita: ac proinde inferre non licet, pro huiusmodi obiectorum infinitate, necessarias fore Christo infinitas species. Quanquam etiamsi infinita essent, perperam item inferretur, specierum ad ea percipienda necessariarum infinitas. Nam species infusæ cum ab obiectis non desumantur, sunt vniuersales: ideóque multa similia obiecta, ac etiam infinita, per paucas, vel etiam vnicam speciem infusam, percipi possunt.

Etiam cordium secreta, & futura contingentia, eius ambitu comprehensa.

149. Ab his portò naturalibus obiectis scientiæ Christi infusæ, non eximo cogitationes cordium, & futura contingentia. Sunt enim entia merè naturalia in hominibus puris, interdum sub donum prophetiæ obscurum, interdum sub clarum, cadentia: in Christo autem spectantia ad scientiam infusam, quæ eadem est cum prophetia euidente, vt infra dicam: Obiectorum ergo prædictorum, tametsi entitatiuè naturalium, cognitio; negatur quidem puris quibuslibet creaturis, etiam Angelis: concedi tamen Christo debuit, quia ipse est Rex vniuersorum, & Dominus omnium, futurúsque est aliquando iudex cordium: vnde congruentissimum fuit, vt etiam quatenus viator, ea clarè in seipsis, æquè ac cætera naturalia obiecta contueretur, quæ in cordibus voluuntur; vt reipsa ab eo factum, constat ex tam crebris per eum secretorum humanorum detectionibus, descriptis per Euangelistas. Nec iniuriâ possumus ad Christum in quocunque statu, referre illa de eo iam reduino dicta à Theodoreto orat. de charitate, dum glossat verba S. Petri dicentis, Christo, *Domine, tu omnia nosti*, quæ sic exponit. [Is autem ipsum citauit ad suum in eum amorem testificandum. *Domine*, enim inquit, *tu scis quia amo te*. In animis enim hominum insides, & apertè scis motus cogitationis: nec te aliquid latet ex rebus humanis. Nosti enim omnia, & antiqua & extrema.]

Et ob idem in quæcunque aliquando existentia dominium, decuit omnino, vt futurorum quoque notitia ei communicaretur? vt reuera communicatam fuisse, & vt S. Gregorius 13. moral. cap. 21. philosophatur, probasse Christum, se *esse hominem cuius spiritus in naribus eius, quoniã excelsus reputatus est ipse*, liquet ex varijs futuris, quæ à Christo fuisse prædicta, memorant sacræ literæ. Et accedebat titulus quoque magisterij, Christo tantùm provt viatori competens; ratione cuius tituli, debebatur ei futurorum notitia: vt hoc etiam modo, tanquam diuino suffragio, doctrinam suam munire posset. Nihil enim adeò diuinitatis suffragium prodit, quàm diuinatio seu prænotio futurorum, à qua denominata non aliter est diuinitas, vt Lactantius notauit lib. 1. inst. c. 11. quàm ab homine humanitas. Sicque Christus veritatis se Magistrum prodidit. Petri peccatum & vrbis Hierosolimitanæ euersionem denunciando, tanto ante. Videbat autem Christus hæc futura, euidenter & intuitiue per scientiam infu-

sam, in existentia ipsorũ quandoque exercita & actuali, in qua etiam à Deo cognoscuntur. Et est quidem ea cognitio naturæ indebita ; quia per eam penetratur saltem abstractiuè secretum diuinum nondum laxatum : nempe quod Deus, hunc potiùs effectum, quàm alium ex similibus infinitis, producere determinauerit; statueritque non apponere, aut etiam impedire, obices multos qui naturaliter interuenire possent, & existentiam rei futuræ præpedire : quæ causa est, cur hæc notitia sit naturæ indebita & supernaturalis, non obstante entitatiua naturalitate motiui propositi. Ex motiuo enim entitatiuè naturali, progerminare posse notitiam supernaturalem, dubitari non debet, vt attigit Suarez lib.2. de gratia cap.11.n.30. & plenè Herice 1.p.tract. 1.d.38.cap.4.

Porrò interuentu similis motiui, communicata quoque est Christo notitia intuitiua quorundam futurorum conditionatorum : Quod docent quædam Christi prædictiones, de huiusmodi obiectis, Matth.11. & Lucæ 12. Quod enim ad ea loca garrit Caluinus, non nisi verisimilem & coniecturalem huiusmodi obiectorum prænotionem, qualis viro cuiuis eximiè prudenti concederetur, Christo obtigisse, alibi contritum est, & potenter à Stapletanio in antidotis ad prolatum Matthæi locum. Quoad hæc omnia obiecta scientiæ Christi infusæ realem existentiam aliquando habentia, eámve habitura si poneretur conditio, non occurrit difficultas aliqua, præter communes scientiæ increatæ de ijsdem obiectis, discussas abundè 1.p.

An etiam possibilia.

150. Maior hoc loco difficultas est, de naturalibus obiectis possibilibus. Nam obiecta possibilia singularia, sunt infinita ; & specificæ quoque naturæ possibiles, sunt infinitæ : ac proinde vel nulla possibilia obiecta naturalia Christo per hanc scientiam sunt obuersata ; (cur enim aliqua potiùs quàm alia ?) vel certè admittendum est obuersata esse planè infinita, tam quoad species, quàm quoad indiuidua : quod tamen non modo de facto verum non esse censent aliqui, sed etiam existimant esse impossibile : eo quod illa possibilium omnium distincta cognitio, quam scientia infusa conferret, lumen infinitum exigeret, & infinitas species impressas, vel vnam infinitè perfectam : Insuperque contineret comprehensionem diuinæ potentiæ, nulli intellectui creato possibilem.

Hæc tamen argumenta, non multùm vrgent. Supponunt enim infinitatem luminis aut specierum impressarum, esse impossibilem, quod non admitto, annuentibus passim recentioribus. Nego item ex cognitione omnium naturalium possibilium in seipsis, (de solis enim naturalibus obiectis nunc agimus,) sequi comprehensionem diuinæ potentiæ. Imò ne ex cognitione quidem omnium planè possibilium ; cùm naturalium, tum supernaturalium in seipsis ; & quod multo plus est, ne ex perceptione quidem eorundem, in Dei omnipotentia, admitto haberi omnipotentiæ comprehensionem, cùm possit deesse adæquatio intelligibilitatis diuinæ omnipotentiæ, sine qua adæquatione, non datur omnipotentiæ comprehensio, vt suo loco expositum est. Hæc dixerim, data gratis cognitione vna terminata ad omnia possibilia. Quamuis in Natur.Theol.d.7.num.115. monstratum sit, repugnare vt omnia possibilia terminent vnam cognitionem creatam : quia saltem ipsa cognitio, non poterit percipi per seipsam, sed ad minimum exigetur modificatio superaddita entitati cognitionis, eámque extendens ad perceptionem talis cognitionis. Repugnat autem sisti alicubi in perceptione huiusmodi modificationum extendentium ; quia quælibet est ens, & intelligibilis, atque adeò capax nouæ modificationis extendentis ; superadditæ fundo (vt sic dicam,) notitiæ : quare nusquam hærere licebit, ac dicere, omnia possibilia esse percepta per vnam illam cognitionem, quotcumque de facto acceperit modificationes extendentes. Quoad alias tamen res possibiles, à cognitione & cognitionis cognitionibus distinctas, ratio non vrget : ac proinde si alia argumenta non proferantur, non euincetur negandum esse, Christum omnia prorsus possibilia cognouisse ; siue dicatur vna notitia, siue pluribus ea attigisse.

151. Mihi sanè non occurrit efficax argumentum, quo probetur impossibile fuisse, conferri Christo notitiam vnam vel multiplicem, omnium possibilium naturalium, cùm indiuiduorum, tum specierum. Nec desunt qui ea omnia obiecta, de facto à Christo fuisse percepta, dicant : imo neque video repugnantiam apertam ob quam non potuerit communicari Christo notitia vna vel multiplex omnium planè possibilium, & naturalium & supernaturalium. Addo tamen, de facto Christi intellectum, ad omnia naturalia obiecta possibilia, atque adeo ad omnia planè possibilia obiecta, non fuisse porrectum. Dimissis autem nunc supernaturalibus obiectis, nego de naturalibus. Neque enim id tulit dignitas Christi ac munus, contra quàm dicere adigimur de quibusvis aliquando habentibus existentiam : quia cum Pater Christo subiecerit omnia, (vtique subijci capacia, atque adeo existentia ;) omnino debuerunt à Christo cognosci : ne bona & sua & orbem sibi subiectum ignoraret, eique accideret, quod malis diuitibus sæpè exprobrat S.Chrysostomus; vt scilicet nesciant quam latè pateant facultates quels potiuntur, præ earum numerositate & vastitate. Pro obiectis verò merè possibilibus, ea ratio non vrget: quia possibilia non fuerunt Christo subiecta, nec pertinuerunt ad illorum vniuersorum multitudinem, cuius Christus, Rex & hæres à Deo est constitutus. Cum itaque nihil habeam quo adigar ad affirmandum talem obiectorum vastitatem infusæ Christi scientiæ objici de facto, mihi videor rationabiliter asserere, Christum per hanc scientiam omnia illa obiecta non cognouisse, etiamsi fatear, eum aliqua indiuidua possibilia, & aliquas item species possibiles, iuxta regulas diuinæ sapientiæ & libertatis percepisse, quantum necesse erat ad illam diuinæ potentiæ perceptionem, qua Christus consentaneè ad dignitatem suam, per scientiam infusam ornandus erat.

Obiectum supernaturale eiusdem scientiæ, quatenus Deus vnus.

152. Transeo ad supernaturalia obiecta scientiæ infusæ Christi, inter quæ certum est non contineri Deum, siue provt vnum, siue provt trinum, vt in se est consideratum. Sic enim Deus est obiectum scientiæ beatæ, quæ superior est cognitione hac infusa in qua versamur. Ratum tamen esse debet, Deum provt vnum, quoad an est, & quoad pleraque cognoscibilia de attributis diuinis, abstractiuè objici huic scientiæ : abstractiuè inquam, quoad apprehensionem terminorum, quæ fit per species extraneas ; euidenter autem quoad nexum & assensum. Qua ratione Theologus naturalis, abstractiuè (quia per species rerum creatarum,) & tamen euidenter quoad nexum, multa percipit & demonstrat de Deo vno. Multo ergo perfectiùs illa ipsa & alia potuerunt à Christo euidenter cognosci per scientiam infusam. Quo pertinere potest, quod præclarè dictum est à S.Maximo centur.2.ex variis cap.29. vbi de Christi scientia diuinorum, collata ad nostram, ex Scripturis, vel per ea quæ facta sunt comparatam, sic philosophatur. [Puteus Iacob est scriptura: Aqua verò, est scientia Scripturæ : profunditas autem, obscurè dictorum Scripturæ, interpretatu difficilis

stilis positio. At si tuta, est quæ per literas diuini Verbi habetur disciplina: quam Dominus non habebat, cum sit per se Verbum, qui præbet credentibus, non eam quæ discendo & exercitatione comparatur, scientiam; sed confert dignis, è Spiritali gratia perpetuò fluentem & quæ numquam desinit, sapientiam. Nam si tuta, hoc est disciplina cum partem aliquantulam scientiæ fuerit adepta, reliquum omne prætermittit, vtpote quod nullo sermone comprehendatur. Scientia verò quæ datur per gratiam, vniuersam continet, (ac citra exercitationem,) quæ hominibus obuenire possit, sapientiam, pro necessitatibus variè scaturientem.] Non negat his verbis S. Maximus, fuisse in Christo scientiam acquisitam; sed celebrat infusam, præ qua vix apparet quæ tantùm est acquisita; cum & multo tenuius penetret obiectum, & multo obscurius ac imperfectius illud attingat.

De Deo Trino, qui id negarint.

153. An verò Deus prout Trinus, obijciatur scientiæ infusæ Christi, controuersia est. Negat Valq. 3 p. d. 53. cap. 1. contendens esse sententiam D. Thomæ 3. p. q. 11. artic. 1. vbi cum dixisset, Christum per scientiam infusam cognouisse ea quæ pertinent ad dona sapientiæ & prophetiæ; subiungit. [Ipsam tamen Dei essentiam, per hanc scientiam non cognouit, sed (olim per primam:] Nempe per scientiam beatam, quam primo loco proposuerat in particulari, & explicauerat 910. Quæ verba, ipsis Solis radijs pro contraria sententia scripta existimans Vasques exclamat; quid obscurius, pro opposita sententia dicere potuit? Neque enim potuit Trinitas cognosci, nisi essentia Dei cognosceretur. Accedit ratio, quia si Christus per scientiam infusam cognouisset mysterium Trinitatis, ea cognitio fuisset euidens, vt fert nomen ipsum *scientiæ*: & paret etiam ex fidei & notitiæ cuiusuis obscuræ exclusione à Christo. Non potuit autem ea cognitio, esse vel per se, vel per aliud, euidens. Nam si fuisset per se euidens ex proprio Trinitatis conceptu, non discrepasset à scientia beata, quod est contra suppositionem. Nec potuit esse per se euidens, ex Trinitatis conceptu extraneo: homini enim Deum sicuti est non inuenti, nequit esse per se notum, Deum esse trinum. Igitur si cognitio Trinitatis per scientiam infusam fuit Christo euidens, debuit esse euidens per aliud. Hoc verò nec potuit esse testimonium Dei, quia sic Christus habuisset fidem; & inutiliter motus fuisset testificatione ad præstandum assensum obiecto quod illi clarum erat per visionem: nec etiam potuit esse effectus vllus Trinitatis, quia nullus est effectus Augustissimæ Trinitatis proprius, ex quo illa possit euidenter cognosci. Tandem neque potuit esset effectus vllus cum Trinitate connexus; v.g. species expressa repræsentans beato, Trinitatem: hoc quippe medium, est extrinsecum: & adeò debilem assensum format, vt nulla ad eum consequatur euidentia rei in se, in intellectu clarè vidente Trinitatem per alium actum; vt sanè Christus eam clarè contuebatur per visionem beatificam. Quod si quis contendat, ex tali medio gigni notitiam euidentem Trinitatis, concedere etiam debebit, inde notitiam Dei claram, atque adeò etiam non scientiam infusam, sed beatam procreari.

Conceditur.

154. Verùm sententia quæ scientiæ Christi infusæ obuersatam ait Trinitatem, est longè communissima: eorum videlicet omnium, qui admittunt dari posse diuinius notitiam euidentem Trinitatis, extra visionem beatificam. Si enim ea notitia dari potest, nemo dubitat, quin sit scientiæ Christi infusæ portio. Esse autem possibilem, quod suo loco probandum est, tradunt permulti quos sequitur & latè refert Salas 1. 2. tract. 2. disp. 6. s. 7. sequunturque insuper Aluarez 3. p. d. 62. Becanus ibid. cap. 9. q. 3. num. 10. Ragusa disp. 94. Mendoza quodl. 3. Scholast. à num. 13. Didacus Ruis disp. 42. de Trinit. sect. 3. Manifestè verò euincitur ea possibilitas, ex eo quod dari possint obiecta quædam creata, dicentia essentialem ordinem ad personas SS. Trinitatis; non quidem in ratione effectuum ipsius Trinitatis, qui nulli esse possunt; sed alia quapiam ratione. Sic enim si aliquis perciperet visionem alicuius beati, vel speciem impressam aptam ad talis visionis expressionem; non est dubium quin eius cognitio esset futura abstractiua, respectu diuinæ essentiæ, ac personarum: quia esset per medium ignobilius, & inferioris rationis; in quo displicet Ragusa 3. p. d. 92. qui eam notitiam ait fore claram Dei visionem: & tamen intuitiuè percepta tali specie vel impressa vel expressa, impossibile esset Trinitatem non percipi euidenter, quoad an est; etiamsi per alienas species, atque adeò abstractiuè non intuitiuè. Sicut Angelus qui alicuius creaturæ essentiam intuetur; euidenter quoque, & vt scriptura loquitur, *cognoscibiliter* attingit quod Deus sit, licet inde non percipiat euidenter, quid sit Deus.

In quo argumento eludendo, frustra mihi videntur laborare nonnulli. Nam Vasques 1. p. d. 135. cap. 4. respondet quamuis relatio creaturæ ad creatorem cognosci intuitiuè possit non cognito intuitiuè termino talis notitiæ, qui est Deus; tamen relationem notitiæ intuitiuæ, ad obiectum visum, non posse cognosci, nisi obiectum propriè & intuitiuè concipiatur: eo quod nemo discernere possit, an hæc notitia sit talis obiecti propria, eiúsque intuitiua, nisi propria & intuitiua notione feratur in huiusmodi obiectum, & cum eo conferat intuitiuam alterius de eo notitiam. Hæc tamen responsio non est idonea. Cur enim poterit cognosci relatio creaturæ ad creatorem non viso creatore, & non poterit cognosci relatio notitiæ ad obiectum, non viso obiecto? Non enim plus intrinsecus est nexus notitiæ cum obiecto, quàm creaturæ cum creatore. Sed videtur profectò aduersarius, imaginari cognitionem intuitiuam continere similitudinem formalem expressam, ac veluti picturam, obiecti quod per eam exhibetur: quam esse inanem imaginationem, monstratum est suo loco.

155. Reijcienda item est responsio, qua Suarez t. 1. 3. p. d. 27. s. 5. putat se hoc argumentum infringere, dicendo, visionem beatam per se primò terminari ad Deum, vt sic; & consequenter ad personas: & ita cognita ipsa visione, solùm cognosci, illam esse visionem Dei in se: absque eo tamen, quod modus quo Deus in seipso est; videatur: siue absque eo quod, Deus cognoscatur trinus. Verùm, erit inprimis qui contendat, visionem claram Dei, æquè primò ferri in personas, ac in essentiam: quia ea visio, tendit directè & per se primò, in totum illud quod Deo inest. Deinde etiamsi personæ videantur consequenter, tamen necesse est eas videri ab eo qui Deum videt, quia essentialiter inuoluuntur in termino visionis claræ Dei. Igitur tam impossibile, est visionem intuitiuè percipi non perceptis personis, quàm impossibile est, eam percipi non percepta essentia Dei: quandoquidem ordo ad vtrumque illum terminum, est essentialis notitiæ intuitiuæ visionis; & vterque percipitur eodem modo; hoc est euidenter quoad an est, etiamsi non nisi abstractiuè, & per alienas species cognoscatur. Quare exemplum propositum, videtur efficaciter monstrare, possibilem esse Trinitatis notitiam euidentem abstractiuam. Estque huic exemplo affine, exemplum actus fidei de Trinitate, ex quo intuitiuè perspecto, euidenter agnosceretur existere in Deo Trinitatem.

Nec minus validè idem inferre licet ex alio exemplo, nempè vnionis hypostaticæ vnius vel triplicis, terminatæ ad tres personas diuinas. Qui enim eam vnionem intuitiuè perceperit, non poterit non attingere euidenter quoad an est, dari personas illas, quarum ea vnio est essentialiter nexus actualis. Respondet Suares loco proximè citato, hoc exemplum non esse efficax; quia licet vnio hypostatica ad vnam personam terminata v.g. ad Verbum, terminetur ad solam personam Verbi; tamen quantum est ex ratione sua, solùm requirit terminum qui sit subsistentia incommunicabilis. Vnde intuitio vnionis, non potest ingenerare nisi confusam notitiam subsistentiæ diuinæ, etiamsi non constet cuiusmodi sit; nempè an respectiua, an absoluta. Sed hinc non infringi argumentum, ex eo patet, quod nulla est in Deo subsistentia absoluta quæ possit substantialiter complere ac terminare incommunicabiliter naturam creatam: vnde perspecta intimè vnione, planè attingeretur diuina triplex subsistentia incommunicabilis, etiam determinatè quoad an est: quia vnio, est eius respectiua essentialiter. Æquè inualidè Vasques illo 4. num. 11. respondet, visa vnione vna aut triplici ad tres personas augustissimæ Trinitatis terminata, duntaxat perceptum iri naturam creatam, cum eo modo vniri alicui personæ diuinæ: non tamen necesse esse, cognosci an vna illa vel multiplex vnio, diuersas personas respiciat. Verùm quomodò non est necesse id cognosci, cum vnio vna vel multiplex, quæ intuitiuè attingitur, supponatur esse essentialiter respectiua plurium personarum? Itaque exempla proposita videntur efficaciter concludere, posse diuinitùs communicari viatori notitiam trium augustissimæ Triadis personarū euidentem quoad an est. Non quod velim, eam euidentiam esse per propriam speciem: sed quod Trinitas quidem personarum euidenter cognoscatur esse, at per conceptus alienos; sicut Deus, quoad an est, cognoscitur euidenter, penetrato intimè effectu aliquo creato: neque tamen cognoscitur per motionem propriam, quæ sola Dei visione intuitiua confertur.

Sic supposita possibilitate notitiæ euidentis, alterius à visione, terminatæ ad Trinitatem; censeo constare debere, talem notitiam infusam, fuisse de facto concessam Christo: quia Christus tanquam Doctor noster, atque adeò tanquam viator, sæpè locutus est de personis Sanctissimæ Trinitatis; & sæpè etiam orauit Patrem, prælucente profectò, & locutionem ac orationem illam dirigente, aliqua supernaturali notitia: quam immeritò quis arbitraretur esse visionem beatam, cum hæc non debuerit vsurpari ad ministeria & ad functiones Christi, quatenus viatoris. Cum igitur in Christo viatore non fuerit alia notitia supernaturalis præter scientiam infusam; (fides enim locum in eo non habuit;) fatendum est, Christum per scientiam infusam, atque adeò euidenter, agnouisse Trinitatem quoad an est.

Ad firmamenta contrariæ sententiæ.

156. Quæ verò Vasques in contrarium proposuit, dissoluuntur nullo negotio. Ac primùm falsò asserit, D. Thomam negasse Christo hanc scientiam, quia dixit essentiam Dei non cognosci per scientiam infusam. Hoc enim D. Thomas intelligit de cognitione quidditatiua, qualem non tribuimus Christo, occasione Trinitatis perceptæ per infusam scientiam. Sicut qui tribuit Angelo cognitionem Dei euidentem quoad an est, ex eo quod videat intuitiuè creaturam; non tribuit Angelo visionem diuinæ essentiæ, sed tantùm scientiam abstractiuam. Itaque euanescit omnis illa claritas, quam aduersarius in proposito S. Thomæ testimonio, verbis amplissimis ostentabat. Æquè facilè conuelli possunt eius rationes. Admittimus enim illam Trinitatis notitiam euidentem infusam, à visione distinctam, non fuisse obiecti ex se noti. Nam ex nuda specierum Trinitatem repræsentantium expressione, non potuisset Trinitas innotescere euidenter abstractiuè; quia nulla supperetet ratio assentiendi euidenter, obiecto nequaquam ex terminis noto.

Quare haud dubiè Trinitas, vi scientiæ huius, innotescebat Christo per aliud, nimirum per testimonium Dei, à quo Christus euidenter noscebat se moueri, ad iudicandum esse in Deo Trinitatem: ex eáque motione clarè penetrata, Christus euidenter cognoscebat, obiectum ad quod per eam mouebatur; esse verum; idque ex testimonij Dei claritate, persuadebatur; assensu, qui quod non niteretur præcisè diuina auctoritate, sed euidentia motionis à Deo profectæ, differebat à fide, erátque scientiæ. Sicut assensus quod Roma sit, ob euidenter notam multorum alioqui fallacium consensionem, non est fidei, sed scientiæ. Secundò potuit innotescere Christo Trinitas, per aliquos ex propositis effectibus supernaturalibus, qui quamuis essent media extrinseca; tamen ob connexionem eis intercedentem cum Trinitate, deducebant necessariò in notitiam eius abstractiuam euidentem; non absolutè & quidditatiuè, quo pacto esset scientia beata, sed tantùm quoad an est: eáque notitia, tametsi tenuiter euidens præ beata, non erat cum ea incompossibilis, vt notum est ex ijs quæ de scientiæ, ac fidei, & aliorum actuum compossibilitate traduntur secunda secundæ; sed neque ea posita visione erat inutilis, cum non modò intellectum magis extensiuè determinaret, (vt dicitur de actu opinando non trepidante, iuncto actui scientiæ;) sed etiam opportuna esset Christo viatori, ad orandum & merendum pro nobis: quem ad ea munera vsurpare scientiam beatam, par non fuit, vt supra monuimus.

Alia supernaturalia obiecta, scientiæ Christi per se infusæ.

157. Habemus ergo quomodò Deus, & quâ vnus, & quâ Trinus, pertineat ad scientiæ infusæ obiectum. Eodem autem pertinere creata omnia gratiæ mysteria, & entia quæcunque supernaturalia creata, non videtur dubitandum. Nam mysteriorum quidem, Christus non modò pars magna, sed tota ferè materia fuit. Entium autem supernaturalium, aut causa meritoria, vt gratiæ sanctificantis & auxiliorum gratiæ, ac visionis beatificæ putis creaturis obuenientium; aut causa subiectiua, siue ratione totius suæ substantiæ, vt modi essendi quem habet Christi humanitas in Eucharistia; siue ratione alicuius suæ partis, vt vnionis hypostaticæ animam vel corpus Christi afficientis. Has omnes supernaturales formas, & omnia gratiæ mysteria, Christo euidenter innotuisse per scientiam infusam, ea mihi ratio abundè persuadet, quod par fuit Christum horum omnium quæ aut in se habebat, aut perficiebat, vel efficiebat, conscium esse per notitiam viatori congruam: quandoquidem illa omnia attinebant ad eum, vt viatorem. Et verò nihil est quod cogat diffiteri, hæc obiecta fuisse per scientiam infusam viatori conuenientem perceptibilia: & quidem non modò euidenter quoad nexum, per iudicium aliquod abstractiuè de eis formandum; sed etiam per propriam speciem, & euidentem ac claram eorum notionem. Quod non restringo ad entia illa supernaturalia, quæ non inuoluunt aliquid diuinum, sed omnia planè volo perspici per hanc scientiam.

Itaque gratia sanctificans, quæ est creata participatio diuinitatis, vnio hypostatica quæ terminatur ad Verbum diuinum, visio beatifica quæ respicit essentialiter Deum sicuti est, & si quæ sunt alia quæ inuoluant nexum vel habitudinem ad aliquid increatum, omnia æquè obijciuntur huic Christi scientiæ, quod

rectè concedit Suarez t.1.3.p.d.27.ſ.3.malè reclamantibus, Vaſque 3.p.d.53.c.1.& 1.p.d.135. Aluare 3.p.d.61.Raguſa 3.p.d.92.Neque enim verũ eſt,clarè ac intuitiuè percepto ob iecto alterius entis reſpectiuo, debere quoque intuitiuè percipi terminũ illum, quod tamen eſt his autoribus vnicum fundamentum, negandi huic Chriſti ſcientiæ, intuitiuam notitiam formatum ſupernaturalium inuoluentium aliquid diuinum. At nobis hoc fundamentum ſufficienter videtur vno illo exemplo diſſoci, quod ſæpè in ſuperioribus tetigimus: nempe creaturæ quam Angelus vi ſua naturali quidditatiuè intuetur, cum habitudine eſſentiali quam ad Deum habet:neque tamen idcirco quidditatiuè Deum videt, eadem vi ſua natiua non eleuata. Similiter ergo non eſt neceſſe, quiſquis vnionis hypoſtaticæ modum intuitiuè conſpicit, intueri quoque perſonam Verbi; vel eum qui intuetur gratiam ſanctificantem quæ eſt diuinæ eſſentiæ participatio,videre eſſentiam diuinam: quia cum medium eſt inferioris rationis, non ingenerat notitiam quidditatiuam terminiad cuius notitiam, ob eſſentialem cum eo nexum, deducit.

Eiuſdem ſcientiæ actus, an perpetuus, & ad quàm varia protenſus, vnus, aut multiplex.

158. A ſcientiæ infuſæ obiecto, pergo ad actum eius, de quo infra ſuo loco, agendo de defectibus ab intellectu Chriſti remouendis, quærendum eſt, ſitne cum diſcurſu, ac conuerſione ad phantaſmata. Nunc hæc quæri de eo poſſe video. Primò, ſitne ſimplex, an compoſitus. Secundò an eius exercitium ſit perpetuum. Tertiò quoad quot obiecta, poſſit ſimul & ſemel exeri. Compoſitionem porrò huius actus, de qua primo loco quæritur, admitto eſſe interdum aliquam, contra Vaſquem 3.p.d.52.n.18. Exiſtimo ergo actum ſcientiæ infuſæ, non ſemper refugere ſtructuram & compactionem aliquam: ſed quoſdam actus huius ſcientiæ, poſſe eſſe enunciatiuos, quoſdam ſimplices contuitiones? Et quoſdam poſſe eſſe adæquatos obiecto, & atringentes quicquid ad illud ſpectat, quoſdam verò inadæquatos. Obiectum autem æquiualentium in varios conceptus obiectiuos, poteſt per conceptum quemdam tertium,colligari: vnde exiſtit compoſitio atque compactio mentalis, cum notitia euidenti compoſſibilis,quia compoſitio illa non affingitur obiecto, ſed tota ſe tenet ex parte notitiæ, & modi cognoſcendi: etiamſi iſtud non poteſt de ſcientia beata aſſeri,quia eſt rei ſicuti eſt, atque adeò debet eſſe obiecto adæquata.

An verò vſus actuum ſcientiæ infuſæ ſit perpetuus, & circa quot obiecta poſſit ſimul exeri, de quo deinòs quærebatur, variij variè tradunt. Mihi breuiter ſtatuendum videtur, exercitium ſcientiæ infuſæ, fuiſſe Chriſto perpetuum, quoad aliquem actum huius ſcientiæ. Nam Chriſtus numquam omnino, ac ne dormiens quidem ceſſauit à merito, cui in Chriſto hæc ſcientia neceſſariò præibat, ob defectum fidei. Longè verò excellentius eſt,eſſe ſemper in actu ſecũdo,quam in ſolo primo, qui imperfectus eſt, & ad ſecundum tendit. Itaque ſicut Angeli, quia non grauantur ſarcina corporis, ſunt perpetuò in vſu aliquo ſcientiæ ſuæ naturalis; quod item de nobis in vigilia verum eſt: ſic Chriſtus quia in vſu ſcientiæ infuſæ non pendebat à corpore, rectè aſſeritur eam perpetuò exercuiſſe, cum id ſit longè optabilius ac decentius, quando ita licet per ſtatum perſonæ. Exercebat tamen eam cum ſucceſſione, & variabilitate quoad obiecta: id eſt nunc vnum obiectum,mox aliud attingendo,vt rectè ſtatuit D.Thomas 3.p.q.11.art.5. quia nihil eſt quod eripiat libertatem,admittẽdi in huius ſcientiæ vſu,variabilitatem prædictam: ſicut eſt quod eam libertatem recipiat in vſu ſcientiæ beatæ. Quare Chriſtus non hærebat perpetuò defixus in vno quopiam huius ſcientiæ obiecto, ſed ab vno tranſiliebat ad aliud. Nec eſt improbabile, Chriſtum aliquando exercuiſſe actum aliquem cuiuſlibet ſpeciei impreſſæ ad hanc ſcientiam pertinentis, & omne obiectum cuius per eam percipiendi principia haberet, aliquando attigiſſe.

159. Hoc tamen ſimul præſtare, & omnia omninò huius ſcientiæ obiecta quæ ſupra recenſuimus, ſimul percipere per hanc ſcientiam nequiuit: ſiue vno actu, quod malè admiſit Marſilius in 3.quæſtion.10. articul. 2. ſine pluribus ſimul actibus. Nam quod attinet ad vnicum actum in tam vaſtam ſimul multitudinem obiectorum diffuſum, etiamſi gratis ſupponamus quod is de potentia abſoluta non repugnet; tamen perſpicuum videtur, eum excedere vires intellectus creati, etiamſi lumine & ſpeciebus infuſis inſtructi. Idem dico de attingentia eorundem omnium huius ſcientiæ obiectorum, per plures ſimul actus eius, contra Caterum 3.p.q.11. art.6. diſp. vnica. Nimia enim eſt vaſtitas obiectorum ſub hanc ſcientiam cadentium. Vnde cum vis operatiua animæ Chriſti, limitata ſit & finita,non potuit vi ſua connaturali,& excluſo miraculo extraordinario, erumpere ſimul in omnes huius ſcientiæ actus, quibus obiecta eius omnia eſſent percipienda. Sunt enim infiniti, & diuerſarum omnino rationum, planéque deposcerent attentionem infinitam,quæ vim connaturalem animæ Chriſti tranſcendere, perſpicuè videtur.

Eſto verò potuerit Chriſtus per ſcientiam infuſam infinita indiuidua determinati alicuius generis ſimul attingere, quod Vaſquez 3.p.d.53.num.12.affirmat de omnibus futuris in infinitum: putat enim ea ſimul à Chriſto per hanc ſcientiam fuiſſe percepta: quod item Moncæus diſp.2.Selecta cap.12.*ſub finem*, affirmat de omnibus quæ cum ab hominibus, tum ab Angelis, geſta aut gerenda ſunt per totam æternitatem. Quamquam ratio qua id vterque confirmat,imbecilla eſt. Putant enim niſi id admittamus, inuehendã eſſe in Chriſtum ignorantiam,& verum in ſcientia profectum. Sed labuntur. Nam dummodò ſalua ſit Chriſto ſcientia habitualis omnium illorum obiectorum, indita ab initio; nihil erit quod animæ Chriſti timeamus ab ignorantia, & profectu vero quoad ſapientiam. Et idcirco Fõſeca 2.Metaph. c.2.q.2.ſ.4. negat Chriſtum per ſcientiam infuſam infinita percepiſſe actualiter, quamuis habitualis eius ſcientia pertinuerit ad infinita. Demus tamen ſcientiæ infuſæ Chriſti, vt ad infinita eiuſdem rationis obiecta, portigi ſimul potuerit; eo quod id non videatur excedere virtutem luminis ſuperioris quo hæc ſcientia inſtruitur. Sed vt hæc ſcientia, circa infinita infinitarum rationum obiecta, ſimul exeri potuerit; non videtur cohærere cum limitatione virtutis intellectiuæ creatæ, connaturaliter operantis per lumen infuſum. Iuuerit in hanc rem recolere, quæ in ſimili circa intelligentias dubitatione, tradidimus in Natur.Theol. diſt.4. à n.170. Ferè enim ſe habet Chriſtus, ad omnia æmul obiecta ſcientiæ infuſæ,ſicut Angelus ad totum obiectum ſibi connaturale, quantum quidem attinet,ad vim ſimul illud percipiendi.

De Actu primo eiuſdem Chriſti ſcientiæ, quoad ſpecies.

160. Reliquus eſt habitus ſcientiæ Chriſti infuſæ. Quo nomine, iam ſupra dixi, comprehendere me, & ſpecies impreſſas interuenientes ex parte obiecti, & lumen roborans potentiam,ſéque tenens ex parte eius. Nam principium ſupernaturale tenens ſe ex parte potentiæ, quod in alijs facultatibus dicitur *habitus*; in intellectu vocatur *lumen*. Et ſpecies quidem cum principient notitiam minùs perfectam, ac proinde etiam minùs ſimplicem quàm ſcientiam beatam,cui vnica emi-

nentialis species deseruit ; fatendum est, plures numero impressas esse. Esto, potuerit per potentiam Dei absolutam vnica produci : quod videtur concedendum, reiecto Marsilio, vnicam de facto admittente speciem impressam, pro toto ambitu obiectorum huius scientiæ. Non tamen totidem numero species impressas agnoscere pro hac scientia adigimur, quot pro scientia acquisita, quæ pendet ab obiectis : & idcirco pro eorum diuersitate ; accipit diuersas species. At scientiæ infusæ species, immediatè conferuntur à Deo; cui facile est indere species vniuersales, quæ paucæ numero exæquent vi representatiua benè multas à variis obiectis deriuatas. Nec est inuersimile, quod graues Theologi prodiderunt ; has scilicet species scientiæ Christi infusæ deseruientes, vniuersaliores fuisse speciebus quibuscunque Angelicis ; siue naturaliter debitis, siue supernaturaliter concessis. Sicut enim erant perfectiones intellectus, euehendi ad sublimiorem notitiam quàm sit notitia quælibet Angelorum ; ita par fuit species illas superare Angelicas vniuersalitate, quantum per obiecta representanda licuit.

Quia verò scientia infusa Christi, porrigitur & ad obiecta naturalia, & ad supernaturalia ; controuersia fuit apud aliquos, cuiusmodi essent species impressæ ad hanc Christi scientiam requisitæ. Nimirum an pro obiectis naturalibus, essent naturales : pro solis autem supernaturalibus obiectis, essent supernaturales : vel certè an vtræque essent supernaturales, aut vtræque naturales : quod postremum non debet mirum videri, cum etiam in fide ; species impressæ deseruientes actibus de obiecto supernaturali, attingendo per supernaturalem habitum fidei, sint naturales. Amplector sententiam quæ quascunque Christi species de obiectis naturalibus, etiamsi deseruientes scientiæ infusæ, statuit esse naturales secundùm substantiam, nec nisi supernaturales quoad modum : qua ratione, species quæ animæ separatæ infunduntur de obiectis naturalibus, naturales sunt, tametsi spectato modo, quo animæ non per sensus, atque adeò præter naturalem modum communicantur, fiat supernaturales. Quæ verò species supernaturalibus obiectis scientiæ Christi infusæ representandis deseruiunt, supernaturales secundùm substantiam sunt habendæ. Et vtriusque partis ratio est, quia essentialis constitutio specierum impressarum cuicunque scientiæ deseruientium, petenda est ex obiectis representatis : cum totum munus specierum penes quod constituitur in tali specie, sit representare hæc obiecta. Igitur obiectis naturalibus debentur species naturales ; supernaturalibus verò, supernaturales.

161. Non me latet noua quorundam philosophandi ratio, & de speciebus, & de aliis actibus primis, & secundis. Antiquam enim actus & habitus specificandi rationem, penes motiuum siue obiectum formale, non admittunt, saltem vniuersaliter : vnde & actus naturales, circa obiecta formaliter supernaturalia ; & supernaturales, circa naturalia, constituunt : Et idem pronunciant de speciebus impressis. De principio illo, cui hæc circa species doctrina nititur, id est de specificatione formæ naturalis, ducibili ex obiecto formali supernaturali, vel contrà, videsis Valentinum Erice 1. p. tract. 4. disp. 38. à cap. 2. Ægidium Coninc. 22. disp. 5. dub. 2. & 3. Mihi placet contrarium principium, quo statuitur, essentiam actuum & habituum, atque adeò etiam specierum, ducendam esse ex obiecto quod essentialiter respiciunt : quæ est antiqua & solida doctrina, in quam qui videntur aduersari, volentes nolentes reuoluuntur, eum loco obiecti formalis diuersi, pro diuersis specie actibus, assignant diuersam attingibilitatem, vel proportionem obiectorum, aut diuersam regulam sub qua attingantur, vel diuersum modum in ea tendendi, quæ omnia diuersam obiectiuam rationem formalem, siue motiuam, ferunt. Sed de hoc alibi diligentiùs ; & plenè qui cum hæc recognoscimus lucem vidit, Alarconius disp. 2. de visione Dei c. 5. & 6. Sic igitur constituto eo principio, quoad specificationem actuum, & habituum, ac specierum, manifestè sequitur, philosophandum esse de speciebus impressis deseruientibus scientiæ infusæ Christi, eo modo quem iniuimus.

De eodem actu primo, quoad lumen.

162. De lumine huius scientiæ in Christo, statuendum breuiter est, illud supernaturale esse ; de quo nemo dubitat. Statuendum præterea est, hoc lumen à speciebus impressis, & à lumine gloriæ longè differre, nec nisi vnicum esse ac simplex. Quibus paucis verbis, reiecto varias recentiorum de eo lumine sententias. Vasques enim 3. p. d. 54. cap. 2. negat vllum esse pro scientia infusa lumen, à speciebus intelligibilibus distinctum : quia cum species sint sufficiens principium ad eliciendam cognitionem rei cuius inerat Christo species infusa ; supernaturaneum est, aliud præterea principium addere ; quod lumen denominetur. Quo eodem modo, in scientia beata, præter speciem impressam vel formalem vel virtualem, hoc est diuinam essentiam vice speciei fungentem, vel potiùs quia præsens est & intelligibilis actu, munus illud obeuntem pro quo vicaria species subrogatur ; nullum agnoscit lumen gloriæ tenens se ex parte potentiæ : id quod dixerat iam olim Vdalricus apud Cartusianum in 3. d. 14. quæst. 3. Suares verò tametsi cum vacillatione aliqua, ita hoc lumen à speciebus scientiæ infusæ distinctum in Christo agnoscit tom. 1. 3. p. d. 29. sect. 4. vt tamen dicat, illud non distingui à lumine gloriæ, quod ex parte potentiæ & hanc scientiam, & beatam principiet. Cui sententiæ subscribit. Lessius l. 2. de summo bono n. 155. si sermo sit de scientia infusa Beatorum, distincta à visione beatifica. Denique aliqui, hoc lumen quod peculiare scientiæ infusæ tribuunt, affirmant esse multiplex, pro varietate obiectorum per illud perceptorum. Ita Cajet. 22. q. 54. art. 4. & Cabrera 3. p. q. 11. art. dubit. 6. Ego quoad hæc omnia, ab his autoribus d. ssentio.

Differt à speciebus impressis.

163 Ac primùm, quod hoc lumen differat à speciebus, non aliter confirmandum est, quàm ex proportione ad habitus infusos viæ. Certum quippe est, intellectum viatorum fidelium, vltra species impressas rerum credendarum tenentes se ex parte obiecti, quæ naturales sunt, & à sensibus haustæ, accipere lumen fidei, quod est qualitas tenens se ex parte potentiæ, eámque roborans, & reddens proportionatam ad credendum connaturaliter actum credendi. Similitérque ad actum supernaturalem amandi Deum, præter ea quæ ex parte voluntatis exiguntur, ac præter obiecti propositionem ab intellectu prælucente factam, suppeditatur diuinitùs complementum aliquod actiuitatis potentiæ ; quo immisso, & ipsa potentia tobotetur ad talem actum, & apta ac proportionata ad eum connaturaliter eliciendum reddatur. Potentia enim ad huiusmodi actus nec proportionata est, nec satis habet vitium : ideóque vt eos attingat, præsertim connaturaliter, debet armari, vt Philosophus loquitur, id est compleri ac instrui : quod propriè non fit per speciem impressam, cuius munus tantùm est determinare quoad rationem specificam actus, sed fit per comprincipium aliquod tenens se ex parte potentiæ. In supernaturalibus quoque actibus patriæ eadem cernitur actiuitas comprincipiorum additiorum potentiam complentium, vltra ea quæ ex parte obiecti interueniunt. Lumen enim gloriæ, quicquid Vasques aliter statuat, planè differt à specie impressa Dei : quod nolo hîc extra locum confirmare. Latè autem à Suare

traditur

tradiderit 1.part.tract.1.d.2.cap.15, à num.4.& à Lessio l.1.de summo bono cap.8.Similiter ergo ad cudendum supernaturalem actum scientiæ infusæ, præter speciem impressam obiecti vicariam,exigitur auctarium potentiæ, seu lumen infusum, vt facultas quæ ex se respectu huius actus manca & improportionata est,compleatur, & aptetur; sicque actio connaturaliter fiat.

164. Argumentum quo Vasques ex scientia infusa habitum omnem à specie impressa distinctum eliminat, idem est cum eo quo lumen gloriæ à specie impressa Dei distinctum reijcit, ei principio nixum, quod vbicunque multiplicantur causæ, debent quoque multiplicari in effectu rationes productæ,singulis causis respondentes: quod principium, ex quodam Gerardo refert Baconus in 2. d.28. *initio*. Putat autem Vasques, nihil esse in actu scientiæ infusæ, quod peculiariter respondeat lumini à speciebus distincto. Nihil quippe est in eo actu, præter rationem communem cognitionis, & specialem talis cognitionis rationem. Primæ, sufficiens principium,est intellectus secundùm se. Intellectio enim quâ talis,à solo intellectu proficiscitur. Ratio autem talis cognitionis, seu quod sit talis obiecti propria, & euidens; habet pro principio proximè sufficiente, speciem impressam propriam. Ideò enim intellectus, hanc potiùs rem intelligit quàm aliam, quia huius potiùs quàm alterius rei specie informatur. Nulla igitur ratio restat in notitia infusa, quæ respondere possit habitui seu lumini, & per illud peculiariter produci, quod tamen est vnicum fundamentum assignandi alicui effectui causam quamcunque.

Mihi tamen, principium quo vniuersa hæc ratiocinatio nititur, videtur omnino ruinosum. Id quod patere potest ex habitu facilitatiuo, si verum est (vt est certè verissimum,) talem habitum conferri, ad coefficiendum cum potentia substantiam actus, quam sola potentia posset efficere: accedente autem habitu adventitio, fit expeditè & absque difficultate. Faciliter enim operati, non est ratio noua & peculiaris in effecto, sed tenet se ex parte causæ promptè & sine difficultate operantis. Possunt ergo plures causæ coniungi, vt veluti communibus impensis, eundem effectum, & eandem eius rationem efficiant. Atque ita contingit in præsenti; éstque id in ea multo magis dicendum: quia vna causarum ad cudendum actum interuenientium, nempè intellectiua potentia, est ex se manca & impotens ad huiusmodi actum, quippe ordinis superioris. Quanquam si necesse esset principium illud admittere, & nullum assignare principium nisi cui peculiaris in effectu ratio respondeat; æquè facilè possemus in actu scientiæ infusæ distinguere aliquid peculiariter respondens lumini infuso à speciebus distincto, ac potest aduersarius in actu credendi, aliquam rationem peculiarem assignare, respondentem fidei habituali. Argumentum enim propositum, si vrgeret,æquè euerteret lumen fidei, ac lumen scientiæ infusæ. Quod si aduersarius præter duas illas rationes quas in actu scientiæ infusæ distinxit;nempè rationem cognitionis, & rationem talis cognitionis tendentis in tale obiectum; addat tertiam, quæ verius secundo loco ponenda esset, nempè rationem intellectionis supernaturalis, quæ peculiariter respondeat lumini fidei: idem plane nos quoque diceremus de actu scientiæ infusæ, si principium illud admitteremus, quo noua causa,pro noua duntaxat & peculiari ratione in effectu producenda, inuehi posse affirmatur.

Et à lumine gloriæ.

165. Iam verò æquè reijciendi sunt,qui hoc lumen in Christo confudernnt cum lumine gloriæ quod principiat scientiam beatam. Contrarium meritò affirmat Salas 1.2.tract.2.d.5.sect.9.& Ragusa 3.part.d.102. videtúrque sufficienter euinci,ex tanta diuersitate notitiæ infusæ simpliciter dictæ,& notitiæ beatæ. Tantoperè enim discrepant illæ notitiæ,vt vnicuique earum suum lumen peculiare tribuendum videatur. Accedit quod notitia per se infusa supernaturalis, communicata sæpè est viatoribus;vt Adamo, & aliis pleriſque quos diuina benignitas radio aliquo superioris illius scientiæ sæpè collustrauit, priúsquam extra viæ scamma statuerentur. Cum notitia autem,vt miracula non necessaria excludantur, communicatum est lumen proportionatum; quod proinde fuit à lumine gloriæ distinctum.

Non me latet, quid aduersarij sint hìc responsuri, Fatebuntur enim in puris viatoribus, lumen infusum esse aliud à lumine gloriæ: quia cùm nondum sint in termino, non potiuntur principiis statûs beatifici, inter quæ est lumen gloriæ. Quare in eis necessariò assignandum esse dicent lumen peculiare; non item in Christo, & aliis Beatis: quia lumen gloriæ quod adest, sufficere abundè potest ad principiandos actus scientiæ infusæ æquè ac beatæ & confirmati potest, quia non videtur negandum, quo minùs Beatus, extra Verbum possit suum lumen gloriæ percipere, etiamsi alio quouis lumine externo destituatur. Si enim reliqua principia intellectualia, sunt reflexiua in seipsa; v.g. intellectus est principium intelligendi seipsum, & fides est principium credendi seipsam; quidni lumen gloriæ possit esse principium intuendi seipsum?Et tamen ea notitia luminis gloriæ, esset scientiæ infusæ, non beatæ.

Verùm hi Autores, dum student parcitati, non aduertunt rem esse cum locupletissimo remuneratore, qui in Beatis omnia ordinatè velit peragi; ac proinde non destinet vnum instrumentum ad tam diuersa munera,quod egestatem saperet;sed cuique suum peculiare ac congruum addicat. Quod enim de natura dixit Aristoteles 1. Polit. c. 1. & latè versat Dandinus 2. animæ digress. 46. eam non vti gladio Delphico, sed vno vti ad vnum; valet multo magis circa Deum, & præsertim vbi ostentanda est gloria & diuitiæ domus eius. Etsi ergo lumen gloriæ posset ad vsum quoque scientiæ infusæ adhiberi in Beato, tamen Deus qui diues est in misericordia, peculiare hoc ornamentum quod in viatoribus cernitur, Beatorum intellectui non vult negare. Est autem præterea verisimilius, lumen gloriæ non posse esse vsui nisi ad functiones gloriæ, quia hæc est eius natura: ita vt quamuis quia est superius possit esse vsui ad percipienda intra suum ordinem obiecta, & actus scientiæ inferioris; quo pacto principia scientiæ infusæ, vsui sunt ad percipienda omnia obiecta scientiæ naturalis; & intellectus Angelicus potest in omnia obiecta intellectus humani; tamen non possit lumen gloriæ deseruire ad principiandam notitiam alterius generis, & longè inferiorem. Nam neque lumen infusum posset esse vsui ad functiones scientiæ naturalis, neque intellectus Angeli ad intellectiones homini proprias, sub ratione formali consentaneas humano intellectui. Et hinc liquet, cur lumen gloriæ in Beato, non possit principiare reflexionem in seipsum: licet intellectus, & fides,ad proportionales reflexiones deseruiant: quia sistitur intra notitiam cui in principia sunapte natura addicuntur; quod non fieret, si lumen in seipsum reflecteretur.

Est vnicum, pro toto ambitu obiectorum huius scientiæ.

166. Tandem neque illi audiendi sunt qui lumen infusum multiplex posuerunt pro multiplici genere obiectorum per scientiam infusam cognoscibilium. Meritò enim S.Thomas 3.p.q.11.art.6.ad 3. statuit hoc lumen esse vnicum pro toto ambitu obiectorum huius scientiæ. Ratio petenda est,partim ex analogia cum lumi-

lumine fidei, quod est vnicum pro omnibus credibilibus ac etiam cum lumine gloriæ, quod item est essentialiter insectile: & quamuis vnicum sit, ad omnia tamen obiecti scientiæ beatæ ambitu comprehensa, porrigitur: Partim etiam ex eminentia luminis supernaturalis, quod est longè sublimius naturali: & tamen experimur, ab vnico naturali lumine conferto intellectui produci diuersissimas actiones, pro diuersitate specierum ad eas determinantium. Multo itaque magis, supernaturale lumen scientiæ infusæ, quandoquidem perfectius ac nobilius est, idemmet ac vnicum, totidem actiones huius scientiæ principiare potest, quot interuenient species impressæ ad expressionem actionum illarum determinantes. Neque verò ex multiplicitate specierum, inferre licet multiplicitatem luminis hanc scientiam principiantis. Nam quoad rem præsentem, latum discrimen intercedit inter lumen & species. Hæ siquidem sunt vicariæ obiectorum, quorum magna est multiplicitas, & diuersissima ratio. Vnde mirum non est, quod varias species sibi subrogatas deposcant. At lumen tenet se ex parte potentiæ, éstque robur eius, & actinitatis complementum: ac proinde sicut ipsa potentia est vna, non obstante habitudine ad diuersas actiones; ita & lumen vnicum essentialiter, facilè potest ad totam sphæram obiectorum huius scientiæ, pertinere.

Summa perfectio eiusdem Christi scientiæ, concluditur.

167. Ex hactenus disputatis, liquere potest de præcellentia scientiæ Christi infusæ supra naturalem, ex omnibus planè capitibus ex quibus perfectio scientiæ attendi potest: nempe penes obiectum eius, & actum, ac habitum. Et ambitus quidem obiecti huius scientiæ, longè superat sphæram obiectorum scientiæ naturalis, éstque propè immensus. Complectitur enim Deum vnum & trinum, omniáque infra eum gratiæ mysteria, & entia quæcumque supernaturalia creata; insuperque omnia illa quæ concludebantur sphæra obiecti scientiæ naturalis. Nam quicquid spectat ad scientiam inferiorem, æquè ad superiorem pertinet; quamuis non solùm, nec sub eadem ratione motiua. Sicut quæcumque percipit sensus quilibet externus, eadem percipiuntur per sensum internum, & præterea alia quædam insensata exteriùs. Et quæcumque homo percipit, ab Angelo quoque percipiuntur, præter alia quædam Angelo propria. Motiuum autem peculiare seu ratio formalis quæ vsui est ad constituendam scientiam infusam, eámque secernendam ab acquisita & naturali quoad obiectum materiale circa quod ambæ versantur, est illa cognoscibilitas obiecti naturalis per hoc lumen secundum quam obiectum non habet proportionem cum scientia naturali. Itaque & materiale & formale obiectum scientiæ infusæ, longè superat obiectum acquisitæ, cùm materiale, tum formale. Actus item est longè pretiosior; tum quia est ferè intuitiuus, cum è contrario omnes propè actus scientiæ naturalis sint abstractiui, & per illegitimas species; tum quia in eius exercitio non habent locum variæ illæ imperfectiones, quas postea ostendemus exulare à scientia Christi infusa, & cadere in acquisitam. Denique eius principia, sunt longè sublimiora & vniuersaliora, quàm acquisitæ: imò & quàm aliarum infusarum plerisque puris creatis communicatarum. Ac proinde sicut diximus, Christi scientiam acquisitam superare nostram acquisitam ex plerisque capitibus: ita idem proportione seruata, de scientia Christi infusa, ad scientiam infusam aliorum Sanctorum comparata, est statuendum.

Cur nihil hic sigillatim de perfectione prophetiæ, & donorum Christi intellectualium.

168. Satis de scientia Christi infusa; post quam expositam, nihil est necesse de variis eius veluti ramis ac portionibus sigillatim dicere, quas Christo inexistisse monstrauimus; prophetia nimirum clara & euidente, iisque Spiritus sancti donis actualibus, quæ spectant ad intellectum: scientia videlicet, sapientia, intellectu, atque consilio. Sunt enim omnia hæc dona, portiones scientiæ infusæ Christi; connotata tamen certa materia. v. g. prophetia quamuis in nobis possit esse obscura, vt docet Scotus in 3. d. 24. q. vnica *litera G.* & ex communi (vt ait,) sententia, Molina 1. p. q. 1. art. 2. disp 4. talis tamen in Christo non fuit; sed clara & euidens. Quo pacto nullomodo differt à scientia infusa, nisi per connotationem certæ materiæ, ratione cuius scientia denominatur prophetia; nempe ratione futurorum, vel præteritorum quorum nulla extet memoria, aut præsentium occultorum, vt secretorum cordis alieni: quæ est adæquata prophetiæ materia, iuxta Syrenium l. 7. de fato cap. 8. Quare frustra hic seorsim, post tractatam scientiam Christi infusam, de Christi prophetia ageremus.

Similiter dona sapientiæ & scientiæ, non differunt à scientia infusa, nisi penes connotationem certæ materiæ, quam hæc dona respiciunt. Sunt enim iudicia ex motione Spiritus sancti profecta, quibus suppositis veritate quapiam, aut mysterio diuinitùs patefacto; in nobis quidem per fidem, in Christo autem per notitiam infusam, pronunciatur quasi reflexè & euidenter, ac absque discursu, de conuenientia mysterij patefacti: cum respectu Dei vt fontis gratiæ, tum respectu nostri, vt cuectorum ad finem supernaturalem. Congruentiæ enim quas nos ipsi interdum proprio Marte excogitamus, ratiocinantes circa mysteria, naturales sunt, nec spectant ad hæc Spiritus sancti dona; quibus absque discursu & supernaturaliter de ea conuenientia pronunciamus. Non quod iudicium de tali conuenientia, feratur ex eo quod Deus ita reuelauerit, vt malè sentit Vasq. 1. 2. d. 89. n. 5. (Sic enim actus ille esset fidei, quæ hoc quoque modo de iis quæ directè credidit pronunciare potest veluti reflexè, per nouum & vlteriorem actum suum;) sed quod perspecto introrsum mysterio, quod per fidem aut scientiam infusam percipitur, suggerantur à Spiritu sancto intellectui nostro, rationes haustæ ex ipsa mysterij substantia, vel effectibus eius, ob quas mysterium illud iam perceptum & assensu nostro ratum, iudicetur conueniens. Et idem esset, si procederetur per rationes æternas ac diuinas, & pertinentes ad Dei attributa, eorúmque manifestationem & Dei gloriam. Quo pacto, iudicium de conuenientia ob huiusmodi rationes, dicitur donum sapientiæ. Si verò procedatur ob rationes creatas, pertinentes ad salutem supernaturalem quatenus proprium hominis bonum; tunc idem iudicium de conuenientia mysterij iam percepti, pertinebit ad donum scientiæ. Ita vt duo hæc dona, materiali obiecto & modo circa illud versandi, non discrepent; (vtrumque enim mysteriis assensu iam firmatis occupatur, & de eorum conuenientia pronunciat?) differant autem penes rationes quibus de ea conuenientia ferunt iudicium, eo quod sapientiæ donum, progrediatur per rationes superiores; donum verò scientiæ, per inferiores. Vt sapientiæ donum indicat de conuenientia mysterij Incarnationis, ex eo quod emicet inde diuina iustitia, quæ tantam pro peccato satisfactionem exigit: & ex eo quod splendeat in eo diuino opere amor, quo Deus figmentum nostrum ad se euexit, & viscera misericordiæ quibus visitauit nos oriens ex alto. Scientiæ verò donum idem iudicat ex digniore hominis reparatione, quam si per alium à

specie

specie humana extraneum, vel ex pura Dei misericordia, nomine satisfaciente, parta fuisset salus nostra; itémque ex eo quod inde secutum sit vniuersi complementum, & creaturarum omnium exaltatio, in hominé qui est earum breuiculus. Ex hac igitur notione donorum sapientiæ & scientiæ alibi plene confirmata, perspicuum est; nihil esse necesse, post explicationem scientiæ infusæ, denuò agere de prædictis donis quæ sunt eiusdem scientiæ portiones, peculiaribus illis quas dixi materiis addictæ: Nec nisi per earum connotationem, speciale nomen sunt sortita, cum in ratione essentiali & quidditatiua scientiæ infusæ, ab aliis eius actibus non discrepent.

169. Iisdem de causis, silendum hîc specialiter est de dono intellectus. Nihil quippè aliud est quàm iudicium quoddam de dignitate vel amabilitate rerum diuinitus patefactarum, vt eis assensus vel amor præstetur. Aio esse iudicium, quia non puto hoc donum prout actuale, consistere in sola apprehensione, vt Val. significat 1.2.d.5.q.8.p.2. Esset enim donum imperfectissimum, & merè naturale, non minùs quàm simplices apprehensiones prærequisitæ ad actum fidei. Est igitur iudicium, & quidem euidens. Nam etiam iudicium illud quod immediatè præcedit fidem, & ex instinctu Dei monentis concipitur, vt iudicemus de credibilitate mysterij, & vera honestate volitionis indicentis actum credendi, est iudicium euidens; quod D.Thomas 2.2.q.8.art.5. refert ad donum intellectus. Et quamuis quia interdum ob subiecti indispositionem, actus ille non manat à dono intellectus habituali, gratiam sanctificantem supponente dicat D.Thomas iudicium illud non pertinere ad donum intellectus, nisi reductiè: Tamen etiam tunc, est eiusdem rationis cum actu directè pertinente ad donum intellectus, quatenus ita mouet sensum, vt accommodet assensum, vt D.Augustinus dixit q.1. ad Simplic. id est talem confert intellectui notionem de bonitate & honestate volitionis credendi, vt voluntas dedat sese, & erumpat in actum. At qui eo pacto se habent, dicuntur *intelligere*, Isaiæ 6. & Matth. 13. Iudicium ergo quod ex Spiritus sancti motione, de mysteriorum dignitate & amabilitate concipitur, eiúsque dignitatis & amabilitatis veritas obiectiua penetratur, post partam iam fidem; vel etiam & quidem multo magis per eum qui sanctitate polleret absque fide, qualis est Christus Dominus, euidentia non caret: éstque illud Spiritus sancti donum quod *intellectus* appellatur. Nam minus placet quod Suares l.2.de gratia cap.19.num.7. donum intellectus addicit penetrationi veræ mentis Dei, cuius dictum refertur, aut legitur. Sic enim hoc donum, confunditur cum ea gratia gratis data quæ dicitur *interpretatio sermonum*, quam idem Autor proleg.3. ad illud opus cap.5.n.55. & 60. fatetur sonare intelligentiam sensuum inclusorum in verbis, aut quibuslibet aliis diuinis locutionibus, etiamsi tantum mentalibus; vel editis non verbo, sed rebus: id est hieroglificis & symbolis quorum omnium recta intelligentia, & penetratio sensus à Deo in illis intenti, pertinet ad gratiam interpretationis sermonum, quatenus in animo est, & antecedit verborum prolationem, non autem ad donum intellectus: quod proinde, in eo quod proprium iudicio, eique respondente habitu, est collocandum, conformiter ad loca Isaiæ & Matthæi allegata, quibus dicitur de obduratis, quod essent audituri audituri, & non intellecturi: nempe ita vt saperent eis quæ audirent, ac de præstando eis assensu & amore, statuerent. Nec dissimili sensu Dauid, sæpè postulat à Deo intellectum, vt discat mandata. Ex hac ergo vera & germana notione doni intellectus, perspicuè apparet, illud ad scientiam infusam pertinere; nec post eam in Christo expositam, aliud præterea seorsim, de hoc intellectuali dono addendum esse.

170. Tandem eadem quoque est ratio doni consilij, quod actualiter spectatum, est euidens iudicium supernaturale practicum, quo homo ex speciali motione Spiritus sancti, in his & his circumstantiis, euidenter statuit ita agendum esse propter supernaturalem honestatem, relucentem in actione ad quam sic impellitur: non attendendo ad principia reuelata, sed ex speciali impulsu Numinis. Quod iudicium cum aliàs à Spiritu sancto est præsertim in implexis & arduis negotiis; tum maximè cum aliquid agendum est, quod secluso ea speciali motione esset illicitum; vt contingit multis sanctis Martyribus, vltrò conijcientibus sese in tormenta, & aliis mortem sibi inferentibus: vt notauit D.Aug. 1.Ciuit.cap.21. Appellatur autem ea notitia consilium, quia per eam Dei consilium innotescit. Qua ratione Balaam patefaciens futura, ait, *consilium tibi do*: id est, sensum diuinum tibi aperio, vt explicat Origenes hom. 18. in Numer. Similiter accipiens illud apud Apostolum, *quis consiliarius eius fuit?* id est sensorum & consiliorum particeps. Nemo itaque non videt, hoc donum consilij sic expositum, esse partem scientiæ infusæ: ac proinde non esse cur de eo specialiter attexamus tractationem, post discussam Christi scientiam infusam.

Obiectum beatæ Christi scientiæ; Primarium, Deus.

171. Progredior itaque ad perfectionem postremæ ac eminentissimæ scientiæ creatæ Christi Domini, nempe beatæ; delibando eius obiectum, actum, & habitum, vt hactenus in tribus reliquis scientiis obseruaui. Huius scientiæ obiectum primarium, ad quod videlicet ipsa directè & ex instituto tendit, quódque in se videri dicitur, quia immediatè terminat cognitionem, est extra controuersiam. Nam & Christus, & omnes Beati, habent pro huiusmodi obiecto quæcunque sunt Deo interna; nempe essentiam cum omnibus diuinis attributis & personalitatibus, filiúque & Spiritus sancti processionibus. Recensui diuina attributa vt plura, conformans me ruditati nostræ hac in parte, quandiu hîc viuimus. Verè enim sumus visuri attributa omnia, quatenus sunt vna formalissima ratio; atque adeò vnitissimè, & non per modum plurium rationum obiectiuarum disiunctarum, vnam totalem integrantium, sed tanquam vnam perfectionem in qua essentialiter continetur omnis perfectio. Vnde visio nostra, futura est vna, & simplicissima, ac ex parte obiecti vnitissima cognitio totius illius infinitæ perfectionis quæ in Deo est: sed nos hîc illam imperfectè concipientes, distrahimus in plura, iuxta illud egregie de more à D.Bernardo traditum l.5. de consider. c.13. quoties de Deo per Beatos viso agitur; præ oculis habendum. [Visus ium protulisse plura, sed vnum est. Vnus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Diuisus est hic, non ille. Voces diuersæ, semitæ multæ, sed vnum per eas significatur, vnus quæritur. Non diuisiones substantiæ in quaternario isto expressæ sunt; non dimensiones quales in corporibus intuemur, non distinctio personalis qualem in Trinitate adoramus, non numerus proprietatum qualem personis ipsis ineſſe fatemur, etsi non aliud à personis: alioquin hoc singulum horum in Deo, quod quatuor simul, hæc quatuor, ipsa quod singulum est. Nobis autem quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere, vnum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum & Ænigma, per quod solum interim videre datur. Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, dissilíéve in suam pluralitatem. Colliget sese magis, adunabit, conformabitque vnitati illius, vel

potiùs

potiùs vnitati illi, vt vna vni, facies respondeat faciei.] Hoc igitur obiectum vnitissimum ac simpliciſſimum omnibus Beatis commune, ſub Chriſti quoque beatam ſcientiam cecidit, tanquam primarium.

Secundarium, in primis creaturæ omnes quandoque exiſtentes, etiamſi innumeræ.

172. Secundarium verò ſunt creaturæ, quæ vel in aliqua temporis differentia exiſtunt, vel non exiſtunt: vt ſunt futura conditionata, & res merè poſſibiles. Priores, nulla excepta, beatam Chriſti ſcientiam terminarunt, de communiore Theologorum ſententia in 3.d 14.vel 3.p.quæſt.10.art.2.Et ſuffragatur manifeſta ratio, ex eo ducta, quod quæcunque in aliqua temporis differentia exiſtentiam habent, pertinent aliquo modo ad ſtatum Chriſti: quippe facta ob eius amorem, aut ad eum aliquo tandem modo relata, eique à Patre ſubiecta. *Omnia enim dedit ei Pater in manu*; Et *nihil dimiſit non ſubiectum ei:* vtique eorum quæ propriè apta ſunt ſubijci; hoc eſt quandoque exiſtentium. Nihil horum ſubduco ſcientiæ Chriſti beatæ.

Diſplicétque primò, Richardus in 3. d.1. art.2. admittens quidem Chriſtum agnoſcere ea omnia quorum ſucceſſio non durabit in infinitum; cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ; negans tamen idem eſſe de iis quæ in infinitum ſunt futura cum ſucceſſione; hoc eſt de cogitationibus & volitionibus hominum & Angelorum, extra Verbum per totam æternitatem infinitè propagandis. Eas enim actiones, beatæ Chriſti ſcientiæ ſubduxit Richardus ob earum infinitatem, & quidem Categorematicam. Eſto namque infinita illa multitudo actionum, non habeat nec habere poſſit ſimul rationem entis poſſibilis, vel ſimul exiſtentis actu iuxta philoſophorum de eo quæſito problema; nec in vlla temporis parte aſſignabili, ſit futura actu infinita: tamen ſi ſumatur quatenus intellectui ad eam ſimul percipiendam potenti obijcitur, v. g. diuino obtutui, & prout coexiſtit toti æternitati; continet omnino infinitum cumulum actuum, quorum nullus eſt vltimus; omnéſque obijciuntur ſimul: ita vt quamuis in eſſe reali & exercito vnus eorum ſit poſt alterum, & ſemper ſint finiti numero: tamen in eſſe concepto & obiectiuo, ſint ſimul, cum ſimul concipiantur vnico actu. Et hoc ſufficit ad infinitatem eorum Categorematicam; quam proinde Richardus negat à Chriſti ſcientia beata percipi.

Quamuis autem tricæ illæ de infinitate Categorematica illius multitudinis cogitationum & volitionum, quoad magnam partem ſitæ ſint in verbis; ideóque in eis non ſit hærendum: Tamen omnes illos actus, quotquot per totam æternitatem erunt, ſiue Categorematicè ſiue ſyncategorematicè infiniti dicantur, obijci ſimul ſcientiæ Chriſti beatæ, veriſſimum exiſtimo cum Molina 1. part.quæſt.12.art.8.diſp.5. membro 3. & 7. Valentia tom.4.d.1.quæſt.10.p.2.Vaſque 3.p.d.51.c.2. Suare tom.1.3. p.d.26. ſect.4. Aluare d.55. Henrique l. de fine hominis cap.10.§.6. Et videtur ſufficienter perſuaderi ratione poſita, quod ſcilicet hæc omnia ſpectent ad Chriſtum tanquam Dominum; ſintque ei ſubiecta, ac proinde pertineant ad ſtatum eius: quod eſt metrum notitiæ beatæ, quatenus ad aliqua ſecundaria obiecta quandoque exiſtentia peruadentis.

Noua opinatio, negans pleraque ex prædictis obiectis, viſa à Chriſto in Verbo.

173. Diſplicet ſecundò, Moncæus diſput.2. ſelecta cap.12. latè negans Chriſtum videre in Verbo formaliter quæcunque Deus nouit ſcientia viſionis, quantumcunque pertineant ad ſtatum Chriſti; eo quod ex auxiliis gratiæ per Chriſtum ſuppeditatæ, prodierint. Argumentum petit ex eo quod neceſſe ſit, obiectum ſcientiæ beatæ præconcipi eidem ſcientiæ, & in priore ſigno rationis, præexiſtere cognitioni. Hæc enim eſt tota ratio, cur cognitio creata & eſſentialiter finita, non poſſit eſſe reflexa in ſeipſam; quia ſcilicet præſupponeretur ſibi ipſi, prout obiectum; iuxta regulam à B.Auguſtino his verbis poſitam 4. de Geneſi ad lit. cap.32. [præcedit cognitionem, quicquid cognoſci poteſt: niſi enim priùs ſit quod cognoſcatur, cognoſci non poteſt.] Eſt ergo certiſſimum, rem perceptam per ſcientiam Chriſti beatam, debere concipi exiſtentem, in ſigno rationis ante eam ſcientiam. Atqui viſio beata Chriſti præcedit ordine rationis, imò & cauſalitatis, plæraque obiecta quæ Deus videt per ſcientiam viſionis, & quæ hic per Chriſti gratiam exercentur. Omnia enim bona opera ſupernaturalia quæ elicimus, exercentur à nobis per Chriſti gratiam; atque adeò Chriſtus ante omnia illa decretus eſt, vnáque cum eo decreta eſt eius viſio beatifica, ſine qua homo Deus decerni non debuit. Cum igitur Chriſtus, priùs ratione ſit à Deo decretus, quàm conciperetur nobis mereri; & quouis eius merito pro nobis, anterior fuerit viſio, quæ eſt eius connaturale complementum: reſtat vt fateamur, ſcientiam eius beatam, eſſe ratione anteriorem noſtris bonis operibus. Quomodò ergo bona opera noſtra potuerint ſcientiæ eius beatæ obijci, quæ anterior eſt; cum tamen obiectū debeat eſſe anterius cognitione?

Vrgétque nominatim hoc argumentum, in quibuſdam noſtris actibus & viæ, & patriæ, viſione beatifica Chriſti poſterioribus: quos proinde certum videtur, non poſſe à Chriſto attingi in verbo. Eiuſmodi ſunt, actus quibus affirmamus Chriſtum vt hominem (ſpecificatiuè loquendo,) ſcire diem iudicij, per ſcientiam beatam. Eadem namque notitia beata, qua Chriſtus diem iudicij percipit, non poteſt eſſe notitia actuum illorum noſtrorum, qui ſupponunt velut obiectum ſuum, talem Chriſti notitiam de die iudicij. Eiuſmodi item ſunt actus illi, qui ſcientiam Chriſti beatam habent pro obiecto; vt actus ſcientiæ infuſæ, quibus Beati, Chriſti viſionem beatam contuentur. Nec non illi, quibus Chriſtus per ſuam ſcientiam infuſam attingit ſuam viſionem beatam, ac ſe ſupra id quod in ea videt, reflectit. Item illi quibus Beatos docet de quibuſdam, quæ ipſe in Verbo ſcientiam ſuam beatam percipit. Sicut enim ea Chriſti dictio & enunciatio de iis quæ videt in Verbo, eſt poſterior viſione, ideóque per eam videri non poteſt: ita & notitiæ quas Beati formant de obiectis per Chriſtum ſic enuntiatis, non poſſunt videri per Chriſti viſionem beatam quam conſequuntur. Omnia ergo propoſita obiecta, quamuis ſint in aliqua temporis differentia; tamen non videntur poſſe obijci ſcientiæ Chriſti beatæ, quæ eis præſupponitur: quamuis aliis Beatificis viſionibus purarum creaturarum, attingi poſſint; cum æquè ac alia creata contineantur in diuina eſſentia tanquam in cauſa & notitia.

Refellitur.

174. Hoc argumentum nullo negotio euertetur, ſi dicas, cognitionem Chriſti beatam, ſpectatam quoad eius veluti fundum, non ſupponere quidem tanquam ratione priora omnia illa obiecta quæ hactenus ſunt propoſita; ideóque per illud quaſi fundum, ſiue hypoſtaſim notitiæ, ea non attingere: Tamen poſteriorem eſſe iiſdem obiectis, ratione modificationum, beatæ Chriſti ſcientiæ accedentium ſubinde ac decedentium, & ratione earum, poſſe à Chriſto cognoſci in Verbo prædicta obiecta futura. Eſſe enim viſionem Beatam, acceſſionis illius ac deceſſionis capacem, monſtratum ſuo loco eſt, & validè euincitur exemplo ſenſibilis noui communis; quod eadem ſpecie cum ſenſibili proprio, ſola modificatione intercueniente, percipitur, v. g. cum paries ſenſim detegitur per motum continuatum,

tuarum, species impressa qua parte sensim detectæ videntur, non est noua totalis species. Sic enim cum quælibet pars proportionalis detecta, per lineam rectam oculo oppositæ, videatur ex toto oculo; habeatque proinde in eo toto speciem sui; oporteret fateri, per detectionem illam produci species infinitas æquales toti pupillæ, quibus totidem partes proportionales moto illo detectæ, videantur ex toto oculo: Quod cum sit planè absurdum, probatior sententia admittit in eo euentu, multiplicari tantùm infinitos modos, quibus (species (vt ita loquar) fundum, quod indifferens est ad quoduis similiter effectum sensibile proprium exhibendum, extendatur ad partes vniformes eiusdem sensibilis propriæ repræsentandas. In ea namque modificationum infinita multiplicatione, non viget incommodum quod premit infinitatem specierum totalium, & ab omnibus speciem obiectiuè indiuisibilem actione communi productam agnoscentibus, id est à communiori sententia, idem necessariò asseri debet de actione qua species illa obiectiuè indiuisibilis, efficitur: vt patet ex numerica mutatione actionis, pro mutatione causarum agentium, quæ in euentu prædicto sunt partes obiecti proportionales detextæ, numero infinitæ. Et quod de specie impressa dictum est, æquè de specie expressa sensibili, & de simplici intellectione facta vt impressionis obiecti, est statuendum, ob similem vbique rationem. Vt proinde non debeat mirum videri, quod de modificatione subinde variata, eiusdem scientiæ beatæ quoad fundum ac hypostasim immutatæ, affirmauimus. Inde autem, nullo, (vt dicebam,) negotio euertitur vniuersa argumentatio proposita. Sicut enim pleraque notitiæ extra Verbum, de omnibus prædictis obiectis Christo conceduntur, quia sunt obiectis illis posteriores ratione: ita etiam concedendæ sunt modificationes, quibus appressis scientia beata præiacens extenditur ad obiectorum ipsa carere qui posteriorum perceptionem.

Quædam futura conditionata, secundaria beatæ Christi scientiæ, obiecta; Quid de meræ possibilibus.

175. Alterum scientiæ Christi beatæ obiectum secundarium, esse dicebam creaturas in nulla temporis differentia existentes; nempè vel conditionatè futuras, vel meræ possibiles. Illas quicquid dicat Valentinus Herice 1.p.d.36.n.30. extra dubium videtur, non percipio omnes per Christi scientiam beatam. Esto (vt admisimus,) aliquas percipiat: quod mirum esse non potest, cum etiam alijs beatis quorumdam obiectorum conditionatè futurorum notitia concedatur, quia id sæpè spectat ad deprehendendum vt D. Bernardus 5. de consider. cap. 4. scitè dixit *cor Dei*: ad agnoscendam insuam diuinorum beneficiorum Beatam præuenientium vbertatem, & vias illas vitæ per quas deducit electos ad pascua gloriæ, & immetatam felicitatem. Multo itaque magis consentaneum est arbitrari, quædam futura conditionata fuisse beatæ Christi scientiæ obuersata, etiamsi non omnia: quod rationibus allatis pro cognitione omnium futurorum absolutorum Christo vendicanda minimè conficitur, vt eas recolenti perspicuum erit. Similiter verò aliquas creaturas meræ possibiles beatæ Christi scientiæ objici, constat ex dictis de obiecto scientiæ infusæ. Nam omnia quæ scientiæ infusæ patent, superiorem & eminentiorem scientiam beatam, non debent fugere.

At omnesne meræ possibiles creaturæ per beatam Christi scientiam percipiantur, controuersia est. Affirmat Magister in 3.d.14.§. *quibus respondentes* Alensis 3. p.q.13. memb.7. Maior in cap.11. Matthæi *in fine* (nam debent animam Christi cognoscere omnia quæ Deus cognoscit.) Herice 1.p.d.36.n.71. & disp.51.n.21.& 29. Nec nisi suppositia impossibilitate visionis creatæ attingentis omnia Deo possibilia, negat Christo eam notitiam Suarez t.1.3.p.d.16.sect.3. Iuxta Vasquē quoque 1.p.d.50.cap.4. idem habetur, ex eo quod admisimus Christum in Verbo siue per scientiam beatam, aliqua ex huiusmodi possibilibus contueri. Censet enim Vasques, admissa alicuius possibilis contuitione in Verbo per beatum, omnia planè possibilia eidem notitiæ obuersari oportere. Cum igitur supposuerimus Christi animam percipere in Deo ipso quædam merè possibilia, adigi consequenter videmur vt admittamus, æquè omnia percipere: quod tamen D. Thomas 3.p.q.10. art.2. & interpretes ibidem ac passim cæteri in 3.d.14. refugiunt admittere; idque iure factum, affirmant Molina 1.p.q.12.art.8.disp.5.membr.2.& Raguſa 3.p. d.87.§.2.& 3. quia ad videnda omnia possibilia in Verbo, ex geretur lumen gloriæ infinitum. Nam si quo plura videntur, eo perfectius est beatificum lumen; sanè si infinita videntur, necessarium erit infinitum lumen; quantum nec Christus accepit, nec accipere potuit, vt hi autores supponunt, negata vniuersè infiniti cuiuscumque creati possibilitate. Addunteque in hanc rem hi autores, alterum argumentum ductum ex impossibilitate comprehensionis Dei, per intellectum creatum quantumuis beatum, quæ tamen ex ea omnium possibilium contuitione in Verbo sequi perspicuè videtur, iuxta ordinarium modum excludendi comprehensionem Dei per intellectum creatum, quamtumuis videntem totum Deum, sed non totaliter: hoc est non quoad omnia cum eo connexa, nempe possibiles creaturas quæ in Deo videri omnes actu vnico creato non possunt: quod tamen necesse esset, vt diuina cognoscibilitas exhaurietur, & Deus comprehenderetur. Ob hoc argumentum Cabrera 3.p.q.10. art.1.disp.3.conclu.2. censuit erroneum esse aut errori proximum, affirmare omnia possibilia videri à Christo, allegato Directorio Inquis. 2. p.q.11. vbi dicitur, erroneum esse, quod anima Christi Deum comprehendat, vel cognoscat omnia quæ latent in eius potentia.

176. Mihi in hac re nihil pronunciandum videtur, siue ex suppositione admissæ cognitionis creaturarum in Verbo; siue ex alia suppositione, possibilitatis notitiæ creatæ, ad omnia possibilia in eo contuenda porrectæ; siue ex impossibilitate luminis infiniti ad hunc actum necessarij siue denique ex illum consecuta comprehensione Dei per creaturam. Ex nullo quippe horum capitum, existimo statui rectè posse, an Christi intellectus per scientiam beatam omnia possibilia in Verbo viderit.

Attingit aliqua, non omnia, etiam si visio omnium sit possibilis.

Ac primùm, admitto sanè Christum quædam merè possibilia in Verbo videre, illamet indiuisibili actione qua Deum videt. Nego tamen quod Vasques affirmabat, inde sequi videre omnia. Diuina enim essentia, est speculum voluntarium. Et cum in visione beata fungatur munere speciei impressæ, liberè ad huius vel illius obiecti secundarij notitiam effectiuè principiandam interuenientis, potest intellectum Christi determinare ad percipienda quæ Deo visum fuerit obiecta secundaria, dimissis alijs. Imò superstite & intacto eodem visionis quasi fundo, potest determinare ad percipienda per eam, nunc hæc, mox illa secundaria obiecta, non representaris vlteriùs ijs quæ antea representabat: quod peragi interuentu peculiaris modificationis, qua visio beata ad nouum illud secundarium obiectum exhibendum accommodetur, declaratum suo loco est, exemplo visionis corporeæ eiusdem obiecti vniformis successiuè detexti, in qua tantùm ponitur nonas modificationes quibus eadem species expressa perseuerans extendatur ad obiecti vniformis attingen-

tiam, dictum alibi est, annuente ipsomet Vasque 1. 2. d. 51. n. 6. Quare non sequitur quod Christus videat omnia plane possibilia, & quidem sigillatim & distincta, si vnum in Verbo videt.

177. Admissa deinde gratis & absque alio examine; possibilitate visionis creatæ attingentis omnia Deo possibilia, nego nihilominus rectè sequi eam visionem Christo inesse. Quod enim Suares (cuius est ea illatio t. 1. 3 p. d. 20. sect. 3.) ait, eam visionem non esse excessuram Christi dignitatem; ideoque dandam esse Christo, imbelle est. Æquè enim dicere liceret, si possibilis sit infusa omnium Deo possibilium scientia creata, eam quoque esse Christo dandam, quod tamen Suares ibid. d. 27. sect. 4. meritò respuit, etam facta prædicta suppositione quoad scientiam infusam. Nimirum non est censendum, quæcumque Christi dignitatem non transcendunt, ad eam spectare, & Christo de facto danda esse. Sic enim gratiam infinitam habitualem Christo concedere adigeremur, quia non modò gratia infinita Christi dignitatem nequaquam excederet, sed ne omnis quidem gratia possibilis, si tota simul congeretur in Christum. Sanè ex contrario principio, videmus magnas in dies à plerisque nouitates excogitari circa Deiparam, cuius dignitatem maternam, nulla vnquam verborum profusione æquandam, nulla intellectus sagacitate explorandam, cum extulerint; omnia quæ eam dignitatem non excedunt; (vt excludi à communi pacto de noxæ originalis saltem debito incurrendo, aliaque sexcenta,) volunt esse rata, & Deiparæ de facto assignari: cum tamen diuina sapientia quæ omnia in numero pondere & mensura disponit, ad aliam rubricam dirigat quod statuit de perfectionibus alicui debitis, & de facto concedendis, quàm ad illum non excessum dignitatis, penes quem, & recentiores circa Deiparam, & alij cum quibus nunc agimus circa Christum, quantitatem perfectionum eis de facto competentium, definiunt.

Præterea quod lumen infinitum exigi ad visionem omnium possibilium in Verbo affirmant alij, & ex luminis infinitate impossibili, visionis impossibilitatem inferunt, admissuri visionem si ea luminis infinitas admitteretur; hoc inquam non solidè affirmatur. Sanè quamuis communissima sententia, ferat intensionem gradualem infinitam esse diuinitùs possibilem, eamque intensionem in lumine nominatim dixerint plerique esse possibilem: non tamen ideirco communis sententia fert, data ea luminis infinitate, ponendam esse visionem de qua agimus Et è contrario luminis infinitatem esse necessariam ad visionem omnium possibilium in Verbo, iure negatur: quia lumen tenet se ex parte potentiæ, vnde non est opus vt crescat crescentibus obiectis lumine perceptis, sed tantùm pro maiore actus intensione, quam constat posse non intervenire, etiamsi plura obiecta sub visionem candant. Ad extensionem ergo visionis circa omnia possibilia, non exigeretur infinita perfectio luminis, sed ad summum exigeretur melior applicatio vnius concausæ actus, nempe essentiæ diuinæ vt fungentis munere speciei, & concausantis effectiuè visionem. Ex parte verò actus per lumen & diuinam essentiam tanquam speciem impressam expressi (vt hoc obiter addam,) non sequeretur infinita perfectio visionis: quasi ob plura vel perfectiora obiecta secundaria, existat visio essentialiter perfectior, atque adeò quæ ad omnia possibilia extenderetur, esset infinitæ perfectionis: hoc inquam non sequeretur; sufficeret enim indiuidualis perfectio visionis, maior quàm in visione ex eodem obiecto primario minùs extensa circa secundarium. Agendo autem de obiectis in aliqua temporis differentia existentibus, ac proinde variabiliter substantibus notitiæ, sufficeret multiplicatio modificationum extendentium visionem ad ea obiecta secundaria: in quibus modificationibus, minore incommodo admitteretur infinitas, salua essentiali finitate notitiæ modificationibus substratæ, & complexi ex vtriusque exurgentis. Latissimè finitatem essentialem visionis ad omnia possibilia extensæ, propugnant Herice 1. p. d. 36. c. 4. à n. 57. & d. 51. cap. 4 à n. 21, & Moncæus disp. 2. Selecta c. 2. & seqq. Quod igitur admittendum necessariò foret admissa visione creata extensa ad res quascunque possibiles, nullam repugnantiam inuoluit: vnde ex ea repugnantia, non potest inferri eam visionem Christo non competere. Quamquam neque ex possibilitate eiusdem visionis, legitimè infertur eam de facto & reipsa Christo inesse.

178. Tandem quod aliqui, ex ea visione omnium possibilium timent diuinæ incomprehensibilitati, admissuri visionem nisi comprehendendum per eam Deum arbitrarentur, reijciendum est. Quantumuis enim omnia possibilia in Verbo conspicerentur, tamen Deus non videretur quantum visibilis est, atque adeò non comprehenderetur. Quod plenè exposui in Natur. Theol. dist. 7. à num. 110. vt non sit hic opus plura dicere. Tantùm quod attinet ad notam quæ in Directorio Inquisitorum inusta dicitur sententiæ admittenti Christum omnia possibilia contuitum, quod id perinde sit, ac comprehendere Deum; dico malè proferti eam notam, quæ in Directorio lecta dicitur absque autoritate Pontificia: nec cadere in sententiam prædictam, sed in errorem ab ea longè discrepantem, traditum ab Arnoldo Villanouano: qui subitarius ex Medico & Chimico Theologus, effutire ausus est (appendo ipsa verba Directorij,) *quod quam cito anima Christi fuit vnita diuinitati, statim ipsa anima sciuit omnia quæ Deus; quia aliàs, vt dicebat, nõ fuisset cũ ea vna persona: præcipuè quia scire, est circũstantia ad suppositum indiuiduale & non ad naturam.* Est hic secundus errorum eiusdem Arnaldi, nec multum ab isto aberat error primus, quo dixerat, humanitatem assumptam æquare celsitudine, potentia, omnibusque prærogatiuis, Deitatem ipsam. Itaque non est in Arnaldo damnatum, quod animam Christi omnia possibilia percepisse diceret; indeque Dei à creato intellectu comprehensionem inueheret: sed quod ex assumptione humanitatis & animæ, consecutam eius cum Deo æqualitatem, cùm in alijs, tum etiam in scientia diceret, quod constat absurdissimè asseri, cùm quod alia, tum nominatim quoad scientiam. Nam admissa cognitione omnium possibilium per animam assumptam, non sequitur cognitionem eius æquare diuinam cognitionem perfectione; (esto æquales sint quoad numerum obiectorum, vtrique obuersantium:) cum quia diuina notitia, correspondet ad æqualitatem toti diuinæ cognoscibilitati: quod non potest habere creata vlla notitia; tum quia & respectu Dei, & respectu creaturarum, notitia Dei colluceat in se dotibus essentialiter infinitis, quæ in notitiam Christi vllamve creatam non possunt cadere.

Quare vt de dubio proposito mentem meam tandem aperiam, dico etiamsi possibilis esset visio omnium possibilium, de quo litigare hîc extra locum non placet; tamen eam non esse Christo concessam, cum nihil sit quod tantam exporrectionem visionis Christi stabiliat. Neque enim fingere licet, possibilia omnia pertinere ad statum Christi: quod de obiectis quandoque existentibus diximus, propterea quæ fassi sumus ea in Verbo à Christo videri. Id verò de omnibus possibilibus affirmari non potest. Vnde quia non laborat ignorantia, qui ea non scit quæ ad ipsius statum non pertinet scire, non est existimandum, Christum si omnia possibilia non percipit, esse ignorantem; quia scire omnia possibilia, non pertinet ad statum eius. Sicut ergo Christi gratia, quæ est semen gloriæ, finita est & certo gradum modulo comprehensa; ita visionem beatam

beatam Christi, necesse est finitam statuere, cùm ex aliis capitibus, tum ex hoc quoque, quod attingat dumtaxat nonnulla ex entibus merè possibilibus, pro mensura quam diuina sapientia & voluntas præfixerit, vt iam circa scientiam infusam diximus. Quamquam non est negandum, quin Christus per scientiam beatam videat plura possibilia & futura conditionata, quàm per scientiam infusam: quia quod plura per beatam scientiam videantur, pertinet ad præcellentiam huius scientiæ, non item vt percipiantur planè omnia.

Actus beatæ Christi scientiæ, non est Dei comprehensio.

179. Ab obiecto scientiæ Christi beatæ, transeo ad actum. Circa quem supponenda sunt omnia quæ generaliter de quibusuis visionibus beatificis traduntur; cum 1.p. tractando diuinam visibilitatem per lumen supernaturale, tum 1. 2. exponendo Sanctorum beatitudinem, quæ essentialiter ea visione continetur. Nunc breuiter attingenda sunt pauca huius visionis propria: nimirum esse quidem illam & limpiditate, & intensione, & extensione, intra modulum à diuina sapientia præstitutum, omnino perfectissimam, tamen non esse comprehensionem Dei: quod censuisse creditur Augustinus de Roma ideirco improbatus in Conc. Basileensi sess. 22. Ibi enim refertur & damnatur hæc eius propositio postrema. *Anima Christi videt Deum tam clarè & intensè, quantum clarè & intensè Deus videt seipsum.* Legete item memini libellum Cæsaris Delphini Parmensis, eius Poëticæ, (vt inscripsit,) Mariadi attextum, quo latè pugnat pro ea propositione quam à Stephano Gardineto Episcopo Anglo damnatam expostulat, *animam Christi in Verbo diuinam essentiam totaliter non intelligi, nec comprehendi.* Vt videas, quo Doctorem & Episcopos Anglicana Ecclesia foueret sub Eduardo VI. quo imperante eam censuram tulit Gardinerus, vt ex querela mettica libello illi præfixa constat.

Sed ex generali doctrina de incomprehensibilitate Dei, quæ saltem loquendo de potentia ordinaria, & de eo quod factum est, vel est de fide; vel proximè ad fidem accedit; statuendum est, animam Christi non comprehendere Deum. Quod facilè euincitur duplici illo modo quem generaliter prosecutus sum in Natural. Theol. dist. 7. à num. 110. tractans Dei incomprehensionem per intellectum creatum. Nempe primò, quòd notitia qua Christus, Deum & quæ sunt cum Deo connexa videt, non possit esse tam perfecta, vt exhibeat omnia quæ cum Deo connecti possunt. Id enim planè est dicere, scientiam beatam Christi, non sufficere ad comprehensionem Dei, quæ ex ea Dei ipsius & connexorum cum eo notitia exurgit. Non posse autem eam notitiam esse tam perfectam, patet ex eius limitatione & potentialitate, quæ videtur restringere eius repræsentationem, nec ferre tam vastam sphæram obiectorum sub eam cadere. Et in vno saltem genere effectuum, necesse est admittere illius notitiæ limitationem. Neque enim cognitio beata potest exhibere seipsam, nisi saltem accedat modificatio; quæ ob eandem causam non poterit in Verbo videri, nisi quopiam nouo adiecto ad modificationem qua videri potuit cognitio. Quod si nouum hoc adiungatur, nec ibi sistet. Nam aliquid præterea superaddendum erit, ad huius auctarij perceptionem in Verbo: & ita in infinitum, absque vllo planè termino: quia quicquid adijcietur, erit semper aliquid intelligibile, ad quod in Verbo videndum, alia semper accessio facienda erit. Contradictionem verò implicat, poni tot modificationes vt nullæ sint vlterius possibiles: quia non plus figi potest alicubi terminus, ob perpetuam additamenti facti cognoscibilitatem, quàm sistere alicubi liceat in possibilibus continui diuisionibus, ob perpetuam & inexhaustibilem continui diuisibilitatem. Habemus ergo vnum saltem genus effectuum possibilium, quod impossibile est totum simul videri in Deo viso, vt necesse esset ad decus comprehensionis diuinæ, vendicandum notitiæ attingenti Deum sicuti est. Nam notitia comprehensiua, ita debet esse vna, vt tamen ad omnia cum re quæ comprehendi dicitur quoquomodò connexa peruadat: quod in cognitione creata fieri non potest, quia ob finitatem suam non potest per seipsam reflecti in sese, sed eget ad id additamento aliquo: quod rursus est intelligibile, nec potest esse perceptio sui ipsius, ob eandem causam: quæ æquè militat cum, cognitio est tantum obiectum secundarium, vt hîc accedit: reflecteretur enim in seipsam, prout est forma dans formaliter hoc quod est percipere: qua ratione non se habet vt obiectum secundarium, sed vt forma constituens intellectum percipientem.

180. Tentarunt aliqui eneruare hoc argumentum, exemplo notitiæ terminatæ ad ens in communi, quæ in seipsam quoque fertur, cum & ipsa sit ens aliquod, sub ente percepto comprehensum. Hæc tamen instantia apud me leuis est; quia existimo, conceptum entis confusum inædificari tantùm vni cuipiam rationi obiectiuæ singulari, quæ prima occurrit, addita extensione confusa non attingente rationes peculiares cuius enti intrinsecas, (alioqui esset infinitæ perfectionis;) sed eas per subrogatum conceptum adulterinum vtcunque adumbrante, qua de re plenè in Metaphysicis, tractando entis præcisionem. Itaque qui percipit directè ens in communi, non percipit eodem actu cognitionem suam, sed aliquid aliud cui extensionem illam superstruit, qua verè non attingitur prima cognitio, nisi alius actus ponatur qui reflectatur in primum. Prima itaque ratio, stabiliendi incomprehensibilitatem Dei per beatam Christi scientiam, rata esto.

Altera verò ratio quam iniisse videtur S. Thomas, opusc. 61. gradu 10. *sub finem*, & apertè Rada in 3. controu. 9. art. 3. sistit intra ipsum Deum: & ex eo quod cognoscibilitas Dei sit inadæquabilis, multoque magis inexhaustibilis per cognitionem vllam creatam; infert, neque Christi animam, neque vllum planè intellectum creatum, posse comprehendere Deum, etiamsi lumine infinito instrueretur. Deus enim est ens purissimum, & infinite perfectum, & quidem perfectione tanta, vt quamuis inderetur creaturæ lumen creatum intensiuè infinitum, adhuc tamen diuina perfectio, superatura esset tale lumen cognoscibilitate. Nec id mirum videri debet, supposita licet infinitate luminis: nam neque data qualitate infinita, vel quantitate partibus infinitis æqualibus inextensis constante, mirabile iudicatur, quod possit creari alia qualitas vel quantitas infinita, multo plures continens partes: quia in multitudine partium vel gradnum, non repugnat dari infinitum maius alio, vt patet ex longè auctiore infinitate pilorum in infinitis hominibus, quàm esset infinitas hominum. Nimirum excessus ille vnius infiniti supra alterum, non attenditur penes vltimum quid in eo infinito consideratum, quod minoribus partibus constare dicitur: vt fieret si quantitate infinitè extensa, daretur alia magis extensa, quæ propterea repugnat. Quod ergo in multitudine infinita concedi-tur; eam nimirum posse excedi ab alia multitudine infinita, multo magis admittendum est circa creatum lumen, infinitum intensiuè, collatum cum diuina cognoscibilitate essentialiter infinita, præsertim quia Deus ob rationem entis à se, illum quoque luminis cumulum, & infinitos alios perfectiores continet, vnde nunquam esset adæquabilis. Est ergo Deus, ex hoc item capite, incomprehensibilis: & quidem iuxta hunc modum secundum, non modo per vnicam actionem, sed etiam per quotcunque. Nulli enim plures creati actus, quantumcunque multiplicentur,

adæquaturi vnquam sunt diuinam cognoscibilitatem; ita vt Deus per eos dici possit, sin minùs perfectè & propriè comprehensus, ad quod vnica actio exigitur; at saltem latè, eo modo quo principium cum tot conclusiones ex eo deducuntur quot deduci possunt, comprehendi dicitur.

Cur anima Christi Deum non comprehendat, ratio S. Fulgentij, expensa & reiecta.

181. Vtrumuis porrò è duobus propositis modis tuendæ diuinæ per Christum incomprehensionis amplectamur, cessat incommodum quod potest obijci sententiæ B. Fulgentij, qui ad quæstionem tertiam Ferrandi, latè contendit animam Christi habuisse omnino plenam scientiam Dei: quod Ferrandus in quæstionis propositione, idem esse censuerat; ac comprehendere Deum. Docet quidem ibi Fulgentius, Deum intellectui creaturæ puræ incomprehensibilem esse habendum, iuxta illa huc à Fulgentio aptata, *pax Dei quæ exuperat omnem intellectum.* Philipp. 4. & illud ex Psalmi. 17. *ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum*: id est, Angelorum & animarum quarumcunque puros homines compingentium, subtilitatem incomprehensibili altitudine superauit. De Christi tamen intellectu vult peculiarem esse rationem hac in parte, ob vnionem animæ Christi cum persona Verbi. Ex quo infert, sanctissimam illam animam nihil minùs habere sapientiæ aut scientiæ, quàm Spiritum sanctum, & plenam esse ac immensam diuinitatis notitiam qua pollet. Quanquam addit, non idcirco dicendum esse animam Christi sic diuinitatem suam nosse, quemadmodum ipsa se diuinitas nouit; sed quamuis anima Christi, [Tantum diuinitatem noscat, quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim Deitas sic se nouit, vt hoc se naturaliter inueniat esse quod nouit: anima autem illa sic totam Deitatem suam nouit, vt ipsa tamen Deitas non sit Deitas, ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua; anima verò illa ab ipsa Deitate quam plenè nouit, accepit vt nouerit. Naturaliter ergo Deitas Christi, hoc est quod nouit; anima verò illa in eo quod scit Deitatem suam, non hoc se inuenit esse quod nouit. Non ergo quemadmodum se nouerunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, sic animæ suæ secundùm diuinitatem notus est Christus. Quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet vnam cum Trinitate naturam. Aliud est tamen vnicuique rei, nosse quod naturaliter est, aliud nosse quod naturaliter non est.]

182. Vides quæ vna distinctio, inter Christi de Deo notitiam, & notitiam Dei de seipso, reliqua sit iuxta Fulgentium, admittentem Deum plenè ab anima Christi cognosci: nempe quod notitia Dei sit accidentaria animæ Christi, ipsi autem Deo sit substantialis: quod est discrimen ex parte actus, quamuis ex parte obiecti, nulla sit inter vtramque visionem discrepantia, iuxta Fulgentium, quem ex parte verbatim descripsit Alcuinus l. 2. de Trinit. c. 11. vt proinde eodē modo accipiendus sit in hoc negotio. Fulgentium quoque allegat Magister in 3. d. 14. §. 2. memoria tamen quantum arbitror lapsus, dum Fulgentium ait hæc tradere in quodam sermone: cum tamen responsio Fulgentij proposita, longè aliud sit quàm sermo: expressitque distincte Magister, quod Fulgentius & Alcuinus absque dubio non negarent; nempe identitatem illam diuini actus Deum cognoscentis, & Dei, quæ diuino actui propria est, nec reperitur in actu quo Christus Deum videt: (Is quippe maximè distat à Deo cognito, & ab anima Christi cognoscentis;) præter illam inquam differentiam inter creatam hanc & increatam de Deo notitiam, ea quoque prærogatiua pollere scientiam increatam, quod clarior sit: vtique claritate se tenente ex parte actus, qui est in Deo infinities dignior & perfectior quàm in Christo, quamuis actus vtriusque eodem ambitu obiectorum distinctur, & Christus omnia sciat quæ Deus scit. Hoc ergo discrimen inter diuinam Dei de seipso, & creatam Christi de Deo notitiam, satis esse potest, vt negemus, Christi animam adæquare, atque adeò etiam comprehendere Deum, iuxta Fulgentium. Idcirco enim consulto visus est abstinuisse voce *comprehensionis*, qua vsus fuerat in sua propositione Ferrandus, plenam notitiam cum comprehensione discretè confundens. At Fulgentius, plenam illam Dei notitiam concedit animæ Christi; nunquam tamen eam nominat in actu signato *comprehensionem*. Fortassis quia existimauit ad comprehensionem requiri adæquationem, non modò totius cognoscibilitatis obiecti, sed etiam actus in seipso perfectissimi & clarissimi, quo obiectum illud attingi potest. Eo autem ex capite, perspicuum est scientiam animæ Christi, (vt Magister supra dixit,) non æquari Deo, eique scientiæ qua seipsum comprehendit. Aiebam verò huic modo tuendi incomprehensionem Dei per animam Christi, obstare graue incommodum, quo duplex modus à nobis propositus eximitur. Nempe quod ad incomprehensionem exigatur inadæquatio cognitionis & cognoscibilitatis obiecti, parumque referat vt notitia negetur esse comprehensio, quod detur alia eiusdem obiecti notitia in se perfectior, ac pretiosior entitatiuè. Nam si vtraque plene respondeat cognoscibilitati obiecti, vtraque dicenda erit comprehensio. Æquè enim corpus aliquod comprehendunt circulus ferreus & aureus, si ambo ei corpori circumijciantur, tametsi aureus sit entitatiuè nobilior: quod est planè extra rationem inclusionis totius illius corporis, penes quam statuitur comprehensio. Quare noster modus philosophandi de incomprehensione Dei per animam Christi, est longè præferendus: cum inadæquationem notitiæ creatæ, & Dei cogniti, non statuat ex parte solius actus quo alius possit dari entitatiuè perfectior, & in se limpidior, absque vlla tamen perfectionum obiecti & cognoscibilitatis eius delectione vberiore; sed quod solùm ad comprehensionem refert, statuat eam inadæquationem ex parte obiecti, nunquam per notitiam creatam quantuncunque plenam & illustrem adæquabilis.

Actus primi beatæ scientiæ Christi.

183. Restant principia scientiæ beatæ Christi Domini, quæ breuissimè expedio; sunt enim communia reliquorum Beatorum visionibus. Itaque si in cæteris Beatis reperitur species impressa Dei, reperietur quoque in Christo. Si verò assentia diuina applicat se cum intellectu Beati vt vice speciei exprimat cum eo partum intellectionis, idem quoque in Christo contiget, & ita reuera puto accidere. Item quia in cæteris Beatis, ex parte potentiæ admittitur qualitas roborans potentiam intellectiuam, seu lumen gloriæ; (est enim hoc lumen vera qualitas, & non substantia, vt Genebrardus in Psalmum 135. vers. 5. absurdè dixit, corrigendus per ea quæ habet Psalm. 35. v. 10.) admittenda quoque erit in Christo ea qualitas, ex parte potentiæ se tenens, de quo communiùs consentiunt DD. præeunte diserte D. Thoma quodl. 7. art. 1. vbi speciem Dei creatam reijcit; lumen verò creatum potentiæ indictum, ad eam videndo Deo aptandam, admittit. Denique quia hoc lumen in alijs Beatis non obit aliud munus quàm roborandi potentiam, eamque aptandi, vt sic instructæ connaturale sit Deum videre, & diuinum concursum supernaturalem deposcere ad promendam diuinæ essentiæ contuitionem; idcirco in Christo quoque, non est assignandum huic lumini aliud munus. Esto non deesset alius titulus eminentior ac sublimior; nempe vnio hypostatica, quo ea connaturalitas,

turalitas,& concursus naturæ indebiti exigentia,Christo competeret. Hic tamen fundatur in entitate nulli alteri muneri addicta, quod non habet vnio, quæ primariò spectat constitutionem personæ ex Verbo & humanitate compositæ, nec nisi consequentet spectat cætera.

Summa eiusdem scientiæ perfectio, concluditur.

184. Ex hactenus dictis perspicuum est, quanta sit perfectio scientiæ beatæ in Christo Domino quamque non modo omnium purorum hominum vel Angelorum scientiæ, sed alijs ipsius quoque Christi scientijs superemineat,Nam si obiectum attendas, videt Christus Deum in seipso, & perfectiùs eius cognoscibilitati adæquatur, quàm vllus creatus intellectus. Ex creatis verò in aliqua temporis differentia existentibus, totidem videt quot Deus: Omnia enim talia videt.Quo remlerim cum S.Hilario,9.de Trinitate,quod dixit Apostolus, latere in Christo omnes thesautos scientiæ Dei,sumpta scientia obiectiuè, pro rebus scitis.[Deus Christus (ait S.Hilarius) Sacramentum est, & omnes sapientiæ & scientiæ in eo thesauri latent. Portioni verò & vniuersitati, non potest conuenire: quia neque pars, omnia intelligitur;& omnia, partem non patiuntur intelligi.] En ergo vastitatem obiecti beatæ Christi scientiæ, ex hac parte. Deinde ex possibilibus & futuris conditionatis, plura videt Christus in Verbo,quam videat vllus Beatus,vel quàm ipsemet per scientiam infusam percipiat. Obiectum verò formale siue motiuum, quod pro alijs Christi notitijs est creatum, hîc est increatum; sub eminentissima ratione sub qua mouere possit. Actus verò est longè perfectissimus,præsertim præ cæteris scientijs,etiam Christi.Est enim tam multorum obiectorum planè vnus,& quoad substantiam inuariabilis, ac limpidissimus: Intensione autem, omnibus planè Beatorum visionibus auctior est: quippè proportionatus gratiæ Christi,quæ quantoperè Sanctorum omnium gratiam superet quantitate,dictum suprà est sufficienter.

In hunc sensum accipit S. Gregorius 18. moral.31. illud Iobi *non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, quod de aliorum Beatorum visionibus & fœlicitate sic exponit. [Auri metallum, nouimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri quoque natura est, vt extrinsecùs visu pura,intrinsecus perspicuitate perluceat.In alio metallo, quidquid intrinsecùs continetur, absconditur: in vitro verò, quilibet liquor qualis continetur interiùs, talis extetiùs demonstratur: atque, vt ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus, patet. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam,illam beatorum Ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem & claritate fulgent, & puritate translucent? quam Ioannes in Apocalypsi conspexerat cum dicebat; *Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide;ipsa verò ciuitas aurum mundum,similis vitro mundo*:Quia enim Sancti omnes, summa in ea beatitudinis gloria, claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in aternis cordibus patet, & cum vniuscuiusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur; hoc ipsum aurum, vitro mundo simile esse memoratur. Ibi quippe vniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus: Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque vnusquisque tam erit conspicabilis alteri,sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.]

Subdit pleraque de nostra è contratio caligine, mutis obtutibus nequaquam penetrabili. Tum addit c.32. Illa itaque Ciuitas quæ sua vicissim singulis cordibus manifestat, ex auro, similis dicitur vitro mundo, vt designetur auro clara, vitro perspicua. Sed quamuis in ea Sancti omnes tanta claritate fulgeant, tanta perspicuitate transluceant, ei tamen sapientiæ, de cuius imagine habent omne quod sunt, æquari non possunt. Benè ergo dicitur;*non adæquabitur ei aurum vel vitrum* Ad hoc enim Sancti omnes ad illa gaudia æterna perueniunt, vt esse Deo similes possint, sicut scriptum est;*cum apparuerit,similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*.Et tamen scriptum est;*Domine Deus virtutum quis similis tibi?*Et iterum; *aut quis erit similis Deo inter filios Dei*.Vnde ergo similes, & vnde non similes, nisi quia huic sapientiæ,& similes erunt ad imaginem, & tamen non erant similes ad æqualitatem?] Et agit de sapientia Dei incarnata, quod monstrat apertè limbus hic capitis. [Dicatur igitur rectè; *non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, quia quantalibet Sancti claritate, & perspicuitate fulgeant; aliud est homines esse sapientes in Deo, atque aliud esse homines sapientiam Dei. Quam profectò sapientiam ille veraciter agnouit, qui mediatori Dei, & hominum, aliquem comparare Sanctorum,minimè præsumpsit.]

Tandem principia & habitus huius visionis, eiusmodi sunt, vt nihil præcellentius cogitari queat. Nam species, est ipsa diuina essentia:lumen verò indiuiduaIiter nobilissimum est, & intensione summum iuxta diuinæ sapientiæ regulas, & seruata proportione cum gratia habituali; quæ eatenus, vt vidimus, summa est, & non ad mensuram Christo data, vt ipsemet professus est Ioan.3. Vt proinde intellectus Christi videri possit quasi cœlum suppremum in genere intellectiuorum, omnem in se intellectuum quorumcunque creatorum compagem finiens: qua similitudine, tres ex tribus generalibus essendi modis petitos intellectuum gradus, & eis correspondentes sphæras obiectiuas, exposuimus in Natur.Theol.d.4.n.11.

Breuiculus capitis,& vsus doctrinæ

185. Summam doctrinæ toto capite traditæ, hîc exhibeamus. Intellectus Christi humanus, cognitionem creatam qua sola potiri potuit, sortitus est duplicem: nempe naturalem, procedente tempore citra infusionem per accidens (nisi quoad qualdam naturalis ordinis gratias gratis datas:) & supernaturalem, cum per se infusam, Spiritus sancti donis & prophetiæ munere,alijsque intellectualibus gratijs gratis datis supernaturalibus splendentem; ac beatam: à primo vtramque conceptionis momento. De perfectione scientiæ Christi acquisitæ & naturalis, quoad obiectum, actum,& habitum similiter ac in nobis sentiendum est: addita tantùm perfectione accidentaria maiore, ex ingenij bonitate, & externa Dei protectione. Ad infusæ obiectum, spectant omnia actualem quandoque existentiam sortita; & ex conditionatè futuris, itemque ex entibus merè possibilibus, nonnulla. Insuperque omnia gratiæ mysteria, & Deus eorum autor, etiam quâ Trinus, euidenter quoad an est, tametsi abstractiuè, & per alienam speciem innotescens. Eiusdem scientiæ actus, eximiè perfectus est, & numero multiplex,ac variationis capax.Principium proximum habet, species Angelicis vniuersaliores, & lumen essentialiter simplex, à beatifico distinctum. Tandem ad scientiæ beatæ obiectum, spectant,Deus vt in se est, & omnia scientijs inferioribus obuersantia, ac etiam ex possibilibus & futuris conditionatis, longè plura. Actus ita intensione & claritate cæteris beatificis visionibus præcellit, vt tamen non sit Dei comprehensio. Principia eius proxima, eadem quæ cætetarum beatificarum visionum, salua præcellentia,ex actu præcellentiore colligenda.

Vsus doctrinæ, peti potest ex perpulchra. Origenis consideratione tract. 14. in Matth. vbi mysticè exponens asinam & pullum quibus Christus insedit, eosque interpretatus, fideles Christo credulos, subdit. [Non tibi iudicatur sermo insulsus, quod fideles homines

mines animalibus comparentur. Forsitan enim tale quid intelligens & Propheta, dicit se factum esse quasi iumentum: Non simpliciter iumentum, sed vt iumentum apud Deum, vel apud Christum eius, secundùm quod ait; *Vt iumentum factus sum apud te.* Nam quantum ad Deum, iumenta sumus, non solùm nos, sed etiam multo nobis prudentiores. Sic autem quantum etiam ad Pastorem Christum, eius oues sumus, quoniam tanta distantia est inter eum & nos; quanta inter hominem, & qualecunque iumentum.] Hoc quàm appositè sit dictum, collata inscitia nostra cum summa Christi sapientia quam hoc caput perspicuè exhibuit, deprehenderetur nullo negotio. Alios fructus addam agens de Christo Magistro.

Ille tamen hoc loco tacendus non videtur quem Matthæus Radeus l. 3. de vita Petri Canisij cap. 1. optimè ex magni illius viri sensu notauit; Nimirum cum tanta esset intellectus Christi perfectio, tante sapientiæ in Deo homine vbertas, iam ab infantia, & ex ipso materno vtero; tamen vt innocentiæ nobis ac simplicissimæ obedientiæ exemplum luculentum statueret, quandiu ætatis decorum id tulit, non aliter se gessisse Christum quàm infantes solent, nec plus, sapientiæ aut prudentiæ prodidisse quàm ferat vsus infantium vulgarium. Attigerat hoc ipsum verè prodigium Zeno Veron. serm. de Natiuit. paucis illis verbis magnam poscentibus admirationem. [Verbum carni mixtum se fingit infantem.] Inde volebat Canisius, inferri ab ijs qui alieno ductui subsunt, præsertim à religiosis, quantauis priuatim sapientia polleant, debere ipsos non secus ac infantes & perinde ac si destituerentur omni sapientia, alienis præscriptis se conformare, & ductum maiorum simplicissimè sequi; vt à Christo factum nostri causa.

CAPVT II.

Specimina thesaurorum sapientiæ & scientiæ Dei in Christi intellectu, ad liquidiorem perfectionum Christi intellectualium hactenùs expositarum introspectionem expensa.

186. IVuat ad pleniorem perfectionum intellectus Christi Domini intelligentiam, illustres quosdam actus sapientiæ & scientiæ Dei in Christo, & velut specimina earum in quibusdam euentibus à Christo exhibita, paulò acuratiùs scrutari: idque vt contemplatio sit gratior, & amœnior, plusque habeat autoritatis, Patrum fere verbis præstabo. Recipio autem duntaxat sapientiæ & scientiæ Dei in Christo specimina persequi, hoc est scientiæ infusæ & beatæ: nam scientia acquisita & naturalis, est scientia hominis, non Dei, neque à Deo infunditur, sed labore hominis & experimento paratur. Et quod nullum eius in aliquo euentu illustre exercitium prodant sacræ literæ, Patresve expendant, visa est hoc loco prætermittenda. Infusæ verò scientiæ, nec non beatæ vsus insignes, celebrantur in Scripturis, & à Patribus excutiuntur. Quare meritò insistemus illis tantisper.

Argumentum sapientiæ, in Christo duodenni.

Varia in hanc rem à Ruperto annotata lib. 1. de operibus Spiritus S. c. 21. quod minutiora necadeò illustria videantur, placet prætenire. Illud verò in primis tamquam præcellentissimum scientiæ Christi infusæ argumentum consideratione dignissimum est, quod exhibuit duodennis, omnibus qui eum audiebant, vt Lucas ait cap. 2. in stuporem actis super prudentia & responsis eius: hoc est ob perspicacissimum & auctissimum captum omnium quæ à legis Doctoribus proferebantur, ob profunditatem sapientiæ quam in eo consessu loquens tantula ætate puer prodebat, conditissimis & refertissimis scientiâ sermonibus. Vnde factum, vt homines arrogantissimi & inflata vesica tumentiores, puerum ex quo auditus est, admittere ad consessum, & cum eo disserere ac colloqui in Templo medio non sint dedignati, quamuis ante humi sederet. Qua ratione iniri forsassis conciliatio poterit, dissidentium hac in parte opinionum. Nam plerique cum antiqui tum recentiores, censuerunt Christum inter Doctores quidem sedisse, vt habet Lucas; non tamen consedisse Doctoribus, sed humi sedem habuisse. Quod adeò verum iudicauit Coluenerius l. 2. Cantipratani cap. 34. p. 4. vt scripserit, pictores qui hodie pingunt Christum in cathedra, ex æquo cum Doctoribus sedentem, contra Christi humilitatem facere, & aduersari decreto Concilij Tridentini sess. 25. vetantis inducipicturas insolitas. Verùm pro pictoribus facit, vsus non recens inductus, qui eos aduersus canonem in nouas picturas intentatum regit. Et quamuis Christum non se gessisse vt Doctorem, haud obscurè tradat Lucas (id quod etiam perpenderunt Orig. ad cap. 2. Lucæ & 5. Gregor. hom. 2. in Ezech. ac parte 3. pastor. admonit. 26. inde inferentes; sicut Christus quamdiu per ætatem non poterat Doctor videri, non se gessit vt Doctor: sic neque eos quibus per experientiam, aut ætatem, vel virtutem licet Doctores esse, debere ad docendum se ingerere:) quamuis inquam Christus non se gesserit vt Doctorem, tamen animaduersa prudentia & responsis eius, potuit à Doctoribus ad altus subsellium vna secum euocari, vt commodiùs ab omnibus audiretur, qui stupori in ea ætate erat.

187. In hoc primo gustu scientiæ infusæ quem Christus exhibuit, obseruat Petrus Symonis tract. de confessu pueri Iesu in templo, *ad finem*, non secùs gessisse se Christum, quàm qui captant admissionem in societatem artis vel officij alicuius, ad professionem publicam eiusdem artis. Edunt enim prius specimen aliquod artis suæ, & præclaro quopiam opere, peritiam suam probant. Non secùs igitur Christus, vt in ijs quæ Patris erant, oportere se esse demonstraret, omnibusque, proderet mortalibus quas doctrinæ cœlestis mucos expositurus venisset, insigni omnino sapientiæ clarus emicuit, in ea cum Doctoribus disputatione. Rem gestam minutè admodum ac graphicè expressit in disputatione de hoc argumento Præsul & Theologus proximè laudatus piè meditatus ingresso Christo templum, cum in disputantes ad populum Doctores, & varijs de Lege quæstionibus queis pulsabantur enodandis intentos incidisset; proposuisse ipsum quoque ea modestia & gratia quæ hominem merum; ea verò perspicacia & solertia quæ longè superare ætatem minutam, eroremata nonnulla: & in ijs expediendis impeditos Doctores, proculque à vero pro Iudaica in rebus spiritualibus crassitia aberrantes, iuuisse responsis sapientiæ diuinæ, plenissimis. Quæsitum ergo concipit, & recte; de Messiæ persona: homóne, an Deus, an vtrumque foret, libratis ad id varijs Scripturis, quibus Messiam nequaquam purum hominem, sed Deum simul atque hominem futurum, dedoceretur Scribarum & Pharisæorum stupiditas, quæ carneis duntaxat oculis Messiam prospectans, nihil de eo supra carnalia & humana cogitabat. [Inuenitur in templo (ait Aëlredus tract. de puero Iesu duodenni) in medio Doctorum & seniorum, & paternæ pietatis de hominum reparatione consilium sicut Angelis, & sanctis carne exutis (quantum videbatur,) propalauerat in omnium locorum sacratissimo templo Hierosolymitico, & his primò qui preciosissimum huius promissionis thesaurum in sacris literis versabant, paulatim inciperet referare, primùm audiens & interrogans, deinde sacratissima mysteria prodens. Denique mirabantur omnes super prudentia & responsis eius.]

Quæ

Quæ hæc responsa? Quod enim acutè obseruauit Origenes hom.18.in Lucam, non mirabantur qui adeant super interrogationibus, (quamquam & ipsæ erant planè mirabiles,) sed super responsis. [Aliud est (inquit ibi Origenes,) interrogare, aliud respondere. Interrogabat magistros: & quia respondere non poterant, ipse his de quibus interrogauerant, respondebat. Quod autem responsio non vicissitudinem sermocinandi, sed doctrinam in Scripturis sanctis sonet, lex diuina te docear. Moyses loquebatur, Deus autem respondebat ei voce. Responsio illa eorum erat, super quibus ignorantem Moysem Dominus instruebat. Interdum interrogat Iesus, interdum Respondet, sicut supra diximus. Quamquam mirabilis eius interrogatio sit, tamen multò mirabilior est responsio.]

Id est doctrina quam Iesus per eam occasionem profundebat, eruitans absconditè à constitutione mundi. Planè tunc Christus super omnes docentes se intellexit, prout ea verba ad Christum aptauit Prosper in Psal.118.*litera Men*,v.3.his verbis.[Super omnes Doctores intellexit, quem Pater docuit: quod ex persona Verbi difficile intelligitur, nisi quis vtcumque capere valeat, id esse, filium à Patre doctum esse, quod genitum. A quo enim ei est esse, ab ipso est simul, doctum esse. Ex persona verò hominis, vbi formam serui accepit, facilius intelligitur à Patre didicisse, quæ dixit. In qua forma, puerum putauerunt homines maioris ætatis docendum. Sed ille quem Pater docuit, subtilioris erat intelligétiæ quàm docentes.] Puerum quinquennem *Achas* nomine, in quo Christus expressim à se in humili ætate sapientiam repræsentatam volut, refert Thomas Cantiprat. lib. 2.Apum, cap.28.à num.2. Et prodita quidem est in illo pueto, admirabilis supra ætatulam sapientia. Sed nihil illa ad Christi pueri sapientiæ specimina. Meritò vt S.Augustinus ad titulum Psalmi 101. animaduertit, [horrent mirantur-que sapientiam Dei, pueri duodennis, imperiti senes. Aut etiamsi periti senes, quid illorum peritia ad Verbum Dei? quid illorum peritia ad sapientiam Dei;Nonne & periti, nisi illo subueniente vtique perituri?]

Luculentiora sapientiæ specimina, in Christo prouectiore inter hostes.

188. Proficiens ætate Christus, profecit & sapientia, id est iuxta Theologi & aliorum interpretationem non incommodam superiùs prolatam, argumenta dabat cumulatoris & auctioris sapientiæ. Ex delusis duplicis generis hostibus, eum sapientiæ cumulum in Christo prouectiore, petit Aelredus tract. de Christo duodenni,*sub finem*, verbis illis. [At si iucundum dueris, insidias Scribarum & Pharisæorum toties deprehensas, callidas eorum obiectiones, responsionum illius prudentia confutatas, occulata mente perspicere, sapientiæ eius lucem, clariùs emicare persenties.] Et mox.] Non minoris sapientiæ fuit, quòd vt principes huius mundi fallerentur, inter diuina miracula à Diabolo se tentari permisit, quòd velut agens esurierit, quod in naui dormierit, quod crucem moriturus ascenderit.]

Sapientiam Christus aduersus hostes visibiles & invisibiles iudice Aelredo prodidit. Malitia sanè & virulentia Iudæorum hostium visibilium Christi Dominì, ac spiritualium & inuisibilium nequitiæ in cœlestibus, simul in Christo impetendo iungebatur: vt proptereà S.Gregor.7. Moral. cap.15.in eam sententiam explicet illud Isaiæ 54. *Erit cubile draconum, & pascua struthionũ & occurrent dæmonia nonecentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum.* Tam tetri tamque maligni hostes,quàm his bestiarum appellationibus mysticè ad eos aptatis innuitur, erant adeò conferti, vt Christus ipse professus sit apud Psaltem, multiplicatos esse super capillos capitis;id est fuisse propè innumeros. Non eos malignitas, non vafrities & calliditas, non potentia & vires, non fauor hominum sibi in sua prauitate abblandientium, deficiebat: foderunt illi animæ Christi multiplices foueas, vt autor tract. de pass. Dom. apud S.Bernardum cap.3. considerat, libratis nominatim exemplis machinationum, quoad mulierem in adulterio deprehensam, & quoad negationem census pendendi Cæsari. Disputit tamen ac discussit Christi prudentia & sapientia, artes omnes & consilia eorum; quod idem S.Gregorius hom.2. in Ezech. expressum censet ea specie quæ Ezechieli obuersata refertur c.1. cum ait. *Et vidi & ecce ventus turbinis venebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri id est de medio ignis.* Ventum turbinis ab Aquilone reflantẽ, interpretatur S.Gregorius, Iudaicum furorem à Satana concitatum, vnde nubem magnam id est totius gentis caliginem & obcœcationem secutam docet; ignemque malitiæ inuoluentem; cuiusmodi is est quem Apostolus Hebr. 10. consumere aduersarios profitetur. Inde eruptisse quidem post Christum persecutionem in Apostolos, sed vt addit; [Iste ignis malitiæ qui à Iudæorum cordibus arsit in persecutione, priusquàm sanctos Apostolos sæuiendo affligeret, in ipso se exercuit auctore ac redemptore generis humani. Vnde & subditur: *Et de medio eius, quasi species electri, id est, de medio ignis.* Quid electri specie, nisi Christus Iesus, mediator Dei & hominum designatur? Electrum quippe ex auro & argento est. Quasi electrum ergo in igne est, Deus factus homo in persecutione.] Vtique tam Iudæorum, quàm intendentium Iudæos Satanæ copiarum. In hoc igitur summam Christi sapientiam patefactam censet Aëlredus loco notato, quod tantam malignitatem & hominum Satanæ mancipiorum, & ipsius Satanæ, declinare quantum libuit, & necessitatis nostræ ratio, Deique hominis dignitas tulit, nullo negotio potuit, & artem sapientiore arte deludendi modum calluit: vt palpatum experimento est, cum laquum bicipitem posuerunt, quasi capiendo Domino. Verba sunt S.Augustini in Ptalm. 7. coactis Pharisæis simul ac Herodianis, & alias cum variis nequitiæ Iudaicæ cohortibus, Pharisæis inquam & Sadducæis, nunc seorsim, nunc coniunctim, vt cum caperent saltem in sermone, vbi facilis est prolapsio: (nam neque abs re lingua in vdo est,quia facile labitur, vt S.Augustinus obseruauit;) abijt tamen semper immunis ab eorum pedicis, imò dentes eorum contriuit in ore ipsorum. In quam rem idem D. Augustinus ad Psalmũ illum 57. alia similia exempla conglobat.

189. Nemo non vider quantum in his prodatur intellectuale Christi lumen. Verùm si rem accuratè expendimus, à sapientia siue perfecta scientia speculatiua in qua versabamur, quamque Christus expressit in primo statu scientiæ quem duodennis exhibuit, vix aduertentes transitum fecimus ad scientiam practicam, siue prudentiam, cuius propriè est prospicere ne quis aduersarij dolis pateat, easque declinare aut auertere. Quare reueniendum est ad sapientiam. Et quamquam prudentia in Christo, est portio scientiæ infusæ; tamen alia sine dubio ratio est notiæ quæ mera notitia est, nec operationem spectat; alia notitiæ quæ ad operatione collimat, & idcirco practica dicitur nec solet *sapientiæ* nomine denotari,nisi latè sumpto nomine,vt cum Beseleel dicitur impletus à Deo sapientia,ad externa quædam artificia ritè perficienda. Negari non potest, quin Christus plerumque inter confutandum hostes, radios aliquos eius sapientiæ quæ presè & propriè sapientia dicitur, foras emiserit. Nam responsum à Christo datum Pharisæis, capitiosè & subdolè quærentibus quod esset mandatum magnum in lege, S. Hilar. Cano.23.in Matth.ita effert, vt dicat, [Ea res-

ponsio, omnem in se veritatis est complexa doctrinam.] Et ita in similibus circunstantijs à Christo factum notare facilè licet. Sed aliud tamen est, per occasionem strictim & obiter intermicare doctrinæ tadium, aliud per otium ac ex instituto. Solem veritatis; doctrinæ inquam cœlestis plenitudinem exhibere, quod factum frequentissimè à Christo est, post primam illam quam initio expendimus sapientiæ suæ publicationem & expositionem, in Synagogis, in Templo, in varijs Iudææ oppidis ac vrbibus quas Euangelizando pertransibat, stupore defixis in tanta eius sapientia, non plebijs tantum, sed & iis qui sapientiam profitebantur, & pro ea supra vulgus efferebantur.

190. Hanc ob causam Origenes tomo 19. in Ioan. tractans verba à Christo dicta in gazophylacio, pulchrimè tradit verba vitæ æternæ ibi à Christo prolata, & sapientiæ eius plenitudinem ibi proditam, omnia aliorum munera longissimè superasse. Subditque, [Atque aurum sanè omne, cæterorum qui in Gazophylacio ferebant quæ habebant, arena erat pauca, comparatione verborum Iesu. Sapientia siquidem erat quijs eius sermo, de qua dicitur; *omne aurum coram sapientia, est pauca arena, & ceu cænum reputabitur argentum coram ea*: Et hæc certè considerabunt, quotquot edocti sunt audire sapientiam illam, quæ annunciatur inter perfectos in mysterio abscondita, quam prædestinat Deus ante sæcula ad Iustorum suorum gloriam. Considerabunt hoc etiam qui despicere valent sapientiam Dei longe excellentiorem sapientiâ huius sæculi, vel principium sæculi huius, qui destruuntur, seu qui vtuntur propriis Prophetis, & tutantur qualescumque sermones alios, præter veritatem: nam cæteræ sapientiæ, quæ veluti aurum reputantur, arena sunt parua coram sapientia quam creauit Deus principium viarum suarum ad opera sua: argentumque, splendida, & eloquens multorum oratio, ceu cænum reputabitur coram castis sermonibus Domini, qui igniti sunt, & purgati, & probati septuplum, quia processerunt ab illo sermone, qui erat in principio apud Deum.]

Sed insignis est in hanc rem locus Marci. 1. *Sabbatis* (inquit,) *ingressus Synagogam docebat eos. Et stupebant super doctrina eius. Erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.* Rursus c. 6. *facto sabatho cœpit in Sinagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes. Vnde huic hæc omnia? & τίς ἐστ sapientia quæ data est illi?* Eadem habet Matheus cap. 13. Et vterque addit, scandalizatos in eo fuisse Iudæos. Conspicabantur enim in externa specie adeò vili, & sub tam sordido carnis pallio, tantam sapientiam, vt stupore defigerentur: neque tamen vnde tanta sapientia esset, agnoscere sustinebant, & filium se Dei, ac Deum verum simul ac hominem profitenti Christo, auscultare renuebant. Itaque scandalum patiebantur eius occasione, mentientes Christo tanquam filii alieni, & claudicantes in semitis suis; hinc diuina in eo dona cum stupore & extasi collaudantes; hinc auersi à persona, vt impleretur in eis iuxta præclaram D. Cyrilli obseruationem in expositione symboli Nicæni, quod Genesis 32. Iacobo accidisse in figura legimus. Per noctem quippe, vidit Deum facie ad faciem, atque adeò corporali specie vnde saluam factam esse animam suam, contestatur: orto autem Sole, quando transijt species Dei, claudiacauit Iacob coxa altera. Visus ergo in terris est Deus, carne amictus, & luctatus per viæ huius ac vitæ noctem cum Iacobi genere, docens ac reuincens eos obluctantes: sed non rectè incesserunt coram eo, nec doctrinam & sapientiam Christi quam suspexerunt, ratam habere, & firmare assensu suo voluerunt.

Paria in Christo cum suis agente, notata.

191. Clarius & expressiùs occulta & incerta sapientiæ suæ Christus Dominus, coram lecto manipulo Domesticorum, (Apostolos dico, sanctosque discipulos,) manifestauit atque retexit. His enim datum est nosse mysteria regni Dei. Apud hos eructauit abscondita à constitutione mundi; quoque mundana sapientia vniuersa, ne suspicione quidem attigit, iis plenissimè & explicatissimè exposuit. Quod S. Cyrillus eodem opere expositionis symboli Nicæni, egregiè notat expressũ fuisse in benedictione Leui, Deuter. 33. verbis illis. *Data Leui manifestationem eius, & veritatem eius, viro sancto quem tentauerunt tentatione: & obiurgati sunt apud aquã contradictionis. Qui dixit patri & matri, non vidi te, & fratres suos non agnouit.* Ordinauerat quidem vniuersorum Deus, poderem vestem fieri Aaron varijs modis contextam, quam Soli summo Sacerdoti gestare licebat, & concedebatur. In pectore autem summi Sacerdotis, fuere lapides quidem elaborati numero duodecim, in quorum medio figuratum erat, *manifestatio, & veritas*, duo iterum alij lapides. Cæterum per hos duodecim, Apostolorum chorus ænigmaticè demonstrabatur, quasi in circulo Emmanuelem cingens, qui est manifestatio & veritas. Manifestauit enim nobis veritatem cultus qui in vmbris & figuris erat, finem ei imponens.] Expendit sigillatim, & Christo aptat singulas testimonii propositi voces. Ostendit enim Christum fuisse Leui, id est Sacerdotem ac Pontificem nostrum, prout ab Apostolo distinctè nominatus est Hebr. 3. Et hunc Leui, ait verè fuisse virum sanctum, quia peccatum non fecit. Contra quem tamen iurgati sunt filii Belial. Qui dixit cognationi suæ, vt Marcus c. 3. testatur, non noui vos. Huic igitur Sacerdoti Sancto, Moses prænunciabat interprete S. Cyrillo, dandam esse manifestationem & veritatem in medio duodecim discipulorum, quos sapientiæ luce plenissima collustraturum, & sapientiæ thesauris quos à Patre acceperat ditaturum, præcognoscebat Moses.

Exclamabo hic cum Bernardo serm. 6. de Ascens. [Beati oculi qui videbant Dominum Maiestatis in carne præsentem, auctorem vniuersitatis inter homines conuersantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos suscitantem, dæmoniis imperantem, & potestatem similem hominibus conferentem; mitem & humilem corde, benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem, agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures quæ verba vitæ ab ipsius incarnati verbi ore, percipere merebantur; quibus enarrabat Vnigenitus qui est in sinu patris & nota faciebat quæcunque audisset à Patre, vt fluenta doctrinæ cœlestis ab ipsius veritatis purissimo fonte hauritent, vniuersis postmodum gentibus propinanda, imò eructanda potarent.] Reuocant mihi ista in memoriam, votum ex Augustino iactatum, Christi conuersationem in carne, Romæ triumphantis gloriam, & Pauli prædicantis habitum coram perspiciendi. Verùm quid Pauli prædicantis sapientia & facundia, ad sapientiam & facundiam Christi verba gratiæ ex ore suo emittentis? Itaque meritò S. Bernardus, beatos pronunciat qui Christi prædicantis sapientiam, ipsimet, hausêre.

Locuples verò sapientiæ & scientiæ Dei in Christo testimonium, dabat futurorum prænunciario tanto ante facta. Certissimè quippè, & distinctissimè Ierosolymorum destructionem post suum obitum euenturam prædixit; & vt constaret quam longiùs mentis suæ obtutum dirigeret, quæ extremo mundi tempore ventura sunt, clades intereuntis orbis & vergentis in ruinam, Antichristi Aduentum, & Iudæorum pro eo studia, apertè enunciauit: vereque se Prophetam magnum, & arcanorum Dei probè conscium iis ab hominum sensu tam remotis, tanto ante euulgandis, probauit. Quid latebrarum humani pectoris peruasio, &

eorum

eorum quæ quisque corde secum tacitus agitaret introspectio? Accumbebat apud Symonem Leprosum adúoluta est ad pedes eius super mensam mulier de-nitæ famæ. Fastu tumens Symon, Christum despexit, tamquam nescium probrorum mulieris, qui se ab ea contingi non prohibuisset. Eam cogitationem vix admiserat Symon, clausamque pectore premebat, cum deprehensum se agnouit, & quid animo voluisset innotuisse ei in quem temerè falsum & imprudens iudicium intorserat. Nequitiam Pharisæorum & Scribarum animo adhuc latentem, frequenter eduxit; à se perspectâ demonstrans. Qua ex causa Origenes hom. 2. in Cant. *subfinem*, Christum sponsum à sponsa cencollatum cum caprea & ceruorum hinnulo. Nam caprea, acutissimè videt, & inde Dorcas παρὰ τὸ ἐξέπος δέρκεσθαι nominata est. Ceruus verò serpentum inimicus ac debellator, spiritu narium eos extrahit de cauernis: Vtrumque in Christum quadrat bellissimè. Nam & in penitissimas hostium latebras prospexit, & ibi abditam virulentiam, eduxit atque deleuit. Egregiè illam acuminis capreæ cum Christi perspicacissima noua comparationem, (ceruo tamen aliter ad Christum aptato,) accommodat Philippus Abbas suo l. 3. in Cantica cap. 4.

Nonnulla scientiæ beatæ in Christo viatore specimina.

191. Omnia quæ protulimus hactenus, ad scientiam Christi infusam pertinent. Scientiæ verò beatæ vsum, (idem Origenes) si tamen ipse verè autor,) homil. 3. in Cant. deprehendit eo loco Canticorum quem proximè versabamus, *similis est dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum.* Ceruorum namque hinnulo collatum Christum cum dixisset, quia puer natus est nobis, [verè ceruus amicitiarum qui premit serpentem, Euæ seductorem, solutoq; in carne sua inimicitias quas inter Deum & hominem noxius mediator effecerat,] hæc inquam cum dixisset, & *montes excelsos*, aut vt alius habet locus, *montem excelsum*, tres personas vnum Deum; ceruus, sed huic ceruorum, sanctorum inquam maiorum hinnulo sequestratos præfatus; subdit, iure capreæ quoque vel damulæ collatum fuisse Christum Dominum. [Hoc animal quantum ad Græca vocabula, nomen à videndo, atque clariùs prospiciendo sortitum est. At quis est qui ita videat, vt videt Christus? Solus namque est qui videt, id est, agnoscit Patrem. Nam & si dicantur hi qui mundo sunt corde Deum visuri, videbunt ipso sine dubio reuelante, quia & caprea habet in natura sua, vt non solùm videat ipsa & perspiciat acerimè, sed & aliis visum præbeat. Asserunt namque hi quibus medicinæ peritia est, inesse huic animali intra viscera humorem quendam qui caliginem depellat oculorum, & obtusiores quoslque visus exacuat. Meritò ergo capreæ vel damulæ Christus comparatur, quia non solùm videt ipse Patrem, sed & videri ab aliis facit, quorum visus ipse curauerit.]

Vidit Deum Christus per scientiam beatam, & præstitit vt eum in hac vita per fidem contueremur, plenius & liquidiùs in altera conspecturi per speciem ex beneficio eius. Nam quamuis naturæ luminæ plenaque nobis in hac vita de Deo pateant, perpauca tamen sunt ac tenuia, præ iis quæ per Christum didicimus: præsertim verò distinctio & numerus personarum in Deo, ante Christum nemini liquidò innotuit; cum planè transcendat lumen naturæ, eiusque detectio seruaretur in plenitudinis tempus. Esto aliqui velut per rimulas ad aliqualem huius mysterii notitiam in veteri testamento, ex spiculo lumine reuelationis tunc affulgente peruenerint. Explicita tamen & aperta tanti arcani diuulgatio, Christo scientiarum Domino debebatur, quia *nemo nouit Patrem nisi filius & cui voluerit filius reuelare.* Ipse eam notitiam primùm discipulis tradidit, tum per discipulos cœlo illatus orbi vniuerso cõmunicauit. Quo S. Augustinus q. 154. in Exodum, applicat illud Mosi datum responsum, *cum transierit gloria mea*, cum inquam Christus ex hac vita transierit *me videbis.* Nec non tract. 100. in Ioan. circa illa verba, *ille me clarificabit*, eo aptat illud Psalmi 107. *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Tunc inquam innotescet, vt vnus in substantia, in personis trinus. Nec mirũ si tanta *gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquã. Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* Nemo potuit veritatem Dei, & doctrinam de eo quem non vidit, hominibus proponere. Solus Christus quia in sinu Patris est, & ad abdita & arcana eius peruadit tamquam testis oculatus, potuit nos docere quis & qualis esset Deus. Sibi enim visa refert, ideoque est fide dignissimus. Hunc genuinum sensum loci ex c. 1. Ioannis, quo scientia Christi beata, eiusque nobiscum agenti vsus perspicuè traditur, expressit S. Chrysostomus hom. 14. in Ioan. & ad eundem locum S. Thomas, nec non optimus in paucis interpres Franciscus Ribera.

Quotidiana & futura, sapientiæ Christi argumenta.

193. Volo in hac meta, promere specimen omnino insigne scientiæ Christi, quod post vitæ huius scamma decursum, & exhibet iam nunc, cuinis homini è viuis excedenti, & exhibebit multo luculentiùs, omnibus simul hominibus & Angelis congregatis in die iudicii. Suppono enim vt probabilius, Christum in obitu vniuscuiusque, ferre sententiam iudicii particularis. Suppono item vt certum ex fide, Christum in mundi fine omnes omnino iudicaturum, & sententiam, ab ipso (vt est verisimilius,) latam in particulari iudicio confirmaturum. Ad iudicandum autem exigitur scientia. Quis enim nisi stultè aut iniquè iudicet, de re quam non notit? Igitur Christus, omnium planè rerum de quibus iudicandum est, hoc est, omnium planè actuum bonorum & malorum cuiusuis hominis, & Angeli, cùm internorum, tum externorum; omnium inquam cogitationum, & volitionum, & factorum, notitiam habeat necesse est. Et quidem in fine mundi, simul percipiet quæ ab initio orbis conditi fuerint, ad illud vsque tempus & sæculorum omnium clausulam. At hinc tanta vastitas notitiæ & tam immensa scientiæ plenitudo colligitur, vt adstupeat illi necesse sit, qui paulo attentiùs de ea cogitarit. Quis enim suas vel vnius tridui cogitationes possit agnoscere, nedum recensere, vt de omnibus pronunciet distinctè & sigillatim? Rectè omnino S. Macharius hom. 12. affirmat id cuiuis esse impossibile, & nemo id in seipso non experitur. Quanta ergo est Christi scientia, quamque immensa, quæ tot obiecta, tot actus, tot personas simul & semel vno tempore distinctè ac dilucidè perspicit, vt necesse est ad ferendum circa illa iustum iudicium? Perfectionem diuinę scientiæ, ex hoc capite intulimus in Natur. Theol. dist. 8. num. 45. cum Sebundio tit. 84. & dialog. 2. de homine cap. 13. Sed cum Pater omne iudicium filio dederit, non dubium quin eadem ratiocinatio ad vestigandam perfectionem scientiæ Christi, & ad prodendum illustrissimum illius specimen sit aptissima.

Non videtur posse altiùs effetri sublimitas & immensitas scientiæ Christi, ad quam omnis omnium creatarum mentium scientia, vix sit quod stilla ad Oceanum, Promunt sanè ex ea plenitudine, omnes quicquid habent vt supernaturalis notitiæ: hinc sunt thesauri è quibus Spiritus scientiæ, & sapientiæ, & intellectus, ac consilii, quasi venti mystici educuntur, vt egregiè philosophatur Origenes homil. 5. in Ierem.

conclu

concludens, sanctos quidem variis illis spiritibus donatos, esse thesauros. [Isti autem omnes thesauri, vnũ habent thesaurum in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Et quomodò possideo vnam pretiosissimam Margaritam per plures alias Margaritas, sic venio ad thesaurum thesaurorum, & dominum dominorum, & regem regum, cum dignus fuero spiritibus in Dei thesauris commorantibus.]

CAPVT III.

Depulsio defectuum & imperfectionum nostratium, ab intellectu creato Christi Domini.

194. VT perfectiones positiuæ intellectus humani Christi Domini, de quibus hactenus actum est, plenè innotescant; subiicienda est quædam (vt sic dicam,) negatiua eiusdem intellectus perfectio, sita in carentia defectuum nostratium, tum quoad cognitionem, tum quoad cognitionis modum. Quidam enim ex his defectibus quibus intellectum nostrum hîc in via laborare dico, excludunt cognitionem veram; siue priuatiuè, vt ignorantia; siue contrariè, vt error & falsitas. Alii conferuntur cognitioni interdum veræ, sed errori & falsitati ob motiui sui debilitatem obnoxiæ, vt opinio & fides humana, quibus est non modica cum errore & falsitate vicinia. Sunt aliæ notitiæ nostrates, quæ tametsi semper veræ & certæ, imperfectæ tamen sunt ob ineuidentiam, vt fides diuina, eiusquæ appendix Theologia. Postremus defectus notitiarum nostratum, spectat modum quo scientia exercetur: vt compositio, præsertim tertiæ operationis, & conuersio ad phantasmata. Quomodò omnes hi defectus ad intellectum Christi se habuerint, & an planè ab eo exulauerint, videndum est. Neque enim modica videtur perfectio intellectus, nitor à cœnositate nostra atque defectibus.

Christus homo, expers ignorantiæ.

195. Ignorantiam aliquam Christo tribuisse videri possumus, cum fassi sumus, Christum ne per beatam quidem notitiam, scire possibilia omnia, & futura quæcunque conditionata. Quid enim aliud est ignorare; quam nescire? Certissimum nihilominus est, & Catholicis omnibus indubitatum, numquam intellectum Christi humanum, aliqua ignorantia laborasse: quia Christus, iam ab initio productionis suæ, plenus fuit sapientia, habuitque in se absconditos omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, iuxta Apostolum: nempe ratione scientiæ infusæ & beatæ, quas vidimus Christo inextitisse ab initio, & porrectas fuisse ad omnia quæ par erat Christum scire, & quæ si ignorasset, potuisset ignorans denominari. Neque enim ignorans dicitur, quisquis non habet alicuius rei scientiam: sed quisquis non cognoscit, saltem habitualiter, quod oportet aut conuenit eum scire. Si verò quid aliud sit, cuiusne primum quidem actum, siue species, & principia actu cognoscendi possideat, non dicetur propterea ignorans V.G. Aristoteli nemo probrum ignorantiæ impingat quod tametsi omnia quæ hominem decent, & quorum scientia statui humano consentanea est; calluisse supponatur; ea tamen nescierit quæ nosse decet Angelos. Quia ergo ea obiecta quæ fassi sumus à Christo non percipi etiam habitualiter, non pertinent vllo modo ad Christi statum; nec aliquid profertur vnde liqueat decere Christum talia scire; non potest Christus eam ob causam ignorantiæ insimulari. Ac proinde rectè & Catholice dicitur, Christi intellectum nulla ignorantia laborasse: idque vnanimi consensu tradunt Patres, vt manifestum planè sit, sta ferre verbum traditum. Appendo nonnullorum verba, præter alia aliorum loca, quæ proferunt Bellar. lib. 4. de Christo cap. 3. & Coccius tom. 1. lib. 2. art. 3.

Consensus SS. Patrum.

196. Clemens Alexand. 1. pædag. c. 6. de Christo Deo & homine, ex œconomica (vt ait,) prædordinatione agens, probat Christum fuisse perfectum: alioqui, [quod est (inquit,) absurdissimum, ei aliquid deest. Sed si ita est, vt aliquid disceret opus fuit. Sed eum cum Deus esset, nihil didicisse, fuit consentaneum. Neque enim quis verbo maior fuerit; sed neque magister ac Doctor est, eius qui solus est magister.] Nihil igitur ignorauit Christus prout homo, si nihil discere potuit. Eodem sensu, pædagogum nostrum Christum mellitissimè describens ibidem c. 11. ait [eum ornatum fuisse scientia, quoniam est paterna sapientia. Omnis enim sapientia, est à Domino, & cum eo est in æuum.] Non agit de sapientia Christi secundùm naturam diuinam, quia per eam non fuit pædagogus noster; sed per humanam dumtaxat sapientiam. Aperit ergo originem summæ huius sapientiæ Christi, ignorantiam omnem excludentis, eamque summam sapientiam inde vult Christo aduenisse, quod esset Dei sapientia ob vnionem,

Origenes tom. 1. in Ioan. ad illud. *In principio erat Verbum*, tractans titulum quo Christus *veritas* dictus est, sic habet. [Porrò Vnigenitus veritas est omnem omnũ rerum iuxta Patris voluntatem, cum omni claritate rationem in se complectens, atque vnicuique in quantum est veritas pro illius dignitate, & merito distribuens. Quod si quis inquirat, num omne quod tandé cognitum est Patri, iuxta profunditatem & diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis eius, seruator noster sciat, & causa glorificandi Patrem, quædam à Patre cognita esse dicat, quæ filius ignoret, cum alioqui possit ex æquo perinde atque ingenitus Deus apprehensiones prehendere: sciendum est, Seruatorem ipsum, quia sit veritas, nihil veri ignorare: Idque tum maximè adiungendum est, solida si est veritas, ne claudicet veritas diminuta cognitione eorum quæ sunt in solo Patre, vt isti tradunt. Vel ostendat aliquis, quædam esse, quæ cognoscuntur, quæ veritatis appellatione nuncupari non possunt, sed supra ipsam veritatem sita sunt.]

197. Autor quæst. 58. ad Orthod. apud Iustinum, cum hæc præcessisset interrogatio, [si tribuere Christo ignorantiam impium est, non dubium est quin habeat omnium perfectam cognitionem. An non igitur ipse est causa proditionis Iudæ, qui eam præscierit nec tamen impediuerit?] Cum inquam hæc interrogatio præcessisset, supponit Autor ille, totum antecedens: nempe Christum sciuisse omnia perfectè, nihilque ignorasse. Respondet autem ad propositam difficultatem; Christi prænotionem non fuisse causam proditionis, sed potius è contrario, prænotionem ex futuritione rei causatam esse.

S. Eulogius orat. contra Agnoitas eos egregiè repulit. Adducam partem compendii quod ex ea oratione exhibuit Photius Cod. 230. [Eulogius iste (inquit Photius) Christum Iesum Dominum nostrum, neque secundùm humanitatem quidem; multo minùs verò secundùm diuinitatem ignorasse sepulchrum Lazari, neque etiam illum vltimum diem contendit. Neque enim humanitas Christi in vnam inaccessibiles & substantialis sapientiæ hypostasim admissa, quicquam velut rerum præsentium, ita futurarum poterit ignorare. Neque falsum esse potest quod dixit; *omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* An ergo & patri, nihil non audentes, ignorantiam ascribent? Prosequitur mox latè eodem planè modo probari posse, Deum esse ignorantem, ac Christum quatenus hominem: quod non dissimilia iis ex quibus Christi ignorantia ab Agnoitis colligebatur

ligebatur, de Deo quoque legantur. Concludit verò postea, cauendum omnino esse ne dicamus Christum laborasse ignorantia. [Quicumque enim vel Diuinitati ipsius, vel humanitati ignorantiam adscribet, numquam certissimæ temeritatis crimen effugiet. Sed cum vt Beatus Cyrillus docet, subtili mentis conceptu & animi imaginibus, per contemplationem rem à re diuidimus; tam videmus proprias naturæ vtriusque, vt in se est, notas & proprietates: aut vt Greegorius Theologus tradit, quàdo naturæ ratione distinguuntur, etiam nomina naturarum simul diuiduntur. Sed nudæ potè quæ humanitatis signum proprium, est ignorantia. Hac ratione ergo Christi humanitati, vt simplici & putæ humanitatis naturæ consideratæ, (præcisè secundùm ea quæ à se habet,) adscribi poterit ignorantia, Et hoc est quod Theologus explicauit, quando dixit; *Scit quidem vt Deus; nescit verò vt homo.*]

198. S.Gregorius lib.8. Registri indict.3. epist.42. scripta hæc S Eulogii aduersus Agnoitas abs se lecta commendat, & illam ipsam distinctionem quam in natura humana scisse omnia, sed non nouisse ea ex natura humanitatis. [Quod ergo in ipsa nouit non ex ipsi nouit.] Ratio scilicet cur tanta notitia humanitati deberetur, & concederetur, non fuit ipsa secundùm se sumpta humanitas; sed coniunctio eius cum Verbo. Et idcirco ait, Christum interdum negasse, scire se nonnulla quæ in humanitate sciebat, quia scientiam quam ex humanitatis natura non habuit, vt homo agnoscerent, negauit sibi inesse prout homini; nempe reduplicatiuè, & quasi humanitas esset causa habendi tantam scientiæ plenitudinem: cum vera causa illorum scientiæ thesaurorum Christo collatorum, sit diuinitas substantialiter copulata huic humanitati. Itaque subdit S.Gregorius. [Res autem manifesta est; quia quisquis Nestorianus non est, Agno ita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid quod Dei sapienta ignoret?]

S.Cyrillus l.de S.Trinit. cap.11. auteis planè verbis ignorantiam à Christo depellit. Locum ex parte supra dedi, & alia infra attexam.

Leporius in libello satisfactionis, damnans quod olim cùm Pelagianus esset ignorātiā Christo tribuerant; descriptit, adscripto & & approbante S.Augustino. [Tūc dixi, imo ad obiecta respondi. Dominum nostrum Iesum Christum, secundùm hominem ignorare. Sed nunc non solùm dicere non præsumo, verùm etiam priorem anathematiso prolatam in hac parte sententiam: quia dici non licet, etiam secundùm hominem, ignorasse Dominum Prophetarum.]

199. S Damascenus l.3. de fide cap.21. [Par est vt agnoscamus, quod ignorantem, & seruam assumpsit naturam: Nam & hominis natura, serua Dei est, qui fecit illam, & non habet eorum quæ ventura sunt cognitionem. Si igitur secundùm diuiniloquum Gregorium, seperaueris quod videtur ab eo quod intelligitur, serua videlicet & ignorans caro. At propter hypostaseos identitatem, & inseparabilem vnionem, locupletata est Domini anima futurorum cognitione, vt & reliquis diuinis signis. Quemadmodum enim hominum caro secundùm propriam naturam non est viuificans, & Domini caro quæ vnita est, secundum hypostasin ipsi Deo Verbo, à mortalitate secundum naturam non destitit, viuificans autem facta est propter vnionem ad Verbum secundum hypostasin: & non possumus dicere quod non fuit, sed est semper viuificans: Sic humana natura, substantialiter non obtinet futurorum cognitionem. Domini autem anima propter ipsam ad Deum Verbum vnionem, & hypostaticam identitatem, dines facta est, (ceu dixi,) cum reliquis diuinis signis, tum etiam futurorum cognitione.]

S.Anselmus l.2. cur Deus homo c.13. differens de Incarnatione tanquam facienda, & de iis quæ Verbum assumere par esset, aut reiicere; quærenti discipulo párne foret hominem ex humanitate & Verbi persona compactum, esse ignorantem, sicut mortalem; respondet in hunc modum. [Illa hominis assumptio in vnitatem personæ, non nisi sapienter à summa sapientia fiet, & ideò non assumet in homine, quod nullo modo vtile, sed valdè noxium est, ad opus quod idem homo facturus est. Ignorantia namque ad nihilum illi vtilis esset, sed ad multa, noxia. Quomodò enim tot & tanta opera, quæ facturus est, faciet sine summa sapientia? Aut quomodò illi homines credent, si eum sciant nescium? Si autem nescit, ad quid erit ei vtilis ignorantia illa? Deinde si nihil amatur, nisi quod cognoscitur; sicut] nihil erit boni, quod non amet, ita nullum bonum erit, quod ignoret. Bonum autem nemo perfectè nouit, nisi qui illud à malo scit discernere. Hanc quoque discretionem nullus scit facere, nisi qui malum non ignorat. Sicut igitur ille, de quo loquimur, omne perfectè sciet bonum; ita nullum ignorabit malum. Omnem igitur habebit scientiam, quamuis eam publicè in hominum conuersatione non ostendat.]

Rupertus l.7. in Genes.cap.16. agens de ignorantia Isaac, latè confirmat omnes homines (Christo excepto,) ignorantia aliquando laborasse, quantumuis eximios & sanctos, vt Isaacum.

Qui, & quorsum, labem ignorantiæ Christo illuerint.

200. Vides ergo quis sit sensus Patrum, de non cadente in humanum Christi intellectum ignorantia; meritoque habitos esse fidei perduelles, quotquot ignorantiam Christo impegerunt. Multos huiusmodi referunt Bellarm.l.4.de Christo cap.1.Feuard.in 2.Iren. cap.49.& in append.ad Castrum V. *Christus* hær.4.Primarii fuere Gnostici qui apud S.Irenæum l.1.cap.17. fabulati sunt, Christum sub præceptoris ferula, alphabetum quod ante ignorabat, didicisse. Arriani quoque, Christum & quatenus hominem, & quatenus Deum, vt S.Athanasius orat.4. contra Arrianos *sub finem* latè refert, ignorasse diem iudicii, ex ipsiusmet Christi verbis probabant. Ex quibus etiam Agnoitæ, siue Themistiani, Theodosianorum germen autore Damasceno l. de hæres. adducti sunt vt Christo ignorantiam tribuerent. Christum item, in humanitate ignorasse diem iudicii, aiebat Felix Vrgelitanus apud Paulinum Aquileiensem l.5.contra Felicem ad penultimam obiectionem. Nouatorum verò superioris sæculi, vt quisque impudentissimus & audacissimus fuit, ita ignorantiam Christo affinxit. Hoc Lutherus, Bucerus, Zuinglius, Caluinus, Beza, & alia ominosissima nomina vomuerunt apud prolatos Hæreseologos, adductis præsertim iis locis Scripturæ quibus iam olim Gnostici, & Arriani, & Agnoitæ nitebantur: nempe loco ex cap.13. Marci, & 23. Matthæi, quo Christus professus est, se ignorare diem iudicii. Item loco ex cap.2. Lucæ, vbi Christus dicitur profeciisse sapientia & ætate, nec apud homines duntaxat, sed etiam apud Deum, cui imponi nequit specie profectus, absque vero profectu, qualis manifestè fuit profectus ætatis. Item Isaiæ 7. dicitur Christus butyrum & mel comesturus, *vt sciat* (non igitur ante sciebat) *reprobare malum* Ad hæc Isaiæ 8. dicitur, *priusquàm norit puer vocare patrem & matrem.* Itaque nesciebat Christus loqui; quod obiectum fuisse ab iis qui veritati Incarnationis obstabant, scribit Anastasius cap.14. ὁδηγ. pag.265. addito etiam illo eorum argumento, [ex institutione illa qua manuductus incedere, pedibusque niti didicit.] Alibi Christus dicitur, *miratus* At admiratio est

partus

partus ignorantiæ. Alibi ignorantiam prodidit, quærens ficus hyeme in arbore: Et de Lazaro interrogans vbi posuissent eum: quod erat argumentum Felicis Vrgelitani apud Agobardum. Quid quod Apostolus professus Hebr. 2. Christum debuisse per omnia fratribus assimilari, excipit cap. 4. solum peccatum, dicens; *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato.* Nec Christi incogitantiam & obliuionem [infunden-da subitò ratione quam mox castigare, corrigere, & reuocare oportuerit, repentino illo doloris impetu transacto,] omisit Caluinus. cuius sunt quæ apposui verba in cap. 26. Matth. nonnihil à me contracta.

201. His erroribus nonnulli Patres suffragati videri possunt, vt S. Aug in Psal. 21. expositione 1. *initio*, & alii qui Christo quatenus homini tribuerunt ignorantiam, vt S. Cyrillus l. contra Antropomorph. cap. 14. [Vnigenitus (inquit,) Verbum Dei gestauit quidem vnâ cum humanitate omnia quæ eius sunt, præter peccatum: conuenit autem meritò humanitatis rationi, ignoratio futurorum. Quocirca qua quidem ratione Deus est, nouit omnia quæcumque & Pater: qua verò ratione homo etiam ipse est, ab ignoratione futurorum, quippe quæ humanitati conuenit, non abhorret. Quemadmodum verò ipse cum sit vita, & facultas omnium, alimentum suscepit, exinanitionis mensuram non despiciens, (scribit enim & dormisse, & laborasse,) ita etiam ignorationis futurorum, qui humanæ naturæ conuenit, eum non puduit, quam quidem in se recepit. Omnia enim quæ humanitati annexa sunt, ipsi communicata sunt, præter peccatum. Cum verò discipuli ea quæ ipsorum vires excedebant, scire cuperent, consulitò ignorantiam suam ea ratione qua homo erat, prætexit: dixitque ea ne ipsis quidem Angelis cælestibus esse cognita: ne videlicet mærore afficerentur; vtpotè quibus arcanum illud commissum ac creditum non esset.] Sed omnium durissimè locutus videtur S. Eustachius, de quo hæc Facundus l. 11. pro tribus capit. cap. 1. [B. Eustachius Antiochenus Episcopus, qui primus in Nicæno concilio fuit, sexto aduersus Arianos libro, de eo quod ait Dominus, *Nemo scit diem illum*; dicamus, (inquit,) cuius rei gratia filius hominis diem proprii aduentus ignorat. Neque enim dubium est, quia & hoc causa vtilitatis hominum prouidens adinuenit omnium creator, & generis opifex Deus. Sicut enim hominem causa salutis hominum Verbo coaptauit, & Deo: sic & insignem Iudicii diem, causa diuini beneficii, homini competenter abscondit; ne fortè ineffabilia mysteria similis generis hominibus homo indicans, & diem secundi aduentus ostenderet.] Durus sanè locus, quo Christus non modò ignorantiæ sed etiam leuitatis & infidelitatis in tegendo comisso secreto suspectus agitur. Alios Catholicos Doctores idem admisisse, testatur S. Ambrosius 5. de fide c. 8. *sub finem*, explicans profectum in sapientia. Addi denique potest ratio. Certum namque est, Christum non posse omnes suas notitias cognoscere, quia est impossibile venire ad vltimam reflexionẽ quam super actum notitiæ suæ facere potest. Igitur Christus non sciuit omnia, sed aliqua ignorauit.

Refelluntur. Exponitur quomodò Christus, professus sit se nescire diem iudicij.

202. Hæc omnia facillimè enodari possunt, & iampridem sunt à sapientissimis Patribus plenè contrita, præsertim argumentum petitum ex Marci 13. & Matthæi 24. vbi Christus ait se nescire diem iudicii: quamquam non omnes æquè commodè id præstiterunt. Nam S. Hieronymus in cap. 24. Matthæi, & 5. Ambrosius l. 5. de fide c. 8. Arianum assumentum ad Christi verba factum causantur, additis vocibus *neque Filius*, quæ in plerisque codicibus olim deerant. Eam tamen responsionem probare non possumus, quia Ecclesia Catholica, in editione vulgata, agnoscit vt verè à Christo prolatas eas voces quæ in suspicionem assumenti vocantur. Abiiciendus etiam est Gregorius Turon. initio hist. Francorum, qui filium illum quem Christus ait nescire diem iudicii, ait esse filium adoptiuum; hoc est Christianum populum. Nec abhorret ab ea interpretatione S. Eulogius orat. contra Agnoitas, vt refert Photius cap. 230. dicens religiosius facere qui hæc Christi verba accipiunt figuratè, id est vt paulo ante exposuerat tribuendo capiti quod est corporis. Verùm Christus perspicuè & apertè agit de seipso; vt proinde non possit locus esse prædictæ expositioni.

Sed neque illa expositio admitti potest, quam ex Epiphanio, Chrysostomo, & Origene, refert Maldonatus mox allegandus, & S. Bernardus diffusè tradit sub initium tractatus de gradibus humil. docens Christum dixisse se nescire diem iudicii, quia nesciebat cum scientia experimentali: quod confirmat ex eo quod Marci 13. dicatur *nec ipse filius hominis scit*: vbi vox *filij hominis* interpretationi illi magis fauet, insinuatque Christum *carnis suæ sensibus, experiendo*, (vt Bernardus ait) *& ea cognitione quæ per carnẽ fit*, hoc est experimentali, non nouisse diem illum. Rupertus quoque l. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 29. & hanc Bernardi, & antetiorem Turonensis interpretationem ita coniungit, [In hoc dicto eius, *de die autem illa nemo scit, neque Angeli, neque filius, nisi pater solus*, hunc esse sensum fideliter accipimus, ac si diceret: dies autem illa tantæ erit iræ, tantæ calamitatis, & miseriæ, tantæ tribulationis & angustiæ quantam nemo vnquam vllo potest, potuit, poterit experimento præscire, neque Angeli cælorum in illa lucis & tenebrarum, id est, bonorum & malorum Angelorum terribili diuisione, neque filius in toto suæ passionis vel mortis agone. Perspicuum quippe est, quod filium, id est, seipsum, secundùm quod homo est; pro omni posuerit homine; quia non dixit, *neque Angeli in cælo, neque homines in terra*: sed *neque Angeli cæli*, (inquit,) *neque Filius*. Relinquitur ergo quod ait, *nisi solus pater* id esse, ac si dixisset *nisi solus Deus vnus, Pater, & Filius & Spiritus sanctus*: præsertim quia non digit, *pater meus*, in quo vtique vna necessariò persona intelligeretur. Et ille, scilicet Deus, magnitudinem siue amaritudinem illius diei, non experimento scit, quippe cum sit Deus impassibilis, sed sic penes se notitiam habet, vt non possit vlli creaturæ, aliter nisi solo actu, & reipsa notum fieri, quid angustiarum illis futurum sit.] Nego hanc expositionem quatenus à iam reiecta Gregorii Turonensis expositionem discrepat, posse admitti: quia iuxta eam, non modò Christus etiam nunc post resurrectionem, sed ne pater quidem dicendus esset nosse iudicii diem; cum tamen Christus dixerit Patrem nosse diem illum, sed non filium. Nec dixit *filium hominis*, (quamquam ita quoque legisse videtur S. Ambr. 5. de fide cap. 8. vt commodius telum Arrianum declinaret, & eum locum non de Verbo, sed de homine dictum doceret:) sed absolutè dixit *filium* vt ipsemet S. Bernardus in recognitione prædicto libro præfixa agnoscit, fassus incogitantiam in tali loci illius allegatione.

203. Quare germana loci illius expositio est, quam prolatis variis Doctoribus & Patribus adduxi in Opere de Æquinoc. cap. 10. num. 8. nempe dixisse Christum se nescire, quia nesciebat vt reuelaret. Pater autem rectè dictus est sciuisse, quia reuera sciebat, & sine vlla restrictione id de eo simpliciter affirmati poterat, non item de Christo; quem nobiscum agentem, expediebat hoc arcanum non detegere, ne ignauia solueremur. Audi Ambrosium 5. de fide c. 8. [Quærimus qua ratione designare momenta noluerit. Si quæramus, non ignorantiæ inueniemus esse, sed sapientiæ.

pientiæ. Nobis enim scire non proderat, vt dum certa futuri Iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. Non enim prodest scire, sed metuere quod futurum est, scriptum est enim: *Noli alta sapere, sed time.* Nam si diem designasset expresse, vni ætati hominum quæ proxima erat iudicio, videretur discipli nam præscripsisse viuendi: superioris temporis aut iustus esset remissior, aut peccator securior. Namque adulter nisi quotidianam pœnam metuat, non potest adulterandi cupiditatem desinere: nec iusto obsessorum saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi momentis omnibus imminere supplicium. Plerumque enim quibus incentiuum est impunitas, timor tadium est. Ideò ergo dixi, quod scire non proderat, imò proderat ignorare, vt ignorantes timeremus, vt obseruantes emendaremur.] Rem ergo quam nostra intererat non aperiri, Christus meritò pressam voluit. Et tamen ne discipulos ea repulsa contristaret, vsus est mentali restrictione. De Patre autem, quia is non erat qui ad secretum prodendum vrgebatur, simpliciter dixit Christus, eam sciuisse diem iudicij. Nec reuera potuit absolutè de eo dici quod nesciret, subintelligendo *ad reuelandum*, quia Pater sciuit ad reuelandum, quandoquidem filio reuelauit.

Et quo remunditur cauillus quo Maldonatus Matth. 24. ad v. 6. expositionem nostram impetit, malè obijciens, Patrem nesciuisse ad dicendum, æquè ac Christum: cùm tamen Pater sciuisse dicatur non filius. At nos inficiamur, Patrem nesciuisse ad dicendum, quandoquidem vt benè Clyctouæus aduertit ad l. 3. de fide Damasc. c. 14. Pater iudicij diem dixit filio. Hic autem, quia se gessit vt legatus ad homines, nec intererat Patris à quo mittebatur, & nostra pro quibus mittebatur, prodere arcanum illius diei; itémque quia erat humani generis idoneus Magister, docens vtilia non noxia, cuiusmodi fuisset detectio dei iudicij; meritò negauit se scire diem illum, suppresso mentaliter illo adiumento *ad dicendum*, vt ex causa honestè supprimitur. Nec id eo loco tantum à Christo seruatum, sed aliàs quoque. Et nominatim Ioan. 15. ait Christus, se nota fecisse discipulis omnia quæ à Patre audisset. Mox tamen cap. 16. addit, multa adhuc sibi superesse nota facienda discipulis, quæ tunc ipsi portare seu capere præ imbecillitate non possent. Ex quo patet, Christum priore loco tantùm affirmare, dixisse se omnia quæ tunc dicenda acceperat. Non aliter igitur loco illo quem versamus, negat Christus se scire diem iudicij, quia eum non acceperat enuntiandum.

Doctrina est D. Augustini 1. Trinit. c. 12. his verbis. [*De die & hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater.* Hoc enim nescit quod nescientes; id est, quod non ita sciebat vt tunc discipulis indicaret: sicut dictum est ad Abraham, *Nunc cognoui quod timeas Deum*: id est, nunc feci vt cognoscerer, quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam & illud vtique dicturus erat discipulis tempore opportuno, de quo tunc tamquam præterito loquens, ait, *iam non dicam vos seruos, sed amicos; Seruus enim nescit voluntatem Domini sui: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: quod nondum fecerat, sed quia certò facturus erat, quasi iam fecisset, locutus est. Ipsis enim ait: *multa vobis habeo dicere, sed non potestis illa portare modò.* Inter quæ intelligitur & de die & hora. Nam & Apostolus: *neque enim iudicaui me, (inquit) scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.* Eis enim loquebatur, qui capere altiora de Christi Deitate non poterant: quibus etiam paulò post dicit, *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant. Et hoc solùm se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat. Denique sciebat inter perfectos quod inter paruulos nesciebat. Ibi quippe ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Eo namque genere locutionis, nescire quisque dicitur quod occultat. Neque enim aliquo genere loquuntur scripturæ, quod in consuetudine humana non inueniatur, quia vtique hominibus loquuntur.] Hoc ergo pacto dixit Christus, se nescire iudicij diem & horam, quamuis aliunde simus certissimi, Christum etiam per humanum suum intellectum non ignorasse diem illum: quod de Angelis in cœlo, (qui item locis citatis Matthæi & Lucæ eum ignorare dicuntur,) aliunde non habemus. Vnde quamuis non pauci idem quoque de Angelis beatis statuent, ac de Christo; tamen fatemur eos non dici nescire diem illum *ad prodendum*, sed planè eum nescire, absolutè & simpliciter: quod relatis hinc inde variis sententiis, tandem affirmat Suares l. 6. de Ang. c. 5. num. 16. corrigens ex parte quæ dixerat t. 1. 3. p. ad q. 10. art. 2.

Quomodo Christus haud ignorans, dictus profeciſſe ſapientia.

204. Circa locum alterum ex c. 2. Lucæ, quo Christus dicitur profecisse sapientia, anceps valdè est Aëlredus tract. de puero Iesu duodenni, verbis illis. [De his quæ sequuntur, *Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia, apud Deum & homines*; multi multa dixerunt, & diuersi diuersa sentiunt, de quorum sententiis non est nostrum iudicare. Alij animam Christi, ex quo creata est, & assumpta in Deum, æqualem cum Deo sapientiam habuisse putarunt: Alij verò creaturam creatori adæquare timentes, sicut ætate, ita eum sapientia profecisse dixerunt, Euangelistæ innitentes auctoritati, qui ait; *Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia.* Nec mirum, inquiunt, si minor dicatur fuisse sapientia, cum mortalis atque possibilis, atque per hoc beatitudine minor tunc fuisse, veracissimè prædicetur. De horum sententiis iudicet quisque vt valet. Mihi sufficit scire, & credere, Dominum Iesum ex quo (id est, *quandoquidem*, neque enim Christum aliquando hominem putum, postea in Deum fuisse prouectum, & exinde omnia sciuisse, significare voluit Aëlredus:) cum Deo in vnam est assumptus personam, fuisse perfectum Deum, ac per hoc perfectam sapientiam, perfectam iustitiam, perfectam beatitudinem, perfectam fuisse virtutem, & esse: & quidquid de eo secundùm substantiam dici potest, de eo potuisse dici, etiam cum in vtero fuisset matris, non ambigo. Nec ideò aut resurrectionem, aut mortalitatem, aut passibilitatem abrogamus, cùm eum non phantasticè, sed verè hominem esse confitemur, & veram hominis fuisse naturam, in qua potuit proficere, vtrum ætate aut sapientia, ipsi viderint, qui de huiusmodi contendere norunt.] Vides admodum ancipitem Aëlredum de sensu Catholico illius loci. Richardus verò à S. Laurentio l. 1. de excellentia Deipar. pag. 66. adaptans Christo benedictionem Iosephi qua dictus est, *puer accrescens*, eámque confitmans ex præsenti Lucæ loco, *Iesus proficiebat sapientia*, statim subdit. [Eius sapientia proficiebat extensione non intensione, sicut Doctor extendens doctrinam in discipulos, proficit: Et sicut candela quæ ex se candelam accendit, proficit luminis extensione, non intensione.] Verùm quid ea *extensio, non intensio*, sit, ægrè intelligitur: nisi si extensio dicatur scientia experimentalis, intensio verò scientia qua addiscatur aliquid quod ante nesciretur: cuiusmodi intensio in Christum non cadit, sed tantùm extensio, quia nouo modo scit, quæ iam ante nouerat. Quo pacto rectè habet quod ait Richardus, optimèque cadit in locum Lucæ qui commodissimè exponitur de scientia experimentali & naturali, in qua Christus verè profecit, vt supra admisi

agens de ea Christi scientia. Et hoc planè voluit S. Bernardus tract. de gradibus homil. cum admisit Christum experimento sciuisse, quæ priùs nesciebat eo modo. Non improbo tamen aliam responsionem superiùs relatam ex Nazianzeno, qua Christus dicitur profecisse sapientia, quatenus edebat indies actus sapientiæ maioris: quod egregiè item expressit Damasc. lib. 3. fid. cap. 22. [Proficere (inquit) dicitur sapientia, & ætate, & gratia. Ætate quidem, crescens; per incrementum autem ætatis, sapientiam quæ ipsi inerat, in apertum promens.] Addit & alteram interpretationem, in hæc verba. [Item & proficientiam hominum, & consummationem in sapientia, & gratia, bona Patris voluntate, id est Dei agnitionem, & hominum salutem, propriam proficentiam faciebat: omnifariam quod nostrum est, sibi peculiariter ascisens.] Eam verò interpretationem quæ verum Christi in scientia profectum admittit, talem scilicet quo præiacens ignorantia sit abacta, aperti Nestorianismi damnat Damascenus; quod non possit fieri, vt qui Christum verè Deum censet, arbitretur ignorantem etiam in humanitate. Nec alius fuit D. Augustini sensus l. 2. de pecc. Merit. cap. 29. vbi à Christo infante per quod tempus profeciſſe in sapientia dicitur, omnem planè ignorantiam vult ablegatam, ob inhabitans in eo Verbum.

Isaias circa Christi ignorantiam expositus.

205. Quæ verò ex Isaia ad Christi infantis ignorantiam adducebantur S. Cyrillus l. de S. Trinit. cap. 15. sic exponit. [Hoc *priusquàm cognorit*, secundùm apparentiam dictum est. Quando enim puer ignorans erat, in quo omnes thesauri sapientiæ & cognitionis occulti, ordinatis temporibus, quatenus decebat manifestabuntur? Tale est etiam, sapientia & gratia, cum ætate, proficere Iesum; secundùm apparentiam videlicet dictum est. Ætatis enim quidem incrementum fuit, crescente corpore naturaliter: Sapientiæ autem & gratiæ illius in primo & summo gradu constitutæ, non incrementum, sed tempestiuæ manifestatis fuit.] Ita visum S. Cyrillo de eius loci Isaiæ sensu, citra dispendium scientiæ Christi infantis. Nec reipsa discrepant qui dicunt sensum esse, priusquàm puer ad eum ætatis terminum pertigerit, quo solent pueri de nomine parentes compellare, diripiet aduersariorum spolia. Qui enim sic interpretantur, tametsi fatentur Christum reipsa iam tunc fuisse scientissimum, admittunt tamen præ se tulisse ignorantiam qualem in tantula ætate præferunt pueri, quod est cum S. Cyrillo dicere illud *priusquàm sciat*, dictum esse secundùm apparentiam. Illud verò *vt sciat reprobare bonum*, non fert, exclusionem anterioris scientiæ de facto & reipsa, sed similiter secundum apparentiam solam. Idem quippe sonat illud *vt* quod *vsquedum* aut *donec*, vt Sanchez aduertit, ex Chaldæo, & sensus est, vescetur melle ac butyro vt infantes cæteri, apparebitque quod sunt infantes, donec crescat, & ad eum perueniat ætatis terminum quo pueri ratione vti incipiunt. Exponi item posset cum Richardo Victorino l. 2. de Emman. c. 18. de ignorantia experimentali, quæ veram scientiam non excludit alibnde petitam.

Christi admiratio, ficus aditio, & interrogationes, absque ignorantia.

206. Et eodem modo Conimb. 3. animæ cap. 13. q. 1. art. 1. exponunt quod obijciebatur de Christi admiratione. Sed commodiorem admirationis illius interpretationem ita vt ignorantiam non inuehat tradidi in Morali Dist. 3. n. 329. secutus D. Augustinum qui Epistola 101. præfatus istas esse causas admirationis cum causa ignoratur, vel rei cognitæ singularitas & raritas suspicitur, addit: [Ex ea admirationis causa, quæ ideo est, quia insolitum aliquid occurrit, scriptum est de Domino, quod miratus sit centurionis fidem. Neque enim eum rei vllius ratio potuit latere; sed admiratio pro laude posita est eius, cuius par in populo Hebræo non apparuerat: Vnde ipsa admiratio, satis exposita est cum Dominus ait; *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.*

Accessus ad ficum, (de quo postea,) nullo modo probat fuisse in Christo ignorantiam. [Neque enim (ait S. Paulinus epist. 35. *in fine.*) Ille qui nouit occulta cordis, & qui cogitationes hominum prospiciebat, id quod in hominum oculis erat positum, non videbat; aut etiam humano sensu minor erat, vt etiam in parvulorum scientia positum anni tempus ignoraret, & autumni fructum, verè depoſceret. Sed artifex salutis nostræ, creator, cuius vita & actus omnis in terris, forma nobis conuersationis & morum fuit, ideò visibiliter inuisibilia sua consilia disposuit, & in creaturis irrationabilibus, animæ rationali, speciem suæ conformationis expressit, vt nos ad omnia nobis salutaria scriptis operum suorum, atque verborum insignibus erudiret. Et hoc est quod voluit intelligi, per Euangelistam nobis indicando, non suo tempore fructum ab arbore se petiisse, vt omni tempore homo se fructum Deo debere cognoscat; quia bonus Dominus, qui hominem mortalem immortalitati præparat, iam & in hoc sæculo vult eum speciem perpetuitatis induere, vt fructum non accipiat de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo mansurus est sine tempore.] Abfuisse ab hoc accessu ad ficum, ignorationem à Christo eo quod reuera fructus intempestiuè non quæreret, sed quærere se fingeret iustam ob causam, latè prosequitur S. Augustinus serm. 9. ex 11. additis in calce Tomi 10.

Coniunctum, & hunc accessum ad ficum, & interrogationes de Lazaro, (de quibus postea,) malè detorqueri ad ignorantiam Christi, optimè docet S. Cyrillus l. de S. Trinit. cap. 21. his verbis. [Quod scriptum est, esurientem aliquando Dominum ad ficum stetisse veniſse, an fortè aliquid inueniret in ea, in qua tamen nihil nisi folia inuenerit, oratio ista κατ' ὑποτύπωσιν seu allegoricè figurata est: quemadmodum fortè concepit animo is, qui aduentum eius ad ficum obseruauit, sed dispensationis rationem non intellexit. Cui enim etiam de plebe hominum ignotum esse potuit, quod manifestum erat, quandoquidem ficorum tempus non erat? verumtamen vt qui omnia poterat, opportunè ostenderet potentiam non benefaciendi tantùm, sed etiam puniendi se habere: quòdque si veller, solo verbo crucifixuros se arefacturus sit, famem ad ficum, aduentum antecedentia signa exhibuit huiuscemodi manifestationis sapiens ille & hominum amantissimus. Quapropter etiam, (ad ipsius tamen voluntatem,) tempore matutino inusitata fames fuit proinde accessus ad ficum, & scisscitatio de Lazaro, vbi ipse post mortem suam sit repositus; & alia huius generis, non ignorantiæ, sed dispensationis & tempestiuæ demissionis sunt.] Cæterum interrogationes illas Christi, nullam in eo arguere ignorantiam, inde conuinci potest, quod alioqui Deus ipse quem in Scripturis interrogasse de plerisque legimus, insimulandus esset ignorantiæ. Cum tamen per se euidens sit illas Dei percontationes nihil summæ Dei scientiæ derogare vt pulchrè monstrat Philo l. quod deterius potiori insidiatur, ad illud, *vbi est Abel frater tuus?* Et ad eundem locum S. Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. Nec sanè qui interrogat vt res se habeat, id se ignorare profitetur, sed alterum inducit vt aperiat quid ea de re perfectum habet. Meritò itaque Argumentum de Christi interrogationibus, nihil pro eius ignorantia concludere diligenter monstrat S. Athan. serm. 4. contra Arianos.

Alia

Alia ex Scripturis & PP. ac ratione, ignorantiam Christi præferentia, expediuntur.

207. Iam quod Apostolus, Christum per omnia nobis assimilatum prodidit, non fert assimilationem quoad ignorantiam, sed quoad ea tantùm in quibus assimilatio profutura erat saluti nostræ; vt quoad naturam & passibilitatem. At ignorantia, vt diximus ex D. Anselmo l. 2. cur Deus homo cap. 17. obfutura potiùs ad eum finem erat, quàm profutura. Quare eam non subijt Christus, vt neque pleraque alia quæ in meram Christi depreciationem nullo fructu nostro vertissent. v.g. conceptionem è femina per virilem operam, natiuitatem ex matre cum dolore ac sordibus puerperij, appetitus sensitiui lasciuiam, morbos, aliaque huiusmodi, sapienter à Christo lutum nostrum sibi adiungente, dimissa. Fuste autem aut furca, non confutatione verborum dignum est, quod Caluinus opponebat ex loco illo Matthæi 26. cui Christi temeritatem, & obliuionem, ac incogitantiam, correctione subsequente, emendatam inædificabat. Nihil enim tale fert locus ille, quale nequissimus mastigia comminiscitur. Christus siquidem nec de patris potestate dubitans, nec ignarus eius quod Pater statuisset, dixit, *Pater si possibile est* secundum beneplacitum tuum, vel si possibile est, tibique placet, *transfer à me calicem*. Sed mentem & vocem ad Patrem effetens, & eatenus latè sumpta voce diuinus orate, ostendit quid iuxta naturalem affectum esset voliturus, spectando mortem secundùm se tantùm, & prout non vestitam circumstantiis illis ob quas Pater eam subire Christum voluit. Quod diligenter expendit Maldonatus Matth. 26. num. 39. & passim ibidem Interpretes nuperi.

Extricanda supersunt implexa nonnullorum Patrum testimonia. Ac primùm quod ex S. Augustino proferebatur, vacat difficultate. D. enim Augustinus exponens verba illa, *quare me dereliquisti*, ait hæc à Christo dicta esse, personam seruante veteris hominis cuius mortalitatem portauit. [Verus enim homo confixus cruci loquitur, etiam causam ignorans quare eum dereliquerit Deus.] En quis causam ignorans loquatur. Non sanè Christus, sed homo verus, qui in eo tunc loquebatur, seu cuius personam Christus tunc agebat. Idem voluisse videtur S. Eulogius orat. contra Agnoitas apud Photium cap. 230. qui hoc figuratè à Christo dictum ait: dixerat autem paulò superiùs, figuratè de Christo dici, ea quæ sunt reliqui corporis, sed Christo tribuuntur tamquam capiti vnum cum membris corpus constanti. Itaque ignorantia illa causæ cur derelictus esset, in Christo confixo non erat Christi ipsius vt priuatæ personæ, sed Christi prout in se transferentis quæ sunt sui mystici corporis propria, iuxta S. Eulogium. Quæ est illa ipsa doctrina, quam à D. Augustino expressam diximus. Quod si prædictum Augustini locum de ipso Christo accipere placeret, adhibenda esset responsio, quam ad varia Patrum loca aptare cogimur, & superiùs ex ipso S. Eulogio ac S. Gregorio retulimus: nempe quod Christus dicatur nescisse quatenus homo, etiamsi sciuerit quatenus Deus. Ita tamen vt illud *quatenus* (quod Maldonatus optimè notauit Matthæi 24. v. 36.) non sumatur specificatiuè; quasi scilicet sensus sit, Christum in humanitate sua, & per intellectum humanum ignorasse; hic enim sensus esset blasphemus atque falsissimus. Sed ita vt illud, *quatenus*, sumatur reduplicatiuè, notétque causam cur hic homo per suum humanum intellectum sciat aliquid quod alioqui ignoraret. Ea quippe causa, non est humanitas: & propterea Christus quatenus homo, ignorasse aliqua dicitur, quæ dicitur sciuisse quatenus Deus: quia titulus sciendi per intellectum humanum, fuit Deitas humanitati copulata. Hoc igitur modo accipiendi sunt plerique Patrum, iuxta quos Christus quatenus homo dicitur aliquid, vt Athanasius, Nazianzenus, Vigilius, Theodoretus, Cyrillus, & Autor imperfecti, quorum loca signat Maldonatus ad caput illud 24. Matth. v. 36.

208. Quod si hoc emplastrum ei quoque loco morbosissimo possit mederi, quem ex S. Eustathio descripsit Facundus, eo melius. Sin minùs adhibenda erit responsio qua S. Eulogius postremo loco vtitur, vt exponat Patres qui aduersus Arianos Christi ignorantia nixos, Verbi diuinitatem propugnabant; inter quos princeps emicuit S. Eustathius. Verba S. Eulogij à Photio descripta, sic habent. [Si qui ex Patribus, ignorantiam in Saluatore ex parte humanitatis admiserunt, id tamen non vt dogma sanxerunt, sed Arrianorum insaniam repressuri qui omnia, (quæ in Christo erant humana, ad vnigeniti diuinitatem transtulerunt, vt increatum Dei Verbum creaturam ostenderent; rectiùs hæc de humanitate dici posse existimarunt, quàm humana ab illis (Arianis) ad diuinitatem trahi.] Quasi diceret, Patres illi dum in fædissimam Arianorum blasphemiam exscindendam toto impetu feruntur, deflexisse tantisper visi sunt ad alterum extremum. Quod S. Athanasius in simili excusanit l. de sententia Dionysij Alexandrini, & S. Basilius epist. 41. agens de eodem S. Dionysio Alexandrino, qui vt à Sabellio quàm maximè auerteretur, visus est Arrio viam strauisse. Sicut è contrario S. Gregorius Neocæsariensis, vt à Polytheismo quàm maximè recederet, visus est Sabellij venenum adamasse, quod S. Basilius epist. 64. ad eundem modum excusauit. Augustinus quoque dum libertatem à Manichæis exagitatam stabilit, gratiæ Dei minùs fauisse visus est, vt S. Thomas opusc. 1. initio, eum purgans animaduertit.

Ratio in contrarium postremo loco proposita, non probat esse in Christo ignorantiam, sed tantùm probat esse semper in Christo aliquid quod reipsa expressè non videat; nempe notitiam vel modificationem postremam qua anteriora percipit. Si enim admitteremus, esse in Christo notitiam creatam cuiusuis suæ notitiæ, inueheremus notitiarum infinitatem: & quidem talem quæ supponeret notitiarum omnium collectionem esse ratione priorem, quippe cognitam; & non esse priorem; quippe conflatam ex notitiis, quæ omnes essent notitiæ, atque adeò posteriores aliquo modo, obiecto; hoc est aliqua notitia. Quæ est aperta repugnantia. Non aduertit igitur Christus expressè, omnia quæ in se habet: nec tamen idcirco est ignorantia, est tantùm de obiectis directis notitiarum, non autem de obiectis reflexis earumdem, siue de cognitionibus; respectu quarum homo non censetur ignorans, cum ad eas potest (si lubeat, reflecti; saltem interuentu alicuius scientiæ superioris, quæ in Christo ad omnia subtus posita semper vigilauit, & excitare intellectum ac voluntatem, ad vsum liberum inferioris scientiæ potuit.

Nullus de facto error in Christo.

209. Alter defectus noster quem depellere ab humano Christi intellectu proposueram, est is quo scientia non tollitur priuatiuè, vt per ignorantiam puræ negationis de qua hactenus, sed contrariè, nempe error & falsitas, quod est longè auctius malum hominis, sicut est longè maius malum dolor, quàm carentia gaudij. Sed in hoc defectu amoliendo ab humano Christi intellectu, non erit multùm laborandum. Nam Christus fuit ipsa veritas, vt se ipsemet nominauit. Tam verò repugnat errare veritatem, quàm lucem tenebrescere. Et liquet omnia planè quibus ignorantia à Christo remouetur, multo magis pro errore excludendo vrgere, non modò si sermo sit de errore culpabili à quo Christus tantoperè abfuit quantum à pec-

cato ; sed etiam agendo de errore innoxio, qui nobis plerumque incogitantibus obrepit. Nam error quilibet est appendix peccati, vt docet D. Augustinus 3. de lib. arbit. c. 18. ita vt primi parentes in statu innocentiæ, quâuis non potuerint non patere quibusdam erroribus, quorum permissio ad comprobãdam eorum fidelitatem necessaria erat, quósque liberè vitare poterant, vt Molina latè disputat disp. 26. Cosmop. tamen ex peculiari Dei ordinatione ac custodia, aliis erroribus caruerint, ob status illius perfectionem, & mali cuiuscunque ac inordinationis exclusionem ab eo, vt philosophatur D. Thom q. 18. de verit. art. 6. A Christo igitur, cuius fidelitas & in bono constantia, tentanda non erat, omnem planè errorem exulare oportuit, multo potiore iure quàm à puris hominibus innocentibus.

Accedit optima eiusdem veritatis confirmatio, ex immunitate ab errore in Beatis. Quamuis enim Danieli Malonio in 2. d. 3. disp. 6. §. 1. *circa finem*, excideriterscribere, Angelos beatos quandoque decipi: tamen tata apud omnes est sententia D. Thomæ opusc. 71. *initio*, omnem planè errorem à Beatis remouentis ob plenitudinem luminis beatifici, & perfectionem status gloriæ, quem dedecet error: quippe qui sit malum quoddam, & imperfectio immodica, vt D. Augustinus pulcherrimè tradit in Enchir. c. 19. Imò vix potest error accidere beato, absque culpa. Nam beatus quoties non videt aliquid euidenter, non vrgetur ad ferendum iudicium absolutum & determinatum, quia potest iudicium suspendere, vel non nisi de probabilitate rei pronunciare, in quo iudicio modali nullus est error. Cum ergo in illis euentibus aliquid determinatè iudicat, liberè iudicat & per motionem ac imperium voluntatis: quæ si iudicium fert supra id quod de re liquet temerè ac leuiter se gerit, atque adeò aliquatenùs peccat: nam temeritas illa, non est sine prolapsione aliqua voluntatis, errorem proludere volentis. Atque ita beatus quia est prorsus incapax peccati, est etiam incapax erroris. In his quidem tenebris nostris, quia agere multa & aggredi adigimur supra quàm ferat euidentia negotiorum, necessariò interdum labimur, & error interdum bonus est, vt præclarè disputat D. Augustinus cap. 17. Enchir. prolato exemplo aberrationis suæ à vera via, inter tendendum ad locum quendam, cuius erroris beneficio factum ait, vt euaderet prædonum Donatistarum manus: adducitque etiam in eam rem illud Poëtæ,

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.

Malum errorem dictum obseruati [quoniam & est error bonus, qui non solùm nihil obsit, verùm etiam prosit aliquid.] Ita quidem in hac vita contingit, sed longè aliter in futura, ob mutationem status & circumstantiarum omnium. Ideóque subdit D. Augustinus. [Sed diligentiùs considerata veritate, cum nihil aliud sit errare quàm verum putare quod falsum est; vel certum habere pro incerto, incertúmve pro certo, siue falsum, siue verum sit: idque tam sit in animo deforme atque indecens, quàm pulchrum ac decorum esse sentimus, vel in loquendo vel in assentiendo *est, est, non, non:* profectò & ob hoc ipsum est vita ista misera qua viuimus, quod ei nonnumquam vt non amittatur, error est necessarius: absit vt talis sit illa vita, vbi nemo fallit, fallitur nemo.] Hoc si de quibuslibet Beatis verè & meritò dicitur, quanto magis de Christo, qui omnes Beatos superauit fœlicitate, & luminis beatifici splendore cæterorum omnium claritatem præstrinxit?

Quid de sensuum hallucinatione, & persequente eam notione falsa.

210. Quare de facto Christus nulli vnquam vero errori in animo subiacuit, quicquid sit an naturalis illa sensuum deflexio à perceptione obiecti sicuti in se est, sit erroris latè dicti nomine donanda. Vix enim est quod laboremus, vt à Christo remoueamus eam hallucinationem qua visus remos in aqua inflexos vel infractos asseuerat, aduersus conscientiam integritatis, & turrem quadrangulatam in de longinquo rotundam persuadet, ac æqualissimam porticum angustiorem in vltimo infamat; cœlum denique tanta sublimitate suspensum, mari iungit. Dedi Tertulliani verba l. de anima c. 17. alia de aliorum sensuum hallucinationibus addentis. Hic cum sit noster naturalis per sensum percipiendi modus, necessariò consequens talem speciei ab obiecto, per hoc medium, & in tali potentia productionem; non video cur in Christo respuendus sit, nullo præsertim dedecore inde illato in penetralia animæ, siue in adytum intellectus in quod his infidis internunciis in Christo aditus non patuit, quantum attinet in assensum. Imò illam hallucinationem nullo modo adrepisse in animam censet Vasques 3. p. d. 61. cap. 9. addens fuisse nonnullos, qui ad prædictum merè sensitiuum errorem à Christo remouendum, micacula excogitarint: nonnulli quidem vt Suares t. 1. 3. p. d. 14. sect. 3. dicentes, Christum vi diuina ita corroborasse sensus, vt prorsus obiecta perciperent sicut in se erant: alij verò præuentionem sensuum à Christo factam, affirmantes. Quorum vtrumque Vasques meritò improbat ob rationem propositam, quæ mihi conficere planè videtur, non sensum modò externum & internum, sed & vestibulum ipsiusmet animæ; intellectum inquam simpliciter apprehendentem, imperfectæ illi obiectorum perceptioni fuisse obnoxium. Sicut enim hoc in sensu externo admittimus, quia est aliquid naturaliter consequens talem speciei impressionem, nec vllam continet falsitatem: ita idem cogimur de sensu interno profiteri, quandoquidem operatio sensus interni, per sympathiam potentiarum, illicò consequitur ad excitationem factam per sensum externum. Et idem est de prima apprehensione intellectus, respectu sensationis internæ.

Nihil igitur esse videtur, cur eam nobis naturaliter consertam operandi rationem, immutatam in Christo velimus. Idque vnum sensuerim voluisse Franciscum Victoriam, quem Vasques suprà, refert admisisse Christum aliquando per sensus fuisse deceptum. Quod de deceptione quoad assensum, concedi non debet: esset enim verus error, quem vidimus esse à Christo abiegandum. Accipiendum ergo est de deceptione simplici qualem exposui; hoc est de prima apprehensione obiecti per intellectum, quæ sit conformis sensitiuæ apprehensioni oblatæ. Hoc si negare voluit Vasques loco allegato, vniuersè contendens, deceptionem qualiscunque illa fuit, in Christo non subijsse animam, & in sensu stetisse, audiendus non est. Verisimile tamen est, eum de solo assensu id affirmasse: qua in parte habet me suffragatorem, non item quoad simplicem perceptionem obiecti, aliter quidem quam ipsum in se sit, sed iuxta excitationem à sensu factum, quæ naturaliter ad talem speciei impressionem excuditur. Ea enim intellectus & sensus hallucinatio, non est verus error, vt plenè probat Mayro q. 19. prologi conclus. 2. quamvis possit esse occasio erroris in iis qui conformiter ad repræsentationem illam simplicem, præcipitant iudicium. In quam rem pulchrè disseritur apud S. Augustinum l. 3. contra Academicos cap. 11. & apud S. Anselmum dialog. de verit. toto c. 6.

Potuerítne cadere in Christum error, varia placita.

211. An verò error propriè dictus quem hactenus ab intellectu Christi depulimus loquendo de potentia ordinaria; potuerit in illo habere locum, saltem de potentia absoluta, controuertitur inter Theologos: non

non quidem si agatur de errore culpabili, (nam constat enim æquè ac peccatum nullo modo posse in Christum cadere,) sed supponendo quid agatur de errore innoxio & culpæ prorsus experte. Negat suppositionem Ragusa 3.p.d.116. Existimat enim nullum esse proprie dictum errorem, etiamsi speculatiuum, ex genere suo culpa vacantem, saltem leui. Quod probat, supponendo velle errare etiam speculatiuè, non vacare culpa. Inde igitur sic argumentum conficit. Error prouenit ex eo quod homo non habeat omnia ad veritatis perceptionem requisita; cùm ex parte obiecti, tum ex parte virtutis intellectiuæ, vel certè ex eo quod si omnia suppetant ad veritatis perceptionem necessaria, prætermittantur tamen sponte & vltrò, quæ ad verè cognoscendum deliberentur. Si homo non aduertat deesse sibi principia vere cognoscéndi, idque eum inuincibiliter lateat, & tamen accingatur ad operationem; aberit quidem formale peccatum; tamen operatio ex genere suo mala erit, tantúmque per accidens, ob dispositionem talem operantis, labe vacabit. Si autem aduertat deesse sibi verè operandi principia, & tamen operari velit, ascisset sibi vitiò errorem, quæ est manifesta culpa, saltem leuis. Iuxta prædictum igitur Autorem tam implicat cadere in Christum errorem quemcunque, quàm culpam: cum iuxta eum, nullus error saltem ex genere suo, siue ex natura rei loquendo, vacet culpa.

At Suares t.1.3.p.d.24. sect.3. & Præpositus 3.p.q.15. num.28. admisso quod dari possit error prorsus inculpabilis, inde confirmant repugnasse planè vt Christus errori vlli etiamsi tantùm veniali subiaceret, quod ad prudentem prouidentiam rationalis personæ, pertinet depellere falsitatem à natura propria, & ne eam subrepat deceptio impedire si possis. At qui humanitas Christi erat natura propria diuinæ personæ, cui facillimum est errorem quemcunque amoliri. Igitur non potuit Verbum, permittere errorem vllum in humanitate assumpta. Quæ porrò ratio boni honesti, vel cum honesto connexio, cerni possit in permissione inquinandi errore prædictam naturam; Imo verò non parum inde decederet de talis personæ Auctoritate, meritóque venire potuisset Christus Dominus in suspicionem erroris inuoluntarij; & patere suspicionibus hominum, ne inter docendum hallucinaretur non volens: vnde non modica violatio existeret summæ illius auctoritatis qua Christum mundi Magistratum eminere par erat apud omnes.

Tandem Vasquez 3.p.d.61.c.9. admittit impossibile fuisse permitti in Christo errorem practicum; qui non est quidem falsa aliqua affirmatio aut negatio de re faciendà, est tamen remissa & parum expressa consideratio motiuorum quibus voluntas à malo auerteretur. Et ideirco non potuit, etiam de potentia absoluta, permitti in Christo iste error: quia sicut impossibile fuit peccatum cadere in Christum, ita & prædictum intellectus defectum, ex quo peccatum semper ortum habet. Proindéque vi vnionis adigebatur persona Verbi, præuenire intellectum suum humanum, expressiori & efficaciori cogitatione ad bonum, quod est errorem practicum excludere. Errorem tamen speculatiuum culpæ expertem, fatetur Vasques potuisse absque repugnantia in Christum cadere.

Resolutio.

212. Mihi nullus planè error, quod attinet ad potentiam Dei absolutam, ita teter apparet, vt alienus ab humanitate Christi videri debeat. Nullum enim repugnantiæ solidum fundamentum profertur. Ac primùm posse aliquem errorem esse planè inculpabilem, videtur debere esse extra controuersiam. Quod enim talis error sit materialiter malus, & formaliter malus foret si auerrentia non deesset, parum refert. Nam esse materialiter malum, non est esse verè malum, & tale malum quod ne de potentia quidem absoluta permitti à Deo possit in humanitate assumpta. Et quamuis valde congruum sit, prouidentiam personæ Verbi arcere à natura sibi copulata huiusmodi malum, tamen congruitas illa non ita vrget Deum, vt contrarium facere contradictionem inuoluat. Nec rectè ostenditur defectus boni honesti quod ad eam permissionem mouere possit. Si enim Deo ita videretur, posset defectus ille in Christi humanitate permitti, vt eius potentialitas proderetur, qui finis esset longè honestissimus. Est autem longè dispar ratio peccati: quod cum sit inexpiabiliter & ineluibiliter turpe, non potest humanitati assumptæ illini, quin supposito quoque afficeretur. Tenebatur enim suppositum, dirigere voluntatem naturæ suæ, eámque à peccato indemnem præstare. At non est par obligatio dirigendi intellectum, vt errorem declinet: quia error non est culpa, & malum tale vt nulla ratione in natura assumpta permitti queat. Nam quod de auctoritate inde Christo decessura obijcitur, leue est. Ad nostram enim firmitatem omnimodam in assentiendo Christo loquenti, & summam Christi auctoritatem retinendam, satis supérque est, vt certi reipsa simus ex fide, (sicut reuera sumus,) Christum de facto nihil errore sordens tradidisse, nec errasse vnquam in iis quæ nos docuit, Magistet verax, & viam Dei in veritate docens. Ad extremum, error practicus licet præeat cuiuis peccato, non est tamen ipse peccatum; nec ita necessariò habet adiunctum peccatum, vt non possit esse illimis. Præit enim actui voluntatis, etiam ei quem primum malè elicimus; atque adeò non est formaliter malus, alioqui malitia esset ante malitiam. Quod verò sit malus causaliter, parum refert. Nam non dicitur causaliter malus, nisi quia prælucet voluntati malè operanti; quod non est propriè efficere malum: præsertim cum posita illa intellectuali præmonstratione mali, in potestate sit voluntatis, hærere, & in malum sic exhibitum non prorumpere. Quare manifestum videtur, omnes rationes quæ afferuntur, vt probent implicare, permitti in Christo errorem, inidoneas esse. Quod ita de actu erroris dictum esto, vt æquè valeat de habitu, quem per actus illos erroneos acquireret, quos intellectus Christi creatus, sibi permissus posset elicere. Esto, ratum sit quod probaui l.1. de virtut. num.132. & num.218. non posse Deum seipso habitum erroris infundere, ne suprema veritas, fuligine falsitatis quoquomodo commaculetur.

Opinio fidei, Theologia, procul à Christo.

213. In tertio ordine defectuum intellectus, quos susceperamus à Christi intellectu depellendos, primum locum sibi vendicant qui errori affines sunt, opinio scilicet & fides humana; sunt enim suæ naturæ obnoxiæ falsitati, ob imbecillitatem motiui quo nituntur. Itaque de facto hi defectus in Christum non ceciderunt. Præterquàm quod cum sint notitiæ obscuræ & inuidentes, dedecent plenitudinem luminis intellectualis, statum beatificum constituentis, multo magis quàm dedecerent statum innocentiæ, à quo tamen S. Thomas q.18. de verit. art.6. omnem planè opinionem exulasse, rectè tradit ob fallibilitatem opinionis, quam idcirco peculiaris Dei prouidentia, ad statum illius exigentiam remouebat. Hæ rationes euincunt, notitias prædictas non habuisse in Christo locum. Fateor tamen, Christum certò ac euidenter perspexisse, id de quo nos opinando pronunciamus; ita vt occurrente materia de qua nostris intellectibus non satis liqueret, Christus per scientiam naturalem, dimissa assertione absolutæ inexistentiæ prædicati in subiecto; de qua per alias scientias pronunciabat, posset hærere in verisimilitudine illius inexistentiæ & probabilitatis. Quod iudicium non est opinatiuum, sed scientifi-

cum, & ideireo in Deum quoque cadit, vt ostendi in Naturali Theolog. d. 8. n. 46.

Spectant ad eundem ordinem, fides diuina, & Theologia Christiana. Fidem à Christo remouet S. Thomas 3. part. quæst. 7. art. 3. & art. 9. ad 1. vbi ait, fuisse in Christo quicquid est perfectionis in fide, absque imperfectione quam infert fides. Quod ego de assensus omnimoda vetitate & certitudine accipio. Nec enim placet quod aliqui significasse D. Thomam volunt, inexistisse Christo actum illum piæ affectionis, qui ex parte voluntatis inter cudendum fidei actum desideratur, ad supplendam ineuidentiam motiui fidei, non subigentis intellectum. Hoc ego non video quàm verisimiliter dicatur. Tam enim non potuit in Christum cadere actus ille, *volo credere & captiuare intellectum*, quàm actus ipse fidei. Poterat tamen Christus eam credendi voluntatem in alijs diligere, ac curare: qui actus perfunditur honestate volitionis credendi. Sed inde non sequitur inexistisse Christo volendi credere, ac multo minus fidem à qua volitio illa credendi longè abest, cum sit actus voluntatis pertinens ad virtutem moralem, non autem ad fidem quæ est virtus Theologica, & inexistens intellectui. De fide igitur agendo, formaliter & in seipsa, rectè negatur eam habuisse locum in Christo, quippe beato & comprehensore à primo conceptionis momento. At in Beatis fidem non habere locum, petuulgata est Theologorum doctrina, cum D. Augustino 14. Trinit. cap. 2. Et quidem quoad actum erga Deum, doctrina illa definita est à Benedicto II. in Extrauag. *Benedictus Deus*, tametsi contra fortassis olim senserunt Tertullianus l. de patientia cap. 12. & Iren. l. 2. c. 47. quos ibi num. 7. Feuardentius (vt potest,) exponit. Nec minus lubricè S. Hilarius, *initio fragmenti historici*, affirmat [fidem, spem, charitatem, capessendæ æternitatis traduces & patronos, sicut ipsa erunt, æternitas apprehendet.] Si igitur communes Beati, ob præstantiam status, & summam lucem qua potiuntur, nubem lucidam (cuiusmodi iuxta Damascenum orat. de transfig. est fides nostra,) vltra non subeunt; quanto magis idem de principe Beatorum omnium Christo Domino, est statuendum? Itaque hallucinatus est Varablus, (aut quisquis eas notationes edidit, quæ eius nomine circumferuntur) cum in cap. 12. ad Hebr. dixit. Christum esse Autorem & consummatorum fidei, quia perfectè in Deum credidit. Locus S. Brigittæ ex lib. 1. reuel. cap. 39. quo Christi fides inter patiendum asseritur, à Consalue ibi, exponitur de fide sumpta pro fiducia. Sicut locus Isaiæ 11. quo fides dicitur futura *cinctorium rerum Christi*, à Hieronymo & Cyrillo ibi, exponitur de Christi fidelitate & veracitate, quæ summa in Christo fuit, tametsi fidei Theologicæ planè expers fuerit.

214. Hinc verò vlteriùs habetur, prudentiam Christi infusam, fuisse specie differentem à prudentia communi iustorum viatorum. Nam in his, virtus prudentiæ infusæ, non differt à fide. Eodem quippè modo se habet prudentia infusa, iustorum in hac vita, ad fidem, quo se habet prudentia naturalis ad moralem disciplinam. Alibi autem monstratum est, prudentiam naturalem non distingui à morali disciplina, nisi penes materiam vniuersalem & singularem; quatenus scilicet moralis disciplina respicit actum aliquem in vniuersum; prudentia autem eundemmet actum respicit in singulari. Similiter ergo fides practica, quatenus denominationem fidei habet, respicit dicta vniuersalia: quatenus verò denominatur prudentia infusam, profundit eadem dicta sua, sed cum contractione ad hanc materiam singularem; quod non sufficit ad distinctionem fidei, & prudentiæ infusæ inaccidentis, & absque discursu procedentis ex simplici adhæsione ad diuinam veritatem, quicquid dicant Maldonatus 2. 2. quæst. 1. art. 3. dub. 2. ad 1. Torres tom. 1. in 2. 2. d. 99. dub. 7. & Salas 1. 2. tract. 11. num. 21. Quia itaque fide caruit Christus, ea quoque communi prudentia iustorum destitueretur, necesse est. Habuit tamen aliam longè sublimiorem prudentiam; nempe euidentem, quæ ad scientiam infusam comparatur eodem planè modo quo vulgaris prudentia infusa ad fidem, proportione seruata. Et ratione illius prudentiæ in Christo summæ, dictus est Christus *prudentia Dei*. Audi Origenem homil. 3. in Ierem. [Non fortuitò sapientia in cœli ostensione assumpta est. Inuenies & in Prouerbijs dictum; *Dominus sapientia fundauit terram, præparauit cœlos prudentia.* Est ergo aliqua prudentia Dei, quam nolo vt extra Christum requiras. Omnia quippe quæ & sunt Dei, Christus est. Ipse sapientia eius, ipse fortitudo, ipse sanctificatio, ipse iustitia, ipse sanctitas, & redemptio, ipse vt in præsenti pro varietate sensuum diuersis vocabulis nuncupatur. Aliud significat sapientia, aliud iustitia. Quando enim sapientia dicitur, disciplina ista diuinarum rerum humanarúmque institutio: quando iustitia, distributor & iudex meritorum significatur: quando sanctitas, illa virtus describitur, quæ credentes Deo, efficit sanctos. Ita ergo mihi & prudentia eius intelligitur, doctrina & demonstratio, bonarum ac malarum rerum, siue neutrarum.]

Denique quia Theologia Christiana actualis, supponit essentialiter actum fidei, eique tanquam motiuo nititur, quo subducto necesse est actum Theologiæ nostræ corruere: affirmandum consequenter est, in Christo, æquè ac in Beatis, locum non fuisse actuali Theologiæ Christianæ. De habitu Theologiæ, alia est ratio, cur in Christo non fuerit: Etiamsi enim hic habitus non supponat essentialiter actum vel habitum fidei, dicit tamen ordinem essentialem remotum ad fidem; ratione nimirum discursus Theologici quem principiat; proximè quidem Theologia, remote verò & mediatè fides. Quia verò à Christo exulabat prorsus fides, otiosè & inutiliter fuisset ei collarus fidei habitus. Adde & indecorè, quandoquidem habitus ille est essentialiter ineuidens, ac proinde dedecens lucem status beatifici, quo Christus potiebatur. Et quanquam non defuerunt, qui alijs Beatis, habitum Theologiæ Christianæ inesse dicerent, vt Canus 12. de locis c. 2. Henriques de fine hominis cap. 1. num. 2. Bannes 1. p. quæst. 1. art. 2. & Carbo l. 3. introd. c. 10. Tamen minus inuerisimiliter sic sunt philosophati de alijs Beatis, in quibus actus Theologicus locum habuit in via, & per eum inustus est habitus Theologicus, qui tametsi æternùm iners ac obstipus, tamen si non obliteretur, quandoquidem præfuerat, perseuerat. In Christo autem, vt actus, ita & habitus Theologiæ nunquam habuit locum. Quare non est quod pannis nostris ac lacernis ornatum velimus, eum qui confessionem & decorem induit. Hactenus de notitijs, & habitibus qui ijsdem correspondent, à Christo amouendis ob imperfectionem qua sordent.

Scientia acquisita Christi, cum discursu, & conuersione ad phantasmata.

215. Postremus ordo intellectualium defectuum ab intellectu Christi remouendorum, is est qui spectat modum imperfectum parandæ aut exuendæ scientiæ qui in nobis duplex est, nempe discursus, & conuersio ad phantasmata. Est enim magnus defectus intellectus, quod cogatur ad veritatem tanto anfractu repere, circumligata semper limosa phantasiæ catena, tam crassum concipiendi modum, & cum materia concretionem ingenerante. Videndum igitur superest, an hi defectus habuerint in Christo locum, cum Christus in plerisque alijs tam singulariter fuerit. Cùm autem multiplex

multiplex in Christi intellectu fuerit scientia, percurrendæ erunt tres scientiæ, quas vidimus admittendas esse in Christo; acquisita scilicet, infusa, atque beata, vt videamus sintne eis comitati defectus de quibus agimus.

Verùm quod ad scientiam acquisitam attinet, facilè est ex dictis supra de eius existentia & perfectione in Christo, quid in hac parte affirmandum sit, diiudicare. Affirmandum igitur est, actum scientiæ naturalis, in Christo viatore non fuisse huius defectus expertem, sed fuisse cum discursu, & per conuersionem ad phantasmata. Hic enim est noster generalis modus operandi, nec sordet indecentia vlla respectu Christi. Sicut neque respectu Adami adhuc innocentis, indecens fuit eum per scientiam naturalem à Deo per accidens infusam, ratiocinari, & in vsu eius conuerti ad phantasmata, quod Suarez l. 3. Cosmop. cap. 9. num. 7. & 21. rectè statuit. Christum igitur exercentem actus scientiæ naturalis humano modo comparatæ, & ne per accidens quidem infusæ, non dedecuit ad phantasmata conuerti: hoc est de eo ipso negotio quod mente agitabat, adiunctam habere proportionalem phantasiæ operationem: quod nisi prope inutiliter concessum velimus Christo phantasiam, videtur admittendum: satisque suadetur ex consertione animæ cum corpore, ad quam illa quoque potentiarum consibrio atque subiunctio consequitur. Non potuit item dedecere Christum, discursus qui ex imperfectione specierum per sensus haustarum originem habet, æquè ac cohæsitio, quam nemo Christo negarit quoad actus huius scientiæ, atque adeò neque discursum. Et videtur sanè Matth. 17. haberi apertum exemplum formatæ per Christum ratiocinationis, inferendo filios liberos esse, ex eo quod principes ab solis extraneis accipiant tributa. Quem discursum S. Thomas 3. p. q. 11. art. 3. adscribit scientiæ Christi infusæ, nec alius posse ibi contendit Aluarez 3. p. d. 64. eo quod ibi Christus agat de supernaturali filiatione, & sua ac suorum exemptione à seculari potestate eo titulo. Reuera tamen discursus ille videtur potiùs fuisse scientiæ naturalis: quia verisimile admodùm est, actum scientiæ infusæ, esse discursus expertem. Nec refert, quod actus aliqui supernaturales ad illius discursus compactionem interuenerint. Nam Theologia quoque, quamuis sit naturalis scientia, idem habet. Et quamuis verum esset huiusmodi discursum fuisse elicitum per scientiam Christi infusam, adhuc haberemus quod quærimus. Nam si vsus scientiæ superioris non excludit discursum, multo minùs ab eo abhorrebit scientia despicatior, cuiusmodi est scientia naturalis, præ infusa. Neque verò vlla inde in Christum ignorantia inuehitur. Nam de ratione discursus, non est procedere de ignotis ad nota, vt alibi monstratum est, & benè ostendit Vasq. 1. p. d. 121. sed tantum de ratione discursus est, ita procedere, vt res ad quam discursu deuenitur, non supponatur nota per illam ipsam viam discursus, etiamsi aliunde patere possit, atque adeò exulet ab intellectu ignorantia.

Infusa Christi scientia, absque discursu.

216. Pergo ad scientiam infusam, vt inquiram sitne actus eius defectibus de quibus agimus obnoxius. Discursum ergo posse cadere in actum scientiæ infusæ, censent Duran. in 3. d. 14. q. 3. num. 7. Aluarez 3. p. d. 64. Becanus cap. 9. de incarnatione q. 5. ac Raguſa 3. p. d. 97. iuxta quos, discursus etiamsi non est scientiæ infusæ necessarius, potest tamen ad eam adhiberi pro voluntate scientis. Quam sententiam tradidisse videtur D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3. Discursuam quoque statuit scientiam hanc infusam, Salas 1. 2. tract. 2. d. 6. n. 18. & quidem ex principijs scientiæ beatæ, ita vt non aliter se habeat infusa Christi scientia ad beatam, quàm Theologia nostra ad fidem Christianam. Mox tamen num. 19. idem Autor, aliam scientiam infusam discursus planè expertem non diffitetur.

Mihi arridet eorum sententia, qui scientiam Christi infusam negant fuisse, aut esse potuisse discursiuam, quod asserunt Suarez t. 1. 3. p. d. 28. sect. 2. & Vasq. d. 52. cap. 3. Præpositus 3. p. q. 11. n. 28. Ratio est quia actus nixus motiuo & rationi formali assentiendi naturali, non est infusus sed naturalis. Atqui conclusio quæ per discursum colligitur, habet rationem formalem assentiendi naturalem, saltem ex parte. Neque enim ratio formalis mouens ad assentiendum conclusioni, est tantùm præmissa, quæ posset esse supernaturalis, vt patet ex Theologia Christiana; quæ ex principijs ad fidem spectantibus, atque adeò supernaturalibus ratiocinatur. Motiuum ergo quo assentimur conclusioni, est præmissa vt per discursum applicata, ita vt idcirco præstemus assensum conclusioni, quia videmus nexum extremorum eius cum vno tertio, in præmissis exhibitum; quod est motiuum supernaturale impurum, & mixtum ex vno supernaturali, & ex tertio iudicio naturali negotiante circa supernaturale. Et hanc ob causam Theologia Christiana, etiamsi eius præmissæ, saltem altera, semper sunt de fide, non est tamen habitus supernaturalis aut infusus, sed merè acquisitus & naturalis, vt rectè cēsēt Vasq. 1. p. d. 4. n. 23. & Suarez tract. de fide disp. 3. sect. 11. num. 8. & l. de Symonia cap. 18. num. 10. Nimirum quia Theologia non nititur nudis principijs fidei, sed cum mixtura discursus naturalis. Quamuis enim intellectus, non possit suapte natura ad illa principia pertingere; tamen ijs semel aliunde suppositis, intellectus absque alia vi superaddita, pollet vi sufficiente ad causandum actum aliquem, & principijs illis & negotiatione intellectus circa ea nitentem: ita tamen vt ob illam motiui impuritatem atque mixturam, redoleat quod despicatius est in motiuo, sitque planè naturalis, formaliter & directè loquendo, nec nisi præsuppositiuè supernaturalis ratione eius quod in motiuo actus Theologici est supernaturale. Similiter ergo notitia quæ ex iudicio scientiæ infusæ posset inferri per discursum, non est notitia infusa, sed naturalis: quia intellectus noster præmissis supernaturaliter fœcundatus, potest suis viribus; eo adiumento præsuppositio, aliquid inde deducere.

217. Argumenta in contrarium, debilia sunt. Raguſa ex eo argumentatur, quod lumen superius intellectui humano infusum, non eripiat illi connaturalem operandi modum, qui est cum discursu, nisi si excludat habitudinem ad intelligendum per phantasmata, quod non facit scientia infusa. Nam vbi species impressa non est ratio cognoscendi cognita, (sicut est, essentia diuina respectu visionis beatæ,) species habet ordinem intrinsecum ad obiectum. Quod si obiectum reale possit habere phantasma materiale, similiter species habet intrinsecum ordinem ad phantasma, & ad illud terminatur quatenus est in specie similitudo phantasmatis, non secus ac species producta per phantasma, ad illud terminatur. Intellectus ergo potest ea specie vti, ad intelligendum obiectum quatenus in phantasmate representatur: Atqui modus intelligendi per phantasma, & in phantasmate, est cum discursu; ac proinde scientia infusa potest discurrere.

Hoc argumentum, aio esse debile. Nam lumen superius, ob diuersitatem rationis cognoscendi quam infert, potest facilè modum aliquem intelligendi, homini connaturalem eripere. Imo idipsum potest lumen inferius. Nam cum sit homini connaturale discurrere, tamen eripitur homini discursus circa principia prima per se nota, quia lumen naturale per quod seipsis percipiuntur, elidit rationem motiuam assentiendi per discursum, quo aliquid est percipiendum per

aliud. Deinde non plus scientia beata excludit vel involuit ordinem ad phantasma, quàm scientia infusa, & vtriusque impressa species, quatenus species impressa est signum formale, & ratio cognoscendi incognita. Igitur par est vtriusque illius scientiæ ordo ad obiectum; quod cum semper possit materiali phantasmate repræsentari, (quid enim est quod phantasia non possit effingere:) æquè poterit dari discursus in scientia beata, quod aduersarius ipse meritò inficiatur. Ex concomitante itaque intellectus & phantasiæ negotiatione voluntaria circa aliquod obiectum, non habetur intellectum discurrere circa illud, ac ne ex concomitantia quidem necessaria. Nam in nostris notitijs, etiam simplicissimis & per se euidentibus, phantasia necessariò comitatur intellectui absque discursu. Quare argumentum propositum, vndecumque rimas agit.

218. Nec fortius est, quod Aluares loco allegato ducit ex Matthæi 17. vbi Christus Dominus, circa obiectum scientiæ infusæ, hoc est, circa exemptionem filij naturalis & domesticorum eius à tributis pendendis potestati seculari, ratiocinatur ex simili exemptione, qua potiuntur filij Regum terræ. Quam ratiocinationem non esse dumtaxat apparentem & merè vocalem, vt Vasq. 3. p. d. 52. n. 22. affirmat, inde probat Aluares, quod illa Christi locutio non fuit phantastica vel metaphorica, (aut est locutio Angelorum ijs quibus apparent colloquentium, ac etiam Dei si cuipiam appareret humana specie, & cum eo ageret;) sed fuit vera locutio humana, & verus vitalis actus. Cum igitur in humanis locutionibus, verba sint notæ eorum quæ sunt in anima, fatendum est, quod sicut Christus, locutione externa per discursum, vnum ex alio verbaliter intulit, ita & in mente similiter se habuit.

Vniuersa hæc ratiocinatio, infirmissima est. Nam quod Christus de obiecto materiali scientiæ infusæ ageret in verbis propositis, vltrò damus; quamuis non desit tricandi & aliter dicendi, rationabilis causa. Sed eo gratis dato, addimus, ratiocinationem illam fuisse scientiæ acquisitæ & naturalis, quæ potest naturaliter circa obiectum aliquod negotiari præsuppositis supernaturali notitia, vt cernimus in notitia Theologica, quæ ratiocinatur circa articulos fidei, quamuis sit merè naturalis & acquisita. Quod si luberet eam Christi ratiocinationem tribuere scientiæ infusæ, facilè diceremus, non fuisse ratiocinationem nisi verbotenus; quamuis ea verborum prolatio, esset vera & vitalis Christi locutio, denotans quod erat in Christi mente, sed non eo modo quo in mente erat. Verba enim plerumque sonant aliquid quod in animo est, sed aliter sonant quàm animo obuersetur. Itaque vniuersus aduersarij discursus, labat.

219. Fortius in speciem est, quod posset obijci, dicendo eam scientiam vti discursu, quæ percipit obiecta sua vnum per aliud. Ibi enim interuenit collustratio illa notitiæ vnius obiecti, per notitiam alterius clariorem & priùs cognitam, in qua est discursus ratio. Atqui in scientia infusa Christi, vnum obiectum priùs cognitum, affundebat alteri lucem: v.g. cum Verbum euidenter iudicabatur esse, ex eo quod per scientiam infusam penetraretur essentia vnionis ad Verbum terminatæ. Et idem est de alijs obiectis euidenter præcognitis, à quibus scientia infusa repit ad terminum cum illis obiectis connexum.

Sed neque hinc validè infertur, scientiam infusam vti discursu. Nam ad discursum nõ sufficit qualiscumque notitia plurium, quorum vnum cognoscatur per aliud, siue ob connexionem cum alio: Sed exigitur pluralitas cognitionum, quarum vna ex se obscura, perfundatur luce alterius, & inde splendescat: quod non habet locum in ijs obiectis scientiæ infusæ, quorum vnum in alio, potiùs quàm ex alio cognoscitur. Est enim ibi vnica notitia, indiuisibiliter terminata ad duo obiecta connexa conceptu indissolubilia, quod pugnat cum ratione discursus. Admitto quidem, Christum potuisse inadæquatè vti speciebus infusis, ita vt non per quemlibet actum, cognosceret quicquid de re cognoscere poterat per hanc scientiam, v.g. licet eadem species infusa, posset esse Christo vsui ad exhibendam causam simul & effectum, poterat tamen Christus ea inadæquatè vti, & tantùm per eam percipere alterum ex illis obiectis. Inde tamen non sequitur, quando Christus speciem infusam adæquatè vsurpabat, aut etiam cum duos actus per eam concomitanter eliciebat, interuenisse discursum: quia deerat illatio, quæ illam quam dixi propositionum multitudinem & conditionem deposcit.

Vsus eiusdem scientiæ, absque conuersione ad phantasmata.

220. Iam quod attinet ad vsum huius scientiæ per conuersionem ad phantasmata, sententia fuit Durandi in 3. d. 14. quæst. 3. num. 7. hanc scientiam potuisse exerceri absque ea conuersione. Rationem profert Durandus, quia hæc scientia erat perfectio animæ Christi quatenus viatoris, vnde debet recipi in Christo, consentaneè ad statum viatoris, qui sert vt nihil cognoscatur nisi per conuersionem ad phantasmata: quia cum anima sit forma corporis, necesse est vt operationes eius omnes, corpus redoleant; quod non posset circa intellectionem habere locum, nisi exerceretur cum conuersione ad phantasmata, iuxta Dionysium quem allegat Durandus, affirmantem non posse nobis superlucere diuinum radium, nisi corporearum formarum velaminibus obductum. Et addere possumus insignem locum Nazianzeni orat. 34. quæ est secunda de Theol. num. 20. verbis illis.

Nobis vtique, qui terræ vinculis adstricti tenemur, vt Hieremiæ verbis vtar, crassaque hac carne obtegimur, hoc perspicuum est, quod quemadmodum nulla ratione fieri potest, vt quispiam quantumlibet grestum vrgeat, vmbram suam prætereat (quantum enim eam assequeris, tantum etiam illa semper anteuertit; aut oculis, rebus in aspectum cadentibus, citra intermediam lucem & aërem coniungatur; aut pisces extra vndas voluantur: ita etiam impossibile est ijs qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum ac sensibilium rerum adminiculo, rebus ijs quæ animo ac ratione intelliguntur, omnino coniungi. Semper enim obiter sensibile aliquid incidit, quantumuis maximè nostra mens ab ijs rebus quæ in aspectum cadunt, abstracta, atque in seipsam collecta, cum rebus cognatis atque oculorum aciem fugientibus commercium habere conetur.] Id quod Theologus exemplis statim illustrat. Et præmiserat paulò ante, corpoream hanc caliginem in nostras omnes cogitationes se intrudentem, non secus se habere ac nubem illam, inter Hebræos & Ægyptios mediam, quæ semper interijciebat sese, ita vt non possent alij alios nisi per interpositam nubem conspicere. Sic enim nos, nihil intellectu conspicati, ac ne apprehendere quidem possumus, nisi interuenta phantasiæ; hoc est provt tulerit determinatio phantasiæ. Hæc cum sit naturalis nostra conditio, Christus qui naturalia omnia nostra benignissimè sua fecit, noluit sibi viatori hunc cognoscendi modum deesse: atque ita scientia eius infusa, quia erat Christi viatoris propria, fuit alligata phantasmatibus, quoad exercitium & vsum. Ex quo infert Durandus, Christum priusquàm per ætatem phantasia partes suas obiter accommodarè ad intellectionem, habuisse quidam habitum scientiæ infusæ, non tamen vsum, vel actum.

221. Verùm ex hoc consectario quod Durandus admittere necessariò debet, refellitur perspicuè eius sen-

tentia,

tiæ. Nam vt supra tradidimus, Christus à primo conceptionis momento meruit, prælucente voluntati aliquo actu scientiæ supernaturalis viatoribus consentaneæ, quæ nulla in Christo fuit præter infusam. Si ergo Christus, tunc ob organorum indispositionem non potuit conuerti ad phantasmata, manifestè efficitur, scientiæ infusæ vsum in Christo non eguisse prædicta conuersione. Accedit quod legitima causa necessitatis quæ premimur, vt inter intelligendum conuertamur ad phantasmata, non habet locum circa scientiam infusam. Dimissis autem varijs necessitatis illius exponendæ rationibus illegitimis, de quibus suo loco plenè est actum, vera causa est quæ à D. Thoma insinuatur, varijs locis signatis à Capreolo in 1. d. 35. q. 1. ad 1. *Aureoli contra* 2. & tangitur etiam à Scoto in 4. d. 45. q. 1. ad 3. ac in 1. d. 3. q. 6. *litera R. & S.* & à Mayronio ibid. quæst. 10. dub. 3. nec non ab Ochamo in 4. quæst. 12. art. 1. ad 1. *in fine quæstionis*. Nimirum ideirco nostrum intellectum quippiam speculantem conuerti ad phantasmata, quia species quibus speculamur, haustæ sunt à sensibus tanquam administris, quos quia anima est forma corporis, eique in hoc statu obligatur, vt loquitur D. Thomas 3. p. quæst. 11. art. 2. necesse est præbere animæ ministerium aliquod, circa illas operationes quarum principia hausta sunt à sensibus, & à quibus etiam initium cœpit earum exercitium. Præbent autem sensitiuæ potentiæ ministerium aliquod ad operationes illas, determinando denuò intellectum vt primò fecerunt, cum intellectui ad primam intellectionem, & specierum fabricationem præiuerunt. Nam quamuis interdum origo cogitandi vlteriùs de re aliqua, videatur proficisci à voluntate cui intellectus debet prælucere: tamen sicut prima intellectionis illius prælucentis inchoatio, ortum habuit à determinatione phantasiæ, ita etiam cum voluntas applicatura est intellectum ad profundiorem vel vlteriorem intellectionem de re quapiam, aut certè ad cogitationem rei alterius, connexæ cum re iam cogitata; tunc voluntas priùs natura applicat phantasiam, & hac tapit intellectum ad intellectionem phantasiationi respondentem, non contra: vt patet ex eo quod cum phantasma ob materialitatem suam corrumpitur, non possumus intelligere aut recordari rem præcognitam: quod tamen non esset factu operosum, si esset in potestate intellectus abripere phantasiam. Ex his ergo perspicuè efficitur, fundamentum quo nititur nostra in hoc statu necessitas conuersionis ad phantasmata, deficere in vsu scientiæ Christi infusæ.

Hinc verò vlteriùs inferre licet, contra Aluarem 3. p. d. 63. & Ragusam d. 96. scientiam infusam Christi, non modò non eguisse conuersione ad phantasmata, sed ne exercuisse quidem cum ea potuisse. Ait quidem S. Thomas quæst. 11. art. ad 3. potuisse Christum conuerti ad phantasmata inter intelligendum, & apertè agit de scientia infusa, vt patet ex articuli titulo, & ex scopo in quem collimat argumentum cui respondet: vt proinde non benè Vasques 3. p. d. 52. cap. 2. num. 12. locum illum declinet, dicens S. Thomam non exponere de qua Christi scientia agat, ac proinde nihil esse necesse eum locum accipere de scientia Christi infusa. Ex articulo item 4. vt Vasques fatetur, liquet S. Thomam de scientia infusa agere, eique tribuere, vt qui eam exercet, possit conuerti ad phantasmata. Hoc igitur fateor à S. Doctore asseri, sed alio sensu quàm hic loquamur de conuersione ad phantasmata. Sensus enim S. Thomæ duntaxat est, posse quempiam, interim dum exercet scientiam infusam per intellectum, exercere quoque phantasiam suo modo circa idem obiectum, & concomitanter elicere phantasiationem simul & intellectionem eiusdem rei. Sed hoc, nisi aliud addatur, non est conuerti ad phantasmata, proprie & in sensu in quo hactenus de ea conuersione locuti sumus, cum eius necessitate exemimus scientiam infusam. Necesse igitur est, supra illam vtriusque potentiæ in operando concomitantiam, addere connexionem vtriusque cognitionis, & dependentiam aliquam intellectionis à phantasiatione, obinde factum eius initium, ac deriuata indidem eius principia. Cum autem hæc ratio non habeat locum circa scientiam infusam, manifestum videtur, vsum huius scientiæ non inferre, nec compati conuersionem ad phantasmata.

Scientia beata, absque ijsdem defectibus; summa capitis, & vsus doctrinæ.

222. Iam verò ex disputatis circa scientiam Christi infusam, per se liquet quid sit affirmandum de scientia Christi beata, quoad duos defectus quos excutimus. Nempè negandum est, esse in scientia Christi beata, locum vel discursui, vel conuersioni ad phantasmata. Si enim hæc non cadunt in depressiorem notitiam, quæ non est necessariò coniuncta cum beatitudine, & tamen ob perfectionem suam, & independentiam à sensibus in ortu suo, non subijcitur defectibus illis de quibus agimus, multo magis idem affirmandum erit de scientia Christi beata. Sed hæc quod æquè dicenda sint de quacumque scientia beata, non sunt huic tractationi peculiaria. Quare receptui canamus, exhibito pro more capitis breuiculo & vsu doctrinæ. Breuiculus, hic esto.

Cum tanta Thesaurorum sapientiæ & scientiæ Dei vbertate in intellectu Christi humano, non habuit in eo locum ignorantia, & multo minùs error propriè acceptus, siue culpabilis siue inculpabilis, quamuis de potentia absoluta, errorem innoxiũ permittit in Christo nihil vetuit. Abfuerunt item à Christi intellectu, ob viciniam cum errore, & motiui quo ducuntur caducitatem, opinio, & fides humana. Fides verò diuina, ac prudentia infusa viatorum, nec non Theologia Christiana, ob inuidentiam statui Christi beatifico incongruentem. Tandem defectus nostrates, in cognoscendo per discursum, & conuersionem ad phantasmata, cognitioni Christi acquisitæ, seu naturali, conseruntur; ab infusa & beata prorsus exulant.

Vsus doctrinæ esse debet, partim suspectio benignitatis diuinæ quæ humanitatem Verbo soæ & fonti sapientiæ in excelsis coniunctam, ad tam humilem cognoscendi modum quantum in scientia acquisita notauimus, demittere voluit, vt optimè aduertit Richardus Victor. l. 1. de Emman. cap. 16. partim suspectio magnificentiæ Dei in Christo, & supra nostram in cognoscendo paupertatem euectio quoad alias scientias, quas nostris fecibus liberas & vndecumque illimes præstate placuit.

CAPVT IV.

De naturalibus & supernaturalibus perfectionibus, voluntatis humanæ Christi Domini.

A Perfectionibus intellectus, transeo ad voluntatis Christi perfectiones: quæ cùm in naturæ, tum in gratiæ, ac gloriæ ordine distingui possunt, vel in actu secundo, vel in actu primo. Actus quippè secundi, perficiunt voluntatem; & quidem multo magis quàm actus primi à quibus prodeunt, tametsi actus secundi ferè careant stabilitate & permanentia quæ in actibus primis cerni solet. Habent hoc quoque actus secundi præcipuum, quod ad eos destinantur primi. Vnde isti, sicut constituuntur, ita & dignoscuntur per actus secundos, à quibus proinde auspicandum est; eo primùm constituto, vel potiùs supposito, quod iam circa intellectum diligentiùs discussimus; nempe voluntatem Christi creatam; non increata, sed creata volitione

tione tamquam forma, prosecutam fuisse bonum, & auersatam malum, quæ est tota voluntatis sphæra.

Perfectiones actuales cuiusuis ordinis, in Christi voluntate.

223. Fuisse in Christi humana voluntate, actus aliquos creatos cùm naturales, tum supernaturales, est extra controuersiam. Quamuis enim quoad intellectum, aliqui vt supra vidimus, affirmarint Christum intellexisse, aut intelligere potuisse per intellectionem Dei increatam, excluso actu proprio cognitionis, creatæ tamen quoad voluntatem, nemo fuit qui idem diceret, sed omnes in Christo volitionem creatam agnouerunt: idque ex geminæ Christi voluntatis assertione superiùs posita aduersus Monothelitas, ratum videtur, nec rarò inde firmatur à Patribus, pulcherrimèque à S. Hyppolito aduersus Beronem. Locum descripsit Turrianus l.1. de Euchar. cap. 21. Fuisset sanè supernacanea in Christo potentia voluntatis, nisi operationes ad quas ordinatur, ei cuisset, quandoquidem absque incongruitate id poterat: quod dico, vt repellam aut potiùs præueniam telum quod vibrati in nos potuit, ex otiositate facultatis generatiuæ, quæ verè Christo concessa est, nec tamen in actum vmquam erupit. Sed præterquàm quòd iuxta plerosque, ea facultas à vi nutritiua non discrepat reipsa; (ita enim tradit Suarez t.1.3.p.d.30. sect.vlt. *in fine*. Conimb.2. animæ cap.4. q.vnica. Rubius tota q.2. de potentijs vegetat. & q.3. num.68.) quo pacto non deest eius facultatis exercitium: præter hoc inquam, quod mihi minùs arridet, displicuitque S. Thomæ 1.p.q.78. art.2. constat vsum facultatis generatiuæ in Christo futurum fuisse incongruum, quod de vsu voluntatis fingi non potest. Itaque erupit haud dubiè voluntas Christi, in actus creatos. Quod intelligo generaliter de omni ordine actuum, complectendo cùm actus ordinis naturæ quos voluntas veluti domesticos & connaturales crebrò profundebat, etiamsi extrinseca ad Deum gratiæ auctorem destinatione, honestos supra naturam: Tum planè supernaturales viæ, quos ex merito Christi euidenter conuincimus ab humana eius voluntate prodijsse: Tum denique supernaturales spectantes ad ordinem gloriæ, queis Christi etiamnum viatoris voluntatem fuisse exornatam, apertè habetur ex dictis de perfectionibus intellectus Christi etiamnum viatoris, inter quas etiam numerauimus visionem beatificam. Ex ea verò progerminate actus voluntatis gloriam consummantes, nemo non vider. Quare habemus manifestè in Christi voluntate perfectiones actuales cuiusuis ordinis: naturæ inquam, gratiæ, ac gloriæ. Ita vt nullus sit voluntatis actus perfectus, & cum statu Christi consentiens, quo honestatam fuisse eius voluntatem negare debeamus.

224. Nec ex numero huiusmodi actuum imperfectione vacantium, Christóque assignabilium, eximendi sunt actus inefficaces. Nam tales quoque actus in Christi voluntatem ceciderunt: nec verum est eos imperfectione aliqua sordere, cum certũ sit eos in Deum ipsum cadere. Multa quippe vult Deus quæ effectum non sortiuntur, v.g. salutem reproborum: ac proinde non vult ea nisi inefficaciter. Et in nobis ipsis, multi tales actus sunt valdè perfecti, quos passim exprimimus verbo optatiui modi *vellem*: non quod significare velimus, actum non poni reipsa in voluntate; ponendum autem esse, si conditio aliqua interueniret; (hoc enim plerumque verum non est, vt suo loco tradidi in Physicis, & specialiter de actu auersatiuo occupato circa impossibile idem monstraui in Morali Dist.3. à num 204.) sed quod actus ex parte subiecti absolutus, & reipsa exercitus, ob conditionem se tenentem ex parte obiecti, sic exprimatur. Sic enim actus peccatoris quo detestatur peccatum à se iam admissum, & irreuocabiliter transactum, est actus reipsa exercitus & de facto afficiens voluntatem, tametsi ex parte obiecti inuoluatur conditio illa, *si esset possibile*. Estque actus ille valdè bonus & perfectus ac magni meriti, si conuestiatur requisitis ad meritum ornamentis. Non est ergo cur à Christo ablegatos velimus quosuis voluntatis actus inefficaces, & ex parte obiecti cõditionatos, perinde ac si continerent imperfectionem cum Christi dignitate pugnantem. Imo Scripturę apertè produnt tales aliquos voluntatis actus in Christo fuisse. Referunt enim Christum habuisse actum, volendi non mori, si id ferret Dei beneplacitum; ita vt iuxta naturalem inclinationem refugeret mortem: qui dicitur actus voluntatis vt naturæ, tametsi consultis rationibus æternis mori volebat, quia voluntas vt ratio, efficaciter obstabat naturali illi inclinationi, & mortis perpessionem indicebat. Ita enim eas voces *voluntas vt natura*, & *voluntas vt ratio*, accipere oportet cum Durando in 3. d.17.q.1. num.6. Non dico cum Ragusa t.1.3.p.d.130.dub.1. actus inefficaces reperire tantũ in voluntate vt natura est, siue provt refugiente propria incommoda; nec reperiri in voluntate vt est ratio. Sed tametsi exemplum protuli in ea materia, non dubito quin possint quoque similes actus cadere in voluntatem vt est ratio, cum videamus in Deo reperiri actus voluntatis inefficaces, tum circa finem, tum circa media. Non enim vult nisi efficaciter salutem reproborum, & media eam de facto caussatura; qui tamen actus sunt diuinæ voluntatis vt ratio, quandoquidem Deus in illis non spectat commodum suum, & ex æternæ suæ sapientiæ scitis ac regulis ad eas volitiones prælucentibus dirigitur. Cadere igitur in Christum potuisse huiusmodi actus, ratum esto. Atque ita habemus in vniuersum quorum actuum voluntas Christi humana capax fuerit.

Nunc sigillatim attingendi sunt quidam actus singulorum illorum ordinum, de quibus tametsi perfectis & Christum non dedecentibus, dubitatum à nonnullis est, habuerintne in Christo locum. Inter naturales actus, sunt tristitia, & electio. Inter supernaturales viæ, votum, iuramentum, (vterque enim hic actus in voluntate est, saltem præsuppositiuè; vnde & virtuti voluntatis, seu religioni tribuuntur;) amor infusus à beatifico distinctus, spes actualis, & timor Dei. Inter actus gloriæ, delectatio tempore passionis.

Reiecti, qui voluntati Christi, abrogauêre tristitiam.

225. Primus naturalis actus voluntatis, quẽ aliquos Christo negasse dixi, est tristitiæ. Portò tristitiam hic considero, quatenus ad superiorem partem pertinet. Nam de tristitia appetitus sensitiui, siue de dolore, agendum infra cum de appetitu sensitiuo sermo erit. In parte ergo superiori, siue in voluntate rationali, habuisse Christum tristitiam, negat Caietanus 3.p.q.46. art.7. argumento ducto ex summa delectatione, voluntatem Christi occupante ratione beatitudinis qua Christus potiebatur. Cum tanta namque delectationis immensitate, quis potuit locus esse tristitiæ? Hoc argumentum vt diluceret Canus 12. de locis c.14. *ad vltimum*, è contrario dixit, in voluntate Christi, per tempus saltem passionis, non fuisse summum illud gaudium: Tristitiam tamen fuisse, eo quod satisfactio Christi pro nobis, id ferre omnino videatur. Nos de tristitiæ & gaudij summi cohæsione in Christo, & an rectè à Cano resecta sit delectatio, infra videbimus.

Nunc subscribimus Cano tristitiam in Christi voluntate admittenti, quod probatur quia tristitia concipitur, quoties aliquod malum nobis nolentibus accidit. Atqui voluntas Christi superior, provt natura est,

est, refugiebat mortem & cruciatus, vt admittit D. Thom. 3. p. q. 18. art. 6. & art. 5. idem habet ex S. Augustino aduersus Maximinum. Tristatus igitur est Christus voluntate vt natura de malorum illorum perpessione; & de alijs præterea obiectis infra referendis tristatus est voluntate vt est ratio. Accedit quod sacrificium Deo Spiritus contribulatus, vt proinde non videatur dubium, quin Christus sacrificium pro peccato à se Patri oblatum, hac interni istius sacrificij accessione honestare & cumulare voluerit. Præsertim cum tristitia voluntatis superioris, sit contraria peccato medicina: & par fuisse videatur, vt in qua facultate, peccati malignitas pelliciente delectatione illicita concipitur, in eadem remedium morbo nostro per assumptionem tristitiæ pararetur. Optimum quoque argumentum suppeditat S. Hieron. in cap. 26. Matth. ad illud *tristis est anima*: Tantum enim abest, vt tristitiam superioris partis Christo neget, vt potiùs ex ea sic inferat rationalem Christi animam. [Dicant ergo qui irrationabilem Iesum sumpsisse animam suspicantur, quomodò contristetur & nouerit tempus tristitiæ. Quamquam enim & bruta animalia marcant, tamen non nouerunt, nec causas, nec tempus, vsque ad quod debeant contristari.] S. Augustinus 14. Ciuit. cap. 9. admittit, Christum eos naturæ nostræ affectus voluntatis suscepisse, qui de amore boni & sancta charitate veniunt: quos inter, est tristitia secundùm Deum, quam ideirco nominatim Christo attribuit. Et sanè tristitia voluntatis, in nobis pro peccatis nostris maximè laudatur: proindeque à Christo debita nostra dissolente, conuenientissimè est Patri exhibita.

216. Quod aliquibus durius sculè in hanc rem locutus videatur S. Ambrosius, nonnulla eius loca perspicua, signanda sunt lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 3. [Sicut susceperat (inquit) voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem præd co. Mea est voluntas quam suam dixit, quia vt homo suscepit tristitiã meam, vt homo loquutus est. Ideò ait; *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu. Nemo enim moriturus exultat. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergo pro me, & in me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret.] En quàm apertè S. Ambrosius, tristitiam in Christi voluntate agnoscit. At voluntas propriè est appetitus superior, non autem sensitiuus. Eodem refero illud eiusdem sancti Ambrosij, de interpellat Dauid. [Nolo mireris, si Propheta animam suam dicit esse exagitatam, cum dixerit ipse Dominus Iesus, *nunc anima mea turbata est.* Qui enim suscepit infirmitates nostras, nostrum quoque suscepit affectum, in quo & tristis erat vsque ad mortem, non propter mortem. Mors enim voluntaria, mœstitiam habere non poterat, in qua futura erat vniuersorum lætitia, vniuersorum refectio, de qua & alibi dixit: Et *surrexi, & vidi, & somnus dulcis factus est mihi.* Bonus somnus qui fecit non esurire esurientes, non sitire sitientes, quibus Sacramentorum dulcedinem præparauit. Quomodò ergo anima eius timore turbata est, qui fecit aliorum animas non timere? Tristis ergo vsque ad mortem, donec consummaretur gratia, quod probatur ipsius testimonio, dicentis de morte sua; *baptismate habeo baptizari, & quomodò angor, dum perficiatur.*] Sensus S. Ambrosij est, tristitiam in Christi voluntate non fuisse inuoluntariam sicut ferè est in nobis: nihilominus tamen vt gratia consummaretur, nosque à peccato eruetemur, Christum voluntate sua subiacuisse tristitiæ, eámque vltrò admisisse: Insignis est in hanc rem eiusdem S. Ambrosij dispntatio in cap. 22. Lucæ ad illud *pater si possibile est*, adducenda cum de dolore.

Nec verò absque ingenti miraculo poterat Christi voluntas tristitiæ subduci, dolente (vt supponimus,) appetitu sensitiuo. Nam naturaliter ob radicationem in eadem anima, refundi debet dolor à parte sensitiua ad voluntatem superiorem, quæ est facultas eiusdem suppositi; & malum per potentiam inferiorem repudiatum, necessariò repudiat vt natura est; quæ est D. Thomæ, Scoti, Bonauenturæ, & Alensis ratiocinatio apud Gabrielem in 3. d. 15. quæst. vnica *litera G.* Fuisse igitur, in Christo tristitiam de qua agimus, extra controuersiam esto.

Abyssus tristitiæ, in Christi voluntate.

227. Quinimò vehementissimam fuisse Christi tristitiam in appetitu superiori; siue in voluntate rationali, certissimum videtur, idque non minùs luculenta, quàm longa oratione prosequitur Gabriel Biel tract. de passione, parte 1. & benè etiam sed breuiùs Henricus Vrius l. de descensu Christi ad inferos numer. 48. consideratis varijs capitibus, ex quibus voluntas benè ordinata potest tristitiam concipere deliberatè, quæ reuocat ad tria. Primum est carentia fruitionis Dei, in se, aut in alio. Secundum, peccata propria, vel aliena. Tertium, mala pœnæ imminentia propriæ personæ, vel alienæ. Sicut enim voluntas benè ordinata vult primò Deum, deinde media ad eum, tandémque alia inferiora bona ad exigendam vitam opportuna, deque bonis illis adeptis gaudet: Ita voluntas si bonis illis excidat, non potest non tristari: eóque vehementiùs quo liquidior fuerit notitia ex quo ad eorum prosecutionẽ excitatur. Christus ergo, sicut voluntate appetijt omnibus fruitionem Dei, & media ad eius secutionem, quantique esset omnes eò pertingere perspexit euidentissimè, ita de mortalium propè infinitorum auersione à fine in quem conditi fuerunt, de inutilitate fusi à se sanguinis, respectu innumerorum spiritui gratiæ contumeliam facientium, tórque beneficiorum imbribus abutentium ad scelus; de eluuione denique malorum orbem vniuersum inundante, non potuit non perfundi immensa tristitiæ amaritudine.

Nec prætereunda leuiter est, ingens tristitia specialis, ex ruina & clade populi è quo secundùm carnem prodierat. Quantam enim angoris molem, occupasse inde benignissimum Domini animum oportuit, cum S. Paulus cuius charitas præ Christi charitate rigebat, continuum cordi suo dolorem fuisse; iuramento adhibito confirmet, quod gens ex qua Christus secundùm carnem extiterat, quorum erat gloria, & adoptio filiorum, & patres tam eximij, excidissent prærogatiuis illis, & quidem ob peccatum, omnium quæ admissa ab omni æuo fuissent immanissimum; ipsius inquam Dei, per viscera misericordiæ suæ visitantis nos, truculentã cædem. De cæteris item offensis in Deum, pro magnitudine amoris quo eum prosequebatur, & gratiæ ex qua operabatur, concipiebat tristitiam. Fuit hæc, planè singularis causa tristitiæ mitissimo & humanissimo Domino, & in qua ipsemet apud Psaltem testatur Psalm. 68. socium se nullum ac participem tristitiæ habuisse. Ait enim, *sustinui qui simul mecum contristaretur; & non fuit*: quod ad rem præsentem, ita ibi accommodat S. Augustinus. [Hanc sententiam si retractemus, quæstio nonnulla poterit oboriri. Nunquid enim discipuli eius non sunt contristati quando ductus est ad passionem, quando ligno suspensus, quando mortuus? Vsque adeò contristati sunt, vt illa Maria Magdalena, quæ primò eum vidit, gaudens lugentibus nuntiaret quid viderit. Euangelium ista loquitur. Non nostra præsumptio, non nostra suspicio est. Constat doluisse, constat luxisse discipulos. Extraneæ mulieres flebant, quando ad passionem ducebatur, ad quas conuersus ait, *flete super vos sed nolite flere me.* Quomodò ergo sustinuit qui simul contristaretur, & non fuit? Attendamus, & inueniemus tristes & lugentes, & plangentes. Inde nobis mira vide-

tur

tur ista sententia, *sustinui qui simul cõtristaretur, & non fuit: & consolantes & non inueni.* Intendamus diligentiùs, & videbimus eum sustinuisse qui simul contristaretur, & non fuisse. Contristabantur enim illi carnaliter de vita mortali, quæ mutanda fuerat morte; & reparanda resurrectione. Hinc erat illa tristitia. De illis enim esse debuit tristitia, qui cæci medicum occiderunt, qui tamquam perniciosè febrientes phrenetici, faciebant iniuriam ei, à quo illis fuerat salus allata: ille volebat curare, illi sæuire. Hinc tristitia medico. Quære vtrum inuenerit huius tristitiæ comitem? Non enim, ait, *sustinui, qui contristaretur, & non fuit*; sed *qui simul cõtristaretur*: id est *ex eare, qua ego cõtristabar, & non inuent*,] &c. [Ergo in tristitia quam habebat Dominus de illis, pro quibus orauit, *pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, nullum comitem inuenit.] S. Ambrosius lib. 7. in Lucam ad cap. 12. piè admodùm philosophatur de causa tristitiæ tantæ in Christo ex desiderio subleuationis nostræ, & mora redemptionis, iuxta illud ipsiusmet Christi quod allegat, *baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor donec perficiatur?* Ex his vtcunque coniectari potest, quante abyssus tristitiæ, ex obiectis tristibus ad quæ appetitus inferior non attingebat, voluntatem Christi occupauerit: Tantum abest, vt tristitiam voluntati illi insedisse, negari possit.

Meracitas tristitiæ in Christo, & quomodò ab Angelo sit confortatus.

218. Imò quod vnquam ægrè in vllo viatore contigit, fuit in Christo sub tempus passionis, mera & pura tristitia, nulla planè gaudij admistione dilura. Nam quamuis esset in Christo summum gaudium quoad partem superiorem, tamen quod Caietanus ipse in cap. 22. Lucæ rectè vidit, nulla fiebat partis superioris animæ, quatenus vbertate deliciarum cœlestium redundantis, communicatio ad inferiorem: quo nomine animam accipio, provt exercentem quosuis actus inferiores beatificis. Nec est inuerisimile; eodem modo eas voces accepisse Caietanum, proindéque fortassis non negasse absolutè tristitiam in voluntate superiori, & vt natura, & vt ratio est: sed tantùm vt Deo beatificè viso adhæret; vt scilicet significetur, illud Domini gaudium id quod Christus intrarat iam ex hac vita, temeratum non fuisse per tristitiam partis inferioris; id est animæ, provt quoscunque actus inferioris ordinis exercebat. Vt, vt verò senserit Caietanus, qui saltem incommodè locutus est quoad rem propositam, verè addebam Christi tristitiam per tempus passionis, & in eius aditu, puram & putam tristitiam, nulla ex parte mitigatam fuisse.

Accessit quidem Angelus confortans, sed eam consolationem Christus non admisit. Quin etiamsi S. Epiphanium audimus, Angelus non astitit Christo vt consolator, & tristitiæ depulsor, sed vt laudator & præco eximiæ eius fortitudinis. [Visus est (inquit S. Epiphanius plenè hær. 69. & breuiùs in Anchorato) Angelus Domini confortans ipsum. Non quod confortatione Angeli opus habebat, qui maior Angelis est, cui flectit se omne genu, cœlestium, terrestrium, ac infernorum, vt qui sempereſt Deus Verbum, & semper est apud Patrem, & ex ipso genitus est: sed vt impleretur illud in cantico magno Mosis in deserto composito, in quo dixit; *Adorabunt ipsum omnes filij Dei; & confortent ipsũ Angeli Dei. Confortent ipsum* dixit, non quod exhibeant ipsi robur, sed quoniam inualuit glorificatio, vt in his glorificent Deum: cum Angeli & spiritualia animalia supernè clament ac dicant; *tua est potentia, tuum est imperium, tuum est robur.* Sic etiam Angelus visus est coram discipulis adorans suum Dominum, non ignorans excellentiam benignæ ipsius erga homines dispensationis, verùm admirans tantam in ipso esse mansuetudinem, quæ diabolum superauit, quæ aculeum mortis contriuit, quæ de principatibus ac potestatibus triũphauit, quæ peccatum confregit; & propter excellentiam admirationis, in glorificatione, Angelus adorans dixit; *tua est fortitudo Domine. Tu enim ita prænaluisti contra mortem & infernum & contra diabolum, vt contriueris aculeam ipsius, & expuleris ab humana natura.*]

Approbat Epiphanium Leontius l. 3. contra Nestor. & Eutychem numer. 37. conclamans in Theodorum Mopsuestenum: Nam is quem adducit Leontius Cyprienſem Episcopum, ipse est S. Epiphanius, qui sic exposuit confortationem Angeli, in id intentus, vt telum quod Arriani ex ea Christi per Angelum confortatione in eius diuinitatem intorquebant; auerteret commodè. Qua ipsa ex causa, abrasus est è codicibus quorundam olim Catholicorum, locus ille Euangelicus, vt patet ex S. Hilario 10. de Trinit. & ex D. Hieronymo l. 2. aduersus Pelag. & ex anathemate quod S. Athanasius lib. de beatitud. filij Dei intorquet in expungentes hanc confortationem è textu Sacro. Et verè, Arrianorum argumentum erat planè iudicrum, quia non secernebantur humana à diuinis. Itaque verè Christus, humana voluntate, etiam superiore, tristatus est; verèque & propriè eum Angelus confortauit, tametsi non nisi extrinsecùs non duntaxat assumptione similium motuum externorum & compositionis ac considerationum, vt commentatur Pineda in cap. 2. Iobi vers. 13. num. 6. sed etiam per expressionem & exhibitionem motiuorum ad confortandum idoneorum, non tamen nisi extrinsecùs factam. Eo ferè modo quo illum alias per suggestionem tentauit malus Angelus, vt Caietan. rectè obseruauit, ad caput Lucæ citatum. Neque tamen tristitia Christi per eam confortationem dilata est vel remissa, quia quamuis Christus admisit Angelum confortatorem, vt exemplo nobis in tribulatione positis prælucceret; tamen boni nostri nunquam satur, consolationem ab eo suggestam repudiauit: nam factus vberiùs in agonia, prolixiùs orauit. Videsis de ea confortatione plenè differentem Ludouicum de Tena l. 3. de Ilagoges in script. difficultate 7. sect. 6.

229. Ego contentus eto fructu quem inde erui his verbis S. Bernardus serm. 1. de S. Andrea. [Adeò præualuit ea quæ fortis est vt mors dilectio, vt Christum Angelus Dei confortauerit. Quis, quem? Euangelistam audi. *Apparuit*, (inquit,) *Angelus confortans eum.* Quem *eum?* Planè eum, cui nascituro clausus patuit virginis vterus; cuius nutu in vinum aqua mutata est; cuius tactu, lepra fugata; sub cuius plantis, solidum mare stetit; ad cuius vocem mortui surrexerunt, denique eum qui portat omnia verbo vitturis suæ, per quem facta sunt omnia, per quem vniuersa subsistunt, etiam & Angelus ipse. Et quid dicam? Quem *eum?* Minus enim morarer si non penitus esset indicibilis. *Confortans eũ*; Quem *eum?* Cuius ne ipse quidem confortator suus, capere poterat maiestatem. Rogo te Angele, quem consolaris? An ignorabas quis esset, ad quem consolandum veniebas? Certè consolator est, certè paracletus est: alioquin non diceret, *alium paracletum à Patre mittendum* Apostolis, si nõ esset & ipse paracletus. Denique agnosco & in hoc ipso, paracletum maximum, agnosco paracletum benignissimum, qui propè sit his, qui tribulato sunt corde. Non despero iam Domine, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio quam patior: etiamsi pusillanimis sum, etiamsi desidero vt transferatur calix à me; non despero, inquam, dummodò audiã ipse; *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Didici etiam ex hoc non ad carnalem siue caducam recurrere consolationem, sed ad Angelicam, sed ad spiritua-

lem;

lem; id est, ad cœlestem. Ita planè, dummodò non mentiamur. Sed enim penitùs separarer à te, si non etiàm respiscerem; Non renuo, etiamsi opus habeo consolari. Quid enim? Agnosco vocem meam in Salvatore, & de salute desperem? Planè in patientia mea, possidebo animam meam.]

Contra negantes voluntati Christi, electionem.

230. Alter naturalis actus, de quo dubitatum esse dicebam, fuerit ne in Christi voluntate, etiam electio. Planè enim in Christo fuisse, negat S. Damascenus l. 3. fid. cap. 14. *sub finem.* Verùm Damasceni mentem, mox speciemus. De re autem ipsa, non potest esse dubitatio. Nam electio est partus liberæ voluntatis, ita vt vbicumque libertas cernitur, electio non desit. Atqui Christum fuisse liberum, de fide est, & à nobis supra probatum l. 2. sect. 1. c. vlt. *sub finem.* Id quod etiam fusè & egregiè confirmat Damascenus c. illo 14. l. 3. Igitur fuit in Christo libera electio. Atque ita diserte & conceptis verbis de Christo affirmatur Isaiæ 7. verbis illis, *butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Locus autem Damasceni, quo electionem Christo negasse videtur, seipsum purgat, si non truncatus sed integer referatur. Sic enim habet. [Gnomen autem & electionem in Domino dicere, impossibile est, si propriè loqui volumus. Nam gnomen est post inquisitionē, quæ est de re ignota, & deliberationem, id est, Consilium & Iudicium, ad id quod iudicatum fuerit affectus: quem sequitur electio, sic dicta, quod alium pro alio eligat. Verùm Dominus, non nudus est homo, sed & Deus, & omnia sciens, neque indigens sententione, inquisitione, & consilio exiistit, ac iudicio, & omnaliter ad bonum habet familiaritatem, & à malo alienationem. Sic enim Esaias dicit, quod *priusquam sciat puer eligere mala, eligit bonum*: quia antequā sciat quer bonum aut malum, dissuadetur malitia ex eo quod est eligere bonum. *Priusquam* enim ostendit, quod non secundùm nos inquirens & consultans, sed Deus existens, diuinitùs quod secundum carnem erat assentans, hoc est secundùm hypostasin coniunctus carni, ipso suo esse, & sciendo omnia, ex natura habuit bonum.] Vides perspicuam Damasceni mentem, qu non excluditur à Christo exercitium libertatis quod electione continetur, sed tantùm electio cum ijs imperfectionibus quibus in nobis scatet. Eligimus enim præcurrentibus longis rationum in vtramque partem inuestigationibus, quas concludimus electione, ad alterutram partem restricta; Christus autem ob plenitudinem sapientiæ, non hæsit diu pendens animi, & sollicitè librans rationum vtrimque momenta. Eo igitur sensu negauit Damascenus, electionem locum habuisse in Christo, vt S. Thomas notauit 3. p. q. 18. art. 4. ad 1. & Clyctouæus ad cap. 14. citatum. Et hoc ipso modo exposuimus supra Theorianum, qui liberum arbitrium negasse Christo, videri poterat.

231. Ad maiorē verò totius huius rei lucem, attexo illustrem locum S. Cyrilli l. de Trinit. cap. 15. quo rem hanc vniuersam egregiè explicat. Exclusō igitur peccato à Christo, subdit. [Sed neque electio dubia, & anceps in Christo erat. Eligendi quidem facultatem habet Christus, vt qui libero esset præditus arbitrio, & humanæ id insuper naturæ conditio exigeret; propterea quod etiam rationis esset particeps: (quidquid enim rationis est particeps, libero præditum est arbitrio, & quidquid libero præditum est arbitrio, eligendi facultatem habet,) Consilio autem, & consideratione, & sententia, & electione nostri instar neutiquam opus habuit, vt nec sollicita circumspectione: quoad vtrumque enim Deus erat; partim natura, partim Deificatione.] Et mox. [Electio igitur simpliciter est progressio ad expetendum, & amplectendum: hoc est; ex libero arbitrio profectus, & cum ratione coniunctus impetus, ad id quod voluntati est obiectum; qui omni ei quod rationis est particeps conuenit. Rursus electio dicitur vnius præ altero apprehensio, quæ antegressō primùm consilio, deinde Iudicio, quod sequitur affectio ad id quod ex consilio iudicatum est, & dicitur sententia. Sententiam electio ea quæ nunc declaratur, siue delectus eius quod honestum esse videtur, excipit. Huiusmodi electionem, nemo rectè sentiens de Christo pronuntiauerit. Cuius enim consilij, aut quorum ex consilio indigeat admirabilis ille consiliarius, sapientia illa Dei & patris? Aut quomodò electio qualis in nobis est, conueniat ei, qui à principio bonum elegit?] Fuit igitur in Christo electio, & quidem ab initio, vt optimè disputat S. Bernardus serm. 3. de natiu. Domini mellitissimè tradens ideam veræ electionis in Christo, & confutatam ab ea prudentiam carnis, à qua existunt deprauatæ nostræ electiones.

De Votis Voluntatis Christi.

232. Iam verò inter voluntatis actus supernaturales, viatorum proprios, de quibus dubitatum dicebam an fuissent in Christo, occurrit primo loco votum, quod non habuisse in Christo locum, tradere videtur D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 2. ad 3. inde ducto argumento, quod Christus Deus esset, cuius non est vouere: itémque quod vt homo, haberet voluntatem in bono firmatam, quippè comprehensor à primo momento conceptionis. At votum ea ex causa suscipitur, vt voluntatis humanæ mutabilitas figatur his veluti vinculis, & bono teneatur illigetur. Itaque Soto lib. 7. de Iust. q. 2. art. 2. ad 3. disertè affirmat nulla ratione congruisse Christo vouere. Quod autem apud Psaltem à Christo dicitur Psal. 21. *Vota mea reddā in conspectu timentium eum*, quibus simillima sunt alia loca, interpretatur de votis Christi in persona sui corporis mystici. Et æquè possent de votis latè dictis accipi. Nam prouerb. 31. dicitur *dilectus votorum*, pro desideratissimo & charissimo. Quem etiam sensum facere *voti* nomen in Canone missæ vbi dicitur, *tibiq; reddunt vota sua*, notauit ex flore & Alcuino, Durantus 2. de ritibus cap. 34. Itaque possent voces illæ Christi, exprimere desiderium ardens quo æstuabat, vt mortem pro nobis exciperet. Item quia sæpè apud Patres, nomen *voti* sonat oblationem voluntariam, nudam (vt sic dicam,) id est absque nexu promissionis votum propriè dictum constituentis; facile esset prædicta Christi verba accipere de oblatione illa & voluntate Christi mundum ingredientis, qua Patre holocaustum & pro peccato non postulante, dixit; *ecce venio*, afferens se ad mortem pro humano genere, *in qua voluntate sanctificati sumus* vt Apostolus monuit. Hæc sunt, quæ pro sententia D. Thomæ votum in Christo negantis, proferri possunt.

In hac re, secetnendum est quod reipsa accidit, à possibili tantùm. Possibile ergo fuisse Christum vouere, & quidem decenter ac congruè, contra quam Soto affirmabat, indubitatum videtur. Neque enim votum, Deo in humanitate assumpta repugnare potuit, quâ religiosus actus erat, cum cōstet Christum actuum religionis fuisse capacē, vt patet de actu orationis. Sed neque repugnare illi potuit votum, quâ votum est. Nam promissio non plus continet imperfectionis cum Christo pugnantis, quàm cum Deo. Sicut ergo Deus promittere potest homini, & quidem propriè ac presè loquendo, vt Suares latè prosequitur relect. de libert. Dei disp. 2. sect. 2. à num. 6. nec vlla idcirco in Deum refunditur imperfectio, ita multo minùs incommodi verendum est, ex eo quod Christus homo Deo potuerit promittere, quod fit per votum. Non apparet sanè hac in re, vel vmbra repugnantiæ, nisi quæ ex D. Thoma tangebatur: nempè quod Christus vi vnionis sit firmissimè astrictus bono, nec periclitetur eius constantia, cui firmandæ, & in tuto locandæ vsurpatur votum,

tum. Verùm hinc non habetur votum Christo repugnasse, eúmve dedecuisse. Sicut enim Christus, licet vi vnionis illigatus arctissimè honesto, potuit tamen eidem astringi præcepto; ita & voti vinculo. Funiculus enim triplex, difficilè rumpitur; nec vetat aliquid vno iam titulo firmatum, ac munitum, nouo alio titulo communiri ac firmari magis. Deinde vsus voti non est tantùm ad firmandam voluntatem, (quamquam in nobis ad occurrendum caducitati desideriorum & propositorum nostrorum, votum ad id conducit consequenter:) sed per se primò hoc habet votum vt sit cultus diuinus, quo solo titulo posset honestissimè vsurpari. Quare certum videtur, non repugnasse vllomodo quod Christus vouere potuerit, imo non dedecuisse vt reipsa voueret.

233. An verò reipsa votum emiserit, incertum esse ait Suarez t.2.3.p.d.28.s.2. quamuis vt pium & probabile defendat, Christum obstrinxisse se voto, quod intrepidus etiam affirmat lib.3. de voto cap.1. num.4. & probat ex S.Hilario qui ad illud Psalm.131. *Votum vouit Deo Iacob*, agnoscit Christum se ita gessisse, vt religionis Sacramento satisfacere videretur: móxque addit, Christum explere voluisse omnia quæ Patri vouerat. Et quamquam S.Hilarius ibi, quoad iuramentum Christi de quo in eodem Psalmi loco est mentio, *sicut iurauit Domino*, anceps sit, dicátque se nescire an Christus iurauerit, de quo postea: Tamen de voto sub *voti* nomine, nullam suam ambiguitatem prodit, imo pulcherrimè ac pijssimè materiam voti à Christo emissit, expressam eo loco à Psal. his verbis declarat, aptans ad illum versione strati factam in infirmitate, vt habetur Psal.40. [Cum per obedientiam voluntatis paternæ, ex Deo homo; ex potente infirmus; ex viuificante mortuus, ex æternorum seculorum Iudice, reus Crucis dicitur: tum stratum eius in infirmitatem conuertitur. In illum igitur æternæ, & Beatæ quietis stratum, vouit nisi reperto Dei tabernaculo non redire; Sed nec ante somnum oculis suis dare. Quis iste est somnus; Nempe ille de quo ait; *Ego dormiui & somnum cepi & surrexi quia Dominus suscipiet me.* Mortis hic somnus est, quē non ante oculis suis dabit, quàm locum habitationis inuenjat.] Vides de S.Hilarij sententia, quid Christus iuxta Psalterm, eo loco vouerit Deo: nempe mortem subire pro gloria ipsius Dei instaurandā, & genere humano ad Dei obsequium reuocando, vt Deus in illis tamquam in tabernaculo inhabiret. Apertè verò Petr.Damian.serm.70. *in fine.* [Agens de voto propriè accepto, prædictum Psalti locum Christo aptat, his verbis. [Ipsum Vnigenitum Dei filium, intasse Patri, ac vouisse scimus, attestante Psalmista, qui ait; *sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob*: Scilicet vt Sacramentum religionis, in passione suæ carnis, pro salute generis humani expleret. Faciamus & nos similiter, & vota quæ vouimus, integrè persolnamus.]

Idem argumentū peti potest ex verbis illis Psal.21. *Vota mea Domino reddam* quæ S.Basilius de votis presse acceptis intelligenda notat, & id sonat vox *reddendi*. Insigniter S.Augustinus epist.59.ad q.5. & epist.120. cap.24. ad illud *vota mea reddam in conspectu timentium eum*, hæc Christi vota esse Eucharistiam, exponit. Id quod ad eundem Psalmum 21. pulchrè docet Iansenius. Cum enim in magnis discriminibus adhiberi soleat votum ad exorandum Deum, vt propterea votum dicatur à Græcis προσευχὴ, Christus in tanta calamitate quanta ipsi impendebat, emisit votum propriè dictum, quo spopondit & vouit se curaturum, vt hæc hostia pacifica quæ à vouente absumebatur coram Domino in epulo cum amicis, celebraretur à presbyteris in perpetuum, indéque existeret & summa Dei gloria ob quam Eucharistia à S.Ignario in Epistola ad Ephesios vocatur *gloria Dei*, & vbertas illa fructuum quæ consequenter in Psal.illo 21. recensetur. Cum ergo Christus in prædictis Psalmis loquens inducatur; vt fert Catholicorum omnium sensus apud Iansenium ibi, ac etiam peritiorum Hebræorum ex Genebrardo ibidem; non malè ex verbis illis in sua natiua significatione & proprietate acceptis, colligimus, Christum de facto emisisse votum moriendi pro humani generis salute, ad Dei gloriam; & in eundem finem curandi perpetuam sacrificij Eucharistici celebrationem. Vouisse Christum pro nostra salute mori in cruce, affirmat etiam Raderus p.2. vitid. cap.2.§. *Christus Iesus*, & apud eundem Ioannes Baptista Mafellus l.3.de B.Virgine cap.19. Et quamquam hæc videtur fuisse particularis materia votorū Christi viatoris, facilè tamen idem extendere possumus ad præcipuas alias votorum materias; ac nominatim paupertatis, castitatis, & obedientiæ Deo præstandæ, quibus in se religiosæ professionis formam adumbraret. Exemplo sanè suo præire nobis hac quoque in parte Christum Dominum, permagni interfuit, & cum id à statu eius provt viatoris non abhorruerit, piè omnino videmur admittere ab eo factum in via. Nam quod nunc in cœlo vota non emittat, certum esse censet Suarez c. illo 1.num.11. quod votum videatur esse opus proprium viatoris, ad actiones futuras maiore perfectione aut merito informandas, vel certò & citra periculum à voluntatis instabilitate eliciendas: quæ omnia cessant in deductis ad terminum atque adeò etiam in Christo extra viam constituto.

De Iuramento.

234. Minus certò idem affirmare licet de iuramentis Christi viatoris. Est quidem indubitatum, non repugnasse Christo, iurare. Cum enim esset minor Patre, facilè poterat eum aduocare in testem veritatum quas proponebat; ádque indocilitas audientium poterat interdum poscere. Nec videtur posse circa hoc esse difficultas. At reipsa ne iurarit, de quo supra audisti dubitantem S. Hilarium ad illud Psalmi 131. *Sicut iurauit Domino*, meritò ambigi potest. Affirmare videtur Innoc.III.cap. *Etsi Christus*, de iureiur. Et reipsa affirmat Selua tract. de iuram.1.p.q.3. num.2. censéque probabile Suares l.1. de iuram.cap.14. num.9. Negat autem Iansenius in concord. cap.40. Sotus lib.7. de Iust.q.1.art.2.& Sylu. V. *iuramentum* 1.q.3. Fallūntur certè, qui putant Christum iurasse quoties legitur præfatus. *Amen dico vobis.* Nam illud *amen* tantùm significabat, verum esse quod dicebatur. Nec est verisimile, Christum qui tantam iuramenti parcitatem suis indixit, toties vsurpando eum loquendi modum, iuramenti passim emittendi Autorem fieri exemplo suo voluisse. Quod tamen *Amen* geminatum, quandoque à Christo vsurpatum, fuerit nota iuramenti, satis verisimile est, vt significat D.Thomas in cap.8.Ioan.lect.4. indéque declarari potest, quod purus homo confirmans aliquid per fidem suam, aut per veritatem suam, iurat per seipsum. Igitur Christus tanta assueratione veritatem dicti sui confirmans, intelligi potest munire dictum suum assumptione suæ veritatis ac fidei in testem, ita vt non esset simplex assertio veritatis, sed confirmatio per inductionem sui testimonij ad id adhibiti: quod in Christo, quia Deus erat, sufficiebat ad verum iuramentum, quale Christo vendicare satagimus.

Infusum amorem à beatifico distinctum, qui Christo fuſtulerint.

235. Amorem Dei infusum à beatifico distinctum; fuisse in Christo, negat Vasques 3 part.d.14.cap.3.& probat, quia in Christo nulla fuit scientia infusa distincta à visione, tendens in Deum vnum ac Trinum: neque igitur amor vllus fuit supernaturalis alius à beatifico qui per eam scientiam regulandus esset, cum in Christo

Christo non fuerit fides. Deinde amor tendit in rem cognitam, non autem in cognitionem: vnde etiamsi daremus fuisse in Christo scientiam Dei infusam, tamen quia eadem bonitas quæ proponeretur per eam scientiam, proponitur per visionem beatificam, vnicus amor beatificus admittendus esset; quippe necessariò ex voluntate prodiens, & ex notitia obiecti perfectione dimanans; atque adeò excludens alium amorem. Nam quoties voluntati obuersatur obiectum duplici modo cognitum, experientia docet, voluntatem affici tantùm ab obiecto perfectiore modo cognito, perinde ac si non cognosceretur alio modo. Sicut cum quis alium amat ex aliena testificatione, si ipsemet postea deprehendat per seipsum argumenta amoris erga quæ ex aliorum testimonio afficiebatur, cessat deinde sic amare. Igitur quia Christus cognoscit Deum perfectissimo modo per visionem, & erga eum sic cognitum fertur amore beatifico, non est quod alius in eo amor fingatur, subiunctus scientiæ infusæ, pérque eam regularus.

Subscribit huic sententiæ Ragusa 3.p.tom.2.disp.1. §3.& annuit Præpositus 3.p.quæst.19.num.9.si modò sermo sit de amore Dei quoad bona eius intrinseca. Nam si sermo sit de amore Dei quoad extrinseca bona, aut quoad salutem proximorum expetitam propter amorem Dei, non negat hic Autor, quin sit in Christo amor liber & meritorius à beatifico distinctus: sed tantùm id negat de amore bonorum Dei intrinsecorum quia priorem illum putat parum differre ab amore proximi, qui Beatis quoque liber esse potest vixque dignatur illum nomine amoris Dei, qualis est posterior; quem negat, argumento inde ducto, quod accidentia solo numero diuersa non sint multiplicanda in eodem subiecto vt habet vulgare effatum Metaphysicorum. Atqui amor Christi beatificus, non differret specie ab infuso si daretur: vterque enim esset eiusdem obiecti, nec diuersitas vel inæqualis claritas notitiæ prælucentis, mutaret speciem physicam actuũ, vt malè censuit Caietanus 1.p.q 82.art.2. falsò supponens cognitionem integrare rationem formalem obiecti voluntatis; cum tamen reuera cognitio sit quid extrinsecum amori, tantúmque interueniat ad eum vt conditio & applicatio obiecti, quæ non est idonea ad inferendam volitioni nouam speciem, vt neque necessitas & libertas quibus duo illi amores secernuntur. Nam hęc quoque sunt extrinseca essentiæ actuum, nec possunt eos discriminare essentialiter: alioqui idem actus, non posset abiecta libertate, mox induere necessitatem. Igitur amor Christi erga Deum non fuit nisi beatificus, ne accidentia solo numero diuersa multiplicentur in Christi voluntate. Quamuis autem per illud metaphysicum effatum, liceret congerere ibidem accidentia eiusdem essentiæ, tamen interueniret specialis repugnantia quoad hos amores Christi. Nam amor beatificus qui in Christo fuit à primo conceptionis momento, est terminus ac status voluntatis in amore, excludens alium quemcunque amorem, habentem rationem motus ac viæ ad eundem statum vel terminum. Idcirco enim voluntas amat aliquid imperfectiore amore, quia vel non potest amare perfectiùs, vel gratis distinetur amore illo imperfectiore. At voluntas Christi poterat perfectiùs Deum amare; & verò amabat reipsa ratione beatitudinis, nec poterat velle amare amore viæ, cum iam amaret amore termini, (vt sic dicam:) nam hoc pacto voluisset progredi ad metam, postquàm eam attigisset, quia amor infusus est progressio ad terminum viæ. Igitur amor beatificus, excluſit à Christo amorem infusum.

236. Sed nemo acriùs pro hoc amore infuso Christi voluntati eripiendo pugnauit, quàm Moncæus disp.9.selecta cap.9.& 11.inprimis verò negat, amorem illum Christi regulari alia notitia quàm beata. Intellectus enim non aliter dirigit actum voluntatis, quàm proponendo illi obiectum, eique exhibendo rationem boni sub qua voluntas circa obiectum versetur. Atqui visio æquè id præstare potest respectu cuiuscunque amoris Dei qui in Christo fuerit: quia vterque esset eiusdem omnino rationis entitatiuè, & vnicum planè obiectum haberet. Ergo quicunque Dei amor in Christo statuatur, dirigetur per visionem claram: ac proinde frustra, penes duas regulas secernuntur in Christo duo amores in Deum; sicut si duplex lumen (iuxta Opticorum sententiam,) collustraret vnicum colorem, non tamen nisi vna visio fieret, quia idem obiectum vtrique lumini subesset. Inde præterea elicit hic Auctor, amorem omnem Christi erga Deum esse æquè necessarium, ita vt si amor beatificus careat libertate, ea quoque spoliandus sit alius quilibet amor in Deum Christo tributus. Consequitur enim scientiam beatam, æquè ac amor beatificus. Si igitur ob eam consecutionem ex visione, amor beatificus sit necessarius, idem dicendum erit de amore quocunque Christi in Deum; quandoquidem æquè per beatam Christi notitiam dirigitur, atque adeò ad eum consequitur. Et tamen vnicum fundamentum multiplicandi in Christo amores infusos, esse videtur, quod amor beatificus sit necessarius; debeat autem agnosci in Christo alius amor in Deum qui liber sit, atque adeò meriti capax. Tandem hæc amorum infusorum Christi multiplicatio, perperam supponit, amorem beatificum non esse meritorium: vnde ne amor in Deum fuerit in Christo expers meriti, excogitatus est amor, subiunctus scientiæ infusæ. At potest facilè salua esse amori beatifico Christi, ratio meriti, non obstante necessitate qua intermitti non poterat vagè sumptus; etiamsi proue est hic indiuiduus ac singularis, omitti à Christo posset, id est variari, assumpto alio actu amoris indiuiduo. Nimirum quamuis necessarium planè sit, vt qui Deum clarè intuetur, (vt Christus intuebatur,) Deum amet ex charitate, & fortassis ex prompto toto charitatis conatu, ita vt ne momento quidem feriari possit, ab amore quantum potest intenso. Tamen vt hoc determinato amoris singulari actu, Deum diligat, necessarium non est: sed potest subinde pro arbitratu variare actum numericum dilectionis, retenta semper eadem actus quidditate, ac etiam intensione: Eam porrò amoris beatifici variabilitatem, Autor prædictus non vult tribui potentiæ miraculorum Christi Domini; sed æquè censet in Beatis omnibus locum habere: quia Beatus non necessariò vult Deo, quicquid ex charitate velle potest, sed sunt pleraque externa Dei bona à fine charitatis dissociabilia, quæ libenter illi est Deo velle, aut nolle, vel nunc plura nunc pauciora velle. Cum igitur qui in alium fertur amore amicitiæ, non velit singula obiecta quæ illi vult totidem actibus, sed omnia vnico & idiuisibili actu velit, ne in immensum multiplicentur actus amoris: efficitur, in potestate cuiusque Beati esse, mutare amorem beatificum indiuidualiter. Nam vt prior singularis actus amoris, porrigatur ad vnum obiectum sine mutatione sui aliqua, est impossibile: Nulla autem fingi potest mutatio, alia quàm singularis actionis: quæ in visione quidem non subest videntis arbitrio, quia non plura in Deo vno tempore videt quàm alio, nec planè potest auerti à Deo, & illum non videre; quorum saltem alterum necessarium esset, vt actus visionis mutari posset arbitrio videntis. At quoad amorem, subest voluntati Beati mutatio actus singularis, ratione plurium bonorum externorum, quæ Beatus Deo vno tempore velle potest, & non alio. Nec refert quod visio maneat planè inuariata. Nam perstante eadẽ indiuidua cogitatione, potest numericè variari actio voluntatis. Quod si necessaria quoque esset in Beato cognitionis variatio ad variationem amoris, sufficere ad id posset variatio

ex parte scientiæ infusæ,quæ apta quoque est amorem beatificum dirigere, & ad eius exercitium mouere voluntatem.

Contraria sententia, placet.

237. Exhibui fideliter varia fundamenta,ex quibus amor Christi infusus alius à beatifico,à diuersis Autoribus expunctus est. Ego verò eum amorem in Christo agnosco, secutus alios optimæ notæ Theologos. In his sunt Caietanus 3.p.q.11.art.1.Ferrar.3.cõtra Gent. c.62. Medina 3. p.quæst.19.art.4. quæstiuncula 2. Soto l.3. de natura & gratia c.7.Valentia 3.p.d.1.q.19. p.2. Suares t.1.3.p.d.37.sect.4.& d.39.sect.2.Bellarm. l.5.de iustif.c.11.ad 2.Lessius l.2. de summo bono numer.187. Probatur ex verbis illis Christi, *vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, surgite, eamus*; vtique ad passionem & mortem. Quibus verbis Christus apertè significat, se mortem obiturum ex charitate in Deum. Atqui volitio ex qua Christus Dominus mortem adijt, fuit Christo libera quoad motiuum, vt Autores cum quibus agimus admittunt,consentaneè ad D.Thomam suo loco referendum. Ergo ea volitio, & ea charitatis actio, fuit diuersa ab amore Christi beatifico, qui est planè necessarius quoad speciem actus. Deinde puri viatores cum eis communicatur scientia infusa,possunt per eam dirigi in amando Deo ex charitate: Quidni ergo Christus, cum haberet infusam Dei scientiam, potuit prælucente ea notitia amare Deum? Esto enim præluceret ei alia quoque notitia, quæ posset ad amorem sibi correspondentem esse vsui; tamen hæc cum possit ex se vsum illum habere, non debuit eo priuari ob concomitantiam alterius perfectioris notitiæ. Præterea agnoscendus est in Christo amor aliquis meritorius. Quis enim sibi persuadeat, nobilissimam virtutum Theologicarum fuisse in Christo expertem meriti,cuius in alijs subiectis est feracissima? Atqui amor beatificus, cum esset planè necessarius, vt videbimus, non potuit esse meritorius. Ergo alius Dei amor,scientiæ viatorum,siue infusæ subiunctus, cui meritum implantaretur, agnoscendus est in Christi voluntate. Tandem Christus potuit amare proximum ex charitate Theologica. Est enim actus ille pretiosissimus,nec possumus absque iniuria eo Christum spoliare: cum nos qui à Christi perfectione longè absumus, possimus amare proximum quia est aliquid Dei, qui est actus charitatis Theologicæ. Verum quidem est,quod Vasques ait 3.p.d.74.num.13.& disp.98.c.1. esse amorem quendam supernaturalem proximi qui non sit charitatis Theologicæ, sed (vt ipse ait,) beneficentiæ; vel potiùs (quia nullum beneficium cernitur in amore proximi cui nihil erogetur,) amicitiæ supernaturalis, quæ non sit virtus Theologica, quàm à Suare non benè impugnatam l.3.de relig.in communi cap.5.à n.15. & disp.1. de charitate sect.3. & à Lorca disp.24. de charit.n.2.admissam verò à D.Thom.2.2.q.103.art.3. ad 2. & à Durando in 3.d.9. quæst.3.ad 1. nec non à Lessio l.de Iust.cap.36.num.23. & fusè à Torre 2.2.t.1. d.66.dub.3. & d.73. dub.1. & 2. alterius instituti est propugnare. Hanc igitur virtutē à charitate Theologica planè distinctam,esse agnoscendam,non eo inficias. Quod tamen in Christo, vt Vasq.disp.illa 74.num.13. velle videtur, non sit alia charitas proximi quàm amor ille ex complacentia proximi quo ei volumus bonum supernaturale quod habet, vel desideramus quod non habet, probare nulla ratione possum. Nam quemadmodum amicitia humana non tantùm fertur in personam cui bonum volumus propter ipsam, sed etiam in eos qui tali personæ necessitudine sunt coniuncti, & aliquid eius censentur: ita & amicitia in Deum siue charitas Theologica, non modò Deum diligit, sed etiam proximum quatenus est aliquid Dei. Fuit ergo in Christo hic actus charitatis Theologicæ. Atqui hic actus est longè alius ab amore beatifico, qui præcisè respicit Deum; nec est liber sed necessarius, quorum neutrum competit amori illi proximi de quo agimus, qui simul est amor Dei. Igitur in Christo fuit amor Dei infusus, distinctus à beatifico.

Ad argumenta in contrarium, primo & secundo loco proposita.

238. Quæ verò in contrarium proponebantur, non difficilè enodantur. Ac primùm quod Vasques amoti huic infuso aduersatur supposita ablatione scientiæ infusæ de Deo, euanescit ex dictis supra, stabiliendo eam scientiam. Quod autem addit, idem bonum proponi per eam scientiam si admittatur, & per beatam; verissimum est. Sed nego,idem bonum variè propositum non posse multipliciter amari. Imò etiamsi propositio aliqua boni sit longè illustrior, non propterea ita eneruatur vel suprimitur altera, vt mouere non possit, etiamsi interdum non internoscatur eius influxus, & veluti absorbeatur in fluxu per nobiliorem propositionem. Affine est quod cum quis ex motiuo scientiæ determinatur ad assensum alicuius propositionis, non prohibetur simul assensum præbere ex motiuo probabili,quod à motiui scientifici claritate & firmitate procul abest. Similiter ergo nihil est incommodi, vt bonum quod proponitur amandum euidentissimè per scientiam beatam, proponatur, quóque amandum per scientiam infusam minùs illustrem, cui subordinetur amor liber. Quidni enim eadem voluntas, quæ vno actu necessario in bonum fertur, possit alio actu in illudmet bonum ferri liberè; ob diuersitatem notitiæ prælucentis, & bonum amandum proponentis diuersimodè? In quo est latum discrimen inter actus voluntatis prosequentis, & visiones eiusdem coloris, duplici lumine collustrati. Nam illud duplex lumen, materiale, est eiusdem rationis, non item notitiæ prælucentes in re nostra. Deinde oculus non est facultas libera sicut voluntas: vnde circa idem obiectum non potest simul plures actus elicere,licet id possit voluntas, ob suam actiuam indifferentiam. Quare ratum esto, esse in Christo amorem supernaturalem infusum, à beatifico seiunctum.

230. Esse verò hunc amorem, specie eundem cum beatifico, quod postea objiciebatur, non diffiteor, secutus Suarem disp.3.de charit.sect.3.n.2. Medinam 3. p.q.19.art.3.Vasquem 1.2.d.11.n.22.Salam 1.2.tract. 2.disp.2.n.42. Torrem 2.2.t.1.d.77.dub.6.& passim Interpretes ad illud 1.Cor.13. *charitas nunquam excidit*; tamen non me latet, differentiam specificam amoris patriæ ac viæ,astrui à plerisque, inter quos Scotus in 4.d.49.q.5. *litera E.* Caietanus 1.p.q.82.art.1. & Lessius l.2.de summo bono n.121.qui alios profert: quibus si subscriberemus, rueret argumentum specificæ illi identitati innixum. Sed ea vltrò data, nego repugnare vt duo eiusdem speciei, simul ibidem sint, cum alimde suppetit radix aliqua ad illos actus simul profundendos, sicut hîc reuera suppetit ex multiplici perceptione eiusdem boni; intuitiua scilicet per scientiam beatam, & abstractiua per infusam. Præterquàm quòd charitas actualis infusa, potest esse alterius simul termini, quàm eius qui solus objicitur charitati actuali beatæ. Itaque rectè possunt ambæ cohabitare. Quod autem vulgo dicitur, accidentia eiusdem speciei, non posse eidem plura simul inesse, intelligitur de pluribus nulla prorsus habitudine discrepantibus; ac necaulas quidem diuersas habentibus: alioqui duorum alborum species impressæ, non possent eodem aëre excipi; nec duæ relationes similes, v.g. paternitatis ad duos filios, possent in eodem homine subiectari. Vnde vulgare illud pronunciatum esse limitandum, meritò statuunt Mol.1.p.q.1.art.3.disp.3.& Suar.disp.5.Metaph. sect.8.

sect.8.num.15. Quare falsum est, ex generali ratione actuum eiusdem speciei & solo numero differentium, amorem infusum & beatificum, se excludere ex eadem voluntate.

Specialis verò repugnantia, quam Autor, cuius est argumentum propositum, præterea excogitauit inter duos hos supernaturales Christi amores in Deum; nempe quod amor beatificus, cum sit terminus, non possit secum admittere infusum amorem, qui est via & motus ad terminum; hæc inquam repugnantia est planè nulla: aperteque eliditur ex proportione scientiæ beatæ & infusæ, quæ eodem planè modo se habent ad inuicem, quo charitas viæ & patriæ: ita vt vna earum sit motus & via, altera verò sit terminus. Et tamen, vel hoc ipso autore annuente, sunt compossibiles. Igitur & amores illis subiuncti.

Acies tertia aduersaria, exarmatur.

240. Quæ postremo loco in hanc sententiam intorquebantur, sic diluentur. Inprimis negandum est, amorem infusum dirigi posse per visionem beatam, tamquam per regulam homogeneam. Quamuis enim visio sit æquè propositio obiecti, ac scientia infusa; tamen non est propositio conueniens & accommodata amoriuæ. Sicut quamuis notitia Angelica esset æquè propositio obiecti conuenientis humanæ voluntati, ac notitia humana; tamen incongruè homo dirigeretur per notitiam illam heterogeneam si ei communicaretur, vt sanè communicari posset per vim obedientialem. Similitérque negandum est, quod inter referendam aduersarij sententiam, in calce diximus ab eo asseri, sententiam scilicet infusam dirigere amorem beatificum, ac proinde si ad varietatem singularis numero amoris beatifici exigeretur variatio notitiæ, eam posse fieri in scientia infusa, & ad id futuram sufficientem. Hoc enim falsò supponit, scientiam infusam esse regulam amoris beatifici. Ex eo ergo quod in Christo sint duæ regulæ amoris, non malè coniectamus duplicem amorem infusum, quorum cuique homogeneus & proportionatus amor respondeat. Vnde consequenter euertitur quod subijciebatur in eadem postrema argumentatione; nempe quod omnis amor Christi infusus, debeat esse æquè necessarius, aut æquè liber, cum vnica eius regula sit visio beatifica. Hoc inquam quod aduersarius consequenter ad primum illud suum principium statuebat, disiectum manet eo principio euerso, & regularum amoris multiplicitate stabilita.

Tandem perperam aduersarius contendit amorem Christi beatificũ posse esse meritoriũ, quippe liberum, & à viatore merendique capace oriundum. Hoc ab eo malè contendi dico. Inprimis quia etiamsi ea variabilitas numerica actus amoris quam Beato concedit, admitteretur; tamen non apparet quomodò ea variatio tantùm numerica, coniuncta cum eadem intensione actus, & necessitate eius quoad speciem, possit fundare meritum. Nam idcirco libertas fundat meritum, quia homo exercet suam potestatẽ, prodítque affectum suum erga bonum; vel illud exercendo cum posset non exercere, vel exercendo tali modo, cum posset eum modum non vsurpare; sed alium: quorum neutrum cernitur in ea tantùm numerica variabilitate actus, retenta necessariò eadem eius specificatione, & intensione, & exercitio actus ex necessitate non prætermisso. Quare cum ibi neque cernatur libertas quoad exercitium, neque quoad specificationem, qui sunt duo cardines meriti, sed tantùm cernatur libertas in ponendo tali individuo actu, quem adhiberi vel omitti, perinde est ad restandum affectum erga bonum; non video quorsum gratis admissa pro arbitrio variabilitate numerica actus amoris, possit in ea fundari meritum. Non esse autem permittendam potestati beati, variabilitatem illam numericam, ostenditur ex inuariabilitate status beatifici, cuius pars vel essentialis vel integrans, est amor. Quo ergo iure, beatitudo cum sit status termini, fixa est & inuariabilis, nec pendens ab hominis arbitratu, eodem hæc vel appendix; vel pars beatitudinis, potestati liberæ Beati subduci debet.

241. Et sanè fundamentum ex quo amor dicitur variabilis indiuidualiter ad nutum Beati, æquè idem probaret de visione: vnde sequeretur absurda totius beatitudinis variatio numerica, vt idcirco Capr. in 2.d.3. q.2. *ad primam probationem minoris decimi argumenti contra primam conclusionem*, voluntariã & fortè pernitiosam & phantasticam pronunciet, Adami Philosophiam de variata numericè visione beatifica, ad nouam secundariorum obiectorum perceptionem. Sequi autem ex Aduersarij sententia, eam visionis variationem, patet; quia enim amor terminari potest ad noua obiecta secundaria, inde colligit Aduersarius, variationem numericam in amore fieri. Similiter igitur, quia visio terminari potest ad noua obiecta secundaria, æquè varianda esset numericè visio; sin minùs ad arbitrium Beati, à quo non pendet, hæc aut illa secundaria obiecta ad statum suum pertinentia videre de nouo; at saltem ex diuino decreto. Atque ita neutra beatitudinis pars, stata & firma esset.

Quod autem Aduersarius significat, idcirco visionem non variari, quia Beatus nihil de nouo videre potest in Verbo, quàm primùm viderit, falsum est. Existimo enim cum Molina 1.p.q.12.art.8. disp 6. & annuit non obscurè D.Thomas 1.p.q.57.art.5. pleraque Beatos de nouo videre in Verbo, quæ priùs non videbant, & postmodùm quoque cessant videre, vt preces ad se directas, festa, honores, & alia quæ per modificationes visioni additas, eáque quoad fundum inuariata accedentes & decedentes, perfici facilè intelliguntur. Quo eodem modo philosophandum esse in visione corporea obiecti vniformis, motu continuato sensim detecti, vt rectè censuit Vasques 1.2.d.51.num. 6. latè alibi probaui contra Gregorium in 1.disp.17. q.2.art.2. *ad 1. contra priores conclusiones*. Ochamum quodlib.1. quæst.9. *in fine*, & Mayronium quæst.19. prologi ad 11. Vel ergo amor non variatur indiuidualiter ob nouum amorem obiectorum secundariorum, vel æquè variatur visio, ob nouam propositionem obiectorum secundariorum subinde factam: atque ita nihil entitatiuè & indiuidualiter stabile ac perenne erit in beatitudine, contra sensum Sanctorum, qui Lunam (vt Ocellus Lucanus scitè dixerat) isthmum mutabilitatis & immutabilitatis agnoscentes, in stabilitate beatitudinis celebranda, iuges sunt.

242. Ad extremum ostendo directè inanitatem argumenti, quo aduersarius probatum vult, liberam Beato esse variabilitatem amoris beatifici. Assumit enim & benè, Beatum posse quædam externa bona nunc Deo velle, quæ antea non volebat; móxque rursus ea velle desinere. Inde colligit variationem fieri in singulari entitate actus amoris, eo quod nouum obiectum non possit amari eodem anteriore actu immutato; nec duo solo numero diuersi actus amoris, multiplicari in eadem voluntate possint. At hæc collectio est planè inualida. Nam variatio posset fieri in eodem actu amoris, æquè ac in visione, per nouam modificationem; à Deo quidem principaliter factam, sed ad nutum & exigentiam liberæ quoad hæc obiecta voluntatis Beati; quia cum amor provt extensus ad obiecta secundaria, sit actus facultatis liberæ, quod non habet visio; extendatur autem ad obiecta prædicta per modificationẽ supernaturalem vitalẽ, proportionalem illi quam in visione attigi, meritò ea modificatio Deo tribueretur, vt causæ physicæ partiali: homini autem vt causæ moraliter partiali, (ad cuius scilicet nutum ponitur,) physicè autem instrumentali. Quod si ad tetinendam omnimodam beatificorum actuum inde-

pendentiam à libertate hominis, nolimus variationem in amore obiectorum secundariorum faciendam, explicare per modificationem amoris beatifici; facile erit affirmare, cum amorem nouum non esse beatificum, sed alium peculiarem totalem beatitudini extrinsecum. Neque enim iudicamus absurdum, duos amores amicitiæ, vel etiam plures, provt potentiæ vis & obiectorum seperatim amatorum varietas tulerit, multiplicari simul in eadem voluntate. Quod verò voluntas toto impetu ac nisu suæ actiuitatis stringat Deum, eliciátque beatificum amoris actum, quam potest intensum, non probat omnes animæ vires ita exigi in illum vnum intensiuè perfectissimum actum, vt nihil supersit animæ vitium quasi extensiuè impendendarum in alium actum amoris: sed inde tantùm habetur, eum actum, vel alium vllum, non posse intensiorem ab anima effici, etiamsi alij insuper actus ab ea manare possint, præsertim remissiores. Quare vniuersæ subductiones, quibus recentiores amorem Christi infusum à beatifico distinctum adorsi sunt, nullo negotio diruuntur.

Spes actualis, quatenus voluntati Christi adimenda, quatenus danda.

243. Actum spei, voluntati Christi adimunt nonnulli, vt Med. 3.p.q.7.art.4. & Lorca disp.7. de spe *in fine*, & disp 9.n.7.ac Ragusa 3.p.disp.17. qua in re eadem de Christo difficultas est, quæ de alijs Beatis, quos non habere spem, affirmat Bleſensis serm. 33. verbis illis, Beatos ait desinere esse cum Christo vite, incipere autem esse cum Christo vita. [Christus enim, & vitis dicitur, & vita, vitis in via per fidem, quasi via vitæ; vita in patriâ per speciem. Desinũt ergo esse in Christo vite, & verius sunt in Christo vita; id est, iam non habent fidem nec spem, sed speciem & rem. Desinunt credere, & incipiunt videre.] Atque adeò etiam non vltra sperant; quia quod videt quis, quid sperat? Expressiùs spem Beatis planè abrogant Val. 2.2.d.2.q.1. p.3. Malderus ibid. quæst. 28. art. 2 Lorca disp. 7. num. 3. Torres disp. 62. dub. 1. Et certum sanè est, actum illum qui peculiariter spei nomine exprimitur, exulare à Beatis, atque adeò etiam à Christo, quoad gloriam essentialem. Et idem est de actu desiderij, nam quod videt quis ac tenet, quorsum speret aut desideret? Cum igitur & Beati omnes, & nominatim Rex Beatorum Christus Dominus, teneant Deum qui est essentialis eorum fœlicitas; & ex natura beatitudinis, sciant eam tentionem fore perpetuam & immutabilem; liquet Beatos atque adeò etiam Christum, non modò non sperare possessionem Dei qua potiuntur, sed neque perennem eius durationem. Sicut Angeli non sperant perpetuitatem sui esse, quam esse sibi connaturaliter debitam, non ignorant. Sed & ob eandem causam, nec Christus nec Beatorum vllus, desiderant beatitudinem suam, eiúsve perpetuationem. Dicuntur quidem Angeli desiderare prospectum Dei, iuxta lectionem apud nonnullos Patres receptam, loci epistolæ 1 B. Petri cap. 1. Verùm hæc non pertinent ad verum beatitudinis siue assequendæ siue perennandæ desiderium, beatis tribuendum; sed ad denotandam insatiabilem & fastidij expertem Dei fruitionem, vt optimè in hunc modum exposuit S. Isidorus l. 1. de summo bono c. 12. n. 22. [Si Deũ Angeli contuentur & vident, cur Petrus Apostolus dixit, *in quem desiderant Angeli Dei conspicere?* Iterũ si eum non contuentur nec vident, quomodò iuxta sententiam Domini; *Angeli eorum semper vident faciẽ Patris, qui in cœlis est?* sed benè vtrumque est. Nã veraciter credimus, quod Deum & Angeli vident, & videre desiderant, & habent & habere festinant, & amant, & amare nituntur. Si enim sic videre desiderant, vt affectu desiderij non perfruantur, desiderium hoc necessitatem habet: necessitas ista, pœnalis est: sed à beatis Angelis omnis pœna longè est, quia numquam simul pœna & beatitudo conueniunt. Rursum si eos dicimus Dei visione satiari, satietas fastidium habere solet: & scimus illos Dei visionem, quam & desiderant, fastidire non posse: Quid ergo est, nisi vt miro modo simul vtrumque credamus, quia & desiderant & satiantur? Sed desiderant sine labore, & satiantur sine fastidio. Ne enim sit in desiderio necessitas, desiderantes satiantur: & iterum ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Vident ergo Angeli faciem Patris per satietatem; sed quia satietas ista fastidium nescit, Angeli desiderant in eo prospicere semper.] Gemina omnino habentur apud S. Gregorium lib. 18. mor. cap. 39.

244. Non desunt tamen alij actus spei Theologicæ, quos Christo & beatis tribuamus. Eiusmodi sunt amor simplex beatitudinis vt boni proprij, & gaudium de ea, provt tali. Hi quippe actus tendunt in germanum obiectum spei Theologicæ, cùm materiale, tum formale; & nullam habent pugnam cum statu beatitudinis. Itaque perstiterunt cum eo, & Christo quamuis comprehensori optimè quadrarunt. Esse autem actus spei, quamuis reclament nonnulli, rectè statuunt Suares d. 1. de spe serm. 3. n. 13. & lib. 2. de gratia c. 13. n. 24. Lessius l. b. 2. de summo bono num. 163. Lorca disp. 6 de spe à n. 10. Torres t. 1. in 2.2. disp. 60. dub. 1. & disp. 61. dub. 3. & sufficienter patet, ex eo quòd nisi hi actus quos liquet immediatè Deum attingere, sint à spe Theologica; fatendum erit dari quartam Theologicam virtutem cuius hi actus sint proprij; cum tamen ratum in Ecclesia esse videatur, non dari nisi tres Theologicas virtutes. Accedit essentialis præsuppositio amoris simplicis, ad actum spei presè sumptæ, indubiè spei Theologicæ tribuendum, quem impossibile est principiari à virtute spei, non principiato simplici amore intra eum incluso, vel essentialiter ad eum præsuppositio. Quoad gaudium verò, proportionale argumentum fieri potest, spectata subordinatione eius ad tentionẽ quæ spei propriè acceptæ obijcitur. Quare ratum esto, hos actus vere esse spei Theologicæ, atque adeò Christum actu aliquo huius virtutis caruisse. Neque verò sollicitus sum, an hi actus in Christo prodierint ab habitu spei, sed tantùm contendo, eos collimare in obiectiuam spei honestatem. Quod moneo propter aliquos, qui vt ostendant hos actus in Christo non esse tribuendos spei Theologicæ, obtendunt hos actus respicere proprium commodum, atque adeò non elici interuentu vllius habitus, sed tantùm per auxilium actuale. Sicut in humanis, volitio proprij commodi non est ab habitu, cum nemo difficile suum sibi commodum velit. Quæ quidem ratiocinatio multipliciter displicet. Nam etiam in humanis, plerique segnes sunt ad curandum proprium commodum; præsertim cum extrinsecæ difficultates non modicæ, bonum illud circumsepiunt. Et quicquid sit de huiusmodi actu circa bona humana, longè tamen alia est ratio actus supernaturalis, ob improportionem naturarũ virium nostrarum ad illum, ob quam habitum meritò deposcat; quia auxilium non est principium connaturale eliciendi actus infusos: alioqui cessaret omnis ratio admittendi habitus infusos operatiuos. Sed illud præsertim displicet in eadem ratiocinatione, quod siue habitus interueniat ad actus prædictos, siue non interueniat, assignanda necessariò illis est honestas aliqua obiectiua quam spectent. Sicut primi actus qui eliciuntur ante partum habitum, pertinent ad virtutem cuius est habitus, ratione honestatis quam attingunt ante partam qualitatem facilitantem per iteratos actus. Itaque quamuis deesset Christo habitus spei, (de quo postea,) tamen hi actus, ad spem Theologicam ratione eiusdem honestatis pertinerent.

245. His

245. His spei Theologicæ actibus quos Christo cõcessimus, alium adiungit Ægidius Coninc. disp. 19. de actibus supernat. dub. 11. nempe actum quo Christus expetijt & sperauit sibi gloriam corporis, quem non fuisse actum charitatis Theologicæ, patet ex diuersitate motiui: nec fuisse actum elicitum fruitionis beatificæ vt Medina improbabiliter commentus est, vix probari debet; cum actus de quo agimus, sit viatorum proprius, non item fruitio, quam præterea constat esse actum elicitum, cui nõ est cur alij actus tribuantur, cum id proprium sit actuum primorum, vel honestatum obiectorum. Videtur igitur actum desiderij, ac spei gloriæ sui corporis, fuisse in Christo viatore verum actum spei Theologicæ. Pro qua sententia, Ægidius profert S. Thomam q. 7. art. 4. *in corpore*, & *ad* 2. & ibidē Suarem, ac Vasquem disp. 43. cap. 2. Nec sanè defuerunt ei desiderio ac spei, conditiones propriæ geminorum actuum spei Theologicæ. Nã & erant de bono honestè per Christũ sibimetipsi appetendo, & futuro, & adeptu nobo, iuxta illud *oportebat Christum pati & intrare in gloriam suam*; vtique gloriam corporis. Nam Christus animæ gloriam habuerat à primo vitæ momento, gloriam autem corporis quamuis debitam ratione gloriæ essentialis animam exornantis, habuit per crucem & tormenta. In quo latum est discrimen, inter alios Beatos quibus gloria corporis sine labore obtingit, & Christum, respectu cuius decora corporis fuerunt posteriores gloriæ. Eatenus autem hæc expetitio in Christo erat actus spei Theologicæ, quatenus beatitudo corporis est quoddam medium, fruendi aliquomodo perfectius Deo: vnde Deus erat expetitionis illius obiectum vltimũ, æquè ac finis, est vltimũ & specificum obiectũ electionis. Hæc est ratio qua prædictus Autor suam sententiam confirmat. Verùm huius rationis imbecillitas, confirmare videtur, hoc desiderium ac spem actualem, nõ esse actum spei Theologicæ. Habet enim diuersissimum obiectum quàm actus spei; quia hic tendit ad bonum nostrum; ea autem beatitudo corporis, nulla ratione est bonum increatum, nec Deus est vllomodo motiuum respectu illius actus, etiamsi speretur prout complet & perficit integram hominis beatitudinem, tamquam accessio & complementum beatitudinis essentialis ad Deum terminatæ.

Quis timor in Christi voluntate agnoscendus, quis inde ableganduſ.

246. Venio ad actum timoris, quem Petrus Abelardus referente S. Bernardo epist. 190. Christo ademit, quod perstringit obiter his pauci, verbis S. Bernardus. [Omitto quod dicit, spiritum timoris Domini non fuisse in Domino.] Damnatus est Abelardus generatim ab Innocentio II. epistola quæ ibidem subijcitur, & est numero 194. Nec quoad rem præsentem, est longa confutatione opus. Nam diserte Isaias cap. 11. pænunciat de Christo, *replebit eum Spiritu timoris Domini*. Ipse tamen Abelardus, epistola sua 20. ita mentem suam explicat, vt tametsi fortassis errarit, absolute dicendo in Christo non fuisse timorem Dei, tamen fuerit potius error quoad indistinctam locutionem, quam in re ipsa: quandoquidem affirmat, se tantùm intendisse negare Christo timorem seruilem qui à perfecta caritate foras mittitur. Sic enim scribit Abelardus. [Multa de Christo dicuntur, quæ non tam secundum caput quàm secundùm corpus ipsius, quod est Ecclesia, sunt accipienda: Vt ille Spiritus timoris, quod est initium sapientiæ, quem videlicet timorem, perfecta charitas foras mittit. Huius ergo timoris spiritum, in anima Christi qui perfectissimam habuit caritatem, nunquam fuisse credendum est, qui tamen in inferioribus membris non deest. Tantæ quippe perfectionis, & tantæ securitatis anima illa extitit per ipsam Verbi vnionem, vt sciret nihil omnino se committere posse, vnde pœnas incurreret, vel Deum offenderet. Castum quippe timorem in sæculum sæculi permanentem qui proprie *reuerentia caritatis* dicitur, tam ipsi animæ Christi, quàm electis Angelis, & hominibus inesse, semper recognosco. Vnde & de ipsis supernis spiritibus scriptum est; *adorant Dominationes, tremunt Potestates.*] En distinguit Abelardus de timore, & exacto seruili timore à Christo Domino, solisque membris corporis mystici concesso, castum timorem & reuerentialem, Christo tribuit.

Non possum certò affirmare, an S. Bernardus, solam (vt dixi) malè sonantem locutionem reprehenderit: an verò Abelardus more erronum deprehensorum, refugerit fateri quod erat, & mentita sit iniquitas sibi. Nam in illa ipsa epist. 20. Abelardus quædam sibi vnquam excidisse negat, quæ certum est ab eo priùs tradita. Nec nisi calumniæ insimulato B. Bernardo, & Innocentio Papa Abelardum damnante leuitatis nimiæ accusato, negare licet, Abelardũ aperti mendacij reum teneri, quoad aliqua quæ ibi à se vnquam asserta negat. Quidni ergo etiam in hoc puncto, mendaciter potuerit diffiteri à se dictum, quod priùs apertè tradiderat? Vt, vt verò senserit aliquando Abelardus, liquet ex eius palinodia proposita, agnitum postea fuisse ab eo timorem Dei in Christo Domino; sed castum, quem dici ait *reuerentiam caritatis*. Videtur autem imitatus Cassianum qui collat 11. c. 13. latè in Christo astruit timorẽ perfectum; quem vocat castitatis: sicque eum describit, vt dicat esse [quem non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo; quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniunx, sollicito reueretur affectu: dum eius non verbera, neque conuicia, sed vel tennem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verum etiam verbis, attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque feruor dilectionis illius intepescat.] Verùm hic timor quantumuis in se sublimis & perfectus, non videtur tamen posse in Christo statui; quia supponit peccabilitatem sui subiecti. Vt quid enim timeat peccare, & Deum offendere ne bonitatem violet, qui scit se peccare non posse?

247. Igitur timor qui in Christo fuit, non est sic exponendus: sed accipiendus est de timore reuerentiali, qui est actus temperantiæ, siue humilitatis vt tradidi in Morali dist. 3. num. 330. & in opere de S. Latrone c. 8. post Richardum in 3. d. 34. art. 2. q. 4. Altissiodorensem lib. 3. summæ c. de timore q. 3. & Alensem 3. p. q. 66. membro 1. & 2. p. q. 156. membro 2. art. 1. illo actu, homo ex consideratione immensæ Dei maiestatis, despicit se præ Deo, retrudítque se in suum nihilum. Et comitatur plerumque ei timori reuerentia, & vt passim loquimur *respectus*, ac obseruantia exacta in cultu debito reddendo, omnibúsque eius minutijs exactè seruandis: quæ videtur causa esse, cur aliqui attendentes ad actum religionis concomitantem, dicant timorem reuerentialem esse religionis, vt videre est apud Lessium l. de inst. cap. 27. *initio* & apud Suarem lib. 3. de relig. in communi cap. 2. n. 5. Is ergo timor in Christo fuit, non autem vllus alius: ac ne filialis quidem, tametsi in nobis quia peccabiles sumus, timor offensæ ex affectu filiali, valdè commendetur. Optimè hæc omnia tradidit Richardus à S. Laurentio l. 12. de Deipara serm. in Natiuit. Christi, pag. 1048.

Timor quoque seruilis, tametsi seiuncta appendice seruilitatis, bonus sit, ob subiecti tamen labilitatem quam supponit, Christo non competit. Itaque quod S. Augustinus lib. de grat. & l. arbitr. cap. 18. affirmat, timorem seruilem esse spiritum timoris Domini ab Isaia c. 11. expressum, benignè exponit Bellarmin. l. 2. de pœnit. cap. 17. *in fine*; de timore in vniuersum: ita

scilicet vt Esaias, per *spiritum timoris Domini* qui Christum repleuit, intellexerit timorem prout comprehendit seruilem & filialem; quorum hic duntaxat in Christo fuerit. Sed interpretatio non videtur quadrare quia eum Spiritum timoris intellexit Esaias, qui reipsa in Christo fuit; & quidem in singulari; nam de ornamentis Christi singularibus agebat. Ergo si intellexit timorem seruilem oporteret Christo concedere hunc timorem, quod meritò refugit Bellarminus. Quare dixerim potiùs, S. Augustinum, cum commendare vellet timorem seruilem absque seruilitate, eúmque appellasset donum Dei, obiter adduxisse locum quo Isaias ait aliquem timorem esse donum Dei, vt ex affinitate & conuenientia in generali ratione timoris, assereret hunc quoque timorem despicatiorem de quo ipse agebat, esse donum Dei: quamuis timor quem Isaias Christo assignarat, esset longè alius. S. Gregorius quem præterea adduxit Bellarminus, tanquam asserentem Spiritum timoris ab Isaia expressum, & Christo tributum, esse timorem seruilem, disertè tribuit timorem seruilem Christo in se, vel in suo mystico corpore; id est in nobis: ac proinde locus ille nos non vrget, etiamsi locus Isaiæ ad timorem seruilem minùs commodè à D. Gregorio trahatur.

248. Duriusculè præterea locutus est in hanc rem Rupertus, l. 1. de Oper. Spiritus sancti cap 25. cum dixit. [Mirandum vniuersæ creaturæ proponitur spectaculum, quod scilicet creator hominum, Deus, illum vsque descenderit, vnde peccatori homini ab infernalibus peccatis & vitiis emergenti, initium ascendendi sumendum sit. Nam *initium sapientiæ timor Domini*. Huc vsque creator descendit, Propheta dicente, post omnes gradus spirituum Domini, *& replebit eum Spiritu timoris Domini*. Non erat mirum quod requiesceret super eum Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis: non, inquam, mirum, quia magnificum erat, quia diuinum Maiestatem dignitate antiqua decebant hæc omnia. Quis autem Angelorum, aut hominum, non miretur, Dominum vsque ad timorem Domini descendisse? Deum ac Dominum cœlis ac terris timendum, timoratum factum esse, non partim sed plenariè, & quantum verbo *repletionis*, aut *plenitudinis* potuerunt homines in eodem Spiritu sancto loquentes significare? Itaque secundùm hunc modum, digna cum admiratione dictum sit, *Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane.*] Quod tantopetè exaggerat Rupertus. Christum descendisse ad timorem à quo orditur ordinariè iustificatio, qui sanè est timor seruilis, latè sumendum est ob conuenientiam genericam timoris, ad quem Christus descendit; nempe reuerentialis, cum timore seruili, quem reuera non assumpsit.

Porrò negaui Christo omnem timorem præter reuerentialem, si agatur de timore ipsummet Christum respiciente, & Christum ad aliqua facienda vel omittenda impellente. Nam si ageretur tantùm de timore peccati ab alio patrandi, propter pœnam ab eo incurrendam, non esset is timor à Christo alienus, spectarétque ad proximi charitatem. Idem dico de timore peccati ab alio admittendi, eiúsque fuga, quia est iniuria Dei, aut contra bonum diuinum: nec non etiam de timore malorum grauium ex amore sui honesto, aut ob susceptа in se aliena peccata quibus talia mala debeantur, qui essent actus penitentiæ & charitatis, haberéntque in Christo locum. Verùm propriè timor respicit aliquid ipsiusmet timentis, ratione cuius auertatur ab actione, aut inducatur ad agendum. Et talis timor respectu Dei, nullus in Christo fuit, præter reuerentialem.

Gaudium beatificum è Christi viatoris voluntate, sub passionem qui expunxerint.

249. Restant actus supernaturales voluntatis ordinis gloriæ, è quibus vnicum aiebam vocatum esse in controuersiam, & Christo ab aliquibus fuisse negatum, nempe delectationem tempore passionis. Ita sequendam cum iuuenis esset propugnasse publicè, asserit Canus 12. de locis cap. 14. *in fine*, nec reuocat senex, imò magnos inde igniculos excitari existimat ad gratitudinem erga Christum, pro tanta in nos charitate qua se nostra causa omni gaudio spoliare, & inebriare animam suam absyntio, non delectarit. Adhæserunt Cano ex nostris Val. 3. p. d. 1. quæst. 9. part. 1. Salmeron t. 10. tract. 14. & Maldon. in c. 26. Matth. v. 37. quorum præcipua ratio inde videtur ducta, quod id videretur percommodum ad declinandam grauem difficultatem, ex cohæsione summi gaudij & summæ tristitiæ in eadem Christi voluntate. Quomodò enim immensa suauitate beatitudinis voluntatem Christi occupante, potuisset locus in ea esse tristitiæ?

Non extricant sanè eam implexitatem, qui respondent cum S. Thoma, q. de passionibus animæ, quæst 26. de verit. art. 10. quamuis contraria non possint simul esse per se, posse tamen simul esse per accidens; vt cum quis in naui deambulans, fertur motu proprio in alteram partem quàm feratur nauis. Sic enim dicunt, in voluntate Christi fuisse gaudium per se, quia erat in ea per actum proprium: fuisse autem dolorem per accidens, ex redundantia à corpore. Hoc responsum negat Canus esse solidum, quia quamuis in formis respectiuis, cuiusmodi sunt motus locales & relationes, possit cerni ea cohæsio pugnantium, non tamen in formis absolutis. Neque enim calor & frigus prout contraria sunt, ac præsertim in summo, cohærent ibidem: Multo minus igitur gaudium & tristitia in summo, quia hi actus sic se habent, vt vnus excindat rationem obiectiuam alterius: vnde videntur nulla ratione posse conciliari, & simul esse.

Respondet insuper D. Thomas, gaudium illud Christi & tristitiam caruisse contrarietate, quia non erant de eodem. Sed hoc quoque responsum refellit Canus, quia Christi voluntas de eodem plane obiecto materiali, nempe de morte sua & cruciatibus, lætabatur & tristabatur. Quod autem rationes motiuæ vtiusque affectus essent diuersæ, parum referebat ad earum concordiam. Nam cum semper hi affectus discrepent rationibus motiuis atque formalibus, sequeretur eos semper & vbique posse simul cohærere, si sola diuersitas motiui ad eorum concordiam satis esset. Quare non potest negari; quin duo contraria voluntati Christi insederint, si dolor & tristitia de eadem re, occuparunt eam simul. Imò experientia docet, tristitiam & gaudium de diuersis, excludere sese ab eadem voluntate. Nam suauitas illa quam infert gaudium, respicit amatorem tristitiæ, eúmque libuit vndecunque exurgat: vt propterea qui amaro sunt corde; captent solatia ex aliis obiectis, nec tantùm ex aliis eiusdem obiecti rationibus.

Quod igitur ad dissoluendam hanc difficultatem ex actuum contrarietate Christi voluntatem infessura, commodum videretur voluntati Christi gaudium beatificum adimere per tempus passionis; haud grauatè Canus in hanc partem concessit; & secuti sunt quos retuli. Sicut ob eamdem difficultatem, alij supra adducti, negarunt voluntati Christi superiori tristitiam. Addi potest argumentum quod sibi obijcit Scotus, ex pugnantibus cordis motibus quos summa delectatio & gaudium cordi inferrent, si simul occuparent voluntatem. Itaque cum Christus alterutro aspectu in voluntate spoliandus sit eam ob causam, nec possit remoueri tristitia, remouendum esset gaudium.

Rejcitur

Reijciuntur.

250. Mihi negatio illa gaudij beatifici Christi per tempus passionis, incommoda videtur, & visa etiam est plerisque recentioribus, qui iuuenilibus Cani studiis non sunt delectati. In his sunt Suarez t.1.3.p.d.18. sect.3.Vasq.3.p.d.76.num.26.Ragusa disp.84.Becanus tract.de incarn.c.12.q.7.Iustinianus 1. Petri 4.v.1.n.4. & complures alij, quorum nonnulli Canum hac in parte damnant temeritatis, vt refert Ragusa qui adducta & reiecta quorundam aduersus Canum argumentatione ex quibusdam scripturis & Patribus gaudium Christi in adeunda cruce prodentibus, quia rem non agunt de gaudio beatifico quod Canus tollit; aliter abigit Canum, nimirum ex eo quod ex natura rei gaudium separari nequeat à visione beatifica. Nam gaudium est quies appetitus in bono habito: qui appetitus tametsi irrequietus perseueret quandiu finita duntaxat bona ei obiectantur, tamen præsente summo bono planè extinguitur, & non quiescit. Quid enim vlterius appetat qui immensitate boni potitur? Cum ergo in termino illo ac priuatione motus, iuxta D. Thomam & Theologos, sita sit ratio gaudij, non autem in actu quopiam positiuo, non potest fieri, vt gaudium præsente possessione summi boni suspendatur, non modo à voluntate, vt omnes fatentur, sed ne à Deo quidem. Sic enim maneret appetitus boni propositi, quod tamen præsens est, atque adeò appeti nequit.

Hæc & alia aduersus Canum, prædictus Autor: sed reuera inefficaciter, & admissis plerisque à vera Philosophia abhorrentibus. Falsò enim assumit, gaudium non posse separari à visione. Cum enim sint actus realiter distincti, & in diuersis potentiis reperiantur, quidni qua ex parte non connectentur essentialiter, vt visio cum gaudio, non poterunt separari diuina vi? Aptiùs contulisset gaudium cum amore; sed hos quoque actus differre realiter, & esse separabiles non mutuo, certa controuersiam esse debet. Falsò præterea affirmat idem Autor, appetitum cuius quies tribuitur gaudio, cessare & extingui præsente summo bono. Ille enim appetitus, nihil aliud est quàm voluntas, quæ certè non perit nec extinguitur præsente summo bono. Nec quies illa est aliquid priuatiuum, v.g. nuda carentia motus, sed est quies vitalis & suauiatio boni adepti; non modò summi boni, sed cuiuscumque. Quamuis enim non nisi posita summi possessione voluntas plenè quiescat, eo quod nullum aliud bonum par sit ingluuiei eius, (vt sic dicam,) siue infinitæ capacitati explendæ, tamen adepto bono quocunque, appetitus quoad illud quiescit, id est non vltra mouetur ad illud captandum, sed captato fruitur, & in eo prout bonitas illius tulerit, colliquescit. Quare argumentatio proposita, non est ad Canum repellendum idonea.

251. Aptiùs ergo Canum refellere inde possumus, quod fons gaudij fuerit in Christo indeficiens. Egregiè planè de eo Richardus Victor. l.2. de Emman.c.21. vbi tractans illud, *butyrum & mel comedet*, præfatúsque butyrum esse ex lacte, quod significat cordis dulcedinem, subdit. [Butyrum de lacte colligitur, & vera cordis exultatio de vera cordis dulcedine generatur. Quanto abundamus lacte, tanto & butyro possumus abundare. Sic & iuxta abundantiam benignitatis, erit & abundantia iucunditatis. Si cor Christi attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius, nil vsquam creaturarum, illo corde dulcius esse potuit; nil vnquam dulcius esse poterit; nullum cor, corde illo vberius exultauit. Vera cordium nostrorum exultatio, solet esse de testimonio conscientiæ. *Gloria nostra*, (inquit,) *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Testimonium conscientiæ bonæ in nostro corde, concupiscentiæ non consentire. Testimonium conscientiæ in illo corde, nullam, concupiscentiam sentire. Quid illâ conscientiâ mundius fuit, quæ nullam concupiscentiam sensit? Quid illo corde dulcius fuit, quod nulla malitia tetigit, quod nihil fellis, nihil amaritudinis, vel habuit vel habere potuit? secundùm autem magnitudinem dulcoris, erat & in ipso magnitudo exultationis. Perpende si potes, quanta dulcedo cordis illius fuerit, quam tanta passionis acerbitas, interpolare vel attenuare non potuit.]

Accedit optimum quoque argumentum, ex eo ductum, quod beatitudo quæ ex delectatione saltem integratur, debeat esse firma & inuariabilis: ac proinde non debeamus beatitudinem Christi variabilem & instabilem dicere, præciso quandoque ab ea complemento, quod apud vulgus designatur præcipuè nomine beatitudinis. Quod si per tempus passionis beatitudo Christi truncanda est ad eum modum, idem sanè faciendum erit per totam Christi vitam: quia durante ea tota, horrida illa species cruciatuum inferendorum, eamque consequens acerbissimæ necis tristitia, Christo semper est obuersata. Quid si verò aliquis, eadem miraculosas & contra debitum factas subtractionis fingendi licentia, dicat, interdum quoque animam Christi desijsse videre Deum, vt ingens illud dispendium nostri causa subiret? Amorem verò cessasse necesse est, si cessauit gaudium supposita indistinctione reali gaudij & amoris, quam inter aduersarios tradit Valentia 1.2.d.1. quæst.4. p.1. Atque ita nihil firmum & stabile habemus de Christi beatitudine. Quare dicendum omnino videtur, Christum simul & semel, in voluntate cum gaudio beatifico tristitiam quoque immensam perpessum esse, simúlque abysso tristitiæ & gaudij, immersum fuisse.

Ad fundamenta contrarij placiti.

252. Fundamentum verò Cani, seu repugnantia eiusmodi actuum, variis modis euertitur per varios DD. vt Ragusa disp. illa 84. late refert. Breuiter dico, naturaliter quidem loquendo, duos illos affectus notabiliter intensos non posse simul vigere in eadem voluntate, eo quod vnius plenitudo, voluntatem absorbeat. Potest tamen diuina vi accidere, vt duo illi actus simul locentur in vna voluntate diuinitùs vegetata, vt dum vni impenditur, non abducatur ab altero. Non enim gaudium & tristitia habent tantam inter se inconciliabilitatem, quantam assensus & dissensus de eodem obiecto: quia assensus & dissensus ita comparantur, vt mutuo excidant rationes suas obiectiuas; vnde ne in remisso quidem possunt cohærere. At tristitia & gaudium, cum non sunt de eodem, non ita se habent, vt Durandus rectè vidit in 3.d.15.quæst.3. n.10. Itaque totum dissidium quod inter gaudium & tristitiam esse potest, inde peti necesse est, quod iuxta Aristotelem 7. Ethic.cap.vltimo, spectato naturali statu potentiæ summo gaudio præoccupatæ, necesse sit exulare ab ea tristitiam: Et è contrario voluntatem altissimæ tristitiæ infossam, non possit subire gaudium, ob finitam vim potentiæ, quæ vtrique illi actui notabiliter intenso locum non præbet. Qua ratione, damnatos meta doloris acerbitate, nullo ac ne tantillo quidem ex variis solatiolis quæ occurrere possunt gaudio diluta, torqueri rectè existimat Guilielmus Paris.3.2. de vniuerso c.4.& Vasques 1.p.d.242.n.7.& 8. Eam verò finitam vim potentiæ anteriore affectu præoccupatæ, aut vno eorum insessæ, facile est Deo roborare, & vt ad vtrumque actum simul sufficiat, patenter sustollere.

253. Quod autem de pugnantibus cordis Christi motibus sibi obijcit Sotus, in 3.d.15. non est necesse enodari recurrendo ad diuinam potentiam. Naturaliter quidem ad tristitiam voluntatis cor constringitur, & ad gaudium dilatatur: nec duo illi motus possunt simul & semel, etiam vi diuina, in eodem corde habere locum,

locum, ob accessum ad vnum terminum vi vnius motus, à quo vi alterius motus receditur : vnde si coniungerentur, oporteret simul & semel aliquid accedere & recedere ab eodem termino. Tamen nihil est quod probet, hos motus debuisse simul inferri cordi Christi, posito summo gaudio cum summa tristitia in Christi voluntate : quia motus illi cordis non consequuntur affectum voluntatis, sed tantùm affectum appetitus sensitiui, qui in Christi passione nullo gaudio perfusus est, impediente Deo redundantiam, qua connaturaliter rem spectando, perfundere debuisset appetitum sensitiuum vitali suauitate ipsi proportionata. Itaque sola constrictio ex tristitia, cor Christi premebat.

Addit Gabriel in 3.d.15. *in fine*, ex tristitia & gaudio æqualibus, non existere motus illos pugnantes, eo quod se collidant & inuicem præpediant. Sicut si opponerentur aqua & ignis viribus actiuis & restitiuis planè pares, & lignum statueretur in medio aptum æquè pati ab vtroque, nec calefieret, nec frigefieret. Similiter igitur censet Gabriel, ex gaudio & tristitia quæ ambo in Christo fuere summa, nec dilatationem nec constrictionem præternaturalem esse consecutam, altero affectu vim alterius motiuam inhibente.

Sed hæc responsio, neque necessaria est (quia prior sufficit,) nec vsurpari potest : quia duo hi affectus non possunt effectus suos inuicem excludere, reddendo subiectum incapax motus per alium affectum inuehendi, vt per se patet : nec actiuitatem mutuam præcludendo, cum neuter quicquam supponatur agere, vel in cor, vel in alterum affectum. Formaliter autem, ac per sui ipsorum communicationem, non possunt se præpedire mutuo, quia non insunt eidem subiecto immediato. Igitur vt se mutuo colliderent in causando motu cordis, necesse esset vnum affectum præoccupasse cor, eique motum sibi consentaneum impressisse. Sicque altero affectu tentante cor, interim dum viget adhuc affectus prior, & motus ei congruens perseuerat, sequeretur motuum collisio : in qua necesse esset cor discerpi & diffringi, non autem prorsus carere effectu vtriusque passionis, vt Gabriel imaginabatur. Aliter verò philosophandum est, de ligno inter æqualia actiua constituto, iuxta suppositionem Gabrielis : quæ tamen salua ligni extensione, sine qua agentia naturalia non agunt, est naturaliter impossibilis : quia propter ligni profunditatem, vna ligni pars erit necessariò vicinior igni, solâque ei applicabitur : alteri verò parti, admouebitur sola aqua. Vnde vnumquodque actiuum aget in portionem ligni cui applicabitur, non autem ambo feriabuntur. Si tamen lignum diuinitùs constitueretur indiuisibiliter extensum inter vtrumque agens, ita vt esset velut vnica superficies inter ea interiacens ; sic vtrumque agens ageret in eam superficiem absque noxa alterius, & imprimeret in eam aliquid qualitatis sibi propriæ, intra latitudinem earum compossibilem ; quæ cùm primum compleretur, vtrumque quidem agens quod fingitur fore æqualiter actiuum aliquid ageret, sed cum dispendio mutuo : non quod vnum agens tolleret effectum qui nunc primùm ab altero imprimeretur ; (Sic enim effectus ille simul poneretur, & destrueretur ;) sed quod pars effectus alieni ante producta, decuteretur, superstite noua ei superinducta, & gradualiter coniuncta in vnam totalem formam ; quæ versus imum, hoc est versus partes anteriùs vnitas periret, ob formam contrariam ei subiecto aduectam per actionem hostilem : idémque vice versa contingeret, circa alteram qualitatem agenti inimico respondentem. Qua ferè ratione philosophari cogimur in reactione.

Omnibus actualibus voluntatis Christi perfectionibus, ad viam spectantibus, consertum meritum.

254. Fuit igitur Christi voluntas subiectum omnium perfectionum actualium, cùm naturæ, tum gratiæ, tum gloriæ, quæ statum Christi hominis Dei non dedecuerunt ; cuiusmodi sunt actiones omnes non malæ. Nam de turpibus quæ apertè abhorrent à Christo, agendum erit sequenti capite, cum remouebimus à voluntate Christi defectus eam dedecentes. Nunc priusquàm progrediamur ad perfectiones voluntatis, quæ sunt actus quidam primi ad secundos actus propositos ordinati, attingenda est insignis prærogatiua moralis, perfectionum voluntatis actualium hactenus expositarum, quæ non est exigua perfectionum istiusmodi actualium perfectio ; nempe vis meritoria, quæ immediatè & per se primò in voluntatis actibus elicitis cernitur, & inde deriuatur ad imperatos ; siue ipsi voluntati, siue aliis potentiis insidentes. Quamuis autem in nobis omnes actus voluntatis non potiantur hac prærogatiua, eo quod non cernantur in omnibus conditiones ad meriti fundationem idoneæ : (plerique enim sunt merè naturales, & independentes à libertate, ac indifferentes : qui omnes actus inidonei sunt, vt eis implantetur meritum :) Tamen in Christo omnes actus voluntatis pertinentes ad viam, meritorij fuerunt : quia nullus eorum fuit indeliberatus, vel extortus, sed omnes fuerunt liberi & à ratione indicti iuxta illud S. Bernardi serm. 4. de Ascens. [In nostra vita, multa quantum in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate. Sed Christus Dei virtus & Dei sapientia, neutri potuit subiacere. Quæ enim Dei virtutem necessitas cogeret Dei sapientia casu ? Omnia proinde quæcumque locutus est, quæcumque operatus est, quæcumque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena Sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contingat, non sic audiendum est tamquam si inuentitium quidpiam proferamus, sed tamquam id quod etiam priusquàm causa sciretur, constaret non sine causa fuisse. Sicut enim qui scribit, certis rationibus collocat vniuersa, ita quæ à Deo sunt, ordinata sunt, maximéque ea quæ præsens in carne est operata maiestas.] Omnia inquam Christi opera libertate præfulserunt ideóque meritoria fuerunt ; vel si aliqui actus Christi, ad naturalium causarum admorionem ob sympathiam cum potentiis inferioribus naturaliter extendebantur à voluntate, tamen eatenus liberi erant, quatenus liberè non impediebantur, cum possent impediri ne exurgerent, atque adeò acceptabantur in ordine ad Dei gloriam & salutem nostram. Neque enim Christus merè sinebat se agi ab obiectis, quod ad libertatem actuum naturaliter excitatorum, nisi fuisset satis, eósque reliquisset infrugiferos : sed actu positiuo admittebat, & ad Deum referebat impressionem naturaliter ab obiecto factam, atque adeò etiam actus inde progerminantes ; quo ipso erant sufficienter liberi ad fundandum meritum, & supernaturali honestate, quæ item ad meritum exigitur, conuestiebantur, interuenu actus extrinseci eos imperantis : id est acceptantis ipsorum non impeditionem, atque adeò etiam actuum positionem.

255. Imo non desunt, qui opera Christi etiamsi merè naturalia, atque adeò per extrinsecum imperium nullatenus euecta ad finem supernaturalem, pronuncient fuisse meritoria præmij supernaturalis, ob infinitam dignitatem personæ à qua eliciebantur. Eam quippe honestationem, censent sufficere ad meritum supernaturale fundandum in naturali opere, quamuis non fiat ex speciali motione Spiritu sancti, nec ad finem supernaturalem

turalem referatur. Putant enim has conditiones in puris creaturis requiri, quia earum gratia non se habet antecedenter ad naturalia opera quæ eliciunt: In Christo autem censent tales conditiones non desiderari, eo quod suppleantur per conditionem personæ infinitè dignæ; ita vt per eam abundè ordinentur ad supernaturalem finem, quamuis ex se aut imperium extrinsecum, eò non tendant. Ita Præpositus 3.p.q.7.num.57. Suarez t.1.3.p.d.39. sect.2. *ad finem*. Pesantius 3. p.q. 19.art.3.disp.1.conclus.4. quibus subscribere videtur Bonac.disp.2.de Incarn.q.12.p.3. num.6.

Hanc tamen sententiam non admitto, quia ex ea sequeretur, opera merè naturalia puratum creaturarum sanctitate collucentium, esse supernaturaliter (tametsi finitè) meritoria, quod passim reijcitur. Id porrò sequi, demonstratur, quia gratia sanctificans est forma iustis interna, quæ ad opera eorum saltem posteriùs tempore elicita, æquè antecedenter se habet, ac vnio hypostatica in Christo ad operationes Christi naturales. In actiones siquidem Christi naturales, vnio hypostatica & diuina Verbi suppositalitas, nullum physicum influxum habuit, sed dumtaxat moralem, quod omnes Christi actiones infinita dignitate perfundebantur, etiam quæ ex se liberæ non essent, vt vegetatiuæ. Similiter autem gratia sanctificans perfundit aliqua dignitate extrinseca, (tametsi finita,) operationes hominis iusti, saltem liberas. Totúmque discrimen est, quod persona Christi, quia est infinitè digna, imbuebat actus Christi dignitate infinita: gratia verò sanctificans puri hominis, cum finita sit, non potest actus eius dignitate extrinseca perfundere, nisi ad certam mensuram. Cum ergo non obstante hoc valore extrinseco operum naturalium hominis iusti, negent omnes opera illa, nisi subuehantur per extrinsecum imperium, esse supernaturaliter meritoria; idem in Christo videtur distuendum. Sed benè habet quod imperium illud non defuit Christo, vnde subiectio quorumuis eius operum ad supernaturalem finem & ordinem est consecuta. Reliquæ autem conditiones ad meritum necessariæ, siue ex parte operum, siue ex parte operantis, siue ex parte Dei cui exhibetur meritum, manifestè concurrunt ad omnes prædictos actus voluntatis Christi, æquè ac ad nostros meriti feraces.

Meritum actuum voluntatis Christi, non nisi in actibus viæ, & per viam

256 Restrinxi tamen me, ad actus voluntatis Christi pertinentes ad viam. Valet enim de Christo, quod ipsemet ad se extendit. *Venit nox, quando nemo potest operari*. Hoc verò quid sit accipe ex Origene hom.3.in Psal.36. [Dominus & Saluator ait, *venit nox quando nemo potest operari*; & hoc dicit de illo tempore quod erit post hoc seculum, tempore quo vnusquisque pro malis suis recipiet pœnas. Tunc ergo dicit, noctem illam futuram, cum iam nemo potest operari aliquid: sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic positus operatus est? Quum ergo nox fuerit, nemo operatur. In illo tempore malo; quum peccatores suppliciis affligantur, erit sine dubio fames his qui nullos fructus boni operis collegerunt. In illo autem famis tempore, saturabuntur iusti, ex fructibus scilicet iustitiæ suæ. Sicut enim in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die non vnius diei modium, sed quantum sufficeret in crastinum colligebant, & vnusquisque edebat in die sabbati, quæ collegerat in die sexta: Ita etiam nunc velut sexta quædam dies putanda est, Domini nostri Iesu Christi aduentus, & tempus hoc dispensationis eius, quam passione sua hoc in seculo procurauit. Et idcirco dum in die sexta sumus, colligamus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit, dum aduenerit vera Sabbati obseruatio populi Dei. Si enim non collegerimus duplices cibos, qui nobis & in præsenti seculo sufficiant, & in futuro; in diebus famis non saturabimur.] Extra viam ergo, cessat omne meritum.

Id quod rursus confirmo ex Augustino 17. Ciuit. cap. 4. qui tractans illud *facere iudicium & iustitiam in medio terræ*. Monstrat in primis, facere iustitiam, esse rectè viuere. Tum addit. [Facere iudicium & iustitiam, ex Deo est. Sed quid est *in medio terræ?* Neque enim non debent facere Iudicium, & iustitiam, qui habitant in extremis terræ. Quis hoc dixerit? Cur ergo additum est, *in medio terræ?* Quod si non adderetur, & tantummodo diceret, *facere Iudicium & Iustitiam*, magis hoc præceptum ad vtrosque homines pertineret, & mediterraneos, & maritimos. Sed ne quisquam putaret, post finem vitæ quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus Iudicium Iustitiámque faciendi, quam cum esset in carne non fecit, & sic diuinum euadi posse Iudicium; *in medio terræ* mihi videtur dictum, cum quisque viuit in corpore. In hac quippe vita, suam terram quisque circumfert, quam mortiente homine recipit terra communis, resurgenti vtique redditura. Proinde *in medio terræ*, id est cum anima nostra isto terreno claudatur corpore, faciendum est iudicium & iustitia, quod nobis prosit in posterum, quando recipiet quisque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum. Per *corpus* quippe ibi dixit Apostolus, per tempus quo vixit in corpore. Non enim si quis maligna mente, atque impia cogitatione, blasphemet; neque id vllis membris corporis operetur, ideò non erit reus, quia id non motu corporis gessit, cum hoc per illud tempus gesserit quo gessit & corpus. Isto modo congruenter intelligi etiam illud potest quod in psalmo legitur: *Deus autem rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ*; Vt Dominus Iesus accipiatur Deus noster qui est ante secula, qui per ipsum facta sunt secula; operatus est salutem nostram in medio terræ, cum Verbum caro factum est, & terreno habitauit in corpore.] Idem habet tract.44. in Ioan.

257. Præclarè idem tradit S. Ambros. serm.43. de temp. *sub finem*, & insigniter quoque his verbis S. Hilarius in Psal.51. *sub finem*, quæ placet notare, contra nouelliam cuiusdam de libertate sententiam. [Operationem iustitiæ voluntatem in tantum misericordia Dei muneratur, vt miserans æternitatis quoque suæ, iustum quemque tribuat esse participem. Idcirco in seculum & in seculum seculi, misericordiæ spes est: Sed confessio tantum in seculum, non etiam in seculum seculi. Non enim confessio peccatorum, nisi in huius seculi tempore est: dum voluntati suæ vnusquisque permissus est, & per vitæ licentiam habet confessionis arbitrium. Decedentes namque de vita, simul & de iure decedimus voluntatis: Tunc enim ex merito præteritæ voluntatis, lex iam constituta, aut quietis aut pœnæ excedentium ex corpore suscipit voluntatem: cuius temporis non iam liberam sed necessariam voluntatem, ostendit Propheta, dicens: *Non est mihi in diebus illis voluntas*. Cessante enim voluntatis libertate, etiam voluntatis, si quæ erit, cessabit effectus. Transire namque ad Abraham volens dives, chaos medio non sinitur: cum tamen per libertatem voluntatis in Abrahæ sinibus esse potuisset. Intercluſa est ergo libertas voluntatis, quia confessio nulla sit mortuis, secundum id quod dictum est; *in inferno autem quis confitebitur tibi?* Sperans ergo Propheta misericordiam in seculum & in seculum seculi, confiretur tantùm in seculo: temporalia confessionis officia seculi tempore gerens; spem verò æternam seculorum æternitate protendens.] Hesychius in cap.25. Leuit. *initio*, pulchrè omnino & fusè idipsum prosequitur.

Reiecti

Reiecti, qui amorem Christi beatificum, dixere meritorium.

258. Itaque neque actum amoris beatificum, neque vllum actum voluntatis, elicitum à Christo extra viam constituto, admitto esse meritorium. Amori beatifico Christi, præter Moncæum iam supra reiectum, vim meritoriam conseruerunt Aluares 3.p.d.45. & Rada in 3.contron.12.art.1.conclus.3.& videtur fuisse sententia S.Thomæ, vt notat Capreolus in 3.d.18. Nam S.Doctor ea distinctione q.1. art.2.ad 1. ait, dilectionem Christi beatificam, fuisse meritoriam gloriæ corporis. Et quæst.19 de verit. art.6. ad 6. ait Christum eadem charitate actuali cum viator esset, fruitum esse Deo, & meruisse sui corporis gloriam. Addit Aluares rationem, quia meritum principaliter consistit in actu charitatis vt terminatur ad Deum; vnde charitas non est radix merendi quatenus respicit creaturas, sed quatenus immediatè ad Deum terminatur. Atqui in Christo fuit meritum perfectissimum. Meruit igitur per actum charitatis, prout terminatum ad Deum immediatè. Non fuit autem in anima Christi alius supernaturalis actus charitatis in Deum, quàm beatificus; alioqui accidentia solo numero discrepantia fuissent multiplicata in eadem voluntate. Igitur ipsa Dei dilectio beatifica, fuit in Christo meritoria. Bonitas namque diuina prout actui amoris beatifico obiecta, etiamsi secundùm se & absolutè diligatur necessariò, & eatenus amor beatificus non sit meritorius; tamen sumpta prout in actuali exercitio est ratio formalis diligendi creaturas, amatur liberè, eodemmet illo actu quo diligitur necessariò; quia nihil vetat, eundem actum respectu eiusdem obiecti secundùm diuersas rationes spectati, esse absolutè necessarium & liberum, vt videmus in amore increato; qui idemmet prout Deum respicit, est summè necessarius, prout autem respicit creaturas, est planè liber.

Sententia contraria, quæ amori beatifico Christi viatoris meritum abrogat, mihi videtur verissima. Tradunt eam quotquot amorem Christi infusum à beatifico & distinctum, & scientiâ infusâ regulatum agnoscunt: ei quippe amori in Deum tribuunt libertatem & meritum, non autem beatifico. Ita Coninc disp.29. de actibus supernat. dub.2.à num.28. & ante ea Sotus, Medina, Caietanus, Ferrariensis, & alij superius adducti stabiliendo amorem infusum, seiunctum à beatifico. Quibus suffragari videtur S.Thomas 3.p.quæst.19. art.3.ad 1. vbi diserte ait, Christum non meruisse per charitatem, (vtique actualem,) prout erat charitas comprehensoris siue beatifica, sed prout erat charitas viatoris, hoc est respondens scientiæ infusæ. Quo loco D.Thomas, non obscurè corrigit, quæ aliâ de amore beatifico Christi, vt meritoria ornato, tradiderat. Ratio ineluctabilis pro hac sententia esse videtur, quod impossibile sit, eundem actum limitatum & essentialiter finitum, esse simul necessarium & liberum. Nam in Deo, ob illimitationem & infinitatem essentialem, conditiones illæ concurrunt, æquè ac aliæ quæ in creaturis non cohærent: vt quod idem sit relatiuum & absolutum, idem cognitio & volitio. At actus creatus, cum sit finitus essentialiter, non potest æquiualere pluribus actibus pugnantes illas rationes admittentibus. Cum igitur amor Christi beatificus, sit actus necessarius, eo quod reguletur per scientiam quæ exhibet Deum vt bonum summum absque indifferentia libertatem fundante, planè efficitur eum non posse simul esse liberum: non modò respectu Dei qui ei non proponitur cum indifferentia obiectiua, sed neque respectu creaturarum: quia prout connexæ cum Deo claræ viso, earumque amorem postulante, amantur necessariò, atque adeò amor ad eas propter Deum terminatus, non est meritorius: prout verò possunt obiici vt connexæ cum Deo, non amantur amore beatifico, qui fixus & inuariabilis esse debet; sed alio amore distincto, à nobis prorsus dependente. Nam quod dici posset, amorem beatificum extendi ab obiecta secundaria per modificationem liberam; neque ab aduersarijs affirmatur, neque satis congruit cum ea independentia à libero hominis arbitrio quæ videtur agnoscenda omni ex parte in actu beatifico; quippe habente rationem præmij respectu actuum liberorum; ac proinde oriundo à Deo solo, independenter à nobis liberè operantibus.

259. Argumentum ex Aluare propositum, labat vndecunque. Nam quod toties repetit hic Autor, actum charitatis non esse meritorium nisi quatenus terminatur ad Deum, falsò planè dicitur: Siue sensus sit, solum actum erga Deum à charitate elicitum, esse meritorium gratiæ & gloriæ, quod censuit Bannes 2.2.q.24. art.6. dub.5. latissimè reiectus à Suare relect. de remisse merit.d.2.sect.1.& seq.& l.12.de gratia c.8. siue sensus, sit actum quemcumque meritorium debere saltem imperari à charitate in Deum, quod censuit Almainus in 3.d.18. *sub initium*, & Bellarm.l.5.de iustific.c.15. Mihi enim indubitatum est, & actum charitatis prout tendit in proximum, & actus virtutum quarumcunque infusarum liberè profusos, aut imperatos absque interuentu charitatis actualis, esse meritorios gratiæ & gloriæ essentialis; vt fert eorum origo à principio infuso, ratione cuius per se & suapte natura tendunt in Deum Autorem gratiæ & finem supernaturalem; etiamsi non habeant Deum pro termino immediato: quod aduersarius haud dubio Bannem secutus, existimat esse necessarium ad meritum: ita vt absque tali ordine ad Deum, planè exultet meritum, vt hic sæpè repetit absolutè & sine restrictione vlla, quamuis semel adhibuerit limitationem, quum dixit, principaliter meritum consistere in actu charitatis, prout ad Deum terminato: sub qua limitatione, proposito vera est, sed non quadrat instituto aduersarij: qui ex eo quod debeat Christo concedi verum meritum, idque locum non habeat nisi in actu charitatis immediatè ad Deum terminato, contendit inferre, actum charitatis beatificum, (quem supponit vnicum in Christo esse charitatis actum,) fuisse reuera meritorium in Christo viatore. Quare limitatio illa semel adhibita, non videtur artificio. Mens enim aduersarij perspicuè fert, actum meritorium debere esse actum charitatis in Deum: quod (vt dixi, falsum est. Vnde maior argumenti ex aduersario propositi, falsa est. Sed & minor, qua negat alium in Christo fuisse actum charitatis in Deum, distinctum à beatifico, reiecta latè est superiùs. Atque ita moles tota argumentationis concidit, fixumque manet quod asseruimus; solos actus Christi pertinentes ad viam, fuisse meritorios.

Mors Christi, vulnus lateris, resurrectio, an absque merito.

260. Ex eodem porrò principio, statuendum est, nullos alios Christi actus quos extra viam elicuit, fuisse meritorios: ita vt cum vita finiatur extrinsecè in puncto mortis, ipsúmque mortis momentum non vltra pertineat ad viam, sed sit ei externum; nulla planè Christi actio in momento mortis aut postmodùm elicita, fuerit meritoria.

Videbimur reclamare, innumeris Scripturis, quæ meritum Christi pro nobis, tribuunt morti Christi, quæ sanè non obtigit Christo viatori. Vnde Petrus Cluniac.ad 5. articulum Petrobusianorum, sic scribit: Ostensum est igitur, viuentis Domini bona mortuis profuisse. Sed ad supplementum omnium demonstretur, mortui insuper bona viuentibus potuisse prodesse.

Ad

Ad quod non expectata responsione mea, totus orbis terrarum conclamat, vociferans se bono mortis Domini, à morte æterna ereptum, saluti redditum, vitæ perpetuæ restitutum. Hoc duodecim Apostoli, hoc septuaginta duo discipuli, hoc quingenti fratres, quibus simul resurgens apparuit, hoc innumera multitudo credentium vel non credentium, qui dum ipse temporaliter carne mortuus esset, ipsi etiam temporaliter in carne viuebant; hoc, inquam, isti omnes attestantur: quos, (vt dixi,) in corpore mortali viuentes, in corpore mortali eodem tempore mortuus saluauit, & ipsis viuentibus bona mortis suæ profuisse monstrauit. Quæ cum ita sint, nullo sani capitis, vt æstimo, reclamante, bona viuentis Domini viuis, mortui mortuis, viui mortuis, mortui viuis profuisse, prohorum est.] Constare igitur videtur, mortem Christi quæ verè viam eius consecuta est, fuisse meritoriam quod diserte admittit Card. Vigerius libro de instrumentis Dominicæ Passionis, Tract. 4. c. 5. & 6.

261. Item vulnus inflictum Christo post mortem, fuit meritorium, quod latissimè probat Honofrius Menesca in Apologetica disputatione de vulnere lateris Christi à cap. 6 ad 5. adeoque certum id habuit Daniel Malonius 2d cap. 10. Palæoti de sacra sindone tom. 9. vt scribat in hunc modum. [Absit hoc longè à fidelium mentibus, vt vulnus quod pro nobis Christus suscepit, quod nobilissimam corporis partem percussit, quo salutem nostram Christus est operatus, quo Ecclesiam consecrauit, quo virtutem contulit Sacramentis, meritorium non extitisse suspicetur. Tanti enim meriti fuit, vt meritò Ecclesia in ordinatione Acolythorum canat, Domine S. Pater Omnipotens æterne Deus, qui Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum gloriosissimæ crucis vexillo affigi, atque sanguinem & aquam è latere illius pro salute humani generis effluere voluisti.] Accedunt testimonia Patrum, quibus sanguis de latere transfixo eductus post Christi mortem, dicitur fuisse pretium nostrum, ac redemptio, & lauisse peccata nostra, vnde illud vulnus *saluberrimum* dicitur. Ita S. Ambrosius l. de bened. Patriarch. c. 4. Et in Psal. 40. ait, Christum latere vulneratum, vitam prodiisse ex vulnere. Et fragrantissimè serm. 3. in Psalm. 118. ad v. 1. verbis illis. [*Nardus Cypri, consobrinus meus in vineis Engaddi.* Si locum quærimus, regionis cuiusdã quæ in Iudæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur. Si interpretationem, *tentatio* Latinè significatur. In illis ergo vineis, lignum est, quod si quis compungat, vnguentum emittit. Hic fructus est ligni. Si non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet: cum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lachrymam distillat: Sicut & Christus in illo tentationis ligno crucifixus, illachrymabat populũ, vt peccata nostra dilueret, & de visceribus misericordiæ suæ fundebat vnguentum, dicens; *pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Tunc ergo in ligno compunctus est lancea, & exiuit de eo sanguis, & aqua, omni vnguento suauior, accepta Deo hostia, per totum mundum, odorem sanctificationis effundens: & quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat è corpore. Vnde ait, *sentio virtutem exisse de me.* Inde opobalsamum expressiùs dicitur, eo quod compunctione ligni, balsamum per cauernam punctionis erumpit. Compunctus igitur Iesus, odorem remissionis peccatorum, & redemptionis effundit. Nam & constrictus erat, verbum cum esset, homo factus: & pauper factus, cum dives esset, vt nos illius inopia ditaremur. Potens erat, & despiciendum se præbuit, ita vt Herodes spernere eum, & illuderet ei. Terram mouebat, & hærebat in ligno. Cælum obducebat tenebris, mundum crucifigebat, & crucifixus erat: Inclinabat caput, & exibat Verbum: Exinanitus erat, & replebat omnia. Descendit Deus, ascendit homo: Verbum caro factum est, vt caro sibi solium in Dei dextera vindicaret, vulnus inflictum erat, & fluebat vnguentum: carabæus audiebatur, & Deus agnoscebatur.]

262. Guerricus Abbas, pijssime hortatus fidelem animam, vt [illegible] condatur in fossa humo, iuxta Prophetæ mon[illegible], hoc est in Christi corpore transfixo, hæc no[illegible]atim de latere habet ser. 4. in Ramis palm. [Non ad ipsum tantùm, sed in ipsum fuge. In foramina petræ ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fosso latere teipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi quid nisi ostium in latere arcæ, saluandis à facie diluuij? Illud tamen figura, istud autem veritas, vbi non modò seruatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideò quippe latus suum pius & misericors aperuit, vt cruor te vulneris viuificet, calor corporis refocillet, Spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspiret. Ibi tutò latebis, donec transeat iniquitas: ibi nequaquam algebis, eo quòd in visceribus Christi non frigescat charitas, ibi delicijs affluues, ibi gaudijs superefflues: vel tũc demum cum à vita capitis, tua & omnium membrorum corporis eius, absorpta fuerit mortalitas.] Quod de lateris vulnere, expresso per arcæ ostium dixit Guerricus, habet item Prosper 1. p. de promiss. 7. nostrum inde pretium, & Ecclesiam processisse demonstrans. Et pulchrè eandem allegoriam prosequitur Card. Vigerius l. de instrum. Dom. Passionis Tract. 4. cap. 10. De eiusdem vulneris fructibus, & nostra ex eo eductione, Egregiè Rupertus l. 2. de operib. Spiritus sancti c. 19. [Quemadmodum illi veteri Adæ dormienti, costa de latere subducta, & in coniugem illi ædificata vel formata est, vt posteritas propagaretur; sic isti nouo Adæ iam in morte separato, de patefacto eius latere, sanguinis & aquæ Sacramentum productum est, & exinde statim Ecclesia reformata, de qua multi per orbem terrarum filij nascerentur. Nam quod optimè nouit, & nosse debet fides Christiana, statim vniuersa prisorum electorum, quantacunque ab orig ne mundi collecta fuerat, apud inferos redemptionem suam expectans illo sanguine & illa aqua emundata, regenerata atque huic viro copulata est: & exinde quot singulatim de cunctis gentibus baptizantur, tot filij de isto viro, & de ista eius coniuge nascuntur.] Et hîc cerni tres testes in terra de quibus Ioannes, spiritum, aquam, & sanguinẽ, latè prosequitur idem Rupertus l. 3. eiusdem operis c. 4. & 8. & 11. ac 12. & lib. 2. cap. 13.

Concinnissimè Chrysost. in Psal. 14. *initio*, inducens Danielem colloquentem Deo. [Tabernaculum tuum, regale in mundo, tanquam in agro, video Ecclesiam Sed quoniam magno pretio acquisiuisti tabernaculum (pretiosum enim tuum dedisti sanguinem, & accepisti tabernaculum;) & apertò latere, (quod est theca eius, quod est reconditum marsupium diuinitatis, arca sanctificationis) & lanceæ tamquam clauæ in arcã iniecta: iniecta autẽ, non vt qui te improbè gereres, sed qui concederes ac permitteres, dedisti pretium ex paterno thesauro.] Et homil. de animatione Adami. [Immisit somnum in Adam, & tunc latus accepit. Ergo quoniam ex eo latere transgressionis occasio futura erat, & mulier ipsi Adam mortem inuexit, Saluator noster volens plagæ mederi, lateri latus opponit, & in cruce latus lanceæ obiicit, vt vnde manarat vulnus, inde salus otiretur. *Exiuit sanguis, & aqua.* Intellige mysteriũ, honora dispensatorem, specta miraculum. Nam quia illi adam posteaquam sopitus est, latus detractum fuit, (non enim à vigilante latus ademit,) Saluatori item haud vigilanti latus traiectum, sed post somnum corporis, latus militi dedit.]

S. Gregorius in Antiphonario, feria 6. in Parascene, [Aperto militis lancea latere crucifixi Domini, exiuit sanguis & aqua in redemptionem Saultis nostræ. O admirabile pretium, cuius pondere captiuitas redempta est mundi, Tartarea confracta sunt claustra infer-

ni, aperta est nobis Ianua regni.] Similia de fructu in nos derivato è vulnere illo lateris Christi S. Athanasius serm. in Euang. de passione & Cruce Domini, S. Augustinus tract. 120. in Ioan. & S. Bernardus serm. 2. in Octaua Paschæ.

Cum igitur vulnus lateris sic Christo infixum, cum iam esset extra viam, (damnatus enim est in Conc. Viennensi error asserentium inflictum fuisse Christo etiam nunc viuo quod Petro Ioanni tribuit Guido Carmelita tract. de Petri Ioannis erroribus toto cap. 3.) immeritò videmur arctasse meritum Christi, ad tempus quo inter nos vixit passibilis. Denique Christi resurrectio, fuit actio eius extra viam iam constituti: & tamen eam actionem fuisse nobis meritoriam, apertè videtur tradere Apostolus Rom. 4. verbis illis, *resurrexit propter iustificationem nostram*, quibus Cornelius, vim meritoriam actionis animæ Christi corpus suum suscitantis, expressam significat.

Resolutio negans.

263. Hæc tamen non me dimouent de sententia. Nam Christi mors, dicitur nobis meritoria prout erat in fieri, non autem in facto esse; vt loquitur D. Thomas 3. p. q. 50. art. 6. *ad primum*; quod perinde est ac si diceretur, passionem Christi, & cruciatus quibus mors Christo illata est, meruisse nostram redemptionem: quamuis ipsa mors, quæ obitur in instanti extrinseco vitæ, atque adeò viæ, meritoria non fuerit.

Similiter vulnus Christo mortuo inflictum, nego fuisse meritorium. Quod copiosè confirmat Cardin. Vigerius l. de instrum. Domin. passionis cap. 6. & 7. Acceptatio quidem, qua Christus etiamnum viuens admittere voluit hanc pectoris sui transfixionem, fuit meritoria: non tamen ipsum vulnus, eiusve perpessio; quia neque fuit Christo libera cum iam obijsset & anima abesset à corpore, nec fuit illata homini in statu merendi constituto. Et ita rectè Abulensis in cap. 13. Geneseos q. 352. & parad. 2. cap. 33. ac Vasques 3. p. d. 76. cap. 2. quos refert Collius l. 5. de sang. Christi disp. vltima cap. 1. & refellit c. 3. sed ita vt idem planè cum illis sentiat. Contendit enim hoc vulnus Christi fuisse meritorium quod illi inficiantur: addit verò non fuisse meritorium tunc cum reipsa inflictum est, sed quando est acceptatum à Christo viuente, & præscientè esse infligendum. Quod est relabi in sententiam eorum quos refellit. Nam si vulnus lanceæ non fuit meritorium quando reipsa est inflictum, ergo fuit meritorium quando non fuit. Si autem hoc, ludicrum & apertè absurdum est, efficitur solam eius infligendi acceptationem fuisse meritoriam, non autem ipsam vulneris exceptionem; quæ nullomodo fuit meritoria formaliter, sed obiectiuè tantùm, vt rectè affirmant Abulensis, & Gabriel Vasques. Magis consequenter Malonius loco allegato, hoc vulnus videtur velle fuisse meritorium cum est inflictum; quia etiamsi non esset tunc actu liberum, tamen præcesserat acceptatio libera, ratione cuius hic effectus poterat libertatem participare; æquè ac peccata quæ quis in somno vel ebrietate admittit, si durante vsu rationis præuisa sint & acceptata, sunt vera peccata, & vitio vertuntur, plectunturque. Verùm quamuis supposito quod quis velit tueri vulnus ipsum lanceæ fuisse meritorium, ita loquendum sit, propterea que dixerim Malonium magis consequenter loqui, quàm Collium, qui vulnus lanceæ voluit fuisse meritoriam antequàm infligeretur. Tamen fundamentum quo hic loquendi modus nititur, euersum est tractando moralitatem actuum furiosi & ebrij. Sicut enim suo loco ostensum est, actus illos cum exercentur, quantumuis præsciti ac acceptati fuerint, nullomodo esse in se formaliter liberos & meritorios, sed tantùm in causa: ita de merito huius vulneris Christo mortuo illati, est sentiendum: quamuis Patres interdum, sanguinem Christi qui per hoc vulnus effluxit, vocent pretium nostrum, quia erat portio massæ sanguinis, qui nobis in littum cessit, & ablutionem nostram expressit.

264. In sensu quem proposuimus & admisimus, accipiendum est quod plerique Patres tradunt, Sacramenta fluxisse ex Christi latere. Ita D. Augustinus l. 2. de Symbol. ad Catech. cap. 6. SS. Cyrillus & Chrysostomus in cap. 19. Ioan. ad illud, *eximit sanguis & aqua*, & alij ad eadem verba. Minùs enim commodè alij, censuerunt Sacramenta accepisse virtutem ex vulnere lateris Christi, quia passio Christi fuit totaliter consummata in illa postrema totius sanguinis Christi effusione. Nec commodiùs alij, referunt illud dictum Patrum, ad hoc quod effluxus aquæ & sanguinis è Christi latere, fuerit exemplaris causa Sacramentorum nostrorum. Aut ad hoc; quod sanguis ille erat pretium nostrum vel ad hoc, quod effluxus ille fuerit figura duorum præcipuorum Sacramentorum, Baptismi scilicet, & Eucharistiæ, quæ postrema expositio placuit. Sebastiano Oxomensi 3. p. q. 62. §. 21. & Valentiæ tomo 4. disp. 3. q. 3. p. 1. & Sayro lib. 5. de Sacram. c. 6. q. 3. num. 9. Non inquam adeò commodæ videntur hæ interpretationes sententiæ Patrum propositæ. Nam Christi passio prout meritoria, non fuit consummata in lateris vulnere, quod mortem Christi est subsecutum. Neque item Christi sanguis prout pretium nostrum, ad redemptionem nostram conducens formaliter, spectandum est quatenus effusum post Christi mortem. Quod autem effluxus aquæ & sanguinis è latere, fuerit exemplar vel figura Sacramentorum, nihil refert ad intelligendum quod Patres affirmant, Sacramenta hausisse vim suam è Christi latere perfosso, Itaque dicendum videtur, idcirco Sacramenta dici hausisse vim suam è lateris Christi vulnere, quia illud vulnus fuit mortis h risti appendix, præuisa & acceptata à Christo superstite, atque adeò cum obiectiuè fuerit meritorium, & se habuerit vt clausula totius Christi passionis à qua Sacramentorum virtus manauit, non malè ei tribuitur virtus Sacramentorum. Ita Soto in 4. d. 2. q. 1. *ad vltimum* & Med. 3. p. q. 50. art. 6. Malo ita benignè Patres in hac parte exponere, quàm simpliciter repudiare, quod fecisse videtur Vigerius Cardin. in Decachordo Chorda 7. cap. 147. *in fine*.

265. Quod porrò de merito diximus, negantes illud vulneri lateris Christi, æquè dicendum est de satisfactione, contra Vegam lib. 7. in Conc. cap. 18, qui censuit plagam illam fuisse satisfactoriam, etiamsi non meritoriam. Sicut animæ in purgatorio, post mortem, sunt incapaces meriti, non tamen satisfactionis. Sed negandum est animas purgatorij satisfacere cum tantùm satispatiantur. Præterquàm quod est magna disparitas inter animam perpessionis capacem cum sensu doloris, & corporis Christi anima & sensu doloris planè destituti.

Tandem resurrectio Christi, non fuit meritoria efficienter, nec id voluit Apostolus, cum dixit Christum resurrexisse *propter iustificationem nostram*. Sed sensus est quem tradit Hilarius Diaconus in eum locum. Nempe resurrexisse Christum, vt ex eius tantæ potentiæ argumento, firmaremur in fide, sicque iustificationem adipisceremur, dato præsertim post eius clarificationem Spiritu sancto, cui sanctificatio tribuitur, (quod latè prosequitur hunc locum ita enodans Anto. Petri in authen. Epistolæ ad Rom. cap. 18.) & ipso Christo rediuiuo exemplar præbente eiusdem sanctificationis, & spiritualis Anastasis, de quo Iustinian. 1. Petri 3. v. 3. num. 14. Fortassis autem simpliciùs diceremus, in his verbis *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, cõiunctionem illam, & non sumi copulatiuè, ita scilicet vt ex antecedentibus & subsequentibus fiant duæ enunciationes, sed sumi copulatiu,

pulatim, ita vt vnica exurgat enunnciatio. Itemque præpositionem *propter*, sumi aliter in priore membro, in quo sonat occasionem tradendi Christum, aliter in secundo, in quo designat veram causam finalem totius sententiæ ex ambobus membris integratæ? perinde ac si dictum esset; Christus occasione peccatorum nostrorum, in mortem & cladem, non perpetuam, sed resurrectione subsequente reparatam, traditus est, vt sanctificaret nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Voluntas Christi, à primo vitæ momento, vsque ad eius clausulam meruit, consummans cum vita meritum.

266. Nihil ergo Christus extra viam meruit, sed tantùm durante via: Et quidem tota, ita vt à primo momento intrinseco vitæ ad finem vsque, seu vsque ad primum instans extrinsecum vitæ, sine interruptione meruerit. Et in primo quidem momento intrinseco meruisse Christum, est communis sententia, contra superiùs reiectam temeritatem Durandi in 3. d. 18. q. 2. qua Christi meritum ablegat ad tempus vsus rationis in pueris vulgaribus, quando phantasia in Christo potuit operari consentaneè ad rectè intelligendum. Antetiùs enim non agnoscit in Christo aliam scientiam quàm beatam, quæ non potuit vsui esse ad meritum. Cum autem superiùs monstratum sit, scientiam infusam phantasiæ cooperationi nequaquam alligatam, vigusse in Christo ab initio; voluerta hæc Durandi ratiocinatio euertitur: eamque etiam conterunt Patres, qui passim in Sermonibus de Natiuitate & Circumcisione & pueritia Saluatoris, agnoscunt incommoda quæ Christus infans perculit, fuisse nobis meritoria, & vt S. Augustinus loquitur serm. 11. de tempore, [adoauit pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra nostræ.] S. item Ambrosius lib. 2. in Lucam, [Me illius (inquit) infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta lauerunt.] Apostolus quoque Hebr. 10. de Christo ingrediente mundum, & hunc dicente, *ecce venio*, affirmat eum meruisse; subdens, *in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel.*

Ex quibus verbis, sunt qui colligant vel esse de fide Christum meruisse in primo instanti; vel id adeò esse fidei proximum, vt sine periculo negari nequeat. Mihi verò quamuis inde non infirmum argumentum petiuerim ad firmandam communem sententiam, Magistri in 3. d. 18. & passim Scholasticorum ibidem, nec non S. Thomæ 3. p. q. 34. art. 3. affirmantium Christum meruisse in primo instanti intrinseco vitæ; cum non minùs ad merendum aptus iam tunc fuerit, quàm Angeli, quos à primo productionis instanti meruisse, peruulgata est sententia: Tamen nihil occurrit, quod illam tantam certitudinem meriti Christi iam à primo instanti intrinseco, solidè euincat. Nam si quis dicat, *Petrus domum adiens, in qua erat seruus nequam, corripuit illo & riecit*; Non est sensus, Petrū hæc præstitisse in primo instanti quo domum subijt, sed potest tota propositio vera esse, dummodò non ita multo post ab ingressu negotium perfecerit. Quidni ergo possit ad eundem modum accipi Apostolus verbis allegatis? Itaque merito Ragusa t. 2. 3. p. d. 4. rigorem censuræ à prædictis recentioribus in dissentientes intortæ, despectui habet. Nihilominus tamen admitto meritum Christi in primo instanti intrinseco; quia quamuis non possit satis euinci ex verbis prædictis Apostoli, inde tamen haberi videtur, quod ex illis verbis constet, Christum sub vitæ termino, faltemque aliquanto post, meruisse; offerendo se Patri, & dicendo, *ecce venio*: nec possit assignari ratio illa, cur meritum Christi, eaque optima voluntas qua sanctificati sumus, dilationem tantisper sit passa. Prudenter ergo facturi videmur, si quod est Christo dignius, planèque difficultate vacat, ei tribuamus: vt scilicet ne prima quidem vitæ eius portio abierit infrugifera, ac sanctorum operum ordinis viæ, atque adeò etiam meriti expers.

267. Cœptum verò in eo primo momento sanctè operandi ac merendi exercitium, continuauit Christus per totam reliquam vitam; nullo planè vel tempore vel momento ad extrinsecum vsque instans quo disrupta est vitta aurea, & Christus viuere desijt, sancta quapiam operatione vacuo, atque adeò etiam merito eidem operationi implantato. Non dico Christum vnica semper interna volitione qua se primùm Patri obtulit, per totam vitam continuata, meruisse; aut alijs quidem internis volitionibus, sed quæ ad primam illam perpetuò perseuerantem comparatentur vt actus imperati ad imperantem, meritum suum, iuge ac perpetuum fecisse: quod recentiores nonnullos censuisse, refert Vasquez 3. p. d. 75. cap. 4. Hoc ego non dico, quia ridiculum videtur, vel negare Christo varios actus voluntatis, vel vnum stabilem & immobilem infra amorem beatificum comminisci. Sicut enim intellectus quoad actus ordinis viæ, non erat perpetuò defixus in vna cognitione, sed nunc in hæc, nunc in illa obiecta sancta ferebatur; ita voluntas quæ intellectus ductum sequebatur, nunc hunc nunc illum virtutis actum internum, pro varietate obiectorum per scientiam infusam exhibitorum, profundebat. Vnde meritorum Christi cumulus, perpetuò & sine intermissione accessionem accipiebat; ne tempore quidem somni vacante à sancto opere & merito: quia cum scientia infusa independens esset ab operatione phantasiæ, æquè intellectus, atque adeò etiam voluntas in actum prodibant per tempus somni, ac alio quocunque.

Ita tamen varia hæc Christi merita per totam vitam continuata, concatenanda sunt cum passione, vt in hac tantùm consummatum sit integrum meritum in actu secundo, cui Deus rependere statuerat tamquam præmium, salutem nostram. Non quod primò, anteriores quilibet actus non fuerint ad merendum illud præmium sufficientes: Aut secundò, quod aliquis Christi actus nobis impensus non sit, & in redemptionis nostræ meritum non cesserit, sed aliquid aliud à redemptione distinctum, nobis meruerit: Aut tertiò, quod aliqui actus ad satisfaciendum pro peccatis & promerendam eorum abliterationem, alij autem ad dona gratiæ nobis promerenda sint à Christo destinati: Aut quartò quod anteriorum actuum aliqui ad meritum gratiæ, alij ad peccati abstersionem, mortis autem perpessio, & extremi cruciatus ad relationem cœlestis patriæ fuerint à Christo directi: Aut denique quinto, quod vnicum Christi meritum etiam in actu primo, ex omnibus eius operibus indissociabiliter contextum, sit inuehendum. (Hæc enim omnia, tametsi à varijs recentioribus in hanc rem tradita, vel non satis firma sunt, vel falsa & improbabilia, vt Vasques sigillatim vrget 3. p. d. 75. cap. 4.) sed quod varia Christi merita varijs eius operibus conserta, collimarint omnia in vnum & idem præmium salutis nostræ, ex peccatorum absterſione, & diuinorum supernaturalium munerum suppeditatione integratæ; etiam si peculiariter hoc præmium tribuatur passioni, quod Deus noluerit illud rependere anterioribus meritis, quantumuis singula in actu primo essent ad id sufficientissima, nisi hac clausula obsignarentur: quæ est aperta D. Thomæ sententia quodl. 2. art. 2. & insinuatur Hebr. 2. vbi *autor salutis nostræ*, dicitur *per passionem consummatus*. Alia in hanc rem protuli superiùs, tractans finem aduentus Christi, sub finem capitis secundi, & non pauca Sayrus lib. 5. de Sacram. cap. 6. q. 2.

Obiter, quid, & quibus, Christus meruerit.

268. His ita de Christi merito constitutis, non est quod circa obiecta volitionem Christi meritoriarum, hæream hoc loco. Num quæ Christus meruit nobis explicanda sunt inferiùs tractando titulum capitis, vbi etiam expendemus an Christus fuerit caput Angelorum, eisque meruerit. Quæ verò spectant ad merita Christi pro seipso, aut exposita sunt superiùs, aut per se perspicua videntur. Ostensum enim est Christum non meruisse sibi vnionem hypostaticam, meruisse autem sibi gratiam, & gloriam animæ, & omnia dona spiritualia primam gratiam sanctificantem consequentia, ordine naturæ. Nec quoad gloriam animæ refragantur, (vt videri in speciem posset,) verba illa S. Augustini serm. 27. ex 40. nouis. [Vnum erat crucis consortium, non erat vnum præmium. Quid dico? Das Christo præmium, qui dator est præmiorum?] Hæc inquam non aduersantur cuicunque merito gloriæ animæ Christi, sed tantum ei quo primùm Christo obtigisse gloria animæ per mortem, vt Latroni sancto obtigit, de quo ibi sermo erat. Constat enim non sic obtigisse Christo meritum gloriæ animæ, cùm à primo momento sui esse, fuerit beata. Per se verò perspicuum videtur, ex innumeris scripturis quas Bellarminus l. 5. de Christo c. 9. & 10. ac Feuard. in append. ad Castrum v. *Christus* hæresi 7. appendunt; Christum per Passionem intrasse in sui corporis gloriam, ita vt non modò remotionem impedimentorum eius meruerit, vt Scotus in 3. d. 18. q. vnica §. *hoc visò*, pronunciauit; sed etiam directè ipsam corporis gloriam meruerit.

Ex ijsdem quoque scripturis per se liquet, Christum exaltationem nominis super omne nomen, ac vt Apostolorum Princeps idcirco vocauit, *posteriores gloriæ* accepisse. Vbi duplex error cauendus est. Vnus Theodori Mopsuesteni descriptus his verbis à Leontio Byzantio l. 3. contra Nestorium & Eutich. n. 36. In crucē initium Christū agis, pro se quidem non minùs quàm pro toto mundo moriturum, tanquam non posset aliter gloriam ascensus in cœlum, & consessus ad dexteram Dei assequi, nisi per martyrium consummatus.] Hic est error longè crassissimus, cum & libertati Christi in morte subeunda aduersetur, & gloriam naturali filio debitam velit tantū esse promercalem, & tantundem sibi quantum nobis meruisse Christum asserat: qua ratione, remissionem peccatorum meruisse sibi Christum oportuisset. Quæ omnia sunt Catholico auersanda. Alter error hic quoque cauendus est Caluini qui 2. instit. c. 17. §. 6. Christum, nihil sibi promeruisse commentus est: cum tamen Apostolus tam disertè contestetur, Christum propter hoc exaltatū esse, quia passus est, ita vt humiliras quod habet D. August. tract. 104. in Ioan. claritatis meritum, claritas humilitatis præmium fuerit. Hæc cum sint per se perspicui nec nisi frigidissimis ratiunculis à Caluino appetita, non videntur operosiùs astruenda, robustiúsve firmanda. Obiter tantùm moneo, non repugnasse veritati Catholicæ de eo Christi merito S. Anselmum l. 1. cur Deus homo c. 9. cum latè contendit, exaltationē Christi, aliter illi quàm per mortem fuisse obuenturam. Hoc enim est verissimum, quia titulo filiationis naturalis, debebatur Christi omnis honor & gloria. Tantum ergo voluit S. Anselmus: hunc titulum astruere, non autem alium quem protulimus meriti titulum excludere: in quo non est diutiùs hærendum. Quare ad reliquas voluntatis Christi perfectiones pergamus, dimissis actibus eius secundis, de quibus hactenus.

Transitum ad voluntatis Christi perfectiones in actu primo. Virtutes morales, naturales in ea, ab initio.

269. Inter actus primos ijsdem actibus secundis correspondentes, alij sunt naturalis ordinis, alij supernaturalis & infusi. Naturalis ordinis sunt, virtutes illæ morales quas Philosophi agnouerunt: seu quarum honestas, non nititur regula Christiana, quia non transcendit conuenientiam cum homine vt prædito natura rationali. Has virtutes, pauci conceptis verbis Christo tribuerunt. Disertè tamen eas Christo concessit Alensis 4. p. q. 12. memb. art. 1. proferens D. Augustinum 14. Trinit. c. 9. affirmantem virtutes morales perseuerare in beatitudine, quod de virtutibus ordinis naturalis accipiendum est, quandoquidem ibi S. Augustinus cum Tullio agit, eumque impugnat ob negatam perseuerantiam illam, quam de soli virtutibus ordinis naturæ cogitasse poterat homo Ethnicus. Eodem autem iure, pro hac de Christo sententia proferri possunt omnes Scholastici qui in 3. d. 33. tribunt Beatis virtutes morales, nulla facta restrictione ad solas infusas. Et sanè virtutes morales ordinis naturalis, nihil habent aut inferunt quod Christum dedeceat, cum neque statui beatitudinis, nec vnioni hypostaticæ vlla ex parte aduersentur. Cur ergo hoc quoque decus voluntati Christi negabimus? Non est quidem actus naturalis ordinis per huiusmodi virtutes profusus, æquandus actui infuso & supernaturali: Est tamen bonus, & honestabilis per extrinsecum imperium actus infusi, sustollentis in finem suum actionem naturalem ex se despicatiorem & abiectiorem. Quare principium eius, non est habendum indignum quo voluntas non exclusis altioribus principijs exornetur. Esto aliquæ earum, in Christo & Beatis quibusuis, ob subiecti indefectibilitatem, non habeant idemmet munus quod in nobis; nempe fœnandi appetitum, eumque velut cogendi, vt velit rationi subesse, & moderationem quam ægrè accipit, inter operandum admittere. Erit tamen his virtutibus semper saluum munus primarium, nempe prompta & expedita subiecti directio in honestatem naturalem quam habent propositam.

270. Ex qua ratione infert Vasques 3. part. d. 49 cap. 2. has virtutes fuisse Christo diuinitùs inditas ab initio, cum non decuerit Christum vllo vnquam tempore tardum esse in exercenda quomodolibet virtute quacunque. Sed hæc argumentatio facilè infringi posset, exemplo scientiæ acquisitæ. Æquè enim videtur dedecere Christum tarditas in naturalis scientiæ exercitio: Et tamen Christus non habuit ab initio scientiam naturalem per accidens infusam, vt supra vidimus. Proferunt quidem nonnulli, discrimina quædam inter scientiam, & virtutes ordinis naturalis, cur illa non debuerit ab initio infundi per accidens: has autem par fuerit sic infundi. Sed reuera ægrè satisfaciunt.

Aluares 3. p. d. 32. idcirco ait, naturales scientias non debuisse infundi per accidens, quia infundendo scientias atque adeò species impressas obiectorum, intellectus agens, cuius munus est eruere species intelligibiles à sensibilibus illustrando phantasma, vacasset à munere proprio, mansisseque perpetuò otiosus in Christo, quod est incommodum. Nullum autem tale periculum perpetuò feriandi, imminebat voluntari, ex eo quod acciperet ab initio habitus moralium virtutum naturalis ordinis. Sed hæc doctrina nititur ruinoso fundamento. Intellectus enim agens secundum veram Philosophiam plenè alibi stabilitam, non distinguitur à possibili, nec vlla phantasmatum illustratio, aut specierum ex illis eductio, est reuera admittenda: sed cum ad primam intellectionem sola determinatio per sympathiam ab inferiori facultate deforis excitata sufficiat, vi actus sic formati, imprimitur species, tanquam vestigium quo recoli possit anterior intellectio, & locus esse vltrioribus intellectus circa illud obiectum negotiationibus. Ex quo patet; quamuis species & scientiæ ordinis naturali

turalis, fuissent Christo per accidens inditæ ab initio, nullam eius facultatem perpetuò feriaturam : ac proinde discrimen propositum inter scientias, & virtutes naturalis ordinis, euanescit.

Aliud discrimen profert Val. 3.p.d.1. quæst. 9.p.2.ad 3.ex eo petitum, quod modus naturalis comparandi virtutes morales, imperfectionem contineat. Bellandum enim est, & obluctandum, ob remissum appetitus : qui conflictus, Christum dedecuit, vnde par fuit has virtutes infundi illi ab initio, non item naturales scientias, quorum ordinaria adeptio tali imperfectione vacant. Verùm non minores imperfectiones, vulgari naturalium scientiarum adeptioni coniunctas, adducere liceret, nisi omnibus essent perspicuæ. Neque vel ab illa imperfectio quæ profertur, est de intrinseca ratione acquisitionis naturalis virtutum moralium.

Quare germana ratio discriminis inter scientias & virtutes naturales, cur hæ non illæ ab initio infundi per accidens Christo debuerint, inde petenda est, quod scientia non facit simpliciter bonum habentem, sicut facit virtus. Cuius proinde carentia etiamsi inculpata, infert dedecentiam aliquam, quam ab initio remouendam à Christo, par fuit. Quod si Adamo hæ virtutes fuerunt ab initio infusæ per accidens, vt fert concors Theologorum sententia, quam latè stabilit Suares l.3. Cosmop.c.11. à n.5. quanto magis idem Christo erit tribuendum ? Fuerunt igitur Christo inditæ hæ virtutes iam ab initio. Nec abs re de his quoque virtutibus accipere liceat verba S. Basilij in Psalm.44. ad illud *dilexisti iustitiam & odisti iniquitatē*, quod sic glossat. [Reliqui quidem homines, labore & exercitatione, & attentione læpenumerò assequuntur amorem honesti ac probitatis, & malitiæ totius detestationem. Tibi autem naturalis est ad boni prosecutionem proprietas, & ad iniquitatis fugam perquàm familiaris alienatio.]

Quæ virtutes Theologicæ in Christi Voluntate.

271. Quæ de virtutibus moralibus ordinis naturæ hactenus probabiliter diximus, fuisse scilicet in Christi voluntate, & quidem ab initio, certa esse debent de plerisque virtutibus ordinis supernaturalis, quas non est quod pro duplici statu secernamus, in eas quæ sunt viæ, & quæ sunt gloriæ : quia nullæ sunt speciales virtutes voluntatis collatæ in gloria, diuersæ ab ijs quæ in via fuerint præhabitæ. Itaque in ordine supernaturali, honestarunt Christi voluntatē, primò ex virtutibus Theologicis duæ posteriores, spes scilicet & charitas, & virtus piæ affectionis adiūcta fidei ad intellectum potestate voluntatis inflectendum & captiuandum in obsequium : licet enim hæc virtus spectet actum intellectus, inest tamen voluntati, eamque ad vrgendum pro potestate intellectum, instruit ac munit.

Harum ergo virtutum vna, citra vllum dubium fuit in Christo & quidem perfectissimè nempe charitas. Spem verò negant Christo Valentia 3-p.d.t.q.7.p.3.& Prælatus 3.p.q.7. art.2. disp.1.ac Bellarm. in Psalmum 15.v.1. Vasques d.43.c.1. Sed consequenter ad superiùs constituta, admittenda est in Christo virtus spei, cum Ægidio Coninc disp.19.de actibus supernatur. nu.145. & Becano tract.de Incarnat.c.8.quæst.8. Et ratio est ex supra dictis manifesta. Spes enim est virtus vnius speciei infimæ, vt ex motiuo patet. Vnde cum ostensum sit, aliquos actus spei in Christum viatorem cecidisse, non fuit ei neganda spes. Quamuis non sit dubium, quin defuerit Christo actus ille primarius spei à quo ipsum virtutis *spei* nomen ductum est, nempe erectio animi aduersus difficultates obsepientes assecutionem summi boni, quæ Christo semper comprehensori tribui non potest. Quia tamen aliqui spei actus in Christo locum habuerunt, vt supra vidimus, merito eidem habitum damus. In quo est latum discrimen, inter fidem ac spem : nam fidei nullus planè actus Christo competit, aque adeò neque habitus. De virtute piæ affectionis adiuncta fidei, quamuis contradictionem non inuoluerit, quod & ipsa & eius actus Christo inesset ; tamen quia actus illius esset in Christo planè otiosus, (neque enim in Christum cadebat actus ille, *volo credere*,) remouenda est à Christo virtus illa piæ affectionis qua ex parte ipsum respicit : admittenda verò, qua ex parte poterat Christus diligere in alijs, actū volendi credere, quæ dilectio est actus eiusdem honestatis ac virtutis, cuius est ipsa volitio credendi, vt vniuersè dictum est cum de virtutibus l.1.n.253. quamuis enim volitio vt alius credat, non sit actus fidei, tamen collucet eadem morali honestate, qua volitio qua ego ipse vellem credere ; quæ est tota moralis honestas reperta in actu fidei : quia cum sit actus pertinens ad intellectum, nulla alia honestate morali afficitur, quàm ea qua ab actu voluntatis imperante perfunditur.

Quæ item virtutes morales, per se infusæ

272. Præter hos actus primos, honestarunt Christi voluntatem virtutes morales per se infusæ. Has enim, cum sint gratiæ sanctificantis connaturale satellitium, dubitare non licet, inditas fuisse Christo, simul cum gratia sanctificante. Tantùm dubitatio esse potest, de paucis quibusdam virtutibus moralibus, quæ quod imperfectionem supponant, vel materiam postulant Christo incongruentem, nullos actus in Christo habuerunt, vel habere potuerunt. Exclusis verò actibus, siue defectu materiæ, siue aliam ob causam, habitus inutilis redditur, frustraque confertur. Quare videri potest, virtutes illas Christi voluntati defuisse. Eiusmodi inprimis est pœnitentiæ virtus, quam liquet supponere peccatum. Ideoque eam cadere in Christum, negant Vasques 3.p.d.42.c.1. & ad q.85.art.4. dub.2. Ragusa tom.1.in 3.p.d.68. Valentia t.4.disp.7.q.2.p.3. & preiuerat S. Thomas in 4.d.14.q.1.art.3. quæstiuncula 3.& Soto ibid.quæst.2. art. 5 Distinguit Ægidius Coninc disp. 1. de pœnitent. num. 19. Nam virtutem ipsam seu habitum, faretur in Christo fuisse : actum, non item, quia supponit peccatum, cui nullus in Christo locus fuit. Et idem dici posse videtur de liberalitate, & magnificentia, ac magnanimitate ; quarum materia Christo defuit. Esto enim habuerit Christus earum habitus, at saltem actu deficiente materia abfuerunt.

273. Mihi tamen nulla virtutum moralium prædictarum, defuisse Christo videtur, siue quoad habitus, siue quoad actus. Nam liberalitas Christi, in pretiosissimis opibus dispertiendis emicuit splendidissimè. Nec enim rectè faciunt, qui liberalitatem ad solam sensibilem materiam V. G. pecuniariam restringentes, eam Christo abrogant ; cum tamen liberalitatis veræ materia latiùs pateat, vt Suares rectè censuit disp.de Iustitia Dei sect.1. à num.27. Magnificentiam quoque prodidit in structura præcellentissimi operis, quale nemo eorum qui magnificentissimi audierunt, vnquam perfecit ; nempe Ecclesiæ sanctæ. Sed & magnanimitatem heroicam, qua ex parte ad fortitudinem pertinet magnanimitas, exercuisse Christum constat, in grauissimis & arduissimis discriminibus. Nec minùs præfulsit in Christo magnanimitas, Qua ex parte spectat ad Temperantiam, estque generosa animi erectio, aduersus pusillitates honorum nostratium, & gloriæ fluxæ ac euanidæ. Tota enim Christi vita, fuit honorum humanorum, veriùs fumi ac fimi secularis, conculcatio. Postremò pœnitentia quamuis non possit Christo tribui prout respiciens actum à quo vulgo nomen habet ; nempe dolorem de peccato proprio per ipsummet pœnitentem admisso, Christus enim rectè actare culpam non potuit, qui peccatum non fecit, nec

inuentus est dolus in ore eius,) tamen vniuersaliùs & abstractiùs loquendo de pœnitentia speciali virtute morali, non videtur dubium, quin sit Christo assignanda. Nimirum quatenus vel peccatum in genere vel determinatè peccatum alienum, ob factam per illud diuini iuris imminutionem detestatur; intenditque curare pro viribus abductionem alienæ voluntatis ab eo admittendo, & satisfacere Deo satagit pro iam admisso. Omnes quippe illi actus, sunt pœnitentiæ virtutis moralis specialis, & in Christo fuerunt. Ac proinde non modò penitentiæ habitus vt ferebat inutilis distinctio quæ superiùs adducta est, circa alias quoque proximè propositas virtutes explodenda, sed etiam pœnitentiæ actus Christo est concedendus, cum Argentinate in 4.d.14.quæst.1.*ad* 5.& compluribus quos profert Suares t.4.3.p.d.7.serm.1.à num.10. Actus tamen pœnitentiæ, quem præter supra recensitos tribuit Christo Argentinas, nempe iste, *si per impossibile peccarem, detestarer peccatum*, etiam si neque peccandi potentiam supponat, neque aliquid Christum dedecens, remouendus à Christo videtur, tanquam planè vanus & otiosus in voluntate vndecunque firmata aduersus peccatum; ita vt impossibile sit illud in eam subingredi; qualis fuit Christi voluntas.

Fuerunt itaque in Christo virtutes morales per se infusæ, & quidem ab initio, quia connaturales accessiones gratiæ sanctificantis, quæ ab initio insedit Christo. [Qua ratione quisquam ambiget, (ait S.Cyrillus l.3.pentabibl. c.4. Quod à perfectione virtutis abest, id esse reprehensioni obnoxium, neque per omnia laudandum, immò verò etiam fortasse de peccati crimine culpandum? Atqui verum est, non fecisse peccatum, neque inuentum fuisse dolum in ore eius, vt scriptum est; Perfectissimus ergo erat omni ex parte eiusmodi vir, neque vllo modo quidquam illi deerat ad absolutam, perfectamque virtutem. Quando autem fuit minus in virtute perfectus, qui etiam in vtero Deus erat? de quo etiam, Propheta dicit Esaias: *Butyrum & mel comedet; antequam sciat vel eligat mala, eligere bonum: quia antequam sciat puer bonum aut malum, repugnabit improbitati, vt eligat bonum.* Vndenam igitur tibi suppetit, virtutis imperfectionem in Christo demonstrare, quâve ille progressione indiget, qui adeò est absolutus, vt vniuersæ improbitati repugnet, præferatque illi, immò verò solam eligat virtutem?] Vides virtutum plenitudinem & consummationem, fuisse in Christo ab initio, iuxta Cyrillum. Nimirum *erat in illo natura virtutum*, vt dixit Orig. hom.2.in Psal.38. id est Deitas, è qua veluti fonte virtutum, humanitas perfundebatur fluentis illis: & quia vnio humanitatis cum Verbo fuit ab initio, rigatio quoque illa ab initio fuit.

Dona Spiritus sancti, in Christi voluntate.

274. Quia verò dona Spiritus sancti spectantia ad voluntatem, eiusdem cum virtutibus denominationis, non discrepant à virtutibus: propterea eadem opera probatum manet, dona Spiritus sancti ad voluntatem spectantia, Christi voluntatem exornasse ab initio. Non me latet, apud plerosque dona Spiritus sancti ad voluntatem spectantia, distingui à virtutibus moralibus infusis voluntati, sicut dona spectantia ad intellectum, distinguuntur à fide, quæ est virtus infusa intellectui: quod sensit Suares l.6.de gratia cap.10. nu.5. & l.2.c.21.nu.4.& Salas 1.2.tract.12. disp.vnica nu.7. tametsi non nihil ambiguus, vt & Malderus 2.2. ad quæst.9. Sententia tamen cui adhæsi, est plurimorum Scholasticorum, nominatimque Scoti, Gabrielis, Maioris, & Palacij in 3.d.34. itemque Gabrielis Vasques 3.p.d.44.nu.7. nec non Almaini tract.3.moral.c.13.& Gersonis tract. de donis Spiritus sancti, & ante hos omnes Altissiodorensis l.3. summæ tract.11. à cap.1. Et sufffragatur ratio; deest enim planè fundamentum distinctionis inter virtutes morales infusas, & dona eiusdem denominationis. Quid enim aliud facit pietas, aut fortitudo quæ est donum, quàm quod faciunt pietas & fortitudo quæ sunt virtutes.

Aiunt aliqui dona regulari per superiorem & extraordinariam regulam, nempe per motionem & instinctum Spiritus sancti, sæpè discordantem à communibus regulis: idque ad distinctionem donorum à virtutibus satis esse, cum dona circa eandem materiam operentur altiori modo. Ita Suares cillo 21.num.5. E contrario autem Salas 1.2.tract.illo 12.disp.vnica,n.19. dona circa eandem materiam operari depressiore modo, & idcirco virtutibus sibi cognominibus, ignobiliora esse contendit. Sed quod ad rem præsentem attinet, neuter rectè colligit specificam donorum & virtutum diuersitatem, ex diuersitate regulæ. Nam licet ea specifica diuersitas penes regulas, haberi possit agendo de ordinibus diuersis, vt liquet de virtutibus naturalibus, comparatis ad virtutes per se infusas eiusdem denominationis, quæ specie distinguuntur, nec nisi penes exigentiam diuersæ regulæ: Tamen cum sistitur intra eundem ordinem, diuersitas regulæ non sufficit ad essentiale discrimen regulatorum, alioqui virtutes Christi morales per se infusæ, quæ per fidem non regulabantur sicut nostræ, secernerentur ab eis specificè. Nostræ item virtutes, in via, vbi per fidem regulantur, discreparent specificè à se ipsis spectatis in patria, vbi alia regula diriguntur. Quàm multæ item virtutes infusæ, in nobis eadem regula dirigente regulantur, nempe fide? Igitur cum sistitur intra eundem ordinem, varietas regulæ non est indicium variæ lionestatis obiectiuæ, vnde diuersitas specifica existit: atque adeò quod virtus moralis exerceatur ex motione speciali & extraordinaria, vel ex ordinaria, perinde est: quia eadem vtrobique splendet supernaturalis honestas, ac proinde regula est vbique formaliter eadem. Nisi si quis absurdè admittat, actus fidei, spei, & charitatis, cum ex motione extraodinaria eliciuntur, differre specie à seipsis prout communi modo exercentur: aut actus virtutum moralium ex eo quod sint heroici specie, discriminari à communibus. Multo minus autem videri debent secernenda specie, dona voluntatibus infusis eiusdem nominis, si verum est donorum & virtutum actus esse eosdem: ita vt eadem operatio sit doni, vt sit ex speciali instinctu; & virtutis infusæ, prout ex tali motiuo exercetur, quæ est sententia Valentiæ 1.2.d.5.quæst.8.p.1. Vt quid enim peculiarem & nouum habitum comminiscamur, vbi vnicus est actus, & ex eodem motiuo profusus?

275. Sed hæc obiter dicta sunto, alibi diffusiùs persequenda. Nunc enim non nisi in transcursu sunt tacta, tantùm vt constaret, non esse in Christi voluntate querendam diuersam perfectionem à donis, & diuersam à virtutibus per se infusis eiusdem denominationis, cum dona à virtutibus non discrepent. Nec refert, quod dona voluntatis ab Isaia cap.11.recensita, in Christo non sint nisi tria: fortitudinis nimirum, pietatis, atque timoris: virtutes autem morales infusæ, sint longè plures. Hoc inquam non refert. Nam Isaias non cogitauit de exprimendis omnibus Christi donis, sed præcipua quædam quæ ad rem faciebant memorasse contentus reliqua silentio pressit, non tamen excluserit, vel negauit: idque videtur per se perspicuum, quia quo iure fortitudo proponitur vt speciale donum, eodem iustitia quoque & temperantia potuissent vt dona specialia numerari. Nec caret obtorsione aliqua, quod Suarez lib.2.de gratia cap.21.num.16.& 22. dona quoque his virtutibus correspondentia, vult ab Isaia expressa, sed synecdochicè: iustitiam nomine pietatis siue religionis, & temperantiam nomine timoris reuerentialis, pertinentis ad humilitatem temperantiæ subiectam. Expeditius videtur, asserere non omnia dona

nume

numerata esse ab Isaia. Si autem omnia numerarentur, æquatura esse numero, virtutes per se infusas voluntati.

Fuit ergo in Christo virtutum plenitudo, & vt loquitur Petrus Cellensis l. de panibus cap. 6. [Rex iste virtutum, omnium gratiarum curiam, in pectore, & in anima sua conuocauit.] Pulchrè item Autor tract. de pass. apud Bernardum cap. 16. [Nullus flos, id est, nulla virtus, per quemcumque florem significata, deest virtutum nostræ. Quæ enim virtus deesset, in Domino virtutum?] Virum totum ex virtutibus factum, dicere licet, vsurpata Boëtii phrasi lib. 2. de consol. cap. 4. & Tertulliani l. 3. in Marcio. cap. 9.

Beatitudines, in Christi voluntate.

276. Eadem ex causa ex qua constitutum est, fuisse in Christo dona habitualia Spiritus sancti, statuendum est fuisse quoque in Christo habitus correspondentes beatitudinibus, vt vocant. Nam beatitudines actuales, nihil aliud sunt quàm actus virtutum infusarum honestarum, quatenus peculiari quadam ratione conducunt ad illam beatitudinem consequendam, quæ continetur præmiis assignatis à Christo prædictis illustribus actibus virtutum, vt tradit Gabriel. in 3. d. 34. concl. vltima. Nec aliud voluerunt Gerso tract. de beatitudinibus, & alii, qui beatitudines à donis Spiritus sancti, & à virtutibus distinxerunt. Tantùm quippe voluerunt, actus illos ad beatitudinem illis in Euangelio propositam comparandam præcellentes, non esse vulgares actus virtutum aut donorum, sed eximios dumtaxat. Distinctio autem specifica beatitudinum à virtutibus & donis, nec in Scripturis & Patribus fundamentum habet, nec solida ratione stabiliri potest. Quam enim diuersam rationem formalem motiuam assignare liceat beatitudinibus actualibus, quæ non sit actibus donorum atque virtutum communis? Imo admodum verisimile est, actus quoscumque donorum & virtutum infusarum ad voluntatem pertinentium, posse dici *beatitudines*, prout interuentu talium actuum peringitur ad eximium illud bonum quod eis in Euangelio attribuitur; putà habere speciales ius ad regnũ cœlorum, possidere terram, videre Deum, & alia Matthæi 5. & Lucæ 7. enumerata, vel alia similia quæ correspondere possunt aliis donorum aut infusarum virtutum actibus, præter illos quos Christus recensuit, quia non intererat eius, recensere omnes: Itaque cum actus beatitudinum non discrepent ab actibus virtutum atque donorum, perspicuè sequitur, beatitudines habituales non discrepare ab habitibus virtutum atque donorum. Proindeque sicut in Christi voluntate, fuerunt dona atque virtutes ad voluntatem pertinentes, ita & beatitudines habituales æque ac actuales, de quibus est illud Origenis homil. 38. in Lucam. [Omnes beatitudines quas locutus est in Euangelio Iesus, suo firmat exemplo & quod docuit proprio testimonio probat. *Beati*, (inquit,) *mites*. Huic simile est de semetipso: *Discite à me quoniam mitis sum. Beati pacifici*: Et quis alius ita pacificus, vt Dominus meus Iesus, qui est pax nostra, qui solui inimicitiam, & in sua eam carne destruxit? Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nemo sic persecutionem passus est propter Iustitiam, vt Dominus Iesus, qui pro peccatis nostris Crucifixus est Omnes igitur beatitudines in semetipso Dominus ostendit. Ad quam similitudinem etiam illud quod dixerat. Beati flentes, ipse fleuit, vt huius quoque beatitudinis faceret fundamenta.]

Summa capitis, & vsus doctrinæ.

277. Breuiculus capitis hic esto. In Christo locum habuere omnes actus humanæ voluntatis, ordinis naturæ, gratiæ, & gloriæ; efficaces, & inefficaces statum Christi non dedecentes; nominatimque inter naturales actus iustitia voluntatis, & electio. Inter infusos votum & iuramentum, amorque à beatifico distinctus, reuerentialis timor Dei, ac spes actualis quorumdam obiectorum, & specialiter gloriæ corporis; denique inter actus gloriæ, delectatio beatifica perennis, nullo vnquam dolorum cumulo intercisa. Et non potuit quidem in volitionibus ad duos extremos ordines spectantibus, fundari meritum: fundatum tamen est in volitionibus secundi ordinis; cùm respectu nostri, tum etiam respectu minutorum quorundam ipsius Christi bonorum, vt exaltationis, & gloriæ corporis. Omnes denique virtutes, prædictis Christum non dedecentibus actibus correspondentes, Christo inexstiterunt, pœnitentia aspe habituali non exclusis, ac caritate pro gratiæ & gloriæ ordine eiusdem cum nostra rationis, retenta; nec multiplicata essentialiter. Quia verò donorum Spiritus sancti actualium voluntati insidentium, nec non beatitudinum Euangelicarum principia, à virtutibus non discrepant; dona quoque illa primordialia, & beatitudinis fontes, voluntati Christi inexstitisse, ratum esto.

Vsum doctrinæ copiosum suppeditabit caput sequens.

CAPVT V.

Hortus Domini sigillatim lustratus; siue exquisita perfectionis præcipuarum Christi virtutum, specialis expressio, magnam partem ex Patrum Symbolis.

278. MOnstratum hactenus est, fuisse in Christi voluntate, virtutum omnium statui beati consentanearum perfectiones, quæ est illa corona gloriæ qua coronandum Christum prophetauerat Salomon, interprete B. Ambrosio serm. 15. in Psal. 115. *in præfatione*. Hesychius verò lib. 2. in Leuit. cap. 8. ait hoc esse rationale iudicii duodecim pretiosis lapidibus exornatum. Concinnè item Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 18 hac ipsa ex causa, animam Christi vocat paradisum deliciarum, in quo consitæ visantur omnis generis plantæ frugiferæ. Et cap. 20. cur Spiritus sanctus in Christum specie columbæ, non flammæ, aliáve aliqua descenderit, rationem inde petit, quod tota gratiæ & donorum ac virtutum eam affectantium plenitudo, non pars dumtaxat eius aliqua, Christo sit collata: quod per animal multimembre scitè expressum, obseruat.

Christi voluntas, hortus virtutum omnium.

Autor tract. de pass. Dom. apud Bernardum cap. 16. videtur vt omnium florum hortum, voluntatem Christi proponere. [Nam (inquit) propterea exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & plantatus est in terra nostra, & corporis nostri deformitatem accepit, frondoitque, & floruit, & fructus plurimos attulit; vt per hoc quod nostræ humanitati vnitus est, suæ diuinitati nos vniret. Sed quia sine flore non peruenitur ad fructum, floruit ille benignus, Iesus. Qui sunt flores eius, nisi virtutes?] Numerat paulò post specialiter, in his floribus, violam humilitatis, lilium castitatis, rosam patientiæ & caritatis, & florem abstinentiæ, quem crocum dicunt. Estque hæc virtutum Christi comparatio, cùm amœnissima, tum commodissima Quamquam autem Christum sub ratione vnius floris sæpè proponant Patres & Scripturæ, idque ad hoc Christi decus considerandum, recte æstimanti posset sufficiens videri, iuxta Origenis sententiam l. 5. contra Celsum, vbi Christum ipsam virtutem esse ait, non hanc illamve, sed communiter virtutem: tamen sigillatim hæc ornamenta spectare, vtilius erit. Ideoque proposui lustrationem horti, in quo scilicet non vnus, sed omnes spectantur flores virtutum. Nec est ea appellatio noua.

Sic enim [tota virtutum prata in Davidis animo consita] scitè dixit Basilius Seleuciæ, rectèque etiam Constantinus Manasses in histor. num. 111. Marcianum Imperatorem, vocauit [virtutum nemus, & arborem à gratiis consitam.] Deiparam Chrysippus Presbyter orat. de ea, sic affatur. [Aue quæ es hortus Patris, aue quæ es pratum totius fragantiæ Sancti spiritus.] Et hanc maximè ob causam, scriptura sacra quæ magnorum virorum virtutes exhibet, cum horto componitur, quam cõparationem egregiè prosequitur S. Chrysostomus, initio homiliæ in Eutropium. Ioannes verò Moschus librum suum de SS. virtutibus, vt est apud Photium Cod. 199. inscripsit [hortum nouum, & pratum.] Nimirum quia iuxta Hugonem Victorinum l. 1. eruditionis Theolog. ex 2. miscell. tit 70. quæus bona anima, hortus est voluptatis; accipitque de ea illud de Satana, *quasi hortus voluptatis, terra coram eo, & post eum solitudo deserti*: quod scilicet subiens animam omni florum genere vernantem hostis noster, exterminet vniuersam floriditatem illam: de qua videndus rursus idem Hugo l. 4. erudit Theol. ex 2. miscell. titulo 160. Concinitque Richardus, Hugonis eruditione & religione germanus, tract. de gemino paschate *sub initium*, vbi tractans pascha floridum, [ô quales (inquit,) flores, veræ virtutes.] Memorat mox sigillatim, crocum caritatis, lilium castitatis, passionis rosam, & humilitatis violam; quæ omnes virtutes, in anima pia, non secus ac in horto amœnissimo vernant.

279. Floruerunt in Christi voluntate velut in horto, omnes hi flores virtutum, iam ab initio. Quod enim scitè dixit Constantinus Magnus oratione ad SS. cœtum c. 20. [Ipsa Dei cunabula, Spiritus sancti virtute, fragrantes flores nouæ soboli extulerunt.] Omnis inquam virtutis species in Christi ortu vernauit. Sicque accipit illud Poëtæ,

Ipsa tibi blandes fundent cunabula flores.

Additque mox, [eadem virtute per Christum vniuersam hominum societatem non aliter quam densam ramorum multitudinem, ex vna radice, odoriferis floribus pullulantem, ex æquabili roris temperatione rigatam, efflorescere.] Omnibus igitur in Christi voluntate, floribus virtutum vernantibus, videbimur eadem laboraturi difficultate, qua Naz. orat. 13. *initio*, qui difficile pronunciat, proposita magna virtutum varietate, vni cuipiam primas date, & ab ea auspicari: quemadmodum etiam in prato quodam plurimis & suauibus floribus referto, florem omnium pulcherrimum & fragrantissimum difficile est reperire, alio nimirum olfactum & aspectum ad se distrahente, atque ad primùm eum decerpendum alliciente. Quod tamen cœlestia ex genere suo præstent terrestribus, & inter virtutes, aliquæ genere suo sint cœlestes, hoc est Theologicæ, iis correspondentibus luminosis floribus, quos S. Chrysostomus hom. 10. ad pop. & Basil. Seleuciæ oratione 1. ac Ambrosius 4. Hexaëm. cap. 2. memorarunt, ordiamur à virtutum omnium voluntati inexistentium Regina, siue à caritate, quam solam inter Theologicas in Christo agnouimus adæquatam, & omnibus suis muniis fungentem: Tum ad morales delabemur, eo ordine seruato, quem in vulgato quaternario Cardinalium virtutum obtinent; vt nimirum primo loco Iustitia, secundo fortitudo, tertio temperantia collocetur, nulla hic facta sepositione partium potentialium à subiectiuis, quæ alio in loco (virtutes scilicet ipsas tractando,) non est prætermissa.

Praxes virtutum Christi, sertum florulentum ex Patrum areolis.

280. Quia verò vniuersum decus virtutum, & ipsa vt ita dicam perfectionis earum perfectio, in vsu ac exercitatione consistit, quod monstrare alibi memini; visum est hoc loco, ad penitiorem propositorum voluntatis Christi decorum introspectionem, quæ SS. Patres de variis harum virtutum per Christum præbus annotarunt, non prætermittere: non quidem exacte singulis insistendo virtutibus, (quod immensum propè foret.) nec singularum omnia in Christo opera, anxie vestigando; sed præcipuarum quasdam luculentiores nonnullos actus, hic exhibendo, verbis ferè ipsorummet Patrum, vt tractatio sit & amœnior, & grauior. Eritque hæc veluti seges lectissimorum cuiuluis virtutis exemplorum, ad quæ quisque vitam suam & facta admetiri studiosè debeat. Nihil enim ad imitandum dignus aut vtilius, exemplis virtutum Christi Domini, in quo virtutes absque næuo, & incontaminatæ fulserunt: vt propterea Patres, consentaneè ad Scripturas quas in hanc rem addensat à Costa l. 5. de Christo reuel. cap. 5. hanc mortalibus virtutum rubricam, sæpissimè præfigant; & hoc velint esse quasi speculum, ad quod vitam suam quilibet nostrum attentissimè excolat, vel picturam archetypam quam imitatione exprimat, vt egregiè philosophatur S. Basilius in Constit. monast. c. 5.

Caritas in Deum.

Caritas Christi, pro gemino caritatis vsu; & in Deũ, & in proximum propter Deum, splendidissimè emicuit. In Deum quidem, à vitæ primo momento, exquisitissimam caritatem prodidit Christus, eamque vique adeò incensam, vt præ ea non modò sanctorum quorumlibet virorum tantoperè inter nos celebrati ardores, sed etiam Cherubinorum & Seraphinorum pennæ, imo Ætnea incendia, planè frigescant. Exhibet illam luculenta planè oratione Ioannes Auila tract. in illud, *audi filia* c. 78. 79. & 80. Latinè expressus à Rossignolio l. 3. de discipli. Christ. perfect. c. 26. Caritatis Christi in Deum perfectionem summam, ex obiecto, & notitia supernaturali infusa qua intellectui Christi obuersabatur, & amoris ignitabulis quæ in scipso conspiciebat Christus, æstimare facilè licebit. Nam & Dei vultum, per scientiam hanc infusam amori libero de quo agimus prælucentem, tametsi non liquidò & intuitiuè contuebatur; euidenter tamen quantum ad iudicium, agnoscebat eximia omnino specie & pulchritudine vernare. Vt nos quoque, in extremorum notionibus non acuratis, efformamus nihilominus iudicia quoad nexum scientifica, atque adeò euidentia. Tantæ diuinæ perfectionis & summæ amabilitatis quoddam quasi stillicidium omnibus rebus purè creatis eximiè præcellens scipsam conspicando, indeque mentis aciem in Deum, tot bonorum totque perfectionum quibus se abundare videbat fontem primarium, retorquendo; exardescebat incredibilem, certe inexplicabilem in modum, Dei amore, anima Christi.

Inde insensum illud desiderium reparandi diuinum honorem, quo aptato tunc primùm sibi corpore, ex quo innotuit ei beneplacitum Patris, iam tunc dixit, *ecce venio*; ad crucem scilicet, & mortem acerbissimam sed præ amore, suauem, Inde contemptionis pro Deo contemptio, & probrorum ac contumeliarum computatio inter dedecora. Planè enim Christus, inter honores summos duxit, omne genus contumeliarum & sannarum pro Dei amore excipiendum. Vnde in procinctu ad passionem, agnoscens mox consecutura cum omni despectione passionem, dixit; *Nunc clarificatus est filius hominis*. Nimirum vt autor sermonis quarti è 15. in cœna Domini, apud Bernardum benè perpendit, clarificationem vocauit ibi Christus, omnia illa dedecora pro amore Patris in bonum nostrum subeunda. Optauit Christus, hanc suam erga Patrem caritatem incentissimam & flagrantissimam, omnibus innotescere. Ideoque professus est, se alacrem & impigrum in pericula præsentissima descendere, vt esset orbi notum

quod

quod Patrem diligeret *Vt cognoscat* (inquit) *mundus quia diligo Patrem sic facio.* Agebat de aditione extremi sui discriminis, & occursu ad Iudam cum turmis aduersantem. Hinc patet, quàm benè Christus vsus sit amore, quem in illum dumtaxat finem esse homini collatum, vt erga Deum exerceatur, tradit optimè Orig. l. 9. in ad Rom. ad illud capitis 12. *Caritas sine simulatione;* ostendens omnem alium amorem, esse simulatum.

Eadem ad proximum protensa.

281. Ramus alter caritatis, proximos spectat. Visus est hanc Christi amorem, admodùm, sed non supra verum, amplificasse Scriptor valdè pius, & solo tempore antiquis posterior Lusionibus Blosius in Consolat. pusillanim. §. *de immenso Dei erga homines amore.* Et agit de Deo homine, siue de Christo, cum redemptoris caritatem aliasque perfectiones delineandas suscepisset. Statuit enim conuenire in vnum Angelos omnes, & animas rationales quotquot vmquam sunt conditæ, idque collato omnes studio suscipere, vt vnam aliquam è Christi perfectionibus, nominatim verò caritatem in homines, descriptam dent. Inque eam, vult supperere singulis animabus & Angelis, tantum attramenti quantæ est totius Oceani aqua: membranarum autem vicem tenere amplissimam cœli molem, vnicuique ad exarandum attributam, quanta, quanta est. Negat verò describendam fore decimam perfectionis prædictæ seorsim acceptæ partem, quin priùs, & attramentum deficiat, & cœli vastitas adeò esset oppleta literis, vt ne apici quidem vltra appingendo, superfuturus esset locus. Magnificè hæc ille profectò, sed non supra verum. Quid enim omnes puratum creaturarum conatus, ad descriptionem operis, quod perfecit ipse Deus? Sed vt possumus, maiorem corde nostro Christi in nos caritatem, attingamus.

Ex hoc capite præcellentissima fuit Christi caritas, qua verè se vt Nissenus hom. 13. scitè dixit, præclarum animarum nostrarum procum, exhibuit. [Amauit nos dulciter, (ait S. Bernardus serm. 20. in Cant.) sapienter. Dulce nempe dexerim, quòd carnem induit, cautum quod culpam cauit, forte quod mortem sustinuit. Nam quos sanè in carne visitauit, carnal ter tamen nequaquam amauit, sed in prudentia Spiritus, Spiritus quippe ante faciem nostram Christus Dominus, æmulatus nos Dei æmulatione, non hominis: & certè sanioti, quàm primus Adam, Euam suam. Itaque quos in carne quæsiuit, dilexit in spiritu, redemit in virtute, plenum prorsus omni suauitatis dulcedine, videre hominem hominis conditorem. At dum naturam prudenter selegit à culpa, etiam potenter mortem propulit à natura. In carnis assumptione condescendit mihi, in culpæ vitatione consuluit sibi; in mortis susceptione satisfecit Patri, amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Huic securus me credo, qui saluare me velit, nouerit, possit. Quem quæsiuit, hunc & vocauit per gratiam suam: numquid venientem eiiciet foras? Sed nec vim, nec fraudem metuo profectò vllam, quod me videlicet de manu eius possit eruere, qui & vincentem omnia vicit mortem, & seductorem vniuersitatis serpentem, arte vtique sanctiore delusit. Isto prudentior, illa potentior. Carnis quidem assumit veritatem, sed peccati similitudinem; Dulcem prorsus in illa exhibens consolationem infirmo, & in hac prudenter abscondens laqueum deceptionis Diaboli. Porrò vt Patri nos reconciliet, mortem fortiter subit, & subigit, fundens precium nostræ redemptionis sanguinem suum. Ergo nisi amasset dulciter, non me in carcere requisisset illa maiestas. Sed iunxit affectioni sapientiam, qua Tyrannum deciperet; iunxit & patientiam, qua placaret offensum Deum Patrem.] Sic Bernardus, normam inde nostri in Christum amoris, egregiè eruens.

282. Idem egregiè præstat Cassiodorus l. de amic. c. *quanto sic dulcior,* &c. Sic enim de Christi in nos amore, & præstanda proximo ad Christi imitationem charitate, philosophatur. [Quantum præeminentior est humanitate diuinitas, tanto amor Christi quem habet ad nos, amore illo quem habemus ad illum, vel ad proximum, dulcior, fitmor, atque profundior, violentior, penetrabilior, interior, & compassibilior, feruentior, atque suauior. Omnes maternos affectus, omnes fratrum coniugùmue consensus, illa quam habet ad nos ex inæstimabili charitate transcendit. Ipse paternæ gratiam lenitatis, exprimens in seipso, fidelem ad animam sic loquitur dicens: *A modò voca me, peter meus es tu, dux virginitatis meæ tu es.* Et illud; *patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Ipse nos materna benignitate præ veniens; *quemadmodum* (inquit,) *mater consolatur filios suos, ita ego consolabor vos.* Et rursum; *Numquid potest mater obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si mater oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Ipse in se modum supernæ dilectionis assumens; animæ fideli sic loquitur; *hortus conclusus soror mea;* Et item: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Amicus est, cum & ipsa de illo; *talis est* (inquit,) *dilectus meus, & ipse est amicus meus:* Sponsus est, cum de illo dicitur; *gaudebit sponsus super te Deus tuus.* Hoc ergo sentiamus in nobis, quod in Christo Iesu, qui extendens manus in discipulos suos, vocat eos fratres, & quod amplius est, matrem & patrem, atque sororem; omnem scilicet qui humiliter, qui sanctè, qui castè, qui socialiter, eius. aut proximi fecerit voluntatem.]

284. Sed nihil hac in charitate admirandum, æque ac cruciatuum aditio, & probrosæ simul ac acerbissimę mortis perpessio, pro inimicis. Chrysostomus egregiè id prosequitur hom. 11. in 2. ad Cor & hom. 7. in. 1. ad Timot. expendens illud, *dedit semetipsum redemptionem.* Quod ita glossat. [Magnæ profectò atque immensæ benignitatis huiusmodi precium fuit. Nam profectò excruciati illi merebantur, prorsusque perituri erant: sed pro ipsis suum tradidit filium, vt prædicatio crucis excresceret. Sufficere profectò ista poterant ad omnes attrahendos ad fidem, atque ad Christi dilectionem illam ineffabilem ostendendam. Est enim ipsa magna profectò, atque inenarrabilis: Litauit semetipsum pro inimicis, pro his qui se oderant, pro aduersis à se. Id quod neque pro amicis, neque pro filiis, neque pro fratribus faceret quisquam, hoc fecit pro seruis Dominus, atque pro huiusmodi, Deus. Deus enim pro hominibus, pro mortalibus immortalis, pro temporalibus sempiternus, pro inimicis denique, Dei filius. Nâ si illi antea cõuersationis merito ac virtute placuissent, minùs mirabilis charitas illa videri potuisset. Et certè ad illam ipsam, nulla humana dilectio posset accedere. Quod enim in hominibus eiusdem substantiæ non fit, vt pro se inuicem moriantur, tum profectò magno excessu charitatis factum est.]

Salianus l. 4. de prouid. hanc Christi in nos charitatem ita suspicit, vt penè iniustitiæ speciem continere dicat. Locus est omni Sesamo sapidior. [Plus nos amat Deus, quàm filium pater. Euidens quippe res est, quod super affectum filiorum nos diligit Deus, qui propter nos filios suo non pepercit. Et quid plus addo? Et hoc filio iusto, & hoc filio vnigenito, & hoc filio meo. Et quid dici amplius potest? Et hoc pro nobis, id est pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis æstimare hone erga nos Dei amorem queat, nisi quod iustitia Dei tãta est, vt in eum iniustum aliquid cadere non possit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, iniustam rem quilibet homo fecerat, si pro pessimis seruis filium bonum occidisset. Vtque hoc magis inæstimabilis pietas, & hoc mirabilis Dei virtus est, quod ita intelligi ab homine magnitudo iustitiæ suæ non potest, vt quantum ad imbecillitatem humanam pertinet,

penè

penè iniustitiæ speciem, magnitudo iustitiæ habere videatur. Et ideò Apostolus ad indicandam nobis aliquatenus diuinæ misericordiæ immensitatem sic ait; *vt quid enim Christus, cum adhuc impij essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? vix enim pro iusto quis moritur.* Ostendit profectò nobis vna hac sententia, pietatem Dei. Nam si vix vllus pro summa iustitia mortẽ susciṗiat, probauit Christus quantum præstiterit, pro nostra iniquitate moriendo. Sed hoc cur fecerit Dominus, statim in subditis docet: dicens *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis.* Nam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis igitur nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Hoc ipso ergo gratiam commendat, quia pro impiis mortuus est. Maioris enim pretij est beneficium, quod præstatur indignis. Idcirco itaque ait; *commendat suam charitatem Deus in nobis.* Quomodò commendat? Scilicet quia non merentibus præstat. Si enim Sanctis, & benemeritis præstitisset, non videbatur quæ non debuerat, præstitisse; sed quæ debuerat, reddidisse.]

285. S. Bernardus serm. in feriam 4. hebdom. pœnosæ, expendit verbum Apostoli, hanc Christi charitatem vocantis *nimiam.* [Verè (inquit) nimiam; quia & mensuram excedit, modum superat, planè supereminens vniuersis. *Maiorem* (inquit) *charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tu maiorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri. Quænam alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore, huic similis charitas? Vix pro iusto quis moritur; tu pro impiis passus es: moriens propter delicta nostra, qui venisti iustificare gratis peccatores, seruos, facere fratres; captiuos, cohæredes, exules, Reges. Nec sanè aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem æque illustrat, quàm quod tradit in mortem animam suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus rogans, vt non perirent.]

Cassiodorius l. de amicit. cap. de Sabatho charitatis, alloquens animam suam. [Ipse tam excellens, tam admirabilis, tam præpotens, tam insignis, post lapsum adeò damnabilem oculo misericordiæ te prospexit. Ipse vt te de luto fœditatis erigeret, de suæ gloriæ Maiestate descendit; & vt corruptionis ignominiam abolere, pro te dira, & ignominiosa sustinuit. Et vt multa paucis includam, vt te liberaret à morte, damnatissimæ se morti obtulit. Nec expressiùs, nec fideliùs, nec dulciùs, nec benigniùs exhibere potuit, quanto te diligeret charitatis affectu.] Et inferiùs. [Quocirca adhuc, & iterum ibi vsque ad nauseam replicabo, vt assiduè cogites quanta tulerat tantus pro re tantilla, & tam perdita: sanguinem & mortem suam posuit pretium suum, cum sit eius sanguis impreciabilis; & mors eius, æstimationis non recipiat modum.] En verè amorem crucifixum pro peccatis mortalium, vt alio sensu fere fabula apud Ausonium edyllio 6.

286. Friget, si fas est dicere, omnis alius in homines Christi amor, præ eo quem prodidit orans inter horrendos cruciatus, pro inimicis. Optimè S. Bernardus serm. in feriam 4. hebd. pœnosæ. [Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus: Omnium tamen dolorum immemor, *ignosce*, ait, *illis*. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc sanguinis guttæ decurrentis in terram. Misericordiæ Domini multæ, sed & miseriæ Domini multæ, Vincentne miseriæ misericordias, an misericordiæ miserias superabunt? Vincant misericordiæ tuæ antiquæ Domine, vincat sapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas; sed nunquid non maior pietas tua Domina? Multum per omnem modum *Numquid redditur pro bono malum,* (ait) *quia foderunt foueam animæ meæ?* Planè foderunt impatientiæ foueam, occasiones indignationis plurimas, & quàm maximas ministrantes. Sed quid horum fouea, ad abyssum mansuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis, foueam fonderunt, sed charitas non irritatur, nonpræcipitatur, numquam excidit, non in foueam ruit, & pro retributis malis cumulat bona. Absit vt musculę morituræ, exterminet suauitatem vnguenti, quod de tuo corpore fluit: quia apud sinum tuum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Muscæ morituræ, miseriæ sunt, muscæ morituræ, blasphemiæ sunt, muscæ morituræ, insultationes sunt; quas tibi reddit generatio praua & exasperans. Tu autem quid? in ipsa eleuatione manuum tuarum, cum iam sacrificium matutinum, in holocaustum vespertinum transiret: in ipsa, inquam, virtute incensi, quod cœlos ascendebat, terram aperiebat, inferos respregebat, exaudiendus pro reuerentia tua clamas; *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt:* O quàm multus es ad ignoscendum! ô quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: O quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris: O quam firmata est etiam super impios misericordia tua: Mirares; ille clamat, *ignosce*, Iudei, *Crucifige.* Molliti tibi sermones super oleum, & istis sunt iacula ô charitas patiens, sed & compatiens. Charitas patiens est; sufficit; charitas benigna est, cumulus est, Noli vinci à malo; Charitas abundans, sed vince in bono malum; superabundans est. Non enim sola patientia, sed & benignitas Dei ad pœnitentiam Iudeos adduxit: quia benigna charitas, etiam quos tolerat amat, & amat tam ardenter. Patiens charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem: sed benigna trahit, adducit, conuerti facit ab errore viæ suæ: Denique cooperit multitudinem peccatorum.] Hoc esse consummatæ charitatis exemplum, ait Richard. Victor. serm. in die Paschæ.

Est huius caritatis longè insignis effectus commiseratio & vt loquimur compassio, condolens alienæ miseriæ. Hanc compassionem micuisse in Christo splendidissimè, probat egregiè creditus Bernardus Tract. de vite vera cap. 5. contentione facta compassionis illius quæ in S. Paulo notata est. Paulus enim professus est, neminem suorum infirmatum esse, quin ipse quoque infirmaretur. [Si vsque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accessit, qui scintillam caritatis habuit, quid sentiendum putas de ipsa caritate, de cuius plenitudine omnes acceperunt?] Librat in eandem sententiam idem Autor exemplum Gallinæ, quam constat præ omnibus animalibus reuerimæ compassionis affectu tangi erga fœtus suos. Ea ergo ex causa censet autor ille, Christum se cum gallina composuisse, quia commiseratio de ventre matris cum ipso orta, tanta tamque perfecta fuit, vt non posset quæri perfectior.

287. De ea præcellentissima, nec satis vnquam suspicienda caritate, qua pauperum omnium egestatem, & ærumnosorum angustias, benignissimus Dominus suas fecit, & in se per condolentiam deriuauit, egregie omnino Saluianus lib. 4. ad Eccles. his præter cæteta, post expensum locum ex Matth. 25. quo Christus refertur dicturus, se esuriisse, sitisse & nudus fuisse. [Vbi ergo illi sunt, qui dicunt, Dominum Iesum Christum officio nostrorum munerum non egere? Ecce & esurire se, pariter & sitire, & algere commemorat. Respondeat quilibet horum, si nõ eget qui esurire se quæritur; si non eget, qui se sitire testatur? Ego plus addo aliquid. Christum non solùm egere cum cæteri, sed plus multo egere quàm cæteros. In omni enim pauperum numero, non est vniuersorum vna paupertas. Sunt enim quidam quibus etsi vestimenta desunt, alimenta non

non desunt. Multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes: Multi domo carentes, sed non substantia. Sunt denique quibus etsi desint multa, non desunt omnia. Christus tantummodò, solus est, cui nihil est quod in humano genere non desit. Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore & nuditate torquetur, cum quo ille non algeat: solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit. Et ideò quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget. Omnis enim egestosos, pro se tantùm, & in se eget, Solus tantum modò Christus est, qui in omnium pauperum vniuersitate mendicet.]

Infert inde, quanta sit inhumanitatis atrocitas Christo in pauperibus non subuenire: quod ex eodem argumento, egregiè prosequitur S. Chrysostom. hom. 15. in ad Rom, *in mer.* & breuius hom. 7. in ad Timo. *sub finem partis moralis*, verbis illis. [Cum tanta cœperimus summæ illius caritatis indicia, tanta beneuolentia potiti simus torpescimus, atque negligimus, neque amamus Christum. Ipse pro nobis semetipsum offerre dignatus est, nos illum necessario indigentem cibo, misert, aspernamus; infirmumque ac nudum, nec visitare dignamur: Quanta hæc ira, plectenda sunt? Quibus cruciatibus, quibus incendiis obnoxia sunt? Nempe enim si nihil aliud ille pro nobis egisset, vel hoc ipsum solùm, quod humanas passionis sibi assumere voluit. ac dicere dignatus est, *esurio ac sitio*; omnes perfectò ad se vehementer amandum prouocare sufficeret. Sed ô infelix pecuniarum nimisque violata dominatio: Imo verius, ô nequitia singularis eorum qui sponte pecuniis seruiunt.]

288. Affine est, quod S. Augustinus in titulum Psalmi 101. de alia Christi paupertate accipit loca Scripturæ, in quibus Christus *pauper* denominatur. Præmissa enim paupertate Christi per susceptionem carnis nostræ, subdit. [Ipse iam in forma serui est, iam mortalem fragilemque carnem portat, iam moriturus aduenit, & tamen nondum intelligitur in hac egestate. *Cinerem sicut panem manducaui, & potum meum cum fletu miscebã.* Addat ergo paupertatem paupertati, & transfiguret in se corpus humilitatis nostræ. Si ipse caput nostrum, simul membra eius, sint duo in carne vna Iam enim vt primitùs pauper esset, formam serui accipiens, dimisit patrem. Qui autem de virgine natus est, dimittat & matrem, & adhæreat vxori suæ, & sinet duo in carne vna, ita enim erunt duo, & in voce vna, & in illa vna voce, iam non mirabimur nostram vocem. *Cinerem sicut panem manducaui, & potum meum cum fletu miscebam.* Dignatus est enim nos habere membra. Sunt & pœnitentes in membris eius: non excluſi & separati sunt, ab Ecclesia eius. Nec omnino sibi adiungeret coniugem, nisi illa voce, *agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cælorum.* Iam ergo audiamus quid oret caput & corpus, sponsus & sponsa, Christus & Ecclesia, vtrumque vnus. Sed Verbum & caro, non vtrumque vnum. Patet & Verbum, vtrumque vnum, Christus & Ecclesia vtrumque vnus. Vnus quidem vir perfectus in forma plenitudinis suæ, *donec occurramus, omnes in vnitatem fidei, in agnitionem filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sed donec occuramus, agitur hîc paupertas nostra, agitur hîc adhuc labor & gemitus. Gratias misericordiæ ipsius. Vnde illi labor? vnde illi gemitus, Verbo, per quod facta sunt omnia? Si dignatus est habere mortem nostram, non nobis dabit vitam suam? In magnam spem erexit, cum magna spe geminus. Gemitus habet tristitiam, sed est gemitus qui habet & gaudium. Ego puto Salam sterilem, lætam genuisse, cum pareret, & nos dicamus *à timore tuo concepimus, & parturiuimus spiritum salutis.* Audiamus ergo Christum pauperem in nobis, & nobiscum, & propter nos.]

289. Quantum ex tanta Christi in nos charitate mutuæ inter nos dilectionis incentiuum existat, obseruat sæpè S. Chrysostomus. Quidni verò illum amet Christianus, quem à Christo tantoperè dilectum animaduertat? Bernardus certè serm. 1. de S. Michaële, Angelorum hinc amorem in homines colligit, cum ministerium Christi pro nobis magnificè celebrasset. [Huius vtique (inquit) tanti ministri gratia nihil mirum si dignanter nobis, imò & libenter Angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amauit. Dicitur certè vulgari quodam prouerbio; *qui me amat, amat & canem meum*: nos verò ô beati Angeli, catelli sumus Domini illius quem tanto affectu diligitis: catelli inquam, cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos.]

Quod si proximorum amorem tantus Christi in nos amor excitare idoneus est, multo iustius, & vt verè dicam planè necessario, nostram in Christum charitatem excitet & inflammet, necesse est. [Nam ipse Saluator (verba sunt Saluiani l. 4. de prouid.) ideo, vt ait Apostolus, moriendo pro nobis commendare voluit suam omnibus charitatem, vt nos ad reddendam pietatem tanta vicissitudine pietatis suæ traheret: sicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quę ferro propiùs admotæ, durissimum licet chalybem, affectu quasi spirante suspendunt: ita etiam ille, id est summa & clarissima regnorum cœlestium gemma, hoc scilicet voluit, vt dum se licet purissimis nobis descendens de cœlo propiùs adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui manibus admoueret, vt agnoscentes vtique dona sua ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro Domino tam bono facere conueniret, cum ille pro malis seruis tanta fecisset: & compleretur hoc quod Apostolus dicit, vt mortificaremur charitate illius tota die; & neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque fames, neque nuditas, neque gladius posset nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.]

290. Accipe in hanc rem, non mimus potentem considerationem ex Richardo Victorino tract. de Baptismo Christi in expensione illorum verborum Apostoli Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.* Sic enim scribit. [Considerate ordinẽ & vim verborum. *Dilexit & tradidit.* Magnæ dilectionis magnum indicium. Quid ei contulit illa traditio? Audite. Vt priùs eam mundaret ab omni contagione peccati. Deinde eam sanctificaret donorum collatione, & tandem in futuro exhiberet eam sibi gloriosam, id est in animo & corpore rutilantem, & gemina stola decoratam, non habentem maculam in carne, nec rugam in mente. Et hoc totum, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè; id est per lauacrum baptismatis per quod regeneramur in filio adoptionis, qui priùs eramus filii perditionis; & per Spiritum sanctum in hoc Sacramento nobis datum, deposita vetustate quotidie renouamur in cognitione & amore Dei; Quem Spiritum effudit in nos abundè, id est ad omnium peccatorum remissionem, & copiam virtutum. Per remissionem peccatorum, eripimur de potestate tenebrarum; per copiam virtutum transferimur in regnum filii Dei; per remissionem peccatorum incipimus non esse quod fuimus; per copiam virtutum, incipimus esse quod non fuimus. Intuemini vna mecum, supereminentem scientiæ charitatem Christi, ex qua non solùm homo fieri, sed etiam homo factus pro nobis mori voluit. Priùs se dedit nobis, deinde se dedit pro nobis. Nobis per incarnationem, pro nobis per passionem. Spiritum suum in corda nostra misit, Patris visionem promisit; potestatem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtatem qua filii Dei efficamur contulit, & talem dignitatem tribuit, vt ipſum habeamus caput, & ſimus eius membra, & hæredes vitæ æternæ. Cum ergo ſit omnipotens, quid amplius nobis dare potuit? Non enim Angelicæ naturæ collata eſt hæc dignitas, vt à Verbo Dei in vnitatem perſonæ aſſumeretur. Tantæ igitur gratiæ Referamus gratias quas poſſumus, quia condignas non valemus.]

291. Claudo cum Chryſoſtomo hom. 2. in ad Philem. *in fine.* [Si cum ſeruos emimus pecunia, ſemper illos nobis viuere volumus, & iuris noſtris eſſe quæ habuerint omnia; quanto magis is, qui nos ex nihilo condidit, & eſſe qui ante non fuimus, fecit, qui poſtmodùm proprio nos ac precioſiſſimo redemit ſanguine; tantumque ſe deiecit noſtri gratia, quantum nemo pro filiis cariſſimis faceret; qui de ſumma cœli arce, ac paternis ſinibus ad noſtra infirma deſcendit, qui ſanguinem effudit ſuum, ſui nos iuris eſſe vult? Si igitur mille haberemus animas, eaſque pro illo poneremus omnes, putaſnè dignum aliquid illius caritati retribuere poſſemus? Minimè id quidem; Cur quæſo; Quia cum ille nihil deberet nobis, hoc fecit ex gratia: nos autem ex hoc illi debitores ſumus. Atque ille Deus cum eſſet, ſeruus factus eſt: neque morti obnoxius, in mortem venit carne ſuſcepta. Nos vero, etſi pro illo animas non poneremus, naturæ lege poſituri eramus, ac etiam inuiti paulò poſt exceſſuri ex vita.] Et mox. [Reuereamur immenſam caritatem Chriſti, incaleſcat animus, exciterur affectus. Audiuimus quod nos ille maximè omnium diligat, accendamur & nos ad amorem eius; honoremus illum præ omnibus, reddamus vel ex parte, amori eius vicem. Dominus noſter nos adeò diligit, & torpore frigeſcimus, nec expergiſcimur? Ne quæſo ſimus adeò deſides circa noſtrarum ſalutem animarum, ſed totius viribus illum diligamus, omniaque pro illius dilectione impendamus, animam, pecuniam, gloriam, & alia omnino omnia, gaudentes, geſtientes, prompti, alacres, non quaſi illi, ſed vt nobis ipſis præbituri, quæ illius amore geſſerimus. Ea quippe eſt animantium lex, vt ſe tum demum felices putent, cum aduerſa, pro his quos diligunt, ſuſtinent. Ita igitur & nos erga Dominum noſtrum afficiamur.]

Chriſti Iuſtitia, & religio.

292. Iuſtitiam ſuam ſupereminentem prodidit Chriſtus, ſummo illo affectu reparandi diuini iuris læſi, quo factus eſt nobis iuſtitia & redemptio: vt non immeritò vel eo ſolùm ex capite *iuſtus noſter* apud Prophetas nominatus legatur. Nam eo affectu diuini iuris, non in Deum modò, ſed & in humanum genus iuſtitiam exercuit, iniens nobiſcum contractum cæleſtis mercimonii, etiamſi cum diſpendio aliquo ſuo. Audi S. Auguſtinũ ſerm. 34. ex 40. nouis. Mortuus eſt Chriſtus [quia ſic expediebat, vt morte ſua occideret mortem, Mortuus eſt Deus, vt compenſatio fieret cæleſtis cuiuſdam mercimonii, ne mortem videret homo.] Addit poſt multa, neminem dare vitam vt accipiat mortem; hoc tamen fecit Chriſtus quem propterea dicebam, in hoc contractu diſpendii aliquid paſſum videri, ſed iuſtitiæ amore perſtitit infractus in explendo, quod ad ipſum attinebat, contractu inito. Suſpexit hanc quoque, nouam planè miſericordis negotiatoris commutandi & contrahendi rationem, S. Leo ſerm. 3. de paſſ. cap. 4. adductus ſupra cum de Verbo negotiante. Reducem verò è noſtris hiſce nundinis cœleſtem negotiatorem, quæ hic emit patri exhibentem, magnæ ſibi eſſe fiduciæ, conteſtatur his verbis Petrus Damianus ſerm. de S. Nicolao. [Non parum mihi fiduciæ robur præſtat, quod ille ſummus Imperator, negotiator meus factus, & negotium meum ſine otio egit quamdiu fuit in terris, & precioſarum mercium ſarcinas portans ad Pattem, ipſi vultui Dei. & quid emit, & quid redemit, & vnde redemit, oſtendit.]

Eſt inſignis alia iuſtitiæ portio, qua Deo cultum debitum rependimus. Quamuis enim religio, cuius hoc eſt munus, potentialis atque adeò minùs propria iuſtitiæ pars cenſeri ſoleat; id tamen non idcircò accidit, quod iuſtitiæ debitum in ea cernatur, imperfectum & quaſi luxatum, ſed potiùs idcircò quod tantum rotque eminentiſſimis titulis firmatum ſi tius quo obſtringimur colendi ac venerandi Deum, vt nullis noſtris actibus expleri plenè aut adæquari queat. Quanta autem & quàm perfecta fuerit Chriſti religio & obſeruantia in Pattem, perſpicitur ex precatione in qua eum pro ſua reuerentia ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, id eſt pro attentiſſima in cultu Patris diligentia, exauditum fuiſſe tradit Apoſtolus Hebr. 5.

Miſericordia, & condolentia.

293. Miſericordia, ſeu pietas in egentes, quamuis cum caritate Theologica ratione motiui poſſit recurrere, tamen poteſt aliam quoque honeſtatem iuſtitiæ ſubiectam, habere propoſitam. Eius hos in Chriſto actus proponit Rupertus l. 1. de oper. Spiritus ſancti cap. 21. [Pietatis illud eſſe, nemo eſt qui neſciat, quod intelligi vult, huiuſcemodi parabolas dicendo. *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Hiericо, & incidit in latrones.* Item; *Iratus pater familias, quia fecerat cœnam magnã, & omnes qui vocati erant cœperũt ſimul excuſare, dicit ſerno ſuo; exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos, & claudos, introduc huc.* Item; *quis ex vobis qui habet centũ oues, & ſi perdiderit vnã ex illis, nonne dimittit nonaginta nouẽ in deſerto & vadit ad illã quæ perierat, donec inueniat illã? Et cum inuenerit illã, imponit in humeros ſuos gaudens.* Item: *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater da mihi portionẽ ſubſtãtiæ quæ me contingit.* Item; *Homo quidam erat diues, qui habebat villicũ, & hic diffamatus eſt illũ quaſi diſſipaſſet bona ipſius,* & reliqua. Hæc denique veneranda pietatis inſignia ſunt, quod videlicet *Samaritanus miſericordia motus ſuper illũ qui incidit in latrones appropinquauit, & alligauit vulnera eius, infundens oleũ & vinum, & imponens in humerum ſuum, duxit in ſtabulum, curã illius agens.* Itemque alibi: *quod miſericordia motus & accurrens cecidit ſuper collũ eius, & oſculatus eſt eum,* qui per pœnitentiam eſt reuerſus, ſuomet Iudicio, iam non dignus vocari Dei filius, & *occidit ei vitulum ſaginatum dicens: manducemus & epulemur quia hic filius meus, mortuus erat & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* Quod paſtor bonus, quem quæ errauerat, requiſitam & inuentam, in humeros ſuos gaudens impoſuit; quod iuxta exemplum villici iniquitatis quem laudauit Dominus, quia prudenter feciſſet, nobis agendum cenſuit: *facite* (inquiens) *vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceri, recipiãt vos in æterna tabernacula.*]

294. Eſt verò miſericordiæ ramus condolentia, & vt paſſim loquimur, *compaſſio* Hæc quanta in Chriſto fuerit, exponit diligenter autor tract. de paſſione apud S. Bernadum cap. 5. verbis illis. [Videamus quomodò affici ſolent homines circa eos quos amant; vt per notum, ad ignotum veniamus. Quis neſciat, hominem circa amicum ſuum periclitatem, ſæpè tanto affectu & dolore moueri, vt corporis ſui detrimentum incurrat? Si hoc præſtat homo homini, quantum Deum hominem Ieſum, putas homini præſtitiſſe? Si tu pro vno homine per compaſſionem periculum corporale incutris, quid putas Dominum Ieſum pro omnibus hominibus toleraſſe? Omnes enim ſui erant, & omnes mortaliter infirmi erant. Certè nouimus Paulum Apoſtolum de ſe dixiſſe: *quis infirmatur, & ego non infirmor;* Et verè eo vſque infirmabilis: & ſicut ait: *mundus mihi Crucifixus eſt, & ego mundo.* Mũdus quippe ei crucifixus

cifixus erat, qui omnia quæ mundi erant, tanquam mortua reputabat. Ipse verò mundo etiam crucifixus erat, qui ipsum propter crebras compassionum simul & passionum infirmitates, corpore extenuatum & exterminatum abhorrebat, nihil in eo inueniens quod pertineret ad ipsum. Si ergo Paulus cum infirmantibus infirmabatur, quid benignus Iesus, cum esset conseruus & frater, cum conseruis & fratribus? Quid dominus & pater, pro creatura & filiis. Ardebat Paulus, quasi esset radio Solis accensus; quantum ipsum Solem putas exarsisse? Si vsque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accessit, qui scintillam charitatis habuit; quid sentiendum putas de ipsa charitate, de cuius plenitudine omnes acceperunt? Nec aliquo modo dubitandum, quin infirmitatem & exterminationem per corpus incomparabilem sustinuerit, qui etiam venerat crucem sustinere & præ cæteris tanto magis fuit confectus, quanto maior in eo fuit compassionis affectus: qui non solùm facta, sed etiam cogitationes inspexit. Suffragatur his rationibus sententia ipsius Domini sic dicentis, *Hierusalem Hierusalem, quoties voluit congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Videamus quid sibi hoc velit, quod Dominus, se gallinæ magisquam alteri animali voluit comparare: Quod vt à sanctis patribus tenetur, ideò factum est, vt exprimatur incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal ita pullos suos tanta compassione mouetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida, voce rauca, mœrentis animo, & omnibus membris infirma, & vsque ad supremum defectum perueniens. Si ergo in tantum pullis suis, gallina animal irrationale compatitur; quantò putas optimum Iesum humano generi fuisse compassum? Ad quantam putas eum infirmitatem, & debilitatem peruenisse? Quanta ipsum putas macie confectum fuisse qui pro omnibus cognoscitur doluisse? Vnde Esaias; *verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit.*]

Audi etiam in eandem rem S. Gregorium 20. mor. cap. 16. [Scire necesse est, quia ille perfectè tribuit, qui cum eo quod afflictio porrigit, afflicti quoque in se animum sumit, vt prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Nam iæpè, (vt prædiximus,) larg torem muneris, rerum facit abundantia, & non virtus compassionis. Qui enim afflicto perfectè compatitur, plerumque & hoc indigenti tribuit, in quo ipse qui deficit, angustatur & tunc plena est cordis nostri compassio, cum malum inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, vt illum à passione liberemus. Quam videlicet pietatis formam, mediator nobis Dei & hominum dedit, qui cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subuenire tamen moriendo hominibus voluit: quia nos videlicet minùs amasset, nisi & vulnera nostra suscipere, nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalésque eos reperit, & qui nos existere fecit ex nihilo, reuocare videlicet etiam sine sua morte à passione potuit. Sed vt quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod esse nos voluit, vt in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam à nobis in perpetuum fugaret. An non in diuinitatis suæ diuitiis nobis inuisibilis permanens, miris nos potuit virtutibus ditare? Sed vt ad internas diuitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus.]

Veritas.

295. Numeratur etiam inter iustitiæ partes, veritas. Hæc in Christo præcellentissima fuit, non modo ea generali ratione qua veritas idem est quod sanctitas; & loqui vel amare veritatem, idem quod honestatem sectari, vt ex variis Patribus obseruaui in Opere de æquiuocatione cap. 1. num 7. Sed ea quoque speciali, qua Christus in colloquiis cum aliis, non modò à falsitate, sed & ab oblusione quacunque veritatis fuit alienissimus. Itaque & fidenter ipse *veritatem* se, dixit, & ab aduersariis quantumuis odio exoculatis, veram, & in veritate docens, audiuit. Copiosus in Christi veritate explicanda, est Petrus Simonis l. 2. de veritate; quanquam quæ tradit, aliò ferè pertinent quàm ad veritatem de qua agimus. Fuit igitur Christus, & verax, & ipsa veracitas. Tametsi negari non potest, Amphibologicè quandoque locutum, & cum mentali restrictione, vt ostendo in citato opere de Æquiuocatione cap. 10. num. 8. Factum tamen id à Christo in circumstantiis debitis, & iis conditionibus adhibitis, vt nulla inde vel veritatis, vel affinis ei virtutis simplicitatis inter loquendum, aut temeratio, aut infuscatio existeret. Non defuere impij nonnulli qui Christum mendacij insimularent ex verbis illis Ioan. 7. *Ego non ascendo ad diem festum istum*, vt refert S. Augustinus serm 8. ex 11. additis in calce Tomi 10. qui id latissimè extruat docens Christum, quamuis postea ascenderit ad diem festum, non deliquisse tamen à veritate, quia non ascendit ad illum ipsum diem quo negarat se ascensurum. Videsis quæ addo citato opere de Æquiuoc. cap. 12. n. 3. Nunc concludo illis D. Augustini verbis citato serm. 8. [Dominum ergo Iesum Christum, quid existimamus, quia mentitus est: Quid perùs est, falli, quàm metiri? Qui dicere non audemus falli, dicere audemus mentiri? Ille verò nec fallitur, nec mentitur: sed omnino sicut scriptum est, (de illo quippe intelligitur, de illo debet intelligi;) *Nihil falsum dicitur Regi nihil falsum exiet de ore eius.* Si Regem quemlibet hominem dixit, Regem Christum, Regi homini præponamus. Si autem quod verius intelligitur, Christus est de quo dixit; (ei quippe falsum nihil dicitur quia non fallitur;) ex eius ore nihil falsi procedit, quia non mentitur.]

Obedientia.

296. Sed nulla iustitiæ potentialium partium, splendidius in Christo fulsit quàm obedientia. Factus est enim obediens voci hominis, & subditus illis, vt ait Lucas cap. 2. [Quis quibus? (inquit S. Bernardus hom. 1. super missus est,) Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph, propter Mariam.] Et mox, egregium inde incentinum nostræ obedientiæ petit, subdens. [Discat homo obedire, discat terra subdi, discat pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Euangelista; *& erat*, (inquit) *subditus illis*; haud dubium quin Mariæ & Ioseph. Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti; Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. *Vade*, (inquit,) *post me Satana: quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non sapio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est, *& erat subditus illis.* Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum, sequi auctorem tuum.] De eodem luculentissimo Obedientiæ exemplo in Christo subdito. Idem serm. 3. de Circunc. [Non dedignandum seruo, quod præcessit in Domino. Siquidem, non est seruus maior Domino suo. Ille enim cum iam creuisset, ætate, sapientia, & gratia apud Deum & homines; cum iam duodecim annorum esset, & remansisset in Hierusalem, inuentus à beata Virgine & Ioseph, cuius filius putabatur, in medio Doctorum audiens illos & interrogans, tamen

men descendit cum illis, & erat subditus illis. Et tu ergo, subditus esto propter illum.]

297. Neque verò fuit dumtaxat ea obedientia, qualis vulgo laudatur; nimirum quæ voluntatem perficit, eamque alieno subijcit iugo. Quin etiam, qui est obedientiæ flos eximius, ad intellectum vsque pergit; si S. Bernardum hic quoque magistrum agnoscimus serm. 3. de Resurr. Agens enim de lepra proprij iudicij, & obstinationis in eo, subdit. [Sed vbi poterit hæc lepra mundari, nisi in Iordane? Ibi mergere, quicumque huiusmodi es, & attende quid fecerit magni consilij Angelus, quomodò consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris vnius (Beatam Virginem loquor, & fabri pauperis; Ipse est Ioseph. Inuentus enim in medio Doctorum audiens eos & interrogans, quodammodò à matre increpatus est: *Fili, quid feciſti nobis sic?* At ille; *quid erat*, (inquit,) *quod me quærebatis; Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? At illi non intellexerunt Verbum.* Et quid fecit Verbum? Non capiebatur in se; descendit, ita vt esset etiam subditus illis. Quis iam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia ipsa deseruit? Sic mutauit consilium suum, vt quod iam tunc ceperat, ex tunc, vsque ad trigesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno, de eius doctrina vel operibus inuenis, vsque ad annos triginta.] Subdit contra hoc difficultatem non leuem, quam ex ipsomet adducere & soluere, operæ pretium est. [Sed fortè (inquit) quærendum ab ipso est quomodò voluntatem suam consiliúmve reliquerit. O Domine, voluntas de qua dixisti vt non fieret, si bona non erat, quomodò tua erat? Si bona erat, quomodò derelicta est? Sic & consilium, si non bonum, quomodò tuum? Si bonum quomodò relinquendum? Et bona erant, & eius erant: neque minus tamen relinquenda, ob hoc videlicet vt fierent meliora. Neque enim oportebat, propria præiudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi, & bona erat, qua dicebat; *Si fieri potest, transeat à me calix iste.* Sed ea de qua dicebat, *fiat voluntas tua*, melior erat; quia communis, non solùm Patris, sed & Christi ipsius, (*oblatus est enim quia ipse voluit,*) & nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum esset, ipsum solum maneret; mortuum verò multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, vt videlicet haberet, quos adoptaret in filios. Christi erat, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nostra erat, quia pro nobis faciebat, vt redimeremur. De consilio idem dicimus. Christi enim erat, & bonum erat consilium illud quod ait, *quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Sed quia illi non intellexerunt, mutauit illud consilium, vt nos mundaret ab ea lepra quæ proprij consilij est. Exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Nam ab initio nouerat quid esset facturus, sed voluit formam nobis huius humilitatis exhibere, & ad lauandam pessimam hanc lepram, diuinum in seipso parare Iordanem.]

298. Quantum hic exemplum inferiorum obedientiæ sic constitutum, simul & præpositorum modestiæ, Origenes hom. 20. in Lucam rectè perpendit. [Scribitur, (inquit) *descendit cum eis, & venit Nazareth, & subiiciebatur eis.* Discamus filij subiecti esse parentibus nostris; maior minori subijcitur. Nam quia maiorem Ioseph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tribuens, vt subijciantur parentibus. Quod si patres iis non fuerint, subijciantur his qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filiis? Si Iesus filius Dei subijcitur Ioseph & Mariæ, ego non subijciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est pater? Non subijciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? Puto quod intelligebat Ioseph, quia maior se erat Iesus, qui subijciebatur sibi, & sciens maiorem esse subiectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnusquisque, quod sæpè, melioribus præpositus sit inferior, & nonnumquam accidat, vt ille qui subiectus est, melior sit eo qui sibi videtur esse præpositus. Quod cum intellexerit dignitate sublimior, non eleuabitur superbia, ex eo quod maior est; sed sciet ita sibi meliorem esse subiectum, quomodo & Iesus, subiectus fuit Ioseph.]

Eum qui adeò accuratè, & omnibus numeris perfectè, obediuit hominibus propter Deum, quid mirum factum esse Patri obedientem, idque exquisitissimè, & ad crucem vsque, ac mortem? [Christus vt Verbum, (ait Naz. orat. 36.) Nec obediens erat, nec inobediens. Hæc enim iis qui aliorum imperio tenentur, conueniunt, quique secundæ classis sunt. Illud nimirum probis, atque honestis; hoc improbis ac supplicio dignis. Vt autem serui forma, ad conseruos, immo ad seruos sese demittit, atque alienam formam suscipit, totum me simul cum infirmitatibus meis in seipso ferens, vt quod deterius est, in seipso absumat, & conficiat, non secus ac ceram ignis, aut terræ vaporem Solis radius; atque ipse, ob huiusmodi coniunctionem bonorum illius particeps fiam. Quocirca reipsa obedientiam honore afficit, eamque perpetiendis doloribus experitur. Neque enim sufficiebat animi affectio, quemadmodùm nec nobis, nisi manum quoque operibus admoueamus. Opus enim, affectionis animi declaratio est.] Reipsa ergo obediuit Christus, atrocia quæque & immania passus, potiùs quàm in obedientiam peccaret, quem esse verum sensum illorum Apostoli verborum, *Christus factus est obediens vsque ad mortem*, pereleganter prosequitur Philippus Abbas l. de salute primi hominis cap. 25. Per totam quoque vitam anteriorem Christus Dominus, fuit nitentissimum obedientiæ speculum.

299. Et fuit sanè Christi obedientia omnibus numeris absoluta, & exquisitè perfecta: Nam & per ardua quæque seruata est; & non attenta indignitate personarum in quarum bonum cedebat; ac ministeriorum ad eum finem obeundorum abiectione, nihil facta. His momentis Christi obedientiam expendit S. Hilarius in psalmum 131. ad illud, *donec inueniam locum Domino.* Hunc enim Domini locum, humana pectora interpretatus, quod in eis per Christum conciliatis Deus pacificè habitaturus & consessurus esset, subdit. [Assumpto igitur corpore Vnigenitus Deus, neque ante secundùm hominem se ingressurum tabernaculum domus suæ iurat; id est in cælestem habitationem suam esse rediturum, quam hæc religiosi pectoris loca inueniat; sed neque stratum lecti sui ascensurum se esse nouit. Stratus requies humanorum laborum est, & fessorum corporum refectio. Sed quia in cælo semper quiescitur, & quia indefessa illa natura laborem nescit, semper in stratu, id est, semper est in quiete. Dominus noster in forma Dei manens, formam serui accepit, & obediens vsque ad mortem fuit & mortem Crucis, vt plus nescio quid morte pateretur. Ob id autem tantùm, obediens vsque ad Crucis mortem est, vt nos habitatione Dei dignos esse præstaret. Mori igitur voluit qui vita est, & effici se indefessa virtus, ad habitationem corporis non recusauit infirmam; vt in forma Dei manens formam serui acciperet. Excessit ergo ex illo æternæ beatitudinis suæ stratu. Et testis nobis quadragesimus Psalmus est, qui ex persona Domini, omne Sacramentum passionis eloquitur, dicens: *Vniuersum stratum suum, versasti in infirmitate eius:* Cum per obedientiam voluntatis paternæ, ex Deo homo; ex potente infirmus; ex viuificante mortuus, ex æternorum seculorum Iudice, Crucis reus dicitur: tum stratum eius in infirmitatem conuertitur.

Discendum nobis ex hoc exemplo obedientiam, egregiè

egregiè colligit S.Gregorius 3. p. Pastor admonit. 19. [Admonendi sunt (inquit agens de inobedientibus) vt solerter aspiciant, quia filius hominis, cui vna cum Patre semper voluntas est, vt exemplum nobis frangendæ nostræ voluntatis præbeat, dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me, Patris.* Qui vt huius adhuc virtutis gratiam commendaret, seruatrum se hoc in extremo iudicis perhibet, cum ait: *Ego à me ipso non possum facere quidquam, sed sicut audio, iudico.* Qua itaque conscientia, dedignatur homo alienæ voluntati acquiescere, quando Dei & hominis Filius, cùm virtutis suæ gloriam venit ostendere, testatur se non à semetipso iudicare?] Agit fusè in eandem sententiam 35. mor. cap. 12. Aureè omnino ad hanc ipsam virtutem, exemplo Christi, præsertim cruci confixi, adhortatur specialiter religiosos Cantipratanus lib. 2. apum. cap. 3. num. 3.

Iustitia Christi, latè dicta.

300. Nihil hic de latè dicta iustitia actum, quia verè aliò spectat. Fuit tamen in Christo summa & plena, aut vt Euangelium habet, *omnis iustitia.* Hæc quid sit, accipe glossam Bernardi serm. 4. de Epiph [Est iustitia quædam, stricta & angusta valdè, ita vt quàm citò pedem verteris, in peccati foueam cadas, nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Huius definitio est, reddere vnicuique quod suum est. Altera latior & amplior Iustitia, nec æquare se pari, nec inferioti præponere. Sicut enim grandis & grauis est superbia, præferre se æquali, aut æquare prælato, ita magnæ humilitatis est, inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena Iustitia est, se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est, superiori se præponere; ita inferiori se subdere, summa & plena Iustitia est. Quod Ioannes ait; *ego a te debeo baptizari*, de prima fuit, quia superiori se subdit. Quod autem Christus fecit, de plena Iustitia fecit. Siquidem ille seruuli sui manibus se inclinauit.]

Fortitudo.

301. Pergo ad fortitudinem, quæ Christo nomen fuit apud Apostolum, à quo vocatur *Dei virtus.* Nam quid est aliud fortitudo quàm virtus, ait S. Bern. serm. 1. super missus est? Et mox, cum dixisset nomen Gabrielis, sonare fortitudinem Dei, subdit. [Aliter Christus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus: Angelus enim tantùm nuncupatiuè, Christus autem etiam substantiatiuè. Christus Dei virtus & dicitur, & est quæ forti armato qui suum atrium custodire solebat, fortior superueniens, ipsum suo brachio debellauit; & sic ei vasa captiuitatis potenter etipuit. Angelus verò *fortitudo Dei* appellatus est, vel quod eiusmodi meruerit prærogatiuam officij, quo eiusdem nuntiaret aduentum virtutis: Vel quia Virginem natura pauidam, simplicem, verecundam, de miraculi nouitate ne expauesceret, confortare deberet, quod & fecit.]

Suscepit sanè Verbum infirmitatem nostram, vt conferret nobis fortitudinem: in quam rem S. Augustinus, adducto Adami exemplo præclarè philosophatur tract. 15. in Ioan. Adami enim, caro pro osse quod in Euæ formationem contulit, suppleta est. Illud tamen infirmum Dei, fortius fuit hominibus: & idcirco Christi humanitas vocatur *fortitudo*, apud Psaltem, interprete Hesychio l. 2. in Leuit. cap. 8. tractante illud, *& facies cydarim byssinum, & zonam, opus varium.* [Quia enim (inquit) cydaris indumentum capitis est, opus autem cinguli siue zonæ, est confortare quodammodò & constringere eum qui cingitur, hoc ostendere Legislator proposuit: quia Christus simul creaturam omnem recapitulans, siue restaurans, simul etiam confortans nostram massam, cuius primitias sumpsit, incarnationis dispensaret mysterium, de quo ait Paulus: *qui notum nobis fecit mysterium voluntatis suæ, ad dispensationem plenitudinis temporum, restaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt, in ipso.* Et Dauid: *Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Manifestat etiam ipse, quemadmodùm Christus confortauit totam nostram massam, Verbo dispensationis circumcingens primitias; quam & appellauit fortitudinem, quia per ipsam & nos fortes facti sumus. Quis autem sit dispensationis modus, Ioannes ait: *Verbum caro factum est*: ideóque cydarin & zonam ait Moyses byssinam esse, opus variatum. Byssus enim de terra cum sit, carnem demonstrat, quæ ex terra nostra est, opus plumarij. Domini Verbum qui artifex & variator totius est creaturæ. Ipse sibi carnem à nobis sumptam, operatus est; varians in ea mysteria quodammodò, & creationis miracula.]

Cum ad aggrediendum.

302. Sed hæc est fortitudo Christi, veluti in actu primo. Quod verò huius potiùs loci est, fortitudo actualis in Christo insigniter fulsit, & quoad aggressionem, & quoad perpessionem, quæ sunt duo fortitudinis munera. Fortitudinis ad aggrediendum interitæ, siue magnanimitatis, specimina quædam in Christo proponit Rupertus l. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 21. his verbis. [Fortitudinis primus est actus, vbi *cum eiecissent illum extra ciuitatem, & duxissent illum vsque ad supercilium montis supra quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum, ipse transiens per medium illorum ibat.* Maius vtique fortitudinis opus in hoc ipso significans; Quod est illud? Nimirum quia tandem illum post multas persecutiones in infernum præcipitatum esse volentibus, ipse de morte ad vitam, siue per mortem in gloriam suam transiens, ecce per medium illorum iuit, per medium illorum persequentium & non videntium, ad credentes & illuminatas gentes transiuit. Amplius autem fortitudinis erat, quod ex præsentia eius torquebantur, & tormenta sua confitebantur dæmonia, dicentia: *sine, quod nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scimus quis sis, sanctus Dei. At ille increpans non sinebat ea loqui*; Dicens cuipiam illorum; *obmutesce & exi*, quantæ fortitudinis hoc esset initium, vel signum, ipse quodam loco sic parcè innuit. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.*]

Sed habemus illustriora. Quantam enim fortitudinem prodidit Christus in templo semel ac iterum, cum confertissima multitudine frementium circum se hostium septus, in templo ipso, atque adeò in celeberrimo & frequentissimo loco, animaduersa loci sacri per nundinationem indignam profanatione, facto de funiculis flagello, irruit in negotiatores, & nummularios, æs effundens, mensas subuertens, & impacto flagello omnibus incutiens timorem. Non eum mortis metus, non multitudo hostium, non concepta iam pridem malignitas cœpto absterruit, aut generosam pectoris altitudinem depressit. Adducam id expendentes aliquos Patres agens de autigatione humanæ voluntatis per Christum.

Et luculentiùs etiam, fortitudinem suam prodidit Christus, cum præscius irrogandorum cruciatuum, alacet tamen & intrepidus, imò ouans ac triumphans, Ierosolimam quam atrocitati illi tormentorum subeundæ delegerat, ingressus est. Quæ tanta fuit fortitudo, vt in ea iuxta Psaltem, interprete Basilio, conturbati sint montes, Tartareæ inquam potestates: cœlestis verò militia tametsi heroïcis assueta factis, tamen ad tantam generositatem obstupuerit. Vt propterea S. Athanasius l. de salutari Christi aduentu, ad eam admirabundam

mirabundam aptet illud Isaiæ 62. *quis est iste qui venit de Edom tristis vestibus de Bosca, ille formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Quod in eum subeuntis Ierosolimam Christi articulum cadere, habetur ex Origene tract. 15. in Matth. In ipso deinde passionis veluti aditu, quanta generositas prodita à Christo est, cum in occursum prodijt armatis. Equum fortitudinis symbolum exhibens Iob cap. 39. *numquid* (inquit) *præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Nunquid suscitabis eum quasi locustas? Gloria narium eius terror. Terram ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam dicit; vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Est hæc quidem germana delineatio (iudice D. Gregorio,) cuiusuis Christiani militis: sed ducis maximè, qui vbi primùm buccina paterni mandati insonuit, tantum abest vt recesserit, vt potiùs in occursum armatis perexerit, dixerítque, vah!

303. Per totum reliquum tempus ad mortem vsque, prodidit se Christus *virum vnum*, conuenientissima omnino denominatione, vt S. Gregorius ad lib. 1. Reg. *initio*, obseruauit, expendens & ad Christum aptans illud. *Erat vir vnus de Ramatha Sophin*, idémque latissimè confirmat Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Excellentia B. Virg. à pag. 245. Nec modò *vir* siue *masculus* ob fortitudinem denominatus est Christus, quam eo maximè in quo versamur tempore prodidit, sed *vir vnus*, quasi solus eo nomine dici mereretur. Aduertit Aristoteles 5. Ethic. & explicat ibi pleniùs Michael Ephesios, qui in Olympicis vicerat, abiecto proprio & speciali nomine, dictum exinde specialiter communi nomine *hominis*, quod perinde videtur, ac si *vir vnus* dictus esset. Et sic quoque nominatum Christum legimus appellatum, Cant. 8. verbis illis quibus summa Christi, in hoc extremo præsertim tempore fortitudo, ad viuum exprimitur. *Fortis vt mors dilectio.* Id Christi nomen apud Paulum, vt supra obseruabamus. Nihil porrò morte fortius, quæ omnia perrumpit. *Dura sicut infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* En Christus *homo*, dans omnem domus suæ substantiam, pro dilectione suorum. Homo inquam absolutè & sine addito, pro summa sua fortitudine. Olympiodorus in catena capitis tertij Iob, obuersat id quoque agnouisse fortissimum illum Athletam & infractam columnam, cum dixit, *pereat dies in qua natus sum, & non in qua dictum est homo.* Vox Hebræa *masculum* præfert, quam sibi appellationem detrahi volebat Iob, prospectata tanta Christi fortitudine in extremo vitæ scommate. Fortitudinem namque suam tametsi eximiam & Dei ipsius ore laudatam, præ tanta Christi generositate & animi erectione, nomen inane & fumum censuit. Id quod etiam S. Augustinus obseruauit 2. de peccat mer. cap. 11. expendens alium Iobi locum ex cap. 42. quo vir sanctus, præ Christi subobscure antea cogniti, tum verò perspicuè per lumen Propheticum præconcepti; summa in cruciatibus & adeundis & excipiendis fortitudine, sua extenuat, seque imbellem & qui fortis audiret, indignum pronunciat.

Hanc denique summam alacritatem in arduissimis discriminibus imperterritè adeundis, Christiani quique pugiles eminus obseruare, & non passibus æquis assectari tentarunt. Id quod Hieron. & Rupertus expressum volunt Zachariæ 1. celeberrima illa prænotione quam his verbis effert Zacharias. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum ruffum, & ipse stabat inter myrtea quæ erant in profundo, & post eum equi ruffi; varij, & alibi.* Nox per quam hæc visa Prophetæ, ipsum est passionis tempus, quo vir equo ruffo, sanctæ inquam suæ carni cruore infusæ inequitans, iuxta insignem eiusdem Ruperti allegoriam Apocal. 6. æmulatores tantæ suæ fortitudinis, post se reliquit, Martyres omnes, Confessores omnes, omnes qui in Dei causa strenuè quippiam ac generosè aggressi sint atque perfecerint. Nec verò de sua hac præcellentissima fortitudine remisit Christus, cum aliquando volens latuit. Non enim ex animi deiectione profecta est ea latendi voluntas: Sed [dabat Christus exemplum cauendi, ne quisquam seruus eius diceret, non fugio quia turpe est, non fortè expediret vt fugeret: Dictutus suis, cum nos persecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam, hoc ipse exemplum præbuit.] Verba sunt S. Augustini serm. 8. ex 11 additis in calce Tomi 10. Videsis quæ in eam rem profero in Opere de Martyrio p. 2. c. 5. n. 24.

Tum ad sustinendum.

304. Sunt quidem hæc perillustria fortitudinis Christi decora; sed quod pati (iudice Philosopho,) maius quiddam sit quam aggredi, auctior & plenior Christi in patiendo fortitudo, attingenda est. Exultat in hoc argumento Tertullianus l. de patientia c. 3. breuiarium patientiæ Christi conficiens, post descriptam Dei extra carnis nostræ amictum, dignam Deo patientiam. [Et hæc quidem (inquit) diuinæ patientiæ species, quasi de longinquo: Fors vt de supernis æstimetur. Quid illa autem quæ inter homines palam in terris quodammodò manu apprehensa est? Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat. Natus adolescere sustinet & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, & à seruo suo tinguitur, & Tentatoris congressus solis verbis repellit. Cum de Domino fit magister, docens hominem euadere mortem, ob salutem scilicet venire offensa patientia eruditus, non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit, arundinem quassatum non fregit, linum fumigans non restinxit. Nec enim mentitus fuerat Propheta, imò ipsius Dei contestatio spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis, Nullum volentem sibi adhærere, non suscepit: nullius mensam, tectúmve despexit. Aquam ipse lauandis discipulorum pedibus ministrauit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est. Non illi saltem ciuitati quæ eum recipere noluerat, iratus est, cum etiam discipuli tam contumelioso oppido cœlestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curauit, insidiatoribus cessit. Patrum hoc si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotauit. Cùm verò traditur, cùm adducitur, vt pecus ad victimam (sic enim non magis operit os, quam agnus sub tondentis potestate) ille cui legiones Angelorum, si voluisset, vno dicto de cœlis affoissent, ne vnius quidem discentis gladium in vltorem probauit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladij opera interdixit in posterum, & sanitatis restitutione, ei quem non ipse vexauerat, satisfecit per patientiam, misericordiæ matrem. Taceo quod figitur. In hoc enim venerat. Numquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi, Dominum agnoscere debuistis. Patientiam huiusmodi, nemo hominum perpetraret.] Expressit hæc omnia, mitiore sed diffusiore oratione; S. Cyprianus, sub initium libri de patientia.

305. Addo pauca ex aliis. Chrysostomus hom. ad pop. 52. post multa de Christi tolerantia, sic concludit. [Non temerè scripta sunt & alia, quæque circa crucem ipsam

ipsam gesta sunt, quæ possent ipsos reuocare: sed vt bonitatem imiteris, vt benignitatem æmuleris. Eos enim supinos prostrauit, & serui restituit auriculam, & cum mansuetudine locutus est; & cum suspensus esset, magna monstranit miracula; radios auertens, frangens lapides, defunctos excitans, iudiciis vxorem tertens per somnia, omnem in ipso præ se ferens iudicio mansuetudinem, quæ non minus eos, quam miracula possent attrahere: infinita prædicens coram tribunali, in ipsa clamãs cruce; *Pater dimitte illis peccatum.* Sepultus verò quanta ad illorum ostendit salutem? Resuscitatus autem non statim Iudæos vocauit? non dedit peccatorum remissionem? non innumera contulit bona? Quid hoc mirabilius? Qui crucifixerunt, & occiderunt, postquam crucifixerunt, facti sunt Dei filij. Quid huic par prouidentiæ? His auditis abscondamur, quòd ab hoc tantum distamus, quem imitari iubemur.]

Optimè Nyssenus l. de perfecta Christiani hominis forma, tractans quorsum Christus, dictus sit Dei imago, [Patientia (inquit) quot modis in imagine inuisibilis Dei conspicitur? Vbi gladij, & fustes, & vincula, verba, alapis maxillæ percussæ, facies sputis oblita, humeri verberibus traditi, iudicium impium, crudelis sententia, milites subsannationibus, irrisionibus, contumeliis, & calami percussionibus, immitem sententiam per delicias exacerbantes, claui, & fel & acetum, & grauissima quæque ipsi sine causa illata, immò verò pro innumerabilibus beneficiis reddita, tunc ille quo modo ista patrantes vltus est? *Pater* (inquit,) *ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Nónne poterat contra eos superiùs, vel cælum perfringere? vel ipsos terræ hiatibus abolere? vel dimouere, ex propriis terminis mare, & voraginibus terram submergere? vel Sodomiticum ignis imbrem demittere: vnico verbo, vel aliquod aliud acerbum supplicium irrogare? Attamen hæc omnia, miti patientique animo pertulit, vitæque tuæ, per seipsum, leges patientiæ dedit.]

Præclarè Arnobius in Conflictu cum Serapione l. 1. *ante medium*, cum benè multis Scripturis adductis probasset, Christum dictum esse *Petram*, concludit; [sunt & alia multa quæ memorare longum est, quæ & doceant Petram pro immutabilitate, & pro constantissima voluntate Domini nostri Iesu Christi quam in carne sua exercuit tentatus à Diabolo, traditus à Discipulo, fixus in patibulo, cibatus felle, potatus aceto, perforatus lancea, humiliatus vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et cum omnia hæc homo perfectus sustinuerit, nihil tamen de impatientia hominis imitatus, ostendit Deum per hominem hominibus præstitisse victoriam.]

Insigniter Petrus Cellensis l. 1. de tabernac. expendens arcæ mensuras. [Ecce (inquit) funiculo Euangelico, à conceptione Christi, dinumera patientiam eius nulla interruptione impatientiæ quassatam, vsque ad emissionem spiritus in cruce, & succumbens, super omnem calculum, inuenies eam. Confortata enim est patientia humanitatis, solatio diuinitatis: & non possum ad eam; cuius impatientia acuitur languore naturæ, & inflammatur peruersa tacendi consuetudine. Excelsior cælo est patientia Christi; quia nec in commotione cæli aduersus insensatos, excutitur à tranquillitate sua qui habitat in cælis. Profundior inferno est, qui nec in inferno condemnatis irascitur, quantum merentur. Latior terra, quia licet maledicta in operæ Adæ terra, tamen misericordia Domini plena est, vel saluante conuersos, vel mitius puniente impios. Quid plura? Et patientiæ eius non est numerus.]

306. Fuit porrò præsertim in extrema vita patientia Christi singularis, indice Bernardo serm. de feria 4. Hebd. pœnosæ. [Quod cum supra dolsum eius fabricarent peccatores, cum sic extenderetur in ligno, vt dinumerarentur omnia ossa eius; cum fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israël, vndique foraretur; cùm foderentur manus & pedes; sicut agnus ad occisionem ductus sit, & tamquam ouis coram tondente, non aperuit os suum: non aduersùs patrem murmurans, à quo missus fuerat, non aduersùs humanum genus, pro quo quæ non rapuit exoluebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis, tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alij non tam purgandi, quàm probandi, coronandi que, & maior in eis patientia comprobatur, & commendatur. Quomodò non maxima censeatur in Christo, qui in funiculo hæreditatis suæ, ab his quibus specialiter aduenerat Saluator, crudelissima morte mulctabatur, sicut fur; nullum omnino peccatum, nec actu proprio, nec contactu, in quo sordescere posset, habens? Nimirum in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, non vmbraticè sed corporaliter: in quo Deus est, mundum reconcilians sibi non figuratiuè, sed substantialiter; qui denique plenus est gratiæ, & veritatis, non c operatiuè, sed personaliter, *vt faciat opus suum, alienum opus est eius ab eo*, (Esaias loquitur.) Quia & opus suum fuit, quod dedit ei Pater vt faceret; & alienum ab eo, vt talis talia sustineret. Ita ergo habes in opere patientiam.]

Eadem mens Origeni lib. 7. contra Celsum. Hic impurus Christianorum hostis, fortitudinem Anaxarchi, & Epicteti, in tolerandis acerbissimis doloribus obiecerat. Ille enim in mortarium coniectus, cum contunderetur crudelissimè, hoc vnum respondit. Tunde follem Anaxarchi, ipsum enim non tundis. Epictetus verò perfracto, vt præmonuerat, per horum diriùs torquentem crure, cum ille fregisset; nónne prædicebam (inquit, quod perfringeres. Hæc cum Christianis obiecisset Celsus, concluisisséque. [Quid tale, vester Deus, inter pœnas profatus est?] Reponit Origenes. [Possumus ad hoc dicere, quod inter flagra & cruciatus, eius silentium, maiorem præ se tulit fortitudinem ac patientiam, quàm omnes Græcorum voces in similibus casibus editæ: siue credat Celsus, siue non credat, quod integrè scriptum est à viris optimæ fidei, & inter cætera de constanti inter flagra silentio, sicut & de coccinea chlamyde induta ei per ludibrium, deque arundine in manum pro sceptro indita. Quæ omnia summa mansuetudine pertulit, ne verbo quidem impatientiam, aut stomachationem indicans, in tanta immanitate: sceleratorum hominum. Itaque non præ desperata duritia inter flagra tacuit, sed præ mansuetudine omnes illusiones tolerans.]

307. Apparuit hinc Christus Adamas omni inimico nisu insuperabilis. Richardus Victorinus l. de gradibus carit. cap. 2. illud Prophetæ, *velut adamantem dedi faciem tuam*, ad Christum refert. Sed homonymia fortassis aut affinitate Gallicæ vocis, *diamant* & *aymant*, adamantem sumit pro magnete, cuiusmodi verè fuit Christus ferrum nostrum trahens; præsertim in passione, vt cum Saluiano infra dicam agens de Christo dilecto. Verùm aliud est *adamas*, de quo ibi Propheta; aliud *magnes*. Itaque voce *adamantis* Christo tributa, commendatur insignis fortitudo Christi, præsertim in extrema vita. Orig. lib. 2. in Iob ad illud. *Exiuit Satan à facie Domini*, cum Iobum ob fortitudinem contulisset adamanti, subdit de Christo. [Sic & singularis ille & diuinus cælestis quoque atque incorruptibilis Adamas. Vnigenitus Deus, à patre ad terras missus, de quo dicit Deus Pater; *Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei*: quem neque ignis tentationum in deserto comminuit; quem non plagæ impiorum in cruce contriuerunt; quem neque sepultura sepulchri, neque mortis introitus vel inferorum violauit, sed omnia superans;

rans, diuinum & incorruptibilem & adamantem fuisse demonstrauit. Adamas verò est naturaliter talis lapis, cui neque ignis, neque ferrum, neque aliud quidquam prævalet. Ferro enim si percutiatur, demergitur in ferrum tamquam plumbum missum in ignem. Si in ignem mittatur, similiter permanet, vt missus est & non violatur. Ergo quia nihil ei prævalet, ideò *adamas* appellatur. *Adamas* verò interpretatur ex Græca lingua, *idomabilis, inflexibilis, inalterabilis, incomminutus*, &, vt breuiter dicam, cui nec quidquam prævalet, neque percutiendo, neque adurendo. Nam percussus non comminuitur, exustus non conteritur. Merito ergo *adamas* appellatur, vtpotè insuperabilis.] Hæc quomodo cohæreant cum recentiorum experimentis, non multùm motor. Satis quippe ad rem nostram est, ea siue vera, siue tantùm existimata fortitudine indomabili adamantis, expressam esse ab Origene fortitudinem Christi summam; præsertim ad hostiles connisus extremæ vitæ. Quamquam si quod Origenes ibidem consequenter addit, verum esset; non esset mirum, experimenta recentiorum de vulgari adamante aliud ferre, quàm quòd de eo prodiderant veteres, esse scilicet insuperabilem. Eius hæc est oratio. [Quod si dixerit aliquis, vbi est modò, vel vbi conspicitur huiusmodi lapis adamantinus? Audi, hæc omnia typus fuerunt Domini Iesu Christi, quia vsque ad aduentum Domini erant, & visa sunt; post aduentum autem Domini, visa non sunt. Vbi videtur nunc Phœnix? vbi vrna Adam? vbi videtur arca testamenti? vbi vrna mannæ? Sic similiter nunc vbi videtur adamas, atque ea quæ typum Domini gerebant? Ea scilicet vsque ad aduentum Domini visa sunt, vtpotè figuræ & exinde abscondita sunt, Domino ipsas figuras adimplente. Idcircò nunc, neque arca testamenti, neque vrna mannæ, neque cinnamomum, neque adamas, neque phœnix, istis nunc hominibus verè videntur: nisi fortè quis simile aliquid simulatum contendat, dicens esse quod non est.] Non subscribo ego quidem. Attamen hinc appareret, quis Origenis sensus fuerit de Christi indomabili, & semper infracta fortitudine.]

308. Eam quoque S. Hieron. in cap. 7. Amos, adamante expressam censet, iuxta interpretationem Symmachi & 70. Quam enim *cæmentarij trullam super murum litum*, vertit vulgatus; 70. & Symmachus verterunt *virum stantem super murum adamantium, in cuius manu sit adamas*. Ad quem locum S. Hieronymus multa de adamantis indomabilitate, & paruitate, ac indecora specie præfatus, omnia accommodat Christo; cui in passione nec species nec decor fuit, & ad omnes inimicorum assultus perstitit incomminutus & integer: imo alios Sanctos, eiusdem fortitudinis participes & adamantes effecit. Vniuersos sanè electos Dei, hinc hausisse patientiæ præsidia, & ad Christi patientis imitationem, conformari studuisse. Autor est S. Gregorius 29. Mor. c. 27. sic scribens. [In similitudinem lapidis aquæ durantur. Mentes enim quæ per prospera molliter fluerent, constrictæ aduersitatibus durescunt; & ad similitudinem lapidis aqua perducitur, quando infirmus quisque per acceptam desuper tolerantiam, passiones sui Redemptoris imitatur. In similitudinem quippè lapidis aqua durauerat, cum ille priùs impatiens persecutor, postmodùm Paulus dicebat; *Impleo ea quæ desunt, passionum Christi in carne mea.*] Idem de aliis Sanctis omnibus, esto iudicium.

Nos nisi Christi hanc tantam patientiam æmulemur, eam quod in nobis est, cassam reddimus, quod notauit S. Augustinus in Psal. 68. agens de patientia in opprobriis, exemplo Christi. [Merces tua (inquit) manet in æternum, quia propter Deum sustinuisti opprobria. Ideò enim prior ille sustinuit, vt nos sustinere disceremus. Et si ille sustinuit qui non habebat quod illi obijcerebatur, quantò magis nos; qui etsi non habemus peccatum, quod nobis obijcit inimicus, habemus tamen alterum quod dignè in nobis flagelletur? Nescio quis te furem dicit, & non es fur: audis opprobrium, non tamen sic non es fur, vt non sis aliquid quod Deo displicet. Porrò si ille qui omnino nihil rapuerat, qui verissimè dixerat, *Ecce venit princeps mundi huius, & in me nihil inueniet*, dictus est peccator, dictus est iniquus, dictus est Beelzebub, dictus est insanus, Tu dedignaris serue audire pro meritis tuis, quod Dominus audiuit nullis meritis suis? Ille venit vt tibi præberet exemplum. Quasi gratis hoc fecerit si tu non proficis. Quare enim ille audiuit, nisi vt tu, cum audires, non deficeres? Ecce tu audis, & deficis. Frustra ergo ille audiuit; non enim propter se, sed propter te audiuit. *Quoniam propter te sustinui exprobrationem, operuit ignominia faciem meam.*] De Christi fortitudine satis.

Temperantia, & ei subiectæ abstinentiæ, sobrietas, castitas.

309. Venio ad Temperantiam, cuius immensus propè est ambitus. Signabo dumtaxat illustriora quædam. Abstinentiæ, & sobrietatis, & macerationis innocentissimi corporis, speculum nitidissimum Christus fuit. Tametsi enim quod viuendi norma, ac vt Clemens Alex. 1. Strom. loquitur, *lex animata*, omnibus esset propositus; non debuerit eas vitæ vestitusque asperitates consectari, quibus Ioannes admirationem Iudæorum concitauit; sed victu vestituque communi, sapientissimè vsus est; quod maledicentissima pecora in inuidiam vocauerunt, appellando Christum, carnium voratorem, & vini potatorem: Tamen in illa victus communis ratione, monstrauit satis supérque Christus Dominus, quàm non sibi placeret, nec carnis deliciis, sed animarum bono seruiret.

Quia verò prædictis temperantiæ partibus continens est castitas, mirum non est præcelluisse in ea Christum, quem S. Anselmus, *Regem Virginum* meritò nominauit. Augustinus verò serm. 18. de temp. vocat *Regem castitatis* & l. de sancta Virginit. c. 34. ait, [præcipuum magisterium & virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum esse.] Nec aliter quoad rem ipsam Philippus Abbas l. de continentia cap. 62. Egregiè in hoc Christi decus Orig. hom. 9. in Lenit ad illud *& femoralia linea, sint super corpus eius.* Vnicam namque lineam Christi, interpretatus eius corpus, subdit Origenes. [Femorale indumentum est, quo pudenda corporis contegi, & constringi solent. Si ergo aspicias. Saluatorem meum suscepisse quidem corpus; & in corpore positum, egisse humanos actus, id est vescendi & bibendi, & cætera similia, hoc autem solum opus non egisse, quod ad pudenda corporis pertinet, carnémque eius, neque nuptiis, neque filiorum procreationi patuisse, inuenies qualiter femoralia linea sanctificata habuerit, vt verè de ipso debeat, *quia inhonestiora nostra, abundantiorem habent honorem*; Considera tamen & ipsum Pontificis habitum: quia quod per naturam minus in eo honestum videtur, indutis femoralibus lineis, & zona constrictis, etiam secundùm literam de eo conuenit dici, quia inhonestiora nostra abundantiorem honestatem habent. Ita ergo & omnis, qui in castitate viuens imitatur Christum, hoc solùm de humanis actibus nescientem, ipse etiam lineis femoralibus sanctificatis indutus est; & inhonestioribus suis, abundantiorem circundedit honestatem. Tunica ergo linea sanctificata induitur, & femoralia linea super corpus eius sunt.]

310. Spectant ad hunc locum, quæ de Christo apc ex S. Bernardo serm. 2. de aduentu, alibi refero. Est enim apis symbolum puritatis & integritatis eximiæ. Huc etiam facit, quod Christus tametsi tentatus est per omnia, tamen absque peccato: id est interprete Cassia-

no

tio collat. 5. c. 5. aduersus castitatem nullum voluit recipere intulcum; quia tantus est castitatis nitor, & tantus oppositi vitij putor, vt non sit arbitratus dignum, tentari in eo genere. Quin etiã vt notat Orig. l. 1. contra Celsum ne falso quidem rumore, vel calumnia, maculari se in hoc genere sustinuit. Imo in eius aduentu, exsiccatos esse fontes libidinis. S. Hieronymus in epitaph. Lucinij Bœtici *ferè initio*, egregiè tradit, aptato ad Christum loco Oseæ 13. *Adducet Dominus, ventem venti de deserto ascendentiẽ qui siccabit omnes venas eius, & desolabit fontem illius.* [Exiuit enim virga de radice Iesse, & flos de virginali frutice pullulauit: qui loquitur in cantico Canticorum; *ego flos campi, & lilium conuallium*; Flos noster, mortis interitus. Ideóque & mortuus est, vt mors, illius morte moreretur. Quod autem de deserto dicitur adducendus, virginalis vterus demonstratur, qui absque coitu & semine viri, Deum nobis fudit infantem: qui calore Spiritus sancti exsiccaret fontes libidinum, & caneret in Psalmo, *In terra deserta & inuia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.*] Æmulatus optimè est hunc locum Gillebertus ser. 15. in Cant. Necaliò spectant, quæ fortissimè simul ac amœnissimè dixit Tertullianus l. de pudic. cap. 6. [Luserit (inquit) ante Christum caro, imo petierit antequàm à Domino suo requisita est: nondum erat digna dono salutis, nondum apta officio sanctitatis. Adhuc in Adã deputabatur cum suo vitio facilè quod speciosum viderat concupiscens, & ad inferiora respiciens, & de filicineis foliis pruriginem retinens. Inhærebat vsquequaque libidinis virus, & lactæ sortes non habentes idoneæ, quod nec ipsæ adhuc aquæ lauerant. At vbi sermo Dei descendit in carnem ne nuptijs quidem resignatam, & sermo caro factus est ne nuptijs quidem resignanda, quæ ad lignum non incontinentiæ sed tolerantiæ accederet; quæ non dulce aliquid sed amarum aliquid inde gustaret; quæ non ad inferos, sed ad cœlum pertineret; quæ non lasciuiæ frondibus, sed sanctimoniæ floribus præcingeretur; quæ munditias suas aquis traderet, exinde caro quæcumque in Christo reliquas sordes pristinas soluit, alia iam res est, nouo emergit iam non ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fumo, sed ex aqua pura & spiritu mundo.]

Mansuetudo.

311. Subiacet item Temperantiæ mansuetudo, quæ in Christo fuit præfulgentissima. Audi S. Chrysostomum hom. 1. contra Anomæos *ad finem*. [Seruus est Dei, qui Author pacis est: qui cum dæmonia eijceret, & bona ageret innumerabilia, & cum malè audiret, in homines qui eum dixêre dæmonium habere, non fulmen misit, nõ ora maledica prostrauit, nõ linguas igne combussit impudicas, ingratas, improbatas, quanquam hæc omnia facere poterat, sed verbis hisce dumtaxat maledicta illa auertit: *Ego dæmonium non habeo, sed eum honore qui me misit.* Famulus item Pontificis contumeliose alapam in eius faciem inflixit. At is ita respondit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si benè, cur me cædis?* Quod si dominus & Angelorũ & hominum omnium vindictam sibi non faciat, sed excusset, & secuo attriensi examinandum proponat, nihil profecto est, quod nos sermone egeamus prolixiore admonitionis: hæc enim paucissima verba abundè sufficiant, hæc tantummodò anima iuuerte. Cogita tecum frequentius meditare & refert. *Si malè locutus sum, testimoniũ perhibe de malo: si benè, cur me cædis?* Et quis sit qui hæc dixit intellige, & ad quem, & cuius causa dixerit. Ita enim efficietur. Vt hæc verba, diuinum quoddam & perpetuum carmen tibi habeantur; vt omnem animi inflationem omnem timorem dolorémque sedare possint, & tollere. Cogita dignitatem eius qui affectus est contumelia, & authoritatem: Personam vilem atque abiectam, eius qui contumelia affecit. Adde gratuitatem contumeliæ, & molestiam & acerbitatem. Non enim maledixit solùm, sed etiam cecidit: nec modò quolibet cecidit, sed alapas: qua quidem plaga nil ignominiosius, nil contumelioſius ipse potest. Sed tamen hæc omnia æquo animo tulit & tranquillo, tu latissimè intelligeres, quemadmodum modestiam, patientiam, mansuetudinem, denique virtutis officium seruare deberes.]

Idem perpulchrè homilia de mansuetudine (est 46. tomi 5. Græcol.) [Ipse Dominus & Saluator noster, contumelijs affectus, verberatus, cruci clauis affixus, leniter tulit Iudæorum furorem: & licet posset de impijs vindictam sumere, non sumpsit tamen: sed virtutem suam ostendit, eo quod concussit terram, & mortuos suscitauit, & obscurauit Solem, & noctem ex die fecit. Mansuetudinem autem & misericordiam declarauit, quia nullum ex his, qui impiè agebant, puniuit: vt discerent omnes qui impias manus intulerant Domino, quam non fuisset ei difficile ipsos punire, qui tam facilè terram commouit, & solem repentè obscurari præcepit. Et quia tam mansuetus fuit ipse, vt non solùm mansuetè tulerit eos qui crucifigebant, & blasphemabant sed & Patrem obtecrauerit, ne cœlestibus aduersus impios telis vteretur: idcircò, cum & tibi graue aliquod, & durum ferenti, subrepunt furor, & ira, recordare mansuetudinis Christi, & statim mansuetus eris ac clemens.]

312. Frequens item est in Christi mansuetudine infigenda S. Bernardus. Signo vnum & alterum locum serm. 2. de Pentecost. Christi mansuetudinem & in colloquijs & in perpessionibus, sic describit. [Quàm dulciter Domine Iesu cum hominibus conuersatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es; quàm fortiter tam indigna, quàm aspera pro hominibus passus es; ita vt liceat sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo: duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda: quia in omnibus his, *sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.*] Et serm. 3. de septem panibus describens Christi mansuetudinem in indulgentia iniuriarum, quippe Deo facili ad indulgendum plenè. [Sunt aliqui sic donantes iniuriam, vt non vlciscantur, læpiùs tamen improperent. Sunt & alij qui fileant licet, manet tamen alta mente reposta, & rancorem tenent in animo: quarum vtique neutra, plena indulgentia est. Longe ab his omnibus benignissima est diuinitatis natura, liberaliter agit, ignoscit plenariè, ita vt propter fiduciam peccatorum, sed pœnitentium, vbi abundauit delictum, soleat & gratia superabundare. Testis est Paulus gentium Doctor, qui plus omnibus cum diuina gratia laborauit. Testis est Matthæus de telonio electus in Apostolum, cui etiam noui testamenti primum scriptorem esse donatum est. Testis & Petrus, cui post trinam negationem, totius Ecclesiæ Pastoralis cura commissa est. Testis denique etiam famosissima illa peccatrix, cui in ipso conuersionis initio, tanta mulcitudo dilectionis concessa est, tanta postmodùm indulta gratia familiaritatis. Quis accusauit Mariam, & pro se eam oportuit respondere? si Pharisæus murmurat, si Martha conqueritur, si scandalizantur Apostoli; Maria tacet; Christus excusat, etiam & laudat tacentem. Denique illud quantæ prærogatiuæ, quantæ excellentiæ fuit, quod resurgentem à mortuis prima videre, tangere prima meruit?]

Humilitas.

313. Humilitatem, quam *Christi virtutem* appellat D. Augustinus, attingo breuiter. Eam, ipsum Christi nomen præfert. Audi D. Augustinum conc. 1. in Psalm. num. 33. [Dauid manu fortis, in figura Christi Dauid, sicut Goliat in figura Diaboli: & quod Dauid prostra-

nit Goliam, Christus est qui occidit Diabolum. Quid est autem Christus qui Diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam. Cum ergo Christum nomino, fratres mei, maximè nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus à Deo. Redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus; & quem nobis proponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum, superbia tumuerat; & si existeret aliquis vir humilis in spiritu, sicut erant Prophetæ & Patriarchæ; dedignabatur genus humanum, imitari homines humiles. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis; vt vel sic, superbia generis humani, non dedignaretur sequi vestigia Dei.]

Concinit Chrysostomus hom. 2. in 1. Cor. obseruans idcircò Apostolum Corinthijs fastu turgentibus, nomen Iesu toties ingeminasse, vt eos ad humilitatem prouocaret, eiúsque vestigijs insistere doceret.

Describit hæc vestigia in Christo, ex varijs capitibus Tertullianus l. de Idololatr. cap. 18. verbis illis. [Ille Dominus in humilitate & in nobilitate incessit domicilio incertus. Nã *filius* (inquit,) *hominis, non habet vbi caput suũ collocet.* Vestitu incultus. Neque enim dixisset, *ecce qui teneris vestiuntur, in domibus regum sunt.* Vultu denique & aspectu inglorius, sicut ei Esaias pronuntiauerat. Si potestatem quoque, nullam ne in suos, quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est: si Regem se denique fieri, conscius sui regni, refugit, pleniſſimè dedit formam suis dirigendo omni fastigio & suggestu, tam dignitatis quàm potestatis. Quis enim magis his vsus fuisset, quàm Dei filius? Quales & quanti eum fasces producerent? qualis purpura de humeris eius floreret? quale aurum de capite radiaret, nisi gloriam sæculi alienam & sibi & suis iudicasset? Igitur quæ noluit reiecit; quæ reiecit, damnauit; quæ damnauit, in pompa Diaboli deputauit.]

314. Nec illa minùs sapienter in hanc rẽ S. Basilius homil. de humilit. [Vniuersam Domini dispensationẽ, ad humilitatem nos instruere deprehendimus. Cum infans esset, mox in spelunca, nec lecto, sed præsepio imponitur. Deinde in domicilio fabri & matris pauperculæ enutritur, subditus matri & illius sponso. Docetur, audiens quorum non egebat, interrogans verò, & interrogando, admirabilem declarabat sapientiam. Subditur Ioanni, & baptismum suscipit à seruo Dominus. Nemini aduersariorum restitit; neque inenarrabilem suam potestatem in quenquam vibrat; sed quasi potentioribus cedit, & potestati temporatiæ, potentiam quam illa habebat permittit. Principibus Sacerdotum in forma rei sistitur, ad Præsidem ducitur, & iudicium illius sustinet. Et cum posset calumniatores suos arguere, silentio toletat illorum calumnias. Conspuitur à seruis ac vilissimis pueris. Morti traditur, eique hominum iudicio turpissimæ. Ita hominem, omnia ab ipsa natiuitate, ad mortem vsque exercuerunt.]

Specialiter de ea humilitate quam exhibuit latens per annos 30. in hunc modum Philosophatur S. Bernardus serm. 1. de Epiphan. [O humilitas Christi, quãtum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & iam silere non possum; impudenter me & imprudenter ingerens & ostentans, promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cùm seipsum absconderet, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Vtique timebat, sed non sibi: nobis timebat ab illa, quibus nouerat esse timendum: nobis cauebat, nos instruebat. Tacebat opere, sed instruebat opere: & quod postea docuit verbo, iam clamabat exemplo. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Nam de infantia Domini parum aliquid audio: ex tunc, iam vsque ad hunc tricesimum annum, nihil inuenio.] Ex his agnoscenda est humilitas Christi.

315. S. Chrysostomus hom. 7. in ad Philipp. videtur agnoscere Christi humilitatem, in eo quod homo sit factus, verbis illis. [Si homo homines lauit; non inaniuit, non humiliauit seipsum. Si cum homo esset, non hoc rapuit, nimirum esse se æqualem Deo; profectò non est cur laudetur. Nam eum quidem qui Deus sit, hominem fieri; magna humiliatio est; quàmque nulla oratio consequi narrando queat. Eum verò, qui homo sit, humana facere; quæ tandem humiliatio?] Similia ex Augustino infra referam ex serm. 37. de diuersis. Et addendus est locus ex q. 80. & 83. circa illa verba ex c. 1. Ioan. *& Verbum caro factum est.* Caue tamen de assumptione humanitatis, id accipias. Ibi enim nullus actus humilitatis elicitus est. Non enim à Deo qui non est capax actus humilitatis, vt est per se perspicuum, & disertè notauit quoad hoc S. Anselm. l. 1. cur Deus homo cap. 8. Neque ab humanitate Christi quæ non præfuit assumptioni, nec priùs natura operata est, quàm completè esset, & in Verbo subsisteret. Illud ergo, *hominem fieri*, quod ex Chrysostomo adducebam, vt totus contextus clamat, idem est ac *hominem se prodere opere humili, & homini congruente*, non Deo, à quo aliena erat ea abiectio lotionis discipulorum, de qua ibi agit S. Chrysostomus.

Non dissimiliter accipiendus est, qui aliquatenus similiter locutus est, Gregorius Nyssenus orat. 1. de beatitud. verbis illis. [Quoniam omnibus propemodùm qui humanæ naturæ participes sunt, vitium elationis quodammodò innatum est; idcirco Dominus hinc initium beatitudines exponendi facit, tanquam primordiale malum quoddã ex habitu nostro superbiam eijciens, dum consulit, vt imitemur eum, qui sponte sua egenus fuit, qui verè beatus est: vt in quo possumus pro viribus nostra parte assimilari; ex eo quod nostra voluntate egeni paupertatem secuti fuerimus, etiam beatitudinis cõmunionem attrahamus, & adeoscamus. *Hoc enim quisque sentiat,* (inquit,) *inter vos, quod & in Christo Iesu: qui quũ esset in forma Dei, non rapinã arbitratus est, quod Deo par & æqualis esset: sed forma serui sumpta, seipsum exinaniuit.* Ecquid magis in Deo mendicũ, quàm forma serui? Quid in Rege rerum vniuersarum humilius, quàm in communionem inopis & mendicæ naturæ nostræ veniſſe? Rex regnantium, & Dominus dominantium, sponte sua formam seruitutis induit. Iudex rerum vniuersarum, principibus tributarius exiſtit. Creaturæ Dominus, in spelunca versatur? Qui mundum vniuersum complexus est, non inuenit locum in diuersorio, sed in præsepio brutorum animalium abijcitur. Purus ille, humanæ naturæ sordes non respuit; ac per omnem nostram mendicitatem penetrans vsque ad mortis progreditur experimentum. Videte voluntarium mendicitatis modum. Vita mortem gustat; iudex in iudicium ducitur; Dominus vitæ rerum vniuersarum, subijcitur iudicis decreto, supra mundanarum omnium copiarum rex, carnificum manus non repellit. Ad hoc (inquit) exemplum, modus animi demissionis tibi spectet.] Hæc inquam, & si vspiam alibi similia leguntur, quibus Christi humilitas ex susceptione humanæ carnis celebretur, non sic accipienda sunt, quasi reuera susceptio carnis, fuerit actus virtutis illius moralis quam vocamus humilitatem. Id enim falsum est, vt præmiſi: quia tamen ea fuit radix è qua tot humilia Christi opera prodierunt, tamen formaliter humilitas à Christo exhibita est, non in ea susceptione, cui Christus ipse non præstitit, sed in consequentibus operibus, qualia iam plerasque attigimus, & superſunt etiam attingẽda nonnulla.

316. Humilitatem itaque prodidit insuper Christus, in externo apparatu vniuerso, & nominatim in vesti-

bus,

bus, vt benè considerat S.Chrysostomus hom.84. in Ioan. Verbis illis. [Quod autem dixit, *desuper contextã.* Non simpliciter ponitur, sed alij allegoriam id significare dicunt, quod non simpliciter homo esset Crucifixus, sed desuper habuerit diuinitatem. Alij dicunt, per illud genus vestis, Euangelistam historiam narrare. Nam in Palestina ex duobus pannis vestes contexunt. Quod significans Ioannes, inquit, *desuper contextam.* Quod mihi dicere videtur, vt vestimentorum vilitatem ostenderet. Nam quemadmodùm in alijs omnibus, ita in habitu, vilem speciem præferebat.] Audi etiam de hac veste Isidorum Peluſiotam l.1. epist.74. [Quod vestitus mollities, & subtilitas, colórque elegans, religiosæ, ac Deo gratæ exercitationis regulam minimè ferunt, Theologum Ioannem interroga, Domini tunicam describentem; ac tibi dicet; *erat autem tunica eius inconsutilis, desuper contexta per totum*; Quis autem vestis illius vilitatem ignorat? Vt qua Galilæorum pauperes vtantur: apud quos etiam maximè huiusmodi vestis genus fieri solet, atte quadam, vt pectoralis, tetractim consutam.]

317. Quem verò nobis externa Christi abiectio cõmodarit, quámque ad fidei nostræ firmitatem, & vndecunque rectè communitam certitudinem contulerit, quod non regio appatatu & exercitibus septus in terris visus est, sed humilis & pauper, obseruauit egregiè S.Cyrillus l.6.in Iulia.ad textum 11.his præter cætera. [Quoniam autem vniuersorum opifex, sui iuris hominem esse voluit, & in operabilibus propria gubernari voluntate, ob hanc rationem, & valdè rectè, omnium Saluatori Christo bene habere videbatur, persuasione potiùs & non coniectione necessitatis, homines à turpibus liberari pro quibus meliora potiùs deliberent, & ea per quæ verisimiliter meliores efficerentur. Quod si gloria Regali ornatus, inuictam habens potestatem, præcipisset hominibus sibi credere, non vltra fructus cognitionis fuisset credere, sed potiùs necessariorum & ineuitabilium præceptorum: & fuisset fortassis sicut vnus, qui humanis opinionibus diuinitatis gloria indignè honoratur. At quia tamquam vnus ex nobis, modesto & submisso sensu vsus est, & ab humana gloria abstinuit, partim sapientissimis doctrinis, partim ineffabilibus diuinis miraculis, voluntarios, & certò cognoscentes ad meliora transmittit, posthac non vltra in mundo dispensatio vituperatur; imò captus est, qui contra omnipotentem nugatur.]

Idem egregiè prosequitur Theodotus Ancyranus tract.de Natali Saluat. in Canc. Ephesi, verbis illis. [Naturæ creator aduenit, naturámque victam erigere volens, adstitit; non terrens tamquam Deus, neque tonitruis auditum percutiens, neque nube circumamictus, & ignem in nube demonstrans, neque tubæ sono audientes terrens; sicut aliquando Iudicis apparuit, timorem iniiciens in deuotis, nec concutiens famulum; sed gratia magis & bonitate euocans eum. Propterea non venit cum imperiali fastigio, nec obsequium dedixit Archangelorum, Non monit Angelorum exercitus; non enim volebat persequi recedentem, fugitiuum suarum legum; sed venit omnium Dominus in serui forma, paupertate circumamictus, vt venationem non effugaret. Incerto nascitur prædio, agrum incertum ad natiuitatem eligens, paupercula paritur Virgine, per omnia paupera graditur, vt per eiusmodi ad salutem hominem venaretur: Nam si gloria stipatus fuisset, & diuitijs multis circumamictus accederet, dicerent vtique infideles; quoniam diuitiarum largitas, mutationem orbis terrarum fuisset operata si maximam Romanam elegisset ciuitatem, potentiam ciuium, mutationem orbis terrarum, putarent. Si filius fuisset imperantis, potestati vtilitatem adscriberent. Si legislatoris factus fuisset filius, præceptis vtilitatem adscriberent. Sed quid fecit? omnia paupera & vilia elegit omnia mediocria, & plurimùm obscura, vt diuinitas sola cognosceretur orbem transformasse terrarum. Propterea pauperculam elegit matrem, pauperiorem patriam; egenus fit pecunijs. Et hoc exponat tibi præsepe: Cum enim non esset lectus, in quo Dominus reclinaretur, in præsepi ponitur; & fit opus immensum prophetiæ, & optima nunciatio. In præsepi enim ideò positus est, quia nuntiabat, quod etiam in irrationalibus notus fieret. Der namque Verbum & Filius, ad semetipsum trahit, & diuites & pauperes, eloquentes & tardiloquos, cum paupertate viuens, & in præsepi iacens. Vide ergo quomodò rerum indigentia, operatus est prophetiam; & paupertas eum qui propter nos homo factus est, accessibilem vniuersis ostendit. Nullus enim metuens superbas Christi diuitias, tardus fuit, nullum accedere ad eum, imperij celsitudo prohibuit; sed communis apparuit & pauper, semetipsum offerens omnibus ad salutem. In præsepi namque Deus proponitur Verbum, per medium corpus; vt licentiam habeat rationalis & irrationalis, participare cibo salutis.]

318. Humilitas Christi, in despectione egregiè emicuit, iuxta S.Augustinum in Psal 35.ad illud *non veniat mihi pes superbiæ*, sic enim scribit. [Quia nos superbia vulnerauerat, humilitas sanos fecit. Venit humilis Deus, vt à tanto superbiæ vulnere curaret hominem. Venit quia *Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis.* Comprehensus est à Iudæis, insultatum est ei. Audistis cum Euangelium legeretur, quid dixerunt & cui dixerunt. *Dæmonium habes*: & ille non dixit, *dæmonium habetis vos, quia vos in peccatis vestris estis, & Diabolus possidet corda vestra.* Nõ hoc dixit; quod si diceret, verũ diceret. Sed non erat tempus vt hoc diceret, ne non veritatem prædicare, sed maledictum reddere videretur. Dimisit quod audiuit, quasi non audisset: Medicus enim erat, & phreneticum curare venerat. Quomodò medicus non curat quidquid audiat à phrenetico, sed quomodò conualescat, & fiat sanus phreneticus: nec si & pugnum ab illo accipiat, curat. Ille illi facit noua vulnera, ille veterem febrem sanat: sic & Dominus ad ægrotũ venit, ad phreneticum venit, vt quicquid auditer, quicquid passus esset, contemneret; hoc ipso eos docens humilitatem: vt humilitate docti, sanarentur à superbia.] Docti sanè à Magistro humilitatis. (Sic enim ipse Augustinus tract.25. in Ioan. & aliquoties alibi Christum nominat,) qui factis primum deinde etiam verbo infigere studuit, quanti referret hominis tam eximiæ virtutis exercitatio.

Humilitatis sanè doctrinam commendauit sæpè, & suo exemplo firmauit, Christus. Benè Autor tractatus de Pass.apud Bernardum cap.17. [Videamus quantum in se istam virtutem, omnium virtutum Dominus commendauit. Primum verba eius attendentes vbi ait, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Quid est magister bone optime Iesu? Numquid ad hoc redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in te reconditi, vt hoc singulariter doceas, quia mitis es & humilis corde? Non doces vt cœli discantur fabricari, fieri miracula, mortui suscitari, & cætera huiusmodi, sed quia mitis sum & humilis corde. Numquid tam magnum est, quod est paruum? Vtique, quia per hoc inuenitur requies animabus. Quæ enim alia est causa omnis laboris, & certaminis nostri, nisi vt inueniamus requiem animabus nostris? Breuis doctrina, breuis via demonstrata est. Discе hanc à Domino Iesu, qui mitis est, & humilis corde. Id est, vide, & quantum & quare humiliatus est ille, qui est excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius; & discе etiam quia tu es lutũ & cinis, & sic inuenies requiem animæ tuæ.]

319. Porrò quamuis vita Christi vniuersa, iugis exercitatio humilitatis fuerit, tamen extrema huius pars reliquas facilè hac in parte superauit, quod idem

Autor

Autor, ibidem versat latissimè Macarius idem non malè hom.26. hoc humilitatis exemplum homini proponit, expostulans de inflatione nostra, post tantam Domini humilitatem in extremo præsertim vitæ actu. [Dominus ipse (inquit,) quia via est, & Deus, cum non propter seipsum, sed propter te venerit, vt typus ac exemplum tibi fieret vniuersi boni; perpende in quantam humilitatem se abiecerit, forma serui accepta, qui est Deus, Dei filius, Rex, filius regis; donans quidem ipse curatiua pharmaca, sanánsque vulneratos; exteriùs tamen velut vnus vulneratorum apparens. Cæterum ne despicias diuinam dignitatem, dum conspicis illum exteriùs humiliatum, vt similem nobis. Propter quem sic apparuit? Non propter seipsum. Perpende, ea hora, qua clamabant, *crucifige, crucifige eum*, ac populus concurrebat, quàm humiliatus erat præ omnibus! Quemadmodum in rebus externis, si quis sit improbus, quem accepta sententia à magistratu, post hæc vniuersus populus exsecratur ac contemptui habet: sic quoque Dominus hora crucis, tamquam homo vitam cum morte commutaturus, vilipendebatur à Pharisæis. Quando rursus conspuerunt in vultum eius, & imposuerant ei coronam spineam, & colaphis eum ceciderunt, quam non superauit humilitatem? Scriptum enim est; *dorsum meum dedi flagellantibus, nec auerti faciem meam à turpitudine conspuentium, nec genas meas à percutientibus.* Quod si Deus, tantas contumelias, passionem, ac humilitatem subijt, tu qui natura huius es, & mortalis naturæ, quantumcumque humiliatus fueris, nihil, quod cum Domino tuo comparandum sit, feceris. Deus tui gratia seipsum humiliauit, tu verò tui gratia non demittis te, sed extolleris, atque insolescis?]

Andi etiam S.Augustinum serm.37. de diuers. c.3. [Apostolus dicit loquens de Christo; *cum in forma Dei esset, non rapinam arburatus est, esse æqualis Deo.* Quanta Maiestas! *Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: Quanta humilitas! Humiliauit se Christus: Habes, Christiane, quod teneas. Christus factus est obediens vsque ad Incarnationem Verbi, vsque ad participationem mortalitatis humanæ, vsque ad trinam diaboli tentationem, vsque ad irrisionem populi Iudæorum, vsque ad sputa & vincula, vsque ad alapas & flagella; si parum est, vsque ad mortem: & si aliquid etiam de genere mortis addendum, *mortem autem crucis.* Habemus tale humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quid ergo intumescis, ô homo? O pellis morticina, quid tenderis? ô sanies fœtida, quid inflatis? Anhelas, doles, æstuas, quia tibi nescio quis fecit iniuriam. Vnde tu flagitas vltionem, sitis arenti fauce vindictam. Nec priùs ab intentione desistis, donec de illo qui te læserat, vindiceris? Si Christianus es, expecta Regem tuum. Priùs se vindicet Christus. Nondum enim vindicatus est, qui pro te tanta perpessus est. Et vtique illa Maiestas, posset vel nihil perpeti, vel continuè vindicari. Sed cum esset in illo tanta potentia, ideò fuit etiam tanta patientia, quia pro nobis est passus, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.]

320. Meritò hæc extrema Christi humilitas nostræ superbiæ opponitur, quia humilitatem in Christi vniuersa vita splendidissimè micantem, in vltima veluti periodo perstrinxisse reliquam vitam, certum est; vt obseruat S.Bernardus serm. de festa 4. hebdom. pœnosæ cum ait, hanc fuisse humilitatem sine exemplo; [Nempe in humilitate iudicium eius sublatum est; cum nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi obijciebantur crimina responderet. *Vidimus*, (inquit) *eum, & non erat ei aspectus.* Non speciosum formâ præ filijs hominum, sed opprobrium hominum, & tanquam leprosum, nouissimum in virorum, planè virum dolorum, à Deo percussum & humiliatum: ita vt nulla esset ei species neque decor, ô nouissimum! ô altissimum! ô humilem, & sublimem, ô opprobrium hominum, & gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior; nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobrijs saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis deputatus est. Nihil me merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum; imo quæ tam est vltra modum? sicut est patientia singularis, sic & humilitas mirabilis, vtraque sine exemplo.]

Eadem ex causa Petrus Blesensis tract. de Transfig. Ita interpretatur quod Lucæ 9. dicitur, Mosem & Eliam locutos cum Christo esse, de excessu: hoc est de passione & morte, quæ ideò *excessus* metito dici potest, quod omne genus humilitatis excedat. Concinit S.Bernardus sic scribens hom. de euntibus in Emaus. [Verè Domine nimis excessisti: quia cum sis splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ eius, & cum sis Dominus Maiestatis, trementibus elementis, cœli luminaribus obscuratis, & stupentibus Angelis, pati dignatus es tormentum abiectissimæ passionis. Verè fuit excessus, cum dedisti vellentibus genas tuas, cum faciem tuam non auertisti, ab increpantibus & conspuentibus, quando cum iniquis es deputatus.]

321. Quòd Lucas refert Mosem & Eliam cũ Christo agentes, locutos esse excessum, Græcè est λεγον ἐξοδον. *Loquebantur Exodum eius*, id est mortem. Quæ mihi loquendi ratio reuocat in mentem illud scitè æquè ac vtiliter à Nysseno notatum hom.4. in Eccles. Nempe voluisse Deum, ex ipsa serie sacrorum librorum, corúmque titulis, admonere, egressum à vita subijci ingressui in hanc vitam; sicut Genesim, sequitur Exodus. Nec dissimiliter ingenium exercuit Petrus Damiani serm.19. qui est de S.Anthimo, post S. Augustinum 12. contra Faust. cap.32. cum dixit, primùm recenseri Legem, tum Iudices, postremò Reges; quia prout legem seruauerimus iudicabimur, & regnum vel assequemur, vel amittemus. Sed hoc in præsentia dimisso, vides, *Exodum* cuius est mentio Lucæ 9. continere excessum humilitatis Christi, quem extrema eius vita exhibuit. Eiusdem Blesensis serm.31. est pia illa extremæ Christi vitæ cum melle comparatio, quod mellis quicquid fœculentum est, sursum enatet, dulcissimum verò subsidat.

Lotionem pedum discipulorum, tum adhibuit, & inter eos Iudam non omisit, vt probani c.9. Operis de Iuda num.21. Hæc quanta fuerit humilitatis functio, ibidem dixi num.20. quibus nunc addo S.Augustini locum ex l.de S.Virginit. c.32. [Iam verò quod eximus ad passionem, lauit pedes discipulis, monuitque apertissimè, vt hoc facerent condiscipulis atque conseruis, quod eis fecisset Magister & Dominus, quantum commendauit humilitatem: cui commendandæ etiam illud tempus elegit, quo eum proximè moriturum cum magno desiderio, contuebantur; hoc vtique præcipuè memoria retenturi, quod Magister imitandum, vltimùm demonstrasset. Ait ille, *hoc facite*: quod vtique potuit & alijs ante diebus, quibus cum eis fuerat conuersatus: quod si fieret, hoc ipsum quidem traderetur sed vtique non sic acciperetur.]

322. Eodem vitæ suæ extremo tempore, Sacramentum corporis & sanguinis sui, in cibum ac potum animarum nostrarum instituit Christus; in quo mysterio quanta prodatur humilitas, accipe ex D. Augustino conc.1.in Psalm.33. [Notum est, Dominus noster Iesus Christus, in corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram. Vnde autem commendauit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant superna Virtutes,

tores, manducant cœlestes Spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Vnde eor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traijciatur? Nam mater hoc facit; quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minùs idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ, & lactis suæ cum de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducauit homo, vt scriptum est; *panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo*: id est Verbum illud quo pascuntur Angeli sempiternum, quod est æquale patri, manducauit homo: quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Saginantur ergo illo Angeli. *Sed semetipsum exinaniuit*, vt manducaret panem Angelorum homo; *formam serui accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo: humiliauit se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, vt iam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini. Nouum sacrificium, quia munuit vultum suum coram Abimelech.

Et inferiùs explicans quod de Dauide 1. Reg. 21. scriptum retulerat *ferebatur in manibus suis, & procidebat ad ostia portæ, & saliua decurrebat super barbam eius*, sic exclamat. [Hoc verò fratres quomodo possit fieri in homine, quia intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligitur in ipso Dauid secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Fetebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: *hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ipsa est humilitas Domini nostri Iesu Christi, ipsa multùm commendatur hominibus. Ad ipsam nos hortatur fratres, vt viuamus; id est, humilitatem eius imitemur, vt percutiamus Goliam, & tenentes Christum, vincamus superbiam. Procidebat enim ad ostium portæ. Quid est *procidebat?* Ad humilitatē se ipse deijciebat. Quid est *ad ostia portæ?* Ad initium fidei, quo salui efficimur. Nemo enim incipit nisi ab initio fidei, sicut dicitur in Canticis Canticorum, *venies & pertransies, ab initio fidei.* Peruenturi sumus facie ad faciē, sicut scriptum est, *dilectissimi filij Dei sumus & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniā videbimus eū sicuti est.* Videbimus. Quādo? Cùm ista transierint. Audi etiam Paulum Apostolum, *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Antequam ergo videamus facie ad faciem Verbum quod vident Angeli, opus nobis est adhuc ostijs portæ ad quæ procidit Dominus, humilians se vsque ad mortem. Quid est quod Saliuæ decurrebant super barbam eius? Innocens enim, *immutauit vultum suum corā Abimelech*, vel Achis, *& dimisit eum & abijt.* Non intelligentes dimisit. Ad quos abijt? Ad gentes. Ergo nos intelligamus quod ipsi non potuerunt. Decurrebant super barbam Dauid Saliuæ. Quid sunt saliuæ? Quasi verba infantilia. Saliuæ enim currunt infantibus. Nonne erant tamquam infantilia verba, *manducate carnem meam & bibite sanguineum meum?* Sed ista infantilia verba, tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Saliuæ igitur decurrentes super barbam eius, quid sunt nisi verba infirma, virtutem eius tegentia? Approbat hanc Augustini allegoriam de Christo in Eucharistia humili, Prosper de promiss. part. 2. cap. 25. Alibi sic scribit idem Augustinus. Vnde commendauit Dominus corpus & sanguinem suum? Vnde? nisi de humilitate sua? nisi enim esset humilis, nec manducaretur nec biberetur. Ita ille serm. 127. de temp. Qui etiam serm. 46. de diuers. cap. 12. appellat Eucharistiam *mysterium humilitatis Domini.*

323. Ex humilitate in eo extremæ vitæ tempore prodita, Origenes lib. 2. contra Celsum *sub initium*, demonstrat mendacissimè à Celso ipso aliisque fanaticis Ethnicis, impingi potuisse Christo, dicam arrogantiæ. [Proferant verò (inquit) vbi vel in speciem arroganter dictum à Iesu aliquid inueniatur. Quomodò enim arrogans haberi potest, qui sic loquitur, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Aut quomodò arrogans est, qui post cœnam coram discipulis veste deposita, accinctus linteo, & aqua in peluim indita, lauat pedes singulis, & eos præbere nolentem obiurgat: *nisi lauero te, non habebis partem mecum.* Aut quomodò arrogans, qui dicit *Ego autē inter vos non fuit, sicut recūbens, sed ministrans?*]

Liquet rectè scriptum esse à Petro Blesensi serm. de S. Iacobo *in fine.* [Quouis humili humilior fuit Christus.] Et serm. 33. [Tanta sanè fuit humilitas Saluatoris, vt quasi videretur respondere ipsius Maiestati: Quia sicut erat filij Dei incomprehensibilis Maiestas, ita fuit in hominis filio inæstimabilis humilitas. Cùm enim esset in sinu Patris, inclinauit cœlos, & descendit, formam serui accipiens; de paupercula virgine pauperior natus, satiatus opprobrijs, morte latronum condemnatus, & cum obijsset, lanceatus.]

324. Hæc est Christi, in vita & in morte, humilitas summa & incomprehensibilis. [Dignum est (inquit S. Bernardus serm. 4. in vigil. natiu. Dom.) vt, & modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quàm vt immoderatè agat homo, conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus, Dominus Maiestatis? *discite*, (inquit,) *à me quia mitis sum & humilis corde*, vt possit etiam modestia vestra innotescere cæteris.) Et serm. 1. in natali Domini. [Obsecro proinde & plurimùm rogo, fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est, custósque virtutum. Sectamini illam, quæ sola potest saluare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quàm vt videns Deum cœli, paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram? Intollerabilis impudentiæ est, vt vbi sese exinaniuit Maiestas, vermiculus impleatur, & intumescat.]

325. Idcirco sanè humiliari voluit Christus, (vt philosophatur Autor sermonis de ablut. pedum apud Cyprianum,) vt erigens se contra Deum, confundatur superbia hominum; & ad humilitatem Dei, nouerit de se humilia sapere lutum. Optimè S. Augustinus in Psal. 18. v. 14. vbi tractans illud *emundabor à delicto maximo*, aut vt ipse legit *magno*, percontatus quod sit illud delictum, respondet sibi. [Delictum magnum, arbitror esse superbiam. Hoc fortasse & aliter significatum est in eo quod ait, *& emundabor à delicto magno.* Quæritis quàm magnum sit hoc delictum, quod deiecit Angelum, quod ex Angelo fecit Diabolum, eique in æternum intercluſit regnum cœlorum? Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum, scriptum est enim; *Initium peccati omnis, superbia.* Et ne quasi leue aliquid contemnas: *Initium*, (inquit) *superbiæ hominis apostatare à Deo.* Non leue malū est hoc vitiū, fratres mei: Huic vitio in his personis, quas videtis amplas, displicet humilitas Christiana. Propter hoc vitium dedignantur colla subdere iugo Christi, obligati arctiùs iugo peccati. Nō enim seruire eis continget, nam volunt seruire, sed eis expedit seruire. Nolendo seruire nihil aliud agunt, quam vt bono Domino non seruiant, non vt omnino non seruiant quia qui noluerit

seruire

seruire caritati, necesse est vt seruiat iniquitati. Ab hoc vitio quod est caput omnium vitiorum, quia inde cætera vitia nata sunt, facta est apostasia à Deo cunte anima in tenebras, & malè vtente libero arbitrio : peccatis etiam cæteris consecutis, vt & substantiam suam dissiparet cum meretricibus, viuens prodigè, & per egestatem fieret pastor porcorũ qui erat socius Angelorum. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cœlo deduxit, vsque ad formam serui humiliauit, contumelijs egit, ligno suspendit, vt per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.]

326. Non est omittendus studiosissimus humilitatis, qui cum alibi sæpissimè, tum egregiè planè in eam rem disserit S. Paulinus epist. 21. loco aureis notis exscribi digno. [In causa tãti huius cõsilij, & muneris, animaduertere ipsius lumen est qui nos illuminat à montibus æternis : in quos oculis alleuatis videamus, ijsdem nos, quibus perieramus itineribus inuentos ; rursus ex arbore, rursus ex Virgine ; sed non rursus superbia præcipitandi verum è contrario humilitate redituri. Nam idcircò Rex gloriæ & Dominus maiestatis exinaniuit se, formam serui accipiens ; & inuisibilem magnitudinem suam, visibili abiectione cõtexit, vt nos veteri illo malè conceptæ arrogantiæ morbo, foris altos, intus obtritos, in formam sublimitatis suæ, per formulam nostræ in se humilitatis attolleret. In hoc enim operatus est, & operatur quotidie bonus Dominus, vt diuinæ conformationis gloriam cõsequamur, si nostri in Christo conformationis exemplum sequamur, cognoscentes in altissimi moderamine, temperatum naturæ nostræ modum ; vt supra nos ipsius gratia prouehamur, si iuxta nos, nostri memores ambulemus. Ad quam nos mensuram, propheticus ille de Numeris sermo componit, quo dicitur ; *declinabimus dextra neque sinistra, sed regali via ibimus.* Quod nobis Christus est, mediator Dei & hominum, inter diuina & humana nos temperans, & ad regnum suum regali via ducens ; vt corde humiles, opere sublimes, à sinistris, id est peccatis quæ in mortem trahunt, alleuemur, & à dextris nimijs, id est præsumptione superba, humilitatis lege reuocati, teneamus salubrem mediocritatem ; ne aut oculos nostros declinantes in terram, comparemur iumentis, quibus non est intellectus : aut altiora nobis scrutantes, euanescamus in cogitationibus nostris. Itaque non alta sapientes, sed humilibus consentientes, in mensura qua mensurauit nobis Dominus, nosmetipsos metiamur.]

Illustrissimè planè, sed fusiùs quàm vt hic adscribi possit, ex humilitate Christi, omnibus malis nostris medicinam erui, & vigorem ad omnes virtutes infert, Mercus Eremita l. de præceptis salut.

327. Quod vero est consideratione dignissimum, Christus ita fuit humillimus, & coram se abiectissimus, vt tamen simul esset summus. Imo inde maximè crescebat eius humilitas. Coniugium illud depressionis & celsitudinis, egregiè in Christo expressit Galfridus tractans illud ex c. 2. Esaiæ *erit mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Sic enim scribit, monstrans Christũ fuisse simul vallem, & montem. [*In die illa erit mons Domus Domini præparatus in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes* &c. Sed quomodò fluent ad montem? Non enim solent sursum vergere fluida, sed deorsum. *Inter medium montium pertransibunt aquæ*, ait sanctus Dauid. Sed mons iste præparatus in vertice montium, omnibus quoque vallibus humilior erat. Alioquin quomodò ascendentes Angeli, & descendentes super filium hominis, viderentur? Erat quidem mons præparatus in vertice montium, iuxta illud ; *qui de cœlo venit, super omnes est.* Sed nihilominus oportebat humilitatis doctorem, docendis omnibus humiliorem esse. Si igitur in hanc vallem descendis, nihilominus conscendis in montem : quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Denique baptizatus est in Iordane, cuius nomen interpretatur *descensus eorum* ; descendit, vt exaltemur.]

328. Mirum porrò esse non potest, Christum humilitatis præsertim exempla signare hominibus voluisse, quos nosset corruisse per superbiam, cui vt mederetur, ad nos veniebat, vt S. Augustinus egregiè obseruauit tract. 25. in Ioan. ad illud *descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam.* [Vnde (inquit,) abundat, iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descẽdit & humilis factus est filius Dei. Quid superbis homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse, imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. Venit filius Dei in homine & humilis factus est. Præcipitur tibi vt sis humilis, non tibi præcipitur vt ex homine fias pecus. Ille Deus, factus est homo : Tu homo cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est, vt cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit ; *non veni facere voluntatem meam, sed eius voluntatem qui misit me.* Hæc ergo commendatio humilitatis est. Superbia quippe [illegible]it voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideò qui ad me venerit, non eijciam eum foras. Quare? Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Humilis veni, humilitatem docere veni : qui ad me venit, incorporatur mihi : qui ad me venit, humilis fit : qui mihi adhæret, humilis erit, quia non facit voluntatem suam, sed Dei : & ideò non eijcietur foras, quia cum superbus esset, eiectus est foras.]

Idem l. de fide & symbolo c. 4. sic scribit. [Sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari. Quo pertinet illud, *Dominus creauit me in principio viarum suarum.* Viarum enim eius principium & caput Ecclesiæ, est Christus homine indutus, per quem viuendi exemplum nobis daretur. Hæc est via certa qua peruenimus ad Deum. Non enim redire possumus, nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus, sicut dictum est primæ nostræ creaturæ, *gustate & eritis tamquam Dij.* Huius igitur humilitatis exemplum, id est viæ qua redeundum fuit, ipse reparator noster in se demonstrare dignatus est. Qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum euacuauit formam serui accipiens, vt crearetur homo in principio viarum eius, Verbum per quod facta sunt omnia.] Meritò itaque apparuit Christus humillimus, & veloquitur idem Augustinus serm. 74. de temp. factus est *Autor humilitatis, repressor tumoris, modicus Deus.* Rursusque l. de sancta virginit. cap. 31. vocat Christum *doctorem humilitatis* : & inde per sequentia capita, decurrens Christi vitam, quantum ei humilitas placuerit, demonstrat.

329. Concludo cum eodem Augustino hom. 34. ex 50. [Iam videte fratres, si amplius ægrotare debet genus humanum, accepta tanta medicina : Iam humilis Deus, & adhuc superbus homo?] Argumentatur hinc optimè aduersus superbos, composita Christi humilitate, cum Sataneæ typho S. Gregor. 3. p. pastor. admonit. 18. & optimè l. 5. registri Epistola 38. indict. 14. *in medio*, his præter cætera. [Per semetipsam veritas dicit ; *omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Quæ vt nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in semetipsa dignata est, quod nos admonet demonstrare ; dicens, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ad hoc namque vnigenitus Dei filius, formam infirmitatis nostræ suscepit ; ad hoc inuisibilis, non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit ; ad hoc contumeliarum indi-

bria,

iuria, illusionum probra, passionum tormenta tolerauit vt superbum non esse hominem humilis doceret Deus. Quanta igitur humilitatis est virtus, propter quam tam veraciter edocendum, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem mortis factus est paruus.]

Omnem Christi amicum esse humilitatis amatorem, ex vniuersa hac doctrina, sic colligit Richardus Victor. c. 14. in Cant. [Animam humiliat amor Christi, qui pro ipsa humiliatus est. Humiliat amor ipsius virtutis, quam ideò amplectitur, quia Christus specialiter hanc amauit & habuit. Vnde & singulariter *virtus Christi* dicta est: Placent ei omnia humilia, quia intelligit hæc esse sublimia: scit enim quia mox vt humiliatus, tunc exaltatur, quia Christo assimiliatur qui minimus (id est humillimus) erat in regno cœlorum; id est in præsenti Ecclesia, cum esset magnus & Altissimi filius. Spiritus Christi qui hanc accendit ad illius amorem; instituit etiam ad illius humilitatem, quo quantum plena est, tantum abiecta esse eligit; quamque beata est, tam pauper est Spiritu. Neque enim potest, quæ Spiritum Christi habet, non amare quod Christus amat, & habet. Tantaque est conuenientia amoris Christi & humilitatis, vt qui alterum horum habuerit, alterum necessariò habere comprobetur: & quantum habuerit vnum, tantum habeat alterum, vt si vere amas, verè sis humilis, & si minus sis humilis, minus amare conuincaris.]

Cæterum (vt hoc obiter addam,) Fredegisus Abbas ex eo quod Christus summè humilis, non posset se peccatorem agnoscere, erratúmve aliquod suum profiteri, inferebat neminem verè humilem abiecta de se sentire, aut peccasse se indubiè, sentire debere. Disparitatem summam quamuis per se obuiam, inter Christum & quemuis alium tametsi humilem, prosequitur latè Agobardus opusc. contra Fredegisum, ad primam eius dubitationem.

Christi virtutum collectio, & fructus ex eis.

330. Longiorem circa Christi virtutes exspatiationem, finiamus breuiculo insigni quo S. Basilius in const. Monast. cap. 5. vsum doctrinæ de virtutibus Christi proposuit. [Ad ipsum iam (inquit) liberatoris nostri vitæ institutum pergemus, quod mortali in corpore ab ipso seruatum, omnibus quicunque pietatem in vita colere vellent, virtutis exemplar, ac pictura veluti probè expressam effigiem quandam proposuit: Vnde conditi lineamentis eius inspectis, cum nulla in parte à proposito ipsis exemplari imitatione declinarent, similè inde prosè quisque in vitam suam exemplum transferent. Nam quod vitam suam liberator noster præstantissimi viuendi ritus omnibus ipsi obtemperare volentibus exemplar proposuerit, ipsum audi, hoc apertissimè dicentem: *si quis mihi ministrat, me sequatur,* (inquit.) Quibus verbis nequaquam assectationem eam ille significat, quæ corpore fit (quando qui hoc facere possit, reperietur nemo, cum quoad corpus pertinet, Dominus in cœlo nunc esse intelligatur;) sed acerrimam, quantum fieri possit, vitæ ipsius institutorum imitationem. Quæ igitur vita fuit Liberatoris nostri? Quam ille, dum hic inter nos versaretur vitæ rationem secutus est? Peccatum quidem non fecit.

En igitur quomodò ex Christi virtutibus veluti floribus contritis, conflatum est vnguentum illud suaueolentissimum, quo cœlum & terra perfusa sunt, & bonæ animæ, tractæ in odorem vnguentorum. [Virtutes enim diuinitus collatæ, (ait Petrus Damiani serm. de S. Magdalena) & in mortariolo cogitationis, pistillo diligentissimæ meditationis tritæ, & exultationis oleo superfusæ, suffuso igne iustitiæ, & humilitatis aheno decoctæ, vnguentum faciunt & odore & virtute mirabile.] De odoratissimo hoc vnguento sic habet S. Dionysius in Eccles. hierar. cap. 4. parte 3. [Scimus augustissimum Iesum supersubstantialiter odorem esse, intellectuale nostrum, spiritualibus distributionibus diuina voluptate replentem. Si enim carnalium odoramentorum perceptio, suauiter fouet ac nutrit magna cū voluptate, natiua nostrarum iudicium, modò illabefactum adsit atque ad odores in commensione respondens rationabiliter dixerit quispiam, spirituales etiam virtutes nostras nulla ratione ad deteriora vergentes, naturali vigore iudicij nostri, secundùm diuinæ operationis modos, congruamque ad eum animi conuersionem, ad perceptionem diuini odoris euadere, ac sacra voluptate & pabulo diuiniore repleri. Ipsa itaque vnguenti compositio mystica, (vt ea interim formemus, quæ formam nequaquam admittunt,) ipsum nobis pingit Iesum, principalem, scilicet diuinorum odorum opulentiam, sacris proportionibus in augustissima quæque spiritualium diuinos vapores immittentem: in quibus Spiritus suauiter affecti, sacrisque perceptionibus pleni, spirituali vtuntur alimonia, odoratis distributionibus ad ipsorum intellectuale diuina participatione subeuntibus.] S. Ambros. l. 3. de Virgin. *sub medium* & S. Bernardus serm. 1. in capite ieiunij, de Christi fragrantia ob charismata virtutum omnium diuinitus in eam congesta, fragrantissimè disserunt,

Simus & nos, Christi bonus odor. Quod vt accidat, suaueolentissimis virtutum eius vnguentis perfundamur. [Nam equidem (inquit Theodorus Studita serm. 6. catech.) Christi fragrantia esse qui virtutem comparat, testatur Apostolus in hæc verba, *Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.* Iam illud quoque ad hæc dicere est Adamum ante transgressionem, Deo fragrantiam fuisse, incorruptam & immortalitate mactum, vacantemque cœlestibus spectaculis, qui prati instar floridi atque redolentis, pomarium incoleret, spirans virtutes. Quin & Isacus Patriarcha in Iacob filio fragrantiam odoratus, ait: *ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*; odore scilicet spiritaliter percepto. Quamobrem, fratres spiremus nos quoque fragrantiam spiritalem, quam virtutum conpositione sibi quisque moliatur, ceu vnguentarius verè optimus. Hoc felix vnguentum est, hoc Deo iucundum; hoc Angelos pellicet, arcet dæmones; hoc vnguento feminæ Christum penè sunt assectatæ, secundùm canticorum carmen hoc enimuerò & nos assectemur quoque sincerè?] De conficiendo è Christianis virtutibus thymiamate odoratissimo, pulchrè S. Nilus præludio ad 150. capita de Oratione.

CAPVT VI.

Depulsio defectuum nostratium, ab humana voluntate Christi Domini: vbi de eius impeccantia, & impeccabilitate, libertatem benè exequendi actus præceptos, non excludente.

331. DEfectus qui voluntates nostras commaculat, & à quo solo, aut per ordinem ad quem solum, propriè turpamur & deformes reddimur, est actuale peccatum, vt pleniùs prosequor in Mor. dist. 4. num. 402. Quare de peccato & ijs quæ cum eo ita nectuntur, vt virulentiam eius quoquomodò redoleant, & voluntatem inexpurgabiliter dehonestent, à Christi voluntate ablegandis, satagendum est.

An Christis capax defectuum perfectionis.

Legi qui non minùs quàm peccatum pugnare cum Christi dignitate censeret, defectum quemcunque: ita vt Christus non plus potuerit à minima diuinæ voluntatis insinuatione per defectum perfectionis, quàm

ab expresso præcepto recedere per peccatum : & qui aliter de Christo sentiunt , grauem Christo iniuriam irrogare , affirmaret. Itaque impeccabilitatem passim Christo tributam , notabat accipi oportere de perfecta & completa impeccabilitate , quæ defectum perfectionis excludit. Ita nuperus Auctor l. 1. de lib. cap. 33. num. 3. & 4.

Hanc ego singularem opinionem , non dubio eatenus saltem falsam esse , quatenus æquè à defectu perfectionis, ac à peccato Christum elongat. Quis enim non videt , defectum merum perfectionis absque culpa vlla, multo minùs à summa Christi sanctitate & dignitate alienum esse , quàm peccatum quod sanctitatem illam exscinderet? Deinde eatenus quoque improbo huius Auctoris sententiam, quatenus à Christo omnem vel leuissimum perfectionis defectum , vult remoueri. At certum est , omnes Christi actiones non fuisse intrinseca perfectione , quæ ex obiecto & concurrentibus ad eas circumstantijs sepositæ personę conditione ducitur , adeò perfectas , vi repugnauerit esse perfectiores vi diuina. Fuit igitur in eis defectus perfectionis illius vltetioris , quæ absque contradictione adiungi posset, si ita ferret diuina voluntas. Imo in quibusdam Christi actibus, fuit defectus ille perfectionis, quam Christus consectari potuisset, si voluisset semper operari perfectissimo modo. Multi certè perfectius esse volunt nihil planè possidere caducum , quàm possidere. Et tamen fide docemur , Christum aliquando, quod Pontifices notarunt , vt infirmis condescenderet , & eorum fragilitati se attemperaret , habuisse loculos. Quia etiam ratione Christus quandoque fugit persecutores , quod interdum potest non pertinere ad perfectionem maiorem , & ita quoque in Christo esse potuit : sed congruum fuit , Christum eo minus perfecto modo se habentem , formam fieri infirmorum , & prodere quid citra culpam posset ab infirmis fieri, quorum in se susciebat imbecillitatem. Tandem quibusuis Christi actibus deerat perfectio , quæ poterat eis accedere per imperium extrinsecum alterius actus : quæ honestatio potuisset commoda accidere, cum honestas actus ex motiuo interno erat despicatior. v. g. cum eliciebat actum ex motiuo iustitiæ, vel temperantiæ addi poterat honestatio ex motiuo charitatis , cumulatura tenuiorem illam perfectionem , à iustitia vel temperantia deriuatam. Itaque absurdè dicitur , Christi voluntatem fuisse incapacem defectuum perfectionis, præsertim æquè ac peccati. Christi enim voluntas est ens potentiale , quod nihil vetat defectui planè innoxio subiacere , etiamsi repugnaret vt peccato maculetur.

Quamuis autem idcircò non sit dicendum , esse in Christo imperfectionem , vt rectè monuit Catharinus l. 3. contra Caietan. ad calcem obseruationum in cap. 12. Ioannis pag. 217. quia imperfectio sonat positiuam obsistentiam cum perfectione : Tamen quod Christi voluntas eos perfectionis defectus subiuerit. qui secundùm prudentem æstimationem non dedecabant eius personam , nec reuera erant imperfectiones , sed minores perfectiones , perspicuum est vacare incommodo : & videtur agnosci à S. Bonauentura in apologia paupertum responſ. 1. cap. 1. *sub finem.* Annuit Richardus quodl. 3. quæst. 4. & quamuis rectè addat ex Nicolao in extrau. *exijt* , Christum opera infirmorum fecisse perfectè , ob amotem perfectum ex quo semper operabatur. , tamen opera ipsa intrinsecè sumpta , erant opera infirmorum , & imperfecta negatiuè. De potentia item absoluta , nihil fuisse quod vetaret quominùs Christus subiaceret imperfectionibus quæ nullomodo sint peccata, vel adiuncta peccati , persuasum habeo ex eo quod nulla circa hoc occurrat contradictio: & potuisset ea permissio , vel etiam immissio imperfectionum , habere vsum suum ad detegendam potentialitatem humanitatis assumptæ ; quam suppositum diuinum & ex eo quod natura eius propria esset, non tenebatur næuis omnibus indemnem præstare , sed dumtaxat ijs qui peccatum continent , etsiue fœculentiam inexpurgabiliter redolent. Sicut neque de potentia absoluta , humanitas Christi incapax esset ignorantiæ propriè dictæ , quæ tamen est vera imperfectio.

Voluntas Christi, an capax reatus, & vitiosorum habituum.

332. Itaque defectus à Christis voluntate hic remouendi , sunt peccata quæcunque , & eorum appendices : peccatum autem intelligimus hoc loco actuale dumtaxat, quia illud solum, voluntatem afficit. Quanquam actuale peccatum nolim accipias , tantùm pro culpa quando elicitur , siue operando, siue omittendo: sed pro culpa quoque moraliter perseuerante , ex quo semel admissa est , nec abstersa per succedentem condonationem. Passim vocant *maculam peccati*, vel *peccatum habituale*, aliter vsurpata voce , quàm si adhiberetur ad significandum prauum habitum , siue qualitatem facilitatiuam ad actus malos , ijs consimiles per quos inusta sit : quod est vnum è peccati aliquoties repetiti corollarijs : Et idcirco turpat quoque voluntatem, tametsi longè minùs quàm culpa actualis. Alterum verò peccati corollarium , seu illius frutex moralis, est reatus pœnæ , quo peccator ob admissam culpam sit obnoxius supplicio. Et hic quoque , spectata causa à qua progerminat, voluntatem suo modo inquinat. Hi igitur sunt nostrates voluntaris defectus, qui quomodo ad Christi voluntatem se habuerint , videndum est.

Sed de reatu quidem & habitibus, aliter statuendum est, quàm de peccato actuali , vel habituali, siue macula. Nam reatus & habitus vitiosi , potuissent diuinitùs cum vnione cohærere. Reatus inquam, non is qui peccatum naturæ iam assumptæ consequatur , sed ante contractus. Si nimirum intelligeremus , naturam humanam priusquàm à Verbo assumeretur , fuisse productam extra Verbum , & peccare : moxque per assumptionem , aut ante eam , mundari à culpa , reatu pœnæ temporalis superstite , vt ferè nobis accidit cum à peccato resipiscimus. Negari non potest, quin valdè deceret , naturam sic assumptam omni planè peccati rubigine detersa, puram & nitentem, etiam à reatu anteriore præstari. Nam si id concessum est baptismo, quia est spiritualis natiuitas , & prima hominis transcriptio in filium Dei adoptiuum, quanto æquius concedendum foret assumptioni in filium Dei naturalem in proposito euentu ? Aliud tamen est æquum esse , & decere ita fieri , (quod negari certè non potest:) aliud verò implicare vt secus fiat , quod male asserunt Vasq. 3. p. d. 61. nu. 35. Torres opusc. 6. de gratia disp. 20. dub. 11. Præpositus 3. p. quæst. 15. num. 18. Moncæus disp. 9. selecta cap. 2. *sub finem.* Non est autem hic quæstio de quacunque obligatione subeundæ pœnæ pro culpa, etiam aliena. Hæc enim obligatio potest esse honestissima , & in Christo pro nobis fideiubente , locum habuit. Sed longè aliud est reatus de quo agimus. Culpam quippè propriam , vel etiamnum moraliter vigentem , vel abstersam quoad solam maculam , saltu pœnæ condignitate consequitur.

333. Quod de reatu dixi, æquè de habitibus prauis est affirmandum. Eos nimirum prout inclinantes ad culpam , nonn potuisse imprimi voluntati Christi per actiones ipsiusmet Christi, vt notum est cum Christus nullas tales actiones habere potuerit : Imprimi tamen potuisse per actiones assumptione anteriores, nec aboleri interueniente assumptione. Foret quidem id congruentissimum in tali euentu, quia decentissimum est, naturam assumptam planè nitere & ab omni peccati fuligine

fuligine dericati. Tamen cum habitus, nec sint culpa, nec ad malum culpæ pertineant, possent absque contradictione non obliterari per vnionem: quod rectè affirmat Vasques supra num. 36. & Torres dubio illo malè refragantibus Suare tom. 1. 3. p. d. 33. sect. 2. & Ragusa d. 114. §. 8. quibuscum de reatu conuenimus. Argumentum Suaris est, quod dedeceat Deum, naturam sibi vnitam relinquere vitiosam, cum vitium sit detestabilius errore habituali, quem Deus in natura quam assumat, tolerare non potest. Item quod vitium nec sit per se amabile, nec ob finem vllum honestum quæri possit: sit verò indignissimum, quod per assumptionem naturæ Deificetur. Ragusa verò inde argumentatur, quod habitus est principium non liberum actus inordinati, proindeque à Deo infundi nequeat. Non potest igitur in natura quæ Dei propria fiat, conseruari. Nulla harum rationum est idonea. Neque enim habitus vitiosi ante contracti vel erronei, perseuerantes in natura assumpta, tantoperè dedecent Deum vt teneatur eos abolere. Esto neutrum indere per seipsum possit, ne videatur culpam actualem aut deuiationem à vero approbare. Longè tamen aliud est habitum infundere, quod est aliquatenus velle actum in quem habitus suapte natura tendit, aliud verò iam partum habitum relinquere, curanda tamen ne erumpat in actum. Eaque non incongrua relinquendi causa subesse posset, vt extarent vestigia antiquæ pauperratis, confiteretque quo natura Dei beneficio esset euecta, & vbi per se ante fuisset ac quo per se & operum suorum fructus esset inclinatura, per principium actus dedecentis non liberum quod sibi ipsamet indidisset; Deus autem delere nollet, quamuis neque idcirco Deificare, cum hoc non sit habituum, nec vllius accidentis, sed tantùm naturæ substantialis, cui vnio ad diuinam substantiam potest accedere. Sic igitur de prædictis nostratibus defectibus, reatu inquam & vitiosis habitibus, quoad voluntatem Christi, est statuendum.

Christi voluntas, nitentissima ab actuali quouis peccato. Blasphemiæ in contrarium.

334. At de primario voluntatum nostrarum defectu, hoc est de peccato, longè aliter statuendum est, quoad Christi voluntatem. Nempe: negandum est, esse peccato locum in Christi voluntate, quod æquè valet de peccati macula. Nec id intelligo duntaxat quoad actualem ipsam peccati vel maculæ eius subitionem, sed etiam quoad potentialitatem, vt sic dicam; id est non tantùm contendo remouere à Christi voluntate peccatum quodcunque modicum vel magnum, & tam commissionis, quàm omissionis; sed etiam remouendam ab eo suscipio peccandi potestatem, quæ non modò est ablatio defectuum nostratium à Christi voluntate, sed etiam assertio eximiæ omnino perfectionis, tametsi tantùm negatiuæ. Quid enim beatius voluntate, quæ à bono nequeat deflectere, & peccati labe sordere? Aio semper hos defectus à voluntate remoueri, eique conferri perfectionem negatiuam in eorum remotione & incapacitate sitam, quia quamuis in eo qui grauiter peccat, ptinatio gratiæ afficiat immediate substantiam animæ, tamen ea priuatio non est formaliter peccatum, sed est tantùm peccati effectus: ipsum verò peccatum formaliter sumptum, voluntati inuidet. Quare eius remotio & incapacitas, meritò spectatur in voluntate.

Remotionem peccati, Græci ἀναμαρτήσιαν, & hominem peccato carentem, ἀναμάρτητον vocant, quo nomine Christum sæpè afficiunt. Eam quippè vocem idem sonare quod *insontem*, aut *sine peccato*, tradit disertis ad orat. 3. Nazianzeni & Cassianus collat. 23. c. 7. planeque hallucinatus est Ciaconius in Obseruationibus ad Cassianum, circa caput illud 7. cum ἀναμάρτητον censuit idem esse quod *impeccabilem*. Nam ex Ieremiæ 8. perspicuum est, non aliud esse ἀναμάρτητον quàm expertem peccati. Sic enim ibi legitur ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν *qui sine peccato est vestrum*. De impeccantia itaque Christi agendum erit; Sed præter remotionem peccati quæ dici potest *impeccantia*, erit insuper considerandum in Christi voluntate, incapacitas peccati, siue impeccabilitas, quæ vt dixit, est longè aliud ab impeccantia.

335. Fuisse Christi voluntatem nitentissimam, & Christum ἀναμάρτητον, id est absque peccato, blasphemè negauit Theodorus Mopsuestenus apud Photium Cod. 177. Negarunt etiam Arriani, affirmantes Christum de facto aliquando peccasse; vt de eis refert idem Photius Cod. 225. p. 761. ex S. Eustachio Antiocheno l. 6. contra Arrianos. Et idcirco aliqui eorum blasphemarunt, Christum inferni supplicia esse perpessum, vt constat ex impugnatione tantæ impietatis adhibita à S. Hilario l. 10. de Trinit. Eadem impietatis & blasphemiæ arrocitater, Caluinus variis locis quæ syllabatim appendit Feuard. in append. ad Castrum V. *Christus* hær. 8. num. 10. Christum cum labe desperationis, omnes gehennæ cruciatus ad tempus subijsse affirmauit: & consenserunt Hæretici nuperi, idcirco dicti *Infernales*, vt memorat Valētia 3. p. d. 1. q. 1. p. 5. quæs. 5. ad 3. & Rodolphus Gualterus Tigurinus sectarius hom. 15. in Acta Apostolorum. Hunc ipsum fuisse Lutheri & primariorum Lutheranorum errorem, Melanchthonis Brentij Selnecceri, VVinckelmanni, (quamuis quia à Caluino callidiùs & pertinaciùs proditus postea est, Caluino tribui passim soleat,) demonstrat Serarius tomo 3. Opus. lib. cui titulus est *Logi Logi* cap. 19. Quod verò pro eo temporario Christi inferno adducunt illud Actorum 2. *solutis doloribus inferni*, recte diluitur ab Henrico Vico, errorem hunc blasphemum refellente l. de descensu Christi ad inferos num. 44. Sensus enim est, Christum alienos in inferno purgatorij hærentium dolores soluisse, non suos. Nam ipse quidem non plus in corde terræ, siue corpore siue anima passus est, quàm Ionas in ventre ceti, vbi fuit planè immunis & innoxius. quod pulchetrimè describit Paulinus carm. ad Cytherium, & Sedulius l. 5 carm. Apage igitur tam tetrum errorem prædictorum hæreticorum.

Sed omnibus blasphemiæ palmam præripuit, os dæmoniacum, non linguario coercendum, sed muro oppilandum; diabolicum inquam os, Apostatæ Præmonstratensis, qui vt est apud Surium in Historia anni 1527. horribiliter vomuit; Christum, (horresco referens,) & desperasse de sua salute; & ob illud peccatum, inferni supplicijs non ad tempus tantùm, vt Lutherus & Caluinus parciùs blasphemarunt, sed in æternum fuisse addictum, quæ non sunt humana verba, sed pluſquàm diabolicæ rabiei horrendi sibili, quos vel memorasse pollutio est, deprecanda non absque gemitu, ob tantam contumeliæ atrocitatem, à Satanæ emissarijs & corporatis dæmonibus, spurcissimè; sceleratissimè, nefandissimè, (congemino verba, quia nullum vnicum suppetit adæquans impietatis illius virulentiam, ac ne congeminata quidem adæquant;) aduersus Dominum & aduersus Christum eius, calamo & chartæ illitam, quam æternùm pressam, & cum autoribus ad imum Tartari barathrum demersam oportuerat.

Reiecta cum omni detestatione.

336. Verborum concitationem aliquam ex iustissima ira nos corripiente ad tam atroces in Christum blasphemias, nemo miretur. [Quomodo enim (vt cum Nysseno dicam orat in Eunomium 3. imò 4.) ad iram & odium non concitaremur, videntes Deum & Dominum, & vjuificum, & Seruatorem, ab istis homunculis ludibrio affici, & veluti cœno conspurcari? si enim mihi

mihi quis patrem carnis conuitijs inceſſeret, vel in meũ benefactorem hoſtiliter ſe haberet, an imperturbato animo poſſem iram continere, & ferre æquo animo contra dilectos & caros iniuriam ? Quod ſi animæ meæ Dominus, qui ipſam ante non exiſtentem fecit ſubſiſtere, & in ſeruitutem redactam red mit ; qui vitæ præſentis guſtum præbuit, & futuram præparauit ; qui ad regnum vocat, & quomodò gehennæ iudicium fugiamus mandat ; parua dico hæc, neque adhuc communis Domini maieſtati digna; qui ab omni creatura adoratur, cœleſtibus, terreſtribus, ſubterreſtribus, cui aſtiterunt miniſtrorum cœleſtium decem millia ; ad quem conuerſum eſt totum hoc omne quod hic adminiſtratur & honeſti deſiderio tenetur ; ſi hic in conuitium hominibus exponitur, quibus non ſufficit ſolum ſeipſos particulæ huius Apoſtatæ, id eſt, defectoris, adhæreſcere, ſed damnum arbitrantur non etiam alios ſecum in barathrum ſiue voraginem ſuis ſcriptis pertraxiſſe ; vt poſteris non deficiat ad interitum deductio, numquid quis itam in eos conceptam culpat ?]

Ex Scripturis.

Veritatem Catholicam de ſumma Chriſti innocentia, & omnimoda à quocunque peccato elongatione, continent innumeræ ſcriptæ. Nominatim verò Iſaiæ 53. dicitur Chriſtum non feciſſe iniquitatem, nec dolum fuiſſe inuentum in ore eius. Ad quem locum alluſit S. Petrus Epiſtolæ 1. cap. 2. iiſdem verbis Chriſti innocentiam commendans; niſi quod pro *iniquitate* apud eum habetur peccatum, vt liqueat Chriſtum non modò non admiſiſſe grauem culpam, qualem vox *iniquitas* in communi vſu ſonat ; ſed prorſus nullam, alioqui peccatum feciſſet, quod negat Apoſtolus. Sed & Hebr. 4. perſpicuè habetur, Chriſtum tentatum fuiſſe per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Quæ verba perſpicuè excludunt à Chriſto peccatum. Nec placet Caſſian. collat. 5. cap. 5. & 6. qui vocem *peccati*, in eo textu detorquet ad tentationes carnis : quaſi ſenſus ſit, Chriſtum omnes tentationes ſuſtinuiſſe, demptis tentationibus luxuriæ. Non placet inquam ea interpretatio, quippe euertens perſpicuè literam : & ægrè liberatur ab errore. Neque enim tentationes & motus luxuriæ, ſi deſit conſenſus, ſunt peccata, vt ea Caſſiani interpretatio videtur ſupponere. Miſſa facio loca quædam, quibus innocentia Chriſti non niſi allegoricè traditur, vt quæ S. Chryſoſt. hom. 5. ex varijs in Matthæum locis, profert de ſerpente, ſuper petram non relinquente veſtigia : id quod æquè ad Chriſti innocentiam aptat S. Ambroſius l. de Salom. cap. 3. Item quod Pſal. 90. dicitur, *flagellum nõ appropinquabit tabernaculo tuo*, quod Chryſoſt. accipit de Chriſti humanitate, nullo vmquam peccato temerata, tamquam flagello Diabolico procul abacto. Addit etiam veſtes ſordidas Ieſu filij Ioſedec, ex quibus item colligit Chriſti innocentiam.

Patrum conſenſus.

337. Teſtimonia innocentiæ Chriſti ex Patribus, fruſtra proferrem. Nihil enim frequentius apud Patres celebratur, quàm Chriſti ſumma & ſemper intemerata ſanctitas. Nonnulla potentiſſimè id euincentia Patrum loca, mox dabimus agentes de impeccabilitate. Nunc pancos Patres pro impeccantia adducamus.

Origenes homil. 1. in Leuit. huc refert, quod de hoſtia vituli maſculi ibi expendit. Concinnè in Num. homil. 2. ad illud *aſſumpſit Leuitas ex medio filiorũ Iſrael*, quod ſic gloſſat. [Dic ſimpliciter, *aſſumpſit Leuitas ex filijs Iſrael*. Quid eſt quod addis, *& de medio filiorũ Iſrael*, De quo medio ? Tertius eſt Leui vt ſupra diximus, inter filios Iſrael. De quo ergo medio aſſumantur Leuitæ cuperem ſcire. Inuenio in Scripturis beatam illam Sunamitidem, quæ oluerat aliquando Prophetam, reſpondentem cum fiducia Regi Iſraël, volenti ſibi aliquid conferre beneficij, & dicentem, *in medio populi mei ego habito*. Amplius autem, & magnificentiùs in Euangelio video ſcriptum de Domino & Saluatore noſtro, dicente Ioanne ; *medius veſtrùm ſtat, quem vos neſcitis*. Puto ergo eum qui numquam declinauerit ad dextram, neque ad ſiniſtram, dici poſſe medium ſtare, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Et ideò ille quidem, quia ſemper ſtat, medius ſtare dicitur. Si quis verò imitator eius eſt, ſicut omnes Sancti, & illa beata mulier cuius ſuperiùs fecimus mentionem, ſtare quidem non dicitur: Non enim poteſt fieri, vt non aliquando ad dextram quis inclinatus ſit, aut ad ſiniſtram: nemo enim mundus à ſorde, nec ſi vnius diei fuerit vita eius. Habitare tamen dicitur in medio populi.] Manſionem Spiritus in Chriſto, huc item applicat ibid. hom. 6.

Eximiè idipſum proſequitur homil. 12. in Leuit. ad illud. *Sacerdos magnus de fratribus ſuis*, quod de Chriſto dictum, ſic docet. [Fuerit quidem etiam apud Iudæos imago huius obſeruantiæ, & cuſtodita ſunt quæ lex ſtatuit à Pontificibus Iudæorum. Sed etſi diligenter cuncta ſeruata ſint, & ſi omnia quæ lex præcepit, impleta ſint, nec ſic quidem omnis hæc obſeruatio magnum potuit facere ſacerdotem. Quomodò enim magnus poteſt dici ſacerdos, qui peccare poteſt ? Quod autem ſub peccato fuerint omnes etiam magni ſacerdotes, & ex hoc ipſo facilè aduertimus, quod lex præcepit, vt priùs pro ſuis, poſt etiam pro populi peccatis offerat hoſtiam ſacerdos. Quomodò ergo magnus eſt, ſub peccato poſitus ? Meus autem ſacerdos magnus Ieſus, idcirco magnus eſt, quia peccatum non fecit, nec, inuentus eſt dolus in ore eius : Et quia venit ad eum princeps huius mundi, & non inuenit in eo quicquam. Ideò ergo & Gabriel Archangelus, natiuitatem eius annunciat, & dicit; *Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur*. Peccatum, hominem parnum fecit, & exiguum : virtus eminentem præſtat, & magnum. Sicut enim ægritudo corporis, exile & exiguum facit corpus hominis, ſanitas, verò lætum reddit & validum ; ita intellige quia & animam ægritudo quidem peccati humilem facit, & paruam ; ſanitas verò interioris hominis, & virtutis opera, magnam faciunt eam & eminentem : & quantum in virtutibus creſcit, tantò prolixiorem reddit magnitudinem ſui.] Magnus ergo Chriſtus quia innocens. Et infra, tractans illud *non exibit de ſanctis*. [Si hæc ad Pontificem noſtrum Saluatorem non referantur, quomodò ſecundùm litteram probabitur, quod de ſanctis non exeat magnus ſacerdos, qui vtique & vxorem accipiebat, ſicut inferiùs dicitur, virginem de genere ſuo ? Si de Sanctis non exit, ſi nuſquam procedit, quomodò aut ad quos vſus accipere iubetur vxorem ? Neque enim putandum eſt, quod cum vxore intra ſancta manere potuerit. Sed hæc putent illi quibus placent Iudaicæ fabulæ. Nos autem habemus ſacerdotem magnum ſecundùm ordinem Melchiſedech, Chriſtum Ieſum, numquam de ſanctis exeuntem. Semper enim in ſanctis eſt, & manet ſemper ſanctus in verbis ſuis, ſanctus in actibus ſuis, ſanctus in omnibus voluntatibus ſuis, & ſolus eſt qui numquam inueniatur extra ſancta Qui enim peccat, exit de ſanctis : & quotieſcunque quis peccat, totus efficitur extra ſancta. Chriſtus autem qui numquam peccauit, numquam de ſanctis exiuit.] Idem l. 2. contra Celſum, ſemel & iterum prouocat blaſphemum illum vt ſi quid Chriſto habet obijciendum, audacter opponat ; & tanquam certum ſtatuit, ac ipſi quoque Ethnico, ſi mendacijs abſtinere velit, non negandum, nulla peccati labe vnquam ſordniſſe Chriſtum.

338. Euſtachius Antiochenus orat. in illud *Dominus paſcit me*, referente Theodoreto Dialog. 1. [Arca ex lignis quæ putreſcere non poterant, erat ipſe ſeruator.

Eius

Eius etenim tabernaculum nulli putredini obnoxium, & ab interitu alienum, ideò prædicabatur, quod nullam peccati putredinem produxisset. Qui enim peccauit, & confiteatur, & dicit, *putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Dominus autem erat à peccato alienus, vt qui ex lignis putrefactioni minimè obnoxijs, quod ad humanitatem attinet, nempe ex virginis, & Spiritus Dei Verbi, veluti auro purissimo, intra & extra esset contectus.]

S. Ambrosius in Psal. 45. ad illud *sanctificauit tabernaculum*, sic scribit. [His igitur fluminis superni meatibus, ciuitas illa in qua Deus inhabitat, irrigatur, & sanctificatur altissimi tabernaculum, omnis anima quæ inhabitatur à Christo, vel corpus illud quod virgo generauit, de quo Gabriel Angelus dixit; *& quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Bonum tabernaculum quod nulla potuerunt obumbrare peccata. Admirabile templum Dei, & aula cœlestis, quod solutum corrumpi non potuit, sed intra triduum resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus videbatur. Nec mirum, quando Deus in medio ciuitatis eius erat, nec commotus est: siue quia nulla peccati prolapsione commotus est Dei filius, nec alicuius erroris offensione titubauit, aut corporalis illecebræ nutauit impulsu: siue quia non reliquit animam eius Dei gratia; sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluuione delicti immaculata duxerit. Vnde & ad patrem Dei filius dixerat: *non derelinques animam meam in inferno.* Ergo quia subest ei nec in carne peccare, diuinè ait; *ego in Patre, & Pater in me.* Et alibi; *Traditus sum, & non egrediebar.* Ab eo vtique non egrediebatur, cui dixit posteà; *exuerat, & adhuc tecum sum.* Vbi autem aliquis grauiùs peccat, commouetur in eo Deus, vt ab eo transeat. Vnde & Adæ peccanti, ambulate visus est, & Stephano stanti; quia ille in præuaricatione lapsus est; hic in martyrio coronatus. Et in Zachariæ libro ita scriptum est; *ambulauit in commotione indignationis iræ suæ, Dominus.*

Et serm. 6. in Psal. 118. v. 3. [Per has fenestras prospicit Christus, vt vocet sponsam, eminens super retia. Bene eminens, quia solus est quem retia non inuoluerunt peccatorum. Omnes intra retia erant, imo adhuc intra retia sumus, quia nemo sine peccato nisi solus Iesus quem non cognoscentem peccatum, peccatum fecit pro nobis Pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro, secundùm illud, quia hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum erat, illecebra & ministra peccati. Venit Dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia, militiam virtutis exercuit, facta sunt membra nostra iam non arma libidinis, sed arma virtutis. Namque vbi erant incentiua libidinis, ibi nunc sunt domicilia castitatis. Hic ergo venit ad laqueos, sed voluntarius; venit ad retia, sed securus. Plena erant omnia laqueis, referta retibus. Audi dicentem; *In via qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Et in libro sapientiæ Syrach, mouetis vt cognoscas, quia in medio laqueorum ambulas. Quot vitia, tot retia; quot peccata, tot laquei. Hæreditarij iam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Iesus, vt Adam solueret; venit liberare quod perierat. Omnes retibus tenebamur, nullus alium eruere poterat, cum se ipsum non posset eruere. Talis ergo necessarius fuit, quem vincula generationis humanæ delictis obnoxiæ non tenerent; non cepisset auaritia, non ligasset dolus. Is solum erat Iesus, qui cum huius carnis se circumdedisset vinculis, captus non erat, non erat alligatus: sed dirumpens eas atque dissoluens, ad se magis vocauit Ecclesiam, prospiciens per laqueos, eminens super retia, vt & ipsa discerent vinculis non teneri.]

Tandem in Psal. 37. tractans illud *qui oderunt me iniquè*, sic scribit. [Illi confirmantur in sæculo, qui oderunt Iustum iniquè. Non ergo iustum odium, sed iniustum cum odissent iniquè. Sed vide distantiam. In posterioribus ait; *qui oderunt me gratis*; hic habet *qui oderunt me iniquè.* Sed ibi ex persona Christi, hic ex persona sua. Vbi ex persona Christi loquitur, gratis odio habetur; vbi ex sua, iniquè. Homo enim potest vni alicui vulneri non patere, vt potè iniustitiæ, intemperantiæ, impudicitiæ; Alijs autem vulneribus, patet. In Christo autem nulla causa esse potuit, qua peccati alicuius potuerit vulnus accipere: immunis à culpa, integer à delicto, atque immaculatus à vitio.]

339. Isid. Peluſiota l. 1. epist. 193. [Iacob hædorum pellibus contectus ac paternam benedictionem consecutus, Dominum ac Saluatorem nostrum significauit, qui peccato obnoxiam naturam citra peccatum suscepit, ac vitiosos ipsius effectus in se ipso interemit (hoc enim mortuarum pellium indumentum designat) quandoquidem nihil iam hœdinum ac sinistro latere & condemnatione dignum in natura reliquit: verum terrenis ipsius membris morte affectis, patri, perpetua salutis nostræ fame flagranti, gratum ac suauem cibum obtulit, nobisque in seipso numquam eripiendam benedictionem fontis in morem protulit.]

Eodem typo adumbratam Christi impeccantiam censuit Prosper p. 1. de promiss. cap. 21.

Gregorius Nissenus hom. 14. in Cantica ad illud, *manus eius tortiles, aureæ plenæ thar sis*, (ita enim legit;) ait. [Atque hactenus quidem in hisce verbis sensus manifestus est, quæ ob quod caput laudatur, eadem manuum quoque encomium absoluant. Et caput accepimus pro Christo secundùm carnem, in quo Deus erat mundum sibi reconcilians, vti Paulus loquitur: Qui se in carne per virtutes atque miracula patefecit: quid si hoc ergo caput nostrum appellatum fuerit aurum immaculatum propterea quod extra omne sit peccatum? Quemadmodum dicitur; *peccatum nullum perpetrauit, neque inuenta fraus est in ore ipsius*, itidemque hic manus etiam vocentur aureæ? Nimirum patet hoc ipso significari, manus has prorsus esse puras, expertes peccati, alienas ab omni vitiositate.]

340. S. Cyrillus l. 9. de adorat. *ferè initio*, altare de terra quod Exodi 26. præscribitur, interpretatus Christum è terra ortam veritatem, per quem omnis hostia nostra Deo offertur, & benedictionem promissam reportamus, subdit aptans quoque ad Christum alteram mandati diuini partem, quæ sic habebat. *Si autem altare ex lapidibus feceris mihi, nõ ædificabis eos sectos.* Nõ permittit Deo consecratos lapides, ferro cædi: Lapis enim erat electus, angularis, pretiosus Christus, qui neque peccatis vulnerari, neque Diaboli plagas excipere posset, nec Deo & mundo diuisus esset. Nam, etsi caro factus est, totus tamen est sanctus; qui non in Deum est separatim hominemque seorsum diuisus post illam ineffabilem vnionem, seu cum carne congressum, sed vnus permanet, Deus, & homo idem. Neque enim vllo modo diuisus est, vt scribit Beatus Paulus.]

Et lib. 12. eiusdem operis, agens de igne perpetuo. [Vide demissum in altare cœlitus ignem extingui non permittere, neque langueſcentem velut abscedere, sed pronidere, vt in eo perpetuò maneat, & indesinenter in eo habitet. Testatus est autem Beatus quoque Baptista Ioannes de Christo, *quia vidi Spiritum descendentem de cælo in columbæ specie; & mansit super eum: Et ego*, (inquit,) *nesciebam eum: sed, qui misit me baptizare; ille mihi dixit super quem vides Spiritũ descendentem de cœlo, & manentem super eum, ille est, qui baptizat in Spiritu Sãcto.* Figurabatur itaque vt in vmbris, adhuc in ignis specie Spiritus Sanctus descendens in Christum & perpetuò super eum permanens. Nullo enim pacto, aut sopitum esse, aut deficere altaris ignem, fas est Spiritum porrò ignis naturæ per similem esse, fidem facit

idem Ioannes Baptista, Iudæorum populis dicens, *ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quẽ vos nescitis; ille est qui post me venit, cuius non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti*: ac subiungit, *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*: Neque enim igni sensibili baptizati sumus, sed Spiritu Sancto, qui maculas animarum, ignis instar, absumit: Ideoque de Christo dictum est *ecce ipse ingreditur quasi ignis cõflatorij, & quasi herba lauantium*; *& sedebit conflans & purgans sicut argentum & sicut aurum*. Non igitur extinguitur altaris ignis; manet enim in Christo Spiritus Sanctus, & si secundùm naturam in eo ineſt, qua parte intelligitur & est Deus. Dixit etiam lex, proprium esse altaris ignem, quamuis enim ille vnigenitus homo sit factus, & ex eo habitu, qui naturæ humanæ conuenit, Spiritus fuisse particeps dicatur; ac certè ipsius, & in ipso, & eius proprius est reuera Spiritus.]

Rursus ibidem agens de lege Sacerdotibus imposita. [Esse in Christo nulla ex parte prophani aliquid, obliquè significatur in eo quòd dicitur, recedendum esse summo Sacerdoti à funere, neque eum ad vllum omnino mortuum accedere debere; posthabendamque hac in parte in patrem & matrem ac fratres obseruantiam. Vide autem quam prudens fuerit ipsa lex, quamque aptum his sententijs decorum minimè parui penderit. In alijs enim Sacerdotibus, natura verecundia commouebatur, permittebatque sanctificatis Sacerdotibus in mortuis qui summa ipsis propinquitate atque cognatione coniuncti essent, sine vlla criminis nota consuetudinem sequi: Et ne quid in vmbram peccati admitteretur, non valdè laborauit. Eæ namque culpæ describebantur, quæ ad nos spectarent, figuraque illa ad nos pertinebat, quibus nihil mirum, si quid maculæ sit adiunctum; In multis enim deliquimus omnes; naturaque ipsa in nobis delinquendi morbo laborat. At verò in summo Sacerdote, id est, Christo seruata est, etiam in ipsa figura, pura integraque Maiestas, & illa in vmbris ipsis quoque, sinceritas, vt ne pulchritudo veritatis tanquam in illis violata corrumperetur. Alienus enim est ab impuritate Christus, & peccati prorsus ignarus, & ab omni contaminatione remotus, imò vero splendoris atque puritatis cognitor, & in summa sanctificatione positus, eiusque rei præstantia nunquam in eo euanescit, quod naturalium legum firmitate fixus sit, & semper in eodem statu, eodemque modo permaneat. Id verò illa verba indicant, *de sanctis non egredietur, & non prophanabit sanctificationem Dei sui*. Idem lib. 3. Glaphyr. in Pentat. agens de egressu Sacerdotis Aaronici ad sacrificandum in altari. [Scopum legis ad Christi mysterium transferamus. Ingressus est enim semel in Sancta Sanctorum Dominus noster Iesus Christus, æterna redemptione inuenta. Cæterum in sanguine æterni testamenti, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem deleuit peccatum mundi. Immolatus enim est non pro suo, sed pro nostro peccato. Sequemur itaque perspicuè admodum vmbras legis. Erat enim, & quidem vehementer conueniens, aut potiùs necessarium vt diuinus Aaron pro proprijs ignorantijs hostias offerret. Non enim debet intelligi expers peccati, cum fuerit homo. In Christum verò, nihil tale cadit. Longè enim à peccato abest: quippe qui tanquam Deus suapte natura sit expers peccati, imò verè & per ipsum, & in ipso, est etiam ipsorum Sanctorum purificatio, Sacerdotum inquam simul, & populorum.] Et mox. [Obserua autem quomodò præscriptum sit Aaroni, vt quibus temporibus ingrediturSancta Sanctorum, & accuratè peragit sacrificia pro suis ignorantijs; cum temporis in habitu Pontificali non cõspiciatur; *sed tunicam lineam*, (ait Scriptura,) *eamq; sanctificatam induet; feminale item lineũ erit in cute eius, & zona linea cingetur, cydarisq; linea, capiti imponetur* (vestimenta hæc sancta sunt, *& abluetur aqua totum ipsius corpus*, Atqui talis (inquies,) habitus, communis erat etiam cæteris secundùm legem Sacerdotibus. Quæ à nobis hic potest afferri ratio? Probabilis, vt opinor, at potiùs vera. Neque enim par erat, vt Aaron pro suis peccatis sacrificans, appareret in forma Christi, qui non nouit peccatum. Nam stola maximè congruit ei; imò totus Pontificis habitus, figurabat Maiestatem regni & Sacerdotij Seruatoris nostri.]

341. Autor lib. 21. de Incarnatione (apud Augustinum t. 4.) multa in hanc rem egregiè tradit, exscripto verbatim Origene 2. periar. c. 6. [De Christo non solùm dixit, *dilexisti iustitiam*: sed addidit, *& odisti iniquitatem*. Odisse enim iniquitatem, illud est quod Scriptura dicit de eo, *qui peccatũ non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, Et quod ait, *tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato*. Et iterum ipse dicit de se, *ecce venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*. Quæ omnia nullum in eo peccati sensum indicant extitisse; quod vt Propheta euidentiùs designaret, quia nunquam in eum iniquitatis sensus intrasset; ait, *priusquam sciret puer vocare patrẽ aut matrem, auertit se ab iniquitate*. Quod si alicui difficile id videbitur, pro eo quod rationabilem animam esse in Christo supra ostendimus (quam vtique naturam animarum, boni malique capacem per omnes disputationes nostras frequenter ostendimus,) arbitror sanè Hieremiam Prophetam intelligentem quæ sit in eo natura Dei Sapientiæ, quæ etiam hæc quam pro mundi salute susceperat, dixisse, *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus quod in vmbra eius viuemus in gentibus*. Pro eo enim quod sicut vmbra corporis nostri inseparabilis est à corpore, & indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit, & gerit; puto eum animæ Christi opus, ac motum qui inseparabiliter inhærebat Deo, & pro nutu eius ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, vmbram Christi Domini hanc vocasse; in qua vmbra nos viuetemus in gentibus. In huius namque assumptionis Sacramento, gentes viuunt quæ imitantes eam, per fidem, veniunt ad salutem.]

Genuinus Augustinus 13. Trinit. cap. 14. [Quæ est igitur iustitia, (inquit,) qua victus est diabolus? Quæ nisi Iustitia Iesu Christi? Et quomodò victus est? Quia cum in eo nihil morte dignum inueniret, occidit eum tamen. Et vtique iustum est, vt debitores quos tenebat liberi dimittantur, in eum credentes quem sine vllo debito occidit. Hoc est, quod Iustificari dicimur in Christi sanguine. Sic quippe in remissionem peccatorum nostrorum, innocens sanguis ille effusus est. Vnde se dicit in Psalmis, inter mortuos liberum: solus enim à debito mortis liber, est mortuus. Hinc & in alio psalmo dicit, *quæ non rapui tunc exoluebam*: Rapinam volens intelligi peccatum, quia vsurpatum est contra licitum. Vnde per os etiam carnis suæ, sicut in Euangelio legitur, dicit, *Ecce venit princeps mundi huius & in me nihil inuenier*. Id est, nullum peccatum.]

Idem 18. Ciuit. cap. 23. relatis ex Flauiano proconsule versibus acrostichis Sybillæ Erythreæ, ex quorum initialibus elementis, exurgebat Græca sententia, cuius rursus primæ literæ efficiebant Græcam vocem Ἰχθύς, ita scribit. [Horum Græcorum quinque verborum, quæ sunt Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, quod est Latinè *Iesus Christus, Dei filius, Saluator*, si primas literas iungas, erit Ἰχθύς id est *piscis*, in quo nomine mysticè intelligitur Christus, eo quod in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, vivus, hoc est sine peccato esse potuerit.] Agnoscit etiam illud Græcæ vocis mysterium, quamuis aliò illud auertit Optatus initio libri tertij contra Parmen. Nec dissimiliter Prosper 2. p. de promiss. cap. 39. & Gregor. hom. 24. in Euang.

342. S. Maximus serm. de Pasch. de Christo exposuit

nit illud, *Ponam in saculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli* Quod sic glossat. [Quis autem est dies cœlis, nisi Christus Dominus, de quo dicitur per Prophetam *dies diei eructat verbum?* Ipse est enim dies filius, cui Pater dies; diuinitatis suæ eructat arcanũ. Ipse inquam est dies, qui ait per Salomonẽ. *Ego feci vt oriretur in cœlo lumen indeficiens.* Sicut ergo diem cæli nox omnino non sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tenebræ non sequuntur. Semper enim dies cæli splendet, lucet & fulget, neque aliqua potest obscuritate concludi: ita & lumen Christi semper micat, radiat, coruscat, nec aliqua potest delictorum caligine comprehendi. Vnde ait Euangelista Ioannes, *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Cassianus collat. 21. cap. 9. [Multos quidem esse sanctos ac Iustos, negare non possumus, sed inter sanctum, & immaculatum, multa distantia est. Aliud est enim esse quempiam sanctum, id est diuino cultui consecratum, (hoc enim nomen non solùm hominibus, sed etiam locis & Vasculis templi atque lebetibus, attestante scriptura, commune est;) Aliud est autem esse absque peccato, quod vnius Domini nostri Iesu Christi singulariter conueniet maiestati, de quo etiam Apostolus velut præcipuum quid ac speciale pronunciat dicens; *Qui peccatum non fecit.* Satis enim vilem atque indignam eius præconiis laudem quasi incomparabile ac diuinum ei aliqui assignauit, si etiam nos illibatam abomni peccato possumus transigere vitam. Rursus Apostolus ad Hebræos, *non enim habemus*, (inquit,) *Pontificem qui non possit cõpati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Si igitur etiam terrenæ humilitatis nostræ cum illo excelso diuinoque Pontifice hæc potest esse communio, vt etiam nos absque vlla peccati offensione tentemur, cur Apostolus hoc in illo velut vnicum ac singulare suspiciens, eius meritum ab omnibus tanta diuisione discernit? hac ego sola ab omnibus nobis exceptione distinguitur, quia nos non absque peccato, illum sine peccato constat fuisse tentatum. Quis etenim hominum, quamuis fortis atque bellator sit, hostilibus tamen telis plerumque non pateat? Quis velut impenetrabili carne circumdatus, tantis præliorum periculis sine periculo misceatur? Ille autem solus speciosus forma præ filiis hominum, conditionem mortis humanæ cum vniuersa carnis fragilitate suscipiens, nullius vnquam est sordis maculatus attactu.]

343. S. Gregor. 27. mor. cap. 1. [*Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.* Ac si aperte dicat. Qui humilis videbitur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine, Paulo hoc etiam attestante, qui ait; *Quia & si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* De quo rectè subungitur: *Nullus ei similis in legislatoribus.* Legislator Moyses, legislator Iosue, legislatores etiam Propheræ, legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum, scimus. Sed huic Mediatori in legislatoribus similis nullus est; quia isti gratuito vocati, ex peccatis ad innocentiam redeunt, & ab his quæ intra semetipsos experti prædicando alios reducunt. Redemptor autem noster homo sine peccato est, filius sine adoptione; nec perpetrauit vnquam quod redarguit; & sic mundo ex humanitate loquitur, vt tamen eidem, mundo ante secula ex diuinitate dominetur.] Pulcherrimè verò 9. mor. cap. 20. ad illud, *si flagellat, occidat semel*, quod sic explicat. [Nos quia & à Deo mente recessimus, & carne ad puluerem redimus, pœna duplæ mortis adstringimur. Sed venit ad nos qui pro nobis sola carne moreretur, qui simplam suam duplæ nostræ iungeret, & nos ab vtraque morte liberaret. De qua per Paulum dicitur: *Quod autem mortuus est peccato, motuus est semel.* Damna ergo vir Sanctus nostræ corruptionis aspiciat, & vnam quæ duas nostras destruat, mortem mediatoris quærat, atque hanc desiderans dicat; *si flagellat, occidat semel.*]

344. Rupertus l. in Genes. c. 17. tractans benedictionem Dei septimæ, & quietem Dei in ea, præfatus hanc diem esse Christum, ita eam secernit ab aliis diebus, hoc est ab Angelo, & puro homine. [Appende dies omnes supra scriptos, & præter duo, scilicet præter Angelum & hominem, nihil est quod in seipso nouerit parare locum Deo, & in istis quidem inhabitat Deus, sed oportet vt priùs sibimet in illis mansionem paret ipse Deus, vt in brachio suæ fortitudinis operetur, & gratiam construat, in qua ad requiescendum nominis sui gloria dignè collocetur. Nullus enim Angelorum vel hominum aliter, nisi per operosam ipsius gratiam habitationis eius sit idoneus. Operatur itaque in illis ipse primus, & antequàm domus vel mansio sua perficiatur, quasi laborat, vnde & lassabundus querelam depromens, *laborani* (inquit) *sustinens.* At verò solum hunc diem, id est, vnicum filium suum, sicut non creauit, sed genuit, ita nec accidentali dono bonum fecit; sed essentiali bonitate bonum semper habuit, solusque hic est in quo iustificando nihil omnino laborauit, aut profectum eius expectando, patientiam aliquando habuit. Ad creandos Angelos & homines Sapientiæ suæ impensas contulit, & propter illos saluandos siue discernendos, misericordiam & iudicium hinc & inde magnis impendiis ædificauit, vt totus miratur orbis, & vniuersa iamdudum magnificat curia cœli. In isto solo nihil vnquam fuit quod resisteret ei, siue ille in sinu eius pansauit, siue militaturus iussu ipsius naturam nostræ carnis induit. Igitur hic vnus est, in quo Deus requieuit & sic super nos requiescit; nec nisi pro quanto conformamur huic, pro tanto super nos requiescit.] Idem Rupertus lib. 11. de victor. Verbi Dei cap. 30. idcirco ait spiritum Domini dictum esse quiescere super florem ex virga Iesse; quia Christus nunquam Deum inquietauit, nunquamque peccauit. Sed quod attinet ad Christum Sabbatum quo Deus quieuerit vt proximè ex Ruperto audisti, alia dabo tractans titulum *delecti patris*, siue *Iedidiach*, tributum Christo.

345. S Bernardus hom. 2. de aduentu tractans illud Esaiæ *butyrum & mel comedet*, & butyrum refouens ad reprobationem mali sic scribit. [Duo sunt in lacte ouis, butyrum & caseus. Butyrum pingue & humidum, caseus è contra aridus & durus. Benè enim paruulus noster eligere nouit; qui butyrum comedens, caseum vtique non comedit. Quæ est enim ouis centesima, quæ errauit & in Psalmo loquitur; *Errani sicut ouis quæ periit?* Vtique genus humanum, quod benignissimus Pastor quærit, aliis sanè nonaginta nouem ouibus in montibus derelictis. In hac igitur oue duo reperies, naturam dulcem, naturam bonam & bonam valdè tanquam butyrum, & peccati corruptionem, vt caseum. Vide ergo quàm optimè puer noster elegit, qui naturam nostram sine vlla peccati corruptione suscepit. Nã de peccatoribus legis, *Coagulatum est sicut lac cor eorũ*, In quibus vtique lactis puritatem corruperat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis.]

Philippus Abbas Tomo 2. moralit. in Cant. tractans comparationem throni eburnei Salomonis cum Christo, inde illustrat Christi impeccantiam, quod sicut ebur adeò frigidæ naturæ est, vt si ei pannus lineus superponatur; obstet ne carbones panno lineo superpositi, illum incendant, ita diuinitas vnita humanitati, nulla ratione sinit, vt flamma peccati, sanctissimam illam humanitatem amburet.

Stephanus Cantuarien. in cap. 27. Numer. [Nota quod Moyses terram promissionis intrare non potuit, sed Iosue qui ad aquas contradictionis non peccauit. In quo notatur quod oportebat humani generis liberatorem, & introductorem in cœlestem Hierusalem,

esse sine peccato. Solus Christus liberare potuit, qui peccatum non fecit. Hinc est quod ipse Dominus ad cænam suos instruens, antequam de Passione subiungeret, hoc promisit. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam* q.d. per hoc poteritis scire quod ego solus sum idoneus ad liberandum, quod sine peccato sum.]

Videor ab autoritate plus satis confirmasse Christi innocentiam & sanctitatem, expertem omnis peccati, etiamsi leuissimi. Absit verò vt Mahometi suffraginm, tanquam autoritatem idoneam pro Christi innocentia appendam. Placuit tamen illud non omittere, vt Sectariorum malignitas deprehendatur, qui noxium fecerunt Christum, quem impurissimus Pseudo-Propheta absque peccato fuisse docuit, vt scribit Ameder. Lausi. hom. 4. de B. Virgine.

Probatio summæ Christi innocentiæ à posteriori, quia nunquam peccati conuictus.

346. A posteriori autem, optimè confirmari potest Christi innocentia ex eo quod è tam multis malignissimis æmulis qui eum attentissimè obseruabant, nullus vnquam in eo quicquam deprehendit dignum nota. Quod argumentum egregiè perpendit Origenes tract. 35. in Matth. ad illa verba, *Quærebant falsum testimonium, & non inuenerunt.* In quæ sic scribit. [Et per hæc manifestum est quoniam peccatum non fecit Iesus, nec fuit dolus in ore eius. Mundissimam autem fuisse vitam ipsius, & omnino irreprehensibilem, & auferentem occasiones eorum qui quærunt occasiones, ex hoc demonstratur, quia non inueniebant aduersarii eius quod dicere possent aduersùs eum, vel colorare: sed quærebant omnes Sacerdotes & concilium vniuersum, & nihil verisimile poterant inuenire. Quoniam falsa testimonia tũc locum habent, quando cum aliquo colore proferunt: aduersus Iesum autem nec color inueniebatur qui posset contra Iesum adiuuare mendacia: & hoc cum essent multi, volentes gratiam tribuere Caiphæ, & principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus & vniuerso concilio hoc ipsum audire desideranti. Et hæc qui considerat, maximam laudem exhibet Iesu, propter vitam & doctrinam iesius, qui sic omnia irrepprehensibiliter & dixit, & fecit, vt nullam verisimilitudinem reprehensionis inuenirent in eo, nec mali, nec multi, nec tales, astuti & ingeniosi.]

Audi etiam de hoc argumento S. Cyrillum l. 10. in Ioan. c. 11. [Peccatum & peccati origo, Diaboli sunt: Christus verò naturâ Deus, naturaque immutabilis, peccare non poterat. Sed ab Historia etiam ipsa passionis, hoc verum esse percipimus. *Ego enim* dicebat Pilatus, *nullam in eo inuenio causam.* Sic enim Ioannes scriptum reliquit. Matthæus verò innocentiam Christi adeò miratum fuisse Pilatum ostendit, vt coram Iudæis lauaret manus, ac diceret; *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Et quum ad Pontifices fuit delatus, *Pontifices*, inquit, *& omne concilium quærebant aduersùs Christum falsa testimonia, vt eum morti traderent, & non inuenerunt. Quumq; multi testes falsi accessissent, tamen non inuenerunt.* Quæ omnia, etsi ab omnibus quærebantur, tamen Diabolus hominum ministerio vsus, falsum saltem aliquid inuenire in Christo conabatur. Nihil ergo de suo Diabolus in Christo habebat.] Ipse Christus se accusatorum & hostium iudicio permisit, dicens *quis ex vobis arguet me de peccato?* quod S. Chrysostomus hom. 24. in 1. Cor. magnæ esse securitatis docet.

Idem à priori probatur, ex fine Christi.

347. Ratio verò à priori, præter eam quam infra proferemus probantes Christi impeccabilitatem, desumi potest ex eo quod peccatum actuale quod solùm afficit voluntatem, nulla ratione debuit in Christum cadere; cum ipse idcirco venisset, vt destrueretur peccatum, iuxta Danielis prophetiam, esset que agnus Dei tollens peccata mundi. Qui ergo venerat vt peccatum exterminaret, quomodò peccato subiacuisset? Nunc autem de Christo conuenientissimè dicitur. [Ecce agnus sine macula, (ait S. Bernardus serm. 4. de Vigil. Natiu.) Agnus Dei qui tollit peccata mũdi. Quis enim peccata meliùs tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Ille sine dubio lauare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine puluere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo. Imo iste trabem educat de meo qui nec exiguum puluerem habet in suo.]

Præclarè S. Paulinus panegyr. de obitu Celsi.

Aduenit & fit homo, & mistum perfectus vtroque
Ostendit fragili carnis inesse Deum.
Vitur officijs homini, sed & intus operti
Signa Dei medicis exserit imperijs.
Voce hominis diuina docet, mortalia vere
Extra peccatum corporeus peragit.
Quippe sui rem tantùm operis sibi redere curans,
Naturam venit sumere, non vitium:
Namque bonam naturam hominum bonus ad bona fecit;
Mente sua lapsus se vitiauit homo.
Quare opifex hominum mortali in corpore venit,
Non & mortali crimine factus homo.
Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis,
Nec laxare reos posset & ipse reus.
Nec peccatori mors cederet, vtpote victum
Peccati vinculis legitimè retinens.]

Patrem inter & humanum genus inimicitiæ intercedebant, quarum Christus pacarium & conciliatorẽ agebat. Non igitur ex inimicis vnus esse debuit, ne & ipse mediatore & consiliatore egeret. Sed talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus: quo argumento S. Anselmus l. 2. cur Deus homo c. 16. confirmat quod Discipulus præmiserat, Christum de humano genere quod totum erat infectum peccato, hominem sine peccato, quasi azymum de fermentato decerptum esse. Ex eo enim quod Christus sit peccatorum reconciliator, satis superque constare ait S. Anselmus, eum fuisse absque peccato. Idem suadet finis ob quem Verbum assumpsit humana; Nempe vt nostra curaret atque subueheret ad Deum. Peccatum autem ait S. Cyrillus l. de sancta Trinit. cap. 15. est aliquid spurium, & naturæ nostræ extrinsecùs aduenies. Meritò igitur à Verbo non est assumptum. Aliam quoque egregiam causam impeccantiæ Christi, proponit ibid. paulo post S. Cyrillus, ex eo ductam quod peccatum non possit admitti absque intellectus saltem in consideratione, quæ nulla in Christo fuit.

Sibili horrifici, aduersus Christi innocentiam.

348. Quæ in contrarium ab Infernalibus hæreticis supra adductis obiiciuntur, sunt planè inania. Vix enim aliud proferunt, quàm quod Psalmo 21. David in Christi persona dicat. *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorũ meorum.* Hæc enim de Christo dicta esse, extra controuersiam est, cum ipse Christus partem eorum in cruce protulerit. Ideoque D. Augustinus eum psalmum non tam prophetiam censet appellandum, quàm Euangelicam historiam. Cum ergo Christus verbis illis sua aliqua delicta agnoscat, non videtur fuisse expers peccati. Simileque est illud Psalm. 37. *à facie peccatorum meorũ*, quod de Christo dictum esse admittit ibi S. Augustinus. Addi item potest locus Apostoli 2. Cor. 5. & ad Gal. 3. dicentis Christum factum esse peccatum, & maledictum, præsertim iuxta antiquam lectionem prioris loci quæ sic habebat. *Is qui peccatũ nouerat, pro nobis peccatum*

catum fecit, vt testatur S. Augustinus in Enchr. cap. 41. Antiqui item nonnulli Sectarii apud Cyrillum l. contra Antropomorph. cap. 23. inde probabant Christum peccasse, quod verè homo esset, sicut & nos. Non est autem homo qui non peccet. Quid si etiam ideirco baptizari voluit? Optatus sanè l. 1. contra Parmen. *sub initium*, expostulat de malè ab eo tractata carne Christi. [Dixisti enim (inquit) carnem illam peccatricem, Iordanis demersam diluuio ab omnibus sordibus esse mundatam.] Clarum est, eas sordes ad peccata spectare, idque disertè exponit paulo post Optatus, expendens verè ne Parmerianus dixisset, Christum tinctum fuisse in remissam peccatorum suorum. Sed & S. Hilarius in Psal. 138. [Vnigenitus (inquit) Deus peccatorum remissor, æterni regni Dominus, baptizari se tamquam peccator exposcit. Officium istud Baptista renuit, agnoscens cum qui sibi potiùs peccata donaret: ille autem susceptam in se hominis iustitiam, et iam Sacramento baptismi expleuit. Et peccari nostri, ipse peccati nescius, particeps fieri non recusat, & omnem in se humilitatem caducæ carnis assumens, Iordanem turbis peccatorum mixtus ingreditur.]

Exsibilantur. Quæ verba delictorum Christi, Psalmo 21.

349. Sed hæc vix responsione egent. Locus Psal. 21. simplicissimè & expeditissimè exponitur, dicendo Christum ibi tanquam humani generis fideinssorem, exponere æterno Patri se propter delicta sua, (quæ videlicet in se susceperat,) suo sanguine & cruciatibus eluenda, longè fieri à salute corporis, & liberationis, quam ex naturæ inclinatione petebat. Tradunt eam interpretationem plurimi Patres. Sed illustrissimè Nazianzenus orat. 36. à num. 17. ex instituto monstrans, plenaque scripturæ loca, & inter alia locum Psalmi in quo versamur, dici de Christo in persona nostra. Proposita enim difficultate quomodo filius nunc dicatur non esse subiectus Patri, subiiciendus autem esse dicatur post iudicium subdit. [Verùm ita rem attende. Quemadmodum salutis meæ causâ maledictum vocatus est, qui maledictionem meam soluit; & peccatum, qui mundi peccatum delet; ac pro veteri Adamo nouus Adamus efficitur: ad eundem quoque modum contumaciam & rebellionem meam sibi ascisciť, vt totius corporis caput. Proinde quamdiu inobediens ipse sum ac turbulentus, tum per Dei abnegationem, tum per vitiosas animi permotiones, tandiu inobediens quoque, quantum ad me attinet, Christus dicitur. &c. Eodem in genere mihi illiud quoque esse videtur, *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti.* Neque enim, quod quidam opinantur, ipse, vel à Patre, vel à sua diuinitate, quasi passionem extimescente, ob idque sese à petpetiente corpore colligente atque contrahente, derelictus est. (Quis enim cum, vel primùm humanitùs gigni, vel in crucem ascendere coëgit?) Verùm in seipso nostra repræsentat. Nos enim eramus derelicti illi priùs, atque contempti, nunc verò per impatibilis illius passiones assumpti, ac seruati. Quemadmodum nostram quoque insipientiam ac peccatum sibi arrogans, quæ deinceps in psalmo sequuntur, pronunciat. Siquidem vicesimus primus psalmus, manifestè ad Christum refertur. Eiusdem speculationis illud etiam est, quod ex his, quæ passus est, obedientiam didicit, clamor item & lachrimæ, tum quòd supplicarit atque exauditus sit, ac denique reuerentia: quæ omnia nomine nostro mirabiliter efficiuntur & contexuntur.]

Iuuat ex Eusebio idipsum illustrare. Præclaram eius ad hunc psalmum interpretationem horum verborum, delcripsit Turrianus l. 2. de Euchar. cap. 28. præfatus eum quidem lib. 8. & 10. de demonstr. Symmachi, Aquilæ & Theodotionis interpretationibus adhærentem, intrusam huic psalmo à flagitioso librario *delictorum* mentionem suspicatum; in hunc tamen Psalmum scribendo, approbasse editionem 70. Interpretum, quæ *delictorum* meminet. [Aduerte (inquit Eusebius) quemadmodum in his omnibus, reliqui Interpretes ne quaquam *delictorum* meminerunt. Nec enim conueniebat delicta ad personam accomodare Saluatoris, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: quin potiùs eos qui digna luctu & lamentis in populo faciebant; ac populumipsum Iudaicum qui ex dignitate sua deciderat, deplorabat clamans, *longè à salute mea, verba lamentorũ meorum.* Verba enim (inquit,) mearum lamentationum quæ semper pro populo factæ sunt, longè abfuerunt à salute mea, cum populus ex salute quæ à me illis adhibita est nullam caperet vtilitatem. Sed ne aliis hic interpretibus vsi, callidè videamur eos qui aliter psalmum interpretati sunt, reprehendere; interpretatione 70. vtemur. Hac enim obseruatione nonnulli ducti, non dixerunt hunc Psalmum Domino congruere. Quocirca audiant Ioannem clamantem, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Deinde Paulum dicentem, *Eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatũ fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Et rursus, *Christus nos redemit ex maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Itaque sicut nostra peccata susceperit, cum esset alioqui iustitiæ fons; & item maledictum nobis impositum subiit, qui erat alioqui pelagus benedictionis; ac crucé sustinuit contempto dedecore; sic pro nobis fecit verba, Si enim decretum pro nobis castigationem volens subiit, *disciplina enim sine castigatio,* (inquit) *pacis nostra super ipsum;* multo magis verbis pro nobis, vice nostra vsus, diceret cum clamore; *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Ne inturaris (inquit) in peccata naturæ.] Latissimè quoque eandem interpretationem prosequitur D. Augustinus ad locum prolatum ex Psalmo 37. & ad titulum Psalmi 58. Suffragantur eidem interpretationi graues interpretes ibi, in Psalmo. 21. vt Bellarminus, Lerinus, Genebrardus, qui varios pro hac interpretatione Patres laudat. Quinetiam in Concilio Romano 20. Episcoporum sub Vigilio, ea expositio sub Anathemate præcepta est can. 23. vt refert Turrianus in defens. libri 2. Constitut. Clem ad cap. 5.

350. Nec video cur ad alias quasdam impeditiores expositiones sit confugiendum, cuiusmodi est quam adhibet Vasques 3. p d. 61. cap. 1. *delicta mea*, cum nulla sint, *longè sunt à salute mea*; supple *perdenda vel impediẽda.* Itemque alia quæ iterat in calce periodi interrogatione, vt sit sensus; *Deus meus quare me dereliquisti? An longè à salute mea verba delictorum meorũ?* An mihi negas salutem quam posco, ob meorum peccatorum interpositionem? Non sanè, cum nulla sint, quod tu-met optimè habes perspectum. Et denique alia quæ expũgit interrogationis notam, quæ nunc legitur post verbum *dereliquisti.* Eam autem adhibet post illa verba, *longè à salute mea*: ita vt sit sensus, *Deus, Deus meus, quare me procul à salute positum dereliquisti?*

Nulla harum interpretationum placet. Et quidem hæc postrema est apertè ridicula. Iuxta eam namque, voces illæ *verba delictorum meorum* hærebunt pendulæ, & significatione cohærente destituentur. Præter quàm quod gratis affingitur interrogationis nota, quæ nullibi legitur: ac proinde temeratur reuerentia sacrorum codicum summæ auctoritati debita, intrudendo in eos apicem vnum. Id quod æquè vitio vertendum est interpretationi secundo loco positæ, quæ ex toto illo primo versu, vnicam conflat periodum: in cuius calce, & non ante, notam interrogationis apponit. At nobis religio est, vt vnus apex è scriptis sacris cadat, aut loco suo moueatur; imo tollatur vnus ex vno loco, & alius in alio adhibeatur, quod facit ea secun-

da expositio. Denique prima appingit literæ, subintellectiones voluntarias, quæ non habent in ea fundamentum vllum. Simpliciter autem & sine appendicibus voluntariis sumptus literæ cortex; potiùs sonaret debitum elongationis à morte, & salutis corporeæ excidio, quàm à salute & liberatione. Itaque liquet, omnes interpretationes prædictas, vel violentum quid vel gratis affictum continere: eamque dumtaxat quam communissimam esse diximus, probandam esse, tanquam omnium simplicissimam & expeditissimam, optimeque cum textu cohærentem. Quæ item perbellè cadit in eum locum, qui ex Psalmo 37. prolatus est in contrarium veritatis quam hîc tuemur.

Christus, quomodò peccatum & maledictum.

351. Ad locum Apostoli ex 2. Cor. 5. vbi Christus dicitur *factus peccatum*, respondeti primùm potest verbis Nazianzeni orat. 31. initio vbi præfatus Christum egisse piscatorem, & omnibus omnia factum vt omnes lucrifaceret, subdit. [Quid dico omnibus omnia? Imò verò, quod Paulus de seipso dicere non sustinuit, hoc; Saluatori contigisse reperio Non enim Iudæus tàm efficitur, & quicquid absurdorum & improborum hominum est, in se recipit: Sed quod his omnibus absurdius est ipsummet etiam peccatum, & ipsamet maledictio, tametsi falsò, nominatur, quo enim modo peccatum esse queat, qui nos etiam à peccati seruitute in libertatem asserit? quomodò maledictio, qui à legis maledictione nos redemit?) Nimirũ vt tãto humilitatis edito argumento, nos ad animis summissionem, quæ sublimitatẽ parit, instituat. Fit igitur, quemadmodum dixi, piscator; ad omnes se, demittit, euerriculo vtitur, omnia perfert, vt piscem è profundo extrahat, atque in altum efferat, hoc est hominem in instabilibus & falsis huius vitæ fluctibus natantem.] Summa responsi est, Christum verè quidem non esse peccatum: sic tamen nominari, ne nos qui verè peccatores sumus, fastidiamus audire peccatores, & dici quod sumus. Nec dissimiliter videtur interpretatus S. Cyrillus in 2. anathematismi defensione. Aientibus enim Nestorianis, eodem modo Verbum factum esse carnem, quo Christus legitur factus pro nobis peccatum, & maledictum, respondet S. Cyrillus negando paritatem: Non enim ipsummet maledictum vel peccatum factus est, sed cum iniquis reputatus est, iustus existens, vt aboleat peccatum, & appellatus *maledictũ*, qui benedici creaturam, vt soluat nostrum maledictum, & libert à pœna credentes in ipsum Igitur non est factus secundùm veritatem maledictum & peccatum; appellatus autem illorum nominibus, vt aboleat maledictum & peccatum.] Verùm difficultas est in eo responso: quia excepit quidem Christus patienter, & referri in sacros codices voluit falsò intorta in se conuicia, non tamen Apostolos & Canonicos scriptores ad ea falsa probra imponenda, & ex seipsis ei tribuenda, induxit: Apostolus autem locis allegatis non referens verba impiorum, sed ex sensu & mente sua, Christum appellat *peccatum & maledictum*.

352. Quare commodior est interpretatio S. Augustini c. 41. Enchir. qui agens de Christo concepto ex Spiritu sancto, sic ait. [Dei gratia Patris vnigenito, non gratia filio sed natura, in vnitate personæ modo mirabili & ineffabili adiunctus atque coniunctus, & ideo nullum peccatum & ipse committens, tamen propter similitudinem carnis peccati, in qua venerat, dictus est & ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In veteri quippe lege, *peccata* vocabantur sacrificia pro peccatis. Quod vere iste factus est, cuius erant vmbræ illa. Hinc Apostolus cùm dixisset, *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo:* continuo subiunxit, atque ait, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatũ fecit, vt nos simus iustitia Dei in ipso.* Nõ ait, vt in quibusdam mendosis codicibus legitur, *is qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, tanquam pro nobis Christus ipse peccauerit. Sed ait: *Eum qui non nouerat peccatũ*, id est Christum, *pro nobis peccatum fecit Deus, cui reconciliandi sumus*: hoc est sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, vt nos iustitia; nec nostra, sed Dei simus: nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in ipso; sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstrauit: vt quoniam peccatum ei non inerat, ita quodam modo peccato moreretur, dum moritur carne, in qua erat similitudo peccati: & cum secundùm vetustatem peccati nunquam ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reuiuiscentem vitam, noua sua resurrectione signaret.]

Liquet igitur quo sensu, Christus qui peccatum nõ nouerat, dictus sit ab Apostolo *factus peccatum*, siue hostia pro expiandis peccatis nostris. Eodemque sensu, quamuis esset *maledictionis maledictio*, vt ait S. Epiphanius hæresi 42. dicitur tamen *factus maledictum*, quia positus est in ara crucis, cui qui affligebatur; maledictus habebatur, iuxta legem latam Leuit 18. & Deuteron. 21. Sic autem peccatum factus Christus Pontifex, peccare fecit Iudæos occasionaliter, vt mysticè philosophatur Origenes hom. 3. in Leuit.

Non quia Christus homo, ideò peccator, nec quia baptizatus à Ioanne.

353. Rationem irrationabilissimam postremo loco propositam, ita diluit qui eam retulit S. Cyrillus. [Si Christus idcirco humanam naturam gestauit, vt eam quæ ab Adam, imbecillitatem acceperat, in se validam, & peccarò superiorem declaret, cur frustra id anxiè inquirunt, quod inuenire non possunt? Quo pacto verò ipsius obliti sunt dicentis; *Venit Princeps mundi, & in me non habet quicquam?* Arguit quidem omnem carnem peccati author, sed stulta atque operosa ipsius indagatio, in Christo ociosa fuit, nullumque locum habuit. Nihil enim omnino in ipso inuentum fuit. Etenim ad Iudæos inquit: *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico, cur non creditis mihi?* Quemadmodum igitur in Adam condemnati sumus ob inobedientiã mandatique transgressionem: ita in Christo, iustificati sumus propter omnimodam peccati carentiam, & irreprehensibilem prorsus obedientiam: naturaque humana in hoc pristinam gloriam dignitatemque acquisiuit. Obturatum vtique est os peccati, & cum ipso mortis imperium deletum, ac quodammodò cum sua radice emarcuit.]

354. Quod etiam de Baptismo addebatur, est adeò insulsum, vt vix commemorandum videatur. Nam baptismus Ioannis quem Christus suscepit, erat infirmum & egenum elementum. Et quamuis dicatur Ioannes baptisasse in remissionem peccatorum, tamen id baptismus ille non nisi figuraliter & dispositiue præstabat; commonendo videlicet hoc externo signo peccatores, vt lauarentur per contritionem, ac mundi fierent. Quod diligentiùs prosequitur Paulinus Aquil. l. 2. contra Felicem Vrgelitanum, à quo fatuè traditum refert, Christum in baptismo Ioannis quem suscepit, spirituali generatione æquè ac nos in Christi baptismo, fuisse renatum: quod Paulinus multiplicis blasphemiæ & erroris reuincit, sub prædicti libri finem. Vnde quod consentaneè ad hunc errorem apud Nyssenũ habetur l. de perfecta Christiani forma, cum explicat quomodò Christus sit primogenitus omnis creaturæ, & apud Ambrosium serm. 18. molliendum est eo modo quo infra ex Facundo referam, agens de adoptione.

Itaque

Itaque suscepit Christus baptismum, non in remissionem suorum peccatorum, sed vt aquas ipsas abluendo, & nobis sanctificandis aptaret. Quam in rem egregiè disputat Nazianzenus orat. in sancta lumina, & Pantaleon Diaconus oratione Græcè Latineque nuper edita de luminibus sanctis. Optimè Ambrosius ser. 18. his verbis. Dicat fortassis aliquis. Qui sanctus est, quare voluit baptizari? Audi ergo. Ideò baptizatur Christus, non vt sanctificetur ab aquis, sed vt ipse aquas sanctificet, & purificatione sui, purificet fluenta illa quæ tangit. Consecratio enim Christi, consecratio maior est elementi. Cum enim Saluator abluitur, iam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, & purificatur fons; vt secuturis postmodùm populis lauacri gratia ministretur. Præcedit ergo Christus per baptismum, vt Christiani post eum confidenter populi subsequantur.] Similia serm. 21. Recidit eodem quod S. Chrysostomus homil. in Præcursorem, baptizatum à Ioanne Christum, ait, vt detergeret antiquum peccatum, & aperiret aquæ ac Spiritus vuluam. Tum addit. [Cum Iesus descendisset in Iordanem, videre erat magnum miraculum, fontem in flumine lotum, & flumen in flumine baptizatum. Fons enim Christus (vt ipse ait, *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Et sponsa quæ est Ecclesia *Fons signatus emittens.* ipse quoque flumen, vt ait Propheta: *Flumen Dei repletum est aquis*) venit in aquas, & sanctificatæ sunt, & sanauit eas.] Item sanctificas aquas ait serm. de baptismo Christi qui est 24. omnium Græcol. Ibi enim agens de solemnitate Epiphaniæ, & exponens cur ea dies dicta fuerit *Epiphania*, nó item dies natiuitatis Christi, rationem reddit. [Hæc enim dies est qua baptizatus est, & aquarum naturam sanctificauit. Idcircò etiam in hac solemnitate sub medium noctem omnes, cum aqati fuerint, domũ latices referunt ac recondunt, & per integrum annum conseruant, vtpotè quod hodierna die sanctificatæ sint aquæ: fiique miraculum euidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque adeò biennio & triennio sæpè, quæ hodie fuit hausta, incorrupta & recens permanet, ac post tantum temporis cum iis quæ nuper fuerint è fontibus eductæ, certat.] Ritus Sacer obseruatione dignus. Vix enim alibi occurrit.

In eadem sententiam de fine & causa suscepit à Christo baptismi Ioannis, conspirant alii PP, S. Maximus hom. 7. de Epiphan. idcirco tantùm baptizatum Christum ait, vt aquæ nostro baptismati consecrarentur. Moxque addit id factum à Christo, vt aquas sanctificaret S. Ambros. serm. 2. in octaua Epiphan. aquas, Domino per baptismum suum lauante mundatas, egregiè describit. Idem habet Petrus Damiani ser. 24. & alii Patres apud Canisium l. 1. de S. Ioanne cap. 7. & apud Colomniam sect. 1. hydrag. c. 4. num. 30. Pulchrè S. Bernardus serm. 1. de Epiphan. [Baptizari vis Domine Iesu? Vt quid enim, aut quid tibi opus fuit baptismate? Nunquid sano opus est medicina, aut mundatione mundo? Vnde tibi peccatum, vt baptisma sit necessarium? Nunquid à patre? At Patrem quidem habes, sed Deum, & æqualis es illi, Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in Deum peccatum cadere non posse, quis nesciat? An verò de matre? Nam & matrem habes, sed virgo est. Quod ergo peccatum ex ea trahere potuisti, quæ te sine iniquitate concepit, & salua integritate peperit? Quam maculam habere potest agnus sine macula? *Ego* (inquit Ioannes,) *à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* magna vtrimque humilitas. Sed nulla comparatio. Quomodò enim non humiliaretur homo coram humili Deo? *Sine modò* (inquit Dominus) *decet enim sic nos implere omnem iustitiam.* Acquieuit Ioannes & obediuit, baptizauit Agnum Dei, & aquas lauit. Nos abluti sumus, non ille, quia nobis lauandis aquæ cognoscuntur ablutæ.] Similiterque mundasse Iordanis aquas Christum, non ab eis fuisse mundatum ait Optatus Milenit. l. in Parmen. *sub init.* & S. Eleutherus Tornac. serm. de Incarnatione.

Satisfit directè argumento contra innocentiam Christi, ex eius baptismo.

355. Ad argumentum ergo propositum, plenè & benè respondet Hilarius Diaconus (is enim videtur Autor) ad qq. ex nouo Testamento in 49. quæ ita habet. [Cur Saluator cum sanctus natus sit, & Christus Dominus in ipsa natiuitate appellatus, baptizatus est, cum baptisma purificationis causa sit & peccati?] Respondet autem ad eam quæstionem, in hunc modum. [Verum & manifestum est, eraatorem non eguisse baptismo, quia Christus non factus, sed natus est, dicente Angelo pastoribus, *Ecce natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Denique sciens Ioannes sanctitatem eius, prohibuit eum à baptismo: Saluator verò instirit fieri oportere, non vtique propter peccatum suum, sed propter implendam iustitiam. Dignum enim erat, vt ipse exemplo esset futuris filiis Dei, quia per baptismum filios Dei fieri docebat: & qui credentibus Spiritum sanctum à Deo dari promittebat, debuit istud in semetipso visibiliter demonstrare, quo comperto credentes inuisibiliter se posse spiritum sanctum habere sperarent. Nam Salnator, vtique, cum de Spiritu sancto nasceretur, purificatũ corpus habuit. Vnctio enim carni eius spiritaliter in vtero virginis data est. Spiritus enim sanctus purificauit quod de Maria virgine in corpus Saluatoris profecit: & hæc est vnctio carnis corporis Saluatoris. Quare & natus Christus est appellatus. Quod enim per olei vnctionem præstabat Deus ministerio Prophetarum, iis qui in Reges vngebantur? hoc præstitit Spiritus sanctus homini Christo, addita expiatione: quia anteriores Christi solam potestatem imperii accipiebant per vnctionem: Saluator autem, & potestatem accipit homo natus, & purificatus est natus: incongruum enim erat, vt Dei filius in corpore peccatis subdito (hominis vice) nasceretur. (Cum vtique vbi apparet Deus, sanctificet: quanto magis quod corpus suum dignatus est apellare?) Hominis ergo causam suscipiens, & per regenerationem filios Dei fieri docens baptizari debuit, vt in se hoc ostenderet ratum. Facile enim probatum habetur & suadetur quod dicitur, si à magistro fieri videatur. Sic vtique & virtutum insignia oportuit fieri, vt iam filius Dei apparens, per mysterium regenerationis, medelam daret corporis passionibus: vt exemplo esset futuris fratribus, quia per regenerationem accepit vnusquisque potestatem virtutis.]

Latè quoque Chrysost. hom. de baptismo Christi t. 1. Græcol. demonstrat Christum non fuisse à Ioanne baptisatum ad alicuius sui peccati absterſionem. Quod probat ex Christi innocentia summa, & baptismi Ioannis sterilitate gratiæ. Propterea enim Christus, non suum baptismum, qui ferax gratiæ erat & peccatorum absterſiuus, sed baptismum Ioannis, vndecumque boni ex se sterilem, suscipere voluit, vt monuit ibidem Chrysostomus. Nolo omittere verba in hanc rem perillustria quæ habentur apud Theodoretum ad illud Cantic. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera* &c. [Ad baptisma accessisti, non vt peccatorum sordes ablueres, cùm peccatum non admiseris, nec inuentus sit dolus in ore tuo: Neque vt sancti Spiritus recipieres gratiam, cuius eras plenus: sed mihi vt indicares, quæ sint Spiritus dona, & qua ratione possim fugere gratiam Spiritus: Ideo sub columbæ specie descendit Spiritus sanctus, non vt præberet tibi quæ non haberes, (plenus enim eras gratiis ipsius,) sed vt mihi demonstrares, quod sit baptismatis munus.]

Christum

Christum vt viatorem, esse impeccabilem, quàm certum.

356. Habemus Christi impeccantiam. Nunc de impeccabilitate agendum, quæ apud omnes rata & indubitata est, si Christus spectetur vt comprehensor. Beatos enim certissimum est esse vndecumque impeccabiles, iuxta illud Augustini 14. Ciuit. cap. 9. [Vbi amor boni immutabilis est, profectò si dici potest, mali cauēdi timor secutus est] Nimirum amor Dei super omnia, ad quem Beatus Dei clarè visi, necessariò determinatur, extorquet à voluntate beati amorem omnia exequendi quæ à Deo mandari agnouerit: (vnde existit impeccabilitas quoad peccata omissionis:) itemque extorquet odium cuiuscunque Deo displicentis, & illud vitandi firmum propositum; cum quo impossibile est cohærere peccatum commissionis Atque ita voluntas beati, felici necessitate ab omni peccato liberatur, & suppositâ beatitudine est planè impeccabilis, Nec puto hunc Christi statum attendisse Ægidium quodl. 2. q. 5. cum dixit; impossibile esse Christum mentiri (quod vtique peccatum est,) si impossibilitas sumatur pro magna indecentia. Qua ratione ait, impossibile fuisse Christum generationi operam dare, quia quamuis absolutè id posset, fuisset tamen indecentissimum. Hoc (vt dixi,) non potuit Ægidius aliter intelligere quàm spectando Chrustum præcisè prout viatorem, qua ratione esset peccabilis iuxta aliquorum sententiam, de qua mox. Spectando autem Christum etiam in statu comprehensoris, manifestè absurda esset ea Ægydii opiniatio: quia sic, apertè impossibile est Christum peccare. Neque id vllus vmquam asseruit. Qui enim Christum peccare potuisse admiserunt, spectarunt dumtaxat statum Christi viatoris. At si Christus spectetur cum visione beatifica & eius appendicibus, nemo vmquam negauit quin esset planè impeccabilis: quia id necessariò confert dilectio super omnia assectans beatitudinem. Et hoc pacto, valet ratio pro impeccabilitate Christi, quam auctor lib. 2. de incarnatione apud Augustinum, ex Origene 2. Periar. cap. 6. formatex dilectione. Quæ ratio prout ibi proponitur, nulla esset.

357. At non pauci, Christi impeccabilitatem negarunt, si Christus spectetur absque visione beatifica, & eam subsequente amore Dei super omnia, & perfectissimo; ita vt tantùm habeatur ratio vnionis hypostaticæ. Vnde qui aduersus hos Autores argumentantur ex Christi beatitudine, inferente incapacitatem peccati, non satis assecuti sunt eorum mentem, quæ Christum admittit fore peccabilem si beatitudo excluderetur, etiamsi vnio non deesset. Itaque Durandus in 3. d. 12. q. num. 5. ait, quæstionem de impeccabilitate Christi, *non esse dubitabilem*, si spectemus voluntatem Christi potientem beatitudine. Et hoc satis superque esse potest vt dicamus, Christum esse prorsus impeccabilem: sic enim omnes de Beatis loquimur. Difficultas argo tantùm est, de Christo spectato absque beatitudine; siue an potentia actualiter peccandi,) de aliis enim peccatis ab actualibus, seorsim postea agemus, vt & de actualibus quæ iam sint transacta, transierintque in nudam maculam,) excludenda præterea sit à Christo aliam aliquam ob causam, quam ob beatitudinem, qua potiebatur etiam hic in via. V G. ob vnionem hypostaticam. vel aliquid ab ea collatum, aut ratione eius debitum Christo Negat Durandus loco allegato n. 8. dicens. *in contrarium magis obsistere verba deuota, quam rationem efficacem.* Negant etiam Ocham, Bassolis, Almainus, & alii nonnulli in 3. d. 12. & Rada contou. 4. artic. 3. Rationem adhibent quia natura assumpta, per diu nam suppositationem nihilo fit sapientior, potentior, aut perfectior, nisi suppositaliter. Ergo sicut secluſa diuina suppositatione peccare posset, ita etiam ea posita: quia potentia peccandi non consequitur suppositum, sed voluntatem liberam naturæ implantatam. Quod si quis inferat, inde secuturum peccante humanitate assumpta Deum dicendum fore peccantem per communicationem idiomatum; negant Autores prædicti id esse incommodum: non enim idcirco Deus peccaret influendo per se in peccatum, vel non impediendo quod impedire tenetur; ac proinde affricando sibi labem culpæ alienæ: sed tantùm denominaretur peccans, eodem modo quo denominatur mortuus & sepultus, citra vllam imperfectionē aut dedecus suum. Æquè igitur iuxta hos Autores, posset Deus permittere naturam assumptam labi in peccatum sponte sua, ac posset permittere ignem si assumeretur, grassari æquè in domum boni pauperis, ac in domum diuitis nequam. Id quod certius etiam esse censet Durandus, si ageretur de humanitate assumpta, quæ ignoraret se assumi, vt sanè posset contingere, si ita Deo videretur. Quidni enim huiusmodi humanitatis sibi permitti posset, ac peccare?

358. In hanc sententiam, recentiores nonnulli censuratum numquam parci, magno feruore concitantur, vt videre est apud Luisium Turrianum opusc. 6. de gratia disp. 10. dub. 8. num. 4. Nec posse talem sententiam sine temeritate & impietatis specie defendi, ait Suarez t. 1. 3. p. d. 33. s. 2. Imo Capreolus in 1. d. 12. attentis corollarijs quæ ex hac sententia infert, pronunciat eam esse offensiuam piarum aurium. & hæreticam atque blasphemam, eiusque pertinacem assertorem, flammis vltricibus esse adiudicandum. Mitiùs Ragusa 3. p. d. 114. ait eam sententiam meritò censerit temeratam, eo quod aduersetur communi Patrum sententiæ. Mihi tamen omnes hæ notæ repudiandæ videntur, quia non inuenio earum fundamentum idoneum. Nam quamuis in Patribus inueniantur aliqua comformiora alteri sententiæ quam mox sub jciam, tamen hoc non est satis ad confingendam tetris illis notis hanc sententiam: præsertim quia Patres præcipuè intendunt affirmare Christum esse impeccabilem, de quo non est controuersia. An verò ex hac aut illa causa sit ducenda Christi impeccabilitas, minùs interfuit Patrum; & eorum plerique, nullo modo id attingunt. Quare censuras dimittamus.

Esse tamen Christum vi vnionis impeccabilem, quod sententia proposita difficetur, habeo persuasissimum, cum communiore Theologorum sententia in 3. d. 12. vel 3. p. q. 15. art. 1. Potest autem duobus modis stabiliri quod affirmo. Nempe primò, spectando protectionem & ditectionem debitam humanitati Christi ratione vnioni cum Verbo: secundò attendendo ad ipsam vnionem & sanctitatem substantialem, quam formaliter conuenit humanitati Verbo coniunctæ. Quæ vtraquæ ratio, æquè procedit siue humanitas assumpta sciat assumptionem suam, vt verè eam sciuit Christi humanitas; siue eam ignoret: vt de potentia absoluta posset ignorare. Vt proinde limitatio superiùs ex Durando tacta, non sit curanda.

Probatur ex cura voluntati Christi à Verbo debita.

359. Prior probatio, vt cauillis subducatur, sic est formanda. Si duæ voluntates libetæ coniungantur in vna persona, & & earum voluntatum vna sit superior, altera inferior; incumbit superiori dirigere inferiorem, eāmque si possit impedire ne peccet, ita vt nisi impediat contrahat culpam quæ non potest non cerni in ea permissione peccati, quod voluntas superior potest, & tenetur impedire. Non abs re addo hæc verba, *potest & tenetur*. Nam fieri potest suppositio, in qua voluntatum eidem personæ implantatarum vna non posset alteram impedire & tunc permissio peccati,

non

non esset inhonesta alteri voluntati, etiamsi nobiliori, & aliquatenus superiori, v.g. si Angelus vniretur humanitati, non posset Angelus ad nutum obstare, quominus humana voluntas quippe ex se libera peccato commacularetur: vnde ea permissio posset non esse Angelo inhonesta, atque culpabilis. Item si attentis circumstantijs, voluntas superior eiusdem suppositi non teneretur impedire peccatum voluntatis inferioris, tunc permissio peccati non esset mala respectu voluntatis illius superioris, vt est perspicuum ex plerisque euentibus humanis, in quibus permissio peccati vitio vacat; quia deest obligatio peccatum impediendi. Vt ergo ex duobus voluntatibus consertis geminæ naturæ eiusdem suppositi, ea quæ superior est, teneatur dirigere inferiorem, & obstare ne peccet, seipsam alioqui commaculatura peccato; necesse est, vt voluntas illa superior, possit & teneatur inferiorem voluntatem impedire ne peccet. Qua ratione voluntas superior, si sciat appetitum inferiorem cum facilitate esse, ferocire, peccatum ipsamet contrahit. E contrario autem, non quisquis superior peccatum inferioris permittit, peccat: sed tantùm cum potest, & tenetur. Nec nisi hoc pacto valet illud Arnobij lib. 4. [Quisquis patitur peccare peccantem, is vires ministrat audaciæ.] Et illud Eleutherij Papæ Epistola ad Gallos. [Improbis probè resistere, non negligimus. Negligere enim cum possis deturbare peruertos, nihil aliud est quàm fouere nec caret stimulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare.] Saluianus item lib. 3. de prouid. post med. [Potestas magna & potentissima quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probè debere fieri, si sciens patitur perpetrari. In cuius enim manu est vt prohibeat iubet agi, si non prohibet admitti.] Atqui in Christo duæ voluntates liberæ ita sociantur, vt diuina sit superior; possitque humanam à peccando coërcere, & ad id etiam teneatur. Ergo nisi diuina Christi voluntas cohibuisset humanam, Deus ipse contraxisset culpam: quod constat est impossibile, atque adeò etiam impossibile est Christum peccare.

360. Sola Minor probanda superest, quoad hoc quod in ea assumitur, de obligatione qua Deus astringitur impedire humanitatem Christi ne peccet. Cætera enim quæ in ea minore habentur, sunt per se clara. Eam autem obligationem existimo sufficienter indè probari, quod vnio Verbi cum humanitate maior sit quàm vllius alterius creaturæ cum Deo, iuxta illud Anastasij cap. 21. ὁδηγοῦ. [Confitemur etiam animam & corpus, quæ verbo hypostaticè vnita sunt, verbo subijci, simulque cum omnibus proprietatibus suis à Verbo magis regi ac duci, quàm vlla alia creatura eidem subiciatur, & ab eodem regatur; cum longè arctiùs cum verbo coniuncta sint, quàm vllæ aliæ res creatæ.] Tanta certè est ea vnio in Christo, vt natura humana sit natura diuini suppositi, cuius proinde est illam curare, & à tanto malo quantum est malum culpæ auertere efficaciter, multo magis quàm sit viri, vxorem, dirigere, & à peccato auertere pro facultate: itémque multo magis, quàm sit patris familias, vel Domini, obstare quantum possunt peccatis subditorum, peccaturi ipsimet ni id faciant. Longè quippe arctior est coniunctio Verbi cum sua humanitate, quàm mariti cum vxore, vt disertè notat Origenes lib. 1. Periar. c. 6. Et maior quidem est ea vnio, quàm sit vel patris cum filio, vel Domini cum seruo, quæ non sunt vniones physicæ, qualis est Verbi coniunctio cum humanitate. Sicut igitur hæ personæ tenentur obstare peccatis illarum aliarum personarum, quæ longè minus cum illis sunt coniunctæ; & nisi obstent quantum possunt, peccant: ita etiam Deus peccaret, nisi humanitatem sibi copulatam peccato prohiberet. Peccaret inquam propriè & intrinsecè, nec tantùm per communicationem idiomatum; quod reuera *nihil esset*, nec magis à Deo abhorreret, quam esse crucifixum, aut mortuum: vt plane miror Palacium in 3. d. 12. disp. 2. & Suarem tom. 1. 3. p. d. 33. sect. 2. seuerè notare eam adscriptionem peccati Deo factam per solam communicationem idiomatum. Imò quod in personis illis humanis respectu inferiorum non semper cernitur, in diuina voluntate ad humanam Christi voluntatem comparata semper inuenitur; nempè vt nullus possit fingi interuentus circumstantiarum, in quibus obligatio impediendi voluntatem humanam à peccato, suspendatur vel euanescat. Itaque semper peccasset Deus, quoties peccaret humana Christi voluntas: & cum impossibilium verticem accipiet vt Deus peccet, impossibile quoque erit, Christum peccare.

361. Sic proposita prima illa ratio probandi impeccabilitatem Christi ex vnione, subducitur impugnationibus quibus Aquilanus in 3. d. 12. q. 1. Durandus supra, Vasques 3. p. d. 61. cap. 5. & alij, insurgunt aduersus probationem impeccabilitatis Christi, ex suppositatione humanitatis per Verbum. Non enim cum Toleto in cap. 8. Ioan. annot. 19. fundamus vim argumentationis nostræ, in vulgari effato, *actiones sunt suppositorũ*; quasi inferamus, Christo per humanam voluntatem peccante, actionem illam malam tribuendam esse diuino supposito, tanquam principio actiuo: quo pacto ea probatio, plerisque cauillis pateret, eique præsertim, quod suppositalitas non sit naturæ ratio agendi. Non igitur sic sumus argumentati, sed ex eo quod propter nexum Verbi cum humanitate, incumbat Verbo frœnare humanitatem, & à peccãdo coërcere, Verbo inquam non quatenus præcisè est suppositum, sed quatenus habet voluntatem superiorem, cuius est voluntatem inferiorem sibi coniunctam regere. Vnde quia ea voluntas superior, communis est Patri & Spiritui sancto, nisi peccatum humanitatis impediretur, tam peccaret Pater & Spiritus sanctus, quàm Verbum. Tametsi quia coniunctio fundans obligationem impediendi peccatum humanitatis, non esset immediatè nisi cum Verbo, potiùs ei tribueretur peccatum omnibus reuera diuinis personis illinendum, si Christus peccaret. Et verum quidem est, quod ex aduersarijs supra retulimus: nempe humanitatem Christi præcisè vi suppositationis diuinæ, non esse sapientiorem, aut potentiorem, vel perfectiorem; ita vt nequeat ideirco in peccatum prolabi. Tamen eatenus sit perfectior, & à peccato elongatior, ita vt sit impossibile in illud ruere, quatenus intuitu diuini suppositi, voluntas Christi diuina, debebat humanæ directionem, & plenam à peccato præseruationem, ob fœditatem peccato intrinsecam, ratione libertatis qua voluntas peccans abuteretur. In quo esset latum discrimen, inter combustionem per ignem hypostaticè assumptum, & peccatum per humanam Christi voluntatem admissum; vnde Durandus argumentabatur. Nam combustio, quæ est naturalis actio ignis, non est aliquid Deum dirigentem dedecens; sicut enim dedecet culpæ admissio, pet voluntatem naturæ sibi coniunctæ.

Eadem probatio, adhibita à Patribus.

361. Itaque prima illa impeccabilitatis Christi probatio, idonea est: sicque est concipiendum argumentum, quo Patres & Doctores impeccabilitatem Christi inde confirmant, quod voluntas humana Christi, sit voluntas diuinæ personæ: siue quod Christum peccare impossibile fuerit, quia est Deus. Nonnullos Patres sic confirmantes Christi impeccabilitatem, iuuat adscribere, ijs dimissis quos hac argumentatione vsos, refert, Toletus in cap. 8. Ioan. annot. 19. quia apud illos nihil inuenio.

S. Augustl. de corrept. & gratia c. 40. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Ista natiuitas pro-

fectò gratuita, coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem verbo istam natiuitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt neque enim meruendum erat, ne ito ineffabili modo in vnitatem personæ à verbo Deo, natura humana susceptа, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita susceptа, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.]

Apud eundem Autor libri 2. de incarnat. *sub finem*, describens Origenem 2. periar. c. 6. [Massam sicut in fornacibus sæpè fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quia nec aliud in ea nisi ignis cernitur; sed & si quis contingere atque contrectare attentauerit, non ferri, sed ignis vim sentiat. Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est; omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est. Et ideò nec vertibilis, nec mutabilis dici potest, quæ inconuertibilitatem ex Verbi Dei vnitate, indesinenter ignita possidebit.] Et mox. [Ista anima aliter oleo lætitiæ: id est, Verbo Dei, & sapientia vngitur, & aliter participes eius, id est, sancti Prophetæ & Apostoli. Illi enim in odorem vnguentorum eius cucurrisse dicuntur; Ista verò anima vasculum vnguenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia, participes digni quique Prophetæ & Apostoli fiebant. Sicuti ergo alius est vnguenti odor, & alia est vnguenti substantia: ita aliud est Christus, & aliud participes sui. Et sicut vos ipsum quod substantiam continet vnguenti, nullum genus potest aliud recipere liquoris: ita anima Christi, velut vas in quo inerat substantia vnguenti; impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorem. Participes verò eius, quàm proximi fuerint vasculo, tam odoris erunt participes & capaces; & qui ex odore eius participant, si se paulo longiùs à fragrantia eius amouerint, impossibile est vt non incidant in odorem contrarium.] Hæc Autor ille, & piè ad rem præsentem appositè. Miror verò quid in mentem venerit Ægidio Coninck disp. 2. de actibus supern. n. 122. vt errorum messem ex his verbis colligeret: quasi Origenes (& idem æquè de Pseudoaugustino qui eum descripsit, est statuendum,) & animam Christi dixerit corpori præextitisse, & solo amore vnitam esse Verbo Dei, vnione accidentaria, qualis est ferri & ignis. Ego nihil horum omnium, in eo loco Origenis deprehendo; præter apparentiam aliquam quod animam Christi præextitisse corpori dixerit: quam tamen apparentiam, supra discipuli, agens de Christi anima. Itaque nihil putens subolfacio in verbis relatis ex eo loco Origenis, & describentis eum Pseudoaugustini.

363. S. Epiph. in Anchorato. [Quis audebit dicere, propterea quod Saluator carnem assumpsit, à carne abductum esse, ita vt bruta carnis opera perfecerit, iuxta totius vasis proprij consequentiam, quem tamen vilem & humanam carnem habuisse constat. Sed in nulla re lapsantem? Deus enim Verbum ex supernis à Patre progressum, quum voluisset in carne nasci, frænabat vos ipsum: & sicut volebat, cohibere ipsum ab omni inutili carnali turba potuit. Si verò volebat, remittebat: remittebat autem ad rationales & decentes ipsius Deitatem, corporales necessitates. Neque enim cum haberet mentem in veritate, quemadmodùm totam Incarnationem in veritate, mens distendebatur ad irrationales concupiscentias. Neque ea quæ carnis sunt, similiter vt nos, faciebat aut cogitabat: Verùm vt Deus in carne vera genitus ex Virgine Maria, & carne & anima faciebat; itemque mente, & toto vase in hominum genere conuersabatur, ex supernis ex Patre in substantia existens, Deus Verbum.] Et infra. [Peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore ipsius. Si enim virtutem suam sanctis insufflauit, & hi quibus inspirauit, testantur quod erant sancti, iusti, progressi in diebus suis citra reprehensionem; quantò magis ipse in quo omni Deitatis plenitudini habitare complacuit corporaliter, etiamsi carnem veram accepit ex Maria semper Virgine, & animam verè humanam, & mentem, & si quid aliud est in homine, ipse in seipso habens vniuersa continuit Deus existens, non diuisa ad malitiam, non fracta à maligno illo, non capta voluptate, non cadentia sub delictum Adæ?]

Anastasius Sinaïta cap. 2. ὁδηγ. [Sola igitur Christi mens, & sanctissima eius anima, incapax, omnisque malitiæ nescia fuit, forma enim serui erat, quæ regebatur, & gubernabatur à diuino Verbo in eâdem hypostasi sibi coniuncta. Quocirca hoc etiam profitebatur ea, quæ in Saluatore inerat humana natura: *Non possum à me ipso facere quidquam.* Cùm enim supra naturæ leges & præscripta, sine humano semine, tanquam corpus Dei & anima, subsisteret; Domini nutui & imperio promptè subijciebatur, tamquam ad diuinitatem euecta.] Locum Ioannis ab Anastasio adductum, eodem sensu accipit, & ad Christi in peccabilitatem aptat Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus Sancti cap. 30.

364. Theodorus Abucara opusc. 7. [Deus Verbum assumpta natura humanitatis perfecta, vsus est libera eius voluntate, & sensibus & naturalibus potentijs omnibus, conuenienter naturæ, & vt oportebat, ac secundùm voluntatem Dei; atque ita vicit diabolum, non oppositа & suppeditata in luctatione diuina virtute, & ampliore quàm naturali; sed vt decebat Deum & legem, vsus naturalibus & omnibus naturæ partibus, & potentijs, & organis sic compositis, sicut conueniebat, vt mensura humanitatis postulabat. Atque ita vicit, & ostendit naturam victricem, & naturæ deinceps victoria, & iustificatio attribuitur.] Et in fine opusculi, interrogante Arabe, an Christus potuerit à Satana & mundo induci ad culpam, respondit Orthodoxus. [Non potuisse dicimus; non propter infirmitatem, & debilitatem, sed propter conuenientiam rationis, & decentiæ, sicut dicimus, non posse Deum iniuriam facere.]

S. Cyrillus l. de S. Trinit. c. 15. & 16. [Christus qui Deus erat humanæ naturæ secundùm personam vnitus, bonus erat quâ Deus. Atqui verò etiam quâ homo, libera potestate bonum habebat, quod secundùm naturam est. Quemadmodum enim malum & peccatum præter naturam est, sic sanè etiam bonum, & virtus, secundùm naturam est. Vnde etiam ἁμαρτία, id est, *peccatum*, eiusmodi appellationem accepit, quod sit ἀποστοχία, id est, *aberratio à bono, quòd secundùm naturam est.* Itaque Angeli quidem difficulter mobiles ad malum sunt, & dicuntur beneficio nimirum Dei cui assident, & à quo semper lucem accipiunt. At animæ Domini: omni modo ad malum est immobilis, vt quæ ipsum Deum Verbum non secundùm affectionem, Sed secundùm vnionem in se habeat. Et illa quidem principatum obibat corporis; ipsius autem, Deus Verbum dux & princeps erat, quem liberè sequebatur & diuinam illius voluntatè implere propter summam suæ sanctitatis eminentiam, vel maximè desiderabat. Quapropter etiam Dominus ad Patrem suum tempore Passionis orans, vt homo dicebat. *Non vt ego volo, sed vt tu, fiat voluntas tua.* Arguit enim hic sermo, nonnisi animam Domini, quod vna sit Dei Verbi, quod ei vnitum fuerat, & Patris voluntas Dominus ergo quæ seruis conueniunt, ipsorum seruorum gratia, sed supra seruorum conditionem habebat. Quippe Dominus erat, tametsi formam serui assumpsit.]

365. Eodem reducenda est egregia ratio impeccabilitatis Christi, quam S. Cyrillus sub initium capitis illius 15. sic formauerat. [Eligendi facultatem habet Christus, vt qui libero, esset præditus arbitrio & humanæ id insuper naturæ conditio exigeret, propterea quod

quod etiam rationis esset particeps. (Quicquid enim rationis est particeps, libero præditum est arbitrio ; & quidquid libero præditum est arbitrio, eligendi facultatem habet :) consilio autem & consideratione, & sententia & electione nostri instar, neutiquam opus habuit, & nec sollicita circunspectione. Quoad enim vtrumque Deus erat, partim natura, deificatione partim. Quapropter etiam secundùm hanc rationem, omni peccato superior erat. Vel enim ex lubrica electione nobis euenit vt peccemus, aut præter electionem ex eo quod attenti non sumus. Quin potiùs ipsum hoc quod attenti non sumus, peccatum est, aut certè peccati principium. Quæ etiam causa est, quod inuoluntariorum peccatorum pœnas luimus. Vbi autem causa abest, quomodò ibi id quod ex causa est, obrepere possit ?]

Rupertus libro de voluntate Dei cap. 11. [Facta est itaque quoniam à viro & omnipotente creatore fieri potuit, facta est non tam per creationem, quàm per assumptionem creatura talis, quæ peccare non solummodò nollet, verùm etiam non posset ; quemadmodum dicit eadem creatura noua, filius hominis, idémque creatur antiquus, filius Dei inconuertibilis ; *Amen amen dico vobu, non potest filius à se facere quicquã, nisi quod viderit patrem facientem.* Item. *Non possum ego à meipso facere quicquam.* Quid enim est, quemquam à semetipso quicquam facere, nisi malum facere ? Ergo *non possum* (inquit) *à meipso facere quicquam*, id est, extra Deum seorsum, extra verum, per memetipsum diuisa voluntate mea, à voluntate Dei. Patris, sicut Angelus refuga, vel sicut primus homo præuaricator facere potuit & fecit, vt qui erat vterque creatura, & proinde conuertibilis facta, & idcirco mutabilis. Nam fit Angelus sine homo quamdiu aliquid accidens admittit ab essentiali bono auersus tamdiu à semetipso operatur ; v.g. cum dicit malum bonum, & bonum malum, cum iniquè iudicat condemnans iustum, & iustificans impium ; Vnde enim hæc nisi à semetipso facit, cum in essentia rerum aliter sit ? Et hæc quidem, & cætera huiusmodi, homo si multum est iustus, eum posse facere, non vult : Si autem parum iustus est, vel ad iustitiam nunc primùm dispositus, nec adhuc eiusdem iustitiæ habitum indutus, parum inquam iustus est, si facere non audet. Deus autem sicut nulli vitio mutisque omnino accidentibus subiacet, ita summè iustus, tale aliquid omnino facere non potest.]

Quid per Verbi curam ademptum vel datum Christi voluntati, vt esset impeccabilis committendo.

366. Quare probatio impeccabilitatis Christi ex vnione, cum sit tam granium Patrum, maximi æstimanda est : nec rectè Vasques 3. p. d. 61. c. 5. eam despexit. Vnum tamen, ad eius plenum robur & illustrationem omnimodam, desiderari video. Nempe qua ratione ea directio à Deo adhiberetur, per quam Christum diximus factum esse impeccabilem. Quod perinde est ac si quæreretur, quid faceret, quidve subtraheret Deus, circa voluntatem Christi creatam, vt non posset peccare actualiter, semouendo visionem & amorem beatificum, quem nunc attendi nolumus. Et quoad peccata quidem commissionis, non est magna difficultas. Eatenus enim Deus, eripiebat Christo potentiam expeditam peccandi contra præcepta negatiua per commissionem ; quatenus decreto suo non præparauit imò negauit Christi voluntati concursum ad sic operandum. Quia enim Deus tenetur regere humanam Christi voluntatem ; non præparauit ei concursum ad operandum, cum operatio præcepto negatiuo vetabatur. Nec dici potest, Deum quidem præparasse concursum, sed posito quod voluntas Christi præ-

noscceretur eo vsura, subducendum esse. Hoc non potest dici ; tum quia ea præparatio esset planè otiosa : tum quia pugnaret cum voluntate subtrahendi concursum ad operandum, si voluntas vellet operari. Nam duæ illæ voluntates, sunt incompossibiles ; *velle præparare concursum ad operandum* ; Et *velle illum subducere si voluntas eum deposcat & operari statuat.* Non est igitur ad intelligendum difficile, quomodò voluntas Christi sit impeccabilis quoad commissiones, quod vnum genus peccatorum attendisse videntur Rubionius in 3. d. 12. q. 2. art. 2. & alij quidam antiqui, cum dicunt Christum esse impeccabilem, quia Deus non vult cum eo concurrere.

Idem dubium quoad malas omissiones, malè expeditum.

367. Sed restant peccata omissionis, ad quorum perpetrationem nullus planè concursus diuinus est necessarius, quia consistunt in non actu. Et quamuis iuxta aliquos, mea quidem sententia non rectè sentientes, nequeat dari pura omissio, sed ei positiuus aliquis actus semper adiungatur : tamen tota malitia omissionis, consistit in negatione actus debiti, quam per accidens concomitatur actus ille positiuus, cuius proinde intercluso per subductum concursum, nihil iuuabit ad excludendam negationem actus debiti, in qua sola consistit peccatum omissionis. Pro his ergo peccatis, quomodò conferatur impeccabilitas, aliter exponendum est, quàm per concursus subtractionem : quandoquidem eo ipso quod homo, vrgente agendi obligatione sciens & aduertens cum posset benè agere, non agit ; peccatum omissionis incurrit, etiamsi neque eam omissionem positiuè velit, neque possit habere ratam.

Video dici posse, agendi potestatem quæ exigitur ad omissionis libertatem, atque adeò malitiam præcludi in eo euentu posse, aliter quàm subtractione concursus exhibendi voluntati, quem vidimus ad hæc peccata non esse necessarium : nimirum vel subtractione concursus necessarij respectu intellectus, vel adactione voluntatis, vt positiuè velit. Operatio enim intellectus prælucentis necessaria semper est, vt quomodocunque peccetur, quia notitia est principiũ primum voluntarij & liberi, sine quo nulla est malitia. Si ergo subducatur intellectui concursus, ita vt iudicare non possit esse sensibiliter bonum omittere operationem, omissio non erit libera, atque adeò neque vitiosa. Et æquè obstruetur aditus ad omissionem, si permittatur quidem intellectus pronunciare de bonitate sensibili omissionis, sed iudicio incongruo, nec contemperato voluntati, ex quo omissio non sequatur : quia quicquid liberè facimus aut omittimus, ex iudicio congruo & voluntati nostræ contemperato præstamus. Vnde si Deus tantùm permittat, omissionem proponi bonam sensibiliter per iudicium incongruum, nunquam omissio sequetur liberè, atque adeò nunquam erit mala. Tandem si quo temporis puncto vrget operandi obligatio, Deus forti motione vel abreptione adigat voluntatem ad agendum quod præcipitur præcepto affirmatiuo ; certum est præcludendam esse omissionem, eiúsque vitium. Itaque erit cui videatur, potestatem non operandi quæ necessaria est vt omissio sit libera, excludi in præsenti negotio posse, aliter quàm subtractione concursus requisiti pro actione voluntatis.

368. Reuera tamen, nullus horum dicendi modorum videtur idoneus. Nam iudicium quo præcluso voluntas priuatur libertate omittendi, non est iudicium reflexè approbans bonitatem omissionis ; quia sine eo iudicio reflexo, potest omissio libera & mala esse, si homo aduertat vrgere obligationem agendi, & ferietur : Hoc autem iudicium : quod præcisè est ne-

cessarium vt quis possit agere, atque adeo vt liberè omittat, non fuit à Deo impeditum in Christo, alioqui factus esset ignorans ; quod æquè incommodum est admittere,ac peccabilitatem Christo concedere. Quod si dicatur, concessum quidem fuisse Christo iudicium aliquale, sed incongruum, ex quo effectus non sequitur ; illud inprimis opponetur,in iudicio quale diximus necessarium dumtaxat esse ad liberè omittendum, ægrè distingui posse congruitatem, & incongruitatem, cum illud iudicium non sit propositio boni sensibilis quod cerni potest in omittendo propter hanc aut illam causam ; vbi habere locum potest varietas illa congrui & incongrui iudicij, ob diuersitatem rationum mouentium quarum aliquæ congruunt, aliæ dissonant voluntati, sed sit præcisè propositio obligationis operandi : in qua nuda propositione, non apparet quæ distinctio congrui & incongrui iudicij queat fundari. Sed esto concedatur sanè illud iudicium posse esse incongruum. Inde tamen tantùm inferre licebit,omissionem non esse secuturam, quia ex iudicio incongruo nihil liberum sequitur : Non tamen licebit inferre, omissionem non posse sequi, quod necessarium est, vt Christi quoad eam impeccabilitas habeatur. Neque enim tantùm intendimus, monstrare quomodò Christus non sit peccaturus omittendo, sed quomodò ne peccare, quidem possit. Denique adactio voluntatis Christi ad operandum, non potest esse vsui ad libertatem omissionis vitiosæ impediendam, & auferendam potestatem expeditam peccandi per omissionem, quia adactio physica extorquet actionem cum omnibus suis circumstantijs : vnde funditùs excinderetur libertas, quam tamen saluam esse oportet, nec (vt infra videbimus,) retineri vrgente præcepto potest, nisi quoad circumstantiarum delectum, quam physica adactio planè excluderet.

Vera expeditio.

369. Legitima itaque ratio, exponendi quomodò Deus spectata sola vnione, voluntatem Christi ita dirigat, vt non possit omittendo peccare, in eo sita esse videtur, quod Deus absoluto & efficaci decreto præfinierit omnes Christi actus, quos ex præcepto tenebatur elicere : ita vt quamuis de facto noluerit Christum ad eos adigere, quia præuidebat eum sponte sua eliciturum actus illos ; esset tamen fortiter adacturus ad operandum, si præuisum esset illam eliciendi voluntatem,Christo defuturam esse in puncto vrgentis obligationis.Deus enim qui humanam Christi voluntatem tenetur regere, & à peccato arcere,ac curare ne peccare possit ; supposita operandi obligatione respectu Christi,tenetur velle eum adigere ad eliciendum actum præcepto affirmatiuo indictum, nisi ipsemet Christus præuideatur vltrò & sponte sua operaturus. Si enim hoc præuideatur, vt sanè præuisum est quoad omnes actus à Christo eliciendos ex obligatione præcepti alicuius affirmatiui, frustra interponeretur adactio. Per eam portò adigendi voluntatem, quæ tamen in actum non erumpat, nec sit præfinitio mouens, sed purè immanens, optimè consulimus & Christi libertati, & impeccabilitati, quoad omissionem actus præcepti. Nam vi modi operandi ad extra quem Deus tenet de facto, voluntas sibi ipsi permittitur : vnde liberè fertur in executionem præcepti affirmatiui quam sponte eligit. Quia tamen si non fuisset præuisa sic electura, non fuisset sibi permittenda, sed fuisset adigenda ad eligendum ; eámque in eo euentu adigendi voluntatem Deus reipsa concepit ; propterea voluntas ita est libera, vt tamen simpliciter loquendo sit impeccabilis, vi solius vnionis,& directionis diuinæ ob vnionem debitæ : quia impossibile est,peccatum coniungi cum diuino illo decreto, quod suppono latum ex obligatione quæ Deo injicitur curandi & regendi voluntatem Christi humanam. Neque dicas, hinc sequi quosuis electos esse impeccabiles, cum ex suppositione diuini decreti de illis efficaciter ad gloriam perducendis, æquè affirmandum sit eos fore adigendos ad operandum,nisi præuideretur volituri. Hoc si dicas,respondebo decretum Dei de electis perducendis ad gloriam, non esse ineluctabile, quale hæc obiectio supponit,sed esse dumtaxat efficax per ordinem ad auxilia congrua ; quæ effectum quidem sint habitura, ita tamen vt nihil sit quod obstet, quominus voluntas si veller, ea cassa redderet : quod circa Christum impediretur interpositione decreti diuini ineluctabilis, veréque præfinitiui, quo ita libertati Christi parcitur,vt tamen non parceretur, nisi ipsa vltrò se dederet, & sequeretur blandè vocantem Deum, quo tempore præcepti affirmatiui obligatio vrget. Itaque quamuis Christus spectato modo se habendi quem Deus de facto seruauit cum eius voluntate, tempore implendi præcepti affirmatiui, potuisset non agere cum agendum erat, atque adeò peccare ; Tamen attento decreto actuali diuino, de immutatione prædicti modi se habendi, si voluntas non fuisset sponte consensura ; potest ac debet Christus dici simpliciter impeccabilis, etiam sistendo (vt nunc facimus,) intra directionem debitam intuitu vnionis, nec recurrendo ad visionem beatificam, vi cuius Christus alia ratione reddebatur impeccabilis.

Probatio altera impeccabilitatis Christi, ex vnione vt via ad sanctitatem increatam.

370. Hactenus de prima ratione probandi impeccabilitatem Christi ex vnione,ob debitam ratione eius directionem proximè explicatam. Est verò præterea alius modus tuendi impeccabilitatem Christi ex vnione,quem Vasquez 3.p.d.61.cap.6.ita efficacem putat, vt nullum præterea censeat esse idoneum,ad impeccabilitatem Christi probandam,seclusa beatitudine. Ragusa autem 3.p.d.114.§.3. & Ægidius Coninc.disp.1. de Actibus superna.à num.118.ad 121. hunc modum repudiant tamquam illegitimum. Si tamen rectè explicetur, optimus est videturque apertè infinuatus à S. Cyrillo l.de S.Trinitate cap.15.*initio*, vbi ait animam Christi fuisse peccati incapacem, quia est Deificata per vnionem. Quod ita intelligo, vt vnio cum sit via ad supremam & eminentissimam sanctitatem quam Christo confert Deitas inungens eum interuentu vnionis, tam impossibile sit Christum pecare, quàm est impossibile formas, non modò contrarias, quæ diuinitus sociari possunt, sed etiam essentialiter oppositos, simul iungi. Tales formæ sunt, sessio & statio,motus sursum ac deorsum, gratia sanctificans & peccatum mortale. Quia ergo Deitas in ratione formæ inungentis Christum interuentu vnionis, multo plus pugnat cum quauis peccati etiamsi minutissimi deformitate, quàm gratia sanctificans creata cum peccato mortali ; & quod de essentiali pugna gratiæ & peccati grauis, problematicè agitatur, est planè certum de pugna Deitatis essentiali, cum quauis culpa ; propterea impossibile est, eam naturam quæ Deitate sic inungitur & sanctificatur,esse in voluntate sua capacem peccati cuiuscumque actualis, siue commissionis, siue omissionis. Nam de peccato originis, dictũ iam est suo loco. Cum gratia quidem sanctificante creata compossibiles sunt minutiæ peccatorum, quia est sanctitas participata & finita : ideóque modicos illos nævos, & labeculas veniales, non excludit seipsa ac formaliter. At cum gratia increata, siue cum Deitate, per vnionem mediante Verbo, applicata huic humanitati, & eius voluntati, nulla quantumcunque exigua labes cohærere potest, quia Deitas est sanctitas infinita. Item gratia habitualis sanctificans, quia non spectat ad esse, & est aliquid

prorsùs

prorsùs accidentarium homini, subiacet libertati hominis, & eius abusu deperdi potest; non item hæc increata Christi sanctitas, quia confertur interuentu vnionis hypostaticæ, pertinétque mediatè & consequenter ad esse Christi: vnde non subiacuit Christi libertati, sed sicut à Deo antecedenter collata est, & inconsulta humana Christi voluntate, ita & conseruatur. Quod accommodatissimum est ad intelligendum, quomodò Christus, per vnionem aduehentem ipsi, increatam sanctitatem, redditus sit impeccabilis. Quomodò enim habeat admittendi vel subeundi peccati capacitatem, qui non potest à se exercere formam essentialiter pugnantem cum quouis peccato, tam mortali quàm veniali? At huiusmodi forma est Deitas, per vnionem adnecta naturæ creatæ, éamque formam Deus Christo conseruat independenter ab humano eius arbitrio, solàque sua voluntate; quam numquam retractabit, quia dona Dei sunt sine pœnitentia. Impossibile igitur fuit, Christum peccare quomodolibet, spectata vnione, provt subsistentialem & increatam sanctificationem, perditionum suppositum conuehente.

371. Vnum tamen desiderari adhuc video, vt hæc ratio asserendi impeccabilitatem Christi stabiliatur; nempe vt explicetur quomodò vnio per adnectam diuinam sanctitatem possit expellere peccatum actuale, cum commissionis, tum omissionis. Nam peccatum omissionis declinatur eliciendo operationem præcepto affirmatiuo indictam: & impotentia illud incurrendi, confertur necessitando ad operationem. Vt ergo quis non possit peccare peccato omissionis, necesse est vt non possit non agere, cum agendi obligatio injicitur. Hoc autem non potest præstare vnio, quæ non est actiua; neque diuina personalitas, quæ similiter actiua non est; vt neque diuina sanctitas sub ratione formæ spectata. Similiter peccatum commissionis, excluditur subtractione concursus. At neque vnio, neque personalitas, neque sanctitas diuina, sub ratione formæ inungentis & perfundentis humanitatem, subtrahit voluntati Christi concursum quo egere, vt posset peccare committendo; etiamsi sit ratio cur subtrahatur; sicut etiam est ratio cur voluntas indefectibiliter ad agendum vrgeatur, nec possit non operari, seu omittere actum affirmatiuo præcepto indictum. Non apparet ergo, qua ratione ad vtrumuis genus horum peccatorum, Christus factus sit impotens per vnionem, provt aduehentem Christo sanctitatem increatam.

372. Dicendum videtur, impotentiam peccandi, secernendam esse ab incapacitate recipiendi peccati, formaliter loquendo, & spectando rationem constituentem vtriusque illius prærogatiuæ, quamuis ambæ concomitentur se in Christo, & neutra sit absque altera; imo vna ex altera inferri optimè possit. Impossibile enim est, eum qui non potest in se peccatum recipere, peccare: cum peccatum sit actus, vel forma immanens, quam necesse est, quoad actum vel quasi actu elicitum, vnde tota virulentia in alios actus externos refunditur, inexistere ipsi peccanti. Impossibile item est, eum qui non potest peccatum profundere, esse capacem eius, quod nisi ab ipso profundatur, non erit peccatum. Itaque duo illa connectuntur, & idcircò quamuis rationes eorum formales sint discrepantes, tamen vnum sæpè vsurpatur pro alio & qui vnum eorum confert, consequenter quoque confert alterum. Manifestum porrò videtur, vnionem ratione Deitatis inungentis & sanctificantis, quàm humanitati adhæsit, conferre formaliter & directè incapacitatem recipiendæ actionis pravæ, vel illius priuationis in qua sita est omissio vitiosa. Nam formæ istæ sunt planè incompossibiles cum sanctitate essentiali, multo magis quàm lux cum tenebris, vel rectitudo cum curuitate. Consequenter tamen, vnio dat quoque impeccabilitatem, vtrouis illo modo peccandi, seu immittendi subiecto peccanti actum malum, vel actus boni priuationem. Non quod concursum per se subtrahat quoad actus pranos, vel quod operationem indictam eliciat, eiúsve eliciendæ vim per se conferat; quæ omnia falsa esse, monstratum rectè est in proposita ratione dubitandi: sed quod planè & essentialiter impediat subingressionem peccati, sine qua potentia peccandi subsistere non potest, cum peccatum sit actus immanens. Vt autem cõcursus subtrahatur quoad actum praum, & operatio bona eliciatur, excludatútque omissio mala, aliunde curandum est.

Ex quo liquet, hunc secundum modum probandi impeccabilitatem, Christi provt viatoris, quamuis idoneus sit, & optimam causam contineat cur peccatum admitti non possit à Christo; tamen supponere, aut connotare interuentum Verbi dirigentis, & curantis quæ necessaria sunt, vt impotentia ad malitiam actualem, cum positiuam, tum priuatiuam, quæ essentialiter incompossibiles sunt cum diuinitate inungente, completè subsistat; & peccandi facultas non tantùm indirectè ob subiecti incapacitatem essentialem ad formam, quæ per eam facultatem essentialiter connotatur, sed directè quoque amoueatur, luxatis & oblæsis, imo præclusis ipsismet peccandi principijs effectiuis, aut quasi effectiuis. Vnde quia hic secundus modus probandi Christi impeccabilitatem, aliquatenùs deposcit primum, qui ab hoc secundo planè independens est, meritò primum locum dedimus ei, qui per Verbi directionem rem hanc explanat. Vt taceam meritò quoque, probationem impeccabilitatis ex directione debita ob vnionem collocatam esse ante probationem ex vnione provt sanctificationem inuehente; quia vnio ad suppositum, qua ratione debetur ob eam directio, est prior vnione Deitatis cum humanitate in ratione formæ sanctificantis. Nam vnio cum supposito, est immediata & physica vnio. At vnio diuinitatis in ratione quasi formæ sanctificantis, non est nisi media, & per suppositum: atque adeò est ratione posterior vnione cum supposito, & eius appendicibus; siue directione debita ob vnionem cum supposito, præcisè vt talis est.

An in Christo superstes, potentia peccandi.

373. Est ergo Christus prorsùs impeccabilis, etiam provt viator, & semota necessitatione ad bonum per beatitudinem. Quod innuisse videtur Prosper 3. de vita contemplat. cap. 31. verbis illis. [Christus sine peccato conceptus, & natus, non solùm non peccauit, sed etiam peccare non potuit.] Agit enim ibi de Christo, provt viatore. An verò dicendum sit, non manere in Christo potentiam peccandi, vt latè contendit Ragusa 3. p. d. 114. §. 9. An quod alij malunt, dicendum sit, manere quidem in Christo potentiam illam, sed impeditam; lis est de vocabulis: ei non absimilis, quas à Philosophis de cœlo agitatur; an supposita firmitate vnionis materiæ & formæ cælestis, ac dispositionum vnionem illam fouentium naturali inexpugnabilitate, dicendum sit cœlum esse corruptibile, ac incorruptibile; quæ est rixa de vocibus. In re tamen nostra, castiùs loquuntur, & digniùs Christo, qui vel negãt manere in Christo potentiam peccandi, vel si eam manere concedant, simul tamen addunt, manere impeditam: quia quamuis in Christo maneat liberum arbitrium, quod in alijs est potentia ad peccandum; tamen in Christo non est solutum quoad tendentiam in bonum vel malum morale, sub qua tantùm ratione dicitur in nobis potentia peccandi. Similiter si quæratur, an Christus sit moraliter an physicè impeccabilis, quæ est alia inter nonnullos lis de nominibus; dignior Christo est modus loquendi, eorum qui Christum physicè impeccabilem pronuntiant: cum Christi impeccabilitas

litas dimanet ex forma physica ipsi Christo interna, nempe ex vnione, diuinam substantiam directricem, pérque eam vnguentum diuinæ sanctificationis aduehente. Nec plura de primo defectu nostrate à Christi voluntate semouendo.

Peccatum habituale, seu peccati macula, procul à Christi voluntate.

374. Alter defectus nostras, huic primo affinis, imò moraliter idem, & idcirco à Christo quoque repellendus, est peccatum habituale, siue macula peccati; quod contractum ante assumptionem sit, nec condonatum, idcóque moraliter perseueret. Restringe disputationem ad maculam contractam ante assumptionem, quia certum est ex proximè dictis, maculam contractam ex peccato elicito per voluntatem naturæ iam assumptæ, esse impossibilem. De macula autem peccati eliciti ante assumptionem, non adeò liquet, an impossibile sit eam perstare. Nec sanè id probat ratio qua vtitur Ragusa 3. p.d.114.§.7. ad 3. ex eo ducta, quod peccatū sit naturæ vt principij quo, suppositi autem vt principij quod: vnde habetur, æquè maculā siue actionem habitualiter perstantem, fore tribuendam diuino supposito naturam iam sic sordentem assumenti de nouo, ac tribueretur si terminasset naturam cum mala illa operatio prodijt: quia nouum suppositum succedit in obligationem retractandi, vel curandi absterſionem maculæ, priori supposito antea incumbentem. Hanc rationem, nego esse idoneam. Nititur enim falso principio, quia supponit actionem cùm actualem tum habitualem, pendere efficienter à supposito tamquam à principio *quod*, cum tamē in neutro statu actio à supposito pendeat physicè & propriè, sed tantùm moraliter, quatenùs ei tribuitur actio, qui potest & tenetur eam à voluntate propria impedire nec impedit: quod debet suppositum respectu voluntatis operantis; cum est voluntas propria illius suppositi, nō autem cum ante assumptionem operatur. Vnde citra probrum vllum suum, ex eo capite ducendum, relinquere posset anteriùs contractam maculam, in prioris egestatis argumentum. Sanè obligatio retractandi peccatum illud, quam Auctor cum quo agimus injcit nouo supposito, est obligatio præcepti affirmatiui, quæ non statim vrget, sed tantùm pro certo tempore. Neque enim qui peccatum admisit, obligatur illico ac peccauit, pœnitentiam concipere, vt traditur exponendo præceptum virtutis pœnitentiæ. Itaque vi obligationis cuique injectæ ex natura rei, vt se peccato expediat, diuinum suppositum non impediretur humanitatem quam in peccati sordibus iacentem assumpsisset, retinere sordentem, saltem vsque ad tempus, quo præceptum retractandi peccatum vrgere inciperet. Eritque id multo apertius, si fingamus naturam quæ peccauit, & quæ sola potest peccatum retractare, assumi dormientem, nec capacem retractandi peccatum, vel cogitandi de eius retractandi obligatione.

375. Vides cur dixerim, non æquè constare, quod impossibile sit maculam peccati ante assumptionem contracti, perstare in natura assumpta, ac constet id esse impossibile, de macula peccati post assumptionem contracti: quia pro hac macula excludenda, pugnant omnia quæ superiùs pro Christi impeccabilitate protulimus: pro macula autem anteriùs immissa, prior ratio quam ducebamus ex directione humanitati assumptæ debita, valet tantùm pro eo tempore, quo obligatio concipiendi pœnitentiam de peccato ante assumptionem contracto, inciperet vrgere naturam assumptam; & occasione eius etiam suppositum, cuius est prospicere, ne natura quam terminat, nouo peccato omissæ pœnitentiæ inquinetur: quod tempus non semper currit, idcóque posset peccati macula superstes esse, saltem ad breuem moram interfluentem ab assumptionis initio, vsque ad tempus obligationis præcepti de concipienda peccati antè contracti pœnitentia. Aliunde tamen fortissimè euincere possumus, impossibile esse peccatum ante assumptionem contractum, perstare post assumptionem naturæ per diuinam personam. Nimirum quia diuinitas, ratione suppositi habet se ad naturam assumptam vt forma sanctificans, eámque inungens, & Deificans: cum qua inunctione, & suprema sanctificatione, impossibile est cohærere peccatum ante contractum; sed necesse est ad tantæ sanctificationis inuectionem, peccatum quodcumque anteriùs contractum, condonari, & planè aboleri. Ex hoc ergo capite, æquè impossibile est, naturæ assumptæ voluntatem peccati macula inquinatam perstare, ac impossibile est eam de nouo peccare, eliciendo actum illicitum, vel omittendo præceptum, quod vidimus vsquequaque repugnare.

Difficultas contra voluntatis Christi impeccabilitatem ex eius libertate.

376. Fuit itaque Christus quâ viator, prorsus incapax peccati cuiuscumque actualis admittendi, vel retinendi moraliter durans: quæ est longè communissima sententia Doctorum recentiorum, & maioris partis antiquorum, licet aduersùs eam militet grauissima nec vmquam satis enodata difficultas, ducta ex Christi libertate circa rem præceptam, v.g. circa mortis perpessionem pro salute nostra. Certissimum quippe est, & ex fide, Christum meruisse, mortem præceptam pro nobis oppetendo. Totum autem meriti fundamentum, est libertas, S. Bernardus optimè tradit lib. de gratia & lib. arbit. éstque ex terminis ipsis perspicuum. At quomodò potuit Christus mereri circa illā materiam si nō fuit ei libera? Et idem est de omnibus, quæ ei diuinitùs, aut lege aliqua, siue naturali siue positiua mandabantur. Nā eatenus libertas est origo laudabilitatis & meriti, quatenùs homo liber, accepta lege potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit: quod Christus præstare non potuit, quia erat impeccabilis tum quâ viator ob vnionem, tum quâ comprehensor, ob summum amorem libertati frænos injicientem, ne à recto exorbitet. Esto salua maneat Christo libertas sua quoad alias materias, non tamen quoad res præceptas, quas faciendo aut omittendo peccaret. Non est tamen hoc satis, quia indubitatum est, Christum meruisse moriendo, quod tamen habebat in mandatis. Quomodò ergo meruit id exequendo, si non poterat non exequi, cum esset impeccabilis? Et idem est, de executione aliorum quorumuis mandatorum. Et quamquam non in præceptis tantùm operibus, sed in quibusuis meritorijs, valet illud Autoris sermonis de ieiunio apud Cyprianum. [In nullo Christum, aliqua coëgit aut dominata est ei necessitas, qui propriæ moderamine voluntatis, disposuit & persoluit quod exegit humanitas.] Tamen in rebus præceptis pungit apertè difficultas quam proposui.

Hanc difficultatem nuper attigi summatim, veriùs quàm discussi, in confutatione nouæ libertatis p.2.c.5. Quod enim ibi non agerem Theologicæ huius materiæ tractatorem, sed examinatorem insulsissimæ ab omni retrò æuo sententiæ, qua libertas negabatur sita esse in facultate vtrolibet flexibili; locabatur autem quidditatiuè & formaliter, in amplitudine & eminentia, ex adhæsione cum Deo; eique sententiæ patrocinium obtenderetur ex Christi libertate, non peniteret in eius discussionem descendi, quàm ferrent fines instituti mei in illo opere, nempe quantum necesse erat, vt ostenderem, Christi Domini libertatem sine illo cōmento retineri posse, ac debere: quod vt præstarem, delibaui, & per summum veluti verticem in transcur-

su

ſu attigi, quæ hîc locupletare & vndecunque firmare, præſens inſtitutum depoſcit. Vt autem clarè & ſolidè procedamus, diſtinguenda eſt materia præceptorum negatiuorum, qualis eſt non patrandi quippiam mali, à materia præceptorum affirmatiuorum, cuiuſmodi eſt perpeſſio mortis.

Expeditur quoad præcepta negatiua. Vrgetur de affirmatiuis.

377. Quoad materiam præceptorum negatiuorum, fateor Chriſtum carniſſe libertate, vt patet euidenter ex eius impeccabilitate. Nam libertas eſt principium, quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere. Inter ea autem prærequiſita, numeratur præparatio diuini concurſus, ſine quo agens quodlibet creatum iacet obſtipum, nec poteſt prodire in actum ſecundum. Igitur cum Chriſtus Dominus, vt ſupra vidimus, non habuerit paratum à Deo concurſum ad male operandum, ſequitur manifeſtè, eam non fuiſſe ad hoc liberum; ac proinde obtemperando præceptis negatiuis v.g. non furandi, non peierandi, ac ſimilibus, nihil fuiſſe promeritum: quia ad meritum ſupponitur libertas, quæ Chriſto defuit quoad has materias, ſiue quoad violationem præcepti negatiui, operatione interdicentis. Non attendo actus aliquos reflexos, approbatiuos impotentiæ malè agendi, & neceſſariæ à prauis operibus abſtinentiæ. Tales quippe actus reflexi, quamuis habeant pro obiecto materiam præceptorum negatiuorum, id eſt actus vetitos, vel potiùs beatam ad eos impotentiam, tamen non ſunt materia ipſa præcepti negatiui, vt notum eſt. Nec enim interdicuntur; & idcirco Chriſtus habet ad eos præparatum diuinum concurſum, atque adeò expoſitam libertatem, moralitatis & meriti fundatricem, qualis non ſupperit, circa actus qui ſunt materia præceptorum negatiuorum.

Quare tota difficultas, quæ circa libertatem & meritum Chriſti, ex impeccabilitate eius ducitur, arctanda eſt ad actus bonos ex præcepto affirmatiuo obeundos; & in eo ſita eſt, vt exponatur, quomodò Chriſtus circa actus ita præceptos libet fuerit, cum non poſſet, non non exequi, ob impeccabilitatem qua pollebat, & quâ viator ob vnionem, & quâ beatus. Peccaſſet enim omittendo: At impoſſibile erat Chriſtum peccare. Igitur & omittere actus bonos præceptos. Nihil itaque meruerit eos obeundo, quod tamen certum eſt dici non poſſe; quia inter actus ſic præceptos, numeratur mortis perpeſſio, qua quis dicat Chriſtum nihil nobis meruiſſe, cum Scripturæ paſſim obſignationem meritorum Chriſti Domini, agnoſcant in ea obedientia, & mortis ſubitione. Inſignitérque S. Bernardus ſerm. ad Milites Templi c. 11. & ita factum, & congruentiſſimè factum, ſic demonſtrat. [Tranſgreſſor inuentus eſt homo diuinæ legis, inueniet ipſe aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuantem ſe in legem peccati. Potrò *peccatum* (vt ſcriptum eſt,) *ſeparat inter nos & Deum.* Separet proinde etiamſi mors, inter corpus noſtrum & nos. Non potuit diuidi anima à Deo niſi peccando, nec corpus ab ipſa niſi moriendo. Quid itaque auſterius pertulit in vltione, id ſolùm paſſa à ſubdito, quod præſumpſerat in Auctorem? Nihil profectò congruentius quàm vt mors operata ſit mortem, ſpiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria neceſſariam. Cum ergo hac gemina morte ſecundùm vtramque naturam homo damnatus fuiſſet; altera quidem ſpirituali & voluntaria; altera corporali & neceſſaria: vtrique Deus homo vna ſua corporali ac voluntaria benignè & potenter occurrit, illáque vna ſua, noſtram vtramque damnauit, meritò quidem. Nam ex duabus mortibus noſtris, cum altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnæ debitum reputaretur, ſuſcipiens pœnam & neſciens culpam, dum ſponte & tantùm in corpore moritur, & vitam nobis & iuſtitiam promeretur. Alioqui ſi corporaliter non pateretur, debitum non ſoluiſſet: ſi non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuiſſet. Nunc autem, ſi, vt dictum eſt, mortis meritum eſt peccatum, & peccati debitum mors; Chriſto remittente peccatum, & moriente pro peccatoribus; profectò iam nullum eſt meritum, & ſolutum eſt debitum.] Inſinuauit eam ratiocinationem S. Gregor. 9. moral. c. 15. ad illud, *ſi flagellat, occidat ſemel.*

Declinatio difficultatis, per inficiationem præcepti affirmatiui Chriſto impoſiti.

378. Aliqui præfocant (vt ſic dicam,) vel potiùs eludunt difficultatem, & fugam eius præoccupant, negando Chriſtum ſubiacuiſſe vllis præceptis; nominatímque diffitentur, impoſitum illi eſſe vllum præceptum de morte ſubeunda. Qua in parte graues ſuffragatores adhibent, quibus viſum eſt, præceptum de adeunda morte quod Chriſtus toties iterat, non fuiſſe verum præceptum. Ita enim habent Græci plerique Patres, & nonnulli ex Latinis Scholaſtici item ac interpretes non ignobiles. Nazianz. orat. 42. quærens cur Chriſti ſanguis fuſus ſit, & cui oblatus in pretium noſtrum; cum excluſiſſet Satanam, eíque perſolutum tantum litrum negaſſet; excludit & Patrem. Nam [Quæ ratio afferri poteſt, vt vnigeniti ſanguine, Pater oblectetur, qui ne Iſaac quidem à Patre oblatum acceperit, ſed ariete in rationalis victimæ locum ſubſtituto, ſacrificium permutarit. Perſpicuum vtique eſt, Patrem quidem accepiſſe, non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit; verum propter conſilium & adminiſtrationem, & quia per humanitatem à Deo aſſumptam, homini ſanctitatem afferri oportebat: vt tyranno per vim ſuperato, nos liberaret, ad ſéque per interfectum filium reduceret, hoc ad patris honorem, cui in omnibus cedere perſpicitur, diſpenſantem.] En negat Theologus, Patrem petijſſe Chriſti ſanguinem: quod perinde eſt ac ſi diceret, non præcepiſſe mortis perpeſſionem, ſed ait Chriſtum eam vltrò obtuliſſe Patri in litrum pro liberatione noſtra, non depoſcente Patre, ſed tantùm acceptante à Chriſto oblatam; quam fuiſſe Theologi mentem, Nicetas ibi clarè tradit.

379. Idem inſinuant, vel potiùs exprimunt, verba illa S. Baſilij l. de Spiritu ſancto c. 8. [Ne igitur ob filij diſpenſationem, ſeruilem humilitatem, aut coactum obſequium imaginemur. Sed intelligamus voluntariam ſolicitudinem, ex bonitate ac miſericordia iuxta voluntatem Dei Patris erga ſuum figmentum operantem. Sic enim pietatem ſeruabimus, ſi & perfectam illi potentiam teſtimonio noſtro tribuemus, & nequaquaquam in omnibus quæ perfecta ſunt, filium à voluntate paterna ſeparabimus.]

Idem frequentiſſimè habet S. Chryſoſtomus. Nominatim verò hom. 7. in ad Philipp. [*Inaniuit* (inquit,) *ſeipſum.* Vbi ſunt qui dicunt, illum ſubijſſe neceſſitatem, ac ſubiectum fuiſſe? *ſeipſum,* (inquit,) *exinaniuit, ſeipſum humiliauit obediens factus vſque ad mortē.* Quomodo exinaniuit? *Formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Hoc loco ſpectans ad illud quod antea dixerat, nempe *ſeipſum inaniuit.* Alioqui ſi ſubiectus fuiſſet, animi humilitas res iſta non fuiſſet, niſi ſua ſponte, niſi ex ſeipſo illud voluiſſet. Si enim ignorauit quod oporteat iſtud fieri, erit imperfectus. Si huius ignarus, ſpectauit mandati tempus, erit temporis ignarus. Vel ſi ſciebat & quod fieri, & quando fieri oporteat, qua ratione ſubiectionem ſuſtinuit? Vt oſtenderet excellentiam Patris? Iſtud non eſt oſtendere Patris excellentiam ſed ſuam tenuitatem.] Videſis præterea eundem homil. 59. & 68. in Ioan. &

hom.28. in ad Hebr. ad illud *proposito sibi gaudio*, vbi disertè ait, Christum ex proprio arbitrio venisse ad crucem, & potuisse non venire. Chrysostomo de more adhærent Theophilactus & Euthymius Ioan.15.

S.Cyrillus apertè videtur astipulari lib.10. in Ioan. c.20. verbis illis. [Cum saluare humanum genus Deus Pater voluerit, neque id creatura posset aliqua efficere: ipse, qui voluntatem Patris opportunè nouit filius, huiusmodi dispensationem suscepit: Sicque obsecutus genitori est, vt mortem etiam turpissimam subierit: *Propterea*, (inquit,) *Deus eum exaltauit*. Habes in obedientia ista voluntaria, paterni consummationem consilij, quod mandati loco tradi sibi filius dicit. Nam etsi vt Verbum Patris, profunda Dei scrutetur, imo verò ipse sit sapientia & Verbum Patris, omnia tamen quæ Patri videntur, peragit, & mandata, vt homo, appellat.]

380. Sed explicatissimè præceptum de quo agimus, inficiatus est S. Anselmus lib. de medit. redempt. gener. hum. c.4. verbis illis. [Spontanea voluntate, ad honorem Dei & veritatem aliorum hominum, quæ illi mala voluntate sunt illata, laudabiliter & misericorditer sustinuit. Nec vlla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi homini, Pater vt moreretur cogendo præcepit; sed ille quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit. Nec Patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate filius sponte obtulit. Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placiturum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamuis liberam; non immeritò dicitur, quia eam velut præceptum Patris accepit. Hoc itaque modo, *obediens fuit Patri vsque ad mortem*: Et *sicut mandatum dedit illi Pater sic fecit*. Et *calicem quem dedit illi Pater bibit*. Hæc est enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, & cum acceptam bonam voluntatem, sine omni exactione, spontanea libertate, opere perficit.] Et l.1. cur Deus homo, cum c.8. multa loca scripturarum addensasset quibus tradi videtur Christum habuisse à Patre præceptum moriendi pro nobis, respondet c.9. Christum quidem ex obedientia viuendo & loquendo, indeclinabiliter tenuisse veritatem & iustitiam, non tamen ex obedientia excepisse mortem, etiamsi propter obedientiam illam rectè & piè viuenti, illata ei mors, vltrò sit ab eo excepta. [Non ergo coegit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum; sed ipse sponte sustinuit mortem: non per obedientiam deserendi vitam, sed propter obedientiam seruandi iustitiam, in qua tam fortiter perseuerauit, vt inde mortem incurreret. Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit Pater, vnde incurreret mortem. Ita ergo, *sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit*; Et *calicem quem dedit ei, bibit*. Et *factus est obediens Patri vsque ad mortem*; Et sic *didicit ex his quæ passus est obedientiam*, id est, quo vsque debeat seruari obedientia.] Nempè seruandi iustitiam, non autem obedientia moriendi. Rursus infra, exponens illud, *fiat voluntas tua*, sic scribit. [Voluntatem Patris dicit, non quoniam maluerit Pater mortem filij, quàm vitam; sed quia humanum genus restaurari nolebat Pater, nisi faceret homo tam magnum aliquid, sicut erat mors illa: quia non poscebat ratio, quod alius facere non poterat. Idcirco dicit filius, illum velle suam mortem, quam ipse maluit pati; quàm vt genus humanum non saluaretur. Ac si diceret; quoniam non vis aliter reconciliationem mundi fieri, dico te hoc modo velle mortem meam; *fiat ergo voluntas tua*, id est fiat mors mea, vt mundus tibi reconcilietur. Nam sæpè aliquem velle dicimus aliquid, quia non vult aliud; quod si vellet, non fieret illud quod dicitur velle. Vt cum dicimus, illum lucernam velle extinguere, qui non vult fenestram claudere, per quam ventus intrat qui lucernam extinguit. Sic ergo voluit Deus Pater mortem filij, quia non aliter voluit mundum saluare, nisi homo tam magnum aliquid faceret, vt iam dixi, quod filio volenti salutem hominum, tantumdem valuit, quoniam hoc facere alius non valebat; quantum si illi mori præciperet: Vnde ille, sicut mandatum illi dedit Pater sic fecit; & calicem quem dedit ei Pater, bibit, obediens vsque ad mortem.] Et ex suppositione huius doctrinæ, idem Anselmus lib.2. cur Deus homo cap.16. & 17. & 18. latè confirmat necessitatem moriendi quæ in Christo fuit, non nisi consequentem fuisse, atque adeò libertatem non læsisse: quia Patre nec vrgente, nec præcipiente, ipsemet ex se concepit voluntatem efficacem moriendi pro nobis, qua posita, non potuit non mori.

381. Eodem modo Christi obedientiam, & latam de morte subeunda præceptum, acceperunt Scholastici quidam & ex sacris interpretibus Ribera in cap.10. Ioan. ad illud, *hoc mandatum accepi a Patre meo*, qui ait, hanc interpretationem apertissimè probari 1. Timo.1. vbi dicitur, non esse iusto positam legem. Si enim iusto non est posita lex, sed vltro occurrit ad exequendam Dei voluntatem, quanto magis idem de Christo est dicendum? Præterquàm quòd si Deus mortis perpessionem indixit Christo, videbitur ex eo decreto antecedenti, obediendi excusatio culpæ crucifigentium, qui exequendo Dei præcepto subseruierunt. Commodissimum ergo esse videtur, inficiari verum quodlibet Christo impositum præceptum, de morte subeunda pro nobis.

Hoc constituto, videtur cessare difficultas proposita. Potuit enim Christus mereri subeundo mortem, quia mortem ob jt non adactus Patris præcepto quod prætergredi non potuisset, vnde subeundæ mortis necessitas fuisset iniecta, sed libera ac exsoluta vndecunque voluntate; quæ tamen *obedientiæ* appellatur in scripturis, quia Christus conscius paterni beneplaciti, & miseriæ nostræ, præuenit mandatum. Quæ anteoccupatio præcepti, flos obedientiæ à peritis rerum spiritualium nominatur. Quid si etiam Christus, vsurpauit vocem *præcepti* agens de morte sua, eodem sensu quo Dauid excipiens maledicta quibus à Semei feriebatur, dixit, *Dominus præcepit ei, vt malediceret mihi*. Nimirum homines Deo plenè subiecti, permissionem diuinam qua incommodum aliquod sustinent, habent pro sustinendi præcepto. Ita ergo Dauid interpretatus est diuinam voluntatem permittendi maledicta in ipsum intorta per Semei, eámque tanquam præceptum habuit. Similiter itaque Christus, potuit paternam permissionem mortis sibi à Iudæis inferendæ, interpretari impositum sibi de subeunda morte præceptum. Quodcunque horum eligatur, euanescit grauis illa difficultas circa Christi libertatem & meritum, in executione præceptorum affirmatiuorum propriè dictorum.

Improbatur.

382. Nihilominus hæc propositæ difficultatis elusio non est probanda; tum quoad alia quædam præcepta, tum etiam nominatim quoad præceptum mortis pro hominum salute subeunda. Nam Christi voluntatem humanam verè subiacuisse præceptis naturalibus, debet esse extra dubium: quia cum natura Christi humana, non esset, nec posset esse sibi regula, necessariò dirigi debuit interuentu legis diuinæ naturalis, per eámque legem obligatur, veritatem inter loquendum proferre, Deum colere, & alia huiusmodi præstare quæ sunt iuris naturalis: inter quæ graues Theologi, honorem quoque matri debitum, & subiectionem cum filiatione connexam numerant, de qua alias.

Nunc

Nunc enim satis nobis est, quod negari non possit, Christum aliquibus affirmatiuis legis naturæ præceptis fuisse obstrictum, eáque exequendo meruisse. Tota quippe difficultas proposita, locum habebit quoad ejusmodi præcepta.

Nec desunt qui existiment, Christum ex huiusmodi præcepto naturali, ad oppetendam pro nobis mortem fuisse obstrictum: ita vt etiamsi Deus nullo eum positiuo præcepto ad mortem pro nobis obeundam adegisset, tamen ex naturaliter enascente charitatis mandato, ad profundendam temporalem vitam suam tametsi pretiosissimam, pro subleuanda summa hominum spirituali miseria obstringeretur. Quod tamen negant Iustinianus Philipp. 2. v. 8. num. 5. & Præpositus 3. p. q. 20. ob infinitum pretium vitæ Christi, omnium mortalium æterna spirituali salute prætiosiorem; quam proinde ordo charitatis saluam esse sinebat, periturus licet hominibus omnibus.

Vt vt si de naturali hoc præcepto, alia quæ protulimus Christum aperte obstringebant. Præterea verò admittendum esse, Christo præceptum à Patre impositum de subeunda pro nobis morte, est longè conformius literæ multarum scripturarum, quibus Christus id profitetur. Quorsum enim, cum ipse Christus asseuat se eius rei mandatum à Patre accepisse, obtorqueamus verborum illorum simplicitatem ad sensus longè alios, cum in eo quem cortex literæ præfert, nihil reuera sit absurdi? Christi enim humanitas, tum esset ens creatum, fuit capax subiectionis ad Deum, & suscipiendi ab eo præcepti. Non potuit autem Christus, verbis expressioribus profiteri impositum sibi à Patre fuisse verum præceptum obeundi pro nobis, vt rectè argumentatur Toletus Ioan. 10. annot. 14. & Iustinianus Philipp. 2. vers. 8. num. 5. Igitur non est quod quis tergiuersetur, & vocem *mandati* aut *præcepti*, ad peregrinas notiones traducat. Sanè admisso vero præcepto de morte pro nobis excipienda, clariùs elucet & voluntas Dei de nostra salute curanda, & Christi & Adami antithesis, vt quod Apostolus Roma. 5. perpendit, *sicut per vnius inobedientiam inimici constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam concilientur Deo*, reuenántque ad gradum pristinum.

383. Nec quæ in contrarium opponebantur, vllius sunt momenti. Nam *iusto non est lex posita*, stimulans, vel vrgens, aut terrens: cum ipse vltro & lubens eam capessat. Est tamen posita quoad directionem & obligationem, vt rectè notauit D. Thom. 1. Timot. 1. Lect. 3. & 1. 2. q. 93. art. 6. post D. Augustinum lib. de Spiritu & lit. c. 10. Ad abrogandum item Patris præceptum Christo impositum de morte subeunda, nihil refert, quod qui Christo mortem intulêre, peccauerint: quasi si Pater Christo præcepit mortem excipere, non peccarint qui intulerunt. Hoc inquam non refert. Præceptum namque Patris respiciebat dumtaxat Christum, ne mortem illam defugeret: non spectabat autem crucifixores, sed respectu eorum Deus merè negatiuè se habuit, nec mandans illis vt Christum crucifigerent, nec ex eorum manibus pro potestate Christum eripiens, iuxta illud Thren. 3. *Ex ore Altissimi non egredientur bona, nec mala*: quod in hanc rem egregiè exponit Petrus Damiani Opusc. 37. p. 1. dub. 9. sic scribens. [Omnipotens Pater, & innocentem filium impiorum manibus tradidit, & tamen à recto iustitiæ tramite non recessit: Quoniam inde iustitiam reflorere constituit, vnde illum ad tempus iniustitiæ subiacere permisit. Sicut in libro sapientiæ legitur: *cum sis, inquit, iustus, iustè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas.* Pater itaque filium mortem subire permisit; verumtamen vt eum perimerent, peremptoribus non præcepit; alioquin culpabiles extitissent dum ministerium impietatis, adscriberent pietatis Authori. Potestatem ergo Deus Christi persecutoribus præbuit, sed vt eum persequentes occiderent non mandauit. Vnde illic præmittit Propheta dicens; *Vt peruerteret hominem in iudicio suo, Dominus ignorauit.* Peruerteret quippe Dominus in iudicio hominem, si condemnari præciperet innocentem. Sed aliud est condemnare, aliud à condemnationis supplicio non eripere; aliud in conatus sacrilegos furentes impellere, aliud nequaquam accepti furoris insaniam reseruare. Vnde illic non ignorando, sed reprobando subiungitur: *quis est iste, qui dixit, vt fieret, Domino non iubente?* Domino dicit, *non iubente*, non tamen prohibente. Non ergo persecutoribus Deus; vt Saluatorem nostrum crucifigerent, iussit: quia nihil in eo quod puniendum esset, inuenit. Non tamen ne crucifigeretur, inhibuit; quia pro mundi salute passurum, nullatenus eum ex impiorum manibus liberauit, vnde benè mox additur. *Ex ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala.* Bona quippe procederent, si eum de supplicio, quod irrogabatur, eriperet; mala verò si crimen in eo qui suppliciis adiudicandus fuerit, reperiret. In passione ergo Christi, ex ore Altissimi, nec bona egredientur, nec mala, quia Pater eum nec ex potestate liberat, ex legis æquitate condemnat: quia licet non reperiat peccatorem, pro salute tamen mundi in passione positum, non eripit innocentem. Nullis videt peccatis obnoxium, nec tamen reddit impiorum manibus absolutum: vt dum subit innocens pœnam, qui peccator est, reuertatur ad veniam: & dum vnus qui non debet, soluit omnium debita, omnes qui sub originali vetustæ cautionis fœnore tenebantur astricti, rescissi chirographi reddantur legibus absoluti.]

384. Tandem autoritati Patrum qui in contrarium sunt prolati, deferre in hac re non possumus; cum scriptura videatur clara, reclamétque alij Patres, præceptum de quo agimus, Christo impositum agnoscentes; vt Ambrosius 5. de fide cap. 5. *in fine* Damascenus 3. fid. c. 24. Conatur quidem Iustinianus Philipp. 2. v. 8. n. 5. Patres illos interpretari, vt tantum significare voluerint promptissimam Christi in bonum nostrum voluntatem, à seruili adactione liberam. Nec minus aptè certè admodùm consentaneè ad Chrysostomum Philipp. 2. hom. 7. diceretur, Patres illos (si Anselmum excipias,) explosisse Arrianum præceptum verbo ipsi impositum de carne induenda, & morte excipienda, quale apud Fastidiosum Arrianum in serm. per S. Fulgentium confutato his verbis legitur. [Postquam à diabolo deceptus est homo, qui volens fecit iniquitatem, inuitus, incurrit in mortem. Præuaricatus est iniustè, & punitus est iustè. Deus verò cum hæc duo vidisset in homine, culpam & mortem; vnam quam malè fecerat, alteram quam iustè pertulerat; cum his duabus validissimis catenis homo tenebatur innexus, præcepit vt carnem susciperet Dominus Christus, non in qua peccator debitor fieret, sed in qua sine peccati debito, mortem indebitè pro debitoribus sustineret.] Et mox [Quæ maior potuit esse pietas, quàm vt pro carnalibus hominibus Dei filius, paterno patens imperio, humanam carnem susciperet, & vita mortem pro mortalibus sustineret? & ille qui ante sæcula nascitur fundatus à Patre, in nouissimo tempore nasceretur ex virgine? Ille qui dat vitam mundo, iaceret mortuus in sepulchro?] Hoc igitur Arrianum præceptum; videri possint reiecisse Patres prædicti, non autem præceptum quod admisimus; contra quod quæcunque opponebantur nihil reuera vrgent, estque proinde huiusmodi præceptum reuera admittendum.

Præceptum subeundæ mortis, strictum: ac proinde ardua circa illud libertatis & impeccabilitatis concordia.

Ita porrò hoc præceptum admitto, vt velim esse quod

quod vox *præcepti* ſonat; obligans videlicet, & tale vt niſi impleatur cum impleri poſſet, contrahatur culpa. Qua in re diſplicent nonnulli, qui præſcribentes difficultatem cui diſſoluendæ proludimus, ſatagerunt eam auertere, dicentes, præceptum hoc Chriſto impoſitum eiuſmodi fuiſſe, vt non obligaret ad culpam, ſed ſe haberet ad modum legis pœnalis, quo pacto ſe habent leges quorundam inſtitutorum religioſorum. Quod eſt dicere, præceptum Chriſto impoſitum, non fuiſſe verum præceptum; ſed tantùm monitionem, aut directionem, & ad ſummum fuiſſe conuentionem & pactum de ſubeundo, niſi mortem obiret, incommodo quopiam; non per modum pœnæ quæ culpam ſupponeret, ſed per modum puri incommodi.

Verùm quamuis hoc pacto declinari videatur præceptum verum de executione operis indicti, ob cuius prætermiſſionem decernitur ſubſecuturum incommodum; tamen ægrè declinari poteſt verum præceptum de ſubitione incommodi, ob prætermiſſam executionem operis à ſuperiore indicti. Et de hoc vero præcepto, manebit in re præſenti, difficultas circa Chriſtum propoſita. Deinde quæcumque adduximus ad aſſerendum præceptum ſubeundæ mortis Chriſto impoſitum, planè probant illud præceptum fuiſſe quod deſignatur voce *præcepti*, id eſt verè obligatorium atque adeò cuius violatio noxia foret atque culpabilis. Nec niſi gratis cauillando fingitur, hoc præceptum in ratione vinculi obligantis, fuiſſe ſimile legi purè pœnali, atque adeò directè & per ſe primò non obligaſſe ad mortem ſubeundam, ſed ad aliquod aliud incommodum. Quod enim aliud incommodum Chriſto irrogandum erat ex pacto cum Patre, ſi mortem indictam defugiſſet?

386. Argumentatur inſuper, contra hoc Albertinus 5. princ. compl. coroll. 3. n. 6. etiamſi præceptum Chriſto impoſitum non fuiſſet verum præceptum obligans ad culpam, ſed tantùm ſe habuiſſet ad modum legis purè pœnalis; tamen receſſus à tali præcepto, magna imperfectione ſorduiſſet, quæ nullomodo affricari Chriſto poſſet. Quare maneret difficultas, cui declinandæ excogitata eſt ea præcepti larua. Sed hoc argumento non parabunt ſe multùm premi qui contra ſentiunt. Intrepidè enim deuorabunt quod ingeritur; nempè potuiſſe Chriſtum abſque contradictione tali imperfectioni ſubiacere; quo pacto declinatur ſufficienter difficultas. Quare ob alia quæ protuli, præſertim verò quia ſtandum eſt cortici ſacrorum verborum, cum nullum ex eorum extimo ſenſu abſurdum exiſtit, quale hinc certè nullum ſequitur, contendo præceptum Chriſto impoſitum de morte pro nobis ſubeunda, verum præceptum fuiſſe; atque adeò ad culpam obligans, & inijciens exequendi neceſſitatem, ni culpæ ſit ſubiacendum.

Præcluſum itaque eſt, difficultatis propoſitæ effugium quod captabatur. Nam Chriſtum affirmatiuis præceptis ſubiacuiſſe oſtenſum eſt, & nominatim ei quod mortis ſubitionem indicebat. Inſuperque monſtratum eſt, ea præcepta ac iſtud nominatim de morte, fuiſſe vera præcepta ad culpam obligantia: idque iuxta Rupertum l. 6. in Geneſ. c. 31. expreſſum eſt cum Iſaac ligna ad holocauſtum tulit, pater autem ignem & gladium. Eſt enim ignis, ſymbolum amoris ex quo Pater, filio mortem pro nobis præcepit; gladio quippe imperium denotari, illud Apoſtoli docet, *non ſine cauſa gladium portat.*

387. His ita poſitis, ſudandum eſt in enodatione difficultatis; quam ex eo ducebamus, quod cum conſtet de Chriſti merito, atque adeò etiam de Chriſti libertate in executione prædictorum præceptorum; aliunde tamen videatur libertas peſſumdari ob Chriſti impeccabilitatem, tùm ex vnione, tùm ex beatitudine qua potiebatur, deriuatam. Quæ enim libertas eſſe poteſt, in eo exequendo quod non poſſis non exequi? Rectè profectò Clemens Alexand. 4. Strom. cap. 9. [Id nobis eſt liberum, éſtque in noſtra poteſtate, cuius ex æquo ſumus Domini, & eius quod ei aduerſatur, vt philoſophari, vel non; & credere, aut non credere. Per hoc ergo quod ſumus æquè participes vtriuſque eorum quæ inter ſe aduerſantur, inuenitur fieri poſſe id quod eſt in noſtra poteſtate. Quin etiam præcepta ſunt eiuſmodi, vt à nobis poſſint fieri & non fieri quæ conſentaneum eſt vt conſequatur laus & vituperatio.] Cum ergo Chriſtus, & quia vnionem ad Verbum continebat & quia beatus erat, non poſſet non exequi præceptum affirmatiuum quod omittendo peccaſſet quomodo in ea executione liber fuit aut verè meruit.

Initur, ſi habeatur tantùm ratio impeccabilitatis ob vnionem.

388. Hæc difficultas prout ducitur ex ſolo primo capite, hoc eſt ex vnione impeccabilitatem Chriſti inferente, non mihi videtur expeditu ardua. Rectè enim intelligo, impoſitum fuiſſe Chriſto verum præceptum affirmatiuum abſque læſione libertatis & impeccabilitatis; quatenus Chriſtus ita proximè talis præcepti excuſatione abſtinere, vt tamen remotè non poſſet illud exequi. Senſus eſt, Chriſtum ſpectato quidem præſenti modo quo Deus erga eius voluntatem ſe habuit, potuiſſe non exequi præceptum affirmatiuum, attendendo dumtaxat impeccabilitatem ratione vnionis. Monebatur enim de facto à Deo, ad operandum, per ſola auxilia congrua quibus præſciebatur conſenſurus; quæ motiones ſunt eluctabiles & probè cohærent cum exſolutione libertatis ad vtrumlibet. Nec refert quod dentur Chriſto ex præfinitione diuina quæ non poteſt irrita cadere. Præfinitiones enim purè immanentes, non temerant libertatem quia relinquunt eam qualis ex ſe eſt, nihilque erga eam immutant; atque adeò ſicut exſolutam inueniunt, ita & exſolutam relinquunt. Spectato igitur præſenti modo quo Deus ſe habebat ad Chriſti voluntatem, ſalua erat quantum eſt ex hoc capite libertas Chriſti. Neque tamen lædebatur impeccabilitas; quia Deus ita ſuauiter Chriſtum mouendo, iam tunc conſtitutum habebat, fortiter adigere; & vel reluctantem compellere ad operandum, ſi non fuiſſet ſponte ſua operaturus. Vnde ſpectato eo quod Deus fuiſſet facturus, ni Chriſtus ſponte conſenſiſſet, impoſſibile erat Chriſtum omittere rem præceptam, & peccare.

Erat igitur Chriſtus, liber de facto; ſed ita tamen, vt quia impeccabilis erat, non fuiſſet futurus liber ob interponendam motionem diuinam ineluctabilem, qua ad peccandum abriperetur, niſi Deus per ſcientiam mediam præmouiſſet, adhibitis ſolis impulſibus congruis & motionibus eluctabilibus, operationem præcepto affirmatiuo indictam, fuiſſe per Chriſtum executioni mandandam. Qua de re actum alibi à nobis eſt, conciliando præfinitiones immanentes cum libertate, in Natur. Theol. diſt. 8. n. 192. & in Mor. diſt. 2. à n. 277. & diſt. 4. num. 345. quibus locis declaratum eſt, quomodò executio præcepti in hoc euentu non ſit ex ſuppoſitione antecedente: quod vnum obtendunt, quibus hæc doctrina non placet, vt Valentia 3. p. d. 1. q. 19. p. 2. & Moncæus diſp. 9. ſelecta cap. 9. *ſub initium*, ac Vaſquez 3. p. d. 74. n. 23.

Nodus, ſpectata impeccabilitate ob beatitudinem.

389. Tota ergo difficultas eſt, de cohæſione libertatis Chriſti in executione præcepti affirmatiui, & impeccabilitatis prouenientis ex viſione beatifica. Nam beatus amat Deum ſuper omnia, & quidem ex ſuppoſitione

sitione independente à voluntate; ac proinde necessariò. Cum ea autem necessitatione ad summum amorem, omnem Christi affectum exsugente, & prorsus abripiente voluntatem, non potest coniungi violatio præcepti affirmatiui: quia sic Deus, amaretur & non amaretur super omnia. Quomodò igitur dici potest, Christum qui ratione visionis beatificæ, & amoris eum consequentis, non potest Deum non amare perfectissimè, nec ab eo amore desciscere prætermittendo executionem præcepti affirmatiui, exequi tamen libere illud præceptum? Hæc enim circa impeccabilitatem ex primo capite ductam, inde conciliabamus; quod non obstante hypostatica vnione, posset Christus omittere executionem actus præcepti, si haberetur tantùm ratio modi quo Deus ad Christi voluntatem de facto se habebat: vnde vidimus existere quidem indefectibilitatem actus præcepti, non tamen necessitatem. At in re præsenti, nihil tale dici potest: quia vi amoris beatifici, voluntas Christi determinabitur de facto ad executionem actus præcepti, ita vt ea dumtaxat attendendo quæ reipsa circa voluntatem Christi fiebant, non posset non agere. Vi enim præcepti interpositi, executio abijciebat indifferentiam obiectiuam, & connectebatur cum summo bono super omnia amato; vi cuius immutationis sequebatur necessariò executio rei diuinitùs indictæ, non minùs quàm ex intentione efficaci, assumptio vnici medij. Vbi ergo libertas omittendi? Est sanè hæc difficultas longè maxima: quod vel incredibilis sententiarum varietas, abundè prodit. Referam quasdam celebriores, eique primùm quæ difficultatem enodant prout cuius præcepto communem; tum alias quæ hanc difficultatem expediunt, prout spectantem præcepta tantùm positiua; illúdque præsertim quod in hac difficultate maximè pungit; nempe præceptum à Patre Christo impositum, vt pro nobis mortem obiret, & satisfaceret.

Enodationes nonnullæ, ex falsis de libertate principijs.

390. Verùm in primo responsionum ordine, seponendæ sunt tres planè improbabiles, & alibi sufficienter contritæ, ac proinde hîc denuò non excutiendæ sententiæ. Prima, eorum est qui omnem necessitatem voluntati ex diuino præcepto iniectam, negant lædere eius libertatem, eo quod sit necessitas ex sola suppositione præcepti. Necessitatem autem ex suppositione, non lædere libertatem, tudimentarij Dialectici non ignorant. Ita Aluares 3. p. disp. 46.

Secunda est eorum, qui idcircò dixerunt, præceptum nihil officisse libertati Christi Domini, quia vbicunque est indifferentia iudicij quo actus exhibetur tanquam bonum non summum, ibidem locum habet libertas circa actum illum; quicquid tandem antecedat, vel comitetur, aut sequatur. Atqui non obstante præcepto, actus indictus non est exhibitus Christo vt summum bonum. Fuit igitur Christi voluntas ad eum exequendum libera, non obstante suppositione præcepti. Ita Bannes 1. p. q. 19. art. 10. dub. 1. §. 3. *documentum.* Subscribit Pelancius 3. p. q. 18. art. 1. disp. 4. cõclus. 2. Non quod cum Banne censeat libertatem semper esse saluam, quamdiu est in intellectu iudicium indifferens; sed quod peculiariter in re præsenti existimet, indemnem eo pacto præstari Christi libertatem, ob exclusam, antecedentem motionem, voluntati antecedenter extrinsecùs inditam adigentem ad operandum: quod censet ad libertatis incolumitatem satis esse, non obstante præcepto, & amore beatifico. Vnde disp. 6. ex eodem principio infert, beatum vi visionis non determinari ad non peccandum, sed liberè non peccare.

Tertia sententia quam memorabam, est vnius tantùm cuiusdam, qui libertati Christi inde consultum censuit, si exposita communi & protrita libertatis notione, expressa per potestatem & dominium in actum suum; vel per facultatem vtrolibet flexibilem; libertas statuatur in amplitudine & eminentia, ex adhæsione ad Deum: quæ quo nexus adamantini astringentes nos Deo, fuerint fortiores & inexpedibiliores, eo maior consequetur; atque adeò maior existet libertas. Vnde cum Christus arctissimè Deo adhæreret, & ita vt non posset ab eo diuelli peccando, libertimus quoque, erat, etiamsi non posset omittere rem præceptam: quod ad libertatem non pertinere existimat hæc sententia, latè nuper ab eius primo fabro tradita lib. 1. de libert. Dei & creaturæ cap. 33.

Repelluntur.

391. Seponendas dixi has tres sententias, quia sunt planè improbabiles, & alibi à nobis plenè reiectæ. Prima enim absurdè supponit, necessitatem ex quacunque suppositione deriuatam, cohærere cum libertate; quod est apertè falsum: alioqui is qui arctissimè alicubi religaretur, esset liber ad abeundem; quia hæreret, tantùm ex suppositione vinculorum. Et cœcus, liberè non videret; quia ex sola cœcitatis suppositione, non ageret. Itaque tametsi ea suppositio quæ per voluntatem liberam ponitur, non lædit libertatem: tamen suppositio quæ est antecedens arbitrium nostrum, si actionem necessariò inuehat, excindit vsum libertatis, vt plenè dixi in Mor. dist. 1. Cum ergo voluntas Christi, per amorem ab eius libertate independentem, planeque necessarium, adigeretur ad executionem actus præcepti: non potest executio dici libera, eo quod sit tantùm necessaria ex suppositione, vel præcepti, vel amoris beatifici: quarum formarum neutra, subest arbitrio humanæ Christi voluntatis. Vnde suppositio earum, est suppositio antecedens, & ex ea consequens necessitas, temerat libertatem.

392. Secunda item responsio; nititur principio apertè falso. Nam non obstante indifferentia iudicij, exhibentis obiectum tanquam bonum non plenum & summum, posset voluntas necessitari. Vnde Sectarij qui libertatem exscindi per diuina decreta & motiones fabulantur, quamuis non negent, nec negare possint indifferentiam obiectiuam interuenire respectu quorumuis nostrorum actuum; tamen habentur, veréque sunt exsolutæ libertatis hostes; quia adactionem voluntatis admittunt, quam rectè asserunt funditùs subruere libertatem, tametsi superstite indifferentia iudicij. Videsis quæ in hanc rem latè disputo in Mor. dist. 2. num. 88. & num. 254. & in Natur. Theol. d. st. 8. à num. 76. Non potest ergo hinc consuli libertati Christi Domini, in executione actuum præceptorum; ad quam Christus, quomodocunque se habuerit iudicium intellectus, adigitur per amorem summum, qui non patitur vt voluntas possit pro arbitratu ferri contra præceptum. Quid quod actus præceptus, tametsi secundùm se proponatur vt indifferens obiectiuè, tamen prout nexus cum præcepto, & perfusus diuina voluntate; non obijcitur vt indifferens; sed ob connexionem cum summo bono, induit necessitatem, & boni plenitudinem irrepudiabilem? Ex quo liquet, responsionem quam excutimus, ne suppositò quidem eo falso principio de natura libertatis quo nititur; posse ad retinendam Christi libertatem vsui esse, ob exclusam ab actibus præceptis indifferentiam obiectiuam, per connexionem quam habent cum Deo summo bono; eo ipso quod ab eo mandantur; ita vt vel violandum sit diuinum præceptum, & despicienda summa eius bonitas, quod beatus nullo modo potest; vel eliciendus sit actus præceptus, exclusâ omni ad eum non ponendum indifferentiâ. Nec refert, quod per præceptum aut visionem claram Dei, nihil intrinsecè immittatur volun

voluntati, præmium actui amoris beatifici: quasi nulla tali immissione facta libertas perstet incolumis, vt Pesantius imaginabatur. Hoc inquam non refert. Nam ad libertatis impeditionem, satis superque est propositio obiecti, tanquam summi boni; vnde necessarius amor eiusdem, & omnium cum eo amore connexorum necessitas, aperte manat.

393. Tertia denique responsio, est perspicuè varia. Nam intra eam, Deus ad intra esset libertimus, quia maximè sibi adhæret: & Beati quoque Deum amantes, essent liberrimi, quia arctissimè adhærent summo bono. Scio nouæ libertatis fabrum, hæc non habere pro absurdis. Non debemus tamen plus eius iudicio deferre, quam sensui omnium planè ad hanc diem Theologorum; quia manifestè in contraria sunt sententia. Et quamuis libertatem summam Beatis concedant, quasi ciuilem Christianam, quæ in recessu à peccato fita est; tamen libertatem omittendi res à Deo præceptas abrogant illis: Et similiter Dei libertatem propriè dictam, quoad actus internos, prorsus diffitentur, quicquid nouæ libertatis intentor tricetur. Contra hanc nouam libertatem iusto opere certauimus. Quare nihil ab ea subsidij expectandum, in præsenti negotio. Sepositis ergo his sententiis tanquam perspicuè improbabilibus, & aberrantibus ab ipso ostio, eo quod in naturam veræ libertatis impingant; scrutemur alia, quæ suppositis legitimis de libertate principiis, ad retinendam Christi libertatem commodare sunt visa.

Aliæ enodationes, aduocata circa voluntatem diuina vi.

394. Sunt igitur qui dicant, quamuis Christus ratione amoris beatifici esset intrinsecè determinandus ad parendum, si attendamus ad suppositionem illam antecedentem, & ad illud quod ex natura rei consequi ad eam debebat: tamen diuina virtute factum fuisse, vt amor beatificus, non determinauerit voluntatem Christi ad exequendum actum præceptum, sed eam expeditam reliquerit. Sicut quamuis gaudium summum, & summa tristitia, naturaliter se excludant; tamen in Christo ex diuina dispensatione per miraculum coaluerunt, vt esset locus perpessioni pro nobis. Refert nec improbat hanc sententiam. Ægidius Coninc d.sp.2.de actibus supern.à num.117. addirque qui eam improbant, apertam in ea repugnantiam non monstrare. Non omnino item ab ea abhorret Pennotus lib.1.propug. humanæ libertatis c.11. *sub finem*; quibus præiuit, qui planè videtur eam sententiam tradere Mol.1.p.q.14.art.13.disp.18.membro 4. *ad vltimum* §. *illud deinde*. Quanquam non nisi obiter, meminit determinationis ex amore beatifico, suspensæ in Christo: Totus autem est in monstranda donorum Christo concessorum, consequenter ad vnionem & visionem, cohæsione cum eius libertate; eo quod ea dona, essent eluctabilia; quamuis si præuisum esset fore repudianda, adhibitæ essent motiones ineluctabiles, quibus Christi libertas nunc incolumis, fuisset tunc euersa, vt peccatum declinaretur. Quod est respondere ad difficultatem de Christi libertate, prout ductam ex vnione sola, non autem prout ductam ex visione, quo pacto nos nunc eam attendimus. Non multum ab hac responsione quam nunc retulimus, abest alia quam refert Lessius lib.2. de summo bono num.180. ex nonnullis, affirmantibus voluntatem Christi Domini, ita fuisse diuinitùs corroboratam, vt non necessariò traheretur à summo bono clarè viso; sed posset obsistere, & amorem beatificum abrumpere, sicque se flectere ad omissionem actus præcepti.

Non placent.

395. Neuter tamen horum dicendi modorum, probandus est. Et prioris quidem repugnantia, videtur manifesta. Nam amor Christi beatificus, est amor super omnia. Talem quippe necesse est esse amorem illum, qui ex notitia clara boni pleni consequitur, & ad hominis optimum statum, vel constituendum, vel integrandum pertinet. Atqui amor Dei super omnia, est incompossibilis cum libera omissione actus à Deo præcepti. Sic enim amor ille Dei non esset super omnia, igitur impossibile fuit, esse in Christo amorem beatificum, & tamen suspendi determinationem voluntatis per eum, ad volendam executionem diuinorum præceptorum. Nec secus videntur facere, qui admisso amore Christi super omnia, addunt determinationem ad hoc illúdve à Deo mandatum volendum, suspendi posse; quàm si quis diceret, posita intentione efficaci, suspendi posse ordinem quem habet ea intentio, ad electionem mediorum. Sicut enim quamuis formalis actus eligendi possit suspendi, præmissâ intentione efficace; tamen ordo ad actum intelligendi, est essentialis efficaci intentioni; nec inhiberi potest ea posita: ita impossibile est, determinationem ad volendum exequi quicquid Deo placet, quæ non distinguitur à parte rei ab amore super omnia, & in eo essentialiter includitur; suspendi eo amore posito: quia amor Dei super omnia, non est mera tendentia in bonum summum, sed præter affectum in Deum, inuoluit quoque affectum in res cum Deo connexas, & odium cuiuscunque ob eius voluntate abhorrentis. Præterea hæc responsio, dum nititur complanare difficultatem quæ aduersùs libertatem Christi assurgit; aperit ostium peccabilitati Christi, quantum est ex hoc capite, magnáque perfectione Christum spoliat; nempe ea determinatione ad nihil volendum contra Deum. Magna item imperfectione Christum inquinat, qui deteriore sit conditione, quàm cæteri Beati, quos summus Dei amor reddit impeccabiles, non item Christum amor suus beatificus longè excellentior.

396. Posteriori item modo dicendi proximè proposito, opponendum est, impossibile esse vt amor super omnia, qualis necessariò est beatificus; cum procedat ex clara contuitione summi boni, non trahat potenter & ineluctabiliter voluntatem, ad executionem præcepti. Deest enim illi radix libertatis, sine indifferentia obiectiua; sine qua impossibile est, potentiam quæ aliquò fertur liberè ferri. Potest quidem actus obiectiuè indifferens, fieri necessarius ob adactionem, & determinationem extrinsecam aliunde quàm ex obiecti meritis iniectam, vt in Morali ostensum est. Vt tamen actus obiectiuè necessarius, sit formaliter indifferens & liber, tam impossibile est quàm participare effectum formalem absque causa formali, & germen absque radice. Et hæc est causa, cur contradictionem implicet, actus facultatum sensitiuarum externarum & internarum liberos esse, spectata quacunque vi. Quid quod hæc sententia, dum libertati Christi prospicit, imperfectione magna eum onerat; admittens Christum liberè amasse Deum clarè visum, & potuisse ab eo amore feriari, sicque peccare? Quæ omnia etiamsi non essent impossibilia, magna tamen imperfectione Christum dedecente forderent. Quàm enim beatus est, necessariò amare toto nisu voluntatis summum bonum, quàm illud oscitanter stringere, & posse abijcere actum amoris? Quàm item indignum est, truncare vel hac parte integrante, vel hoc complemento beatitudinem Christi, præsertim vt possit statui peccabilis, & capax diuinæ Maiestatis violandæ, prætergrediendo eius præceptum? Interrogare verò præterea possumus, quomodò ea corroboratio fieret in voluntate, vt posset tractioni visionis, seu potiùs obiecti clarè visi obsistere. Non enim

enim fieri potest per aliquid intrinsecè immissum voluntati, quod glacialem rigorem ei conciliet, ne amore ardescat, eamve quasi stupefaciat quoad actum illam. Nullus quippe est habitus eiusmodi aut forma, cum omnes huiusmodi habitus & formæ sint operationes, non stupefactiuæ potentiarum: præsertimque incommodissimum est, id tribuere formis supernaturalibus, cuiusmodi oporteret esse has formas amorem beatificum præfocantes, eoque potiores. Quis enim sibi persuadeat, Deum huiusmodi formarum autorem, impediendo tam sublimi actui, & inuehendæ in Christum peccabilitati, operam suam, & quidem supra naturam impendere? Eodem autem argumento confitetur, ob firmationem illam voluntatis, & obdurationem aduersùs pellectionem obiecti clarè visi ad sui amorem, non effici per meram extrinsecam assistentiam diuinam. Præterquàm quod intelligi non potest, quo pacto Deus merè extrinsecè assistendo, & nihil circa voluntatem efficiendo; non formam, non actionem, non quidquis aliud, possit inducere in voluntatem, rigorem aduersus tractionem per visionem. Nam voluntas ex se, trahitur necessariò per obiectum illud visione clara propositum. Ergo nisi aliquid circa eam de nouo fiat quo immutetur, perseuerabit qualis ante erat ex sua natura.

Enodatio alia, per duplicem Christi amorem, improbata.

397. Pergo ad aliam difficultatis propositæ enodationem, quam inuit Bellarminus l. 5. de Iustif. cap. 11. ad 2. & Suarez 3. p. d. 3. s. 4. tametsi non absque vacillatione, ac ita vt primò fateatur se in ea non conquiescere; mox tamen suppositâ doctrina de totali præfinitione actuum Christi, eodem reueniat. Aiunt ergo hi Autores, fuisse in Christo duplicem amorem, subordinatum duplici scientiæ Christi; beatæ videlicet, & infusæ. Et quidem primum illum, fuisse prorsus necessarium; secundum verò fuisse liberum, eo quod scientiæ beatæ nihil commune esset cum hoc amore scientiam infusam consequente, qui solus influebat in operationem præceptorum Christo viatori impositorum. Vnde quamuis hic amor, esset valdè perfectus, ac super omnia, & ex eius suppositione præceptum non posset non impleri; tamen quia liber erat, nihil officiebat libertati executionis præcepti. Sicut necessitas electionis vnici medij, ex suppositione intentionis efficacis liberè suscepræ, non est necessitas temerans libertatem.

Aduersùs hanc enodationem difficultatis propositæ, late bellat Moncæus disp. 9. selecta cap. 9. in posteriore parte capitis; sed magnam partem inefficaciter canitur ergo inprimis, per eam doctrinam exponi insufficienter Christi prout beati impeccabilitatem, quam in solum amorem super omnia reducit: cum tamen præcluso, aut impedito amore, æquè impeccabilitas consecutura esset visionem, prout remouentem ab intellectu omnem defectum impedientem ne minos considerat bonum honestum quàm delectabile; quæ est tota mali radix. Addit insuper, perperam in humana Christi voluntate statui duos amores supernaturales, cum beatificus satis superque sufficiat: nec rectè, si admissum duplicem amorem velimus, duas pro eis in intellectu regulas statui, pro vnoquoque suam; cum visio beata non possit non regulare & dirigere omnem amorem supernaturalem, voluntatis eidem supposito implantatæ. Hæc omnia sunt ruinosa, nec doctrinam quam impetunt, possunt disjcere. Nam falsò dicitur, impeccabilitatem tribui posse soli visioni, prout excludenti omnem defectum, vel minorem considerationem intellectus. Quamuis enim inde habeatur impeccantia, (quia nemo de facto vmquam peccat, nisi ignorans, id est errans, vel minùs considerans;) tamen non habetur inde impeccabilitas, vt hic autor perperam assumit. Qui item labitur, cum negat in Christo amorem infusum à beatifico distinctum, & regulatum per scientiam infusam, non per beatam: qua vtraque in parte, iam superiùs cum eo confliximus.

Est igitur aliunde agendum contra propositam huius difficultatis enodationem; nempè ex eo quòd amor beatificus sit planè necessarius, & super omnia, ac proinde necessariò excludat omnem affectum, Dei voluntati contrarium. Quamuis enim voluntas quæ necessariò fertur summo amore in aliquod bonum, possit insuper illud amare per alium actum liberum: tamen supposito illo alio amoris actu necessario & super omnia, impossibile est vt aliquid ei contrarium admittat; alioqui amaret simul, & non amaret super omnia. Nimirum voluntas plenè iam & perfectè determinata ad aliquid, quamuis possit vlteriùs determinari quasi extensiuè per aliam determinationem nouam minùs perfectam, sed eodem collimantem; non potest tamen non esse determinata, aut ferri contra alteratius illius perfectissimæ determinationis præscriptum; quod esset, cum summa determinationem admittere indeterminationem; imo cum vna determinatione, subire contrariam. Itaque Christus Dominus, quia per amorem beatificum planè necessarium, super omnia, determinabatur ad obsequendum Deo per omnia; non poterat cum ea tam exquisita tamque firma determinatione, coniungere indeterminationem ad obsequendum per amorem inferiorem; sed necessariò ita afficiebatur, vt parere Deo vellet.

Variæ speciales enodationes eiusdem difficultatis, quoad præcepta tantùm positiua, vt mortis obeundæ.

398. Hactenus de primo ordine enodationum huius difficultatis, quæ scilicet attendunt concordiam libertatis & impeccabilitatis Christi circa quæcumque affirmatiua præcepta, siue naturalia, siue positiua. Pergo alias enodationes, quæ locum dumtaxat habent pro præceptis positiuis, ac nominatim pro præcepto subeundæ mortis, de quo in toto hoc negotio, est maxima controuersia. Ad hæc ergo dumtaxat præcepta, accommodari potest quod dicunt aliqui, inter quos Bened. Iustin. Philipp. 2. v. 8. n. 10. nimirum idcirco Christum in præceptorum obseruatione fuisse liberum, quòd Deus propterea imposuerit illi præceptum, quia interuentu scientiæ mediæ præsciebat illum consensurum & liberè obediturum. Itemque quod dicunt alij, vt Pennotus l. 1. propugn. cap. 11. *in fine*; nempè idcirco Christum fuisse liberum, quia necessitas ei iniecta ad præcepti obseruationem, erat ex suppositione acceptati per Christum diuini præcepti, ad quod Pater eum obstringere non intendisset, nisi ipse mandatum paternum vltrò acceptasset. Ac denique quod alij dicunt, Christum liberè paruisse, quia poterat petere præcepti dispensationem, quam se concessurum si rogaretur, & præcepti obligationem laxaturum, significauerat Pater inter imponendum præceptum: quod insinuari putant illis Christi verbis, *an putas non possum rogare Patrem meũ, & exhibebit mihi modò plusquam* 12. *legiones Angelorum*: quot scilicet necessariæ non erant ad declinandam mortem, de qua tamen subeunda erat præceptum. Igitur intellexit Christus, ita mandatum sibi fuisse mortem subire, vt tamen si præcepti dispensationem obtinere, & eius vinculum laxari vellet, facilè id consequi posset rogando; eo quod talis esset voluntas Patris.

His omnes responsiones, perspicuum est habere dumtaxat locum pro præceptis positiuis. Nam præcepta naturalia, non possunt imponi à Deo, quia præscit nos obedituros, aut quia acceptamus, vel cum facultate

te petendi dispensationem. Vnde, quod aliqui non aduertunt, hæ responsiones quamuis admitterentur, non exhaurirent tamen hanc difficultatem vniuersam, nec expedirent modum eius quoad materiam omnium præceptorum affirmatiuorum, quorum pleraque sunt naturalia, sed tantùm quoad materiam præceptorum positiuorum, quale est præceptum de morte subeunda, cui soli extricando intenti fuisse videntur hi Autores.

Prima, per scientiam mediam, non satisfacit.

399. Verùm neque quoad hæc præcepta, potest sic expediri difficultas proposita. Inprimis enim quod dicitur, idcirco Christum liberè paruisse, quia præceptum fuit ei impositum ex scientia media, quia Deus præuidebat, Christum si id ei præciperetur pariturum liberè; hoc inquam nullomodo potest subsistere. Nam vel sensus responsionis prædictæ est, *Deus præuidit Christum si præceptum ei imponeretur, liberè pariturum.* Et hoc dici non potest; quia tota difficultas perstat. Monstrandum enim est, quomodò Deus potuerit videre, executionem ineluctabili necessitati astrictam, esse liberam. Posito namque præcepto, executio eius necessariò infertur per amorem Dei super omnia, in Christi voluntate flagrantem. Quomodò ergo cum suppositione illa antecedenti, ad quam non potest non sequi executio præcepti, verum esse potest, quod Deus præsciuerit, si præceperit, executionem fore liberam? Vel certè responsionis propositæ sensus est ille; *Deus præuidit, Christum in his & illis circũstantijs, liberè id operaturum, & idcirco statuit idipsũ ille præcipere.* Et neque hoc dici potest. Nam etiamsi Deus potuerit præscire, Christum in talibus circumstantijs fuisse liberè operaturum si sibi permitteretur, nec aliquid postea superueniret, vltra ea quæ viderat cum agnouit operationem fore liberam: tamen si aliquid postea interponatur: vi cuius omissio actus reddatur impossibilis; impossibile est vt Deus exinde, videat operationem fore liberam. Sicut si Deus per scientiam mediam prænouisset aliquem in tali dispositione liberè acturum; non ageret tamen liberè si posteà interponeretur prædeterminatio diuina, & adactio potens quæ in obiecto prænotionis illius conditionatæ inuoluta non fuerat, quia sic libertatem euertisset. Idem ergo postea præstat, cum superuenit. Tollit enim libertatis exsolutionem; quæ prius Deo innotuerat, quia aberat hic eius obex posteà appositus. Vt igitur scientia media vsum suum habeat ad negotium tuendæ libertatis, necesse est eandem seriem obiectorum adhiberi respectu eius, quæ scientiæ futurorum obuersatur. Nam si aliquid ponatur in ordine absoluto, quod in conditionato non fuerit; mirum non erit, vsum scientiæ mediæ ad libertatis incolumitatem euanescere. Atqui in re nostra, cum Deus supponitur conditionatè præsciuisse, Christum in talibus circumstantijs liberè operaturum, nulla fit diuini de eo opere præcepti mentio; quæ postea fit, cum eadem operatio præscientiæ Dei absolutæ obijcitur. Ergo mirum non est, quod scientia media in eo euentu ad tuendam libertatis incolumitatem vsui esse non possit: quia non statur in serie obiectorum ei propositorum; sed additur postea aliud libertati inimicum, eamque temerans, nempe præceptum; quod actionem connectit cum amore Dei super omnia, ita vt sit ab amore deficiendum, si actio omittatur.

Neque secunda, per acceptationem.

400. Quod deinde addebatur, Christum liberè paruisse, quia acceptauit præceptum, non lenit difficultatem. Deus enim non imposuit peccatum Christo ad eius petitionem, sed ex se, & antecedenter ad omnem Christi nutum, vt satis significatur illis Scripturis, quibus proditur in capite libri scriptum esse de Christo, vt voluntatem Patris faceret, & pro hominibus mortem subiret: quod perinde esse videtur, ac si dictum esset, Deum ex voluntatis suæ æterno beneplacito, ex se concepto, nec dum se ingerenti Christo, mandasse, vt negotium salutis nostræ curaret: & alioqui prima salutis nostræ origo, ad humanam Christo voluntatem reuocanda esset, non ad Patris consilium, contra quàm frequentissimè in alijs Scripturis significatur. Itaque acceptatio Christi, posteriot fuit præcepto, ac proinde non potest acceptatio esse vsui ad libertatem executionis, sed vt ad id commodaret, deberet antecedere præceptum: ita vt idcirco tantùm imperatur præceptum, quia homo id exposcit: quæ non tam esset acceptatio, quàm petitio, & libera præcepti super se aduocatio. Nihil autem tale circa Christum in re præsenti seruatum est; quin potiùs præceptum antecedenter ad quamcumque Christi acceptationem latum fuit à Deo. Deinde quamuis concederemus, Christum acceptasse mandatum Patris ad modum prædictum; petendo nimirum id sibi præcipi, & præceptum ad preces suas impositum acceptando; tamen inde non haberetur nisi libertas acceptationis; cum primæ, quæ reuera est tantùm petitio; tum secundæ, quæ præceptum subsequitur. Executio autem præcepti, nullo modo esset libera; quia ex quo præceptum foret impositum Christo, impossibile esset Christum non parere, quod ita ferat amor illi super omnia, qui cum nullius diuini præcepti violatione cohærere potest.

Itaque eodem planè modo se habuisset Christus ad paterni præcepti impletionem, quo is qui aliquam sibi necessitatem quippiam agendi liberè injcit; quam semel iniectam, excutere postea nequeat, & cogatur facere quod se facturum recepit liberè. Sic qui præscius malorum quæ patrabit, si vino supra modum prolicetur, liberè tamen rationis vsum vino nimio immergit; liberè quidem inebriatur, & iam tunc reus agitur scelerum omnium quæ postea sopita ratione patrabit: Tamen interim dum mala exequitur, non peccat: quia non est liber, non obstante præuia acceptatione causæ ex qua hæc mala deriuantur, siue inebriationis, vt monstratum est cum de malitia. Atqui Christus non fuit dumtaxat liber cum mortem acceptauit, sed etiam cum mortem excepit, vt satis sonant verba illa apud Ioannem *potestatem habeo ponendi animam meam. Nemo tollit eam à me* &c. Ergo monstrandum est, quomodò cum ea libertate cohæreat necessitas, qua voluntas ob præceptum interpositum obuallatur; quam necessitatem non potest discutere acceptatio. Nam tunc dumtaxat, acceptatio libera dispellit necessitatem absolutam, cum durante impletione operis demandati, siue executione præcepti, liberum est homini in prioti natura consilium præcedens abijcere, & mutare voluntatem. Eaque ratione liberè homines ex voto cœlibes, seruant votum castitatis ante nuncupatum: quia cum nihil sit quod eorum voluntatem physicè irretiat, aut impediat quamdiu voti executio durat, possunt cœpto bonis desistere, quod est liberè exequi. Ac respectu voluntatis super omnia amantis Deum, necessariò & antecedenter ad voluntatis amantis edictum, cuiusmodi fuit Christi voluntas; ex quo positum est præceptum, amor ita voluntatem illigat, & innectit, vt non possit diuino præcepto non parere: proindeque eius executio non est libera, quantumuis acceptatio fuerit interposita. Quare responsio proposita non est idonea.

Nec tertia, per potestatem potendi dispensationem.

401. Omnia porrò quæ contra eam proposuimus, æquè vrgent contra id quod postremò dicebatur, de libertate salua ob concessam facultatem petendæ dispensationis præcepti quod imponebatur. Nihil enim

est

est quod verisimile faciat, Deum eo modo præcepisse Christo, quæ spectabant ad salutem humani generis. Modus ergo ille præcipiendi, valdè enervat vim obligatoriam præcepto insitam: nec adhiberi solet, nisi quando res est cum indocilibus, & fœno inassuetis, vt inter obediendum habeant quo se solentur, & iugo imposito oleum affundant. Quorum omnium, ne vmbra quidem cernebatur in Christo Domino. Deinde iuxta hanc doctrinam, executio præcepti non fuisset in se libera sed tantùm in priore voluntate non vtendi facultate concessa, ac petendi dispositionem oblatam. Falsum verò est, quod hæc responsio fundari rationabiliter possit in ea Christi contestatione, qua posse se auxiliares Angelorum acies aduocare, professus est. Infra enim liquebit, ea verba tantùm pertinere ad potestatem libertam differendi executionem præcepti, eiusque modum deligendi: semper tamen manet necessitas parendi, de qua per hanc doctrinam declinanda, frustra solliciti sunt Autores cum quibus agimus.

Eos porrò nullomodo audient, qui omnes Christi actiones à Deo immanenti præfinitione antecedenter præfinitas fuisse existimant, vt Suarez l. 3. de aux. c. 17. n. 9. & Iustinianus in c. 2. ad Philipp. v. 8. n. 9. Cum ea enim voluntate antecedenter præfiniente actum, non recte cohæret facultas petendæ dispensationis; quæ non sapit voluntatem absolutam, cuiusmodi est voluntas præfiniens. Mihi tamen ea omnium Christi actuum præfinitio distincta à præcepto, nõ placet, tam in Christo, quàm in nobis quoad actus nostros supernaturales. Non quod purè immanens præfinitio libertatem excindat, cum sit prorsus extrinseca voluntati, eamque nullomodo immutet, eiusve obiectum: sed quod actus indefectibilitatem inducat, quæ absque idoneo fundamento non est inuehenda. Nullum autem video, siue ex Scripturis, siue ex ratione vrgens fundamentum, ei indefectibilitati actuum Christi, inædificandæ decreto diuino: quod suppono longè esse à præcepto distinctum, vt est in nobis euidentissimum. Multa enim facimus ex diuino præcepto absque diuino decreto absoluto; vt ex eo patet, quod contra illud præceptum sæpè delinquimus, cum tamen nemo queat diuinum decretum absolutum reddere irritum. Itaque non placet quod Suarez t. 1. 3. p. d. 37. s. 3. ex verbis illis Christi Ioan. 14 *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; diuinam præfinitionem immanentem omnium Christi actuum, & quoad substantiam, & quoad eorum circumstantias infert. Nam absque vlla præfinitione actus, vel circumstantiarum eius, quisquis rem præceptam exequitur, dicere potest se agere iuxta mandatum, isque fuit in verbis illis sensus Christi. Sed neque omnes Christi actus singulares quos in nostri gratiam operatus est præcepto diuino indictos arbitror, vt videtur velle Tolet. in cap. 10. Ioan. annot. 191. Tantum ergo admitto, fuisse generatim Christo præceptum, vt hæc vel illa munia obeundo, negotium salutis nostræ exequeretur; singularibus quibusuis actibus, saltem ordinarijs, libertati eius permissis.

Vera difficultatis enodatio, & impeccabilitatis ac libertatis Christi, circa actus præceptos, concordia

402. Auditis atque discussis aliorum ad difficultatem propositam enodationibus, quandoquidem comprehendi nec non licet, breuiter subijcio modum explicandi difficultatem propositam quem censeo legitimum; & ita tueri Christi impeccabilitatem, vt tamen libertatem in cuiuscunque præcepti affirmatiui executione minimè conuellat, præsertimque in mortis indebitæ patienti exceptione, de qua est præsertim controuersia, eo quod maximè in illius præcepti adimpletione situm fuerit meritum pro nobis, quod absque libertate non constaret. Aio igitur, Christum quamuis generatim astringeretur exequi quod mandatum à Patre erat; tamen eatenùs fuisse liberum exequendo, quatenùs & substantia actus interna, ac etiam externa quoad exercitium; itemque circumstantiæ exequendi actum præceptum, ac præsertim tempus executionis; actus item exequendi intensio, aliaque huiusmodi adiuncta, permittebantur humanæ voluntati Christi Domini. Nec omittenda dispositio voluntatis Christi, qui ita affectus erat perspecta Patris voluntate, & egestate nostra, valdè gauderet iniectam sibi esse sic operandi necessitatem; per interpositum præceptum. Quam animi comparationem, celebrare in ijs solemus, quos barbare iam olim dicunt, (extat enim ea phrasis apud Hieronymum epist. 10.) *facere de necessitate virtutem*. Itaque responsionem integram concinno ex pluribus capitibus, quam plerique minùs commodè ex vno duntaxat petunt.

Nam S. Thomas 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. & q. 29. de verit. art. 6. ad 1. & Thomistæ communiter, ac permulti nostrorum, vt Vasq. 3. p. d. 74. c. 5. Val. d. 1. quæst. 19. p. Moncæus disp. 9. selecta c. 10. Becanus tract. de incarn. cap. 13. quæst. 2. Herice 1. p. d. 24. num. 40. Albertinus princ. p. 5 compl. coroll. 3. num. 24. & 25. Præpositus 3. p. quæst. 18. num. 16. aliique permulti, idcirco dixerunt Christum fuisse liberum in executione præceptorum affirmatiuorum, quia quamuis in genere esset determinatus ad bonum, tamen non erat determinatus ad hunc vel illum operandi modum. Actum enim præceptum, quem ob interpositum Patris iussum necessariò exequebatur, poterat elicere ex valdè diuersis motiuis, prout lubebat: V. G. ex motiuo charitatis in Deum, vel misericordiæ in nos, vel iustitiæ sarciendæ, aut ex alio quopiam: quia præceptum non extendebatur ad motiuum ex quo operandum erat, sed ad solam operis exequendi substantiam physicam. Sic is cui præcipitur obedire, non tenetur obedire ex motiuo formalis obedientiæ: sed quodcunque tandem motiuum adhibeat, dummodò exequatur actum præceptum, satisfacit iuri præcipientis. Quia igitur motiuum ex quo operatio indicta mandabatur executioni, erat Christo liberum, inde factum est, vt internus Christi actus talis motiuo nixus, esset Christo liber, ita vt posset elicere hunc aut alium diuersæ speciei internum actum, pro varietate motiui quod vsurpabat. Et quia actus externus & internus, coalescunt in vnum totalem, (actus enim internus, perfundit libertate & moralitate sua actum externum, proindeque vterque pro vno actu morali computatur,) inde efficiebatur, vt actus Christi externus, libertate interni actus perfunderetur, & liber esset ac meritorius. Hæc Autores prædicti, non malè magna ex parte.

Etiam substantia actus præcepti, Christo libera.

403. Verùm nisi aliud quid addatur, valdè diminutam & imperfectam actuum Christi libertatem habebimus: nec maiorem quàm sit in patienti perpessione grauis ægritudinis, aut suppliciorum irrogatorum; quæ (vt patet.) est admodùm tenuis libertas, nec nisi internum actum afficiens. Mortis enim irrogatæ, aut febris perpessio externa, non componit vnum moraliter actum cum interna volitione patienter subeundi hæc incommoda; sed ad eam se habent tantùm vt obiecta. Sicut ergo æger, quamuis actus interior sit ei libet, & morbum excipiat ex motiuo honesto quod ei magis arridet, non dicitur tamen pati liberè morbum, eiusque perpessio externo nullo modo est ei libera: ita nisi aliud addatur quàm quod præmissum est; fatendum erit, perpessionem suppliciorum, & mortis ipsius exceptionem externam, non fuisse Christo liberam quoad substantiam suam; contra quàm ferunt pleræque Scripturæ, quibus Christus dicitur oblatus

quia ipse voluit, & posuisse pro potestate animam suam, auferente nemine.

Patres id ipsum insigniter inculcant, quorum aliquos ad huius veritatis illustrationem placet adducere. Et inprimis diserte sic habet S. Bernardus serm. de feria 4. hebd. pœnosæ, illum ipsum quem nunc tetigi Isaiæ locum versans. [Fidelis (inquit,) sermo, & omni acceptione dignus; quia enim voluit, oblatus est. Non modò voluit & oblatus est, sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam: Nemo eam abstulit ab eo, vltrò cum accepisset acetum, dixit, *Consummatum est*. Nihil restat implendum. Iam non est quod expectem. *Et inclinato capite* (factus obediens vsque ad mortem) *tradidit spiritum*. Quis tam facilè, quando vult, dormit? Magna quidem infirmitas, mori: sed planè sic mori, virtus immensa. Nempe quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Potest humana vesania, sibiipsi in mortem sceleratas injecere manus, sed non hoc est ponere animam suam; vrgere eam magis, & violenter abrumpere, quàm ad nutum ponere est. Tibi impie Iuda, misera planè facultas fuit, non ponendi animam, sed perdendi: nec tradente te, sed trahente laqueo, nequissimus ille spiritus tuus exiuit, non emissus à te, sed amissus. Solus in mortem tradidit animam suam, qui solus virtute propria regressus est ad vitam. Solus potestatem habuit ponendi, qui solus facultatem æquè habuit liberam resumendi, imperium habens vitæ & mortis.] En quam liberè Christus, iudice D. Bernardo, mortem exceperit.

Pulchrè item S. Augustinus Psalm. 65. ad illud *mentientur tibi inimici tui*; vbi admittit quod per calumniam Christo impactum fuerat quod dixisset se soluturum templum Dei, quod reuera Christus non dixerat, sed tantùm *soluite*; admittit tamen verè Christum soluisse quando mortuus est, quia voluit, & ipsemet soluit templum corporis sui, gratia sua & benignitate, quod est apertè admittere, dissolutionem corporis, id est mortis subitionem, fuisse Christo liberam.

404. Origenes hom. 8. in Genes. pulcherrimè huc accommodat illud Abrahami ad Isaacum, *Deus prouidebit sibi victimam fili mi*. Sic enim scribit. [Monet me Abrahæ satis diligens & cauta responsio. Nescio quid videbat in Spiritu, quia non de præsenti sed de futuro dicit, *Deus prouidebit ipse sibi ouem*. Futura respondet filio, de præsentibus requirenti. Ipse namque sibi Dominus ouem prouidebat in Christo, quia & sapientia ipsa sibi domum ædificauit, & ipse se humiliauit vsque ad mortem: & omnia quæcumque legeris de Christo, non necessitate, sed sponte facta reperies.] Insignia sunt quæ in hanc rem habet S. Hieron. in cap. 53. Isaiæ ad illud, *oblatus est quia ipse voluit*. Rursusque in cap. 46. Ezechielis, huc refert quod ibi dicitur de permisso soli Principi, egressu & regressu per eandem portam, quia solus Christus liber fuit ad moriendum & resurgendū.

S. Paulinus epistola 17. hanc ait fuisse pluuiam voluntariam. [*Misit* (inquit) *Verbum suum, & sanauit nos*. Hoc Dei Verbum, de quo pluuia voluntaria est; quia non necessitate subiecti, sed Dei æqualis assensu, & pietatis, officio obediens Patri filius, humiliauit se vsque ad mortem crucis, sicut dixerat per Prophetam; *voluntariè sacrificabo tibi*. Quia idem Dominus, Sacerdos & victima, seipsum pro nobis obtulit, & propria potestate animam suam & deposuit, & resumpsit. Et ideò pluuia hæc voluntaria, quæ se sponte profundit arentibus tertis, vt poneret desertum in flumina.

405. Isidorus Pelus. l. 4. epist. 97. & 180. huc refert causam cur Christus noluerit defleri à mulieribus, cum abriperetur ad crucem. Alia item pleraque argumenta exceptæ libertimè à Christo mortis, constipat ibid. epist. 128. his verbis ad Eustephium. [Vndè constat, (inquis,) Christum vltro & sponte ad mortem venisse? Maximè quidem ex eo, quod mortuos Dominica authoritate & potentia excitauit. Nam qui mortuis vitam largitus est, is profectò non inuitus ad passionem suam abductus est. Quod si etiam diuina potentia vt noluit, at certè licebat ei, si voluisset, defensione vtendo effugere. Habebat enim Pilatum quoque sibi eius conatus socium, & dicentem, nunc quidem. *Non inuenio in ipso vllam culpam, morte dignam*: Nunc verò: *Innocens sum ab hoc sanguine*. Quod si nec defensione innocentiæ vti voluit, at prouocare exemplo Pauli licebat. Erant enim sub Romanis Iudæi. Nam cum Augustus Romanorum Imperator omnes in suam redegisset potestatem, inter quos ipsi quoque erant, iussit census agendi causa, describi omnem terrarum orbem, priusquàm Saluator secundùm carnem nasceretur. Et erat apud ipsos Romanorum Præses Pilatus, qui res administrabat, & appellantes Romam mittebat, eosque aduersus vim tutos præstabat; vt & festus post eum, (siue magis Tribunus militum,) Paulum & seruauit ex synodo Iudæorum, quæ nihil nisi cædem spirabat; & Romam ad Cæsarem remisit. Sed nihil istorum fecit Christus. Nam neque potentia sua, neque defensione, neque appellatione vsus est; vt liquidò ostenderet, se huc propterea venisse, vt mortem morte afficeret.]

406. Hoc item iuxta Patres significauit, clamor ille vehemens immeditè ante mortem à Christo emissus. Sic enim validè clamauit, ait S. Chrysostomus hom. 89. in Matth. vt ostenderet sua totum id fieri potestate. Non quod eam tunc corporis firmitatem retineret, in qua naturaliter loquendo, posset adhuc viuere, idque clamore ille voluerit comprobatum: Nam homo tot attritus tormentis, & viribus exhaustus, non potuisset naturaliter sic clamare & etiàsi adhuc viuere potuisset diutiùs, ea absceſſio animæ ante plenam corporis indispositionem, mortem Christi, aliò quàm ad vulnera referendam probaret; quod tamen falsum est. Non igitur eam ob causam, dicunt Patres, Christum clamando monstrasse se mori, quia volebat: sed ideirco hoc dicunt, quia qui potuit supra corporis exhausti debilitatem sic efferre vocem per miraculum, potuisset quoque si libuisset, mortem differre; eique tunc non cedere; ipsaque non in illum irruisset, nisi admittente & annuente Christo. Quo faciunt quæ pulchrè disputat Euseb. l. 4. de demonstr. cap. 12. cunctantem, ac cessantem, & à Christo fugitantem mortem describens, Christumque in eam vltro irruentem. Itemque quod Athanas. q. 76. ad Antiochum, emissam dixit à Christo animam, capite inclinato; quasi annueret morti, alioqui ad ipsum non accessuræ. Chrysost. hom. 84. in Ioan. ea capitis inclinatione, potestatem non moriendi, signatam docet. D. Ambros. l. 10. in Lucam in eundem sensum accipit, verbum *tradidit*, quo vsus est Euangelista. [Benè *tradidit* (inquit) quia non inuitus amisit. Denique Matthæus ait, *emisit spiritum* quod enim emittitur, voluntarium est, quod amittitur, necessarium.] Ibidem eodem refert percussionem latenis, non ante sed post mortem Christi, [vt (inquit) voluntarius magis, quàm necessarius exitus eius fuisse doceatur] Facit ad hunc locum quod Agobardus Ldecorrect. Antiphonarij refellens eum qui dixerat, Christum lancea vulneratum fuisse ante mortem, graviter contestatur, inde secuturum, Christum ex necessitate & non liberè mortuum esse, cum tamen vt ipse Agobardus subdit; [Omnino paganum sit, Christum non benignitate propriæ voluntatis, sed vi doloris, mortuum opinari.] Nimirū quia si Christus voluisset vti sua potestate, nulla vulnera nullique dolores, animam eius à corpore diuulsissent. Vnde libertimè excepit mortem, & dolores; vi quorum reipsa est mortuus, suppositā eorum admissione, & non impeditione actuositatis illorum: quæ non admissio, & impeditio, penes Christum erant.

Perspicuè

Perspicuè igitur Patres, agnoscunt non modò motionem actus interni fuisse Christo liberam, sed ipsam quoque substantiam externæ perpessionis supplicioram ac etiam mortis. Quare non debemus admittere; quod externa præcepti obseruatio in Christo fuerit dumtaxat libera, quia quamuis planè necessariò exerceretur, iungebatur tamen volitioni internæ, cuius motiuum erat liberum: sed addendum est aliquid aliud, quo libertas ad externam obseruationem secundùm substantiam suam dimanet, liceatque dicere, eam quoque potuisse aliquo saltem modo non ponit & exercere.

Quomodò exponenda ea libertas substantiæ, supra libertatem motiui.

407. Adiunxi igitur libertati actus interni, libertatem quoque externæ obseruationis quoad intensionem actus in ijs obseruationibus præceptorum affirmatiuorum quæ continebantur Christi actibus. Itemque in quibuscunque talium præceptorum obseruationibus, etiam ijs quæ meris Christi perpessionibus continebantur, adiunxi libertati circa motiuum, libertatem quoad adiuncta temporis, loci, & circumstantiarum cæterarum; V. G. personatum mortem inferendam; quodque præcipuè spectandum est, quoad exercitium ipsum atque substantiam externæ obseruationis. Hæc enim omnia, pro tempore quo fiebant, erant Christo libera, ita vt posset ea differre, aut per alios, vel alibi, & alio tempore, excipere. Hoc in præceptis naturalibus quorum executio erat aliqua Christi actio, perspicuum est. Habent enim ferè omnia tempus aliquod indeterminatum quo sint exequenda; ita vt non nisi vagè & aliquando, obligemur ad eorum executionem. Vnde Christus pro suo ad honestatem affectu, præueniens tempus illud quo operandum ex necessitate foret, ita vt si vlteriùs prorogaretur præcepti obseruatio, violandum esset præceptum, potiebatur plena libertate, circa talis præcepti obseruationem anticipatum. Hoc multo etiam clarius est de præceptis positiuis, ac nominatim de præcepto mortis subeundæ. Deus enim non præfinierat Christo diem & horam mortis, & modum quo inferenda erat, ac personas per quas erat subeunda, vel locum & alia eiusmodi adiuncta talis perpessionis. Mirabilesque videntur, qui existimant Patrem æternum ea ratione se gessisse cum dilectissimo filio, qua nemo cum mancipio despicatissimo austerissimus Dominus: vt scilicet omnia ei minutatim præfiniret; ac ne transuersi quidem vnguis spatium, ei concederet decurrendum ad nutum eius. Sed verè reliquerat Pater in Christi arbitrio, delectum circumstantiarum omnium, ac exercitij operationis in illis: tantumque in genere illum arctauerat præcepto mortis subeundæ cum luberet, & vbi luberet, ac per quos luberet: quod disertè habet D. Augustinus 4. Trin. c. 13. verbis illis. [Cum Spiritus corpori præponatur, morsque sit Spiritus à Deo deseri; mors autem corporis à Spiritu deseri: eaque sit pœna in morte corporis, vt Spiritus quia volens deseruit Deum, deserat corpus inuitus: vt cum Spiritus Deum deseruerit, quia voluit, deserat corpus etiam si noluerit; nec deserat cum voluerit, nisi aliquam sibi vim, qui ipsum corpus perimatur, intulerit: Demonstrauit Spiritus mediatoris, quàm nulla pœna peccati vsque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit inuitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Dei Verbo, ad vnitatem commixtus est homo. Hinc ait, *potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso & iterum sumo eam.* Et hoc maximè mirati sunt, (sicut Euangelium loquitur,) qui præsentes erant, cum post illam vocem, in qua figuram nostri peccati edidit, continuò tradidit Spiritum. Longa enim morte cruciabantur ligno suppensi.

408. Poterat ergo Christus, alibi & per alios, & alio tempore, & alio modo mortem excipere, si libuisset: ipsaque exceptionis substantia cum admissa est, poterat non admitti: quia quamuis in genere præcepta esset, tamen non exercebatur nisi in particulari, & determinatè, ac cum omnibus suis circumstantijs: quo pacto non erat præcepta, ideoque ipsum quoque exercitium, erat liberum. Simile est de eleemosyna ad quam dies in genere obstringitur, & tamen censetur tunc absque obligatione erogata, etiam quoad substantiam operis, quia præceptum de danda eleemosina non cadit in circumstantias; V. G. in tempus, locum, quantitatem, aliaque huiusmodi adiuncta executionis; nec in exercitium singulare operis, sed tantùm vagè obligat vt aliquando exerceatur. Ad eum igitur modum, admissio perpessionis supplicioram ac mortis, libera Christo erat, quia quamuis Pater generatim mandasset vt pro humano genere mortem subiret; tamen quando, & per quos, & vbi, & quomodo, subeunda esset; arbitrio Christi permiserat: ita vt non cum primùm impij vellent, sed cum ipsi expedire videretur, subiret mortem ab impijs inferendam. Quod mihi illa Christi verba sonare videntur Ioan. 10. *propterea me diligit Pater quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eã, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Extrema hæc verba, insinuant præceptum in genere latum de morte excipienda: anteriora verò permissum delectui & arbitrio Christi, exercitium perpessionis, vt benè expendit Fulgentius l. 3. ad Trasim. cap. 13. Et idem colligere licet ex varijs scripturis, quibus refertur, Iudæos frustra nisos esse mortem Christi inferre, *quia nondum venerat hora eius*; id est ab ipso Christo delecta, ait Caietanus. Et hoc quoque pacto accipiendum est, quod Christus dixi se potuisse petere legiones Angelorum, & eripi à morte tunc inferenda, si voluisset, & differe in aliud tempus perpessionem illam libuisset, quàm tantùm necesse erat subire aliquando.

Hæc mihi videtur non incommoda philosophandi ratio de Christi libertate in actibus præceptis, quandoquidem hoc pacto non modò demonstratur libertas & meritum actus interni; sed ipsius quoque externæ obseruationis exercitium, siue agendo, siue patiendo, liberè susceptum ostenditur: quia pro eo tempore, & modo, tepelli poterat. Fateor pleniorem fuisse futuram Christi in huiusmodi executione libertatem, si nullo astrictus fuisset præcepto, sed perinde opera præcepta executus fuisset, ac opera consilij. Tamen ea, aliqualis imminutio plenæ libertatis, abundè compensata est inde detecta Patris æterni cura pro nobis, & exemplo obedientiæ quo nobis Christus præluxit, & merito huius virtutis, quo non splenduisset executio, nisi præceptum fuisset Christum impositum.

Accessiones ad eam libertatis Christi expositionem.

409. Quod si corollarium quoque aliquod & accessionem, cum libertatis, tum meriti placeat adiungere: in promptu sunt actus reflexi, quibus quamuis substantia actus esset planè necessaria, posset meriti sementis fieri, gaudendo de iniecta ab obsequendum necessitate eamque approbando. Talem quippe actum, perspicuè liquet esse planè liberum & honestissimum, ac spectare ad illam ipsam virtutis speciem, ad quam eum trahit materia subiecta V. G. si agatur de præcepti executione, eaque statuatur indeclinabilis; gaudere

quod actus indictus, sit necessariò & indeclinabiliter exequendus, est actus obedientiæ. Illud enim gaudium, elicitur ex affectu honestatis obedientiæ, quamuis ipsa executio operis de quo est gaudium, non esset formaliter honesta honestate obedientiæ, defectu libertatis. Christus itaque etiamsi supponeretur necessariò executus præceptum affirmatiuum, tamen gaudendo de ea necessitate in paterno obsequio, liberè egisset, & meruisset. Vnde nunc cum supponitur libertate potitus in ipsa executione, vt vidimus, per hos actus reflexos accessionem fecit libertatis & meriti. Significantur enim hi Christi actus approbatiui ac reflexi, illis scripturis quibus Christi gaudium de instante morte declaratur, vt cum dicitur; *propter hoc lætatum est cor meũ*. Et alibi, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*. Quamquam hoc dumtaxat modo libertatem Christi in præceptorum affirmatiuorum obseruatione exponere, quod facit Almainus in 3.d.16. *sub finem*, non consentit cum plena Christi libertate ad obseruandum, qualem protulimus monstrantes quomodò mortis perpessio libera Christo fuerit, non obiectiuè tantùm, sed etiam formaliter, & in seipsa, quatenus repudiari poterat cum excipiebatur à Christo, volente & lubente.

Inde tamen ridiculè Agareni apud Abucaram opusc.9. inferebant, crucifixores Christi non modo non deliquisse, sed eximiam apud nos iniisse gratiam, qui perpessionem infinitè fructuosam, volenti ac lubenti Christo intulissent. Quod refellit Theodorus nonnullis similitudinibus. Nec sanè eget potentiore confutatione. Non enim si consentio vt malitiam tuam exprómas, & obstare non decreui, ius tibi ac potestatem facio, eam expromendi. Nec Christianus patienter excipiens mortem pro fide, imò gaudens quod inferatur, eluit labem tetri sceleris, quo se impiat qui infert contra ius fasque.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

410. Synopsim capitis breuiter subijciamus. Humana Christi voluntas, tametsi à defectibus illis perfectionis, qui perfectiones quædam sunt non abhorruit; imperfectionibus tamen vacauit; quamuis eis subiacere potuisset citra contradictionem, vt & reatui, & habilitatibus prauis ante contractis, si priùs fuisset quàm assumeretur. Peccato autem, non modò vacauit, sed ne contaminari quidem vlla ratione potuit, non modò quâ comprehensor, & necessariò Deum clarè visum super omnia amans; sed etiam quâ viator, cum ratione vnionis, & diuinæ directionis ob eam debitæ; tum etiam ratione diuinæ sanctitatis, mediante Verbi personalitate communicatæ; peccatum quodcunque si assumptioni præiacuisset, eamve subsecuturum, inconciliabiliter excludentis: illæsa tamen Christi libertate, quoad actiones & perpessiones diuinitùs imperatas, cuiusmodi fuit præter cæteras mortis perpessio.

Vsum doctrinæ de libera Christi perpessione, suggerit Augustinus in Psalm. 34. conc. 2. [Intelligimus hic vocem Christi, (inquit,) vocem scilicet capitis, & corporis Christi. Christum cum audis, noli sponsum à sponsa separare, & intellige magnum illud Sacramentum, *erunt duo in carne vna*: Si duo in carne vna, quare non & in voce vna? Non enim tentationes, caput hîc pertulit, & corpus non perfert. Aut verò fuit causa patiendi capiti, nisi vt corpori præberet exemplum? Dominus enim voluntate passus est, nos necessitate. Ille miseratione, nos conditione. Proinde illius voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio; vt quando talia fortè perpetimur, intueamur Caput nostrum: vt eius exemplo commoniti, dicamus nobis; si ille, quid nos? Et, quemadmodùm ille, ita & nos.]

CAPVT VII.

De perfectionibus appetitus sensitiui in Christo Domino.

411. PErfectiones appetitus sensitiui in Christo Domino; aliæ (vt de appetitu superiore dictum est,) sunt in actu secundo, aliæ in actu primo: Affectus enim rectè compositi, sunt perfectiones facultatis appetentis à qua prodeunt. Et similiter principia aduentitia eliciendorum ordinatè eorundem actuum, sunt perfectiones appetitus quem infirmant, & ad operandum iuuant; vel iuxta aliquos, à malè operando cohibent, quod verè ne statuatur, expendendum erit. Ordiamur à perfectionibus in actu secundo, nam ad eas ordinantur cæteræ.

Perfectiones actuales, siue actus quilibet, nostri appetitus, in Christi appetitu, agnoscendi.

In primis verò statuendum est, nullas actiones appetitus sensitiui, habere in nobis locum, quæ ab appetitu Christi sensitiuo abhorruerint; defœcatæ tamen, & ijs sordibus quibus in nobis scatent, expurgatæ. Nullæ quippe sunt in appetitu nostro actiones, quæ intra terminos debitos compressæ, malitiam contineant, & Christum dedecuerint. Imo verò maximè decuit, Christum Dominum susceptione, atque adeo sanctificatione affectionum, quæ sunt in nobis omnium propè malorum fons & scaturigo, obstruere in nobis caput profluuij iniquitatum, & sanare morbos nostros, præbereque eximium exemplar benè compositorum affectuum. Rectè S. Fulgentius 3. ad Trasim. c. 21. proponens demonstrare in Christo Passiones, initio à tristitia sumpto, profitetur id se cœpisse consilij; [vt in eo agnoscatur magis Domini mirabilis inuictaque clementia, cum probauerimus, animæ carnisque substantiam, ob hoc cum suis passionibus à Deo susceptam, vt sicut saluo diuinæ impassibilitatis statu, voluntaria susceptione mortis in carne sua, mortem nostram cognoscitur occidisse; sic voluntaria susceptione tristitiæ ad hoc cognoscatur animam rationalem cum suis passionibus susceptisse, vt animas nostras ab omnibus dignaretur passionibus liberare.

412. Præterea nostrorum affectuum susceptio, non parum etiam conferre potuit ad veritatem humanæ Christi naturæ detegendam; & ad demonstrandam, congruenter collationem facultatis appetitiuæ Christo factam. Cum enim Christus, si humanam naturam veram & integram est sortitus, debuerit non cætera appetitu sensitiuo; facultas autem quæ nunquam erumpit in actum cæteroqui decentem, videatur otiosa, & frustra data: sequitur profectò, conuenientissimum fuisse vt Christi appetitus sensitiuus affectionibus nostris prout humanæ tantùm labisque expertes sunt, locum præberet. Id quod S. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. à cap. 18. præsertim autem c. 21. & 22. distinctè & sigillatim passionum Christi exempla ex scripturis proferens, demonstrauit, sic concludens cap. illo 22. [Hæc ergo cuncta, in anima quam susceperat pertulit Christus, vt veram totamque in se cum suis infirmitatibus, hominis demonstraret accepti substantiam; & infirmitatibus, quas pro infirmis accepit, virtutem perficeret quam infirmis attribuit, qui & hominis carnem propterea mortalem habuit, vt mortalibus plenam conferret immortalitatis gratiam; & hominis animam cum infirmitatibus suis sine peccato susceperit, vt nostris animabus impenderet medicinam quia sicut Esaias teste, *vulneratus est propter iniquitates nostras* (quod proprium carnis fuit quippe cum iam defuncti latus lancea perc-

cuteret

euteret miles:) ita infirmatus est propter peccata nostra, quod est animæ, cuius pro nobis infirmitatem suscepit.]

Non dissimilia habet extrema epistola ad Rhegium. [Tristitiam,(inquit) mœrorem, vel si quas nostrarum animarum infirmitates habuit Christus, veras quidem, sed voluntarias habuit. Veras scilicet, vt manifestum in se animæ rationalis monstraret affectum: Voluntarias, vt nostris infirmitatibus ad futurum ostenderet suæ virtutis auxilium; vt agnoseremus nos ipso adiuuante, in infirmitatibus quas necessitate patimur, fulciendos. Qui propterea voluntate, nostras infirmitates acciperet, vt & in hac vita infirmitatum necessitate turbatis auxilium contulisset, & post hanc vitam omnem à nobis infirmitatis necessitatem misericorditer abstulisset, ac sic omnis fidelis, agnoscens Christum participem humanæ infirmitatis, artissimè speraret, participem se forè diuinæ virtutis; nec se ambigeret illius virtute firmandum, quem pro se cognouisset non necessitate, sed voluntate turbatum: in ipso habiturum æternam lætitiam, cui suam voluntate videret inesse tristitiam. Qui sicut mansit in tribulatione tranquillus, in morte securus; sic in infirmitate fortissimus, & in humilitate altissimus.] Insignis planè in hanc rem disputatio, ex libello S. Athanasij in illud *nunc anima mea turbata est*, describitur in 6. Synodo actione 14. *in fine*. Esse igitur in Christo passiones humanas; fixum esto.

Quæ & omnes, & speciatim aliquos effectus, adimere Christo videantur.

413. In contrarium esse videtur, primùm generatim, indignitas quæ in passionibus nostris cernitur: vi prouectæ eas in sapientem non cadere, sententia fuerit sapientum plurimorum inter Ethnicos. *Tyrannos* vocat Nyssenus orat. 3. de beatitud. Paulinus epistola 30. *in fine*, nominat *bruchum erucam & rubiginem* interni hominis; *Animæ morbos*, vocant passim Græci: idque fert vox quæ Latinè vertitur *passio*. Rursus Gregorius Nyssenus dialo. cum Macrina vocat *animæ verrucas & naeuos*. S. Ambrosius appellat *clauos quibus anima corpori affigitur*. Quorsum ergo his indignitatibus quasi ingemiscentes & parturientes sustinemus, inquinatum Christum velimus?

Deinde in particulari, quoad aliquas passiones, opponi queunt nonnulla testimonia Scripturæ, aut Patrum eas abrogantium Christo. V. G. dolorem censetur Christo ademisse S. Hilarius, quem Vasquez 3. p. d. 50. cap. 1. omni excusationi subducit. Celsus quoque vt est apud Origenem lib. 2. idcirco negauit in Christo patiente dolorem, quia non patiebatur inuitus. Iram sustulisse videntur Scripturæ; tantam Christi mansuetudinem vbique celebrantes, vt ne calamum quidem quassatum esset confracturus, nec linum fumigans exincturus. Timorem Christo sub passionem tribuit Theodorus Mopsuestenus, damnatus idcirco in 5. Synodo, actione 4. & altè à Leontio ea ex causa exagitatus lib. 3. contra Nestorianos n. 37. Diaboli certè transgressus insaniam, hac ex causa dictus est Theodorus, vt est apud Facundum l. 3. c. 3. qui hoc in eum, fulmen vibratum refert. [Horremus etiam solam memoriam blasphemiarum eius, & Deo supplicamus vt nobis fiat propitius, quod omnino in lingua talia sustinemus; asserente, trepidare in passione eum posse, qui suis famulis, qui pro eius nomine martyrium susceperunt, tantam donauit gratiam, vt cum gaudio & promptitudine & alacritate, passiones adirent.] Magis sollicitus pro S. Epiphanio? Quæcumque enim ex Scripturis de Christo timenti dicuntur, sic exponit in Anchor. [Non apparentia erat aduentus ipsius in carne. Sed instar magni Regis bellum gerentis aduersus inferiorem, & noscentis quod inimicus eius, si viderit ipsum in potentia venientem, ac multo robore, recusabit, & vertetur ad fugam, & multas subditorum regiones dissipabit: & propterea ex propria sapientia prætextus, fingentis; & terga dantis ac fugientis, donec inimicus audacia sumpta expectet Regem, velut timidum & impotentem, & persequatur ipsum: Rex verò conuersus derepentè cum sua potentia, totum subditum capiet infirmum & aduersarium. Sic etiam Dominus noster non timuit mortem, qui antequàm veniret ad hoc vt pateretur, significauit in itinere, quòd filius hominis, futurum esset. vt traderetur, & crucifigeretur, & tertia die resurgeret: Et cum Petrus diceret, *propitius sis Domine, nequaquàm erit tibi hoc*: increpauit ipsum dicens, *abi retrò me Satana, quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum*. Qui igitur hoc prædixit, & propter hoc ipsum venit, quomodò postea precatur, vt transeat poculum; ne bibat? Qui ante mortem dixit de morte, vel ob hoc ipsum ne deprehenderetur mendax, non potuit precari vt transiret poculum, Sed pronocat per hunc modum aduersarium; quo illo opinante timere Saluatorem mortem, inducat ipsi mortem, ad salutem morientibus per dispensationem.] Videtur planè, affectum timoris, Christo adimere.

Enodantur, quæ omnes Christi affectus, impetebant, & quæ dolorem.

414. Hæc tamen neque generatim affectus nostros Christi abiudicant, nec in particulari dolorem, aut iram vel timorem. Nam quod non cadere in sapientem affectus, Ethnici quidam atque hæretici censuerunt, delirium est planéque insipiens, vt latè monstraui in Morali dist. 3. à n. 28. post Lactantium 6. institut. c. 15. Prosperum l. 3. de vita contemplat. cap. 31. Hieronymum epist. ad Chtesiphontem, & alios plerosque Patres, sine tributam, Stoicis impatibilitatem, sine Euagtij Pontici & huiusmodi in Christianitate plusquàm Stoicorum ἀπαθῶν refellentes, & optimè cuincentes quod ex ijsdem fusè prosequor loco allegato à n. 29. insignem planè homini ab affectibus fructum existere, dummodò debita temperatio & eorum intra rationis gyrum coërcitio non desit, vt Christo certè non defuit. Itaque cadit huc perbellè illa Augustini ratiocinatio 14. Ciuit. cap. 9. [Hi motus, hi affectus, de amore boni, & de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, vt ea quæ vera vitia sunt virtutes vocentur. Sed cum rectam rationem sequantur istæ affectiones, quando vbi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus, in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, vbi iudicauit esse adhibendas: Neque enim in quo erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus.] Describit ex parte eum locum, præmisso insigni B. Augustini elogio, Prosper l. 3. de vita contemplat. cap. 31. *in fine*.

415. In particulari verò dolorem esse in Christo agnoscendum, extra omne dubium est, in tanta variarium scripturarum id constantius luce. Dolores enim nostros tulit per suos dolores, & hoc maximè modo satisfecit Patri pro nobis, quos voluptates illicitæ doloribus iustis compensandæ, perdiderant. Faciunt quoque ad hunc locum, quæ supra protulimus vendicantes Christo tristitiam in voluntate. Nam tristitiam partis superioris, assectari necessariò debuit tristitia in parte inferiori, secluso miraculo, cuius inuehendi nullum planè est fundamentum in tanta præsertim Christi largitate ad excipienda aspera & humilia quæque: ita vt quamuis per miraculum cohibuerit commoda quæ à superioti portione animæ refundi ad inferio-

rem connaturaliter oportebat ? incommoda tamen numquam defugerit ; tantum abest vt miraculis excluserit. S. Ambrosius in cap. 22. Lucæ ad illud *Pater si possibile est*, egregiè pro vindicandis Christo dolore ac tristitia differit, his præter cætera. [Hærent plerique hoc loco, qui tristitiam Saluatoris ad argumentum inolitæ potius à principio, quàm susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ Ego autem non solùm excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius maiestatemque demitor. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret, & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ, tedio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam, largiretur : & vestigijs nostris descendit vsque ad mortis æmmnam, vt nos suis vestigijs reuocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico ; neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet: Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quàm dolorem : *Homo enim in plaga, & scies*, iniquit, *ferre infirmitates, nos voluit erudire*; Vt quia in Ioseph didiceramus carcerem non timere, mortem vincere disceremus in Christo ? Et quod est amplius, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam vinceremus. Quomodò enim te imitaremur Domine Iesu, nisi sequeremur vt hominem, nisi mortuum crederemus, nisi vulnera vidissemus? Quemadmodum discipuli crederent fuisse morituram, nisi morituri tristitiam comperissent. Sed adhuc dormiunt, & nesciunt dolere, pro quibus Christus dolebat : Ita enim legimus, *qui peccata nostra portat, & pro nobis dolet*. Doles enim Domine, non tua, sed mea vulnera; non tuam mortem, sed nostram infirmitatem : Et nos existimauimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres. Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra, non quia tibi erat infirmitas illa ex parte assumpta : sed pro me susceptæ ; quia mihi proderat, vt eruditio pacis nostræ esset in te, & liuore tuo vulnera nostra Sanares.] Quare fuisse in Christo verum dolorem, sanctum & ratum esto.

Discussa mens S. Hilarij, visi dolorem ab appetitu Christi excludere.

416 S. verò Hilarius cui error contrarius adscribitur, nullomodo cogitauit de abrogando dolore appetitus sensitiui in Christo : sed cum Arriani quibuscum confligebat, Verbum Dei in natura diuina doluisse contenderent ; eóque omnia detorquerent quæ de Christi doloribus scripturæ produnt : idcirco eum dolorem è Christo in Deitate excludens S. Hilarius, dolorem sensitiuum abrogasse visus est ijs, qui illum quem dixi eius scopum non attendebant ; quem tamen procliuè erat deprehendere ex ipso S. Hilario cùm alibi, tum splendidissimè canone 31. in Matth. *initio*, ac apertissimè quoque l. 1. de Trinitate, in argumento libri decimi, vbi differtè ostendit, se eo libro cui calumnia struitur, aliud non intendisse quàm excludere à Deitate filij dolorem ac metum, quam ei impingebant Arriani ; eosque affectus non cecidisse in Christum, nisi secundùm dispensationem, id est secundùm œconomiam, siue ratione incarnationis & humanitatis assumptæ. Scopum hunc fuisse S. Hilarij, confirmari potest ex alijs quoque Arrianorum impugnatoribus. Nam S. Fulgentius l. 3. ad Trasim. per multa capita impugnat eam Arrianam blasphemiam. Et idem latè præstat Conc. Hyspalense actione 13. Imo & Eusebius quantumnis Arrianissimus, lib. 4. de demonst. Euang. demonst. 13. purgauit S. Hilarium ab hoc probro per Berengarium eidem impacto, Lantfrancus epist. ad Rainaldum Episcopum Pictauiensem, cuius dumtaxat fragmentum legi apud Glossatorem Epistolarum S. Anselmi l. 2. ad epistolam 41.

Suntque apud ipsum S. Hilarium loca pleraque, apertè ferentia veri in Christo doloris in appetitu sensitiuo assertionem. Cuiusmodi perspicuè est locus ex commentarijs in Psal. 68. *Ferè initio*, vbi præter cætera sic habet. [Vniuersarum itaque humanarum passionum sorte, perfunctus, secundùm susceptas infirmitates nostras loquitur : & dolet ipse quidem, extra necessitatem & timoris positus & doloris ; sed his se tamen quæ suscepit accommodans, vt qui carnis nostræ homo natus esset, ex dolorum nostrorum querelis, & infirmitatis precatione loqueretur.] Eadem explicatissimè iterat inferiùs ad illud *super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Et optimè in Psal. 53. ad illud *in veritate tua disperde illos*, vbi sic habet. [Quod autem & in crucem actum vnigenitum Dei filium, & morte damnatum eum qui natiuitate quæ sibi ex æterno patre est naturalis, & æternus sit, frequenter, imo semper prædicamus ; ex naturæ necessitate potiùs quàm ex Sacramento humanæ salutis passioni fuisse subditus intelligendus est, & voluisse se magis passioni subijci quàm coactum ; Et quamquam passio illa non fuerit conditionis & generis, quia inde mutabilem Dei naturam, nulla vis iniuriosæ perturbationis offenderet ; tamen susceptæ voluntariè est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ sensu læsura patientem. Non quod illa, lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam : sed quod dolorem diuinitatis natura non sentit. Passus ergo est Deus, quia se subiecit voluntarius passioni, sed susceptus naturales ingruentium in se passionum quibus dolorem patientibus necesse est eas inferri virtutes ; ipse tamen naturæ suæ virtute non excidit, vt doleret.] Hæc & alia apud eum crebra ; apertè monstrant S. Hilarium respuisse in Christo dolorem concedere secundùm Deitatem, admisisse tamen secundùm humanitatem.

417. Itaque non egemus ea pro S. Hilario excusatione, quam adhibuit Claudianus Mamercus l. 3. de statu animæ c. 9. cum respondens. Fausto, & animam contendens esse incorpoream, obiecto in contrarium Hilario, ait. [Inter complura præcelsarum disputationum suarum, quiddam secus sentiens, duo hæc veris aduersa disserit ; vnum quod nihil incorporeum, creatum dixit, aliud quod nihil doloris Christus in passione senserit. Cuius si vera passio non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quoniam Beatus Hilarius, opinionis huiusce vitium virtute confessionis aboleuit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum. Quod S. Hilario impingit iustificationem spiritualium creaturarum, aperta hallucinatio est. Nam D. Hilarius omnia infra Deum contendit esse corporea, non absolutè sed comparatiuè, siue præ Deo quia sunt composita & potentialia, vt præclarè tradit S. Gregorius 2. Mor. c. 3. tametsi 4. mor. cap. 9. absolutè loquens, agnoscit Angelos verè esse Spiritus. Et idem volunt alij Patres quos adducit Sixtus Senensis lib. 6. bibl. annot. 35. & Gazæus ad collationem 7. Cassiani cap. 13. Sumiturque ea interpretatio ex D. Augustino epist. 28. Igitur D. Hilarius, non rectè ea ex parte criminationi patuit. In altero autem puncto in quo versamur, non aliter eum excusat Mamercus, quàm S. Cyprianum excusarit aliquando S. Augustinus in causa anabaptismi hæreticorum, dicens eum falce passionis purgasse eam cespitationem. Eodem modò pro S. Hilario respondet Ioannes Præpositus epist. 2. ad Philippum Abbatem. Hanc S. Hilarij excusationem non admitto, cum admittat eius lapsum. Quod item dico de alijs, qui prodiderunt retractatam à S. Hilario fuisse hanc sententiam edito libello,

lo, quem Gulielmus Parisiensis testatus est S. Bonaventuræ, abs se visum, vt idem S. D. refert in 3. d. 16. art. 1. quæst. 1. ad. 1. quod de aliquo nomen S. Hilarij mentito, indubiè est accipiendum: cum subinde videamus ab æmulis palinodias nomine alicuius enulgari, vt apud populum eleuent quæ anterius nomine eius prodierant; aut vt paradigma retractandi proponant, ei qui errauit: saltemque vt ea retractationis publicatione, verecundiam erroris flagellent.

418. Responsionem aliam paulò commodiorem, nec tamen vsquequaque approbandam, profert Philippus Abbas, latè pugnans pro S. Hilario epistola 5. & 6. & 7. Sensum ergo S. Hilarij esse arbitratur, quod Christus non habuerit passiones nisi quas habere voluit. [Commendat (inquit epist. 5.) quod Christus, cuius omni vitio caruit genitura, ad illatas passiones non doluerit. Ex natura; neque enim negat, quin ille nosti & corporis & animi passiones pertulerit, perferendo doluerit, sed quia hunc dolorem non ei necessitas naturalis intulerit, sed ipse eum voluntate susceperit, passus est, (inquit,) Dominus Iesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur; sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exercuit, dum & pœnali ministerio desæuit, vt virtus corporis sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desæuientis excipit. Naturam passionis tunc passio videtur exercere, cum patientem, velit nolit, ad dolendum potest compellere: cum iuxta modum vel impetum, quo ista superueniens ingruescit, ille coactus vel animo vel corpore contabescat. Verùm naturam passionis in Christo, sua passio nequaquam exeruit, dum eius amaritudo aduersus illum prævalere non potuit: quia etsi illi tumultus passionum, grauis & multiplex est inflictus, ille tamen non nisi quando, quantum, quomodò voluit, est afflictus; Vnde & id quod sensit, dicit eum quodammodò non sensisse, & vim pœnæ sæuientis, sine sensu pœnali excepisse; quia videtur non sentire pœnam qui ea non grauatur, & videtur non grauari, qui voluntatis impetio eius grauedinem moderatur.] Hæc responsio pro S. Hilario, non est improbabilis. Sed ea quam proposui, videtur verisimilior, spectatis adiunctis omnibus. Satis de falsò obiecta aduersus verum Christi dolorem, auctoritate S. Hilarij.

Iam ratio qua Celsus dolorem à Christo patiente sustulit, est prorsus friuola: Volens quippe Christus patiebatur, vt bono nostro consuleret. Neque tamen non patiebatur, excipiens aspera: sicut æger, volens haurit insuaue pharmacum vt sanetur, & tamen eius amarore malè afficitur.

Ira, & timor, in Christi appetitu.

419. Venio ad iram, quam in Christo habuisse locum, habetur apertè ex Marci 3. vbi dicitur Christum circumspexisse aduersarios cum ira, & contristatum esse super cœcitate cordis eorum. Nec sanè omnis ira vitiosa est, sed quæ mediocritatis fines prætergreditur. Intra repagola autem & fines honesti coërcita, iure à Philosopho dicta est, *satellitium rationis, & cuos fortitudinis*. Vt proinde conuenientissimum fuerit, in Christo tam arduis negotijs intento, cerni affectum ad id opportunissimum.

Timorem, locum in Christo sub passionis tempus habuisse, demonstrat latè Facundus pro Theodoro Mopsuesteno hac in re vt vidimus improbato, fusè pugnans l. 3. pro tribus capitulis cap. 3. adducens grauissimos Patres, Christi timorem agnoscentes, SS. Leonem, Athanasium, Chrysostomum, & quod plus omnibus est SS. Euangelistas; Ioannem & Lucam, qui Christum turbatum & pauentem, sine ambiguitate produnt. Adduco ad idem S. Bernardum serm. 1. de S. Andrea. Componens enim S. Andreæ alacritatem, cum Christi timore, ait, [Longè est vox ista, ab eo qui sustinet quidem, sed optaret omnino si posset, non venisse in hanc horam, denique (si non videor temerarius) longè est ab ea voce: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Quid enim? Certè super asellum ascenderat, vt ne hic quidem hostibus relinqueretur. Agnosco sane in duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmitatem gallinæ cum pullis. Considero charitatem, stupeo miserationem, expauesco dignationem. Misericors Dominus, non Beati Andreæ robustum sibi susceperat affectū, quia non sanis opus Medicus, sed malè habentibus. Si quem fortè dignatio scandalizat, plane meretur audire; *nonne oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* Huic enim odor vitæ in mortem est. *Quid* magnum fuerat Domine Iesu, si accedente hora propter quam veneras, stares intrepidus, qui potestatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non modò passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret; & quos viuificabat mors, nihilominus & trepidatio robustos, mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos: lego quidem in Lazari resurrectione, quia *infremuit spiritu, & turbauit se ipsum*, sed esto interim: quia se ipse turbauit, non conditionis necessitate, sed suæ beneplacito voluntatis. Nunc autem iam aliquid amplius audio. Vsque eo siquidem prævaluit ea quæ fortis est vt mors dilectio; vt Christum Angelus Dei confortaverit.] Non potuit disertius aperire cur par fuerit, cerni in Christo timorem.

420. Certum igitur esto, affectum veri timoris habuisse locum in Christi appetitu. Neque hoc reuera in Theodoro damnatum est; sed quod cum Christum statueret purum hominem, censuerit illum non potuisse timorem aut prævenire aut fœnare, sed in eo excessisse; quod planè ferunt illa eius verba quæ S. Synodus actione 4. descripsit ex lib. 3. contra Apollinarem. [Si Deitas pro sensu faciebat illi, qui assumptus est, secundùm vestra verba, quomodò timorem in passione suscipiebat; quid vehementioribus orationibus ad imminentem necessitatem indigebat, quas cum magna quidem & clamosa voce, cum plurimis autem lacrimis secundùm Beatum Paulum referebat Deo; quomodò timore tanto detinebatur, vt ex immensa trepidatione fontes sudoris demitteret, Euangelista apertè dicente, quod globis sanguinis similis sudor descendebat; quid autem & Angeli aduentu & visitatione egebat reficientis in experimento malorum, confortantis eius alacritatem, excitantis eum ad imminentem passionis necessitatem, tolerare fortiter mala suadentis, vngentis ad patientiam & tollerantiam malorum, ostendentis præsentium malorum fructum; ex passione mutationem, futuram gloriam, bona circa eum post passionem futura? Qui enim (secundùm Euangelistæ vocem) confortabat eum Angelus, scilicet verbis istis fortem eum faciebat, & infirmitate naturæ superiorem fieri cohortabatur, & corroborando cogitationes eius, fortem eum faciebat.] Idem habetur ex illis quæ in hunc modum errorem Theodoreti referens & refellens habet Leontius l. 3. contra Nestor. & Eutych. num. 37. sic enim in eum insurgit Leontius. [Timuit mortem, non tamquam exprimens nos in se ipso, & soluens timorem nostrum in se, sed tanquam hanc enixè fugiens, quam numquam sponte sustinere voluisset, nisi tum longam, & prolixam admonitionem nactus esset, quam à te fictam Angelo attribuis. Nec enim Angelos calumniari recusas, quando hymnum Angeli diuinum, & quem in laudem victoriæ, Christo, vt potè Deo cecinit, mox per hunc admirabilem, & supra naturam actum timoris, verè veri timoris, nos ab acerbo, & crudeli hominum tyranno morte

libe

liberaturo, tu tamquam timido cuipiam, & effeminato, & penitus sui amico, saluato ab Angelo in modum consolationis adhibitũ esse insanè & delirè dicis. Illud enim, *aparuit Angelus Domini confortans eum*, tum alij Patres dixerunt, tum Cyprius senex *apparuit hymnos canens, & diuina loquens*; Et ad probationem huius contemplationis, produxerunt, quod Moses à Deo eruditus in magno illo cantico dixit, *& confortent eum omnes Angeli Dei*. Vt autem tu impiè dicis opus illi fuit longa consolatione Angeli, qui animam Christi timore mortis absorptam, & tristitia prostratam, celeriter erigeret, & recrearet. Erat enim in summo discrimine, & omnia in eo erant agitata & quassata.] Vides quam timoris emphasim, mediocritatis terminos planè transgressam affingeret Christo Theodorus, vt ex hac Leontii, sensa eius referentis, confutatione habetur. Ipse autem Leontius, non nisi eam timoris immoderantiam à Theodoro affictam, admit Christo. Neque aliud voluisse videtur Cyprius senex quem adducit, id est S. Epiphanius, cuius locus in ratione dubitandi, supra est propositus. Quod autem confortationem ab Angelo adhibitam interpretatur præconium & laudationem, annuerem, si non de solitaria laude confortationem actiuam, adiunctam, qualem Scripturæ verba planè ferunt, excludente acciperetur; sed de consolatione actiua mista præconio, prout eam confortationem accepit. Titus Bostrenus Lucæ 22. & benè ibidem expressit Franciscus Lucas v. 42. Eaque ratione acceptus S. Epiphanius, non excludit Christi timorem, qui sicut in voluntate vt supra vidimus, sic & in appetitu inferiore agnoscendus est. Non nego, valdè mirum esse quod Christus timeat, vt latè prosequitur Autor serm. de passione apud S. Cyprianum initio sermonis, tamen non quia mirum est, potest negari.

Pudor in Christo, & quomodò ex nuditate.

421. Fuisse igitur in Christo timorem dubitare non licet. Nominatim verò admitto in Christo eum timorem qui pudor dicitur, siue verecundia. Planeque S. Bernardus, eam pudoris materiam quam ex corporis nudatione contrahimus, præsertim si eæ partes pateant quas natura obductas voluit, Christo in cruce pendenti non defuisse, affirmat serm. ad Milites Templi cap. 10. vt infra referam. Tametsi enim visum nonnullis est, Christum pependisse obtectum, quoad eas saltem partes quas velare iubet pudor, tamen ea sententia videtur Patribus conformior, quæ Christum planè nudum pependisse agnoscit. Refert & sequitur aliquos Gretserus l. 1. de cruce c. 22. & suppetunt alii quos appendi in Tractatione de S. Latrone cap. 2. num. 7.

Difficultas tamen esse potest, quomodò hæc nuditas omnimoda, fuerit Christo pudoris materia. Nam nos quidem, ex tali nudatione pudore afficimur, quia pruritum carnis, & rebellionem appetitus sensitiui in ijs partibus experimur, & in aliis obiectu illarum partium nudarum similes motus excitamus. Id enim esse quod in tali euentu nos rubore suffundit, monstratum latè est in tractatione de Virtut. l. 6. n. 163. At in Christo, nentra illa pudoris causa locum habuit. Nam neque vllam in se experiebatur carnis innocentissimæ pruriginem aduersus rationem: neque eius quilibet contuitus, alios pelliciebat ad turpitudinem. Si enim B. Virginis speciositas tametsi summa, neminem tamen vmquam prouocauit ad libidinem ex singulari Dei prouidentia. vt S. Bonauent. notauit in. 3. d. 3. parte 1. art. 2. ac ibidem S. Thomas q. 1. art. 2. quæstiuncula 1. & Cantipr. l. 2. apum c. 29. n. 5. quanto magis idem agnoscere de Christi carne infinities sanctiore est necessarium? Itaque non est planè peruium, quomodò Christum pudere potuerit nuditatis.

422. Hanc difficultatẽ cum attigisset Gabriel Tract. de pass. Dom. parte 3. art. 3. exponens flagellationem, ait Christum quidem non habuisse vnde erubesceret: tamen propter nos voluisse hanc quoque infirmitatem assumere. Et idem habet Abulensis paradoxo 5. cap. 35. Hoc tamen non satisfacit. Nam si Christus voluit hanc possionem assumere, debuit in eo habere locum, formale seu motiuum huius affectus, quod in Christo locum non habuisse, videtur euinci argumento proposito. Daniel Malonius ad Paleotum de sacra sindo. c. 6. num. 10. vbi Christum initio quidem nudum stetisse; postea verò iam velatum verenda, cruci confixum esse tuetur; præsentiens hanc difficultatem; ait, licet Christus non habuerit carnem peccati, habuisse tamen carnem similem carni peccati: id quod reperit, mota denuò ea difficultate cap. 17. n. 17. & videtur idem velle Delrio lect. 9. de passione. Sed non video quomodò caro, tantùm quia similis erat carni peccati, potuerit ingenerare ruborem nuditate sua, cum defuerit illi quodcumque roboris incentiuum, implãtatum carni peccati. Sicut ergo caro Christi, eo quod similis esset carni peccati, non idcireo tamen spinas & tribulos carnis peccatricis germinauit: ita neque pudorem, quod est tribulorum illorum consectarium quoddam, profundere debuit. Nec fortius apparet quod ait Gabriel Vasq. 3. p. d. 62. n. 25. Christum scilicet passum esse verecundiam, quia timebat malum adiunctum, quantum quidem ferebat aliena opinio: nimirum quia timebat nuditatem, quæ iuxta inimicos & nudatores ignominiosa erat. Verùm quod Christus dedecus pateretur in aliorum opinione, si non erat verum dedecus ipsius Christi, non apparet quomodò ad ingenerandum pudorem satis esse potuerit, quandoquidem verus pudor, est verus timor. Atqui verus timor, debet esse mali veri; quale profectò non est quod tantùm est malum in aliorum opinione.

Quare si verum Christi pudorem retentum volumus, nec placet seqni Victoriam, (qui vt referunt recentiores 3. p. q. 15. art. 7. ex omnibus timoris speciebus, solum pauorem in Christo admisit; ad quod videtur accedere Abul. in cap. 13. Genes. q. 546. cum Christum vestes habuisse dicat, tantùm ob frigus:) Dicendum est, eatenus Christum puduisse nuditatis, quia non aliorum tantùm, sed ipsius quoque Christi, & cuiusuis prudentis opinione, dedecus est & ignominia in hoc rerum statu, nudari toto corpore; etiamsi prurigo foeda, & illicium peccati, non adiungeretur nudationi. Nã probrum siue dedecus & ignominia, latiùs patet quàm esse principium defectuum illorum. Itaque Christus ea se ignominia perfusum videns, erubuit. Præterquam quod res est insolita, nudum aspici; & apta ad iudicia absona de eo formanda qui sic conspicitur; vnde est ex hoc quoque capite, materia erubescentiæ. Non multum absunt quæ habet Corduba lib. 1. q. 45. dubio. 1.

Obiter de perfectionibus in actu primo, assignandis Christi appetitui.

423. Non plura de actibus secundis, affectuum appetitus sensitiui in Christo Domino. Perfectiones autem eidem sensitiuo Christi appetitui collatæ in actu primo, sunt omnes illæ quarum appetitus in suo gradu & ordine capax est. Eoque spectant inprimis auctaria illa & complementa virtutum moralium per se acquisitarum, quibus appetitus quasi cicuratus, fitq; habilis ad sequendum ductum rationis, & voluntatis superioris per rationem directæ. In hunc enim finem conferri appetitui sensitiuo qualitates aliquas, quas virtutes nothas non absurdè quis dixerit, suo loco est disputatum. Eas igitur perfectiones, appetitui Christi sensitiuo fuisse consertas, & quidem à primo momento conceptionis, eodem modo suadendum est, quo id superiùs

superiùs probauimus de virtutibus moralibus per se acquisitis. Decuit namque, hac quoque in parte Christum Dominum vniuersis præcellere; nec eum cultum propria exercitatione & repetitis actibus serò conquirere, sed iam inde à principio obtinere. Præter has naturales appetitus sensitiui in Christo perfectiones, erit qui ei tribuat habitum quoque supernaturalem, illi persimilem quem in Adamo innocente ad fomitis fœnationem admiserunt aliqui. Sed nos inferius, eam perfectionem perperam tribui appetitui ostendemus, agentes de eius defectibus.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

Summellam capitis, hæc pauca exhibebunt. Appetitus Christi sensitiuus, ad nutum voluntatis, eadem quas appetitus noster actiones elicuit, nominatimque dolorem & iram. Idem appetitus, omnes actus primos gradui ac ordini suo consentaneos, à primo concepti Christi momento, est consecutus.

Vsus doctrinæ esse debet, suspectio insignis diuinæ condecensionis, quæ Christum suum, per omnia absque peccato & peccati comite ignorantia, nobis similem fieri voluit. Hoc planè fuit, cum ægris ægrescere, & eidem affigi lectulo. Nam esse passiones lectulum nostrum, pulchrè docet S. Ambros. ad illud Psalmi 40. *super lectum doloris eius*. Et abiecit quidem Christus, eum lectulum in resurrectione, vt S. Ambrosius ibi subdit, & pulcherrimè S. Bernardus sermone de verbis Origenis, monstrans sponsum quærendum esse in hoc lectulo, per noctem huius vitæ: Depulsa autem nocte, & subsecuto die, non iacuisse vlterius in hoc lectulo nostro. In hac tamen mortali vita, & lectum & has ægritudines nostras non est dedignatus.

CAPVT VIII.

Depulsio imperfectionum nostrarum, ab appetitu sensitiuo Christi Domini.

424. QVantorum in nobis defectuum fons sit appetitus sensitiuus, ingi experimento notius est, quàm vt confirmatione vel declaratione indigeat. Hinc enim omnis virulentia qua animabus nostris exitium creatur, ortum habet: hinc omnes educuntur acies, quibus cum ratione superiore, cum natura rationali, cum ipso numine confligimus: vt beatus sanè sit, cui ex hac parte pax est, sint minùs plena, at qualem in hoc certaminis tempore seperare licet. Beatissimum verò fuisse Christum, cui omnia hinc pacata & tuta erant, monstrarum venio.

Defectus varij nostrates, imò appetitu.

Id assecutus videri potero, si nænos illos atque defectus quibus noster sensitiuus appetitus vrgetur, abfuisse à Christi appetitu planum fecero. Sunt autem duo præsertim: alterum quod appetitus nostri germina honesto aduersantia, insœliciter absque satu sobolescant; & rationem liberam præueniant; tanta est phantasiæ quam assectantur penicitas atque mobilitas; appetitus autem sensitiui velut rabida fames circa escam boni sensibilis inhonesti, per phantasiam præluentem propositi. Secundum est, quod ijdem motus nostri appetitus sensitiui, quem *carnem* sæpè vocat Apostolus, concupiscant aduersus spiritum, & lex membrorum repugnet legi mentis, absque treuga & indicijs; indeque iugis in nobis pugna, & irrequietum bellum exoriatur. Hæc duo, constituunt quem in nobis vocant *fomitem*. Nihil enim aliud est fomes, præter appetitum qui peccati flammam facilè concipit, etiam inconsulta libertate, quia suapte natura & iniussu voluntatis superioris, propendet in bonum sensibile quod est contrarium bono honesto: quæ fomitis notio, benè traditur à Durando in 3. d. 3. q. 3. nu. 6. Itaque duorum prædictorum defectuum sublatio, est fomitis extinctio, non quoad entitatem quæ est materiale fomitis; ea siquidem manet quandiu perstat appetitus, sed quoad formale, seu quoad inordinationes illas appetitui quidem sensitiuo connaturales, coercendas tamen per gratiam, si homo à statu innocentiæ non excidisset. Duobus quoque prædictis defectibus, iungitur frequentissimè inflammatio à gehenna. Satan namque probè conscius genii nostri, & totam natiuitatis nostræ penitissimè introspiciens, conspergit hunc nobis consertum ignem, naptha & adipe, vt actiùs succendatur; quæ sunt tentationes iuges quibus ab inimico nostro lacessimur, & ad perniciem nobis ipsis per nosmetipsos inferendam, sollicitamur. Hi defectus in nobis sunt quotidiani atque perpetui, à Christo autem sunt amoliendi.

Anteoccupatio rationis per appetitum, procul à Christo.

425. Ac primùm quod motus appetitus sensitiui, in Christo non anteuerterent rationem liberam, est extra dubium; cum in statu innocentiæ idipsum omnibus futurum esset commune, vt latè tractat Suarez l. 3. Cosmop. cap. 12. à num. 4. & habetur ex D. Augustino 13. Trin. cap. 3. & lib. 14. Ciuit. cap. 10. & plerisque seqq. In Christo autem omnia recapitulantur, id est ad primæuum statum conditi hominis reueniunt, pulchrè declarant Tertullianus l. de monogamia cap. 5. & lib. 5. contra Marcio. cap. 17. Chrysologus serm. 77. Clem. Alexand. 5. Strom. pag. 560. & Ambros. serm. 37. Igitur Christus ea prærogatiua potitus est: Et ita cum D.D. Augustino & Gregorio Toletus in cap. 11. Ioan. annot. 9. Non intendo affirmare, affectus seu motus quoscunque appetitus sensitiui, non potuisse aut debuisse in Christo naturaliter exurgere, posito obiecto sensibili. v. g. non dico, dolorem posita obiecti disconuenientis appositione, vel immissione, non debuisse aut non potuisse naturaliter excitari: Id enim falsò diceretur, quia vt supra disputatum est tractando defectus corporis Christi viatoris, quamuis perpessio huiusmodi motus subiaceret Christi arbitrio, quatenus poterat eam impedire: tamen posito quod non impediretur, exurgere debuit ex necessitate naturæ. Poterat ergo motus appetitus, in Christo ad incursum obiectorum pulsantium sensum externum, indeque phantasiam appetitui prælucentem, excitari naturaliter; & reuera excitabatur, nisi ratio præueniens exortum eius intercluderet: ea tamen silente, & quamuis positiuè non permitteret, tamen negatiuè se habente circa appetitum, exurgebat motus appetitus, v. g. dolor.

Quod itaque peculiare Christo tribuo, & Adamo quoque innocenti competebat, illud est; passiones quatenus in nobis moraliter noxias; hoc est quatenus in quibusdam occasionibus aut circumstantiis inclinabant ad aliquid ex se inhonestum, si voluntatis consensus accederet, aut quatenus in nonnullis item circumstantiis nisi cohiberentur segnem ac difficilem redderent honesti exercitationem; non priùs in primo & nouissimo Adamo fuisse excitatas, quàm ratio positiuè permisisset illasque aduocasset: Ea verò reclamante & exortum prohibente, nunquam exurexisse: contra quàm in nobis accidit, post Adami naufragium. Innoxios verò affectus, & ea quam dixi duplici labe vacuos, inclinandi ad malum, vel remouendi bonum, (Damasc. 3. fid. c. 20. vocat *passiones naturales*, & contraponit *suggestiuis mali*,) sinebat Christus exurgere naturaliter, quamuis si libuisset, potuisset impedire, vt supra tractatum est, exponendo passibilitatem corporis Christi viatoris. Nunc enim illos dumtaxat alios ostendimus.

426. Eorum à Christo exclusionem, quousque adnocarentur, & distinctionem à prioribus, pulchrè his verbis expressit S. Maximus in disp. contra Pyrrhum agens de affectu timoris. [Est timor ex natura, & præter naturam. Ex natura quidem timor est, vis ipsius naturæ ad tuendum se per contractionem. Præter naturam verò timor est, contractio præter naturam. Timorem igitur præter naturam, Dominus vtpotè ex proditione cogitationum profectum, penitùs non admisit. Timorem verò ex natura, vtpotè indicem facultatis insitæ naturæ ad tuendum se, volens propter nos tamquam bonus admisit. Non enim in Domino, sicut in nobis, ea quæ naturæ insunt, voluntati antecedunt: sed sicut cum verè esuriebat & sitiebat, non esuriebat sicut nos, sed supra nos, sic cum timuit verè, non sicut nos, sed supra nos timuit.] Hoc est quod significarunt, qui agendo de Christi motibus, monuerunt declinandam esse vocem *passionis*, quæ subitum impetum, & infrœnis appetitus prosultum, in communi vsu sonat. Itaque quod in Christo hi posteriores affectus non nisi dato signo & ex plena superioris voluntatis potestate exurgerent, *propassiones* nominarunt, significantes quod S. Augustinus 14. Ciuit. cap. 9. ait, Christum infirmitates-hasce nostras quibus ex humanæ conditionis infirmitate subiacemus, habuisse quidem; sed hanc eius infirmitatem fuisse ex potestate. Idem egregiè habet S. Bernardus serm. quodam de verbis Origenis in hom. in c. 10. Leuitici, vbi ait Christum cum hic nobiscum degeret, & inter mortuos, fuisse liberum. [Fuit (inquit) inter mortuos, sed & tunc liber fuit: siquidem ipse sese turbauit, ipse animam suam posuit, quia ipse voluit, oblatus est; & omnis ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. Vnde & quod infirmum erat Dei, fortius erat hominibus: quod esset tunc quoque etiam inter paruulos magnus, inter infirmos validus, inter mortuos liber.] S. Fulgentius ad eandem mentem egregiè disputat, ad calcem epistolæ ad Rheginũ, sic scribens de Christo. [In anima sic perfectam incorruptibilitatẽ seruauit sicut peccatũ nec propagine traxit, nec cõtagione contraxit. Vnde & infirmitatis animarum nostrarum, quas in sua rationali anima portauit Christus, sine vlla corruptione portauit. Nullus quippe potuit defectus inesse virtutis, vbi infirmitatis indefessa susceptione permansit perfectio caritatis, quæ Vnigenitum Deum, fecit, vsque ad mortem pro nobis accedere, & confusione contempta crucis opprobrium sustinere. Propter quod tristitiam, mœrorem, vel si quas nostrarum animarum infirmitates habuit Christus veras quidem, sed voluntarias habuit.] Eleganter in hanc sententiam disserit Laur. Iustin. l. de triumph. Christ. agone cap. 5. tractans illud Ioannis de Christo, *infirmuit spiritu, & turbauit semetipsum.*

Sed quod ad vocem propassionis attinet, vsus quidem ea est in sensu longè alio S. Hieronymus in cap. 6. Matth. vbi ait, motus subitos nisi transeant in affectum cordis, & de propassionibus fiant passiones, labis expertes esse. Quo eodem modo Epistola 9. Salvinam monet, vt hominem se esse noverit; antepassiones & propathias titillantes animam, à se alienas non putet; tantumque curet, ne in passiones euadant. Itaque *propassiones* ibi appellat, motus subitos cogitationum, seu *primos earum pulsus*, vt loquitur in c. 18. Ezech. Qua ratione non fuerunt sanè in Christo propassiones: Et hoc sensu Petrus Cellensis l. 1. de tabernac ait; [Auro mundissimo deaurata est arca Iesu; intus, quia nec passio, nec propassio vitij, ianuas animæ eius pulsauit.] Tamen alio præterea sensu idem S. Hieronymus vsurpat vocem *propassionis*, in quo aptè ea vox de Christi affectibus dici potest: nempe pro affectu rationi plenè subiecto, nec eam obnubilante, vt nobis accidit. Qua ratione in cap. 26. Matth. timorem à Christo conceptum, vocat propassionem, siue antepassionem. Passim tamen, vox *propassionis* existimatur tributa Christo à D. Hieronymo, tantùm prout designat passionem exurgentem ad voluntatis superioris arbitrium, quod vides à Hieronymi vsu alienum esse, vt notatum est in Mor. dist. 3. n. 31.

Contrarietas appetitus & rationis, à Christo exulauit.

427. Alter defectus à Christi appetitu sensitiuo abs legandus, est contrarietas cum voluntate superioris Circa quam contrarietatem Synodus 5. Constantinop. collat. 8. Can. 12. Theodorum Mopsuestenum his verbis damnat. [Siquis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum & alium Christum; à passionibus animæ, & desideriis carnis, molestias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem, & sic ex profectu operum melioratum, & à conuersatione immaculatum factum, & tanquam purum hominem baptisatum esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & per baptisma sanctiSpiritus gratiam accepisse, & filiationem meruisse, vt ad similitudinem imperialis imaginis in persona Dei Verbi adorari, & post resurrectionem immutabilem cogitationibus & impeccabilem omnino factum, fuisse] &c. Eum inquam qui ea in patre Theodorum defenderit, iubet Synodus esse anathema. Vides damnationem contrarietatis ac pugnæ inter voluntatem rationalem Christi eiusque appetitum sensitiuum. Optimè quoque S. Leo epist. 11. *sub finem*, sic ait de Christo. [Non alio illi quàm cæteris hominibus, animo est inspirata principio, quæ excelleret non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat aduersum; nec discordia desideriorum gignebat oppugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum, sub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniurijs.]

428. Hoc tamen non videtur cohærere cum ijs quæ proximè diximus. Admisimus enim passiones quæ in nobis ad malum prolectant, aduocati à Christo potuisse, & verò interdum esse aduocatas. Tunc igitur, aduersus sanctitatem pugnabant. Id quod etiam patet ex Christi extremo agone, in quo professus est, spiritum sibi esse fortem, carnem verò infirmam, & refugientem quod præscribebat voluntas superior; & apertè petijt, vt transiret ab eo calix, quod erat contra Dei voluntatem. Nec potest dubitari, quin ea verba ipsum Christi sensum proderent, in suamet, non in nostra persona loquentis; cum ita apertè ferat Euangelica narratio, & omnes PP. manifestè idem doceant. Vnde non potest simpliciter approbari, egérque expositione, quod ait D. Augustinus concio. 1. in Psal. 32. ad v. 1. verbis illis. [Gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos viuere, & præstans nobis viuere, ostendit hominis quandam priuatam voluntatem in qua suam figurauit, & nostram quia caput nostrum est. & ad eum sicut nostis tamquam membra pertinemus. *Pater* (inquit,) *si fieri potest, transeat iste calix à me.* Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam primatum volens, sed quia recto corde voluit esse hominem, vt quicquid in illo aliquantum curuum esset, ad illud dirigeret qui semper est rectus, *verùm non quod ego volo*, (ait,) *sed quod tu Pater.* Sed quid possit mali velle Christus. Quid postremò aliud posset velle quàm Pater, quorum vna est diuinitas, non potest esse dispar voluntas. Sed ex persona hominis, transfigurans in se suos, quos in se transfigurauit, cum ait, *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, quos in se transfigurauit, cum furenti & sanctos persequenti Saulo clamauit desuper, quem nemo tangebat, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ostendit quandam hominis propriam

priam voluntatem; ostendit & correxit te. Ecce vide, (inquit,) te in me, quia potes aliud proprium velle, vt aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati; conceditur humanæ infirmitati, aliud proprium velle. Difficile est vt non tibi contingat, sed statim cogita qui sit supra te, illum supra te, te infra illum; Illum creatorem, te creaturam; illum Dominum, te seruum; illum omnipotentem, te infirmum; corrigens te, ac dicens, *verum non quod ego volo, sed quod tu vis Pater.*] In his verbis, D. Augustinus non negat motum illum fugæ à calice, fuisse Christi: sic enim non posset approbari eius sententia; sed tantùm docet, in eo Christi facto & prinata, voluntate monstratum esse quomodò motus nostri sint ad diuinam amussim componendi: Itaque manet difficultas proposita, de repugnantia & contrarietate appetitus Christi, cum Dei decreto & voluntate superioris. Eam appetitus Christi cum voluntate pugnam, diserè agnoscit Laur. Iustin. l. de triumph. Chryst. Agone cap. 6. his præter cætera. [ô quam mirandum certamen, ô quanta pugna in mediatore Christo, carnem spiritui repugnare spiritui, & spiritum carni: tamquam si quispiam decubaret infirmus cui pro restauranda valetudine poculum amarissimum porrigeretur à Medico, duplici hic desiderio traheretur, cuitandæ videlicet potionis, & consequendæ sanitatis. Suggereret ratio amaritudinis hausturn, quem omnino sensualitas abhorreret &c. Eundem in mediatore nostro fuisse conflictum, ambigat nemo.]

429. Respondendum est, iis non obstantibus, appetitum Christi sensitiuum non fuisse propriè contrarium voluntati superiori. Illustrate id possumus, exemplo voluntatis. Voluntas ergo Christi vt natura, hoc est prout operans iuxta naturalem inclinationem commoda propria captantem, & incommoda refugientem, eademque voluntas vt ratio siue prout operans ex prudentiæ præscripto; quamuis interdum dissidentes in Christo viderentur, eo quod vnaquæque functiones sus obiret; & vna refugeret, quod altera adamabat, non erant tamen propriè contrariæ, sed tantùm diuisæ: quia quamuis vna & eadem facultas spiritualis, vellet v. g. mortem quatenus à Deo indictam, eamque nollet quatenus naturæ incommodam; tamen voltio inferior quæ naturæ consulebat, non impediebat aliam, qui erat tantùm inefficax. Ita appetitus sensitiuus qui eodem planè modo se habet ad voluntatem rationalem, quo voluntas vt natura, ad voluntatem vt est ratio; & quoties agit, semper extundit actum voluntatis vt naturæ; diuersam quidem actionem eliciebat ab ea quæ per voluntatem ratione directam profundebatur; non tamen reuera pugnantem cum ea, quia illam numquam impediebat; nec quod in nobis accidit, abitrahebat à recto, & illiciebat ad malum vi aliquatenus illata, sed merè exerebat sensum naturæ de incommodo ingruente, vel apposito, nec vlteriùs progrediebatur ad pertentandam voluntatis superioris constantiam, vt à recto abduceretur. At hoc in nobis, nimium quantum frequens est, vt scripsit elegantissimè S. Paulinus varios gradus quibus per passiones prolicimur ad malum, ita describens epist. 30. *in fine*, tractans illud Ioëlis 1. *Residuum eruca, comedit locusta*; idque ad passiones frugum bonarum vastatrices accommodans. [Ergo in eruca, & locusta, & brucho, & rubigine, nostrarum affectionum intelligendæ sunt passiones; quarum aliæ breuiter in corde hæreant, aliæ paulatim crescant. & si abiectæ non fuerint ad medullas vsque perueniant, & omnem succum ebibant animæ? Vide enim qualiter ista congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidunt vitia monstrorum. Nam verbi gratia si quid vetitum concupiscam, & mox abijciam cogitationem, eruca est in folio sedens: quæ decussa, si abiecero quidem, sed rursus redierit cogitatio, & cœperit abijci, & redire crebrescat, locusta est anolans & reuertens. Quod si cœperit immorari, & maius habuerit spatium in comedendo quàm anolando, bruchus dicitur. Quod si ipse bruchus, qui non satis anolat, sed magis ledet, non fuerit abiectus, in rubiginem vertitur, quæ iam penitùs inhærescens, vt de stipula, sic de anima, numquam aut difficile expellitur.]

430. Nulla talis, siue breuis, siue diuturna mota passionum rationi infestarum, eiúsque pacem labefactantium, vel concutientium, & captiuantium nos hic viatores sub lege peccati, (vt plenissimè versat S. Hilarius in Psal. 136.) reuera ad eum modum in Christo fuit. Quod pulcherrimè expressit Origenes tract. 35. in Matth. expendens cur Euangelista de Christo non dixerit, *tristatus est, & tædium concepit*; sed tantùm dixerit, *cæpisse pauere & tædere.* [Considera quia non dixit *tristabatur, & tædiabatur*, sed *cœpit tristari & tædiari.* Multum enim interest inter *tristari & incipere tristari.* Si ergo aliquis defendens passiones humanas, profert nobis etiam ipsum tristatum fuisse Iesum, audiat quoniam qui tentatus est per omnia, secundùm similitudinem præter peccatum, hic non est tristatus tristitia passionis ipsius, sed factus est secundùm humanam naturam, tantùm in ipso principio tristitiæ & pauoris, vt ostendat discipulis suis præsentibus, maximè Petro, magna de se existimanti, rebus ipsis quod postea eis dixit; *quia spiritus promptus est, caro autem infirma*: Et non est aliquando confidendum in ea, sed semper timendum de ea: quia incauta confidentia ad iactantiam ducit: timor autem infirmitatis ad auxilium Dei confugere adhortatur; sicut & Dominum ipsum paululum progredi, & cadere in faciem, & orare. Ergo cœpit quidem tristati secundùm humanam naturam quæ talibus passionibus subdita est, non autem secundùm diuinam virtutem, quæ ab huiusmodi passione longè remota est. &c. Videns ergo instans sibi certamen, quod non erat ei aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus tantos Reges terræ assistentes, & principes congregatos in vnum aduersus se, quantos numquam; cœpit pauere, vel tristari, nihil amplius tristitiæ vel pauoris patiens, nisi principium tantùm. Nec enim scriptum est, quia *pauit*, vel *tristatus est*, sed *cœpit pauere, & cœpit tristari.*] Eadem habet ad eum locum S. Hieronymus.

Fomes, in Christo, extinctus.

431. His duobus defectibus nostratibus à Christi appetitu semotis, perspicuum est, fomitem peccati quẽ vidimus per eos constitui, non modò fuisse in Christo ligarum, sed etiam planè extinctum: non quod qualitas quam fomes dicit in actu primo, defuerit Christo; (erat enim ipse appetitus, qui Christo inexstitit,) sed quod inordinationes illæ quæ sunt de ratione fomitis, non potuerint in Christi appetitu locum habere. Quod si Beata Virgo, quæ absolutè erat peccabilis; à plerisque tamen grauibus Doctoribus, negatur habuisse fomitem peccati; vt à Vasques 3. p. d. 118. cap. vlt. & contra Caietanum id tanquam probabile propugnante Palacio in 3. d. 3. disp. 1. ab aliis autem dicitur habuisse quidem peccati fomitem in actu primo, sed extinctum; quia appetitus Deiparæ nunquam erat effracturus repagula, & honesti fines prætergressurus: quo sensu extinctum in Deipara fomitem, docent Suares tom. 2. 3. p. d. 4 serm. 5. & Salazarius cap. 28. de concept. §. 2. quanto magis Christus ipsamet innocentia & sanctitas, nulla labe violabilis, & à peccato infinitè remotus, fomite peccati caruisse docendus est? Caruit autem fomite, aut quod eodem recidit, fomitem habuit extinctum, non interuentu alicuius habitus diuinitùs infusi, vt de Adamo innocente censuit Molina in Cosmop. disp. 27. post Durandum in 2. dist. 29. quæst. 2. sed aliqua, & quidem modica ex parte, interuentu habituum facilitantium appetitui infusorum per accidens,

quibus confertur appetitui facilitas ad sequendum rationis ductum: maxima verò ex parte, per prouidentiam Dei extrinsecam, & manu tenentiam ac curam Dei specialem. Nullus quippè habitus appetitui immissus, posset formaliter excludere motus eius inordinatos: cum habitus non sint stupefactiui, & inhibitiui operationum, sed earum potiùs profusiui. Qua ratione de frœnatione appetitus in Adamo, philolophatur Suarez l. 3. Cosmop. c. 12. n. 18. Cœterum in Adamo non erat ligatio, sed tantùm extinctio fomitis, ideoque poterat Adamus vinculum dissoluere, & effrœnem bestiam sibi permittere. At in Christo, fomes extinctus erat. Itaque multo minùs sufficere in Christo potuisset, frœnum habitus, immissi appetitui.

Pax inter rationem & appetitum, non excluſit à Christo tentationes, & quorsùm.

432. Potest denique hinc fieri iudicium, qua ratione Christus tentationibus subiacere potuerit. Tentatum enim fuisse à Satana, Euangelistæ disertè produnt. Et ita planè decuit iuxta illud Damasceni 3. fid. c. 20. [Tantatus est, & vicit, vt nobis victoriam pararet: & daret naturæ virtutem vincendi aduersarium: vt natura olim victa, per quas suggestiones victa fuisset, per illas vinceret antiquum victorem.] Agnoscit quod tradidit S. Augustinus omninò benè ad illud Psalmi 60. *Dum anxiaretur cor meum.* Causam enim exponit cur Christus tentari voluerit, verbis illis, [Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisque innotescit nisi tentatus. Nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare nisi inimicum & tentationes habuerit. Angitur ergo iste à finibus terræ clamans, sed tamen non relinquitur. Quoniam nos ipsos, quod est corpus suum, voluit præfigurare, & in illo corpore suo, in quo iam & mortuus est & resurrexit, & in cœlum ascendit, vt quo caput præcessit, illuc se membra secutura confidant. Ergo nos transfiguranit in se, quando voluit tentari à Satana. Modo legebatur in Euangelio, quia Dominus Iesus Christus, in eremo tentabatur à Diabolo. Prorsus tentabatur Christus à Diabolo. In Christo enim tu tentaberis, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se sibi salutem de te sibi mortem, de se tibi vitam: De te sibi contumelias, de se tibi honores. Ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam. Si in illo nos tentati sumus, in illo nos diabolum superamus. Attendis quia Christus tentatus est, & non attendis quia vicit? Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Poterat à se Diabolum prohibere, sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non præberet.] Breuissimè 9. Ciuit. c. 21. [Se tentari ipse permisit, vt hominem quem gerebat, ad nostræ imitationis temperaret exemplum.]

433. Alij plerique Patres quos appendit D. Thomas 3. p. quæst. 41. art. 1. & alij apud Suarem ad eum articulum, nec non apud Toletum in cap. 4. Lucæ annot. 5. varias præterea causas proferunt, quibus ostendant congruum fuisse, vt Christus tentaretur: quas inter Toletus, maximi facit eam quæ ducitur ex antithesi cum primo Adamo, vt ijsdem lineis quibus perierat, salus humana redderetur. Ego eam rationem his Cassiani de Christo verbis repræsento collat. 5. c. 6. [In illis passionibus, etiam ipse tentari debuit, incorruptam imaginem Dei ac similitudinem possidens, in quibus & Adam tentatus est, cum adhuc in illa inuiolata Dei imagine perduraret; hoc est, gastrimargia, cenodoxia, superbia, non in quibus post præuaricationem mandati, imagine Dei ac similitudine violata, suo iam vitio deuolutus inuoluitur; Gastrimargia namque est, qua interdicti ligni præsumit edulium; Cenodoxia, qua dicitur, *aperientur oculi vestri*: Superbia, qua dicitur, *eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* In his ergo tribus vitiis etiam Dominum Saluatorem legimus fuisse tentatum. Gastrimargia, cum dicitur ei à Diabolo. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Cenodoxia, *Si filius Dei es, mitte te deorsum;* superbia cum ostendens illi omnia regna mundi & eorum gloriam, dixit, *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*: vt ijsdem quibus ille tentationum lineis est appetitus, nos quoque quemadmodum tentatorem vincere deberemus, suo doceret exemplo: Ideóque & ille Adam dicitur, & iste Adam: ille primus ad ruinam & mortem; hic primus ad resurrectionem & vitam. Per illum omne genus hominum condemnatur, per istum omne genus hominum liberatur. Ille de rudi atque intacta fingitur terra; hic de Maria Virgine procreatur.] Planè similia habet S. Gregorius hom. 16. in Euang. & S. Damascenus ex parte 3. fid. cap. 20. latè verò & egregiè adiuncta omnia tentationum Christi & Adami componit, Anastas. l. 10. hexaem. *sub finem.*

Antiochus hom. de cogitationibus, Christum tres tentationes (vt vocat) *generalissimas*, à Diabolo subijsse ait, vt haberemus exemplum Satanam elidendi. *Generalissimas* vocat, qui vt ait S. Augustinus in Psal 8. [Tria genera vitiorum, id est, voluptas carnis, & superbia, & curiositas, omnia peccata concludunt. Quæ mihi videntur à Ioanne Apostolo enumerata, cum dicit; *Nolite diligere mundum; Quoniam omnia, quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi.* Per oculos enim maximè curiositas prænalet. Reliqua verò quò pertineant manifestum est. Et illa Dominici hominis tentatio tripartita est; per cibum, id est, per concupiscentiam carnis; vbi suggeritur, *dic lapidibus istis vt panes fiant.* Per inanem iactantiam, vbi ei in monte constituto, ostenduntur omnia regna huius terræ, & promittitur si adorauerit. Per curiositatem, vbi de pinna templi admonetur, vt se deorsum mittat, tentandi gratia, vtrum ab Angelis suscipiatur. Itaque posteaquam nullo istorum tentamento valere apud eum potuit inimicus, hoc de illo dicitur; *postquam compleuit omnem tentationem Diabolus, recessit vsque ad tempus.*] Luculenter sed fusè admodum in hanc rem totam disserit S. Chrysostomus hom. 5. ex variis in Matthæum locis. Breuiùs sed pulchrè S. Athanasius oratione noua in S. Pascha *sub finem.* Habemus ergo quàm varias tentationes subierit Christus: & tentari Christum debuisse, ac decuisse. Porrò ex narratione Euangelica constare videtur, quantumuis ea tentatione inferenda, (quod S. August. notanit 9. Ciuit. c. 21.) Satan intentus maximè esset in explorationem diuinitatis Christi, de qua Dæmon ambiguus erat; tamen interueniisse admixtionem pellectionis ad peccatum, qui est scopus Satanæ propositus, cum tentationibus nos quatit.

Modus quo tentamur, diuersus à modo quo Christus tentatus.

434. Longè tamen diuersus fuit modus Christum tentandi, à modo quem Satan tentator init nobiscum; id quod dicebam deprehendi posse ex ante constitutis. Nam in nobis Satan ciet tentationes, excitatis diuersimodè affectibus appetitus sensitiui; abutens complexione corporea, & adhibens varia artificia quibus scintillas in nobis, imò incendia vel renitentibus excudit, adurens, vel odore ignis commaculans. Pulchrè Autor sermonis de ieiunio & tentationibus apud Cyprianum, post descriptas Satanæ machinas Christo admotas. Huiusmodi consiliis filios hominum Satan corrumpere consueuerat, & robustis virilibúsque animis, etiam huiusmodi cogitatus immittit: & si ab ingressu mentis arceatur renitente consensu, aliquid tamen

rien de spurcitia sua ibi euomens, abominationum horrore nauseare compellit. Sic vt aliquid Poëticum inseram, remulentus Cyclops illiciti coniugij appetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen eius Erichthonium fundit; & incorrupta Minerua, superest tamen deforme monstrum, nec omnino affectata scelera in memoria moriuntur.]

Nec magnoperè laborandum est Satanæ, vt hos in nobis motus excitet, quos putrida caro, velut lappas & tribulos etiam inseminatos per seipsam ferè perpetuò fundit. Id quod idem autor his aureis verbis exponit, serm. de ratione circumcisionis. [Erubescimus in pudendis & derecto sectóque confusionis operculo, quamuis conscientia testis semper nobis exponat scaturientes intus peccati insidias, nec internum vitare possimus iudicium, viriliter tamen standum est, & rationis auctoritate increpandi sunt titillatorij sensus; & summoperè vigilandum est, ne sequatur assensus. Intra nos pudor iste aboleri omnino non potest, quia nec totum hoc membrum, sed anterior eius portio ipsa est circuncidi. Res sanè maxima est, si non egrediatur foras huius contagio corruptelæ; & insaniens bestia corrupti anhelitus, catenis ferreis in vltimis animæ recessibus alligetur; intúsque fractis dentibus seipsam concupiscentia captiua, masticet & corrodat.] Et mox. [Quis in tam assiduis illusionibus non confundatur? quis non in tantis contumeliis erubescat? Fames quippe huius mali intus in tenebrosis recessibus latitans, vt viderit animam aliàs occupatam, & minùs adhibi circumspectionem sollicitam; irruptionibus vehementibus erumpit, blanditiis venena supponens, pudicitiæ puritatem inopinatis inuadit assultibus. Ideoque pudibundus homo nuditatem suam operit, & fœditatem confusus occultat. His rediuiuis vulneribus semper hac sanie illitis, necessaria est per omnem huius vitæ septimanam iugis resecatio putredinum, & continua circuncisio cicatricum. Et in cæteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrij nutu seruant libertatem. Hìc verò vbi Babyloniæ fornax exarserit, & quasi pica & naphtha conspersi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantùm vt rebellia membra, velit nolit, in motus nefarios audacter exurgant.] Hæc est igitur paupertas nostra. Hìc ille internus ignis, cui extinguendo S. Petrus apud Clementem IX. recog. Baptismum, qui est primæ nostræ in Spiritu productionis Sacramentum, instituit in aquæ elemento: quâ tamen præmissâ perfusione aquæ mysticæ, ignis ille internus etiam absque incentore Satana, iugi scintillarum emissione, ni caueamus, incendium committatur.

435. In Christo autem affectus appetitus sensitiui qui ad malum nos prolectant, túntque veluti rudimenta & prolusiones peccati, tametsi secluso assensu innoxiæ, non erumpebant sponte sua, nec extrinseco artificio, complexione corporea proritata, aliúsve malorum incentiuis adhibitis enascebantur: sed tunc tantùm existebant, cum aduocabantur, nec erumpebant nisi signo dato per rationem superiorem. Quare in Christo, propositus modus tentationis non habuit locum. Vnde apud Athanasium libello 14. contra Monophysitas, dicitur in hac Satanæ tentantis victoria, naturam humanam rei supernaturalis clarissimum edidisse spectaculum. Modus ergo tentationis qui in Christo locum habuit; is tantùm fuit, qui peragitur per metam exteriorem suggestionem, & obiectorum propositionem realem, aut vocalem, de quo pulcherrimè disserit Abulensis in c. 4. Matth. quæst. 21. & Ribera in c. 4. ad Hebr. num. 25. & 26. Hoc est quod S. Damascenus dixit 3. fid. c. 20. [Malignus deforis suggerebat, non per cogitationes quemadmodùm ipsi Adam? Etenim illi non per cogitationes, sed per serpentem. Dominus autem suggestionem repellebat, & veluti fumum dissoluebat, vt suggestiuæ ipsi passiones expugnatæ, & victæ, nobis etiam facilè expugnabiles euadant: & sic nouus Adam, antiquum reparet ad salutem.] Idem ante Damascenum his aliis verbis dixerat Aug. 4. Trinit. cap. 13. [Ille proinde qui Spiritu viuus carnem suam mortuam resuscitauit, verus vitæ mediator, illum Spiritu mortuum, & mortis mediatorem, à spiritibus in se credentium foras misit, vt non regnaret intrinsecùs, sed forinsecùs oppugnaret, nec tamen expugnaret. Cui se ipse quoque tentandum præbuit, vt ad superandas etiam tentationes eius, mediator esset; non solùm per aditorium, verùm etiam per exemplum. At ille primitùs, vbi per omnes aditus ad interiora moliens irrepere, expulsus est, post baptisma in eremo completa omni tentatione illecebrosa, quia viuum Spiritu, Spiritu mortuus non inuasit, quoquomodò auidus mortis humanæ, conuertit se ad faciendam mortem, quam potuit, & permissus est in illud quod ex nobis mortale viuus mediator acceperat.]

436. Omnium explicatissimè hanc de Christi nonnisi externis tentationibus, doctrinam, expressit S. Gregorius hom. 16. in Euang. [Sciendum quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione, & consensu: & nos cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato propagato, in nobis ipsis etiam gerimus, vnde certamina toleramus. Deus verò quin in vtero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit; atque ideò omnis Diabolica illa tentatio, foris non intus fuit.] Vocat tentationem *per delectationem*, qua abstrahimur & illicimur à propria concupiscentia, agro mortalitatis nostræ, has per seipsum vrticas proferente. Tentatio verò *per suggestionem*, in nobis plerunque est interna: cum scilicet Satan idoneorum humorum commotione species ad tentandum accommodatas, priùs sopitas quasi suscitat, & ignem concupiscentiæ cineri doloso antea suppositum vegetat, non absque aliqua prægustatione peccati inde exorta. In Christo, tentatio per suggestionem, fuit merè externa, qualis est in nobis ea qua per congruam obiectorum sensibilium applicationem externam, proritamur ad malum. Sed inde in nobis vel inuitis excitantur motus aliqui; qui, si prorsus desit assensus, sunt innoxij: si autem rudimentum dumtaxat aliquod assensus interueniat, est peccatum leue, quo via munitur pleno consensui; ac ruinæ sanctitatis: Et hæc est quam S. Gregorius vocauit tentationem *per consensum*, quæ in Christo locum non habuit: vt neque tentatio *per delectationem* absque extrinseco incentore natam, vel quæ est *per internam suggestionem*. Affine est ac propè geminum, vt Caietan. Lucæ 22. rectè vidit, quod Christus quem dedecuit interior eruditio & consolatio per Angelum, admisit tamen externam Angeli visibiliter apparentis consolationem per propositionem rationum patiendi, animúmque erigendi, quas rationes optimè habebat perspectas. Christum enim verè admisisse consolationem ad modum prædictum, supra probauimus agentes de tristitia voluntatis n. 228. malè reclamante Vasques 3. p. d. 56. cap. 2. qui Angeli confortationem à Luca narratam, exponit de mera collaudatione eximiæ fortitudinis tunc in Christo micantis: quod respuo, tanquam dissentaneum proprietati verborum Euangelicorum.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

Summam capitis, sic accipe. Affectus in Christo, nec voluntatem superiorem præueniebant, nec ei propriè aduersabantur. Vnde plena fomitis quoad formale extinctio, cum interiorum ad peccata tentationum in

capacitate, consequebatur. Vsum doctrinæ huius capitis, suppeditabit sequens caput.

CAPVT IX.

Exemplar passionum rectè compositarum, & à sordibus nostratibus expurgatarum, in Cardinalibus Christi passionibus sub mortem, ac per tempus passionis.

437. EXcursurus tantisper in argumentum longè pijssimum, simúlque fructuosissimum, & exhibiturus veluti praxes passionum Christi, optimè ac vt hominem Deum decebat compositarum, à nostrisque defectibus liberarum, eas Christi passiones considerandas suscipio, quas elicuit in vitæ meta. Quod enim scitè de more dixit Basilius Seleuciæ orat. 15. vt mors Christi, mortis nostræ exitium, ita eiusdem passio, passionum nostrarum officina medica fuit. Nec minùs eleganter S. Maximus centur. 1. ex variis cap. 14. ait, hominis creatorem factum esse hominem, vt passiones passionibus curaret; essétque passio passionum nostrarum per suas in carne penurias, & susceptas pro nobis passiones. Præterquàm quod nusquam in tota vita, actionum adeò illustrium in omni genere specimina dedit Christus Dominus, quàm in extremo vitæ scemmate. Attingam autem per summum duntaxat verticem Cardinales Christi per tempus illud passiones, in vtroque passionum ordine quatuor: amorem scilicet, odium, desiderium, ac dolorem in classe affectuum partis concupiscibilis. Itémque spem, audaciam, timorem, & iram, in altero ordine: notatis ad vnamquamque passionum prædictarum, quæ Patres considerationе digna censuerint. Neque verò sollicitus ero, quod pleraque affectuum proponendorum exempla, vt ex obiecto formali constabit spectent potiùs ad voluntatem superiorem, quàm ad appetitum sensitiuum. Nam perinde id est ad rem præsentem, quandoquidem ob radicationem potentiarum illarum in eadem anima, affectibus voluntatis, proportionales semper affectus in appetitu correspondent.

Amor.

438. Hæc passio princeps, in Christo Domino per tempus passionis micantissima fuit. Quos enim dilexerat à primo ortus sui principio, in finem dilexit: hoc est cumulatissimè amauit in vitæ meta. Et sanè amor amando crescit; ac in modum ignis, (quod notauit Theodoretus orat. de charitate) quo plus operatur, eo fit auctior; materiæque accessione non obtunditur, sed amplificatur magis. Mirum ergo non est, Christum Dominum, perpetuò per vniuersam vitam antetiorem, incensissimi & in Patrem & in nos amoris exercitio perfunctum, in vitæ limite illustriora amoris argumenta edere voluisse. Egregiè planè hoc expressit Rupertus l. vnico in Danielem cap. 23. vbi supposita candelabri typici accommodatione ad Christum, quam fusè persecutus erat lib. 4. in Exod. c. 8. & pulcherrimè etiam S. August. orat. de 5. hæresibus, qui nominatim ad Christum in cruce positum refert antiquum candelabrum: his inquam suppositis, considerate aggreditur Rupertus quæ sint duæ illæ oliuæ, vna à dextris, altera à sinistris, quas circum candelabrum sibi in visione exhibitas, prodit Zacharias cap. 4. Et oliuam quidem à dextris locatam, interpretatur beneuolentiam Dei in genus humanum, cui per Verbum suum tam multa condidit ac pronidit. At oliuam à sinistris, ait esse Christi charitatem, cùm in Patrem, tum in nos, genúsque nostrum in passione proditam. Idcirco enim ea oliua, à sinistris, id est in cruce & ærumnis exhibita Prophetæ est, per visum diuinitus iniectum. Amori porrò huic, primas inter omnes affectus Christi patientis esse deferendas, intelligere proportione possumus, ex eo quod in prima vniuersi molitione, spiritus Domini ferebatur super aquas: id est interprete D. Augustino q. 8. ad Dulcitium, Deus omnia operatus est, non per subiectionem ad res creatas vti facit amor indigus; sed per abundantiam beneficentiæ, & sanctæ dilectionis ac beneuolentiæ supergressionem. Opus autem redemptionis nostræ, & passionis Christi, colmopeia quædam fuit, vt acutè ac ingeniosè de more animaduertit Rupertus l. 5. de diu. off. à c. 9. Ignata correspondentia dierum hebdomadæ primæ qua mundus conditus est, cum totidem diebus hebdomadæ in qua Christus passus est, à Dominica palmarum qua tantum opus est exorsus, ad Sabathum vsque, quo in sepulchro requieuit ab vniuerso opere quod patrarat. Spiritus itaque Domini & amor Christi, in hac quoque colmopeia, & vera mundi mystici effectione, supergrediebatur: & præ affectibus cæteris in Christo eminebat, cùm erga Patrem, tum erga genus humanum, pro quo patiebatur amore Patris.

439. Contestatus sanè est ipsemet Christus, quod attinet ad amorem in patrem, quas affectus ille partes in hoc opere habuerit, cum dixit Ioan. 14. *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, surgite, eamus:* vtique ad crucem & immania supplicia, quæ præ amore in Patrem nihili duxit. Considerabat enim quanta diuinæ iustitiæ conculcatione, Satan hominem ad se abtraxisset per peccatum: quanta honori diuino plaga, per cladem hominis, eiúsque originem esset illata: perspiciebat bonitatem Dei id à se poscere, vt hominem inter ac Deum conciliator interueniret, & homini ad Deum suum regressuro via fieret. Hic Christus flagrantissimo Patris amore succensus, ad expetitam à Patre hominum salutem, per cruciatus horrendos, per amara & aspera quæque, per probra, sannas, flagella, clauos, crucem, viam sibi generosissimè strauit, illud in seipso factis comprobans, dilectionem fortem esse vt mortem: id est irrumpere quocumque amati res tulerint, nemine arcente, aut prohibente. Omnino comprobauit in seipso, quod de quibusuis diuino amore correptis, & mortem præ dilectione contemnentibus, dictum est à D. Augustino l. de Mor. Eccles. cap. 22. [Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur: quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera, & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum, amatoribus suis Deus sinat esse fortiores: cum ille non amor, sed congruentiùs cupiditas, vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi, ad ea quæ diliguntur indefesso cursu per immania quæque tendentis: argumentóque nobis est, quàm sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi, vt deserant, perferunt.]

Hæc si vulgo ac plebe sanctorum verè ab Augustino dicta sunt, vt & alia pleraque eximia de fortitudine huius sanctorum amoris, quæ ibidem habet cap. 11. quanto verius de Christo dici potuerint, qui præ omnibus Deum dilexit, & de eius summa diligibilitate liquidiorem habuit notitiam? Amor iste in Patrem, Christum ad tam multa tribunalia, demúmque ad crucem, magna cum pernicitate ac gaudio tendere fecit. Est enim id amoris proprium, (quod notauit Theodoretus orat. de charitate S. Petri amorem describens:) est inquam id amori peculiare, vt animam volucrem faciat. Vt propterea dicat Theodoretus, S. Petrum flagrantem desiderio adeundi Christum in littore sedentem, præ Christi amore, voluisse sumptis pennis auolare ad eum quam promptissimè: sed iis per naturam negatis, vsum esse aquis pro ære, manibus pro pennis.

440. Iam

440. Iam si amor humani generis quo Christus in passione flagrauit, attendatur; occurrent quæ nos agant in stuporem. Pro uerua iniquissimo, pro ingratissimo mancipio, pro impijssimo discola, Vnigenitus Patris, & hæres vniuersorum, horrendos cruciatus & tetertimam mortem, admisit lubens. Hinc super omnia incendi oportere amorem nostrum, tradit egregiè S. Bernardus serm. 20. in Cant. Propositis enim variis causis, Dei in nos amorem excitare idoneis, subdit. [Pro his ergo, ita sum amans te quantum possum. Sed est, quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi Iesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis, hoc omnino Amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hæc inquam est quod nostram deuotionem & blandiùs allicit, & iustiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Multum quippe laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illa denique, dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt: at verò hic & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodò dilexit. Adde quod hanc ipsam dilectionem non tribuit, sed addidit. Nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei: sed vt sanctus Ioannes Euangelista ait: *Non quia nos dilexerimus Deũ, sed quia ipse prior dilexit nos.* Denique dilexit nos existentes, sed adiecit & resistentes diligere, iuxta Pauli testimonium dicentis, *quoniam cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Dei per mortem filij eius.* Alioquin si non dilexisset inimicos, nondum possedisset amicos, sicut necdum quos sic diligeret esset, si non dilexisset qui nondum essent. Dilexit autem dulciter, sapienter, fortiter.]

Et erat ille Christi amor omnino purus, veræque amicitiæ, qualem egregiè expressit idem Bernardus serm. 83. in Cant. qui rursus de nostra in redamando nostri amantissimum tepiditate, imo frigiditate & rigore, sic expostulat ad calcem sermonis secundi de Penteoste. [Quàm dulciter Domine Iesu cum hominibus conuersatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es; quàm fortiter, tam indigna quàm aspera pro hominibus passus es: ita vt liceat sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo; duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda: quia in omnibus his, sicut Agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Videsigitur quàm verum dixerit ille qui dixit, *Dominus sollicitus est mei.* Patet vt seruum redimat, filio non parcit: filius se ipsum libentissimè tradit: Spiritum sanctum vterque mittit: & ipse Spiritus, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ô duri & indurati & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. Non enim corruptibilibus aureo vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abundè, quia largiter vndæ sanguinis de corpore Iesu per quinque partes emanauerunt. Quid vltra debuit facere, & non fecit.] Inuitat, aut etiam plané adigit nos, hic amor ad redamandum. Hæc ergo est mensa, ad quam cum sederimus monemur talia nos quoque præparare oportere, quod his verbis docet Petrus Damiani sermone de S. Columba. [Passio Domini, quasi vicaria quædam nobis mensa proposita est, vt quique ad eam inuitati discumbimus, nos etiam similia præparemus: ad quam nos sponsus inuitat in Canticis: *comedite*, (inquit,) *amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi.* Et in prouerbiis Salomonis: *si sederis*, (inquit,) *cœnare ad mensam potentis, considerans intelligè, quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam, sciens quoniam talia oportet te præparare.* Quænam est illa mensa potentis, nisi vnde sumitur corpus, & sanguis eius, quisuam pro nobis animam posuit? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter, ac reuerenter accedere? Ibi quæ nobis apponuntur, considerantes intelligimus, si dignè tanti muneris gratiam cogitamus: & tunc ita manum mittimus vt sciamus, quia talia nos expediat præparare, cum prudenter intelligimus, quia sicut Christus pro nobis mori dignatus est, ita nos pro illo si detur occasio, debemus animas ponere. *Quid enim*, ait Psalmista,) *retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Hinc est etiam, quod dilectæ suæ sponsus in Canticis cum præmisisset, *sub arbore malo suscitaui te*, consequenter adiunxit, *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*: ac si dicat: quia ego te in tantum dilexi, vt per mortem crucis te mortuam suscitarem; tu etiam me alterutrum dilige, méque in tuis non modò cogitationibus, sed operibus, velut integri, atque perfecti amoris signaculum pone. Nam arborem malum, Dominicam crucem debemus accipere, cui videlicet arbori ipsum alibi Christum comparat, dicens; *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.*]

441. Pellicit etiam tantus Christi amor in immerentes, (nam pro impijs mortuus est,) ad amorem proximi. Quis enim non amet, quem Christus deperiit? Chrysostomi argumentatio est in calce homiliæ 27. in ad Rom. vbi computans probrosas voces quorundam exultantium in rebus pessimis, in odio inquam professo plurimorum, illam confutationem sic concludit. [Ne gloriemur itaque, in eo quod magis occultare oportebat: Neque dicamus quæ forentium sunt, & dissolutorum hominum, nimirum, innumeros auersari scio. Sed etiam si alius quispiam hoc dixerit, irrideamus illum potiùs, atque os illius obstruamus, gloriantis illic, vnde magis confundi oportebat. Quid quæso dicis? Auersaris hominem fidelem quem Christus cum infidelis adhuc esset, non est auersatus? Quid dico, non est auersatus? Ita quippe illum adhuc inimicum ac turpem dilexit, vt mortuus etiam pro illo sit. Deinde ipse quidem, illum adeo fortiter, ac talem dilexit; tu verò formosum iam, & admiratione dignum, membrúmque Christi, imo Dominicum corpus factum, dic quæso, contemnis atque auersatis? Non obseruas quid dicas? Non sentis quid temerè audeas? Caput habet ipsum Christum, & mensam, & vestimentum, & vitam, & lumen, & sponsum. Nam omnia illi Christus est, & audes dicere, auersor illum, & non solùm illum, sed & cum illo, innumeros alios? Compesce ac cohibe insaniam istam: agnosce fratrem, disce verba ista stultitiæ esse atque insaniæ. Dic contraria, etiam si me millies fueris auersatus, non tamen deficiam. Atque hoc pacto, & fratrem lucraberis, & ad gloriam Dei coges, bonáque futura adipiscetis.]

Odium.

442. Hunc affectum, sanctum esse, tradit pulcherrimè Origenes l. 9. in epist. ad Rom. ad illud capitis 12. *odientes malum*: sed vsus eius maximè proprius, vt idem subdit, est erga vitia atque peccata omnésque quibus origo peccatorum debetur; Satanam præcipuè, & carnem nostram. Fuit hic affectus in Christo, perfectissimus tempore extremæ vitæ. Quod enim peccati odium, par ei quo Christus flagrauit, cum ad etadicationem peccati, & vt Daniel cap. 9. prænunciarat, vt destrueretur peccatum, sanguinem exhausit suum? Maledictus qui exosam Christo peccati munitionem Iericunthinam, lunari mutabilitate nostra subnixam, tanto Christo labore euersam, instaurare infelicitef aggressus fuerit. In primogenita vita, motti apud Iobum primogenitæ aduersa; hoc est in clade gratiæ sanctificantis in prima generatione mystica acceptæ, iacjet eius fundamentum: & in nouissimæ vitæ, gloriæ inquam æternæ exitio, consummationem apponet. Nos

iussi odisse peccatum exemplo Christi, præposterè odio abutimur ad odium fratrum nostrorum, magna omnino peruersione affectus odij, vt Origenes supra expostulat. Perfectum item, Christi in Satanam principem peccati, eiúsque emissarios odium per tempus passionis, me tacente res ipsa loquitur. Quid amamus quem Christus odit? Quid fidimus inimico, de quo præmoniti fuerámus, ne crederemus ei vsque in æternum?

Illud mirabile ac propè fide carens videri poterit, quod carnem suam quam nemo odio habuit, Christus odio habuerit. Id tamen ipsemet profitetur apud Ioannem c. 12. cum ad Gentilium ipsum videre cupientium aduentum, adorsus de passione sua, & grano frumenti intra terram condendo sermonem; inde sibi moriendum esse contestatus est, quod qui odit animam suam in hoc mundo, eam in vitam æternam custodiat: omnes qui in ipsum creditúri, & æmulatores virtutum eius futuri erant, grauissimè adhortans, ad concipiendum sanctum semetipsorum odium, quale Christus in animam suam, id est in vitam temporalem, & carnem conceperat, & admissa tot perpessionum atrocitate, prodebat. Christus enim non sibi placuit. Æmulemur sanctum hoc Christi in se odium. Id quod eo iustiùs præstabimus, quo carnem circumferimus peccati in nobis originem, & fontem tot cladium nostrarum.

Desiderium.

443. Hæc manus animæ, qua bonum absens captat, & ad illud se exportigit, (sic Philo desiderium nominat;) infinita quadantenus est. Nam oritur ex indigentia, iuxta fabulam Platonicam de ortu cupiditatis ex Poro & Penia. Nostra autem egestas, est quodammodò infinita; in quo Deo assimilamur per contrapositionem; vt sicut ille infinitè actualis est, ita & nos infinitè potentiales simus. Hæc est infinita insatiabilitas, consertæ vnicuique nostrum sanguisugæ, nullis difficultatibus absterritæ à prosecutione boni quod captat, & omnia complanabilia iudicantis, quantumuis prærupta & aspera appareant. Tam vtili affectu, Christus humanam peruersitatem eo abutentem dedocturus, ad salutis nostræ quam deperibat negotiationem vsus est, desiderio desiderans pati pro nobis, ac obire mortem, & donec perficeretur desiderium suum, inde coarctatus. Hunc fuisse ignem, prælatum luculentæ Christi patientis figuræ Isaaco, cum ad sacrificium abduceretur à Patre, dixit egregiè S. Ephrem. tom. 3. serm. de Abraham & Isaac.

Ea porrò fuit æstuositas desiderij nostræ raparationis in Christo patiente, vt ceruæ matutinæ à Psalte sit collatus ea ex causa, interprete Augustino. Nihil item in Scriptura crebrius, horum Christi patientis desideriorum expressione. Et vt protrita dimittam, postulatio illa de qua Psalmo 2. ex Glossa Petri Damiani serm. 12. nihil aliud fuit quàm desiderij expressio, per Christum aduocatum in cruce nostrum. Est enim *postulare*, vt idem obseruat, verbum ferens, quo aduocatus clientis sui causam vrgens, quæ concepit pro eo desideria exprimit. Iure autem dixisse videor, hoc desiderium fuisse in Christo insaturabile: quandoquidem cum posset vno suspiriolo, aut genuflexione nos reparare, tamen tam copiosam esse voluit redemptionem; tóque sibi optauit incommoda, vt scilicet desideriis nostris eorúmque insatiabilitati mederetur. Desideramus enim absque vllo termino opes sæculi, & aggregamus contra nos densum lutum. Eo sanè pertigit hoc patiendi in Christo desiderium, vt etiam mortuus pati voluerit: & quod tunc extincta iam vita pati sensu præsenti non poterat, desiderio anteriore suppleuerit, dum adhuc superstes esset. Heu incogitantiam & supinitatem nostram! Christus tam ardenter salutem nostram desiderauit, tam cupidè omnia ad eam opportuna consectatus est: nos tam frigidè quærimus, quod vnum interest nostra.

Dolor.

444. Hoc affectu, Christus sicut totum hominem saluum fecit, ita totum se & corpore & animo hostiam fecit, iuxta S. Bernardum serm. 3. in Ramis Palm. *ad finem.* Itaque cogitare subit, Christum Dominum qualem eum effinxit Isaias, *virum dolorum*, specie inquam hominis ex dolore compacti, cuius & anima, & omnia corporis membra, sint non modò dolore perlita, sed etiam ita perfossa, vt in dolorem quadantenus transierint.

Animæ Christi, in tempore de quo agimus, dolorem summum, prodidit sudor sanguineus, ex sola dolorum inferendorum prospectione. Nam iuxta Nazianzenum orat. 2. in Iulian. quod quis pati eximit hoc passus est. Itaque cogitatione præsentiens tantos dolores Christus, eósque simul omnes præconcipiens, & meritissimò timens, multo plura passus videri potest, quàm cum inferebantur reipsa singuli. Non adhæreo sententiæ quam ex quibusdam refert Gerso epistola de susceptione humanitatis, & ex Gersone Gabriel tract. de pass. Domini *sub initium*, nempe quod Christus, ab initio, & per totam vitam, illum ipsum accerrimum dolorem senserit, quem per tempus passionis expertus est. Hoc Gerso dicta epistola, veritate, s. 8. & 14. stultitiæ, falsitatis, temeritatis, & præsumptionis damnauit, éstque (vt ait) contra apertam scripturam, quæ prodit, Christum cœpisse tædere. Non igitur priùs eum tædebat, nec priùs pungebatur acri illo doloris sensu quem postea subire cœpit. Præterquàm quòd Christo, abysso illi doloris infossum habens appetitum, non potuisse absque speciali miraculo gaudere vnquam per totam vitam; quod dicere, Gerso notat stultitiæ. Quod igitur affirmabam, illud dumtaxat est, dolorem sub tempus passionis, & in ipso eius vestibulo toleratum in anima, ex prænotione omnium tormentorum simul facta, & ex maxima caritate doloris, veluti core, acerrimum fuisse; & vel æquasse, vel etiam superasse quemcumque Christi cruciatum in passione, ob adunationem omnium simul dolorum intellectu perspicacissimo præconceptam, & perfectissima phantasiæ actione appetitui propositam. Pro eo namque tempore, cessant incommoda quæ aduersus recitatam insulsitatem, ex Gersone sunt prolata. Hunc dolorem animæ Christi, acerbissimum & acerrimum, volo secerni à tristitia voluntatem superiorem occupante, ex obiectis tristibus per rationem superiorem exhibitis. Dolor enim animæ Christi, de quo nunc agimus, per appetitum sensitiuum prælucente phantasia expromebatur, ex redundantia tristitiæ illius, superiorem voluntatem quasi mergentis.

445. Corporis verò dolor, ex totidem partibus compingendus est, quot fuerunt in Christi corpore partes, à planta pedis vsque ad verticem capitis. Nullum enim fuit membrum doloris expers, quandoquidem nullum fuit grauissimo cruciatu vacuum. Caput, spinæ lacerarunt, vultus sputis oneratus, maxillæ ac genæ alapis ac pugnis contusæ, artus claui foderunt, totum corpus flagella exararunt, & horrendis vibicibus deformarunt. Nullus sensus immunis abijt, oculis tristissima species obuersata est: Auribus insonuêre fœdissima opprobria & maledicta: Nares fœtore excruciatæ: Gustui fel & acetum crudeliter admotum, in summa sibi & immanibus angoribus. Tactus toto corpore fœdissimè excarnificato, dirissimè habitus, & nominatim in partibus quas confluxus neruorum faciebat accerrimi sensus. Nulla itaque pars corporis Christi, fuit doloris expers: imò omnes accerrimè sunt excruciatæ, vt propterea Richardus suo cap. 20. in Cant. compo

compoſitos dicat ſanctos Martyres fragmini mali pu-
nici, Chriſtus autem integrum malum fuerit. [Com-
paratur (inquit) eorum afflictio non integro malo, quia
ſimilia Chriſti paſſioni non pertulerunt, nec ſicut ille
pleni gratia fuerunt, ſed de plenitudine eius omnes
acceperunt. Chriſtus enim in patiendo, malo punico
poteſt aſſimilari, quod plenum atque integrum eſt,
quia plenus erat gratia, quæ ei non ad menſuram da-
ta eſt; & totus in pœna rubuit, quia non parua pro
nobis, vel partem dolorum, vel laborum ſuſtinuit; ſed
tan & tam grauia, vt nullus vmquam dolor fuerit
ſicu olor eius; acerbior fuit, & exceſſit dolores om-
nia. minum quos ab initio ſæculi vſque ad finem
eius p ti erant. Oportebat autem acerbiorem eius
eſſe dol rem, vt omnium dolores portaret, quia erat
hoſtia ſufficiens pro omnibus, ſed non efficiens; non
enim omnes ſaluos fecit, quod tamen per ipſos ſtat,
qui non ſaluantur. Ab hora namque natiuitatis labo-
rauit inopia, fuga, perſecutionibus, fame, ſiti, laboribus
multis, & aduerſitatibus. In corde etiam paſſus eſt,
quia incomparabiliter afflictus eſt de hoc, quod acer-
bitatem paſſionis ſuæ antequam ſuſtineret, nouit, &
quod hanc paſſurus erat, certiſſimè ſciuit. In paſſione
quoque, non eſt cruciatus in parte corporis, ſed in toto
corpore. Non enim tantùm transfixa ſunt clauis mem-
bra, ſed ipſum quoque corpus pertulit extenſiones,
pœnam, & flagella, & caput præter alapas, & oculo-
rum velamen, etiam ſpinarum ſuſtinuit punctiones &
vulnera. Quia ergo tam grauiter, & tam multipliciter
paſſus eſt Chriſtus, ideò omnis electorum afflictio;
quoque pro Chriſto, vel Chriſti exemplo pertulerunt,
fragmini tantùm poteſt comparari, quia reſpectu eo-
rum, quæ pertulit ille, parua erunt quæ pati potue-
runt, & tantùm modica pars eorum.] Eodem retule-
rim illud Auguſtini, ſententia apud Proſperum 275.
[Labor plorum, exercitatio eſt, non damnatio. Nec
enim conturbari debemus; cùm aliquis Sanctus grauia
& indigna perpetitur, ſi obliti non ſumus, quæ pertu-
lerit iuſtus iuſtorum, ſanctúſque ſanctorum; cuius paſ-
ſio ſuperat omnes paſſiones: quia cum auctore vniuer-
ſitatis, nulla cuiuſquam eſt comparatio creaturæ.]

446. Atrocitatem huius doloris, aliqui eo vſque ex-
tulerunt, vt dolorem ab omnibus ſimul hominibus
per omne ævum ereptos, ſuperaſſe dixerint, & damna-
torum quoque tormenta exceſſiſſe voluerint. Audi S.
Edmundum in ſpeculo Eccleſ. cap. 23. qui acturus de
Chriſti doloribus ſic habet. [Hîc neſcio quid dicam.
Nam ſi omnes morbi & dolores iſtius mundi, eſſent
in corpore vnius hominis ſolius; & ſi homo ille poſſet
concipere tantam anguſtiam & tantos dolores, ſicut
omnes homines in iſto mundo, parum eſſet aut nihil,
per comparationem ad dolorem quem ſuſtinuit pro
nobis in vna hora diei. Vnde ſi poſſem viuere per cen-
tum mille annos, & qualibet die millies mori pro eo,
eadem morte qua pro me mortuus eſt ſemel, nihil eſ-
ſet in comparatione ad dolorem quem habuit in ſe.
Tunc diceret aliquis, quòd pœna quam ſuſtinuit Chri-
ſtus in cruce pro nobis, fuit maior quàm pœna infer-
ni, in tanta hora: Verum: Et propter iſtam cauſam,
nulla creatura potuit tantum pati ſicut Ieſus, quia nul-
lus habuit in ſe tantum de veritate. Sed aliqua creatu-
ra poteſt pati pœnam infernalem in igne perpetuo, er-
go apparet quod pœna infernalis fuit minor in tanto
tempore, quàm pœna Chriſti. Non dico certitudinali-
ter, propter ſcientiam alicuius gentis. Propter hoc di-
cit Dominus de ſeipſo, per Hieremiam Prophetam; *O
vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt
dolor ſicut dolor meus.* Certè nullus dolor eſt, nec vn-
quam fuit in iſto mundo, ad dolorem tuum, dulciſſime
Ieſu.] Hoc Philiaeus 3. p. de offic. Sacerd. l. 3. c. 29. latè
confirmat. At Gerſo epiſtola de ſuſceptione humanita-
tis Chriſti veritate 13. temeritatis id damnat, éſtque
ſine dubio dimittendum. Certum tamen eſt, Chriſti
dolorem fuiſſe omnino magnum & acerbum, attenta
præſertim corporis Chriſti teneritudine, & acri vi ſen-
ſitiua, ob optimam temperiem: quæ iuncta cruciatuum
immanitate; & hoſtium per quos infligebantur rabie,
dolorem ingenerabat, qualem effingere cogitatione vix
poſſumus. O peccati amaritudo, quomodò mereris vbi
non es ſeminata? Et quomodò verum quod à Iobo
ſcriptum eſt, *ſeminant dolores & metunt eos?* Ille nun-
quam concepit dolorem, & tamen peperit. Heu quo-
modò poteſt ea cogitatio noſtros ſubire, vt audientes
Chriſtum doloribus obtutum, riſum admittendum, &
quod fœdius etiam eſt, captandum exiſtimemus? Sen-
ſa ſunt admodùm pia ſanctiſſimi Patris Ephrem, dolo-
res Chriſti expendentis ſerm. de paſſ. Domini.

447. Vſum doctrinæ de Chriſti doloribus, optimè
attigit Petrus Damiani ſerm. 1. de exalt. S. Crucis, loco
quem ſubijcio. [Excede pauliſper ſenſus carnis, & ir-
ruentia corporearum phantaſmata voluptatum, & in-
tuere diuinæ naturæ bonitatem, ſuauitatem, dignatio-
nem. Meditare poſitionem crucifixi corporis. Vide ſi
aliquid eſt in eo, quod non peroret pro te apud Patrem.
Diuinum illud caput multiplici ſpinarum denſitate
denſatum, vſque ad cerebri teneritudinem confixum
eſt, dum configitur ſpina. *Spinis peccatorum ſuorum,*
(ait Dominus per Prophetam,) *circundedit me populus
iſte.* Ad quid hoc? Ne doleret caput tuum, ne tua vul-
neraretur intentio. Caligauerunt in mortem oculi ſui,
& illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam ex-
tincta ſunt. Nonne illis obtenebrantibus, tenebræ fa-
ctæ ſunt per vniuerſam terram, & illa duo magna lu-
minaria, cum illis luminaribus ſubmota ſunt? Hoc au-
tem totum factum eſt, vt auerterentur oculi tui, ne vi-
derent vanitatem; & ſi viderent, non adhærerent. Au-
res illæ quæ in cœlis audiunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,
Dominus Deus Sabaoth*; audierunt in tertis; *Dæmonium
habes, &, Crucifige, crucifige eum.* Vt quid iſtud? ne aures
tuæ obſurdeſcerent ad clamorem pauperis; ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus apertis, propitiiſque auribus ſuſciperent. Specioſa illa facies ſpecioſi forma præ filijs hominum, ſputis illita eſt, affli-
cta colaphis, addita deluſionibus; ſic namque ſcriptum
eſt; *cæperunt conſpuere in eum, & percutere faciem eius, &
illudere ei dicentes*; *prophetiza, quis eſt qui te percuſſit?*
Quare hoc? Vt facies tua illuminaretur, illuminata
confirmaretur, & diceretur de te; *Vultus eius non ſunt
ampliùs in diuerſa mutati.* Os illud, quod docet Ange-
los, homines inſtruit, quod dixit, & factum eſt, pa-
rumper obmutuit; vt veritatem & iudicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum Deum ſuum.
Manus illæ, quæ fundauerunt cœlos, extenſæ ſunt in
cruce, clauiſque tranſuerberatæ duriſſimis; vt manus
tuæ extenderentur ad inopem, & dicere poſſes; *Anima mea in manibus meis ſemper.* Quod tenemus in ma-
nibus, non facilè obliuiſcimur; ſic & qui animam ſuam
bonæ operationi imprimit, non tradit eam obliuioni.
Pectus illud, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, &
ſcientiæ Dei abſconditi, lancea militari perfoſſum eſt;
vt pectus tuum à prauis cogitationibus mundaretur,
mundatum ſanctificaretur; conſeruaretur ſanctificatum.
Pedes illi, quorum ſcabellum adorare debemus, quia
Sanctum eſt, dura transfixione confixi ſunt; ne pedes
tui feſtinarent ad malum; ſed currerent viam manda-
torum Domini. Quid plura? foderunt manus eius, &
pedes, & dinumerauerunt omnia oſſa ſua. Pro te car-
nem, & animam ſuam poſuit, vt corpus, & Spiritum
tuum ſibi vindicaret. Toto ſe, totum te comparauit.]
Quàm truculenti, qui ſuper dolorem Chriſti vulnerum
addunt, rurſus eum crucifigentes, & oſtentui habentes, in ſemetipſis.

Spes.

448. Hic affectus spectat ad alterum quaternarium propositum, nempe affectiuum partis irascibilis. Micuit verò in Christo splendidissimè, tum quoad materiale, arduas inquam & immensæ operæ difficultates ; tum quoad formale spei voluntatis superioris, cui in appetitu sensitiuo proportionalis affectus correspondet ; Deum videlicet, à quo auxilium, & necessaria subuentio tunc expectanda. Expressum id à Iobo quoad materiale obiectum spei, iuxta S. Gregorium 12. Mor. c. 4. ad illud, *Lignum habet spem ; si præcisum fuerit, rursum virescet, & rami eius pullulant* &c. Lignum enim quod spem habere prodit Propheta, vel de quolibet iusto vniuersè, vel de iniusto accipi posse, cum demonstrasset S. Gregorius, subdit. [Quod fortasse etiam de Domino ipso, scilicet bonorum omnium capite, valet intelligi : Iuxta hoc vtique quod prædiximus, quia de semetipso ait ; *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* S. c enim lignũ vtride, & nos lignum aridum dixit: quia ipse in se vim diuinitatis habuit; nos verò qui puri homines sumus, lignum aridum appellamur. Habet ergo lignum spem, si præcisum fuerit, quia rursum virescit : quoniam & si occidi per passionem potuit, per resurrectionis gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit. Huius rami pullulant, quia resurrectione illius multiplicati, longè latéque fideles creuerunt. Huius radix in terra quasi senuit, quia eius prædicatio, Iudæorum perfidiæ despecta fuit ; & in puluere truncus emortuus est ; quia in corde persequentium, quod perfidiæ suæ vento leuabatur, contemptibilis & despectus est habitus : quia carne potuit occidi. Sed ad odorem aquæ germinauit, quia per virtutem Dei, extincta caro illius, ad vitam redijt, iuxta quod scriptum est ; *Quem Deus suscitauit à mortuis.* Quia enim Deus Trinitas est, extinctam carnem vnigeniti filij sancta Trinitas, id est, Pater & idem Filius, & Spiritus sanctus resuscitauit. Et fecit comam quasi cum primùm plantatum est ; quia illa Apostolorum debitas, quæ in morte illius expauit & negauit, & negando aruit, per resurrectionis eius gloriam rursus ad fidem viruit. In cuius ligni cõparatione, quid omnis homo nisi puluis est?] Omnium propositorum bonorum, gloriæ inquam corporis sui, & exaltationis nominis, post interitum suum consecutæ, spem firmissimam habuit Christus : non obiectiuè tantùm (vt ligna de quibus cortex literæ id affirmat, apud Iobum, quæ dicuntur spem habere, quia de eis sperari potest quod reuirescãt;) sed etiam formaliter, siue per actum veræ spei, ad talia bona innumeris licet obsepta difficultatibus, terminatum.

Formale autem spei in voluntate superiori, ad quod suo modo adrepebat spes in appetitu, diuinum scilicet auxilium Christo speranti obuersans, tamquam firmum omnibus angustijs præsidium, tam sæpè apud Dauidem varijs locis insonat, vt superuacuum fore videatur, loca quædam sigillatim annotare. Nunc enim Psaltes in persona Christi contestatur se in Deum proiectum esse ex vtero, & Deum esse spem suam : nunc Deum vocat firmamentum & petram suam, nunc refugium, nunc protectorem & adiutorem. Eiusdem sunt voces illæ apud Ieremiam cap. 17. *Ecce ipsi dicunt ad me : Vbi est Verbum Domini ? veniat. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens, & diem hominis non desideraui, tu scis. Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur & ne confundar ego ; paueant illi, & non paueam ego.*

449. Hic Christi affectus, maximè sub mortem se prodidit, in tanta malorum addensatione : eúmque etiam adumbrabat Iob, Christi patientis typus planè illustris, vt ex professo tradit Rutrus lib. 2. de oper. Spiritus sancti à cap. 4. At Iobi spem indomabilem ærumnis, & infractam ad horrorem calamitatum quarum vel sola recordatio lectorem exterret, prodit sæpè S. Chrysostomus ; cùm alibi, tum nominatim in homilijs de patientia Iob. Et ipsemet patientiæ adamas, verbis illis expressit, *Etiamsi me occiderit, sperabo in eum*, Christus supra omnem comparationem, perfectus Deo per spem adhæsit, morituros.

Quid nos tale morituri præstamus ? Si vel periculum mortis immineat, omni folio mobiliores, firmitatem ergo diuina promissa labare sinimus : & quod S. Cyprianus l. de mortalit. num. 8. iure deplorat, ita spem abijcimus, vt vix fidem in domo fidei, id est Ecclesia, habere videamur. Et tamen Christi vita & mors spectauit ingenerationem spei in nobis. Audi Augustinũ in Psal. 60. ad illud, *Deduxisti me quia factus es spes mea.* [Ille si nostra spes factus non esset, non nos duceret. Deduxit tamquam dux, & in se ducit tamquam via, & ad se perduxit tanquã patria. Deducit ergo nos. Vnde? Quia factus est spes nostra. Vnde factus est spes nostra? Ecce si quomodò nunc audistis quia tentatus est, quia passus est, quia resurrexit, factus est spes nostra. Quid enim nobis dicimus, quando hæc legimus ? Non enim perdet nos Deus, propter quos filium suũ misit tentari, crucifigi, mori, resurgere. Non enim vere nos despicit, Deus, propter quos filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sic ergo factus est spes nostra. In illo vides & laborem tuũ, & mercedem tuam: laborẽ in passione, mercedem in resurrectione. Sic ergo factus est spes nostra. Habemus enim duas vitas, sed vna in qua sumus, nota nobis est : quã speramus, ignota nobis est. Tolera in qua es, & habebis quam nondum habes. Quomodò toleras ? Vt non vincaris à tentatore, laboribus suis, tentationibus, passionibus, morte sua demonstrauit tibi vitam Christus, in qua es : resurrectione sua demonstrauit tibi vitam in qua eris. Nos enim non noueramus, nisi nasci hominem & mori : resurgere hominem & viuere in æternum, non noueramus. Suscepit quod nouerat, & demonstrauit quod non nouerat. Ideò ergo factus est spes nostra in tribulationibus, in tentationibus.]

Audacia.

450. Feram quæ se intrepidè in venabula & spicula induit, aut vt abreptam sobolem vendicet, aut vt vicissatur iniuriam, vel enasura quaquauersum dederit se via, vocamus audacem. Christus in passione, non semel apud Psaltem exhibetur specie feræ, quam circumstent vndique molossi, agentibus & vrgentibus venatoribus, quibus tandem in prædam cesserit. Sed fera quidem, in vita, & quantum potest obsistens cedit: Christum, nisi ipsemet dederet sese, nulla vis externa subigeret. Audaciam verò prodidit eo maiorem, quod cum posset declinare pericula, & abijs dem imminentibus nullo se negotio expedire, maluit ea generosè adire, & tantis damnis nostra causa, & Patris amore se non subducere ; imò in ea imperterritus irruere. Vnde & vno hoc impetu, sapientissimus inter tres Trinitatis Augustissimæ personas, sedens in Cathedra gloriæ cœlestis, circumstante Seraphinorum & Cherubinorum, cœterorúmque cœlestium militum satellitio, simúlque tenerrimus ligni crucis vermiculus, interfecit octingentos ; totum inquam cœtum iniquitatis, strauit ac fudit, contemplatio est suauissima Petri Damiani ad calcem sermonis primi in Natali Virginum, aptantis ad Christum quod de Danide dicitur 2. Reg. 23.

Et Apostoli quidem, qui cum Christo in primis tentationum veluti flabris permanserant, irruente extremo hoc turbine, auersi sunt à Christo. Ac Paulo etiam ante mortem, cum Christus regressum in Iudæam cogitaret, eóque suos vocaret passionum ac mortis testes

futuros,

futuros ; Thomas vt interpretatur Basil. Seleuc. orat. 40. velut temeritatem inculans ; Quasi verò (inquit :) eamus & moriamur. Non sic est vita prodigenda. Cautiùs & consultiùs est agendum. Vt, vt autem accipiantur verba Thomæ, constat fractam esse Apostolorum audaciam, & fortitudinem extabuisse, ac consumptam esse. Quod interprete S. Gregorio 14. mor. cap. 23. signatum est à Iobo cum dixit, consumptis carnibus adhæsisse ossi pellem, id est paucas pias mulieres. At Christi fortitudo, *ossis* nomine ibi expressa, irruente in eam tanta mole malorum, non est confracta. Quæ etiá causa est, cur, non sint Christo confracta ossa sicut latronibus, vt Christi fortitudo nullatenus occisa aut cõminuta significaretur, vt notauit S. Hippolitus Martyr apud Theodoretũ dialog. 3. Verùs de Christo quàm de Abnere dicatur, illud ex 2. Reg. 3. *Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus es. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati*, (neque enim clauis quibus configebatur adactus, verùm libera voluntate hærebat in cruce :) *sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis sic corruisti.* Christus tanta pericula & mala grauissima, distinctè ac certò præcognita non exhorruit. Nos ad res nihili frangimur, & animo cadimus. Hæc nos audacia, ad audiendum inuitat. Tympanum est Christus in cruce tensus, vt est apud D. Augustinum in Psalm. 33. conclus. 1. & apud Gillebertum serm 42. in Cant. ad illud *vox dilecti pulsantis.* Ad eius tympani pulsum, excitemur & animemur.

Timor.

451. Venter eburneus sponsi vt interpretatur Petrus Damiani serm. 1. de S. Ioanne, infirmitas est iuncta fortitudini. Itaque nihil mirum, si Christus de eius audacia & magnanimitate proximè diximus, nunc timens sit proponendus. Et sancti quidem Martyres, tamesi lutei & instabile habentes fundamentum, tamen adomne carnificis ingenium in tormentis, nihil timuerunt. Christus timuisse proditur : sed timor Christi, eorum fortitudo fuit. Expressum id in carne quæ Adamo suppleta est, pro osse ex quo Euæ ædificata. Auct Augustinum tract. 15. in Ioan. ad illud, *fatigatus ex itinere.* Assumptionem enim carnis, interpretatus iter Dei ad nos, subdit. [*Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Sub hac rerum imagine, Adam qui erat forma futuri, præbuit nobis magnum indicium Sacramenti, imò Deus in illo præbuit. Nam & dormiens accipere meruit vxorem, & de costa eius facta est ei vxor ; quoniam de Christo in Cruce dormiente, futura erat Ecclesia ; de latere eius, de latere scilicet dormientis ; quia de latere in cruce pendentis lancea percusso, Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt ? Sed quare hoc dicere voluit fratres ? Quia infirmitas Christi nos facit fortes. Magna ibi imago præcessit ; potuit enim Deus carnem detrahere homini, vnde faceret fœminam ; & magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim sexus infirmior, & magis de carne infirmitas fieri debuit, quàm de osse, ossa enim carne firmiora sunt. Non detraxit carnem vnde faceret mulierem, sed detraxit os, & detracto osse, formata est mulier, & in locum ossis, caro adimpleta est. Poterat pro osse os reddere, poterat ad faciendam mulierem non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significauit ? Facta est mulier in costa, tanquam fortis : Factus est Adam in carne, tanquam infirmus, Christus & Ecclesia. Illius infirmitas ; nostra est fortitudo.] Causam eiusdem intrepiditatis sanctorum Martyrum, cum tantus fuerit Christi ad mortis occursum pauor, reperit Basilius Seleuc. orat. 32. ex eo quod [Christus in mortem viuentem adhuc, expeditionem suscipit, congrediturque nondum dissecta tyrannide. Adhuc enim iam inde ab Adam, occupato in homines dominatu, magnificè se iactabat mors. Christus morte contrucidata, post futuris eam velut erectam tradidit ad certamen. Ideò ipse velut in viuentem parans impressionem, pro rei veritate se gerit. Apostoli verò morte deuicta & veluti iugulata, & extremum spirante, benè multùm animati, eam inuadunt.] Subdit hanc fuisse causam, cur Christi finis, dicatur *mors* passim in Scripturis ; bellum siquidem illi fuit contra mortem viuentem : aliorum verò qui deinceps secuti sunt ; finis appelletur somnus. Eam quoque esse causam tradit, cur pueri ac puellæ ludibundæ ad mortem cucurrerint, mortem iam iugulatam & exanimem non extimescentes. Hoc ipsum argumentum, cur scilicet Christus mortem timuerit, quàm alacres adieree eius posteri, latè prosequitur Petrus Damiani serm. de S. Columba qui addit & iam propositam ex D. Augustino allegoriam ossis Adamo exempti & suppletæ pro eo carnis ; & hanc quoque fuisse saliuam defluentem in barbam Dauid, pro qua habitus est insanus ; Christus enim patiens, gentibus fuit stultitia & in eo cum summa fortitudine, despectio & infirmitas nostra, ac fluxæ carnis argumenta, timor & tremor apparuerunt.

452. Quis non timeat (exclamat Autor lib. de oper. Card. serm. de passione ;) si timet ille, quem omnia timent, si pauet ille, cui omne genu curuatur ; si ille qui mors est mortis, & morsus inferni, morte propinquante pertimescit ? Nonne ad hoc veneras, & ita futurum ipse prædixeras ? Nonne hoc & signa, & oracula, & vaticinia Prophetarum à mundi initio conclamarunt ? si voluntariè obedisti Patri, & non te vt patereris coëgit necessitas ; Quid quereris, quid causaris ? Nonne tu docueras & instruxeras fideles tuos, vt non timerent eos qui corpus occidunt, quia vsque ad animam tyrannica violentia non attingit ?] Subdit huius in Christo timoris veram causam, vt se hominem Christus probaret, refugiendo tantum malum suum, & nostram ad mortis periculum anxietatem, in se repræsentaret, imò exscinderet.

Ita timuit sub mortem Christus, nec abs re. Amabat se sanè Christus & vitæ suæ pretium agnoscebat, quas causas proponit Aristoteles 3. Ethic. timoris non vani, & iusti metus, etiam in sapiente, cum ingruit mortis discrimen. Quod si Aristippus, vt est apud Gellium l. 19. cap. 1. extimuisse se in tempestate fassus est, quia pericitata erat anima Philosophi, & vita eius venerat in discrimen ; quidni Christus, & multo quidem potiore iure, cum maximè dignus esset viuere, & tam pretiosum bonum perdendum esset, timorem concepit, ad imminentem cum immensa malorum atrocitate mortem probrosissimam ? Ita tamen timuit Christus, vt malis non cesserit : sed cum naturæ concessisset quod debebatur, nobisque exemplar factus, infirmitatis argumenta exhibuisset, obstimatus est in Patris obedientia, contempta confusione, & discriminibus nihil habitis. [Dei Verbum (inquit Iliid. Pelus. lib. 1. epist. 289.) vtvetè humanitatem induit, ita verè omnia ea quæ in hominem cadunt, expleuit. Ad hunc modum passionis quoque tempore calicem deprecatur : hinc illud ostendens, periculis occurrendum non esse : verum, cùm ingressi sumus ad ea excipienda, fortitudinem ac tolerantiam adhibendam. Etenim ipse crucem, cùm adhuc in eum compararetur, detrectabat. At idem iudicis sententia cruce damnatus, eum tanquam victor humeris tollens incedebat.] Ita & nos faciamus.

Contemptam à Christo confusionem, nec admissum ea ex parte timorem dixi, quia pudor ignominiæ pro nobis subeundæ, non auocauit Christum à proposito perficiendæ salutis nostræ. Egregiè S. Bernardus serm. ad Milites Templi cap. 10. [Ascendit crucem calnus noster, mundo pro mundo expositus : & renelata facie ac discooperta fronte, purgationem peccatorum faciens, probrosæ & austeræ mortis tam non erubuit ignominiam,

ignominiam, quàm nec pœnam exhorruit, vt nos opprobrio sempiterno eriperet, restitueret gloriæ. Nec mirum. Quid enim erubesceret, qui ita lauit nos à peccatis; non quidem vt aqua diluens, & retinens sordes, sed veluti Solis radius desiccans, & retinens puritatem? Est quippè Dei sapientia, vbique attingens propter munditiam suam.]

Ira.

453. A facie iræ columbæ, extimescendum denunciabat Propheta, sed & Apostolus iram agni memorat Apocal.6. Verum ea ira, agni erit iam non agni, sed versi in leonem aduersùs peccatores. Christum verò per tempus passionis, cum in humilitate iudicium eius sublatum est, iram prodidisse, operosum videretur ostendere, nisi Scripturæ id testarentur, & apertè Patres exprimerent. Sanè Matth.21. in ipso passionis aditu, (quippe post ingressum solemnem in regiam vrbem, & pompam palmarum,) subijt Christus templum, & cum ita eiecit vendentes ibi & ementes, mensasque nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, proludens per eam iram sanctissimè ac meritissimè conceptam, iræ qua Satanam erat eiecturus è templo Domini, ac tyrannide sua exturbaturus. Paulo vlteriùs, metam versus progressus, hoc est sub vltimam cœnam, impijssimi & ingratissimi discipuli obfirmatione in nequitia, *turbatus est spiritu, & protestatus est, ac dixit, vnus ex vobis tradet me.* Qualis ea turbatio fuerit, sic exponit S. Cyrillus lib.9. in Ioan.c.13. Christus [ideò turbationis quandam figuram & iræ ostenderit, quemadmodum etiam quando Lazarum suscitauit, fecisse scribitur. Fremens enim spiritu ac turbatus, (inquit) venit ad monumentum. Nam quemadmodùm ibi minas aduersùs Mortem, *fremitum* appellauit; sic in hoc, motum (vt ita dicam,) aduersùs impietatem proditoris, *turbationis* nomine denotauit: Iure autem molestè ferebat scelera illius, quia vnà cum alijs discipulis magnis affectus honoribus paruo argento amorem Christi repulit: Et dum panem eius manducaret, calcaneum aduersùs ipsum eleuauit: non gloriam illius, non societatis leges, non pietatem vt Deo illi deditam, non quicquam aliud mirabilium recordatus: sed detestabilem solummodò parumque Iudæorum respiciens pecuniolam, qua suam animam vendidit, qua innocentem atque iustissimum sanguinem, manibus tradidit impiorum. Quare non iniuria turbatur Dominus.] Hæc spectant ad Christi patientis, aut ad passionem se accingentis, conceptam in Satanæ satellites iram.

In ipsum verò Satanam per idem tempus exarsit maximè. Quod ad hunc modum ab Esaia in Christi persona expressum est c.63. à versu 3. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, & non erat auxiliator: Quæsiui & non fuit qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea, ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum.*]

454. Hæc enim in Christum per passionis tempus caderè, & designare iram tunc ab eo expromptam in Satanam, Theodoretus ad illud Cant.8. *quæ est ista quæ ascendit de deserto*, rectè annotauit. Eodem pertinuit clamor Christi postremus, sub momentum efflandi animam. Præter priorem enim clamorem de quo S. Matth.c.27. versu 46. quem ptiorem clamorem, fuisse mistum lachrymis, Apostolus ad Hebræos cap.5. prodidit, postmodùm cum dixisset *consummatum est*, iterugijt Christus clamore magno & inarticulato, post quem clamorem addidit verba inter quæ expirauit, vt S. Lucas c.23. testatur: vt propterea dictus sit expirasse sic clamans, id est non efferendo postremas illas voces quibus animam Patri commendauit, sed immediatè ante eas; atque adeò moraliter loquendo, sic clamans expirarit. Ita apertè colligitur ex Græco contextu. Nam apud Matthæum quidem cap.27. quia significandum erat Christum emisisse primum clamorem inter alloquendum Patrem, & proponendam derelictionem suam dicitur ἀνεβόησεν ὁ Ἰησοῦς φωνῇ μεγάλῃ λέγων Ἠλὶ, Ἠλί. En in præsenti tempore, *dicens clamauit*. Mox verò vbi secundus clamor describitur, ait Matthæus ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα: vbi noster quidem vertit *clamans* quia nulla est Latina dictio quæ commodiùs respondeat Græco illi Aoristo. Sensus tamen esse debet, *cùm clamasset, emisit spiritum*, sicut apud Lucam cap.23. Καὶ φωνήσας φωνῇ μεγάλῃ ὁ Ἰησοῦς, εἶπε, Πάτερ, &c. En φωνήσας εἶπεν, id est *cum clamasset voce magna, dixit*. Quæ verba apertè ferunt, Christū priùs clamasse, postea protulisse extremas illas voces quibus spiritum Patri commendauit. Clamor iste conclamatio fuit in Satanam, & sonantissima insultatio in prostratum, cum multa indignatione, ob summam in Deum, & Christum ipsum, genúsque humanum ad illud vsque momentum exertam improbitatem, funditus tunc exscindendam Christi morte.

455. Hæc breuiter de Christi sub passionem & extremam vitam passionibus cardinalibus dicere visum, vt intelligeremus quis fuerit Christi appetitus, & quale cor eius cui appetitus insidet: indéque stimularemur ad similiter regulandas & fœnandas cordis nostri passiones. Fuit cor Christi, cum in omni vita, tum in extrema præsertim, cor bonum & optimum. Idque à nobis in eo maximè statu perspici voluit; quod ex admissa eius per lanceam perfossione, piè admodùm eruit Autor tract.de pass. Dom. sub allegoria vitis apud S.Bernardum c.3. vbi de Christi corde, & nostri cordis ad Cor Christi coniunctione, fusè ac pulchrè. Iustum profectò fuerit, in huius cordis contuitu & subingressione, hominem excordificari: quod Angelis in Christum intendentibus contigisset, ipsimet Angeli Ecclesiam alloquentes sunt professi, interprete Gregorio Nysseno hom.8. in Cant. *sub finem*. Pudeat non eodem affici sensu pietatis erga cor Christi, quo tactam, imo oppressam Sigismundam Tancredi Salernitani Principis filiam, scribit Æneas Sylnius. Cum enim furiosum filiæ sponsum Guiscardum, Tancredus occidi imperasset, & eius cor aurea in patera ad filiam transmisisset; affectuum flagrantissimorum æstui impar Sigismunda, pateram cordi suo admouens, inter tenerrima dilecti cordis alloquia, efflauit animam. Multò iustiùs, similem sensum deposcit à nobis cor Christi, sedes passionum sanctissimarum erga nos.

CAPVT X.

De perfectionibus humanæ Christi facultati exequentis.

456. HVmana Christi facultas exequens, physicè & entitatiuè spectata, non est alia quàm vis motrix corporea. Nam neque in nobis alia est facultas, exequens voluntatis iussa, quàm facultas motiua. Illa ipsa tamen facultas, in Christo accipit perfectionem longe maximam: ita vt cum ex se & suapte vi intrinseca, non sit idonea nisi ad causandum motum, tamen per supernaturalis illius perfectionis communicationem, (quicquid tandem sit ea perfectio, de qua mox) fiat patratrix operum mirabilium & potentia miraculorum appelletur. Delirarunt enim, qui potentiam miraculorum in Christo censuerunt fuisse non perfectionem potentiæ exequentis, sed Christi imaginationem: in quibus refellendis operam propè immeritò

meritò ludunt Medina 2.paren. cap.7. & Delrio lib.1. Mag cap.3.q.3. Nec minùs desipuerunt, qui eandem Christi potentiam voluerunt esse temperamentum; vt Medina eodem loco, & Delrio cap. proximè notato q.2.tradunt. Quid enim proportionis est, cum effectibus mirabilibus, & imaginatione vel temperamento?

Exequens Christi potentia, verorum & non Magicorum mirabilium, causa.

Potentia ergo miraculorum, alia entitatiuè non fuit quàm vis in Christo exteriùs exequens, accessu supernaturalis perfectionis prouecta ad decus & titulum potentiæ miraculorum. Vis autem externa exequens, vt præmisi, & constare etiam potest ex tractatione potentiarum; alia in homine non est supra voluntatem efficacem, quàm vis motrix, eique in Christo peculiariter adiuncta haberi potest perfectio patrandorum mirabilium operum supra naturam, quatenus Christus vix patrabat miracula nisi adhibito contactu, aut extensione manus, vel corporis inclinatione, aut vocis formatione, quæ omnia sunt partus facultatis motricis. Itaque meritò in potentia Christi motrice tamquam in vi naturali exequente subordinata voluntati & appetitui, considerabimus perfectionem illam insignem qua Christus donatus est, vt miracula ederet.

457. Miracula inquam, vera & realia; quod statuendum est primo loco. Vbi enim cerebrum habuisse dicemus hæreticos illos, quos Lucas Tudensis l.3. contra Albigenses c.1. affirmasse refert, Christi miracula quæ legimus, fuisse dumtaxat mystica, v.g. dictum esse Christum illuminare cæcos, quia spiritualem cæcitatem depulit: & excitare mortuos, quia vitam spiritualem restituit? Quæ est manifesta mentis motio; cum Euangelium tam clarè prodat edita esse à Christo eximia opera, non mysticè tantùm, sed etiam reipsa vt sonant verba. Itaque hæretici illi planè delirabant. Non erassent tamen, sed verissimè censuissent, & dixissent, externa Christi opera & mirabiles ægrorum curationes, signa fuisse internarum curationum animæ. Et hac ratione egregiè planè de Christi miraculis philosophatur Lactantius l.4.cap.26. monstrans sigillatim, cœcorum, surdorum, mutorum, claudorum, leprosorum, admirabilem curationem per Christum factam; ipsámque etiam mortuorum excitationem, gessisse figuram miraculorum spiritualium quæ Christus in animabus operabatur, totum hominem sanans, vt S. Augustin. acutè obseruauit ad illud Ioan.7. *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabatho.* Et optimè etiam serm.44.de verb. Dom. Nec in curationibus dumtaxat corporum, sed vniuersè planè in quibusvis miraculis & operibus Christi, aliud videbatur, aliud suberat. Similitudo enim & typus futurorum, erat quodcunque fiebat in corpore, ait Origenes, præclarè id elucidans hom.6.in Esaiam ad illud, *videmes videbitis.* Itaq; orat, vt dupliciter videat res Christi. Et hoc sensu l.2.contra Celsum *sub finem*, exponit quomodò discipuli Christi maiora horum facturi dicantur; nempè quia sanaturi ipsi erant animas, Christo corpore sanante, si solum spectaretur quod faciebat exteriùs; quamuis cognoscat, reipsa animas quoque sanasse Christum S. item Athanasius homilia nona in illud *ite in castellum*, visibiles per Christum editas sanationes, docet fuisse argumenta inuisibilium sanationum; & cætera Christi signa, fuisse Symbola mirabilium intelligibilium. De signis quæ Marci vltimo edenda promittuntur, idem habet S Bernardus serm de Ascens. Fuisse igitur Christi miracula omnino vera & realia, fixum & ratum esto, etiamsi verissimum quoque sit, patrata esse à Christo spiritualia miracula & mystica.

Statuendum verò præterea consequenter est, miracula illa, non magica extitisse, quæ ferè sunt ementita, nec aliquid continent supra vires vniuersæ naturæ, vt dissero in Natur.Theol. dist.4. à num.332. sed fœtus potentiæ Christi supernaturalitet operantis fuisse. In hoc puncto, reclamarunt olim Iudæi, & Ethnicorum plerique. Refert enim Ludouicus Viues lib.3. de verit. fidei c.11. Iudæos Christi miracula retulisse ad magicam pronunciationem nominis Dei. Quod item S.Epiphan.hær.30. refert ex Iosepho Comite, narrante id iactare, Iudæis suo tempore fuisse solemne. Fuit autem Iosephus æqualis Constantini Magni, eique percarus, & ex Iudæo Christianus. Quod igitur Babylonios sibi persuasisse Autor est S.Isidor. Pelusl.1.epist.19. nimirum prolatione nominis Dei patrari posse quæuis miracula; hoc Iudæi ad eleuanda Christi miracula obtrudserunt, affirmantes eum arte quapiam ad notitiam diuini nominis perrepsisse, indéque factum miraculorum patratorem. Ethnicis idem ferè visum. Hinc enim illæ apud Arnobium l.1. num.27. calumniosæ & pueriles, (vt vocat Arnobius) de Christo voces. [Magus fuit, clandestinis artibus omnia illa perfecit: Ægyptiorum ex adiitis, Angelorum potentium nomina, & remotas furatus est disciplinas.] Similiter apud Origenem Celsus l.1. ista effutit. [Mirificas Christi virtutes conatus calũniari quasi Magicis artibus non diuina vi editas, ait eum clam educatum, & in Ægypto mercede famulatum, peritum mirificarum eius gentis artium, inde reuersum; quibus fretus, pro Deo se haberi passus sit.] Idem iteratur in ipso illius libri fine, vbi Origenes id refellit & morum mutatione Christum consecuta. Latè quoque impactam Christo Magiam refellit l.2.eiusdem operis, *sub finem.* Tandem Hierocles apud Lactantium l.5.c.3. ex hoc item capite, miracula Christi depressit. Ab istis (Arnobio inquam, Origene, Lactantio,) atrocis calumniæ confutatio plena petatur. Mihi satis supérque ad eam conuellendam videtur, quod Magia per Christi doctrinam passa excidium, non possit fingi ab eo adhibita.

Quid sit ea potentia, error Nouatorum, explosus, Recensita Catholicorum placita.

458. Sic supposita veritate operum Christi mirabilium, & eorum exortu ab illius potentia, ad perfectionem eiusdem potentiæ veniamus. Ea verò perfectio quid sit, dubitatum est, & cum hæreticis, & inter Catholicos. Nam hæretici quidem, vt semper in deuexum abripiuntur, perfectionem illam censuerunt esse diuinam ipsam omnipotentiam, quæ tamquam forma accesserit facultati humanæ exequenti: ita vt Christus, non modò vt Deus, sed etiam vt homo, sit omnipotens. Non est tamen quod in huius erroris confutatione tempus consumam. Superiùs enim monstratum est, formalem illam diuinorum attributorum communicationem, humanitati Christi eiúsve facultatibus factum, esse errorem exploratum ex Eutychianismi cœnoso fonte manantem. Qui enim naturas in Christo secernere, & vnicuique absque confusione assignare suas dotes & perfectiones proprias nouerit, vt fides contra Eutychetem docet, sine dubitatione vlla pronunciabit, humanitatem in Christo non esse Deitatem: atque adeò neque humanitatis facultates naturales, esse atttibuta diuinitatis. Non igitur perfectio potentiæ Christi exequentis, est ipsa Dei omnipotentia, formaliter communicata Christo vt homini, provt Sectarij prædicti deliratunt.

459. E Catholicis verò quidem senserunt, in Christo perfectionem supernaturalem cuius accessu ad potentiam naturalem exequentem, constituitur potentia miraculorum, esse qualitatem aliquam permanentem diuinitùs adiunctam, à qua immediatè prodeat actionum mirabilium executio. Ita Paludan. & Capreolus

Capreolus in 4.d.1.& Ferrar.4.contra gent.cap.56.Alij autem, loco illius qualitatis, effluxum nescio quem transeuntem, & motum diuinitus impressum in facultatem Christi exequentem, cum opus aliquod supra vim naturæ patrandum erat, inuexerunt. Non pauci, entitatem naturalem potentiæ Christi exequentis, aut etiam ipsius substantiæ humanæ Christi, dixerunt accessu diuinæ assistentiæ extrinsecæ euectam esse ad physicè efficiendum opus naturalibus suis viribus longè sublimius: nec aliam quærendam esse perfectionem supernaturalem, penes quam potentia Christi exequens dicta sit potentia miraculorum, ediderítque mirabilia illa & naturam longè excedentia opera, quæ constat Christum patrasse. Sicut enim iuxta probabiliorem sententiam philosophicam, instrumentum connaturale v. g. calor, assumitur ab igne ad concausandam physicè ignis substantiam; ita vt quamuis suapte natura calor non esset idoneus nisi ad producendum calorem, tamen per solam coniunctionem cum igne, nullo intrinseco ad calorem adiuncto, efficiatur potens ad causandum efficienter ignem productum, qui vna indiuisibili actione ab igne simili & calore igni coniuncto exoritur: Ita iuxta hos Auctores; entitas naturalis sustolli diuinitus potest ad producendum effectum supernaturalem; non vi additamenti alicuius ad entitatem naturalem facti diuinitùs, sed vi ipsiusmet naturalis entitatis, roboratæ & completæ per accessum diuinæ assistentiæ: hoc est per coniunctionem diuinæ omnipotentiæ extrinsecùs vegetantis instrumentum naturale, quod sustollit ad sic operandum supra vires suas: sicut ignis sustollit calorem ad producendam alterius ignis substantiam, cui calor solitariè agens impar foret. Hanc recentiores, vocant *potentiam obedientialem actiuam*, & per eam fieri putant effectus plerosque supernaturales. vt productionem gratiæ, per entitatem materiæ aut formæ Sacramenti; productionem corporis Christi, per verba Sacramentalia; cruciationem dæmonum & animarum separatarum, per ignem; ac nominatim Christi miracula, per facultatem eius exequentem, aut naturalem humanitatis entitatem. Agnoscunt eam potentiam obedientialem actiuam sic expositam, Suares tom.1.3.p.d.31.serm.6. & tom.3.d.9.sect.1. & 2.& t.4.d.46.sect.2.à n.20. & lib.6.de gratia cap.5.& 6.Albertinus 2.principio complexo Coroll.1.Henriq.lib.1.summæ cap.16.num.1. & cap.18. Hieronymus à Rua controu.8. Schol.parte 3. Bellarminus l.2. de Sacram. in genere cap.11.Valen.3. p.d.3.q.3.p.1. Alanus lib.de Sacram. in genere cap.35. & 36.Pesantius 3.p.quæst.13.disp.2.& 3.& quæst.62. art.1.disp.1.& seqq.Aluares 3.p.d.38.& 66.Hurtadius disp.9.phys.sect.14. Fonse.9.Metaph.cap.1 q.4. & alij quos isti proferunt; quibus omnibus se in iuuentute præiuisse, excogitata primùm ea sententia gloriatur Zumel.1.2.quæst.12.art.1.disp.3. Sed si Carthagenam audias disp.3.de Sacramentis,difficultate 2.c.7. ridebis vpupam glabram, & coruum alienis quibus se conuestierat plumis exutum. Verba Carthagenæ sunt. [Continere me non possum, ne dicam & sentiam, subtilem hanc sententiam in mentem eius (Zumelij) nunquam cecidisse; sed sicut innumera alia ex scriptis Suares transcripsit,prelóque mandauit;ita & hanc opinionem ab eo didicit: & nunc tanquam sui ingenij abortiuum, & infelicem partum illam venditat.] E contra verò alij, in potentiam prædictam magna concitatione efferbuerunt, illam damnantes vt impossibilem, & intelligibilem, cum velit dari actum secundum sine actu primo, & actionem admittat prodire à principio quod nullam vim respectu eius confertam habeat, ac ne inchoatam quidem. Ita Vasques 1.p.q.17 6.c.3.& 4.& 3.p.d.37.& 132. Ragusa tom.1.3 p.d.107. Carthagena disp.3. de Sacram. Ægid. Coninc.3.p.q.62.à num.112.Becanus tract.de Incarn.c.10.Lorca 2.2.s.3. disp.4.à n.21.& alij quos isti allegant. Imò eam sententiam Pelagianismo sordere, censuit Astric.q 6. de gratia Christi; & Cabrera 3.p.quæst.13.art.2.disp.4.§.7. eo quod iuxta eam sententiam, vis aliqua naturalis & congenita,possit principiare actionem supernaturalem, tanquam vera causa efficiens.

Iudicium de ijsdem placitis, prout ad qualitatem addititiam, motúmve recurrunt.

460. Mihi nulla propositarum sententiarum, satis arridet. Quanquam diligenter singulas excutere, & radicitùs euellere, consilium non in eo: quod res foret prolixæ operæ,& non magis sit huius instituti propria, quàm plurimorum aliorum in quibus æquè tradi posset; & verò à varijs quos protuli occasionem excurrendi vbiuis arripientibus, tradita est. Propriaverò sedes huius difficultatis, esset tractatio de diuina omnipotétia, eo quod spectet ad agnitionẽ omnipotentiæ diuinæ, perspicere, an sic possit assumere quamcunque creaturam supra captum suum, & vim nudam naturalem: & alioqui cum ea quæstio excitari possit circa res omnes creatas, nec tamen par sit eam vbiuis agitare, consultiùs iungitur expensioni causæ primariæ, cui vis hæc creaturarum instrumentaria, subordinetur & subiungatur necesse est, si dari posse supponatur. Quare obiter tantùm, aperiam quid in sententijs propositis existimem verum, quid repudiandum: quo item pacto de hac perfectione potentiæ Christi exequentis, statuendum sit, breuiter explicabo & confirmabo, rescisis cæteris quæ communia sunt, nec specialiter faciunt ad hanc causam.

Qui humanitatem Christi, eiúsque potentiam exequentem, putant immissione qualitatis alicuius fuisse perfectam, vt posset opera supernaturalia efficere; manifestè refelluntur: quia certum est, admittendum esse potentiam obedientialem passiuam, quæ immediatè & absque additamento vllius principij supernaturalis, subiectiuè causet formas supernaturales creatmis rationalibus communicatas, v. g. gratiam sanctificantem. Si enim quis dicat, eam formam recipi in anima interuentu alterius qualitatis sepernaturalis; interrogabo de hac ipsa qualitate, an ipsamet immediatè adueniat subiecto naturali, an mediante alia qualitate. Si primum, falsò igitur affirmabatur, potentiam obedientialem passiuam non consistere in ipsa naturali entitate animæ. Si secundum, progrediemur in infinitum. Nam de ea supernaturali qualitate quæ est ratio recipiendi aliam, scisitabor quomodò recipiatur in anima, & ita deinceps. Ex quo manifestè liquet, potentiam obedientialem passiuam, statui non posse in forma addititia. Atqui par omnino est ratio potentiæ passiuæ, & actiuæ, quoad rem præsentem: quia vtraque est causa, nec est difficilius Deo, sustollere entitatem naturalem ad agendum supra naturam suam absque impressione vllius formæ, quàm (quod reipsa præstari ab eo vidimus,) circa potentiam passiuam, entitatem naturalem sustollere, ad causandum subiectiuè formam supernaturalem absque additiæ vllius formæ interpositione. Accedit argumentum validissimum, quod petitur ex efficacia animæ, & potentiarum eius naturalium,in actus vitales supernaturales. Nam indubitatum est, actum fidei tametsi supernaturalem essentialiter, verè effici ab intellectus facultate naturali, diuinitus quidem adiuta; siue per sola auxilia transeuntia, siue etiam per habitum; ita tamen vt ipsa intellectus entitas naturalis influat reuera in talem actũ; qui cum sit vitalis, exigit concursum facultatis vitalis; ita vt secundùm sententiam valdè receptam, planè repugnet actum illum à solo Deo effici, absque influxu actiuo immediato facultatis creatæ. De actibus pœnitentiæ supernaturalibus voluntatis, eadem ratio est; & nam

nominatim de libero consensu, ad quem certum est voluntatem non se habere merè passiuè, sed verè ad eam cooperari, vt definitur in Tridentino sess.6.cap.5. & can.4. intorto in negantes Anathemate. Igitur potentia obedientialis actiua, in intellectu & voluntate, non est statuenda in qualitate aliqua supernaturali, quæ sit tota agendi ratio. Similiter itaque in Christi humanitate, supernaturalis perfectio potentiæ exequentis, non potest dici esse qualitas additiua. Quæ verò esset illa qualitas? Tam varia siquidem, & tam diuersi ordinis opera per hanc potentiam edi potuerunt, vt incredibile sit, vnicam formam potuisse ad tam multos tamque discrepantes effectus producendos sufficere. Deinde si forma illa esset naturalis, inepta esset ad productionem plurimorum effectuum à Christo per potentiam prædictam producibilium. Si verò esset supernaturalis, non congrueret plerisque effectibus meræ naturalibus, nec nisi secundùm modum supernaturalibus eidem potentiæ respondentibus. Quare additiua illa qualitas, euertitur vndecumque.

Eadem porrò operâ, euersum est placitum eorum, qui aiebant perfectionem qua Christus fiebat potens ad edenda miracula, aliud non fuisse quàm motum superadditum naturali entitati. Nam motus ille non potest esse localis, quia hic est planè alienus à compienda vi actiua naturalis facultatis ex se impotentis ad causandum. Esset igitur alteratiuus, qui est productio alicuius qualitatis. At iam vidimus, qualitatem additiam non posse constituere perfectionem de qua agimus. Hæc dixerim de prædicto placito, intellecto iuxta verborum corticem. Nam cum varij verè illud interpretentur, vt videre est apud Carthaginam disp.3. de Sacram. difficultate 2. cap.3. existimo liquere, permultos qui nominetenus ita sentire videntur, reipsa longè aliter sentire, & nomine *motus* nihil aliud intelligere, quàm vsurpationem passilem instrumenti diuini, v.g. potentiæ Christi naturalis à Deo assumptæ ad hoc vel illud patrandum: qua ratione perfectio de qua agimus, non statuitur in vlla qualitate, vel in vllo actu primo diuinitùs producto in re naturali quæ ad aliquid supra naturam edendum assumitur, quod vnum nunc intendimus reijcere.

Non repugnare Potentiam Christi exequentem, esse naturale quippiam diuinitùs assumptum, monstratur exemplis.

461. De ijs qui potentiam miraculorum in Christo exponunt per nudam entitatem humanitatis, vel potentiæ exequentis naturalis, diuinâ assistentiâ extrinsecâ euectam ad agendum physicè suprà naturæ suæ vires; duo dico. Primum est, hanc eorum sententiam, nihil affirmate aut impossibile, aut periculosum. Omnino enim verum existimo, posse Deum humanitatem Christi, vel naturalem eius potentiam exequentem ita sustollere, vt producat physicè quicquid siue naturale siue supernaturale voluerit Deus per eam produci. Quod æquè dico de omni alia entitate, etiamsi diminuta & infirma. Hoc mihi persuader plenum Dei in creaturas quascumque Dominium, quod ferre videtur, vt Deus possit eas assumere ad vsum quemcumque non repugnantem. Inter eos autem vsus, vnus est, vt per creaturam actiuè coefficientem producatur quicquid Deus volet. Confecta res est, si monstretur eum creaturæ vsum non repugnare. Nam quin hic sit aliquis vsus creaturæ, & quin sint concedendi Deo vsus omnes creaturæ, qui repugnantiam non inuoluunt, nemo sanus dubitabit; Primùm argumento ducto ex duobus exemplis iam supra adhibitis, deinde depellendo contradictiones quæ ab aduersarijs sunt propositæ.

Exempla sunt, potentiæ naturalis passiuæ diuinitùs assumptæ ad causandum subiectiuè ens supernaturale, puta gratiam sanctificantem, vel vnionem hypostaticam; & virtutis naturalis potentiarum vitalium diuinitùs assumptarum ad productionem actuum essentialiter supernaturalium, quos nulla vis creata posset seipsa producere. Sanè entitatem animæ nostræ, subiectare verè ac propriè atque adeò causare passiuè entitatem supernaturalem gratiæ sanctificantis, perspicuum est. Vis autem subiectiuè causatiua formæ supernaturalis, non potest esse vis nuda naturalis: alioqui deberetur ei connaturaliter concursus ad subiectationem prædictam, quod constat falsum esse. Itaque est obedientialis; siue est ipsa naturalis entitas subiecti, prout interueniente diuina assistentia, assumitur ad causandam formam, quæ attentis omnibus ei internis, transcendit vim naturalem passiuè causatiuam. Quidni ergo similiter entitas naturaliter inidonea ad aliquid effectiuè causandum, possit diuinitùs sustolli ad physicè efficiendum effectum superiorem, aut quemcumque effectum placuerit Deo per eam fieri?

In hoc argumento eludendo, laborat Vasquez 1.p.d.176.num.43. & inutiliter profectò laborat. Ait enim disparitatem esse inter causam efficientem & passiuam, quod hæc ad patiendum & recipiendum, concurrat per suam potentiam naturam, quæ est prima causa recipiendi: causa verò effectiua, non possit esse instrumentum ad quidlibet efficiendum. Hanc dico esse manifestam principij petitionem, & inanem circulationem. Nam cum assignandum esset discrimen, ob quod causa passiua assumi potest ad causandum subiectiuè supra suas vires, & idem dici non possit de causa actiua; respondetur, causam passiuam assumi posse, quia seipsa pacitur; non item actiuam, quia non ageret seipsa. At argumentum concludit, potentiam actiuam posse assumi ad quidlibet agendum seipsa, æquè ac potentia passiua assumitur ad causandum passiuè quidlibet. Exemplum ergo propositum, non incongruè monstrat producibilitatem cuiusvis effectus, per quamlibet causam diuinitus ad id à Deo delectam.

462. Nec minùs validum est exemplum alterum, nempe actuum vitalium supernaturalium, quorum tota entitas efficitur per entitatem naturalem intellectus, diuinitùs adiutam, & assumptam ad attingendos illos effectus, ad quos ea vis actiua spectata nudè per suam vim naturalem, esset inidonea. Æque igitur posset Deus vti entitate intellectus aut voluntatis, ad producendum quidlibet aliud. Facilè verò præcluditur effugium quod Vasquez 1.p.d.176.num.28. adhibet, nempe quod in prædictis facultatibus sit vis inchoata ad actus quos respiciunt: v.g. in intellectu ad intellectionem, etiam supernaturalem; quia in intellectione naturali cui essentialiter addicitur, includitur genus intellectionis supernaturali & naturali commune: qui respectus cum non repertiatur in quibusvis alijs entibus ad hos actus & alia quæcumque comparatis, deest illis vis inchoata ad eorum productionem, complebilis per diuinam assistentiam indebitam. Hoc inquam effugium, præcluditur faciè. Gratis enim in eo assumitur quod erat ostendendum; nempe quod intellectus habeat vim naturalem inchoatam respectu intellectionis supernaturalis. Nam cum hæc forma sit essentialiter ordinis superioris, & in ea gradus genericus, non producatur physicè seorsim à gradu differentiali, sed ambo sicut sunt physicè vna entitas, ita vnica & indiuisibili actione efficiantur; manifestè talis intellectio superat vim naturalem intellectus. Si igitur nihilominùs interueniente assi-

ſtentia diuina ſupra naturam, facultas intellectus ſuſtollitur ad operandum formam quæ planè ſuperat vires eius; oſtendendum ſupereſt aduerſario, quomodò quodlibet ens, non poſſit ſimiliter cauſare effectiuè quoduis aliud ens, cum intellectus æquè diſtet ab intellectione ſupernaturali, ac alia quæuis entitas ab omni alia entitate. Itaque hoc quoque exemplum, commodat præſenti negotio: inuátque ad agnoſcendum defectum repugnantiæ in productione cuiuſvis effectus, per quamcunque entitatem à Deo coadiuuante vſurpatam ad talis effectus productionem.

Depellitur prima repugnantia, quia quidlibet eſſet cauſa cuiuſlibet naturalis, & propria, atque adeò principalis.

463. Sed erit fortaſsè commodius, repugnantias quas aduerſarij excogitarunt, ſigillatim audire atque depellere. Vaſques vrgere ſolet, iuxta ſententiam quam à contradictione vindicamus, omnem entitatem eſſe cauſam propriam & naturalem, atque adeò principalem cuiuſvis planè entitatis. Ita enim ſequi putat, ex eo quod hæc potentia rerum omnium productiua, ſtatuatur natiua, ſiue indiſtincta ab entitate producente. Nam vel talis entitas eſt vis completa reſpectu totius effectus, & quarumuis eius rationum producibilium; & ſic non erigeretur ad effectus productionem alia cauſa ſecunda, quia poſita in aliquo ordine cauſa à qua effectus pendeat ſecundum omnem rationem, fruſtra cauſa alia in eodem ordine additur. Eſſet igitur ea entitas, cauſa principalis reſpectu cuiuſvis effectus: nam eſſe cauſam principalem, nihil aliud eſt quàm eſſe talem cauſam, quæ alterius concauſæ conſortium in eodem ordine non depoſcat. Vel certè talis entitas, non eſt vis completa ad omnes rationes quæ in effectu repetiuntur, producendas: tamen quandoquidem adiungitur ad cauſandum effectum, neceſſe eſt vt ei ratio aliqua in effectu peculiariter reſpondeat. Nam cauſa cui nulla ratio peculiariter in effectu reſpondet, non eſt cauſa. Reſpectu ergo illius rationis quæ entitati prædictæ cauſanti reſponderet in quouis effectu, poſſet entitas illa eſſe cauſa principalis. Itaque potentia actiua quam omnibus rebus implantatam volumus vel eſt completa & integra reſpectu omnium rationum cuiuſvis rei producibilis, vel eſt tantùm completa reſpectu vnius alicuius rationis in re qualibet repertæ: & vtrumuis dicatur eſt cauſa principalis, vel plena vel inchoata quorumuis producibilium. Abſurdiſſimum autem videtur, admittere in omnibus rebus, vim naturalem & propriam principaliter cauſatiuam quarumvis aliarum rerum, etiamſi nonniſi inchoatam:

464. Hæc repugnantia nullo negotio reijcitur; & quantum video nititur tantùm æquiuocatione, fundata in duabus vocibus, *cauſa* ſcilicet *naturalis* & *propria*. Nomen ergo *cauſa naturalis*, dupliciter poteſt vſurpari; nempe primò pro potentia cauſatiua indiſtincta ab entitate, congenita rei cauſanti, quomodocunque ea potentia ſit in actum reducibilis: & ſic fateor, potentiam quam contradictione liberare ſatago, eſſe naturalem. Nego tamen eſſe abſurdum, dicere entitatem aliquam naturalem, eſſe eo modo vim actiuam reſpectu cuiuſvis effectus. Nego item ſequi talem cauſam fore principalem. Non enim eſſet connaturalis cauſa, neque depoſceret ſibi concurſum ad cuiuſvis effectus productionem; ſed à Deo iuuari ad id poſſet per aſſiſtentiam extrinſecam, & indebitum concurſum, quod eſt alienum à cauſa principali. Hæc tamen vſurpatio *cauſæ naturalis*, non eſt communiter recepta: ſed communis illarum vocum notio, cadit in cauſam connaturalem, ſeu cui ſuapte natura debeatur concurſus ad effectum. Hoc autem modo, quæuis entitas non eſt cauſa naturalis reſpectu alterius cuiuſvis effectus: quia quamuis per aſſiſtentiam extrinſecam indebitam poſſit pertingere ad cuiuſuis effectus productionem, tamen ex ſe iaceret obſtipa; ſed tantùm exprimitur ob aſſiſtentiam cauſæ ſuperioris, cui ſubeſt vt inſtrumentum: cauſans quidem ſub ea, & cum ea per natiuam ſuam entitatem, ſed tamen abſque proportione vlla talis entitati conſerta, reſpectu effectuum de quibus agitur: ac proinde non eſt hoc ſenſu cauſa naturalis; & conſequenter euertitur fundamentum ex quo eruebatur hanc cauſam fore principalem, quia eſſet cauſa naturalis.

Æquè facilè extricatur æquiuocatio in vocibus *cauſæ propriæ*. Si enim nomine *cauſæ propriæ* intelligatur vera cauſa, ſuamet & ſibi propria entitate cauſans effectum, tametſi non niſi intercueniente aſſiſtentia extrinſeca prorſus indebita; ſic admitto, rem quamlibet poſſe diuinitùs aſſumi in cauſam propriam cuiuſlibet rei. Inde tamen non ſequitur, eam cauſam fore principalem. Quamuis enim propria entitate influeret, non tamen niſi provt extrinſecùs indebitè adiuta, quod derogat partialitati concurſus. Sicut calor, ex eo quod propria, id eſt ſuamet entitate extrinſecùs adiuta ſubſtantiam ignis aut corporis viuentis coëfficiat cum igne, vel anima; non eſt cauſa principalis. Si autem nomine *cauſæ propriæ* intelligatur cauſa connaturalis, aut cauſa ſufficiens ad producendum ſe ſola effectum, abſque interuentu extrinſeci auxilij indebiti, & excedentis exigentiam talis cauſæ; ſic nego quamcunque entitatem poſſe eſſe cauſam propriam, vel omnium rationum in effectu repertarum, vel vnius alicuius.

Nec admittendum eſt, quod aduerſarius in eo argumento vt ratum aſſumit, nempè omnem cauſam debere eſſe cauſam ſufficientem, vnius ſaltem alicuius rationis producibilis in effectu, eique cauſæ peculiariter reſpondentis. Neutrum enim verum eſt. Nam eædem pleræque rationes in effectu producibiles, pluribus cauſis producentibus reſpondere poſſunt: ſiue quod neutra cauſa foret per ſe ſufficiens, ſiue quod altera aliam aſciſcat ſociam, vt ab ea iuuetur, aut vt effectus ab ea quoque pendeat. Sic habitus eſt vera cauſa actus, etiamſi nihil ſit in actu peculiare quod reſpondeat habitui. Nam facilitas operationis, non eſt vna aliqua ratio producta in actione vel effectu, ſed eſt extrinſeca denominatio à cauſa ritè inſtructa, ideóque expeditè operante. Euertit hoc falſum principium Suarez l. de attrib. Dei negat. c. 15. num. 16. nóſque iam illud ſuperiùs exploſimus. Præterea verò falſum eſt, rationem quamcunque effectus peculiariter vni alicui cauſæ reſpondentem, pendere ab ea principaliter. Sic enim calor, eſſet cauſa principalis ſubſtantiæ ad quam producendam aſſumitur: & quoduis inſtrumentum excideret vero influxu in effectum, ad quem habet inſtrumenti rationem, quoties ei reſpondet aliquid in effectu, quod ferè ſemper contingit. Itaque nihil planè video eſſe, quod difficultatem facere debeat in ea aduerſarij ratiocinatione, quam aduersùs potentiam obedientialem actiuam cuiuis rei à natura conſertam, toties tantóque ſtrepitu intorquet. Quia enim vis illa actiua non eſt ex ſe ſufficiens, ſed ſi deſit complementum extrinſecum, ſiue aſſiſtentia cauſæ ſuperioris, nihil facere poteſt; propterea neque eſt cauſa principalis omnium rerum per eam cum ſuperiore cauſa producibilium; neque extrahitur è ſuo ordine determinato ac finito, & inferiore pleriſque effectibus per eam indebitè adiectam, producibilibus.

Item

Item secunda, quia eadem potentia esset naturalis & supernaturalis.

465. Aliam repugnantiam, vrgent alij; nempe quod hæc potentia & naturalis esset, vt supponitur, cum sit ipsa entitas rei naturalis, & simul esset supernaturalis: alioqui enim posset aliquando operari naturali modo, quia modus operandi sequitur modum essendi. Idem confirmatur ex eo quod hæc potentia attingat effectus excedentes vim totius naturæ, & nequeat expromi absque concursu supernaturali, & indebito toti naturæ, eodem planè modo quo Deus gratiæ Auctor. Est igitur hæc potentia verè supernaturalis, & tamen cum sit de intrinseca ratione entis naturalis, debet esse naturalis. Igitur esset naturalis, & supernaturalis, quæ est aperta repugnantia.

Hanc quoque repugnantiam depellere facillimum est. Dico enim hanc potentiam, quoad ea quæ intrinsecè & in recto dicit, esse naturalem: ratione autem concursus superioris, & auxilij indebiti per eam connotati, esse supernaturalem. Nam quia intrinsecè hæc potentia continetur entitate rei naturalis, meritò ea ex parte dicitur naturalis: quia tamen ea entitas, seclusio consortio causæ extrinsecæ, non posset exire in actum in quem exit accedente causa extrinseca superiore, propterea numquam operatur hunc actum modo naturali, nec absque auxilio indebito: eámque ob causam censetur supernaturalis, quia scilicet accessu causæ superioris completur, & roboratur, vt possit assurgere supra vires suas, & operari supra naturalem suam perfectionem. Nec id mirum esse debet in diuinis instrumentis; cum in naturalibus quoque, idem proportione cernatur. Nam v.g. calor cum igne iunctus, causat ignem, ad quem producendum se solo nunquam assurgeret, quia id foret supra naturalem eius vim & perfectionem.

Necnon tertia; quia eadem potentia esset finita, & infinita.

466. Sunt qui præterea vrgeant finitatem huius potentiæ. Cum enim sit entitas creata, imo naturalis, non posset non esse ens finitum; & tamen hoc videtur falsum. Specificatur enim, & constituitur penes actus infinitos in quos potest exire, seu penes infinita obiecta quæ potest producere, cum possit Deus per eam causare quodcumque causabile. Sicut ergo ens producibile nullo numero aut specie clauditur, sed est infinitum quouis modo, ita potentia illius respectiua, debet agnosci infinita: cum tamen sit finita, quippe eadem cum entitate naturali cuiusque rei. Nec elidit hanc difficultatem, quod ait Suarez t.1.3. p.6.31. sect.6.ad 7. negans hanc potentiam specificari & constitui penes obiectum, & actus prædictos: eorum quippe est, hanc potentiam respicere transcendentaliter effectus quos potest producere interueniente diuina assistentia: hoc autem est talem potentiam penes eos specificari, atque constitui in ratione potentiæ assumptibilis ad eorum productionem.

Respondendum est, hanc potentiam intrinsecè & quoad ea quæ in recto dicit, esse finitam: & quamuis connotet terminum infinitum, tamen constitui in vna specie infima & finita, per ordinem ad illum terminum infinitum, quem attingere non potest absque suppetijs indebitis. Hic enim attingendi modus, arguit infinitatem in causa superiore, potente assumere hanc entitatem ad causandum quemcumque effectum; non autem in ipsa entitate assumptibili. Adde quod, non quæcumque sunt quoquomodo capacia attingere terminum infinitum, sunt infinita. Intellectus enim potest fieri in quoduis ens, atque adeò est capax tendere in infinita obiecta & numero & specie distincta; quia sphera entis est infinita: sed quia connaturalis eius sphæra non est nisi finita, idcircò finitus est. Similiter ergo quamuis entitas cuiusque rei possit tendere in res infinitas, si ad id à Deo assumatur; quia tamen connaturaliter id non potest, neque suapte natura id exigit; imo supra naturam eius est quod ad id assumatur, meritò agnoscitur esse finita intrinsecè.

Ac denique quarta, quia ea potentia, solùs, ac non solis rebus naturalibus & actiuis quadraret.

467. Tandem inde colligunt aliqui, hanc potentiam repugnare, quod si est naturalis & actiua, consequeretur solis rebus naturalibus & actiuis, contraquàm postulat plena creaturarum omnium ad Deum subiectio, ex qua hanc potentiam superiùs venati sumus. Item admissa hac actiuitate, respectu cuiuscumque rei, in re quacumque, brutum posset producere visionem Deiqæ proinde Beati. Quidni enim, si quæuis creata entitas est productiua omnium omninò producibilium, possit brutum assumi ad producendam entitatem diuinæ visionis, quo ipsum beatum fieret? Hanc absurditatem intorquet in hanc sententiam Ægidius Coninc.3. p.q.62.à num.116. & Præpositus 3.p.q.13. num.14. & Marcon disp.2. de visione Dei c.11.§.4. Admissa item ea actiuitate,cum plerique effectus producibiles sint supernaturales; dandum erit, rem supernaturalem posse produci per causam & virtutem naturalem, qui est purus Pelagianismus, cuius hanc sententiam nonnulli superius relati ream agebant.

Admitto hanc potentiam esse naturalem, id est entitati cuiusvis rei consertam, & ab ea indistinctam; Item admitto esse potentiam actiuam. Nego tamen vel solis entibus connaturaliter actiuis, vel solis entibus naturalibus implantari. Nam res quoque naturaliter destitutæ omni actiuitate, (si quæ sunt reuera tales, de quo dubitari potest, quandoquidem materia prima quæ dicitur pura potentia passiua, apta tamen est quantitatem ex se profundere, & subsistentiam suam;) sed si quæ sunt reuera entitates omni prorsus actiuitate connaturali destitutæ, poterunt nihilominus per diuinam assistentiam indebitam assumi ad agendum quidlibet: quia quod res habeat actiuitatem respectu effectus inferioris, perinde se habet ad actiuitatem interuentu diuinæ assistentiæ expromendam circa effectum superiorem, ac si nulla prorsus esset. Quid enim v.g. confert aquæ, vt dicatur posse assumi diuinitùs ad gratiam producendam, quod sit actiua respectu frigoris, vel humiditatis? Planè ea actinitas connaturalis aquæ, perinde se habet ad effectum supernaturalem, ac si nulla esset. Igitur si sint res aliquæ nullo modo actiuæ, poterunt ipsæ quoque assumi diuinitùs ad agendum, & producendam rem quamcumque, vt rectè colligebatur ex plena harum quoque entitatum subiectione ad diuinum dominium.

Res item supernaturales creatæ, consertam habent hanc potentiam respectu quorumcumque producibilium: quia quamuis hæc potentia dicatur naturalis, tamen ea vox non illam arctat ad res quæ passim dicuntur naturales: neque in ea notione tunc vsurpatur, sed provt *naturale*, idem est quod *entitatiuum*: est autem rebus quoque supernaturalibus, sua entitas, & essentia stata ac definita, quæ rectè etiam dici potest natura earum, cui certæ aptitudines sunt consentaneæ & connaturaliter debitæ,non item aliæ. Res quidem quæ supernaturales dicuntur, sunt supra exigentiam connaturalem subiectorum quibus adueniunt;

nempe naturarum rationalium creatarum : tamen habent certam mensuram perfectionis essentialis, cui connaturalis est tanta duntaxat actiuitas, non maior. Si ergo assumantur diuinitùs ad causandas alias quoque entitates, siue perfectione superiores intra eundem supernaturalem ordinem, siue ordinis despicatioris ; id præstabunt per hanc potentiam : quæ ita erit eis naturalis, id est entitati eis naturali adiuncta, imo eadem, vt tamen sit supernaturalis : non modò ratione subiecti, sed etiam ratione termini sic producti, & modi operandi qui non est connaturalis huic entitati: ita vt in eum non prodeat, nisi per indebitam assistentiam, & per concursum quem nullomodo exigit suapte natura. Idque satis esse potest, vt ea causalitas sit instrumentalis, quamuis effectus esset entitatiuè depressior causa sic agente. Nam spectata saltem producibilitate illa ad quam hæc entitas ex se non pertingeret, effectus censeretur superior. Quo eodem modo ; accidens censebitur superius substantiâ, si producendum sit per eam, absque vi connaturali ad illud causandum. Item quæcunque entitas, provt causanda per creatiouem, censent superior entitate, cui alioqui cederet nobilitate essentiali & entitatiua.

468. Argumentum de productione visionis beatæ per brutum ; inane est. Nam si actus vitalis potest produci à principio non viuente, saltem eo vitæ genere ad quod pertinet actus producendus ; ita tamen producitur vt se habeat mortuo modo. Vnde brutum, si assumeretur ad causandam visionem, non viueret per eam, nec videret Deum. Si autem quod probatior Philosophia fert, actus vitalis dicit ordinem essentialem ad principium vitæ sibi connaturaliter proportionatum, nec potest pendere è solo principio extrinseco ; sic argumentum manifestiùs eliditur : quia non poterit brutum assumi ad producendam visionem beatificam in seipso, sed tantùm in aliquo intellectu rationali, vel extra quodcunque subiectum. Quod autem brutum non possit assumi ad causandam entitatem illam, in subiecto prorsus incapaci effectus formalis proprij talis formæ, non stat per entitatem assumendam ; sed per effectum, quem repugnat produci in subiecto, cui non possit effectum suum formalem communicare.

Tandem motus abditi in hac potentia Pelagianismi, derisione tantæ insulsitatis excutiendus est. Quid enim ineptius, quàm Pelagianismi, notare sententiam quæ tradit naturam nostram diuinitus adiutam, reddi completè potentem ad actus aliquos quos naturali sua virtute producere non possit? Hæresis Pelagij in contrario extremo sita fuit ; quia hominem suapte natura, excluso adiumento extrinseco & completione per diuinam assistentiam, commentus est potentem ad agendum. Tantum verò abest, vt influxus entitatis naturalis vna cum Deo in actum supernaturalem, pertineat ad errorem Pelagij, vt potiùs salua fide negari nequeat : cum constet damnatos esse in Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. illos hæreticos, qui facultatem nostram vitalem liberam, (quæ vtique est aliqua naturalis entitas ;) aiebant merè passiuè se habere ad actus supernaturales, nec vero influxu actiuo eos attingere. Quare cordatiores aduersarij, sententiam quam nunc purgamus, fatentur Pelagianismi perperam insimulari. Ita Vasquez 1.p.d.176.n.30. & Carthag.in 4.disp.3.difficult. 2.c.7.nec potest ea in re tricari, nisi imperitus.

Sententia proposita displicet agendo de facto.

469. Maneat ergo quod primo loco de sententia proposita monstrandum recepetam, nempè qui potentiam miraculorum Christi exposuerit per entitatem naturalem ei congenitam, provt operantem supra naturales vires suas, interuentu diuinæ assistentiæ extrinsecæ, cum nihil affirmare impossibile, aut periculosum. Nunc subdo alterum, quod de ea sententia statuendum secundo loco affirmabam. Nempe falsò dici, entitatem aliquam Christo congenitam, v.g. entitatem potentiæ exequentis naturalis, vsurpatam diuinitus ad eum modum fuisse, eámque esse in Christo potentiam miraculorum. Omnino enim verum existimo, humanitatem Christi, & quamcunque eius potentiam, non fuisse physicè assumptam ad patranda opera supra naturam quæ per Christum edebantur ; eáque tribuebantur : Quod mihi vna illa ratio persuadet, quæ cuiuis solidè res Theologicas tractanti, nec omni vento doctrinæ circumferti cupido, haud dubiè probabitur : nempe non esse prudentis Theologi, onerare mysteria fidei nouis difficultatibus, nulla vrgente necessitate, siue nullo prolato ineluctabili argumento, vel ex scripturarum oraculis, vel ex Ecclesiæ doctrina, vel ex ratione subnixa ijsdem principijs. Atqui certum est, explicationem potentiæ Christi ad edenda supernaturalia opera, traditam per entitatem potentiæ Christo congenitæ, & diuinitùs assumptæ, quamuis non possit conuinci impossibilis, (vt vidimus,) tamen non leuibus difficultatibus impediri. Vt quid igitur, si nihil est quod ad eas decorandas adigat, inijciemus nobis necessitatem illas expediendi ac dissoluendi ? quod onus suscipiunt, qui eo modo de potentia miraculorum Christi Domini philosophantur. Et vt difficultates facillimè complanentur, quorsum nouum hoc miraculum, quod in vsurpatione rei naturalis ad operandum supra naturam situm est, admittemus, nullo adacti firmo aut argumento, aut testimonio ?

Nihil porrò esse quod adigat ad agnoscendam eam physicam causalitatem per Christi humanitatem, eiúsve naturalem potentiam diuinitùs assumptam, perspicuum videtur : quia omnia quæ proferri ad id possunt, sufficientissimè exponuntur de nuda causalitate morali ; quatenus diuina omnipotentia, ad nutum Christi, hæc aut illa supernaturalia opera exequebantur ; quæ proinde Christo tribuebantur, tanquam causæ ea moraliter efficienti; etiamsi physicè à sola virtute diuina elicerentur. Sanè hic modus philosophandi, planè necessarius est, quoad gratiam antiquis Patribus per Christum concessam : quæ cum tempore Christum antecesserit, non potuit per Christum eiúsve potentiam vllam congenitam, physicè fieri quicquid absurdissimè pauci Thomistæ dixerint. Et tamen Scripturæ, eodem modo loquuntur de gratia antiquis Patribus collata per Christum tanquam per causam, ac de ea quæ nobis confertur. Vtramque ergo intelligunt & Christo productam, vt à causa tantùm morali, non autem vt à causa physica. Similiter gratia quam nunc consequimur, passim in Scripturis & apud Patres, tribuitur Passioni Christi Domini, quam constat non posse physicè influere in collationem munerum cœlestium : cum ipsa passio sit iampridem transacta ; quæ autem vel non sunt amplius, vel nondum fuerunt, nulla actiuitate physica potiuntur ; sed si causant, non nisi moraliter possunt causare. Contraria autem Bonacinæ philosophia disp. 2. de Incarn. q. 9. p. 3. num. 9. qua admittit, Christum & quæ Christi sunt iam transacta, posse assumi ad physicè causandum quæ consequuntur tempore, æquè absurda est, ac proximè proposita sententia Thomistarum.

470. Hinc euersa manent quæcunque assertores physicæ causalitatis pro se adducunt. Alanus c. illo 35. profert inprimis illud Ioã. 1. *Gratia per Iesum Christum facta est.* Vrget quoque, quod sanguine Christi loti dicimur, Apocal. 5. Item quod Matth. 9. Christus remittit peccata paralytico, nec non Lucæ 7. remittit ea Magdalenæ, & Lucæ 23. ea similiter condonat latroni, verè vinificans influxu supernaturali effectiuo animas eorum. Eodémque sensu interprete D. Augustino tract.

tract.4.& 5.in Ioannem,de Christo dicitur:*Hic est qui baptizat*: nempe quia interiùs animas iustificat quando adhibetur Baptismus. Addi poterat quod idem S. Augustinus tract.24.in Ioan. ait potestatē panes multiplicantem, *fuisse in manibus Christi*;In eandem sententiam profert Alanus Bedam hom. in Euang. octauæ Epiph. & quem omnium diuinissimè id tradidisse ait, S.Cyrillum l.4. in Ioannem à cap.12.ad 17. Nec illud omittit ex Damasceno 3. fid.c.15. humanitatem Christo fuisse organum diuinitatis, id quod passim ratum quoque habent Græci reliqui Patres, ac nominatim Eusebius l.4. de demonstr.c.13.& Theodoretus dialog. immutab. Eadem ferè, sed paulo plus expassa habet Suares t.1.3.p.d.31.sect.3.

Cæterum nihil horum euincit physicam causalitatem Christi, vel potentiæ exequentis ei natiuæ, diuinùs assumptæ ad efficienda physicè opera supernaturalia. Sed quamuis omnia opera supra naturam quæ Christo tribuuntur, facta ab eo dicamus, vt à causa tantùm morali, quæ per meritum simul & imperium ea efficeret; æquè valebunt omnes illæ Scripturæ, & Patrum locutiones, quæ pro physica causalitate proferuntur. Sicut similes locutiones de Christo quoad antiquos Patres, & de Christi passione quoad nos, necessariò intelliguntur de sola causalitate morali. Et eadem ratione accipio, quod de causalitate omnium nouæ legis Sacramentorum in gratiam, fides docet: & quod de effectione Christi per verba consecrationis, interdum legitur: Quod cum crude accepissent Begardi, censeréntque eam esse Catholicæ Ecclesiæ sententiam, altè in eam cachinnabantur, & Sacerdotes Catholicos vocabant *Deifices*, vt refert Conradus de monte puellarum t.13. Bibl.Col. qui rectè respondet, ea Sacerdotum in Christum causalitate physica, abrogata.

Quid verè in Christo fuerit potentia exequens, siue miraculorum.

471. Quare fixum esto, perfectionem illam potentiæ exequentis in Christo Domino, vi cujus miracula ab ea edebantur, non aliam fuisse quàm omnipotentium diuinam Christo assistentem, & operantem quæ Christus fieri vellet supra naturam, consentaneè ad finem Incarnationis. Quod non est relabi in errorem Sectariorum initio propositum. Hæretici enim, cum potentiam Christi exequentem miracula; dixerunt esse ipsam Dei omnipotentiam, id intellexerunt de diuino illo attributo, iuncto humanitati Christi ad modum formæ: quod est cum Eutychete confundere in Christo naturas, & earum permistione exscindere hoc mysterium. Nos autem tantùm dicimus, omnipotentiam Dei, quoad opera fini Incarnationis consentanea fuisse æquè Christo ad manum, ac nobis in promptu est diuina virtus, vt cooperetur quoad opera naturalia. Vnde nullam potentiam physicam operum supernaturalium principiatiuam, Christi humanitati internam agnoscimus, sed tantùm moralem; sitam in potestate ad libitum exercendi opera supernaturalia, per Dei omnipotentiam sibi ad id assistentem, semperque paratam exequi quod Christus optaret. Neque enim vt alijs sanctis potestas miraculorum quandoque transeunter conceditur ita Christo transeunter tantùm inextitit, sed vt benè monstrat Vega lib 7. in Conc. cap.14. Christo hæc potestas ad modum habitus inerat, & permanenter: quia Deus semper paratus erat, ad Christi nutum exequi omnia quæ Christus facta cuperet, consentaneè ad finem Incarnationis. Itaque Basilius Seleuciæ orat.33. in illa insigni expressione miraculi multiplicatorum à Christo panum, ita rem manibus Christi tribuit, de quibus ait effloruisse panes inaratos, & absque rusticano sudore partos, excluso agro, area, mola, clibano; vt tamen statim subdat, causam multiplicationis fuisse, quia aderat creator, & præsto erat ad nutum humanæ Christi voluntatis Deus regens & verbo virtutis suæ portans omnia. Ita enim ferebat diuina lex de patrandis quibusvis mirabilibus ad Christi exigentiam, quatenus poterat ad finem Incarnationis conducere.

472. Semper arcto hac ratione potentiam Christi, quia sicut Deus non deficit in necessarijs, & in ijs quæ ad plenam & decentem operum suorum consummationem exiguntur; ideóque respectu eorum iure præsumitur semper paratus: ita ad alia, gratis ac perperam fingeretur præparasse assistentiam, & omnipotentiam suam addixisse. Quandoquidem igitur ad manifestationem diuinitatis Christi, & veritatem doctrinæ quam proponebat, necessaria erant quædam miracula; fiu minùs absolutè & simpliciter necessaria, quod Suares latè negat tom.2.3.p.d.31.s.1.at saltem ad benè esse, & vt præcluderentur effugia incredulorum, fierétque inexcusabiles, qui tam eximijs meréque diuinis operibus munitam doctrinam non admisissent; idcirca quantum ad hos effectus conueniens fuit iuxta diuinæ sapientiæ regulas, omnipotentia diuina parata fuit exire in actum, ad nutum Christi. Ad plerosque autem alios effectus fini prædicto non consentaneos, omnipotentia non erat Christo ad manum, v.g. ad alium mundum fabricandum; id enim non fuisse opportunum ad finem aduentus Christi, obseruauit S.Augustinus Epistola 3. *post medium*. Agens enim de miraculis à Christo editis, & eos refellens qui Christi miracula extenuabant, & nullum eorum fuisse Christo peculiare blaterabant; ait in primis, id falsitatis teuinci, præsertim ex natiuitate ex Virgine,resurrectione à mortuis, & in cœlos conscensione. Tum subdit. [Hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro. Arbitror enim talia flagitari, qualia gerens hominem facere non debuit. Nam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt. Num homine assumpto alium mundum facere debuit, vt eum esse crederemus, per quem factus est mundus? Sed nec maior mundus, nec isti æqualis, in hoc mundo fieri posset. Si autem minorem faceret infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur. Quia ergo non opottebat vt nouum faceret mundum, noua fecit in mundo. Homo enim de Virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam resuscitatus, & super cœlos exaltatus, potentius fortasse opus est, quàm mundus.] Non poterat igitur Christus vi potentiæ miraculorum ea præstare quæ non erant fini Incarnationis consentanea. Et idcirco potentia Christi, à plerisque Doctoribus quos allegat Henriques l.1. summæ c.3. num.1. *litera D.* non dicitur simpliciter omnipotentia, sed tantum quædam omnipotentia: quia scilicet non assistebat Deus Christo, ad agendum supra naturam, nisi quantum ferebat finis Incarnationis.

473. Eadem ex causa, Christus ante prædicationem, vel nulla vel pauca miracula edidit. Rectè quidem D.Anselmus lib.2.cur Deus homo c.13.agnoscit, vt sapientiam plenam cum omnis ignorantiæ depulsione, ita plenam potentiam in Christo fuisse iam ab initio, quia non decebat Christum iam tunc sui compotem & arbitrum, destitui facultate patrandi quæ consentaneè ad scopum sibi propositum, patranda indicaret. Eritque cui exerta iam ex vtero matris videatur hæc Christi potentia in causandis extraordinarijs gratiæ motibus, quos matri aluum gestanti impertijt: itémque in causanda exultatione Baptistæ, intra materna viscera abditi, ad occursum Christi. Hæc dici fateor non inuerisimiliter, planéque videtur ea vtera agnoscere Anto.Peres Controu.4. in Euang.c.7.

num.57. legesis insuper, quæ pro Christi infantis in Ægypto miraculis, adducuntur à Baptista Poza l.1. Elucid.Deiparæ tract.13.c.11. Tamen quia ante prædicationis Christi exordium, miracula non fuerunt adeò necessaria ad finem Incarnationis, idcirco pariùs à Christo sunt edita. Extabat sanè olim liber de infantia Saluatoris, fartus miraculis Christi, in puericia & infantia editis. Sed eum Gelasij censura proscripsit, cap. *Sancta Romana*, videturque eundem fortassis librum confixisse S. Chrysostomus hom.16. in Ioan. cum reiecit tamquam falsa, quæ tunc circumferebantur edita à Christo infante & puero. Seuerissimè aduersus narrationes de his puerilibus Christi miraculis agit Ioannes Geometra in Catena Corderij ad cap.3. Lucæ num.78. vocans Diabolicas considerationes, & permaligni alicuius commenta. Merito item contra Marcionem, vt refert Anastasius cap.13. ducis viæ, non alia Christi miracula agnouit, quàm quæ per prædicationis triennium edidit, quibus eius verbis, hoc scholium subijcit Anastasius. [Obserua, falsa & suppositicia esse, quæ vocantur puerilia Christi miracula. Neque enim apertè, luce palam miraculum edidit in terra, vt dicit Euangelium, ante miraculum illud in Cana Galilææ, vbi aquam in vinum mutauit, sed totos illos triginta annos, exemplo & more nostro transmisit, excepto solo peccato, vt testatur Paulus; quamquam verus Deus esset, & ante, & post assumptam carnem.] Vides quomodo Anastasius, intelligat illud Ioan.2. *hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilea*: nempe vt sensus sit, hoc fuisse primum miraculum quod Christus apertè edidit; vtique ad sui manifestationem. Nam cum antea lateret, non egebat miraculis quibus doctrinæ suæ veritatem obsignaret. Alij aliter ea verba intellexerunt contendentes significatum verbis illis, miraculum aquæ in vinum mutatæ, primum fuisse quod patratum à Christo sit in illo Galileæ Oppido. Sed esse detorsionem loci Euangelici, rectè censuit Toletus ibi annot.14. Reclamántque passim Patres, qui vt dixit Tertullianus l. de Baptis. c.9. auspicatum Christum prima rudimenta potestatis suæ, vocatum ad nuptias affirmarunt. Videndi Ambrosius serm.19. Epiph. latè hær.51. Theophilactus & Euthymius Ioan.2. & pulchrè de eo miraculorum Christi exordio philosophans Isidorus Pelusiota l.1.epistola 395.

Breuiculum Capitis & vsus doctrinæ.

Summa doctrinæ capitis, hæc est. Fuit in Christo potentia, miraculorum & supernaturalium operum patratrix, non quidem quod Christi humanitati quâ tali, eiúsve facultati exequenti, communicata sit ad modum formæ diuina omnipotentia, vel entitas aliqua additicia, ad edendos huiusmodi effectus idonea: vel quod humanitas, aut Christi externa facultas exequens, assumpta diuinitus fuerit ad efficienda physicè eadem opera, (tametsi id quidem impossibile non fuit:) sed quod ad Christi tamquam moralis causæ nutum, aliqua ferè facultatis Christi exequentis applicatione insinuatum, per Deum vt causam physicam, efficerentur, intra ambitum vsibus nostris & Christi officio consentaneum.

Vsus doctrinæ dabitur in calce sequentis capitis.

CAPVT XI.

Qui defectus nostrates ab humana Christi potentia exequente, remouendi.

474. ALiquot occurrunt defectus, actiuitatem secundarum causarum affectantes. Primus est, necessitas contactus: vnde fit vt non possint agere in distans. Secundus est, necessitas subiecti ex quo agant: vnde oritur impotentia creandi quomodolibet, & annihilandi. Tertius est, limitatio ad certæ perfectionis effectus, commensos perfectioni talis causæ quæ admodum angusta est: vnde causæ creatæ liberæ, non possunt quæcumque volunt, sed tantùm quæ sunt consentanea modulo perfectionis & actiuitatis earum.

Vt intelligamus an potentia Christi executiua, prout instructa perfectione proximè explicata, seu prout habens Deum ad ea quæ Christus voluerit efficienda paratum, liberetur prædictis defectibus, non oportet attendere, an implicet contradictionem potentiam creatam physicè operantem, liberari illis defectibus. Potentia enim miraculorum quam Christo concessimus, quoad Christum attinet, non est nisi moralis. Physica autem causa quæ ibi interuenit, est omnipotentia diuina, pro qua omnes quæstiones prædictæ euanescunt. Nam & potens est ad agendum vbique, & ad creandum, & ad producenda quæcunque entia creabilia. Itaque quamuis non est quod circa potentiam Christi exequentem simus in hac parte solliciti, quia vt vidimus, non est physicè causatiua effectuum supernaturalium, sed moraliter tantùm; nonnulla tamen vestiganda sunt hoc loco. Primum est, an potentia præstandi quæ dicta sunt, fuerit de facto concessa Christo; hoc est an diuina potentia esset Christo ad manum, parata ad nutum eius operari effectum absque contactu, siue in distans; itémque creare, & efficere quicquid Christo libuisset. Qua in parte pensandus erit scopus miraculis Christi supra propositus, & varia Christi opera in quibus notari potest exclusio defectuum prædictorum. Secundum quod hoc loco non videtur omittendum, est, quid dicendum foret ad eas quæstiones, dato quod Christus per potentiam obedientialem actiuam physicè concurreret ad actus qui tribuuntur Christo vt causæ morali. Quia enim admisimus, potentiam obedientialem actiuam posse absque repugnantia defendi, & non paucis placet, vsurpatum de facto esse illam potentiam in operationibus quas Christus supra naturam eliciebat; meritò vestigandum proponimus, quid eo supposito affirmandum consequenter foret in re præsenti. Occurrit etiam tertium quid hoc loco attingendum, nempe quomodolibet dicatur Deus potentiam Christi exequentem inuisse ad agendum supra naturam, eique ad id astitisse, sicut interdum puris quoque hominibus assistit; quantoperè præcellentiùs Christo adstiterit. Erit enim ea potentiæ Christi prærogatiua non modica, nec omittenda in hac perfectionum eius expensione. Nam & ea in parte, defectuum nostrorum à potentia Christi exclusionem, licebit agnoscere.

Potentia Christi exequens, libera à necessitate contactus.

475. A primo defectu, siue à necessitate contactus, existimo liberam fuisse Christi potentiam; siue sumatur moraliter, siue physicè. In mea namque sententia, quâ dico Christum fuisse causam dumtaxat moralem talium effectuum, ferè cessat difficultas. Deus enim qui est causa physica operans illos ad nutum Christi, vbique est. Vnde de effectu qui ab eo physicè prodit, non potest quæri, an produci possit in loco distante à sua causa physica. Quod verò produci possit in loco distante à sua causa morali, dubitare non licet: quia necessitas contactus, est tantùm pro causa physica. Itaque quod in mea sententia quærendum restat, illud dumtaxat est, an Deus fuerit paratus ad Christi nutum, agere aliquid in locis à Christo ipso distantibus. Sed hac in re non potest esse difficultas. Viderat enim exploratum, concessam fuisse Christo prærogatiuam,

etiam, vt ad nutum eius, Deus aliqua efficeret in locis ab ipso Christo distantibus: quæ actiones quia moraliter à Christo pendebant, Christo tribuebantur, vt causæ. Sic filium Reguli, sanauit procul positus. Animam item Lazari, reuocauit ad corpus à quo excesserat, vnde ab ipso item Christo qui Lazari cadaueri assabat, disiuncta erat.

In sententia verò quæ potentiam obedientialem actiuam agnoscit, eámque in Christo supra naturam operante miracula, expromptam fatetur; dubitari potest an concedi debeat, Christum potuisse agere, vel etiam de facto physicè egisse in distans. Andreas Vega l.7. in Conc. c.14. affirmat, id quidem esse possibile: addit tamen c.18. Christum non fuisse de facto assumptum, ad aliquid physicè operandum in loco distante ab ipso Christo. Placet quod Vega ait, actionem in distans non repugnare diuinis instrumentis. Neque enim contactus requiritur in causa efficiente, ex communi ratione causæ efficientis: vel ex aliqua eius conditione indispensabili, vt passim malè censent Thomistæ 1.p.q.8. & ibidem Molina art.1. disp.2. ac Gilius l.2. tract.9.c.4. & Rubius 1. de Gener.c.6.q.62.& lib.7. phys. cap.1.q.2. aliique nonnulli: sed tantùm ea gignit ob imperfectionem causæ secundæ; quæ sicut est limitatæ perfectionis, ita debet habere sphæram actiuitatis limitatam. At non haberet, si posset vel ad modicum spatium agere in distans. Nam si actio non esset continuanda per medium, virtus agentis non consumetur in spatio interiecto; ideóque per accidens erit, quod distantia interueniens sit maior aut minor: quandoquidem neque nocet, neque conducit agenti, cuius operationi quod interponatur. Itaque agens quod non alligatur medio, habet sphæram actiuitatis illimitatam: quod non congruit cum finitate creaturæ, & limitata eius perfectione. Eam verò imperfectionem agentis secundi, potest Deus supplere, assumendo illud secum ad agendum. Infinita namque virtus Dei, sicut habet sphæram illimitatam, ita causam creatam quam sibi asciscit cooperariam, potest concursu suo roborare, vt assurgat ad modum operandi, cui ex se, & secundùm virtutem suam limitatam, impar esset. Quare rectè Vega, & Christi humanitatem, & omnia diuina instrumenta, admittit assumi à Deo posse, ad agendum absque contactu passi, siue in distans: subscribitque Bellarminus lib.1. de Sacram. in genere c.11. *ad vltimum Qunglij §.5. differentia.*

Quod autem Vega addit, Christum nihilominus non fuisse de facto assumptum ad agendum absque contactu, mihi non probatur, suppositâ sententia quam Vega tradit; nempe quod potentia obedientialis actiua, expromptâ sit in Christi operationibus circa passa præsentia. Quidni enim admittamus expromptam similiter fuisse quoad passa loco dissita, cum id præstare, æquè facilè sit Deo assumenti, ac circa passa non abiuncta spatio? Et ita factum agnoscunt Suarez t.13.p.d.31. sect.7. & Cathag. in 4.disp.3.diffic.1. c.6. Ac supponendo Christi miracula in res præsentes, facta esse per assumptam à Deo entitatem Christo congenitam; nec repugnare aliquid assumi ad agendum in distans; admittendum consequenter esse, miracula quoque facta in res à Christo distantes, eiusdem entitatis natiuæ, & potentiæ obedientialis instrumento fuisse de facto peracta, rectè pronunciat Valquez 3.p.disp.133. n.27.

Item à necessitate subiecti; Vnde creare potuit.

476. Quoad secundum defectum propositum, sine necessitatem subiecti, res data est in sententia cui subscripsi. Quia enim affirmaui, perfectionem potentiæ exequentis in Christo Domino esse diuinam virtutem assistentem, & ad eius nutum exerendam, quantum fert finis Incarnationis; propterea indubiè admittendum est, Christum æquè potuisse ad modum moralis causæ agere absque subiecto, siue creatæ, ac potest reliqua quæ eius potentiæ tribuimus, præstare super naturam. Nec dubito, quin ad hunc modum aliqua sint à Christo facta per veram creationem. Sic enim corpus suum & animam, creat quotidie in Eucharistia, vt loquitur Autor sermonis de cæna Domini apud Cyprianum. Nec dissimiliter loquuntur Hieron. epistola ad Heliodorum, & epistola ad Euagrium. Adelmannus epistola ad Berengarium, & Paschasius lib. de corp. & sang. Dom. cap. 12. & 15. Aquam in Cana destructam planè substantialiter, & versam in vinum fuisse per creationem, significat S. Hilarius ferè initio libri tertij de Trinitate sic enim scribit. [Nuptiarum die, vinum in Cana Galilææ, ex aqua factum est. Numquid consequitur aut sermo noster, aut sensus, quibus modis natura denutata sit vt aquæ simplicitas defecerit, & vini sapor natus sit? Non permixtio fuit, sed creatio: & creatio non à se cæpta, sed ex alio, in aliud existens. Non per transfusionem potioris, obtinetur quod infirmius est, sed aboletur quod erat, & quod non erat, cæpit.] Idem S.Pater paulò post, quinque millium hominum præter mulieres ac parvulos cibationem ex quinque panibus, (illam Cassianus lib.6. de incarnatione cap. 1. egregiè suspicit, & exquisitè S. Paulinus epistola 33.) per creationem, vel potiùs recreationem & reproductionem eiusdem panis, fuisse peractam, his verbis significat. [Sed & de quinque panibus, non dissimilis facti admiratio est. Incrementis eorum, quinque millium virorum, & innumerabilium mulierum ac puerorum fames vincitur: fugit oculos sensus nostri, operis intelligentia. Quinque panes offeruntur, & franguntur, subrepunt præfringentium manibus quædam fragmentorum procreationes. Non imminuitur, vnde præfringitur, & tamen semper præfringentis manum, fragmenta occupant: fallunt momenta visum, dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ contueris; inter hæc, fragmentorum cumulus augetur. Præfringentes in ministerio sunt, edentes in negotio sunt, esurientes saturi sunt, duodecim cophinos replent reliquiæ. Non sensus, non visus, profectum tam inconspicabilis operationis assequitur. Est quod non erat, videtur quod non intelligitur, solùm supereſt vt Deus omnia posse credatur.] Nom improbat Toletus annot.5. in cap.6. Ioan. sententiam quæ panes illos à Christo propria creatione tunc productos, admittit. Euthymius tamen ibi, & S.Chrysostomus hom.86. in Ioan. ex subiecta materia operatum tunc Christum existimant, sed aliud proferunt factum, in quo Christus absque subiecta materia, atque adeò per veram creationem aliquid produxerit, nempè panes & piscem prunis superpositum, Discipulis in littore exhibitum Ioan.21.

477. Hæc quidem non sunt planè certa. Vinum enim & panes, ac pisces, poterant per veram eductionem à Deo ex aëre aliáve materia produci, aut ex propria rerum illarum materia reproduci: Christi autem materiam & animam, in Eucharistiæ confectione per Christum, ac nunc etiam per Sacerdotes, plerique aliter exponi posse existimant quàm per veram creationem nouam corporis & animæ Christi. Quamuis igitur ex his exemplis non sit omnino exploratum, quod Christus vt causa moralis, aliquid propria creatione produxerit; tamen est satis verisimile ita factum esse, & præsertim de corpore Christi & anima, collocatis sub speciebus Sacramentalibus. Neque enim satis capio, qua alia ratione commodè exponi possit ea

Christi collocatio. Disertéque ibi veram animæ & corporis Christi creationem agnoscunt Gabriel lect. 40. in Cano. *litera B.* & lect. 47. *litera B.* Less. lib. 12. de diu. perfect. num. 119. Ægid. 3. p. quæst. 75. n. 15. Pesant. ibid. art. 4. disp. 1. Suares, & alij quamplurimi, in tractatione de Eucharistia.

Iam in sententia, quæ admittit Christi naturalem entitatem ad modum instrumenti physici assumptam esse diuinitùs ad edenda supernaturalia opera Christo tributa, non pauci negant, potentiam Christi exequentem, fuisse aut esse potuisse, hoc defectu liberam. Censent enim eam necessariò quicquid egit, etiam provt instrumentum diuinum, egisse ex subiecta materia. Nimirum existimant repugnare, vt creatura assumatur à Deo ad creandum, tanta est sublimitas & eminentia illius modi operandi. Ita passim Thomistæ, & cum eis Granado 1. p. ad quæst. 44. specialitérque quoad exemplum in quo negabam commodè declinari posse veram creationem, nempe exemplum corporis & animæ Christi in Euchatistia collocati, plerique planè negant, corpus Christi & animam, ab ipso Christo præexistente creari posse. Ita Gillius lib. 2. tract. 5. cap. 3. num. 4. Moncæus disp. 10. selecta c. vltimo Vasquez 3. p. d. 181. cap. 7. Albertinus Coroll. 3. de quant. dub. 3. Mendoza disp. 9. phys. sect. 13. quamnis duo postremi, potentiam obedientialem actiuam admittant.

478. Mihi ea sententia supposita, extra dubium esse videtur, potuisse in exemplis propositis, veræ creationi per Christum instrumentaliter elicitæ, locum esse. Nam posse creaturam assumi diuinitus ad creandum: peruulgata inter recentiores sententia est, quam multis confirmat Suares d. 20. Metaph. serm. 3. & Albertinus Coroll. 1. ex 2. princ. compl. num. 33. Nec desunt qui eò deueniant, vt etiam vim principaliter creandi, posse creaturæ alicui communicari, fateantur: quos si nuda ratione quis aggrediatur, ægrè expugnabit. Multo minus igitur, si sermo sit de vi creandi instrumentatia, quæ sola ratione repugnantiam monstrante expugnari potest, censendum est, eam non debere negari creaturæ, si Deo lubeat illam ad sic operandum assumere. In illo item exemplo speciali, Christi seipsum in Eucharistia reproducentis per veram animæ & corporis creationem, nullam inuenio repugnantiam. Nihil quippe vetat, idem provt iam habens esse, concurrere ad iteratam suiipsius productionem: quamuis repugnet, aliquid ad primam suiipsius productionem concurrere; quia sic, esset priùs natura seipso omnimodis considerato: & quod non est, influeret in alicuius productionem, quæ est manifesta repugnantia. Itaque admissa possibilitate potentiæ obedientialis actiuæ, ratum esto, potuisse Christum diuinitùs assumi ad creanda alia, & ad recreandum, siue creatione reproducendum seipsum. An verò admissa possibilitate talis potentiæ, atque adeò etiam admisso quod sine repugnantia Christus potuerit ad physicè creandum assumi, sit de facto assumptus à Deo ad sic operandum, videtur statuendum consentaneè ad modum philosophandi de alijs operibus supernaturalibus: ita scilicet, vt si de facto dicatur expromptam in eis fuisse potentiam Christi obedientialem actiuam, & eatenus dicantur à Christo edita, non parcatur eidem potentiæ quoad opera exigentia creationem, vel commodiùs explicanda per eam: atque adeò quoad omnia exempla superiùs proposita, præsertimque quoad productionem animæ & corporis Christi in Eucharistia.

Non potuit tamen annihilare.

479. Ex constitutis de creatione, erit qui insuper inferat, Christum vt moralem causam potuisse annihilare seu destruere aliquid, nullo ei succedente in eodem communi subiecto. Est enim id minus, quàm creare. Nihilominus non video fundamentum firmum id affirmandi, quia non apparet quomodò ad scopum Incarnationis conducere potuit annihilatio alicuius rei, seu tam plena abolitio vt nihil ei succedat. Metrum autem præparatæ Christo diuinæ assistentiæ ad aliquid patrandum, est opportunitas vel necessitas ad finem Incarnationis. Sanè inter omnes conuenit, Christum eam potestatem nunquam ad praxim reuocasse. Signum ergo est, non fuisse ad finem Incarnationis conducibile, vt Christus tale aliquid præstaret: atque adeò nec præstare potuisse; defectu Præparationis diuinæ assistentiæ, ad id exequendum pro Christi voluntate. Estque id multò certius, de physica annihilatione, per ipsum Christum vt per causam physicam faciendâ: non quidem aliquid producendo, quod non esset annihilare rem præiacentem, sed concursum conseruatiuum subtrahendo: qua ratione aliqui ex ijs qui potentiam miraculorum Christi explicant per physicam assumptionem humanitatis Christi, eiúsve potentiæ exequentis, in physicum diuinitatis instrumentum, existimarunt Christum potuisse physicè annihilare quæcunque potuit physicè creare. Sed hoc non rectè affirmatur. Non enim si Christus potuit physicè creare, per assumptionem humanæ Christi potentiæ à Deo, sequitur Christum potuisse quoque assumi ad annihilandum, subtrahendo concursum conseruatiuum rei quam causa secunda supponitur non conseruare. Et quamuis diuinitus assumeretur ad eam conseruandam; tamen sicut assumptio non est in potestate instrumenti quatenus causa physica est, (non enim mouet nisi motum;) ita neque subtractio actionis. Vnde quamuis posset exigere subtractionem applicationis ad causandum & conseruandum effectum tamen hoc non haberet quatenus causa physica, liberè exerens vel sistens concursum suum; sed quatenus causa moralis, liberè perstulans suæ per alium applicationis substractionem. Quare statuendum est, Christum non potuisse annihilare.

Quatenus posset Christus, quæcunque vellet.

480. Postremus defectus causarum efficientium creatarum, seu limitatio ad certos effectus, nominatimque pro causis liberis, exclusio potestatis faciendi quicquid velint, aliquatenus non cadit in potentiam Christi exequentem, aliquatenus verò cadit. Nam quatenus aliqui effectus conducere poterant ad scopum Incarnationis, quicunque tandem essent effectus illi, eatenus suberant potentiæ Christi, nullo excepto iuribus voluntatis Christi plenè efficacis. Quod addo quia fuerunt interdum in Christo velleitates quædam, quibus mirum videri non debet quod deesset potestas, etiam moralis, seu per Dei assistentiam ad earum obiectum exequendum paratam. Diuina enim assistentia ad nutum Christi expromenda, decreta tantùm erat, voluntatibus Christi omnino efficacibus ac plenis. Et idcirco Marci 7. de Christo dicitur, quod latere voluit nec potuit: nimirum quia non conceperat plenam & efficacem latendi voluntatem. Habuit quidem Christus efficacem voluntatem latendi, quantum erat vt se, & quoad ea quæ per ipsum humano modo præstanda erant, vt lateret. Nam nisi hoc saltem modo habuisset voluntatem efficacem, non potuisset Euangelista addere, Christum latere volentem, latere non potuisse. Qui enim planè inefficaciter vult aliquid, nec saltem ex parte sua adhibet omnia quæ nouit ad eius assecutionem opportuna, immeritò dicitur voluisse & non potuisse: quandoquidem non omnia adhibuit, quæ ad manum erant, & quibus adhibitis consequi reuera potuisset effectum intentum

tum. Statuit igitur Christus voluntatem latendi, efficacem ad modum prædictum; non tamen plenè efficacem, qualem potuisset concipere: si nimirum voluisset, etiam per adactionem alienatum voluntatum, aut immutationem physicam potentiarum cognoscentium, impedire sui cognitionem, quod facile illi fuisset præstare, si expedire censuisset.

De huiusmodi voluntate plenè efficaci, verum est, Christum omnium eius obiectorum plenam potestatem moralem fuisse sortitum: & nihil sic voluisse, cuius executionem curare non potuerit, Deo illi ad exequendum addicto. Et eatenus, Christi potentia exequens quæ voluntati efficaci subiungitur, caruit defectu inter nos vulgatissimo ac perpetuo, quo non omnia possumus quæ nobis allubescunt, quantumuis robusta, & vndecumque efficax sit volitio nostra. Fuit tamen Christi potentia sic spectata, limitata ad certos effectus, quia reipsa effectus omnes non habebant vsum aliquem ad finem Incarnationis; quæ sunt repagula morali Christi potentiæ constituta, vltra quæ diuina assistentia non erat Christo decreta ad exequendum. At Christi voluntas inefficax, vel non plena, cuiusmodi etiam quæ est aliqua ratione est efficax, adiunctum habuit impotentiæ defectum, omni labe & subiecti dedecore aut nota vacantem: eámque voluntatem spectando, rectè dicitur, non omnem Christi voluntatem fuisse impletam.

Vnde componi non incommodè queat, tixa quæ inter recentiores efferbuit, circa adimplectionem cuiusis humanæ voluntatis Christi Domini, aliis affirmantibus omnem Christi voluntatem fuisse executioni mandatam, quod asserunt Suarez t.1.3. p.d.38. sect.5. Præpositus 3.p. q.13. num.26. Valentia disp.1. quæst.13. p.4. aliis è contrario, vt Vasque 3. p.d.58. op.1. negantibus omnem Christi voluntatem efficacem, sortitam esse effectum. Componi enim hæc res potest, distinctione duplicis efficacitatis in Christi volitionibus: ita vt quæ plenè & omnimodè efficaces erant, iis adhibitis quæ per Christum quocunque modo, circa se aut alios, & inita quacumque ratione procedendi adhiberi poterant, semper impletentur & sortirentur effectum: quæ autem efficaces erant ex parte Christi, quatenus præcisè operantis humano modo, possent irritæ cadere, & effectum voltum non sortiri.

Prærogatiua potentiæ Christi exequentis, supra cuiuscumque Sancti potentiam.

481. Restat perpendere, quàm perfectiùs potentia diuina potentiam Christi ad operandum supra naturam & roboraret & iuuaret, quàm purorum hominum potentias roboret & adiuuet. Vnum insigne discrimen, licet obseruare ex S. Thoma 2.2. q. 178. art.1. Ex eo quippe loco discimus, diuinam potentiam puris hominibus non adesse per modum habitus & permanenter, sed tantùm per modum transeuntis. Hoc de prophetiæ dono notauit S. Gregorius 2. Dialo. cap.21. & de eodem, aliisque donis intellectus & voluntatis idem habet 2. Mor. à cap. 36. In potentia ergo exequente, idem defectus notari debet in puris hominibus, quantumuis Deo dilectis. Non enim semper eis astitit ad patranda quæcumque opera supra naturam; nec ea virtus extraordinariè operandi fuit in illis quasi habitualiter & permanenter; sed quando ita Deo videbatur, assistebat illis diuina omnipotentia. At in Christo, quia vnio erat perpetua, & ex vnione consequebatur debitum illius supernaturalis assistentiæ, necesse fuit eam habituliter & permanenter interuenire.

Nec est quod quis in contrarium opponat, illud ipsiusmet S. Marci de Christo cap.6. *non poterat ibi virtutem illam facere*, vtique apud Nazarenos Christi ciues, incredulos ad Christi voces. Non potest inquam, hoc opponi aduersus prædicta. Neque enim Christus absolutè dictus est non posse, qui reuera ibi quoque virtutes facere poterat. Dictus igitur dumtaxat est non posse conuenienter, & ex suppositione decreti sui, de non edendis miraculis frequentibus apud incredulos, quales erant Nazareni. Sicut enim D. Augustinus lib.1. contra Gaudent. c.30. fecernit non posse per potentiam, & non posse per Iustitiam, quod scilicet salua honestate fieri non potest ita fecernere etiam possumus, non posse per potentiam, ab eo quod est non posse per decentiam.

482. Obseruant quoque sæpè Patres, insigne discrimen inter Christum & puros homines quoad potentiæ miraculorum expromptionem. Puri enim homines, expressa, aut vt S. Thomas art. illo 1. notauit, tacita prece exequebantur miracula: de qua tacita prece, accipiendus est S. Gregorius 2. Dialo. cap.30. vbi videtur asserere sanctos absque precibus edid isse aliquando miracula. At Christus, quia simul homo & Deus erat, potestate operabatur. Vt cum dixit, *volo mundare*. Non ita amici sponsi, hoc est vnum omnes, sancti reliqui. [Si qua sanè (inquit S. Bernardus serm.13. in Cant.) in sanctis digna laude vel admiratione intueor, clara luce veritatis discutiens, profecto reperio laudabilem siue mirabilem alium apparere, atque alium esse: & laudo Deum in sanctis eius. Siue sit Helisæus, siue ille magnus Helias, mortuorum vtique suscitatores: ipsi quidem suo non imperio, sed ministerio foris exhibent nobis noua, & insueta. Deus verò in ipsis manens, ipse fecit opera, inuisibilis & inaccessibilis in se; in suis spectabilis, atque mirabilis est, & solus mirabilis; qui facit mirabilia solus. Nec laus calami, laudibilis est pictura siue scriptura; nec gloria linguæ aut labiorum, sermo bonus.] At Christus quia homo simul & Deus erat, pro potestate operabatur, & ex imperio, non ex ministerio. Vnde absolutè loquendo ad præstanda miracula non egebat oratione.

Breuiculus capitis, & vsus doctrinæ.

483. Summella capitis hæc esto. Habuit Christus, & aliquando exprompsit, moralem agendi in distans & instrumentaliter creandi potestatem, nostratibus variis defectibus liberam: id quod æquè locum habet admisso Christi tamquam instrumenti diuini, physico influxu in opera supernaturalia quæ patrabat. Exequi verò quodcumque voluit, (quod nos nullo modo possumus,) potuit Christus, quando plenè & efficaciter voluit.

Vsus doctrinæ esse debet, sanctificare iuxta Isaiæ monitum cap.49. despicientem animam suam: id est iuxta interpretationem S. Cyrilli lib.5. pentab. cap.5. exornare laudibus, & omni veneratione prosequi contemptibilem sibi, & in oculis suis humilem Christum, lampadem quoque contemptam apud cogitationes diuitum, reipsa autem Dei splendorem atque virtutem. Quæ enim adeò humilis ac despecta apparebat Christi externa species, occulebat summam potestatem, quantam hactenùs expressimus. Quare meritò idem Isaias cap.2. iuxta 70. Iudæos in Christum irreuerentes, & iniurios, illis verbis affatur. *Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius, quoniam excelsus reputatus est ipse.* Id est interprete Cassiano l.5. de Incar. c.item 5. tantam potentiam, in tanta externæ speciei vilitate abditam veneramini, eique obstrepere cauete.

Optimè hunc, doctrinæ propositæ, vsum nexuit ac miscuit cum alio Origenes, quem subijcio. Demirans homil.6. in diuers. tantam Christi in tam dejecta specie

potem

potentiam, ait rectè turbas, non interrogantes sed asserentes de Christo dixisse; *Qualis est iste? quia venti & mare obediunt ei.* [Qualis est iste, hoc est, quantus, quàm fortis, quàm potens, quàm magnus? Qualis est iste, maior Mose, potentior Elia. Illi enim ambo, quorum vnus ligno mari percusso cum labore discedit, alius ictu melotæ, Iordanem transijt. Iste verò vno verbo mandat illis qui non habent verba, & obediunt ei qui non habent auditum, & obtemperant ei. Hi qui prudentiæ & intellectus expertes sunt, inclinantur iubenti. Quibus neque loquela, neque sermo, obediunt. In eadem autem substantia in qua sunt, & sua natura mouentur, & eius iussioni deseruiunt, ad confusionem mortalium, ad condemnationem corrupt bilium. Iubet mari, & non contemnit: dicit ventis ac tempestatibus & mox compescuntur: iubet & omni creaturæ, & non supergreditur iussionem eius: Et vnum hominum genus, & vnum quod secundùm similitudinem Dei honoratum est, cui verbum & prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantùm inobedientes sunt, hi soli contemnunt. Ideóque & hi in iudicio damnabuntur, & à iustitia punientur, velut deteriores mutis animalibus, vel iis quæ sine spiritu & anima sunt in isto mundo. Mirabantur ergo illi quia mare compescitur, & venti mitigati sunt: admiremur & nos, quando benignitatem & benevolentias ostendit circa nos Dominus; quando nos de periculis saluare dignatur; quando de tumultibus nos liberat; quando ab insidiis insequentibus eruit nos. Miremur, & mirantes gratias agamus, grati obediamus, obedientes timeamus, timentes diligamus, vt æternæ charitatis ab eodem hæredes efficiamur. Mirabantur dicentes. Qualis est iste? sicut homo videtur, & sicut Deus potentiam ostendit: sicut vnus carnalium putatur esse, & super omnia carnalia, magna ostendit mirabilia. Dormit sicut homo, & imperat mari & ventis sicut Deus: In nauicula sedet, & omnem creaturam iussione inclinat, vbi vult, Iesus Christus Dominus noster.]

CAPVT XII.

Decora potentiæ Christi exequentis, sacris titulis iuxta Patrum interpretationem expressa.

484. QVod studium circa substantiales Christi partes, & reliquas earum facultates exornandas collocauimus, prolatis illustribus earum ex Scriptura titulis ad mentem Patrum expositis; idemmet circa hanc postremam Christi facultatem impendere operæ pretium est. Paucos ergo flores huiusmodi titulorum decerpemus, per quos huius potentiæ dignitas & nobilitas innotescat.

Calamus scribæ citi.

S. Athanasius in Psalm. 44. ita intellexit Psalem; & à celebritate exequendi absque obice quæcunque animo destinaret Christus, & eloqueretur, dictum putat calamum scribæ citi. Exemplum profert, ex leprosi curatione, & ex adolescentis filij viduæ Naim suscitatione. Vt enim ad illum dixit, *mundare*; ad hunc verò *surge*; illico mundatio & suscitatio est subsecuta.

Locum hunc D. Athanasij ex commentarijs in eum Psalmum, descripsit Nicetas in Catena Græca Psalmorum, ex quo illum exscripsimus l. 2. sect. 5. c. 2.

Manus tornatiles plenæ hyacinthis.

485. Rupertus lib. 5. in Cant. æquè hunc titulum retulit ad citam & expeditam mirabilium operum executionem per Christum. Sic enim scribit. [Nemo alius manus in faciendis signis atque prodigijs, ita tornatiles, & ita aureas habuit, id est, nemo ita velox & potens existit in huiusmodi, ex omnibus quicumque mira in hoc mundo sunt operati. Qui torno operatur, faciliùs, citiùs, atque perfectiùs operatur. Sic ille dilectus, multo faciliùs, longè citiùs, valdè perfectiùs, mira quæ voluit operatus est, quàm aliquis ex operarijs virtutum, quicumque à sæculo fuerunt. Illi namque multo sudore, multis orationum atque ieiuniorum impendijs, multo clamore cordis & oris; aliunde, siue ex Deo, acquirere & obtinere meruerunt, cuiusli bet (quam vtique in semetipsis, vel ex semetipsis non habebant,) virtutis effectum: hic autem solo nutu, sola voluntate, solo imperio, interdum & tacturnus, quod voluit operatus est. Exempli gratia, cum dixisset in nuptijs, *implete hydrias aqua*, non solùm non clamauit, aut orauit, sed nec voce sua, siue labiorum motu, iussit saltem aut dixit, *conuertantur* vel *conuertimini aquæ in vinum*; sed de hoc omnino tacitus, *haurite nunc* (inquit,) *& ferte Architriclino*, sciens & certus quod satis sensisset natura, conditoris sui tacitum nutum. Nec mirum! Ipse namque erat, & est, antiquus tornator, qui tornauit cælum & terram, & sphærica Solis & Lunæ, cunctatumque stellarum corpora, torno suo, id est, imperio velocissimo.] Eadem pulcherrimè prosequitur Philippus Abbas lib. 5. in Cant. cap. 22. Sed quod vix aliquid habeat à Ruperto diuerium, abstineo eius adscriptione.

Locum Canticorum de Christi potentia, quem Rupertus ex vulgata editione retulit, S. Ambrosius in Valentiniani monodia, vertit *manus eius tornatæ, aureæ, plenæ tharsis*; Et sensum esse dixit, quod in Christi factis & operibus, reniteret gratia. Daniel Melonius ad cap. 16. Palæoti de sacra supellectile num. 13. multas Doctorum sacrorum interpretationes profert, horum verborum: additque vnam ipse quoque, de Christi manibus tornatili clauo confixis, plenis cœlestium donorum. Sed hoc mysterium est.

Venter eburneus, distinctus Saphyris.

486. Fortitudinem potentiæ Christi in fragili & molli admodùm substantia humanitatis, eiusdem summam puritatem, & cœlestem sanctitatem, intermicantibus diuinis actionibus Deum in summa vilitate prodentibus, hæc verba præferunt, vt passim ea exponunt PP. in c. 5. Cant. & perpulchrè Petrus Damiani serm. de S. Ioanne Euang. [In membris (inquit,) humani corporis, vix aliquid ventre fragilius, siue tenerius inuenitur: ideóque per ventrem rectè fragilitas in Christo assumptæ humanitatis accipitur. Ebur autem os est elephantus, quod videlicet animal, fertur esse castissimum, frigidissimæque naturæ. Venter ergo sponsi eburneus est, quia suscepta Redemptoris humanitas, ab omni peccatorum contagio, casta prorsus, & inviolata permansit. Siquidem peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Saphirus autem lapis est, sereni cæli colorem habens: Vnde & in visione Domini dicitur *erat sub pedibus eius quasi opus lapidis saphiri, & quasi calum cum serenum est.* Per saphiros ergo opera diuinitatis intelliguntur, quæ in carne Dominus ostendebat. Venter ergo sponsi *distinctus erat saphiris*, quia Christi humanitas diuinis virtutibus refulgebat. Nec plenus saphiris esse dicitur, sed *distinctus* ita videlicet, vt inter saphiros candor eboris appareret; quia sic Dominus ex parte hominis assumpti operabatur humana, vt aliquando nihilominus ex parte Deitatis ostenderet & diuina. Nam esurire, sitire, flere, postremò crucifigi, & mori, humanitatis erant opera; miracula verò facere, & non solùm alios, sed semetipsum etiam à mortuis suscitare, euidentissima erant diuinitatis indicia. Hoc itaque modo Beatus Ioannes, quasi eburneum ventrem sponsi, saphiris distinguit.]

Philippus Abbas l. 5. in Cant. cap. 23. idem egregiè est prosecutus, concludens his verbis longiorem disputationem.

gnationem. [Ergo venter eburneus, id est operum robusta series humanorum, distinguitur saphyris, id est pulchritudine diuinorum, cum inter illa quæ prout voluit homo potuit fortiter sustinere, cœlestis excellentia gaudet aliquoties in miraculis elucere. Neque enim vel humana semper, vel assiduè diuina diligit operari, sed operandi seriem distinctionis gratia decorati, & sic plusquàm Ionam vel Salomonem eburnea fortitudine hominem se commendat, vt etiam in homine saphyri pulchritudinem, Deum rectè credentibus se ostendat.]

Carbo ignitus.

487. De Christi potentia nunc quidem splendente per opera mirabilia, nunc sopita sub cineribus vilitatis humanæ, id accepit Autor sermonis de B. Maria, perperam S. Bernardo adscripti, *in fine sermonis*. Locum dedi, agens de symbolo cerei.

Pluuia in vellus.

S. Chrysostomus homil. in illud Psalmi 71. *Descendet sicut pluuia in vellus & sicut stillicidia stillantia super terram*, pluuiam interpretatur Christum in Synagogam misericorditer aduenientem, potestate mirabilium paratorum instructum ad prædicationis Euangelicæ conuenientem proseminationem. Eius autem pluuiæ guttas, singula miracula esse docet, quæ Christus per potentiam, qua instructus est, dedit. [Guttæ istæ (inquit) virtutes sunt quibus idem Dominus noster Iesus Christus dignatus est terram veniens implere. Gutta fuit quando leprosum mundauit, puerum Centurionis à mortis periculo sanauit, paralyticum curauit, cæcum illuminauit, mortuos suscitabit, & cætera miracula quæ legistis in Euangelio faciente Domino. Istæ ergo guttæ, distillauerunt in terram, id est miracula in carne humana aduenientia.] Et quia Christi virtutes & miracula, primùm Iudæis sunt exhibita, inde ob Iudæorum ingratitudinem, ad gentes cum Euangelij prædicatione sunt translata, idipsum esse ait S. Chrysostomus, quod ad Gedeonis petitionem, aqua de cœlo manans perfudit primùm, vellus dumtaxat; tum vellere prorsus sicco, area circumfusa maduit sicco prorsus vellere. Quam allegoriam plurimi Patres sunt amplexati, S. Irenæus lib. 3. c. 19. Origenes hom. 1. in Iudic. S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, in prologo, Hieron. ad Paulinum de Monachi institu. Augustl. q. 49. in Iudic. & l. 12. contra Faustum cap. 32. ac serm. 108. de temp. & serm. 2. de verb. Apostoli, Prosper 2. p. de promiss. c. 8. & passim alij.

AVTHORIS ADDITAMENTA.

PAg. 49. col. 1. lin. 7. post hæc verba, Remondum in opere de Antichristo c. 3. videre est, *adde*; Certum tamen est circa Acephalorum denominationem aberrasse Sigebertum in Chronico ad annum 476. cum dixit, [Hæresis Acephalorum exorta est, impugnantium tria Capitula Synodi Chalcedonensis, sine nomine Autoris, ob quod *Acephali*, id est *sine capite* vocati sunt.] Hallucinatur Sigebertus. Neque tam multorum qui Acephalos impugnaret quisquam eam notionem subiecit tali vocabulo. Non Anastasius Sinaita, non Eulogius Alexandrinus, non Ephræmius, Antiochenus, non Leontius Byzantinus, non Vigilius Africanus, falsò creditus Episcopus Tridentinus, non Ioannes Damascenus, non Rusticus Card. Diaconus, non Liberatus, omnes validissimi præter cæteros Acephalorum impugnatores. Nullus horum notionis à Sigeberto propositæ, vel meminit. Verisimillima tamen sententia est quam Leontius Byzantinus l. de sectis sect. 5. adducit, nimirum cum Eutychiani Antiocheni odio Petri Mogi sui Patriarchæ qui Enorico Zenonis subscripserat, seorsim ab eo, atque adeò *absque capite*, conuentus agerent, denominatos esse *Acephalos*.

Pag. 136. col. 2. lin. 44. post hæc verba, per manus sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur, *adde*; Quanquam hæc postrema esse additamentum Leuiathan recentiori manu attextum Athanasij, siue magni, siue iunioris libello de ea transfixione, rectè confirmat Petrus à Valle-clausa, libro de Immunitate à Censura, diatriba 6. Inuerit item de hac Berytensis lignei simulacri transfixione sanguinatione legere venatiorem de Christianorum missorum expeditione apud Syros, conuinctam à Iosepho Bessone, cum agit de Vrbe Berytho, nunc Benus siue Bine.

Pag. 138. col. 2. lin. penult. post hæc verba, in Leone III. *adde*; De sanguine Billomi apud Aruernos asseruato, quod sit verus Christi sanguis, confirmat fusè Raymundus Martinus, opusculo de eo sanguine.

Pag. 155. col. 2. lin. 4. post hæc verba, Fulgentius ad q. Ferrandi, *adde*; Ad quem locum multa circa hoc verbosatur qui notas emisit in eam S. Fulgentij responsionem auctariis suis ad Ferrandi opuscula in textum, quem mihi decennio post hæc primùm vulgata, videre contigit.

Pag. 167. col. 1. lineâ 24. post hæc Verba, quâ Verbum vestitur, *adde*; In quam etiam sententiam sic Theophanes serm. 27. [Milites tunicam inconsutilem, desuper contextam non rescinderunt, sed cui sors obuenerat, eam dederunt. Inconsutilis porrò supernè erat quoniam mos Galilæis erat, tunicas ex laciniis duabus conficere, in humeris Sutura commissis. Hanc verò tunicam oportet intelligere vno contextu fuisse, nullâque commissura compactam. Tunica igitur sanctam Verbi carnem significabat, quam non consuerat semen, & delectatio, sed ex gratia S. Spiritus, erat supernè contexta. Quamuis enim in inferioribus Verbum secundùm carnem genitum fuit, in supernis tamen, ex Deo erat, & Patre.] Hæc postrema clausula non satis cohæret cum antecedentibus. Dicendum enim fuerat, humanitatem Christi non fuisse consutam, quia non coaluerat ex delectatione somni conuenienti, sed ex cœlesti ac superna diuini spiritus operatione. Ad quod nihil refert, generatio æterna ex Patre. An aliquid in contextu qualis editus est, desideratur? Fortassis etiam insinuatur radix incompactæ ex paterno & materno semine generationis, quod Christum secundùm æternam generationem ex solo Patre productum, decuerit humana generatio ex sola matre, secluso Patris creati influxu, ac proinde incompacta.

Pag. 170. col. 1. lin. 46. post hæc verba, verbum per auditum illapsum, *adde*; Idem orat. 4. quæ est in Christi Natale, inuitans ad Christi cunabula omnem mortalium conditionem præter cætera ait. [Concurrant Reges, quod Rex gloriæ pro Regali trabea fasciis inuolutus sit. Accurrant Principes, quod princeps ille pacis in Virginali Opificina, corporis arma cudens, cáque incontaminata Deitate durans, ijsdem Diabolum hostem interemerit. Concurrant Consules, quod cœlestis terrestrem assumpserit Consulem, pulchram habens ac decoram sellam curilem Sanctam Dei Genitricem Virginem Mariam; Consularem verò togam, nullo carnem satam semine, pretiosis illam intextam ac ornatam lapillis, nempe Sanctorum vitis ac eorum rebus gestis: Inæstimabilibus margaritis, præclaris nempe Prophetarum vaticiniis.] Vestis Consularis atque palmatæ decora ex Ausonio in Eucharistico nota, hic micant. Creditus Hieronymus serm. de Assumpt. eadem sententiâ sic pronunciauit de B. Virgine

gine ex quo Spiritus S. eam obumbrauit. [Ante hoc ipsum sanè vterus Virginis, quamuis mundus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus; tamen adhuc vilitate humanitatis induitur, vt ita dicam: Ac si lana candidissima suóque colore dealbata, ad quam sanè cum accessisset Spiritus S. quasi ipsa eadémque lana cum inficitur sanguine conchylij vel muricis, vertitur in purpuram, versa est & ipsa sine coitu in matrem; vt non sit iam amodò quod fuerat; sed purpura verissima ad indumentum & gloriam summi Regis diuinitus aptissimè dedicata, vt nulli deinceps ea vti vsu fœmineo liceuerit, nisi Deo. Quippè (vt ita loquar) Beata & gloriosa Virgo Maria, eo modo, quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis quæ sub cœlo sunt Virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admistionem salua vtraque natura; tamen cum gratia repletur, cum Spiritu Sancto perfunditur, cum virtute Altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, glorioſior suorum prærogatiuis meritorum; ita vt nullis iam vsibus sit ipsa eadémque mancipanda nisi diuinis.]

Pag. 171. col. 2. lin. 48. post hæc verba, sicut dicit Prouerbium, *adde*; Felices igitur, qui Dominum Iesum induerint, & eo (vt Propheta vocanit) salutis vestimento se circundederint. Infelices è contrario qui pro hoc indumento quod Christus est, induuntur veste mixta sanguine quæ est in combustionem & cibus ignis quod de veste mystica inquinata peccatorum sordibus accipit S. Gregorius supra adductus. Contingit istis quod Carolo Regi Nauarræ accidit anno 1386. Cum enim iam annis grauis ad leuandos malè affectos neruos de Medicorum consilio obuolutus esset linteo ad vniuersum corpus assuto quod aqua quæ vitæ vocatur exquisitè perfusum ac imbutum fuerat, oscitantia eius qui linteum consuerat, vt filum abrumperetur candelam filo admota est. Illico autem per filum linteo vniuerso flammis concepto, miser Rex vinicomburio perijt, vt est apud Fulgosium l. 9. c. 11. qui addit affine exemplum Caroli VI. Francorum Regis qui cum aliquot personatis formas syluestrium hominum toto villosus corpore assumperat erant singulis vestes è tenui lino piceato corpori afabrè aptatæ & arctè applicitæ. Incidens in eos sic amictos Dux Aurelianensis Regis Frater, dum incautius admota cominùs candela singulos lustrat, ignis velum piceatum vnius è personatis corripuit, quo ille momento conflagrauit, & serpente ad alterum vicinum flamma, exitium eidem creauit. Rex ipse vix periculo est subductus. His vestimentis cibando igni accommodatis miserè perierunt qui ea induerant. Idem dico iis euenturum qui vestimenta mixta sanguine, amicti fuerint & induere Christum neglexerint qui verò conflagrationem corpoream in hac vita ab exitiali indumento illatam defugerint, nec fuerint etiam ex eorum numero quos cerata & piceata veste induti fuerint qua stantes ardent qui fixo gutture fumant, crudelitate Neroniana qua multi SS. Apostolorum discipuli Romæ sunt extincta, vt habent Tabulæ Ecclesiasticæ 24. Iunij (tunicam molestam dixit Iuuenalis. Satyr. 8. meminitque eiusdem Seneca Epistola 24. & Maluenda l. 9. de Antichr.) non deuitabût togam ardentem miseri illius Abbatis ex Ordine Cistercienſi cuiusliber de Viris illustribus eiusdem Ordinis meminit. Fastidiens Abbas ille pannos vulgares qui in patria promercales erant, curabat sibi quotannis è Flandria pannum singularem. Cumque fato functus esset partientibus inter se monachis eius indumenta Priori Cœnobij illius Saxonici, vbi Abbas obierat, obtigit vna demortui tunica, quam solemni quadam nocte veluti pro reuerentia induens, non secus excruciatus est quam si candentes laminas corpori admouisset. Vnde festinus abiecit vestem è qua scintillæ illico non secus ac ex ferro candente emicuerunt. Indicium id fuit ardentis tunicæ quam in altera vita indutus erat, qui Christum in hac via non induerat.

Pag 175. col. 2. lin. 38. post hæc verba, & Plinius l. 9. c. 35. *adde*; Sandalia siue calcei Iudithæ rapuerunt oculos Holofernis, vt ipsa in suo Cantico asserit, mirum quia erant exquisitè ornati ac pretiosi.

Pag. 176. col. 1. lin. 54. post hæc verba, ex Deuter. c. 25. *adde*; Sed hic euentus est diuersus à priore de quo in lib. Ruth.

Ibid. lin. 59. post hæc verba, agnoscebat Ioannes, *adde*; Idem habet S. Ambrosius lib. de Instit. Virg. c. 14. & Nazian. orat. in SS. Lumina.

Ibid. lib. 64. post hæc verba, planè circa hoc excutiant, *adde*; Huius corrigiæ intuitu Christus nobis vniuersi & omnium Dei dominio subiacentium factus est Dominus. Nam ratione vnionis hypostaticæ, debitum fuisse Christo homini, vniuersale in omnia creata dominium, monstrabitur tractando Christi attributa. Itaque orbis vniuersus dici potest *Castellum corrigiæ*, longè iustius quàm arx ab Hengisto Saxone constructa in Britannia, vt autor est Sigebertus ad annum Christi 434. Exclusus enim à Rege alia petitione, [postulauit tantum terræ spatium sibi dari, quantum vna corrigia posset ambiri vt ibi promontorium ædificaret. Cui cum Rex acquieuisset, accepto ille corio tauri, incidit illud in longissimam corrigiam, & loco quem præuiderat, circumdans, intra ambitum illius constringit castellum, appellauitque illud *Castellum corrigiæ*.

Pag. 191. col. 2. lin. 17. post hæc verba, Spiritus ad resurrectionem, *adde*; Eleganter quoque de eiusdem effusionis admirabilitate ac fructu Adamus Persennas serm. de Annunc. agens de humilitate Deiparæ qua decusso omni tumore euasit in vallem aquæ cœlestis ad inferiora semper delabentis, capacem. Sic verò concludit. [In hac igitur valle taliter irrigata, exortum est frumentum illud quod de se ipso in Euangelio ait; *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Rorantibus quippè cœlis desuper, nubibusque iustum pluentibus, ad abundantiam roris huiusce vallis ista aperuit, & germinauit salutorem. Ex hac pluuiæ cœlestis infusione plenaria, in profundum humilitatis concauum descendente, factus est in Virgine nostra fons aquæ salientis in vitam æternam. Veh arbori quæ ad humorem istum non mittit radices suas. Sterilitate damnabitur, & siccabitur proculdubio arbor illa cum venerit æstus. Ex hoc fonte irrigantur horti aromatum, id est corda Sanctorum aromatibus virtutú redolentia. Secus decursus istarum aquarum plantauit vineam iustorum, Deus iustitiæ meæ.]

Pag. 202. col. 1. lin. 22. post hæc verba, & diuinorum fructuum capacem reddat, *adde*; Itaque imaginatori Christum possumus, omnibus sibi electis veluti insitis diuitem; Cuiusmodi iuxta Tiburtes Tulias ab se visam arborem refert Plinius l. 17. c. 16. omnigenere pomorum onustam, alio tanto nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, Punicis, malorúmque generibus. Tam variè insitam arborem adeò multiformiter feracem, omnibus ex eo electis sibi consitis suppeditantem vitæ Spiritum cogitare possumus Christum. Scitè Chrysostomus ad illud Psalmi primi, *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Christum & absolutè, & nominatim prout Cruci confixum specie arboris repræsentat. Sicut etiam Philippus Abbas l. 2. in Cant. c. 21. latè vt optimè Christum exhibet vt veram malum, cum cæteri omnes etiamsi iusti videri præ eo possint arbores syluestres, iuxta illud sponsæ de sponso Christo, *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Videndus ad

eum

cum locum Cantic.3. S.Gregorius, & Origenes hom. 2.in Cant. cuius est illud breue & scitum a Christum salutis est omne quod dixeris. Igitur electi omnes ex sc agrestes & immites plantæ, per insitionem adiunctæ Christo arbori lectissimæ, succum vitæ hauriunt qui in fructus multiformes omni suauitate redundantes erumpant, & Christum ditant varietate & amœnitate proportionali ei quæ in arbore ad Tiburtes Sulias cernebatur.

Pag. 206. col.1. lib. 33. post hæc verba, & seqq. *adde*; & fauet D. Augustinus, sermone 101. de Tempore.

Ibid. lin. 46. post hæc verba, vt notum est, *adde*; Contractio alia Eliæ qua expandit se, & mensus est super puerum viduæ, de qua 3. Reg. 17. illustrabitur ex nunc subijciendis.

Pag. 216. col.1. lin.65. post hæc verba, serm.2. de resurr. Dom. *adde*; & optimè etiam serm.4. de Christi Natiuitate.

Pag. 270. col.1. ipsomet initio ante titulum, *adde*; Hoc item spectantes nonnulli Patres applaudente Ecclesia dixerunt. *O certè necessarium Adæ peccatum quod Christi morte* (& scilicet præcurrente morti. Natiuitate ac Incarnatione) *deletum est.* Et; *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Sunt hæc S.Gregorij verba, vt quidem plerique autumant, qui Sanctum hunc Pontificem faciunt Autorem illius Prosæ quæ ad cerei Paschalis benedictionem legitur. Alij tamen cum Honorio in Gemma animæ l.3. c.102. tribuunt eam S.Ambrosio. Sed non benè vt notauit Menardus ad Sacramentarium S. Gregorij *pag* 90. & Gauantus ad Rubricas Missalis part.4. titulo 10.n.7. In Missali Gothico adscribitur S.Augustino. Simile illud ex Prosa Gallicana. *O culpa nimirum beata, qua redempta est natura.* Est in Prosa Natalis Domini cuius initium est. *Etare olamus* autore incerto sicut etiam incertus est Autor prosæ in Ecclesia Romana receptæ. Cuiuscunque verò sit, adhibetur in Ecclesia in publicis Officiis atque adeò non potest insimulari errori & quidem grauis ad blasphemiam (si Deo placet) pertingentis, vt admodùm simpliciter factum est à Clyctouæo in Elucidatorio Ecclesiastico his præter cætera verbis. [Itaque eradenda est & prorsus abolenda ab omnibus libris Ecclesiasticis, vtraque dictarum clausularum, neque vnquam Deo concinenda, ne stulta pietate moti, & nescientes psallere sapienter, id culpæ adscribamus, operi quidem dæmonis, quod soli Deo acceptum referri debet.] In suæ verò correctionis probationibus, easdem binas clausulas vt sonant acceptas damnat summæ impietatis atque blasphemiæ. Cúmque idcirco plurimos offendisset, edidit in sui defensionem Opusculum *De necessitate peccati Adæ & felicitate culpæ eiusdem* quo confirmat quæ in Elucidatorio dixerat, rectè habere si propositiones de quibus agitur, secundùm se spectentur ac seorsim ab vsu Ecclesiæ de quo profitetur se nolle agere; adducit insuper pro se varias Ecclesias particulares à quibus illæ clausulæ in prædicta Prosa sunt prætermissæ; vt Iaurienſem in Pannonia, Monasteriensem in Germania, inibique Treuirensem, Moguntinam, & Basileensem. In Gallia verò Virdunensem, Maclouiensem, Senonensem, Renensem, Eduensem, Cœromanensem, Carnotensem, Morinensem, & Religionem Cluniacensem: Sed durum fuit Clyctouæo contra stimulum calcitrare. Nam Romanæ Ecclesiæ autoritas qua hæ clausulæ ratæ habentur præponderat autoritati negatiuæ paucarum Ecclesiarum particularium. Et graues Patres sunt astipulati. Nominatim Chrysostomus sermo 2. de Ascens. edito à Vvossio qui expensa tanta in nos Dei bonitate per occasionem peccati, ex Diaboli inuidia detinati, subdit. [O bonam atque felicem illam inuidiam! O bonum damnum? O inuidia bonorum causa, quæ nobis infinita concilias bona, legémque immortalitatis peperisti.] Non dissimiliter S. Ambrosius in Psal.39. agens de ruina nostra, tam feliciter per Christum reparata. [Felix ruina quæ reparatur in melius.] Denique Richardus Victorinus l.de Incarn. Verbi c.8. monstrans quàm honorifica nobis fuerit Christi satisfactio. l.Nunc (inquit) fidelium deuotio magis gloriatur de redemptionis suæ satisfactione, quàm priùs confusa fuerat de tantæ delectionis opprobrio, intantum vt vbique terrarum Ecclesia fidelium cum omni fiducia canat. O certè necessarium Adæ peccatum, & nostrum, quod Christi morte deletum est. O felix culpæ quæ talem ac tãtum meruit habere Redemptorem.] Omnes Scholastici annuunt post S.Thomam 3.p. q.1. art.3. ad 3. & S.Bonauenturam 1.s.d.46.q.vltima *sub finem*. Itaque hi probatissimi Doctores, nihil putens in prædictis clausulis subolfecerunt, neque per eas censuerunt laudari peccatum, & prædicari intrinsecam aliquam eius felicitatem quorum neutrum peccato congruit vt Clyctouæus vrget. Sed non aduertit mentem Ecclesiæ & Patrum ei subscribentium nihil tale ferre; sed tantum agnoscere supposito decreto de Incarnatione tantorum bonorum nostrum fonte non extitura si homo non peccasset, necessariam fuisse peccati permissionem vt Christus veniret. Et ex mala causa effectum optimum Deo secundùm nimiam charitatem suam decernente manasse. Quorum bonorum tota laus Deo non peccato debetur, vt S.Leo serm. de passio. de Iudæ scelere quod tanta bona, ex Dei solius bonitate sunt consecuta, philosophatur. Igitur Patres prædicti, & Ecclesia eorum sensui applaudens, perspicuè supponunt, Incarnationem non fuisse decretam nisi occasione peccati, & ad eius destructionem, iuxta Danielis prophetiam.

Pag.312. col.1. lin.22. post hæc verba, tantum intendit, *adde*; Disertissimè quoque id tradit in breuiloquo p.4. cap.3.

Pag.313. col.1. lin.33. post hæc verba, quam censuimus veriorem, *adde*; Absque ambagibus tamen, dicere licet, Christum esse genitum ex B. Virgine, quia inde nulla honestarum aurium offensio timetur, & certa veritas est Christum ex matre per veram generationem esse productum, non autem per creationem, iuxta illud Bedæ l.4. in Lucam [Christus conceptus ex vtero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne.] En *non de nihilo*. Igitur non est creatione productus, sed generatione. Qua ex causa Fulbertus Carnotensis notatus est à quopiam tanquam impropriè locutus cum dixit Epist.1. Christum fuisse creatum ex Virgine Maria. Facile tamen est Fulbertum reprehensione eximere, dicendo Christum ab eo appellari *creatum* ideſt *procreatum*. Adde etiam plerisque Latinis Autoribus, nominatim Manilio libros absolutè vocati *creatos*. Est etiam alia eiusdem vocis notio obseruata à Francisco Iunio in variis lectionibus ad librum 5. Manilij. Notat enim verbum *creandi* deductum est à verbo *Cereo*, elisa litera *E*, deriuati autem ab antiqua voce *Cerum* quæ *sanctum* significat. Atque ita *creatus* propriè *sanctum Domino* significat: & *creati* dicuntur ἀνιερεύνητες quasi Cereati, & consecrati, addictique cultui Numinis. Quæ vocis notio Auerno, Germanico, Manilio & veteri Scholiastæ Arati, est fusiliaris. At quis potiùs ex matris vtero addictus Deo, & sanctus Domino, quàm Christus? Itaque in hoc item sensu, dici posset creatus ex Virgine. Verùm Fulbertus ad has argutias non respexit, sed Christum ex Virgine creatum dixit, ideſt productum, eodem sensu haudquaquam impropriè quo homo denominatur *omnis creatura*, & quo passim dicimus *res creatas* omnia Deo contradistincta, etiamsi non omnia acceperint esse per creationem in rigore physico dictam.

Pag.320 col.2.lin.9. post hæc verba, à Deo conceperat, *adde*, S.Leo serm.8.de Natiu.Dom.c.2. [Vtrique naturæ in suis proprietati permanenti, tanta est vnitatis facta communio, vt quicquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disiunctum : quicquid autem est hominis, non sit à Deitate diuisum. Celebrantes igitur dilectissimi, natalem diem Domini Saluatoris, partum B.Virginis, integrè cogitemus ; vt carni, animæque conceptæ, virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus : nec prius formatum atque animatum templum corporis Christi, quod sibi superueniens vindicaret habitator, sed ipsum, & in ipso, nouo homini datum esse principium, vt in vno Dei atque hominis Filio, & sine Matre Deitas, & sine Patre esset humanitas. Simul enim per Spiritum sanctum fœcundata virginitas, sine corruptionis vestigio edidit, & sui generis sobolem, & suæ stirpis Autorem.]

Pag.335.col.2.lin.23. post hæc verba, morbum curat, *adde* ; Laudat hac in parte Nyssenum Ioannes Zonaras epistol.10. quam profert Vulcanius ad librum S.Cyrilli contra Anthropomorph.c.24. describens suum cum Imperatore de eo dubio colloquium, vt constat ex fine Epistolæ quam mutilam esse patet ex eo limbo.

Pag.339.col.1.lin.32. post hæc verba, benedictus in sæcula. Amen, *adde* ; Guerricus Bernardi discipulus Magistro non indignus, à Patre Christi concepti miraculum humilitatis & studium silentij colendi contemplatur serm.3. de Annunc. [Mater (inquit) virgo concipiens & pariens, signum nobis est, quia Deus est, homo iste qui concipitur & paritur. Filius diuina faciens, & humana patiens, signum nobis est, quia in Deum transferet hominem pro quo concipitur & paritur, etiam & patitur. Omnium tamen humanarum infirmitatum vel iniuriarum quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore ptimam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore, maiestas illa incircunscripta, passa est contineri : Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitùs à semetipso defeciſſe visus fuit ? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur ; nullo signo visibili maiestas quæ clausa latet proditur. Non sic in Cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat Centurionem : quando horarius dolor Passionis, ei non solùm compati facit delementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passione dolorum : In vtero autem sic est, quasi non sit : sic omnipotens virtus vacat quasi nihil possit ; Et Verbum æternum sub silentio se premit. Vobis tamen, Fratres, vobis illud silentium Verbi loquitur, vobis clamat, vobis vtique disciplinam silentij commendat. In silentio enim & spe, erit fortitudo vestra, sicut Isaias promittit, qui cultum iustitiæ, silentium definiuit. Sicut namque puer ille conceptus, in vtero, ad maturitatem partus, sub alto & diuturno profecit silentio ; sic & spiritum hominis disciplina silentij nutrit, format, & roborat : & quanto occultiùs, tanto tutius & salubrius incrementum præstat. Nescit homo animalis qui non percipit quæ sunt Spiritus Dei, quæ sit via spiritus, & quomodò compingantur ossa in ventre prægnantis ; sed non est occultatum os meum à te (ait Sanctus Deo,) quod fecisti mihi in occultamentis, sub secreto silentij.]

Pagin.363.col.2.lin.16. post hæc verba, vt liquet ex illis, *adde* ; S.Iacobi in Liturgia, ante Purificationem [Domine Iesu Christe, Dei Verbum, qui tua sponte Deo & Patri victimam irreprehensam in Cruce obtulisti : illæ duplicis naturæ carbunculus, qui forcipe labia Prophetæ attigisti & eius peccatum abstulisti ; tange & nostros qui peccatores sumus sensus ac nos purga ab omni macula, purósque nos sisti sancto altari tuo, vtili laudis sacrificium offeramus.] Optima item in hanc rem illa.

Pag.380. col.2.lin.45. post hæc verba, confert lumini intra laternam, *adde* ; An hanc ob causam proportione seruata, pius ac in Dei opere fortis administer S.Bernardus Tirmensis, vt referetur in eius Actis c.50. obiectus est specie lucernæ intra laternam ? Cuidam enim miranti, vnde homini nulla patranti miracula, tantum famæ donum adesset, & idcirco eum curiosè explorranti, obiecta est species quam dixi

Grandem laternam radianti lumine plenam,
A nullo ferri vidit, nulloque referri.
Bernardi gressus ducentem, siue regressu.

Cúmque Bernardo nunquam præferretur lumen, idcirco curiosus perscrutator,

Talem vel tantam stupuit mirando lucernam.

[Pater nimirum (ait Gaufridus Grossus Adorum Scriptor) quod Dominus per later nam itinerantibus luminis baiulam, designare voluit, operum sui Confessoris lucentem copiam, sequentibus illum à Domino prauiam.] Fuisse tamen lucernam hanc flabris plenisque impetitam ad extinguendam in nocte claritatem eius, vniuersus viæ eius rectus declarat. Et fuisse etiam lampadem contemptam in oculis suis, & apud cognitiones multorum diuitum, donec aduenitet tempus statutum, ibidem cernitur.

Pag.390.col.1.lin.35. post hæc verba, participatione acciperent, *adde* ; Pertinet præterea ad Christum, commistio illa salis & aquæ, quam vsurpat Ecclesia in aquæ lustrali confectione, vt benè notauit S.Vincentius serm. de aqua benedicta, & multis illustrat Marsilius Columna sect.2. hydragiæ. cap.4. num.2. & plerisque seqq. Rident hodierni Græci hanc salis cum aqua commistionem : putántque filij à Latinis, ad conciliandam aquæ suæ benedictæ incorruptionem, vt refert Franciscus Richardus l.de sacra expeditione ad Insulam S. Irenes cap.13. cum ipsi de aqua sua benedicta nullo condita sale, ad longissimum tempus incorrupta, maximè soleant gloriari ; eámque incorruptibilitatem ostentare gaudeant, tanquam sanctitatis ritus Græcanici, solidum argumentum. Aquam verò ritu Latino benedictam, admisto sale, vltra diem trigesimum non perstare incorruptam mendaciter contendant ; testante experimento certo, seruatæ aliquando aquæ benedictæ, ad quadriennium. Quinetiam post annos duodecim, concluſam phiala vitrea aquam, perstitisse nullatenus violatam, idem Autor confirmat. Sed dimisso vano hoc typho Græcanico, certum est, salis admistionem, non spectare aquæ incorruptionem, cui potius officeret ; sed spectare diuinæ Sapientiæ adiunctionem cum limo nostro fluxaque mortalitate, de qua scriptum est, *omnes morimur, & sicut aqua dilabimur.* Hoc renoluuntur quæ Abul.4.Reg.2.q.37. & Gul. Durand. l.4. ration. cap.4. meditantur de ritu hoc Ecclesiastico, deriuato ex sale per Elisæum immisso vasi nouo, & ad aquas sanandas adhibito. Sal enim illud Elisæi spectasse verbi corporationem, iam dictum est.

Ibid. col.2. lin.5. post hæc verba, lib.1. cap.157. *adde*; Hanc salis in omni sacrificio adhibendi diuinam iniectam Hebræis necessitatem, Satan Dei mimus & perpetuus Mosaïcarum obseruationum æmulus, infigit ethnicis : quandoquidem Plinio teste l.31.cap.7. [Maximè in sacris intelligitur salis auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.] Sic farre pio, & saliente mica, molliri auersos penates, dixit Flaccus l.3. oda 23. & l.2.Saty.3. spargi mola salsa caput natæ ante aras pro vitula statutæ, testatur. Institutum id fuisse à Numa qui Hebræos plerosque ritus expilatæ, dixit Plinius l.12.c.2. Tantam verò salis in sacris frequentiam testatus Plato, dialo. de natura, Sal *amicum Deo corpus*, appellauit. Ad cuius dicti explicationem

superuacua sunt, quæ Franciscus Valesius l. de sacra Philosoph. cap. 16. commentatur de affectu dæmonum erga quædam corpora. Nullus enim talis affectus ineram inest dæmonibus, nisi si eum aliquando amentiuntur, ob symbolicam alicuius corporis significationem. Id quod multo magis de Deo est asserendum. Sal ergo, Deo acceptum est; ob mysticam sapientiæ, & corruptionis abactæ significationem: aquæ duo contulit Christus naturæ humanæ, per suum cum ea nexum in vnam personam. Cumque Deus id adumbrari voluisset, frequenti vsu salis in Sacris abs se constructis, permersus Dei æmulator ad nefaria sacra transtulit.

Pag. 401. col. 2. lin. 56. post hæc verba, mea vita Deo, *adde*; Tandem Adam Personnas homil. de Annunc. fusè accómodans Deiparæ virgam Iesse, sic habet præter cætera. [Virga de radice Iesse Saluatore concepit. Frondit, quando obumbrans ei, Altissimi virtus, & Angelis & hominibus mysteriũ occultauit. Fructificauit, quando quem sine contagione conceperat, sine dolore partu edidit. Conceptum itaque Virginis, virgæ florem diuinus: Velamenta mysterij, frondes: Partum, nucem de virga prolatam. Nux optimè conuenit Sacramento. Denique nascentis, vnam in tribus subsistentijs personam figurat. Corium nucis, refer ad carnem; testam ad animam; nucleum ad interiorem diuinitatis dulcedinem. Corium habet amaritudinem, quo Saluatoris sustinuit passionem; Testa fortior, animæ mundum saluantis designat virtutem; Oleum quod de nucleo elicitur, quia reficit, lucet & medetur, diuinitati congruit quando sitientes iustitiam satiat, cæcos illuminat, peccatorum vulnera sanat. Ad hoc egressa est Virga de radice Iesse, vt sic floreret, vt tales fructus nobis proferret.]

Pag. 402. col. 1. lin. 29. post hæc verba, de quo, *adde*, Latissimè Adam Personnas serm. de Annunc. & Ambr. lib. 3. de Virg.

Pag. 471. col. 1. lin. 23. post hæc verba, comprehensionem Dei: quod, *adde*, videri potest Iustinus (si ipse Auctor libri de Trinitate. Nam in libri fine quærens quid Christus quem vocat Dei templum, (phrasi benigne mollienda) plus habeat quàm cæteri quod attinet ad Dei contuitionem, comparatione Solis adhibita, sic dissoluit quæstionem. [Communis hic Sol nobis quotidie se præter omnibus; nec magis minúsve irradiat alium quàm alium, sed in omnes ex æquo exercet vim suam: Attamen si quis acutiore visu polleat, plus eius splendoris recipiet, non quod Sol magis in eum agat quàm in cæteros, sed propter vim oculorum eximiam. At quisquis infirmos habet oculos, ne obtueri quidem tantam lucem poterit, propter eorum hebetudinem. Idem cogita de Sole Iustitiæ, cum sit Deus; ex æquo illam adesse omnibus iuxta suam essentiam: Nos autem quotquot sumus, vt hebetes & oculis squalentes præ peccatorum sordibus ad percipiendam lucem non esse idoneos. Templum verò illud proprium, oculo purissimo, splendorem totius luminis capere, vtpote formatum S. Spiritus opera, & à peccato prorsus alienissimum. Nam sicut Sol, quamuis sua vi attingat pariter omnia, tamen non ab omnibus similiter capitur: sic Verbum illud iuxta essentiam præsens omnibus, non similiter adest cæteris, vt templo proprio.] Aiebam hæc videri ferre sententiam illam, quod anima Christi per intellectionem creatam comprehendat Deum. Idipsum,

Pag. 480. col. 2. lin. 14. post hæc verba, prædictæ expositioni, *adde*, S. Amphilochius alter è duobus sermonibus in hoc Christi dictum, tantum abest vt filij ignorantiam ex eo haberi dicat, vt priùs causam scientiæ Filij inde haberi contendat. [Nam quia omnia quæcunque habet Pater, palam Filij sunt; neque Filius nisi Patre habente, eorum notitiam haberet. At quia Pater habet, confessum ergo est, habere etiam Filium. Particulam enim, *nisi*, consuenit Scriptura ponere, quandoque quidem negatiuè, cuiusmodi est illud, *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso: ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus qui est ex Deo.* Quandoque verò ponit, ad eorum quæ futura quidem expectabantur, nequaquam tamen euenerunt, rationem reddendam: vt cum ait, *Nisi Dominus Sabaoth, reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha, similes fuissemus.* Quia igitur reliquit nobis semen, haudquaquam facti sumus sicut Sodoma; nec verò Gomorrhæ similes euasimus. Et iterum; *Nisi quia Dominus adiuuit, paulo minùs habitasset in inferno anima mea.* Quandoquidem ergo me adiunt Dominus, nequaquam habitauit in inferno anima mea. Nec illud longè abest. *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum exsurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.* Quia igitur Dominus in nobis est, pateſit quod non deglutierint nos. Sic itaque etiam hoc loco. *Neque Filius nouit nisi Pater.* Quia ergo nouit Pater, confessum est quod & Filius. Dixit ergo causam scientiæ, non falsò affinxit ignorantiam.] Non placet hæc S. Amphilochij glossa, quia non quadrat intento Christi, nolentis satisfacere quæsito discipulorum & aperire diem iudicij. Vndecunque enim sciret Filius, dummodò sciret, aperire posset, nec prætexeret idoneam causam negandi responsum. Homines quoque censeri possent scire diem iudicij, (quod tamen Christus diffitetur,) etiamsi eum non scirent nisi per Patrem, à quo quicquid alij sciunt, haustum fuerit necesse est. Itaque non est commoda S. Amphilochij interpretatio.

Pag. 481. col. 1. lin. 18. post hæc verba, obseruantes emendaremur, *adde*; Nec minùs perspicuè Isidorus Pelusl. l. 1. Epist. 117. [Quid (inquit,) aduersùm seipsos Domini iudicium impij homines attrahunt? Quid gehennæ ignem, Dei hostes accendunt? Consummationis diem (inquiunt) Dominus ignorauit. Absit. Verùm inutiles quæstiones explicare recusabat: alioqui quonam pacto horam aut diem ignorare poterat sæculorum effector, in quo thesauri omnes sapientiæ, siti sunt? Non erat ignorantis, ipsa quoque extremi diei signa & terrores prædicere, eúmque velut præsentem certis notis atque insignibus describere. Verùm (vt iam dixi,) vanæ percunctationis explicationem ac sententiam minimè declarandam duxit. Quid enim, dic quæso vtilitatis attulerit, finis mundi diem exploratum habere? At verò eundem ignorare conducit; vt omnem diem, illum esse existimantes, parati ad eum simus, vigilantes, ac Dominum nostrum expectantes.]

Pag. 516. col. 2. lin. 21. post hæc verba, habere propositam. Illius, *adde*; illum omnium primum fructum proponit S. Augustinus serm. 71. de diuers. [Quæ maior esse misericordia super miseros potuit, quàm illa quæ cœli creatorem de cœlo depositi, & terreno corpore, terræ induit conditorem; eum qui in æternitate patris, manet æqualis, mortalitate coæquauit & nobis; formam serui, mundi Domino imposuit, vt ipse panis esuriret, satietas sitiret, virtus infirmaretur, sanitas vulneraretur, vita moreretur? Hoc autem vt nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, extingueret iniquitas, ardesceret charitas. Quæ maior misericordia, quàm creari creatorem, seruire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem? Nobis de præbendis eleemosinis præcipitur, vt panem demus esurienti. Ille seipsum vt nobis daret esurientibus, priùs pro nobis se tradidit sæuientibus. Præcipitur nobis vt peregrinum recipiamus: Ille pro nobis in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Ipsum denique benedicat anima nostra, qui propitius fit omnibus iniquitatibus eius, qui sanat omnes languores eius, qui redimit de cor-

ruptione vitam eius, qui eam coronat in miseratione & misericordia, qui satiat in bonis desiderium eius.] Hæc de multiplici misericordia nobis per Christum prærogata, B. Augustinus. Omnia verè, nisi quod suscepto humanitatis quæ prima & summa misericordia erga nos in propositis verbis numeratur, non fuit Christi provt carne nostra induti misericordia erga nos, sed duntaxat Patris siue SS. Trinitatis, quia Christus provt homo Deus, non potuit elicere actum misericordiæ erga nos, cum humanitas est copulata Verbo, quia ea copulatio cum pertinuerit ad esse ac constitutionem Christi, antecessit omnem Christi operationem. Cæteri verò actus vnione posteriores, & ab ipso Christo iam constituto, in bonum nostrum eliciti vt miseria nostra leuaretur, fuerunt propriè actus misericordiæ Christi erga nos, & provt tales rectè sunt à B. Augustino repræsentati. Eiusdem virtutis misericordiæ,

Pag. 562. col. 2. lin. 35. post hæc verba, in aliorum opinione, *adde*, Refragari videntur nonnulli dedecere putantes vt Christus pudore affectus dicatur ad ignominias & vulgo dictas confusiones, cum Apostoli gestirent præ gaudio quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Itaque ne in passione quidem, vbi confusio operuisse legitur faciem Christi, & tota die verecundiam suam contra se fuisse ipsemet affirmat, existimant non fuisse in Christo verecundiam, quamuis non deesset quæ in nobis esset verecundiæ confusionisque & pudoris materia. Ita Gabriel Aluares ad cap. 53. Isaiæ circa illa verba, *& quasi absconditus vultus eius*. Non placet tamen ea sententia, cum videatur vim inferre plerisque Scripturis; quæ tametsi ferunt Christum non succubuisse verecundiæ, & præ ea abstitisse benè facere, tamen apertè agnoscunt Christum esse verecundatum & confusum nominatim in passione. Videsis Psal. 43. v. 16. & Psalm. 68. v. 8. & vtrobique Hieronymum. Subscribit Lorinus in Psal. 88. ad vers. 46. & Auendanius ad titul. Psal. 44. sect. 8. num. 610. qui de triumphata & vt Apostolus Hebr. 12. loquitur, contempta ac floccifacta confusione accipit illa Isaiæ ex persona Christi, Dominus Deus auxiliator meus, ideò non sum confusus; *Ideò posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar*. Quæ tantùm ferunt, Christum non esse pudore absterritum & confusione victum, ne operi Dei insisterent, quod plerùque vsuenit mortalibus, quamuis reipsa confusionem ac pudorem admiserit; præsertim per tempus Passionis ac Crucis.

Pag. 567. col. 2. lin. 65. post hæc verba, Verborum Euangelicorum, *adde*; Quod de Christo nulla tentatione vel contrito, vel commoto diximus. Origenes l. 2. in Iobum expressit similitudine adamantis ad quemvis mallei ictum immoti. Quælibet enim tentatio vt idem Origenes fusè prosequitur homil. 3. in Ierem. est veluti malleatio ac tunsio super incudem, vnde Satan ex eiusdem Hieremiæ assertione est malleus vniuersæ terræ. Solus Christus eius mallei ictibus neque attritus est, neque tantisper violatus: Vnde adamas iure denominatus est, vt statim referam, & his verbis tradit Origenes pro Christi typo habens lapidem adamantem, quin idcirco nusquam repertum aut post Christi veri adamantis aduentum. Verba Origenis sunt. [Singularis ille, & diuinus, cœlestis quoque atque incorruptibilis adamas, Vnigenitus Deus, à Patre ad terras missus, de quo dicit Deus Pater, *Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei*, quem neque ignis tentationum in deserto comminuit; quem non plagæ impiorum in Cruce contriuerunt; quem neque sepultura sepulchri, neque mortis interitus, vel inferorum violauit, sed omnia superant, diuinum & incorruptibilem se adamantem fuisse, demonstrauit. Adamas verò est naturaliter talis lapis; cui neque ignis, neque ferrum, neq; aliud quicquam prævalet. Ferro enim si percutiatur, demergitur in ferrum tanquam plumbum missum in ignem. Si in ignem mittatur, similiter permanet vt missus est, & non violatur. Ergo quia nihil ei prævalet, ideò adamas appellatur. Adamas verò interpretatur ex Græca lingua *indomabilis*, inflexibilis, inalterabilis, incomminutus, & vt breuiter dicam, cui nec quicquam prævalet, neque percutiendo, neque adurendo. Nam percussus non comminuitur, exustus non conteritur. Meritò ergo adamas appellatur, vt potè insuperabilis. Quod si dixerit aliquis, vbi est modò, vel vbi conspicitur huiusmodi lapis adamantinus. Audi. Hæc omnia typus fuerunt D. Iesu Christi, qui vsque ad aduentum Domini, erant & visa sunt: Post aduentum autem Domini, visa non sunt. Vbi videtur nunc phœnix, vbi vrna Adam? Vbi videtur arca Testamenti vel vrna mannæ? Sic similiter nunc, vbi videtur adamas, atque ea quæ typum Domini gerebant. Et scilicet vsque ad aduentum Domini visa sunt, vtpotè figuræ; & inde abscondita sunt Domino ipsas figuras adimplente.] Quod post Christi aduentum desierit adamas, explodendū est. Admittenda verò correspondentia Christi cum adamante ob insuperabilitatem per quamcunque tentationem.

P. 570. col. 1. lin. 36. post hæc verba, Gerso notat stultitiæ, *adde*; Estque reuera longè aliud quàm quod Autor Tractatus de vite vera cap. 5. dixit agens de Passione Christi. [Passionem, non illum diem vnum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi, Crux fuit & Martyrium.] Hoc non dicit iste Autor de præsensione perpetua dolorum in passione illatorum; sed de continuatis vita tota Christi perpessionibus diuersi generis, quas piè admodùm recenset, bona parte reliqui capitis. At ij quos Gerso stultitiæ notabat, cruciatus tempore Passionis à Christo exceptos, volebant Christo per totam vitam iuges fuisse, ob eorum præconceptionem distinctam, & admissionem ex charitate in Deum ac nos. A qua sententia, planè abhorreo.

INDEX

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
QVÆ IN HOC OPERE SPARSIM ILLVSTRANTVR.

EX GENESI.

Cap.1.v.2. Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux. f.105.n.124
2.7. Formauit igitur Dominus Deus hominem. 140.204
2.10. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, &c. 389.311
21.6. Risum fecit mihi Deus. 2.4
26.19. Foderúntque in torrente & repererunt aquam viuam. 3.6
27.16. Pellesque hædorum circumdedit manibus colli & nuda protexit. 167.263
27.27. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. 188.309
28.18. Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper. 393.408
49.10. Non auferetur sceptrum de Iuda. 4.2

EX EXODO.

Cap.3.5. Solue calceamentum de pedibus tuis. 28.62 172.277. & seq. 174. & seq.
4.9. Sume aquam fluminis & effunde eam super aridam, &c. 191.316

EX LEVITICO.

Cap.2.13. Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. 390.399. & seq.
c.14. De duobus pullis, quorum vnus occidebatur alter dimittebatur. 61.12
c.16. De duobus hircis vno occidendo, altero dimittendo. 61.13
23.17. Panes primitarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ quos coquetis in primitias Domini. 341.290

EX LIBRIS REGVM.

Lib.1, Cap.1.1. Erat vir vnus de Ramathaim sophim, de monte Ephraim. 393.406.520.303
7.6. Et conuenerunt in Maspath, hauseruntque aquam & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi peccauimus Domino. 184.301
3.1.42. Pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua. 206.351. & seq.
2.20. 21. Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, &c. 387.392. & seq.
4.34. Et ascendit & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incurnauit se super eum, & calefacta est caro pueri 206.351. & seq.
20.11. Reduxit vmbram per lineas quibus iam descenderat in horologio Achaz.

EX IOBO.

Cap.2.3. Commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. 267.108
5.9. Qui facit magna & inscrutabilia absque numero 2.5
7.10. Neque cognoscet eum amplius locus eius. 236.27
8.9. Sicut vmbra dies nostri sunt super terram. 179. 292.
9.24. Terra data est in manus impij. 188.303
9.30. Si lotus fuero quasi aquis nimis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me, &c. 192.318
9.31. Abominabuntur me vestimenta mea. 166.261. & seq.
4.14.7. Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit. 572.448
20.17. Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis & butyri. 1.2.188.308
23.7. Proponat æquitatem contra me. 240.339
25.6. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis. 217.376
26.10. Terminum circumdedit aquis donec finiantur lux & tenebræ. 179.290
28.19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia. 286. 160.433.81
37.6. Qui præcipit niui vt descendat in terram. 194. 323. & 197.329
39.18. Deridet equum & ascensorem eius. 209.359
40.20. An extrahere poteris Leuiathan hamo. 220. 384. & seq.

EX PSALMIS.

Cap.8. Frater non redimit, redimet homo. 267.166. sub fin.
13.2. Dominus de cœlo prospexit. 185.303
15.10. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. 136.192
17.10. Descendit & caligo sub pedibus eius. 14.22
17.11. Ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum. 21.45
17.12. Posuit tenebras latibulum suum. 25.55.21.45 14.22
18.3. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. 14.22
18.6. In sole posuit tabernaculum suũ. 3.4.327.254. fin.
18.6.7. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo, &c. 10.12. & seq.
21.2. Deus Deus meus, respice in me quare me dereliquisti 130.181. & seq. 131.183.133.188. & seq. Longè à salute mea verba delictorum meorum. 536. & seq.
21.7. Ego autẽ sum vermis & non homo. 216.376. & seq.

32.4. *Omnia opera eius in fide.* 30.68
35.10. *Apud te est fons vitæ.* 189.311
36.34. *Exaltabit te vt hæreditate capias terram.* 186. 304
41.7. *Memor ero tui de terra Iordanis & Hermonym.* 377.372
44.2. *Eructauit cor meum verbum bonum lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* 162. 252. 164. 255. *& seq.*
44.8. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* 320.240.429.69.*& seq.*437.91
44.9. *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis.* 170.271
47.10. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* 46.111
57.9. *Sicut cera quæ fluit auferentur.* 364.343
59.10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* 172.275.*& seq.*174.281
68.12. *Factus sum illis in parabolam.* 8.7
68.21. *Sustinui qui simul contristaretur & non fuit.* 491.*& seq.*
71.6. *Descendet sicut pluuia in vellus,&c.*190.312.*& seq. Et sicut stillicidia super terram.* 193.319
74.9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto & inclinauit ex hoc in hoc : veruntamen fex eius non est exinanita ; bibent omnes peccatores terræ.* 357.329
77.2. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* 8.4
77.23.24. *Ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.* 350.*& seq.*
84.2. *Benedixisti Domine terram tuam.* 188 308
84.12. *Veritas de terra orta est.* 186.305.*& seq.*
92.1. *Dominus regnauit, decorem induit.* 408.12
92.1. *Decorem indutus est.* 170.271.*& seq.*
95.4. *Quoniam magnus Dominus.* 13.21
96.2. *Nubes & caligo in circuitu eius.* 14.22.21.45
104.15. *Nolite tangere Christos meos & in prophetis meis nolite malignari.* 79.63
113.16. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* 104.122
118.105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*377.372
131.11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* 300.195
131.17. *Paraui lucernam Christo meo.* 370.359
138.16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* 309. 214.310.216
142.2. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* 435.79
147.16. *Qui dat niuem sicut lanam.* 195.325
Nebulam sicut cinerem spargit. 196.326
147.17. *Mittit crystallum suam sicut buccellas.*198.330

EX PROVERBIIS.

Cap.3.18. *Lignum vitæ est his qui apprehendunt eam.* 201.339

EX CANTICIS.

Cap.1.2. *Oleum effusum nomen tuum.* 183.299
2.1. *Ego flos campi & lilium conuallium.* 301.196
4.16. *Veni Auster, perfla hortum meum & fluent aromata illius.* 327.256
7.1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* 19.39

LIBRI SAPIENTIÆ.

Cap.18.15. *Omnipotens sermo tuus, de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiluit, &c.* 12.19

ECCLESIASTICI.

Cap.24.12. *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* 329.259
47.16.17. *Impletus es quasi fluuius Sapientia & terram retexit anima tua & replesti in comparationibus ænigmata.* 7.3

ISAIÆ.

Cap.1.18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur.* 197.328
1.19. *Si volueritis & audieritis me,bona terræ comedetis.* 186.304
2.22. *Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse.* 13.20
4.2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia.* 202.343
7.11. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni siue in excelsum supra.* 13.19
7.15. *Butyrum & mel comedet.* 1.2.450.125.501.251
8.1. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* 162.253.*& seq.*165.257
9.6. *Paruulus natus est nobis.* 271.124.13.21
11.1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* 398.*& seq.*
21.11. *Custos quid de nocte ? dixit custos : venit mane & nox.* 182.297.14.22
19.1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* 383.382.384.384.386.388
29.11. *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati quem cum dederit scienti literas, dicens: lege istum, & respondebit non possum, signatus est enim.* 163.254.8.4
40.27. *Quare dicis Iacob, & loqueris Israël : abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transiuit.* 28.63
42.3. *Linum fumigans non extinguet.* 366.349
53.2. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* 187.306
53.8. *Generationem eius quis enarrabit.* 17.31.19.39

IEREMIÆ.

Cap.11.19. *Mittamus lignum in panem eius.* 340.286. *& seq.*
23.5. *Suscitabo Dauid germen iustum.* 201.341.*& seq.*

THRENOR.

Cap.4.20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris cui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus.* 177.287.*& seq.*

DANIELIS.

Cap.2.34. *Abscissus est lapis de monte sine manibus & percussit statuam, &c.* 393.407.*& seq.*396.414
9.24. *Septuaginta hebdomadæ, &c.* 4.2
9.24. *Vt finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas.* 281.147.*& seq.*
12.4. *Claude sermones & signa librum vsque ad tempus statutum.* 8.5
12.4. *Plurimi pertransibunt & multiplex erit scientia.* 3.6

MICHEÆ.

Cap.4.8. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion vsque ad te veniet ; & veniet potestas prima, regnum Ierusalem.* 182.297

MALACHIÆ.

Cap.3.1. *Ecce ego mitto Angelum meum.* 109.130

MATHEI.

Cap.4.2. *Cum ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus postea esuriit.* 416.32
5.13. *Vos estis sal terræ.* 390.399. *& seq. Quod si sal euanuerit, in quo salietur.* 391.403
5.15. *Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio.* 371.360
8.27. *Qualis est iste quia venti & mare obediunt ei.* 586.483
11.29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* 525.518.527.323. *& seq.*
13.31. *Simile est regnum cœlorum fermento.* 222.389. *& seq.*
13.44. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* 8.5.188.309
17.2. *Et transfiguratus est ante eos.* 410.18. *& seq.*
17.2. *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* 194.323
18.20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

MARCI.

Cap.13.32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater,* 480.202. *& seq.*
14.33. *Cœpit pauere & tædere.* 565.430
16.19. *Sedet a dexteris Dei.* 150.214

LVCÆ.

Cap.1.32. *Hic erit magnus.* 150.225
1.35. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* 178.288. *& seq.* 216.376.305.206. *& seq.* 315.226. *& seq.* 320 238. 345.299
1.35. *Quod nascetur ex te sanctum.* 429.70. *& seq.*
1.42. *Et Benedictus fructus ventris tui.* 401. 425. *& seq.*
2.47. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & Responsis eius.* 474.186. *& seq.*
2.48. *Fili quid fecisti nobis sic.* 314.226
2.51. *Et erat subditus illis.* 517. *& seq.*
2.52. *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* 438. *& seq.*
10.22. *Omnia mihi tradita sunt.* 104.120
10.34. *Imposuerit illum in iumentum suum.* 209.360
22.43. *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum.* 492. *& seq.*
22.44. *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* 418.34
23.43. *Hodie mecum eris in paradiso.* 150.226

IOANNIS.

Cap.1.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* 14.23
1.5. *Lux in tenebris lucet.* 440.99
1.12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* 234.22. *& seqq.*
1.14. *Verbum caro factum est.* 39.93.49.118.100. 115.104.120.14.23
1.26. *Medius autem vestrûm stetit.* 532.337
1.27. *Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* 19.39. *& seq.* 172.275. *& seq.*
2.19. *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* 46.111. *& seq.*
3.13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* 45.108.104.122. 185.303
3.16. *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.* 281.147. *& seq.*
3.34. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit filium, &c.* 435. *& seq.* 481.204. *& seq.*
8.12. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ.* 383.383
18.25. *Si malè locutus sum testimonium perhibe de malo: si bene cur me cædis.* 523.311
9.4. *Venit nox quando nemo potest operari.* 503.256
19.30. *Inclinato capite tradidit Spiritum.* 556.403
19.34. *Et continuo exiuit sanguis & aqua.* 506.264
19.42. *Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum posuerunt Iesum.* 131.183

ACTORVM.

Cap.10.38. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto.* 440.98

ROMAN.

Cap.5.14. *Adæ, qui est forma futuri.* 165.259. *& seq. Si enim vnius delicto multi mortui sunt.*
5.15. *Multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* 253.76
6.6. *Vt destruatur corpus peccati.* 396.431
8.3.4. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, &c.*
9.28. *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* 203. *& seq.*
13.14. *Induimini Dominum Iesum Christum.* 171.273

PRIMÆ CORINTH.

Cap.1.7.8. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est quam nemo Principum huius sæculi cognouit.* 9.8
2.14. *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* 28.64
5.7. *Expurgate vetus fermentum.* 222.391
10.4. *Petra autem erat Christus.* 394.410
15.47. *Secundus homo de cœlo cœlestis.* 40.97.45.108. 185.303

SECVNDÆ CORINT.

Cap.5.21. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 538.351. *& seq.*

GALAT.

Cap.2.20. *Tradidit semetipsum pro me.* 285.152. *& seq.*

EPHES.

Cap.4.10. *Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.* 149.244

PHILIP.

Cap.2.7. *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* 34.82
2.7. *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* 526. 319. *& seq.*
2.7. *In similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo.* 168.265. *& seqq.*

COLOSS.

Cap. 1. 15. *Primogenitus omnis creaturæ.* 274. 131. 275. 133. *& seqq.*
2. 9. *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* 46. 111. *& seqq.* 99. 113. 176. 285

PRIMÆ TIMOTH.

Cap. 2. 6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* 515. 290
4. 10. *Qui est Saluator omnium hominum maximè fidelium.* 282. 149

HEBR.

Cap. 2. 14. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini & ipse similiter participauit eisdem.* 97. 109. 419. 41

IACOB.

Cap. 1. 21. *Suscipite insitum verbum.* 198. 333. *& seqq.* 200. 339

IOAN. 1.

Cap. 1. 5. *Deus lux est.* 281. 295
4. 2. *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse ex Deo est & omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo, non est.* 33. 78

APOCAL.

Cap. 4. 3. *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.* 386. 388. *& seq.*
5. 5. *Radix Dauid.* 200. 337
6. 2. *Et ecce equus albus & qui sedebat super illum habebat arcum & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.* 210. 360. *& seq.*
19. 11. *Et vidi cœlum apertum & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, &c.* 210. 360

INDEX RERVM
ET VERBORVM
QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Num. 1. paginam indicat, 2. Paragraphum.

A

Abbreviationes variæ. pag. 205. 348
Abbreviati Verbi effectus. 207. 355
Accidentia an Verbo vniri possint. 94. 104
Accidens spirituale an recipi possit in materia, vel contra. 123. 164
Actiones Christi non sunt omnes Theandricæ. 247. 58. & seq. omnes salutem nostram meruerunt. 252. 73
Adam post peccatum vestitus, Verbi Incarnati emblema. 165. 259. & seq.
Ænigma quid sit. 7. 2
Ænigmatum vsus. 7. 3
Ænigmatibus sapientiâ inuoluitur. 7. 1
Prophetiæ sunt Ænigmata. 8. 5
Mundus est Dei Ænigma. 8. 4
Scriptura est Ænigmatica. 8. 4. & 5
Christus est Ænigma. 8. 6
Ænigma Christus clauo crucis solutus. 8. 7
Allegoriæ Verbi Incarnati. 156. 239
Amici Christi omnes humiles. 529. 329
Amor Christi in nos incentiuum amoris in proximum. 515. 289. & seq.
Amor in Christo bene ordinatus, & quantus erga Patrem, & erga nos. 568, 438. & seq.
Amor Christi erga nos purus & amicitiæ. 569. 440
Amor Christi in passione inuitat ad mutuum amorem. 569. & seq.
Amorem infusum habuit Christus distinctum à beatifico. 494. 235. & seq.
Analogia inter inumbrationem & Incarnationem. 179. 290
Angeli non sunt meriti suam sanctificationem. 289. 167. Ne quidem compensatiuè. 298. 168
Angeli abiecti, etsi reparabiles. 228. 3
Angeli an potuerint Incarnationem naturaliter cognoscere. 20. 44
Non cognouerunt. 21. 45. & seq.
Angeli potuerunt assumi. 94. 103
Angeli qui assumpserunt formam humanam non fuerunt incarnati. 109 130
Anima Christi substantiæ perfectiones. 427. 66. & seq.
An animæ Christi fuerit maior individualis perfectio. ibid.
Animæ Christi supernaturales perfectiones accidentariæ. 428. 69
Animæ Christi decora. 446. & seq. dicitur.
Adeps vituli sacri. 446
Aqua inter cœlum & firmamentum. 446
Balsamum Deitatis & carnis. 446
Domus Dei. 447
Domus sapientiæ. 447
Framea Dei. 446
Ignis in thuribulo carnis. 447
Paradisus deliciarum. 446
Propitiatorium. 446
Spiraculum vitæ. 446
Velamen Sancti Sanctorum. 447
Virgo nupta Pontifici. 446
Vmbra diuinitatis. 446
Vrna aurea habens manna, &c. 447
Anima immaterialis non est persona. 63. 18
Annus, mensis, dies conceptus Christi. 337. 280. & seq.
Apateia Stoïca improbata. 559. 414
Appetitus Christi non fuit aduersatus rationi aut voluntati. 564. 427. & seq.
Non fuit fomes in Christo. 565. 431
Appetitus perfectiones in actu primo. 562. 423
In appetitu nostro varij defectus. 563. 424
Appetitus in Christo non præoccupauit rationem. 563. 425
Appetitus sensitiui Christi perfectiones. 558. 411
Eius actuales perfectiones quæ in nobis fuerunt etiam in Christo. ibid. & seq. tametsi à multis culpentur. 559. 413. Dolor, tristitia, ira, timor, pudor, verecundia ex nuditate, &c.
Apollinaris ante lapsum illustris scriptor. 37. 88
Negauit Christo animam, aut mentem. 37. 90
Aquæ in terram effusio animæ pœnitentis Symbolum. 183. 299
Aquarum Euangelicarum vbertas. 191. 315
Aqua à Samuele in terram fusa 1. Reg. 7. Incarnationis typus. 184. 302
Aqua à Moyse effusa & in sanguinem versa typus Verbi Incarnati. 192. 316
Arcanorum amici conscij. 16. 28
Ariani fingunt Verbum inuitum carnem factum. 105. 124
Assumptam humanitatem à Verbo salutationis Angelicæ quis dixerit. 97. 110
Assumi non potuit humanitas à Deitate. 106. 125
Assumptum quidquid curationis egebat. 73. 45
Quidquid facit ad statum naturalem hominis. 74. 49
Sanguis omnis cum humoribus. 76. 53. 92 98
An Spiritus, & qui, qui non. 76. 54
An humiditas sanguinea ros, cambium, &c. 76. 55
An capilli & vngues. 77. 56
Assumpta est humanitas individua & vnica. 78. 57
Non homo vniuersalis. 78. 58
Potuerunt plures assumi. 78. 59. & seq.
Quod non omnes assumpti suppletur per Eucharistiam. 78. 61. & seq.
Assumpta est humanitas. 82. 70. Non homo. 83. 72
Assumi non potuit natura subsistens. 91. 94
Assumi potuit humanitas quia complebilis. 92. 97
Assumi possunt quævis substantiæ & naturæ. 93. 99. & seq.
Assumi potest eadem humanitas à pluribus personis diuinis. 110. 132
Etiam à creatis. 111. 133
Assumi possunt plures naturæ ab vna persona. ibid.

Neutro casu essent plures. ibid.
Assumpta natura irrationalis non esset persona. 94.102
Accidentia assumi non possunt. 94.104
Inter assumptas partes non est ordo temporis. 95.105
Est ordo congruitatis. 95.106
Assumpta non est columba à Spiritu sancto neque panis & vinum à Verbo. 94.101
Atrocitas est Christo in paupertibus non subuenire. 515.287
Attributa quasi pugnantia ex concursu naturarum. 361.11.& seq.
Attributorum mutua & formalis in naturas transfusio erronea. 147.218.& seq.
Attributa inuerecunda non sunt Deo tribuenda. 94.102
Audacia Christi. 572.450

B

S. Basilius Gigas. 10.12
Beguardi vanè metuunt ne Christum gratiâ excedant. 436.88
Beneficia Dei, captum nostrum & fidem superant. 6.6
Ex Beneficio Christi proficiendum. 256.27

C

Causa effectiua formarum corporis Christi & vnionis eius cum anima. 300.194
Ad Christi generationem nullus pater concurrit. 300.195
Christus non est genitus à Ioseph. 304.202
Neque ab alio Patre. ibid.& seq.
Hinc summus amor Christi in matrem. 305.204
Christus siue Deus homo concipi potuit à creato Patre. 307.211
Conceptus est sine patre. 308.212
Ad Christi generationem B.Virgo concurrit passiuè. 308.213.& actiue.309.& seq.
Circumstantiæ effectionis Christi. 321.241
Christi generationis efficiens. 321.242
Cur adhibita femina. 322.244
Calumniæ de matre plebeia & filij ex ea sordibus. 323.246
Christi maiores. 324.247
Christus cur matrem assumpsit. 324.248
Vbi conceptus, 324.249
Non fuit probrosum illi concipi in vulua. 325.250
Neque exire per genitalia. 325.251
Fuit in vtero circumscriptiuè. 326.252
Christus cur cõceptus in vtero & ex eo natus. 329.260
Christus cur 9. mensibus in vtero. 332.268
An fuerit 10. mensibus in vtero. 333.269
Christi quorsum tam lenta crementa. 333.271
Christus venit opportunissima ætate mundi. 334.273.& seq.
Quo anno, die, mense. 337.280.& seq.
Aduentus Christi symbola. 339.& seq.
Cereus finis & effectionis Christi antitypus. 362.& seq.
Caligo orbis depulsa à Christo. 363.341
Carbonis & Christi analogia & concentus cum cereo. 363.342
Christus Cereus quia homo, & Deus homo. 363.343.& seq.
Ritus Ecclesiastici eo facientes. 364.345
Cera corpori Christi respondet. 365.347
Cerei myxus animæ. 366.349
Cerei flamma Deitatis. 367.351
Calceamentum Verbi & eius corrigia. 171.274.& seq.
Calcei materia, structura, finis, Christi humanitati comparata. 173.277.& seq.
Calceus libertatis symbolum, excalceatio captiuitatis, Christo applicata. 173.279. 174.280
Calceamentum dominij parti vel recuperati symbolum. 174.281
Calceata diuinitas recuperauit libertatem suam, & hominum dominatum. 174.281
Calceus compositionis, mortis, mutabilitatis symbolum. 174.282
Calcei pretiosi. 175.283
Calcei corrigia vnio hypostatica. 176.284
Christi humanitas liber scriptus intus & foris. 162.252
Christus volumen charitatis, & liber vitæ. 165.258
Christi corpus & anima vmbra Verbi. 179.291
Christus terræ mysticæ puerulus quasi borameto. 187.306
Christi humanitas terra promissionis, melle & lacte fluens, terra vel ager in quo thesaurus absconditus, &c. 188.309
Cetus captus à verme. 220.384
Ceti immanis diaboli captura per Verbum hamatum typus Incarnationis. 220.384
Christus homo, vermis. Propter originem. 216.375
Propter vilitatem naturæ susceptæ. 218.379
Propter artosionem validam, & tacitam. 218.380
Christus anacephaleosis siue abbreuiatio. 204.347.& seq.
Christus dat vitam pro morte. 213.369
Christus & homines cœlestes cõparantur niui. 193.319
Christus germen & catulus leonis Iuda. 201.341
Christus comparatus centauro. 211.364
Christus radix Dauid. 200.336
Cõtractio Eliæ & Elisæi typus Christi. 206.351.& seq.
Corporis & iumenti comparatio. 212.366
Christus Gigas quia fortis. 10.13
Quia ex duabus naturis. 11.14
Christus Gigas geminæ substantiæ. 11.15
Quia homo Deus. 12.16.& seq.
Quia medicus, saluator, &c. 12.18
Christi magnitudo Gigantæa. 12.19
Christus signum in profundum inferni siue in excelsum supra. 13.19
Christus fortis & infirmus & id genus opposita. 13.20.& seq.
Christus bis genitus, natus, &c. 14.23
Genitus per genitam suam. 14.24
Senex, infans. 15.25.&c.
Christus Deus & homo. 31.71.& seq.
Habuit veram carnem. 33.78.& seq.
Corpus Tertulliano idem quod substantia. 35.84
Christus habuit animam rationalem. 38.91
Assumpsit totum hominẽ siue humanitatem. 38.92
Sumpsit terrenum corpus de Virgine. 40.95
Non cœleste. ibid. Hoc decebat. 40.97
Alioquin non seruasset, quod ceciderat. 40.96
Carnem Christo à Patre de cœlo venisse error 41.98
Carnem Christi θεοτόκον vocabat Nestorius & Christum dicebat per merita sua esse & posse non esse Deum. 42.102
Christus propriè & verè Deus. 45.108
Christi vnáque natura ex operibus conuincitur. 50.118.& seq.
In Christo aliud & aliud non alius & alius. 58.5
Christi structura expressa per structuram hominis. 59.8
Deficit in quibusdam simile. 60.9
Christi structuræ aliæ imagines. 60.10
In Christo duplex vnio, substantialis. 63.17
Christus non esset homo si corpus & anima non haberent suam vnionem. 61.18
Christi caro & humanitas Verbi vestimenta sanguine proprio purpurata. 166.262
Christi actiones V. actiones Christi.
Christi operum Valor. V. Valor operum.
Christus habet proprietates & potẽtias humanas. 66.24
Habet

Habet potentias vegetatiuas. 66.25
Post resurrectionem non fuit nutritus. 66.26
Habuit potentiam generatiuam. 67.27.& seq.
Si generasset cuiusmodi fuisset proles. 67.28.& seq.
Decuit Virginem esse. 67.29
Habet potentias sensitiuas & rationales. 68.& seq.
Habet duas voluntates. 69.33.& seq.
Habet humanam voluntatem liberam. 72.42
Habet vim motricem inorganicam. 72.43
Ea vsus non est dum viueret, sed post. 73.44
Assumpsit quidquid curationis egebat. 73.45
Quænam assumpta V. assumptum, &c.
Christus an solum venit vt nos redimeret. 269.& seq.
Christus est bonum occasionatum à peccato. 277.136
Christum non dedecet venisse propter nos. 277.138
Christus nobis nihil debet quo nostri causa venerit. ib.
Christus quomodo princeps prædestinatorũ. 279.141
Christi aduentus quo signo rationis decretus. 279.142
Venit ad destruendum peccatum. 281.147.& seq.
Venit & mortuus est pro omnibus. 282.149.& seq.
Pro omnibus & singulis sigillatim & vniuersè. 283.151
Pro alijs quoque venisse non minuit obligationem. 283.152
Christus an secluso peccato venisset. 283.153
Verosimilius non erat venturus. 284.154.& seq.
Christus an venisset ex alio decreto si pauci peccassent. 285.156
Christus non est meritus substantiam Incarnationis. 286.& seq.
Neque vnionem hypostaticam. 291.170.&c.
Neque circumstantias Incarnationis. 291.172
An de potentia absoluta potuerit mereri Incarnat. 294.& seq.
An vnionem hypostaticam compensatiuè. 295.181
An eam proprie mereri potuerit. 295.182
Verius non potuisse. 296.183
Neque per diuersas cõsiderationis vnionis. 296.184
Neque principio meriti partialiter cadente sub meritum. 297.185.& seq.
Neque per actus à solis creatis donis manantes. 298.190
Ne circumstantias quidem. 299.191
Christus verum compositum & quale. 139.200
Christus non est persona composita. 139.201
Christus tantum per communicationem idiomatum æternus. 142.207
Christus extensiue non intensiue perfectior solo Verbo. 143.209
Christum componentia sunt extrema, non partes, aut potentia & actus. 142.208.& seq.
Christus compositum substantiale. 143.210
Christus est ens per se. 143.211
Christus poni potest in prædicamento. 143.212
Christus quid. 144.213
In Christo quomodo tres naturæ, substantiæ, quomodo duæ, & vna essentia. 145.214.& seq.
Christus est diuinitas & humanitas propositio damnata in Vvicleff. quomodo vsurpata à Patribus & vera. 146.216
Christus homo signatus quomodo. 146.217
Christus vt homo neque vbique, neque immensus. 149.223.& seq.
Christus pro omnibus mortuus est. 254.79.& seq.
Christus venit propter nos. 227.& seq.
Christus venit docere exemplo & Verbo. 231.13
Docuit viam salutis, 231.15
Virtutes. 232.16
Artem amandi. 232.17
Venit nos redimere. 232.18.& 19
Satisfacere pro nobis, mereri nobis. 233.20.21
Facere filios Dei. 234.22.& seq.
Christi satisfactio superabundans. 236.28
Christus iustus & iustitia nostra & salus. 240.39
Christus quoad gratiam V. grat.
Quoad perfectiones animæ V. anima Christi.
Quomodo Christus profecerit gratia. 439.95.& seq.
Quomodo in baptismo vnctus spiritu S. 440.97.& seq.
Christi intellectus perfectiones V. intellectus, scientia.
Christus confortatus ab Angelo. 492.228
Christi voluntatis perfectiones. V. voluntas.
Christi virtutes. V. virtutes.
Charitas Christi in Deum. 512.280
Charitas Christi erga proximum. 513.281.& seq.
Christus fidelium pater, mater, amicus, sponsus, &c. 513.282
Christus assumens humana prædicata dat exemplum charitatis. 150.238
Communicatio idiomatum id est attributorum vtriusque naturæ est materialis ratione eiusdem suppositi. 151.228
Cauenda in ijs exclusio suppositi diuini, & reduplicatiuæ, adiectiuæ denominatiuæ. 153.232.& seq.
Christus incepit esse: hæc non excludit suppositũ. ibid.
Communicatio idiomatum non est inter abstracta. 155.236
Neque inter partes humanitatis & Verbum, vel inter se. ibid.237
Chrystallus vnde fiat. 198.330
Commercium admirabile Verbi. 213.367.& seq.
Cognoscine potuit & quomodo Incarnatio, V. Incarn.
Columba non fuit assumpta à Spiritu sancto. 94.101
Compendium siue abbreuiatio. 204.348
Cooperandum esse gratiæ Christi. 255.81
Contractio ad foramen in Cant. Verbi abbreuiationem adumbrat. 205.350
Corpus iumentum. 212.366
Corpora indumenta & vestes animorum. 166.261
Corporis Christi perfectiones. 404.2.& seq.
Corporis Christi temperamentum an ad pondus. 404.4
Corporis temperamentum consequentia. 405.7.& seq.
Corporis pulchritudo. 405.7.& seq.
Corporis sanitas quanta & vnde. 408.13
Corporeæ vires Christi. 408.13
Corpus Christi an habuerit supernaturales perfectiones. 409.14.& seq.
Corpus Christi an fuerit agile. 409.14.& seq.
Corpus Christi an & vnde graue non fuerit. 409.19.& seq.
Quomodo ambulauerit super aquas. 409.15
Corpus Christi nõ fuit subtile nisi trãseuntes. 410.16
Christus quomodo processerit ex vtero clauso. 410.16
Corporis Christi claritas in Transfiguratione & alias nonnisi transeunter. 410.18
Christi facies & Sanctorum aliquando resplenduerunt. 411.20
Corpus Christi non fuit impassibile. 42.21
Corporis Christi viatoris defectus. 413.23.& seq.
Corporis Christi conformatio neque mutila neque fœda. 413.21.& seq.
Corpus Christi non fuit morbosum. 414.28.& seq.
Christus habuit defectus irreprehensibiles permanentes & transeuntes. 315.30.& seq.
Sustinuit famem & sitim. 416.32
Sudauit. 317.33.& seq.
An eis subiectus fuerit liberè, an necessario. 418.35.& seq.
Corpus Christi fuit corruptibile, non corruptum. 419.40.& seq.
Qui incorruptibile & quomodo dixerint. 420.42
Corporis Christi illustres typi & nomina. 421.44.& seq.
Altare holocausti. 424
Arca Testamenti. 422

Baculus senecturis mundi. 425
Cythara & psalterium. 425
Cubile Verbi. 423
Domus Sapientiæ. 422
Fenestra Deitatis. 423
Feculum imputribile. 423
Firmamentum inter cœlum & aquas. 425
Forceps diuini carbonis. 426
Indumentum Verbi. 426
Lapis stanneos in manu Zorobabel. 425
Laterna lucis æternæ. 425
Latibulum & caligo Dei. 424
Ligna Cethin. 422
Lilium. 423
Nubes leuis. 423
Pharetra sagittæ electæ. 426
Petra Gedeonis. 426
Serpens æneus. 423
Tabernaculum Dei. 421
Templum. 421
Testa S. Iob radentis saniem. 426
Thronus Salomonis. 423
Thuribulum aureum. 425
Tunica linea Sacerdotis nostri. 426
Vas nouum. 423
Vellus Gedeonis. 426
Velum. 424
Vitis. 425
Vrna aurea. 423
Corrigia calceamenti quam Ioannes non est dignus soluere, est Incarnatio. 19.39
Credibilitas euidens Christi aduentus. 5.3
Crucis clauo quasi ænigmate solutum ænigma Christus. 8.7
In Christo sapientiæ & scientiæ thesauri abscondiri. 9.9
Christus Gigas biformis, mysterium clamoris, &c. 9. 10. & seq.
Christus Gigas. 10.12
Cosroes se Gigantem Gigantum scribit. 10.12
Creatura pura poterat pro nobis mereri. 259. 91. & seq.
Pro mortali nequidem proprio potuit satisfacere. 260.93
Pro alieno non potest satisfacere. 263.103
Crux Christi statera cui hinc appensa peccata nostra, inde Christi humiliatio, &c. 253.77

D

Dæmon an lapsus ob præpositum sibi hominem. 278.139. & seq.
Dæmon in forma serpentis quomodo. 109.130
Denominatio physica noua supponit physicam mutationem. 115. & seq.
Deus quid. 15.16
Deus Gigas sæculorum Syris. 10.12
Deus lux est. 181.295. Deus ænigmatistes. 8.4
Deus carnis assumptione non inquinatus. 34.79
Tanto nobis fit carior & dignior. 34.82
Deus immutabilis. 37.89
Dei iniuriæ in peccato grauitas. 241.41
Deus quam non offendendus. 241.42
Deus læsus & homo illi iniurius infinitè distant. 261. 67
Deus liberè amat creata omnia. 277.137
Deus amauerit ne plus homines quàm Christum. 278. 139
Desiderium Christi ardens. 570.443
Derelictio Christi à Patre in cruce. 134.189
Deipara liber scriptus intus & foris. 162.253
In eo Scriptor Verbi Spiritus sanctus. 163.254
S. Iosephus in eo nec legit nec scripsit. ibid.
Deiparæ œconomia symbolis expressa. 170.270
Deipara terra mystica. 187.307. & seq.
Deiparæ analogia cum terra matre Deorum. 187.307. & seq.
Deipara terra lacte & melle fluens. 187.308
Deipara terra benedicta, è qua secundus Adam. 187. 308
Deipara cœlum animatum. 185.303
Cœli istius terræ cohæsio. 186.304
Deipara cœlum de quo descendit Christus. 186. 305
Deipara quomodo merita circumstantias Incarnat. 291.172
Non potuit mereri maternitatem, sine dependenter à Christo. 292.174
Siue independenter à Christo. 293.175. & seq.
Quomodo potuisset mereri. 294.178
Dolor & tristitia in Christo. 559.415
Dolor Christi summus. 570.444. seq.
Dolor Christi quid nobis prosit. 571.447
Duo pulli & duo hirci typi duarum naturarum. 61.11. & seq.

E

Electionem habuit Christus. 493.230
Emblemata & allegoriæ Verbi Incarnati. 156.219
Excalceatio religiosa in vsu & Gentibus & Christianis. 174.182
Effusio, aquæ, niuis typus Incarnationis. Vide aquæ vel niuis effusio.
Eliæ & Elisæi contractio typus Christi. 106.351
Equus & eques symbola humanitatis & Verbi. 211. 365
Equus albus vel rufus humanitas, eques Verbum. 212.362
Erroris expers fuit Christus. 483.209
Aberrore immunis fuit innocens Adam. 484.209
Erroris exsortes sunt Angeli beati. 284.109
Errantne sensus Christi. 484.210
An error potuerit in Christū cadere. 484.211. & seq.
Ens essentialiter supernaturale non potest naturaliter cognosci possibile. 20.43
Essentia & existentia quid. 60.65
Existentiam creatam habuit natura assumpta. 80.65
Etiam ex mente S. Thomæ. 81.68
Impossibile est existere existentia non sua propria. 80.65
Entia quædam absoluta sunt essentialiter & transcendentaliter relatiua. 118.150
Eusebius laicus primus Nestorium inuasit. 44.107
Eutyches & eius error. 47.114
Qui ante Eutychetem eadem delirarunt. 48.115
Eutychetis sectatores. 48.116. & seq.
Eutychetis impugnatores. 49.117
Eutychianorum paralogismi. 51.121
Eutychiani confundunt naturam & personam. 52.122
Exempla efficacissima morum in Verbi Incarnatione. 4. 8

F

Fames memorabilis. 339.285. &c.
Fames vniuersi orbis diritissima. 339.286
Fami isti tedandæ Christus panis. ibid. & seq.
Fermenti significationes. 222.390
Variæ qualitates. 223.392
Bonum & malum. 225.398. & seq.
Fermenti missitatio ritus antiquus. 224.395
Fomes non fuit in Christo. 565.432
Forma simplex non potest habere duplicem effectum formalem physicum. 128.175

G

GAbriel Archangelus quis & qualis. 329.260
Gaudium beatificum an habuerit Christus sub tempus etiam passionis. 500.249.& seq.
Germen iustum exoriens Christus. 201.341
Germen Domini in magnificentia. 202.343
Gignendi potentiam habuit Christus. 67.27.& seq.
Gratia Christi habitualis. 429
Fuit eiusdem speciei cum nostra. 429.70.& seq.
Non fuit illi necessaria ad benè operandũ. 430.73
Gratiæ & auxilia actualia an Christus habuerit. 431.74
Gratia Christi habitualis an infinita. 431.75.& seq.
Fuit finita etsi infinita possibilis. 432.77
Fuit de potentia ordinaria summa. 432.78
Incomparabilis. 433.79.& seq.
Gratiæ plenitudo in Christo. 434.82
Gratia Christo collata ex meritis. 436.89.& seq.
Tota simul & semel. 437.91.& seq.
Quomodo Christus profecerit gratia. 439.95. & seq.

H

HÆreses natæ ex obscuritate mysterij. 25.55
Hæreticis proprium est inconstantes esse. 39.94
Hæretici in legendis Patribus monoculi. 148.221
Hæretici qui recenter sequuti sint Nestorium vel Eutycheten. 55.131
Hæretici vocabulis Incarnationis, inhumanationis, abusi. 584
Homo quid. 15.26
Homo credit, non capit diuina. 30.68.& seq.
Hominis lapsi & assumpti est tantum identitas specifica. 65.21.& seq.
Homo lapsus Christi satisfactione & exemptore paratus. 229.7
Homo quanti se debeat æstimare. 229.9
Quo loco sit apud Deum. 230.11
Vt tumorem ponat exinaniuit se Deus. 230.12
Superbia lapsus, humilitate debebat sanari. ibid.
Homo non potuit pretio condigno redimi nisi à Deo. 165. & seq.
Homo Deus concipi potuit à creato patre. 307.211
Homo peccans Deo iniurius. 227.& seq.
Hominem reparari congruum erat. 228.5
Horologium Caroli V. in pala annuli. 205.248
Honotius primus suspectus de monotheliſmo. 69.35
Passus calumniam à Græcis. 70.36
Tantum sustulit pugnam carnis & mentis. 70.37
Honorij condemnatio suppositicia. 71.40
Humanitas primo momento fuit vnita Verbo. 320.238.& seq.
Humanitas Christi subito formata. 330.263. 332.266.& seq.
Statim à præstito Virginis consensu. 331.264.& seq.
Humanitas integrè assumpta & quidquid ad eius statum naturalem spectat. 74.49
Humanitas non est assumpta cum sua subsistentia. 82.70
Humanitas non tam subsistit in Verbo, quam Verbum in humanitate. 91.95
Humanitas potuit assumi quia complebilis. 92.97
Humanitatis partes prius natura Verbo vnita fuerunt quam inter se. 96.107
Humanitas non terminatur aliquo absoluto. 97.110
Non Deitate, non subsistentia absoluta. 98.111
Sed sola Verbi subsistentiâ. 99.112
Humanitatem veram qui Christo negauerint & quorsum. 32.75.&c.
Humanitatis partes non rectè prædicantur de Verbo. 155.237
Humanitas Christi liber scriptus intus & foris. 162.252
In ea Verbo Scriptor Spiritus sanctus. 163.254
Humanitas Christi velamen Verbi. 167.264
Humanitas Christi quomodo templum. 46. 111. & seq.
Humanitas Christi in piscatu vermis sine esca. 216.375
De humanitate Christi commenta Rabinica. 65.21.& seq.
Humanitas non vbique. 147.219.148.222
Humanitas quomodo omnipotens dicta. ibid.
Humilitas Verbi dimittentis se ad vilitatem nostram. 111.134
Humilitas disponit ad intelligentiam Incarnationis. 28.63.&c.

I

INcarnatio Christi semper meditanda. 3
Non nimis curiosè inuestiganda. 2.4
Eius cognitio delectabilis. 1.1. Et vtilis. 2.3
De ea lætandum. 2.4
Incarnatio ænigma non fabulosum sed mysticum. 15.27
Mysterij Incarnationis obscuritas. 16.& seq.
Incarnatio est corrigia calceamenti quam Ioannes non est dignus soluere. 19.39
Incarnatio est liber signatus quem nemo potest aperire. 19.40
Incarnationem sola fides potest capere. 20.41
An eam Angeli potuerint naturaliter cognoscere. 20.44
Non cognouerunt. 21.45.& seq.
Eius cognitio est supra, non contra naturam. 22.47
Possibilis indirectè potest cognosci, non euidenter. 22.48. & seq.
Incarnatio facta, ininuestigabilis. 13.50
Non potuit euidenter cognosci ex miraculis. 23.52.& seq.
Neque ex prophetijs. ibid.
Neque ex priuatione subsistentiæ propriæ. 24.52
Ex miraculis tamen aliquo modo euidenter eam sciebant. 24.53
Incarnationis obscuritas occasio hæresum. 25.55
Eius obscuritatis fructus. 25.56
Incarnationem intelligendi regulæ. 26.57.& seq.
Hîc sobrie sapiendum. 30.68. & seq.
Incarnati Verbi emblemata & allegoriæ. 156.239
Iacob hœdinis pellibus indutus, figura Christi. 167.263
Ioſephus polymita vestitus figura Verbi Incarnati. ibid.
Iesus filius Iosedech in sordidis vestibus Verbi Incarnationem præfigurat. 169.269
Incarnationis œconomia. 170.270
Insitio typus Incarnationis. 199.& seq.
Insitio quid & quotuplex. 199.333.& seq.
Insitio impropriè accõmodata Incarnationi. 201.340
Iumentum Samaritani typus humanitatis Christi. 209.360.& seq.
In Incarnatione elucet Dei bonitas & peccati grauitas. 235.26
Potuimus sine Incarnatione Christi liberati. 256.84 & seq.
Oportuit tamen Christum Incarnari. 258.90
Incarnationis an finis vnicus salus nostra. 269.& seq.
Ira in Christo. 574.453
Iris Symbolum Christi. 384.384
Iridis illius nubes Deipara. 384.384

Immaculatæ conceptionis & castitatis typus. 385. 386
Illius nubeculæ cum nomine Mariæ analogiæ. 385. 387
Iridis mysticæ nubes Christi humanitas. 385.388
Iridis & Christi structura & finis proportionales. 386. 389.& seq.
Iris misericordiæ symbolum. 387.391
Signum fiduciæ. 387.391
Intellectus humani Christi perfectiones. 448.119
Christus qua homo non potuit intelligere intellectione increatâ. 448.120
Habuit intellectionem creatam. 449.121
Intellectus Christi quibus caruit imperfectionibus. 478.194
Ignorantiæ expers fuit. 478.195.seq.
Ignorantiæ qui Christum arguerint. 479.200.seq.
Quomodo non ignorans profecerit Sapientia. 481.204.& seq.
Miratus fuerit, quæsiuerit, interrogauerit. 482. 206
Per omnia nobis fuerit similis. 483.207
An errauerit vel errare potuerit. Vide Error.
An & quæ sciuerit V. scientia.
Fueritne in Christo naturalis discursus & conuersio ad phantasmata. V. scientia.
Imperatores scribebant sanguine conchylij. 164.256
Inconstantia hæreticis propria. 39.94
Individua possunt substantiali perfectione differre. 427.66
S. Ioannes Baptista an Angelus Incarnatus. 10.230
S. Ioseph us non genuit Christum. 304.204
Ira & timor in Christo. 561.419. & seq.
Iudæi nobis seruarunt scripturas. 5.3
Iuraueritne Christus. 494.234

L

LApis sine manibus de monte abscissus Christi typus. 392. & seq.
Qui ille mons. 392.404
Montem esse Deiparam. 392.405
Lapis de monte abscissus Christus. 393.407.
De Lapide Christo typi veteres. 393.408. & seq.
Lapidem Christum præferentes ritus Christiani. 395. 411
Lapidis sine manibus abscissio Christus ortus ex Virgine. 395.412
Per Lapidem obtritio statuæ, euersio idololatriæ, &c. per Christum. 395.413
Statua obtrita mundus. 396.414
Non instauranda idololatria. 397.415
Laudandus Deus etsi laudare non sufficimus. 2.5.3.7
Etsi id alij præstiterint. 3.6
Lectio bona vel mala pro legentis affectu. 208.358
Liber scriptus intus & foris humanitas Christi. 162. 252
Vel Deipara. 162.253
Liberationis Christi commendatio. 6.6
Libera fuit voluntas Christi. V. Voluntas libera.
Vide peccatum, & impeccabilitas.
Libertatis Christi cum impeccabilitate concordia. 546. 376. & seq.
Cum præcepto stricto mortis concordia. 549. & seq.
Maximè si impeccabilitas ex vnctione. 550.388
Quid si ex beatitudine. 550.389
Falsa de libertate principia. 551. & seq. An recurrendum ad vim diuinam. 552.394. & seq. An ad duplicem Christi amorem. 553.397. An ad scientiam mediam. 554.399. An per acceptationem. 554.400. An per potestatē petendi dispensationem. 554.401
Libertatis & impeccabilitatis vera concordia. 555.402
Libera fuit Christo substantia actus præcepti. 555. 408.& seq.
An libertas substantiæ sit aliquid supra libertatem motiui. 557.407. Ad libertatem accessiones, lætitia vltronea, approbationes, &c. 557.409
Lucerna siue lāpas Verbi carnati symbolū. 369.& seq.
Lucerna iam olim in vsu sacro. 369.356
Cur videatur non posse esse Christi symbolum 369.357
Lucernæ & Christi comparatio. 370.358
Lucerna in sacris literis. 370.359.& seq.
Lampas transiens Genes. 37.372.362
Lucerna sacrorum candelabrorum. 373.362.& seq.
Candelabrum Reginæ Machtildis. 372.362
Lucerna homo quoad vitam. 373.364
Lucerna homo quoad vitam gratiæ. 374.365
Lucerna fictilis similis Christo. 375.367.& seq.
Lucernæ analogia cum Christo. 375.368
Lucernæ, quæ Christus est, forma, myxus, oleum. 376. 369.& seq.
Lucernæ illius ductum sequendum. 377.372
Lucernas nos esse oportet & quales. 377.373.& seq.
Lucernæ Doctores Catholici. 378.374
Lucernæ fumidæ Doctores hæretici. 378.375
Lucernæ in laterna abditæ analogia cum Christo. 379. 376
Rationes illius similitudinis. 380.378
Lutherani volunt humanitatem factam Deum. 55.131

M

MAlitia peccati ac infinita. V. Peccati malitia,
Malitia vnde crescat. 249.64
Manichæorum fabula de luce tenebrata. 182.296
Accommodata ad Incarnationem. ibid.297
Manna typus finis & effectionis Christi. 349.312.& seq.
Manna Christus etiam extra Eucharistiam. 350.312
Quia cibus populi Dei in deserto. 350.313
Quia panis absque satione de cœlo. 350.313
Manna quo die & tempore descenderit. 351.314
Mannæ forma & gustus. 351.315
Mannæ vespertina collectio, & vetita in crastinum asseruatio. 351.316
Omnium ad Christum accommodatio.
Marcellus Photini Magister conuictus. 36.86
Margarita pretiosa symbolum Christi. 357.& seq.
Margaritæ cum Christo similitudinis causa. 358.332
Margaritæ & Christi effectio affinis. 359.& seq.
Margaritæ & Christi finis similitudo. 361.338
Margaritæ multa mysteria. 362.339.& seq.
Mariam Θεοτόκον negabat Nestorius. 42.101
Maria virgo verè Deipara. 45.109
Mariam Deiparam per conuitium, vocabant matrem Deorum, & qui Deiparam dicerent cum Gentilibus sentire. 47.113
Mariam Virginem parere congruebat. 302.199.& seq.
Sine patre mater fuit. 304.202
Hinc amor summus filij erga matrem suam. 305. 205
Sūma Virginis peritia de hoc mysterio. 305.205
S. Maria concurrit passiue per materiæ subministrationem ad Christi generationem. 308.213
Et actiuè. 309.& seq.
B. Maria verè Deipara Θεοτόκος. 31.224.& seq.
Eius immensa dignitas & sanctitas. 314.226.& seq.
Instrumental. concurrit ad vnionem hypostaticam. 319.236
Massæ humanæ fermentatio à Verbo finis Incarnationis. 224.396.& seq.

Meritus non est Christus substantiam Incarnationis. 286.159. & seq.
Non priùs tempore. ibid.160
Neque prius natura. 288.164.& seq.
Merita non est vlla creatura Incarnationem Verbi. 290.169
Neque vnionem hypostaticam aut Christus aut alius de congruo. 291.170.& seq.
Sub meritum Christi non venerunt circumstantiæ Incarnationis sub aliorum tantum de congruo. 291.172
Quomodo B. Virgo eas merita. 292.173.& seq.
An maternitatem & quomodo. 292.& seq.
Quomodo potuisset mereri maternitatē. 244.178
An de potentia absoluta Christus potuerit mereri Incarnationem. 294.& seq.
Meritum quotuplex & quid sit. 294.180
Pro demeritis futuris non potest anticipari supplicium, potest præmium, quod rarum. 295.180
An Christus potuerit mereri vnionem hypostaticam impropriè merito compensatiuo. 295 181
An potuerit propriè. 295.182
Verius non potuisse. 296.183
Ne circumstantias quidem. 299.191
Quomodo potuisset pura creatura vnionem & circumstantias mereri, de possibili. 299 192
Meritoriæ fuerūt actiones Christi liberæ. 502.254.seq.
Meritoriæ non fuerunt naturales actiones Christi. 502. 255
Mereri tantum potuit per actus viæ. 503.256
Meritorius non fuit amor beatificus. 504 258
Meritoriāne fuerint mors Christi, vulnus lateris & resurrectio. 504.260.seq.
Meritus est Christus à primo vitæ momento vsque ad vltimum. 507.266.& seq.
Quibus & quid meritus sit. 508.268.seq.
Miracula Christi vera, nō mystica aut magica. 575.457
Miracula aliqno modo non omnino euidenter arguebant Incarnationem. 23.52
Modus operandi & cognoscendi sequitur modum essendi. 20.43.& seq.
Modi quid sint & quales. 112.& seq.
Eorum natura & essentiæ. 116.& seq.
Modus spiritualis an esse possit in materia vel contra. 123.164
Moncæus malè negat creaturas aliquas visas esse in Verbo. 468.173.& seq.
Monotheliſmo fauent hæreses veteres. 68.32
Monotheliſmus damnatus in Concilio Lateranensi. 69. 33.& seq.
Monophysitarum error. 101.117
Mundus ænigma Dei. 8.4.

N

NAtura & persona non est idem. 86.80
Natura creata assumi potest à Patre & Spiritu sancto. 107.127
An à supposito creato. 108.& seq.
Natura quid. 145.214
Naturam Basilius accepit pro persona. 49.116
Natura S. Cyrillo aliisque pro persona, aut composito aut substantia. 54.128. & seq.
Naturarum Christi aut attributorum non est formalis identitas. 56.132
Naturæ duæ in persona Verbi debuerunt conuenire ad redimendum nos. 59.6. & seq.
Naturæ duæ adumbratæ per duos pullos & duos hircos Leu. 1.4.& 16.61.12. & seq.
Naturæ duæ in eodem supposito cauſant communicationem attributorum. 62.14
Nazarenus vel Nazareus Christus. 399.422
Negatio omnis fundatur in aliquo positiuo. 85.76
Negotiatio Verbi pro nobis. p.213. & seq.
Negotiatio nostra cum Deo proxeneta Christo. 215. & seq.
Nestorij error & mors. 41.99. & seq.
Nestoriani Pelagianizant. 44.105
Nestorij impugnatores. 44.107
Niuis effusio typus Incarnationis. 192.318
Nix quid. 193.321. & seq.
Quid terræ conferat. 194.322
Nix sicut lana. 195.325
Nix symbolum prædestinationis. 195. & seq.
Nix symbolum pœnitentiæ. 196.316
Seruit voluptati & deliciis. ibid.
Symbolum iustificationis. 196.& seq.
Symbolum tribulationis, 197.328
Charitatis. 197.329
Glorificationis. 198.332
Symbolum eorum qui se impendunt proximo. 194.323
Niuis analogia cum Verbo incarnato. 192.& seq.
Nummus Samuelis cum epigraphe, *redemptus es.* 350. 313
Nundinæ nostræ. 216.374

O

ODium in Christo sanctum. 569.442
Opera Christi valoris infiniti V. Valor operum Christi.
Opus bonū an inquinetur fœditate operantis. 249.64
Oracula de Christo nascituro è Virgine. 5.4
Oratio lumen impetrat. 26.57
Oriens Christus. 201.341
Originale peccatum inficit substantiam animæ. 441. 100
Originali peccato vnde Christus caruerit. 441.101. & seq.
Originale peccatum repugnabat Christo. 444.108
Originale peccatum quomodo trāsfundatur. 444.109

P

PAnis symbolum finis effectionis Christi. 339.285
Panis sedandæ fami totius orbis. 339.286
Panis Christi typi veteres. 340.289.& seq.
De Christo pane, loca noui Testamenti. 341.291. & seq.
Cur panis Christus. 342.293
Circa panem antiqui ritus Christiani. 343.294. & seq.
Panis Christi granum è qua terra, vbi molitū. 344.297
Pani illi pinsendo quæ farina, aqua, alueus, &c. 344.298
Pani illi coquendo clibanus. 344.299
Quæ clibani flamma. 345.300.& seq.
Sc. ardor Deiparæ. 346
Virtutes Christi. 346
Vltimæ potissimum, perpessiones Christi. 347.& seq.
Panes sunt fideles. 348.306.& seq.
Panis fermentatus esui aptior. 223.392
Parabola Samaritani applicata Incarnationi. 209.350
Passionum bene domitarum, maximè tempore passionis exempla in Christo. 568.437
Passio Christi inuitat ad mutuum amorem. 569.440. & seq.
Nullus pater actiuè concurrit ad generationem Christi. 300.195
Patripassianorum aliorúmque error. 100.115
SS. Patres de vnione hypostatica perpetua quid senserint. 134.188.& seq.
SS. Patrum locutiones fauentes Entycheti explicatæ. 52.124. & seq.

SS. Patrum sententiis vtendum. 3.8
Peccatum grauis Dei iniuria. 241.41
Valde cauendum. 241.42
An malitia peccati mortalis infinita. 241.43. & seq.
Est simpliciter finita. 242.44. & seq.
Infinita secundum quid. 244.51
Excedicur à satisfactione Christi. 244.52
Eius malitia vnde crescat. 249.64
Peccare an potuerit Christus. V. Voluntas Christi.
Peccati actualis expers fuit. 531.534. & seq.
Peccati non potuit argui. 536.346
Peccati destructor fuit. 536.347
Quæ verba delictorum Christi. 537.349
Peccatum & maledictum Christus quo modo. 538. 351. & seq.
Non est peccator etsi baptizatus, aut quia homo. 538.354. & seq.
Impeccabilitas Christi quam certa. 540.356
An ab vnione hypostatica. ibid. & seq.
Peccatum à voluntate Christi arcere quomodo verbo incumbat. 540.359. & seq.
Impeccabilitas Christi quia persona Verbi. 542. & seq.
Quomodo cauerit Verbum voluntati humanæ, ne quid committeret. 543.366
Ne quid omitteret. 543.367
Impeccabilitas ex vnione vt via ad sanctitatem increatam. 544.370
Impotentia peccandi : & incapacitas habendi peccatum quomodo differant. 545.372
An peccandi potentia fuerit in Christo. 545.373
Peccatum habituale vel peccati macula non cadit in Christum. 546.374
Impeccabilitas quomodo, consistat cum libertate. 546. 376. Quomodo quoad præcepta negatiua. 547.377.
Quomodo quoad affirmatiua. ibid.
Perfectiones humanitatis Christi. 404.2
Perfectiones corporis Christi. 404.2. & seq.
Perfectiones animæ Christi in substãtia. 427.66. & seq.
Personam in Christo qui geminarint ante Nestorium. 43. 103
Personæ diuinæ plures possunt assumere eandem humanitatem. 110. 132
Persona vna potest assumere plures humanitates. 111. 133
Petrus Cnaphæus adulterauit trisagium. 102.118
Phaëton cum quadriga in annulo. 205.348
Photinus deceptus modo loquendi. 36.85
Porphyrius arguit Christũ sero venisse male. 334.272
Possibilitas rei quomodo cognoscatur. 20.42
Potentiæ Christi exequentis perfectiones. 574.456
Potentia exequens miraculorum. 575
Qualis. 575. & seq.
An qualitas addititia. 576
An motus additicius. 577.460
An humanitas, aut naturalis potentia assumpta. 577.461
An quidlibet causa propria & principalis possit esse & naturalis. 578.463
An naturalis simul & supernaturalis. 579.465
An finita & infinita. 579.466
An solis rebus naturalibus conueniat. 579.467
Non est humanitas naturalis potentia. 580.469
Est omnipotentia diuina assistens. 581.471
Libera est à necessitate contactus. 582.475
Libera quoque à necessitate subiecti. 583.476
Non potuit annihilare. 584.479
Quomodo poterat quæcumque vellet. 584.480
Prærogatiuæ eius præ aliis Sanctis. 585.481
Potentiæ executiuæ Christi decora. 586
Calamus scribæ velocis. 586
Carbo ignitus. 587
Manus tornatiles plena hyacinthis. 586
Pluuia in vellus. 587
Venter eburneus distinctus saphyris. 586
Potentiæ vegetatiuæ in Christo. 66. & seq.
Potentiæ sensitiuæ in Christo. 68.30
Potentiæ rationales in Christo. 68.31
Præceptum affirmatiuum an Christo fuerit impositum. 547.378
Fuit impositum. 548.382
Præceptum mortis strictum & difficilis eius cum libertate concordia. 549.384. & seq. Maximè si impeccabilitas ex vnione. 550.388. Quomodo si ex beatitudine. 550.289
Prædicantur naturæ & attributa in concreto non in abstracto de se inuicem. 56.133
Prædicationes demoniatiuæ essentialiter sumptæ tolerantur. 154.235
Prædicatores similes niui. 194.323
Præputium an dimissum à Verbo & non resumptum. 135.191
Præputium varia loca sibi vendicant. ibid.
Producta principio omnia sine semine. 302.198
Productionis humanitatis & vnionis eædem circumstantiæ. 319.217
Ex prophetiis aliquo modo, non omnino euidenter cognosci potuit incarnatio. 23.52.25.53. & seq.
Prophetiæ de Christo impletæ. 5.3
Quod impiè negat Theodorus Mopsuestenus. 5.3
Prophetiæ ænigmata. 8.5
Prophetæ, prædicatores, animæ piæ, sunt Verbi Dei voces. 160.246
Prudentia Christi infusa fuit specie diuersa à nostra viatorum. 486.214
Pudor & verecundia in Christo ex nuditate. 562.421

Q

QVasillus ex ceraso nucleo. 205.348

R

PRo Redemptione quantũ Deo habeamus. 285.157
Regulæ rectè intelligendi mysterium Incarnationis. 26.57. & seq.
Resplenduerunt aliquando facies Christi & Sanctorum. 411.20
Reuelatio curat & manu ducit intellectum. 21.47

S

SAbelliani in quo errent. 100.114
Sal aquas sanans Christi figura. 387.392
Salis confectio Christo aptata. 388.394
Salis principia materialia & Christi. 389.396
Salis principia effectiua & Christi. 389.397
Quoad salem ritus Hebræi & Christiani. 389.398
Salis effectus in Christo. 390.400
Pactum salis, perpetuum. 391.401
Saliri & salire nos debemus. 391.402
Salis nostri liquatio & infatuatio cauenda. 391.403
Salomonis mors nunciata à verme commentum Mahometicum. 219.381
Saluari potuimus sine Christi incarnatione. 256.84. & seq.
Salus nostra & incarnationis & passionis Christi causa fuit. 235.25
28.63
Sanctis Sancta. 134. & seq.
Sanguis an dimissus à Verbo. 135.192
Sanguis non resumptus an cultu latriæ adorandus. 136.192
Sanguinis substantialis mutatio non pugnat cum oraculo Dauidis. 136.192
Sanguis an in passione fusus manserit vnicus. 136. 193. & seq.

Sanguis in variis locis cultus an verus, an miraculosus. ibid. & 198
Sanguinis vnio cum Deitate exposa. 137.194
Sanguinis assumpti & non assumpti distinctio improbata. 137. & seq.
Sanguis fusus mâsit vnitus & fuit reassumptus. 138.198
Sapientia ænigmatibus & figuris vt infans pannis involuitur. 7.1
Satisfacere pro homine non nisi persona diuina potuit. 264
Satisfactio Christi superabundans. 236.28. & 240.40
Satisfactionis conditiones generales. 236.29
Satisfactionis erga Deum speciales conditiones. 237.30
An ad eam requiratur promissio & acceptatio. ibid. & seq.
An promissio distincta ab acceptatione. 237.32
An condigna posset reijci à Deo. 238.33
Satisfactio Christi habuit cõditiones requisitas. 238.34
Fuit supernaturalis. 239.35
Fuit ex iustitia. 239.36. & seq.
An ex rigorosa lis est de nomine. 240.38
Satisfactio Christi est valoris infiniti. 244.52
Satisfactionis infinitudo. 250.67. & seq.
Satisfactio licet esset finita excederet offensam licet infinitam. 252.74
Post tantam satisfactionem cur aliqui pereant. 254.79. & seq.
Post tantam satisfactionem vnde peccata. 255.82
Satisfacere creatura pro mortali non potuit. 260.63
Satisfactio hominis Dei iniuriæ æquari non potest. 262.98. & seq.
Satisfacere pro peccato alieno creatura non potuit. 261.103
Scientia Christi V. intellectus perfectiones.
Scientiæ Christi non est per intellectionem increatam. 448.120
Fuit per intellectionem creatam. 449.121
Neque aliter potuit intelligere. 449.122. & seq.
Fuit in eo scientia naturalis. 450.125
Discrimen scientiæ naturalis Christi & Beatorum. 450.125
Christi scientia acquisita & experimentalis. 450.126
Christi scientia naturalis non fuit infusa. 451.127. & seq.
Habuit dona intellectualia Spiritus sancti. 453.133. & seq.
Habuit prophetiam & discretionem spirituum. 454.136. & seq.
Habuit scientias & visionem beatam. 455.138. & seq.
Scientia Christi habitus, species, actus, obiecta. 457.149
Obiectum. 458.145
Actus & habitus. 458.146
Perfectio. 458.147
Scientiæ infusæ obiectum naturale. 459.148
Per illam cognouit futura contingentia & secreta cordium. 459.450. & seq.
An omnia possibilia naturalia. 460.150 & seq.
Scientiæ infusæ obiectum supernaturale Deus. 460.152
Et SS. Trinitas. 461.153. & seq.
Alia obiecta supernaturalia. 462.157
Scientiæ illius actus an simplex, perpetuus, vnus, &c. 463.158. & seq.
Habitus & species impressæ. 463.160. & seq.
Illius lumen. 464.162
Differt à speciebus impressis. 464.163
Differt à lumine gloriæ. 465.165
Est vnicum. 465.166
Scientiæ infusæ Christi perfectio. 466.167
Prophetiæ Christi & donorum intellectualium perfectio. 466.168. & seq.
Scientiæ beatæ Christi obiectum primarium Deus. 467.171
Secundarium, creaturæ omnes quæ vnquam erunt. 468.172
Quid de futuris conditionatis & omnibus possibilibus. 469.175. & seq.
Visio in Deo omnium possibilium est possibilis. 470.177. & seq.
Beata visio Christi non est Dei comprehensio. 471.179
Cur non sit comprehensio ratio S. Fulgentij. 472.181
Scientiæ Beatæ Christi principia. 472.183
Scientiæ Beatæ Christi perfectio. 473.184
Scientiæ Beatæ in Christo specimina. 477.192
Scientiæ Christi quotidiana & futura argumenta. 477.193
Non fuit in Christo opinio, fides, Theologia. 485.213. & seq.
Fuit in Christo naturalis discursus & conuersio ad phantasmata.
Scientia beata Christi fuit sine eiusmodi defectibus. 489.222
Specimen sapientiæ in Christo duodenni. 474.186. & seq.
Specimen sapientiæ Christi inter insidias Pharisæorum. 475.188. & seq.
Item agentis cum suis. 476.191
Scribendi modus varius apud gentes diuersas. ibid.
Scriptura ænigmatica est. 8.4. & 5
Sessoris & equi comparatio cum Verbo incarnato claudicat. 211.363
Sobrie sapiendum. 29.65. & seq.
Solis Christi symbolum. 380.379
Sol Christus. 381. & seq.
Solis & Christi effectionis analogia. 381, 380
Sol nube tectus, Christi symbolum. 383.382
Spem actualem habuit Christus. 498.243. & seq.
Spes Christi. 572.448
Spiritus Sancti effecientia in generatione Christi. 305.206
Non est Christi Pater. 306.208
Nihil fecit quod non Pater quoq; & Verbum. ibid.
Spiritui Sancto cur tribuatur Christi conceptio. 307.210
Spiritus Sanctus lingua, manus, & calamus scriptoris. 164.255
Stulta mundi elegit Deus. 6.7
Stylus hominis naturalis scribendi modus à summo deorsum. 165.257
Subdiri duci se sinant vt infantes. 479. init.
Subsistentiæ propriæ priuatio non potuit cognosci naturaliter. 24.52
Subsistentia qua caret humanitas quid sit. 84.73
Non est forma negatiua. 84.74. & seq.
Non est positiuum aliquid à natura indistinctum. 86.79
Est modus à natura à parte rei distinctus. 87.82
Eius modi effectus formalis. 89.86. & seq.
Effectus eius formalis est perfectas, individuatio, &c. 90. & seq.
Subsistens non potest assumi. 91.94
Subsistentiæ plures propriæ vel externæ possunt complere eandem naturam. 92.96
Subsistentia absoluta abusiuè in Deo asseritur. 98.111
Subsistentia Verbi sola terminat humanitatem. 99.112. & seq.
Subsistentia absoluta non potest humanitatem terminare. 106.125. & seq.
Subsistentia absoluta quid sit. 106.125. & seq.
Susistentiæ Patris & Spiritus S. potuerunt quod filij. 107.127
Substantia quid. 145.214
Superbia & ostentatio se insinuat specie honestatis. 169.269

Superbia male disponit ad intelligendum Christum. 28.62.&c.
Supernaturale essentialiter non potest naturaliter cognosci possibile. 20.43
Supernaturalitatis secundum substantiã fundamentum.
Synodus sexta à Græcis adulterata. 72.41

T

TEntatus fuit Christus. 566.432
Sed alio modo quam nos. 566.434
Terra mystica Deipara. 187.305.& seq.
Theodoretus Nestorianizat. 44. 106
Theodoretus non Nestorianizat. 169. 267
Timorem habuit Christus. 499.246. & seq.561.419. & seq.573.451
Toti Trinitati agendæ gratiæ de Incarnatione.105.125
Vnus è Trinitate passus quomodo negatum.52. 123
Trisagij per Fullonem adulteratio. 102.118
An excusari possit si ad filium dirigatur. ibid. & seq.
Tristitia & tristitiæ abyssus in Christo.496.225.& seq.
Tristitiæ meracitas in Christo. 492.228
Totius nulla forma in viuentibus. 123.163

V

VAlor operum Christi dicendus intrinsecus. 244. 53. & seq.
Valor operum Christi an ens rationis vel reale.245.54
Non est à sola humanitate. 245.55
Quomodo sit à persona diuina. 246.56.& seq.
Valor operum vnde infinitus. 248.61. & seq.
Valor ille æqualis in omnibus Christi operibus.248.62
Valor vnde crescat. 248.63
Vbiquitas humanitatis error. 147.219
Verbi ad nostram vilitatem, se dimittentis humilitas. 111.134
Verbum eiusdem nobiscum naturæ humanitatem assumpsit. 64.20
Verbum non inquinatum assumptione carnis. 34.79
Verbum accidentale siue sonum hominum factum stultus error. 35.83.&c.
Verbum in carnem transisse error Apollinaris. 36.87
Verbum vnitum manet immutatum, & inconfusum. 62.15.104. 121.105.124
Verbum non assumpsit hominem. 83.72
Verbum subsistit in humanitate. 91.95
Verbum solum incarnatum etsi essentia eadem sit.100. 104
Illustratur exemplis. 103. 119
Qui in eo errarunt. ibid. & seq.
Conueniebat Verbum potius quam alias personas incarnari. 103.120
Verbum non inuitè (vt fabulantur Ariani) caro factum. 105.124
Verbum prolatum emblema incarnati. 156.239
Verbi pronunciati & scripti analogia cum incarnato. 156.240 & seq.
Ex illo mysteria illustrantur aduentus ad nos Verbi & permanentia in sinu Patris: Solius verbi & non Patris ac Spiritus incarnatio,&c. ibid.157. 241. & seq.
Verbum scriptum verbi incarnati emblema. 160.247
Verbum mentis per literas fit corporeum & palpabile, &c. ibid.
Verbum mentale quid & quale, &c. 161.250
Verbi diuini maiestas & delectio. 162.251
Verbum lingua & calamus scribæ velociter scribentis. 164.255
Litramentum eius rubrum. 164.256
Verbum vestitum. 165.259
Vestis Verbi caro ex B.Virgine assumpta pretiosissima. 170. 271
Si vilis esset & sordida tanto plus ei deberemus. 171. 272
Vestis à nobis induenda est Christus & Christi mores. 171.273
Verbi calceamentum & corrigia. 171. & seq.
Verbum inumbratum, tenebratum. 176.285
Vmbra nouæ legis lex vetus. 176.285
Vita hæc vmbra & imago vitæ. 176.286
Vmbræ etiam in noua lege. ibid.
Verbum in Eucharistia & passione vt in vmbra. 177. 287
Item in incarnatione. 178.288
Vmbra ens creatum. 179.290
Vmbra verbi corpus & anima Christi. 179.291
Vmbra horologij Achas typus verbi descendentis ibid. 180. 293
Inumbratio verbi est attemperatio vt à nobis videri & capi possit. 181.294
Verbum erat lux vera. 181. 295. Nos tenebræ & nox. 182. 297
Verbum in hac vita in caligine & nocte. 182. 297. & seq.
Verbum in incarnatione vnguentum & oleum effusum. 177.299
Verbum est aqua B.Virgini vt terræ mysticæ superfusa. 186.305.& 189.311.& seq.
Ex terrarum abysso, fonte, pluuia descendit. 190.312
Ex hac effusione flumina Euangelica totam terram fœcundantia. 191.315
Verbum negotians. 213. & seq.
Verbum inequitans. 208.& seq.
Verbi aduentus mercatus sine negotiatio. 213. & seq.
Verbum surculus humanitas truncus. 200.337.& seq.
Verbum hamus & linea humanitas esca. 219.362
Verbum fermentum humanitatis. 223.& seq.
Verbum comparatum niui. 193.& seq.
Verbi abbreuiationes variæ. 203. 345.& seq.
Verbum abbreuiatum in incarnatione. 204.348
Verbum alias abbreuiatum in Christo. 204.347
Verbum incarnatum multa nos docet. 230.9. & seq.
Veritas non inuoluenda silentio. 71.39
Veritas mundo corde fide cognoscenda est. 57.1
Non pugnat cum ratione aut Philosophia. 57.2
Vera de Christo & fidelis confessio. 57.2
Vinum,adumbratio finis & eff. ctionis Christi.352.& seq.
Vinum,Christus iuxta triplicem vini statum. 352.328
Vinum intra botrum Christus. 353.329. & seq.
Torcular botri Christus. 354.322
Vinum è botro expressum imago Christi.354.323.& seq.
Vini meri cum Christo & Christianis comparatio.355. 326. & seq.
Vinum aqua mixtum imago Christi. 356.328.& seq.
Virga Aaronis Typus Christi & Deiparæ. 397.416. & seq.
Virgæ illius adiuncta applicata Christo. 398. 240. & seq.
Virgæ frondes & flores. 399.421.& seq.
Quæ commoda à flore Christo. 400.425
Virgæ Aaronicæ fructus siue nuces siue amygdala.401. 426. & seq.
Virgo fuit Christus. 67.29
B.Virgo Maria V.Deipara S.Maria.
Virginem posse parere exemplis à natura petitis. 302. 198.& seq.
Virtutes morales & naturales habuit ab initio Christus. 508. 269

Virtutes Theologicas quas habuerit. 509.271
Virtutes morales infusas quas habuerit. 509.272
Virtutum praxes sertum floridum Christi. 512.280
Christi amor in Deum. 512.280
Amor in proximum. 513. 281. & seq.
Iustitia & religio. 516. 292
Misericordia & condolentia. 516.293
Veritas. 517.295
Obedientia. 517.296.& seq.
Iustitia in genere. 519.300
Fortitudo ad aggrediendum. 519. 301. & seq.
Ad sustinendum. 304. & seq.
Virilis masculaque virtus Christi. 520.303
Sustinentiæ symbolum adamas. 521.307
Patientia Christi imitanda. 522.308
Temperantia, sobrietas, castitas. 522.309. & seq.
Mansuetudo. 523. 311
Humilitas. 523 313
Virtutes Christi & ex iis fructus. 529.330
Vis motrix in Christo inorganica. 72.43
Ea vsus non est dum viueret. 73.44
Vitæ puritas facit ad intelligendum mysteria. 26.58. & seq.
Vnio substantialis in Christo duplex. 63.17.& seq.
Est physica Vnio inter animam & corpus. 63.18
Vnio partium quantitatiuarum est modus. 113.139.&c.
Vnio animæ & corporis cum Verbo non est actio quia creantur. 114.141
Vnio hypostatica est terminus actionis incarnatiuæ. 111. 135
Vnio hypostatica quid sit. 112.136
Est modus. 112.& seq.
Vnio partium essentialium humanitatis est modus. 113 138
Vnio hypostatica est substantialis. 121.158.& seq.
Quomodo à S. Augustino vocetur inhæsio. 122.160
Non indiget præuia dispositione. 122. 161
Vnio inter materiam & formam cur supponat dispositionem. ibid.
Vnio hypostatica est gemina sua cuique parti. 123. 162. & seq.
Vnio non est ad formam totius. 123.163
Vnio non est simplex ad vtramque partem essentialem. 123. 164
Eiusmodi vnio non potest esse. ibid.
Vnio corporis Christi cum Verbo est materialis & supernaturalis. 125.167
Vnio illa an sit capax intensionis. ibid.
Vtriusque vnionis hypostaticæ non datur vnio. 125.168.&c.
Vnionis hypostaticæ dignitas. 126. 170
Vnio hypostatica est ex genere suo supernaturalis. 126. 171
Dicitur physica & naturalis id est realis. ibid.
Est specificè summa. 127.173
Non sanctificat formaliter. 127.174
Est physicè nobilior gratia sanctificante. 128.176
Est nobilior visione beatifica. ibid.
An summa in ratione vnionis. 128. 177
Vnio materiæ & formæ non est maior. 129.179
Est perpetua, neque destructa fuit triduo mortis. 130. 180
(Est terminus actionis incarnatiuæ. 121. 157.)
Decebat esse perpetuam & cur. 133. 187. 139. 199
Vnio ad præputium & sanguinem quam diuturna. 134. 190
Vnionis hypostaticæ principalis causa solus Deus. 316. 228
Actione non physicè tantum, sed moraliter quoque liberrima. 316. 229
Physicum instrumentum ad causandam vnionem non repugnat. 318. 1234. & seq.
B. Virgo ad eam instrumentaliter concurrit. 319. 236
Voluntas Dei mutato tempore non sufficit ad nouas denominationes reales. 114. 142. & seq. Sufficit ad morales. 115.143
Voluntates duæ in Christo. 69.34
Voluntas Christi humana fuit libera. 72.42
Voluntatis Christi perfectiones. 489.222
In ea cuiusuis ordinis perfectiones actuales. 490. 223
Fuit in ea tristitia imò abyssus tristitiæ. 490. & seq.
Et meracitas tristitiæ. 492.228
Fuit electio in Christo. 493.230
Voluntas Christi habuit dona Spiritus sancti. 510. 274
Quas beatitudines habuerit. 511.276
Hortus virtutum omnium. 511.278
Amorem, spem, timorem, gaudium voluntatis, vide ipsamet vocabula ista.
Voluntas Christi fuit libera & mereri potuit. 502.254. & seq.
Voluntas Christi capaxne fuerit defectus perfectionis. 529.331
Capaxne reatus & vitiosorum habituum. 530. 332. & seq.
Voluntas Christi ab omni actuali peccato remotissima. 531. 334. & seq.
Peccati non potuit argui. 536. 346
Peccatum destruxit. 536.347
Peccatum ei tribuere blasphemum. 537.349
Voueratne Christus. 493. 232
Vouere an Christo possibile. 493.232
Iutaueritne, vide Iutare.
Vteri Deiparæ encomia ex conceptione Christi. 326. 252. & seq.
Vide Christus conceptus in vtero, &c.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A. VII
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A. VII
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Tomo I
De christo
Th
779a

RAYNAUD

Tomus I
De Christo
et
Tomus II
De Attributis
Christi
A VII
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN